R. P. LAVRENTII

DE PEYRINIS

GENVENSIS

ORDINIS MINIMORVM S. FRANCISCI DE PAVLA, olim in Prouincia Genuensi Vice-Generalis : Necnon sanctissimæ Inquisitionis contra Hæreticam prauitatem Vicarij.

DE OFFICIO PRÆLATI REGVLARIS,

SEV DE IIS QVÆ AD BONVM PRÆLATVM FORMANDVM SPECTANT.

TOMVS SECVNDVS,

In quo Constitutiones Pontificum circa Minimorum Priuilegia, S. Congr. Decreta, Summarium Canon. S. Conc. Trid. & Additamenta dictam materiam concernentia, nunc primùm sibi inuicem succedunt.

OPVS STVDIOSIS OMNIBVS AC RELIGIOSIS ET PRÆLATIS apprimè necessarium, & alio quàm aliàs ordine digestum.

EDITIO NOVISSIMA, MVLTIS ADDITIONIBVS PRÆ CÆTERIS LOCVPLETATA.




LVGDVNI,

Sumptibus IOANNIS-ANTONII HVGVETAN, & GVILLIELMI BARBIER.

M. DC. LXVIII.

CVM APPROBAT. ET PERMISSV.





REVERENDISSIMO

PATRI DOMINO

FRANCISCO MARINO,

CLERICO REGVLARI,


EXIMIO CONCIONATORI,

ac Visitatori meritissimo.



ON diù, nec ancipiti Consilij lance mea mens delibrata tuam caligauit ad lucem, Reuerendissime Pater; quonam scilicet è sidere huic operi lumen hauriret intempestiua indagine anhelans. Solis quippe radiis sublunaria hæc corpora, vel inuita clarescunt, tuæque virtutis fulgorem meus genius ingenito in te obsequio, velit nolit, adorat. Hinc ad lucem huic operi abs te mercandam, tuarum virtutum pondus me volentem inclinat; abs te inquam, cui soli Fama dum tuo nomini continenter inuolitat, suas alas impendit. Cuius purpuratæ eloquentiæ, vel ipsa cedens Inuidia fasces submisit. Rediuiuum enim in te priscæ eloquentiæ robur demiratur Italia, ac sapientiæ nectare tua verba rorantia, dum aures degustant audientium, æternam vitam suspirantia sese insinuant in corda. Philosophico lapide sordidi æris formam flauescere in auream Chimicorum commentum ingenti plausu vulgus excepit, at tuo ex ore pendentes animos, ferrugineo turpiter tinctos puluere, diuinum statim enitere in aurum, vel ipsa Templa tuas laudes resonantia testantur. Scientiarum fluuios quibus doctiorum ingenia vernantur irrigua, te vnum strinxisse, ipsum MARINI agnomen declarat. Perenni quippe flumina in Mare defluunt tributo, tuo autem in pectore quicquid scientiarum è diuinitatis fonte manauit in homines sapienter inundat. Hoc igitur è Mari, emergentem tuæ virtutis Solem veneratur hic Liber, quem suo etiam argumento tuum in sinum aduolantem, vt fauenti ipse excipias vultu, benignitas tua facilè poterit exorari. Regularium enim munera, siue emineant dignitate, siue aliorum imperio, grato nexu stringantur, hunc librum implent. Te igitur adit Regularium decus, & ornamentum, qui eadem iura in quæ danda te natura formauit, ad aliorum nutus

deſcendens mellea facilitate capeſcis, nunquam ad parendum difficilis, ni cùm ipſum parere ſuprema tuæ Religionis munia parit. Tuam quoque hoc in libro videbis imaginem, cùm hîc eæ cenſeantur virtutes, quibus tu aliorum regimini toties impoſitus in tui amorem omnia Corda traxiſti. Accipe igitur, Reuerendiſſ. Pater, hoc mei animi tibi deuoti, quod ſæculis trado monumentum, Æuo duraturum, ſi tu vel leui fauore, Æternitatis ei aditum aperueris. Valè.



FACVL

FACVLTAS REVERENDISS. P. GENERALIS.

FRa. Franciſcus à Longobardis, totius Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula Minimus Corrector Generalis, R. P. F. Laurentio De Peyrinis, noſtri Ordiuis in Prouincia Genuenſi Prouinciali, ſalutem in Domino.

PRæſentium virtute concedimus tibi ſupradicto, vt typis mandare poſſis librum, qui dicitur: *De Officio Prælati Regularis*, poſtquam fuerit diligenter examinatus à P. F. Franciſco à Mineo, noſtri Ordinis Theologo, Obtenta priùs facultate ab iis, ad quos pertinet. In quorum fidem, &c. Dat. Romæ, in Conuentu SS. Trinitatis, die 10. Aprilis 1630.

F. Franciſcus à Longobardis Minimus Generalis.

APPROBATIO.

IVſſis Reuerendiſſ. P. F. Franciſci à Longobardis, S. T. P. totiuſque noſtræ Minimitanæ Familiæ Generalis, vt fas eſt, morem gerens, ego infraſcriptus Frater ſedula attentione perlegi aureum hoc Opus, quod inſcribitur: *De Officio Prælati Regularis*, ab Adm. R. P. F. Laurentio De Peyrinis, S. T. præſertim Aſceticæ, & Iuris Canonici Eminentiſſimo Profeſſore, nec non ſuperioribus annis in hoc IESV MARIÆ Collegio ſtudiorum Regente, nunc verò ad huius Prouinciæ clauum inſidente ineffabili prudentia, & animarum zelo, elucubratum. Et atteſtor, in eo nihil me inueniſſe, quod fidei catholicæ dogmatibus obuiet, vel bonis moribus aduerſetur. Quinimmò omnia ſacram Doctrinam redolent, ſummam eruditionem præſeferunt, eximiumque ſanctitatis ſpirant feruorem. Quod enim indefeſſo ebibit ſtudio, hoc in Opus eructauit, & quod in regiminibus pluries repetitis didicit, experientia magiſtrante, hoc calamo, & ſcripturæ mandauit. Et quod mirabilius eſt, ita graues, magnique momenti Doctrinas ſalibus aſperſit, ac lepida iucunditate condiuit, vt omnem protinus leuet legentis faſtidium, & de eo dici poſſit vulgatum illud;

Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci.

Quare iudico, vt in lucem prodeat, typiſque imò æternitati committatur, ad communem omnium ſtudioſorum vtilitatem, & maximè Prælatorum, eorumque omnium, quorum intereſt Regna, Reſpublicas, Communitates, & Familias gubernare. In quorum omnium fidem hæc ſubſcripſi in eodem Collegio IESV MARIÆ, anno à Deiparæ partu 1630. Die prima Menſis Septembris.

F. Franciſcus à Mineo S. T. P. & in IESV MARIÆ Collegio Studiorùm Regens.

APPROBATIO.

VT officij muuus fine iniuriæ crimine, ad Reuerendiff. P.Petri Martyris Ricciardi De Aqua Nigra, facræ Theologiæ Magiftri, in totoque Genuenfium Dominio Generalis Inquifitoris, præfcriptum exequar: qua potui, intellectus mei indagine attenta, Opus hoc, quòd: *De Officio Prælati Regularis* infcribitur, fummo mentis acumine à R. Adm. P.Laurentio De Peyrinis Genuenfi, Minimorum Ordinis nunc, & olim in Prouincia Genuæ Prouinciali, Theologo eximio, necnon Iuris Canonici egregio Doctore, elaboratum, excellentiffimum fanè Opus, omnibus numeris abfolutum fum perfcrutatus. Nihilque quòd noftræ orthodoxæ fidei, rectævè fidelium inftitutioni aduerfaretur, inueni; immo omnia eruditione, & fubtilitate, (quodque magis eft) admiranda claritate plena effe comperi. Quare pro communi omnium regiminum vtilitate digniffimum arbitror, præloque committendum iudico, vt Opus hoc, vtique mirabile, ingeniofo, ac folerti viro dignum, in lucem prodeat. Datum Genuæ, in Conuentu SS. Annuntiatæ, die 27. Ianuarij anno Dominicæ Incarnationis 1631.

F. Angelus Francifcus Cornilia Genuenfis, Ordinis Minorum de Obferuantia, in Conuentu SS. Annuntiatæ Genuæ facræ Theologiæ generalis Lector, necnon librorum Reuifor.

Denuò Imprimatur.

Inquifitor Placentiæ.
Francifcus Saluaticus Vic. Gen.
Rofa Vidit.



FACVL

FACVLTAS REVERENDISS. P. GENERALIS.

F. IOANNES Baptista Roncha à Placentia totius Ordinis Minimorum S.Francisci de Paula Correctior Generalis. P.F.Angelo Vigo Genuensi nostri Ordinis Theologo, Salutem in Domino.

PRæsentium virtute tibi supradicto, vt Opera Reu.Patris Laurentij de Peyrinis Genuensis ad hucvsque impressa,& ab ipsomet Auctore plurimis additionibus aucta (modò hæ priùs à duobus nostri Ordinis Theologis, nempe Reu. Patre Fr. Francisco Maria de Agrifoliis Prouinciali Genuæ: & P. Fr. Ioanne Thoma à Vezzano studiorum Regente examinentur, & approbentur) accedente facultate eorum, ad quos spectat, typis iterùm mandare valeas, facultatem concedimus, & ad meritum etiam Obedientiæ, vt id primùm faciendum cures præcipimus. Datum Bononiæ in nostro D. Benedicti Cœnobio hac die 28. Augusti 1639.

Fr. Io. Baptista Roncha Minimus Corrector Generalis.

APPROBATIO.

REVERENDI ADM. P. CORRECTORIS PROVINCIALIS Prouinciæ Genuensis eiusdem Ordinis.

EGo infrascriptus à Reuerendiss. P.F.Io.Baptista Roncha Ordinis Minimorum Correctore Generali specialiter delectus, Reu. Adm.& Colendiss. glor. mem. Magistri mei P.F. Laurentij de Peyrinis iterum in lucem edenda Opera, pluribúsque notis, seu additionibus olim ab Auctore concinnata, perlegi, atque examinaui, nihilque in iis, quod Catholicæ fidei, bonisque moribus, vel Auctoris doctrinæ, ac menti dissonum sit, spondeo me reperisse. Eaque proinde approbo,& vt eiusdem Auctoris de Religione, ac Genuensi Prouincia optimè meriti non ingratus Discipulus, typis ad omnium, & Regularium præsertim, vtilitatem committi posse, quin & committenda fore omnino censeo. In quorum fidem, &c. Dat. Genuæ, in nostro IESV MARIÆ Collegio, die 20. Septembris 1639.

Fr. Franciscus Maria de Agrifoliis Corrector Prouincialis, & S. Officij Genuæ Vicarius.

APPROBATIO.

EX commissione Reuerendiss. Patris F. Io. Baptistæ Roncha nostri Ordinis Minimorum Correctoris Generalis Apostolici, Additiones, quibus A. R. P. Laurentius de Peyrinis, adhuc viuens Opera sua iam typis impressa non mediocriter illustrarat, ego infrascriptus vidi,& sedulò examinatas publica typorum luce dignissimas iudicaui. In quorum fidem,&c. Datum Genuæ, in nostro Collegio IESV MARIÆ die 23. Iulij 1639.

Fr. Io. Thomas à Vezzano Sacræ Theologiæ Lector, & in prædicto Collegio studiorum Regens.

APPROBATIO.

EX commissione Reu. Patris Generalis, & Episcopi Lauellensis, vidi ego infrascriptus librum, qui dicitur: *De Officio Prælati Regularis*, Fratris Laurentij de Peyrinis, & attestor, me in ipso non reperisse quidquam contra Catholicam fidem, nec contra bonos mores, immo sanam, & optimam doctrinam. Quare censeo, posse dicto Patri concedi, vt eum typis mandet. In quorum fidem, &c.

Fr. Benedictus à Catana publicus Lector primarius Sacræ Theologiæ Studiorum Siciliæ in Academia Catanensi.

APPRO

APPROBATIO.

EX commissione Reu.P.F.Francisci de Mayda Episcopi Lauellensis,& Generalis Ordinis Minimorum,vidi ego infrascriptus librum,qui dicitur: *De Officio Prælati Regularis*,Fratris Laurentij de Peyrinis Genuensis, Ordinis Minimorum, & attestor, in eo me non reperisse quidquam contra fidem Catholicam, nec contra bonos mores, immo sanam, & optimam doctrinam,cum variarum rerum curiosarum cognitione coniunctam. Quare censeo,dictum librum futurum religiosis omnibus vtilem, si concedatur eius Auctori,vt typis eum mandare possit. In quorum fidem has manu propria subscripsi. Romæ die 25. Maij, Anno Domini 1623.

Frater Petrus Amoraga Prouincialis Castellæ.

APPROBATIO.

EGo Fr. Deodatus Lomellinus Theologus, & totius Ordinis Minimorum Zelosus, ex commissione Reuerendissimi Patris Generalis vidi librum inscriptum: *De Officio Prælati Regularis*, Fratris Laurentij de Peyrinis,& attestor, in eo ne quidquam contineri contra Catholicam fidem,nec contra bonos mores,sed sanam,& optimam doctrinam,religiosis omnibus futuram vtilem, si concedatur eius auctori, vt concedi debere existimo, vt eum typis mandare possit. In quorum fidem manu propria subscripsi.

Fr. Deodatus Lomellinus Zelosus.

LICENTIA PERILLVSTRIS, AC REVERENDISSIMI D.EPISCOPI *Lauellensis, & totius Ordinis Minimorum Generalis.*

HAbita relatione à Patribus,quibus negotium commisimus,librum,qui dicitur: *De Officio Prælati Regularis*, Fratris Laurentij de Peyrinis nostri Ordinis Professoris,nihil continere contra fidem Catholicam, nec contra bonos mores, licentiam concedimus,imò in virtute Sanctæ obedientiæ præcipimus dicto Patri, vt studeat quamprimum eum typis mandare. In quorum fidem, &c. Datum Romæ in Conuentu Sanctissimæ Trinitatis nostri Ordinis, die 25. Maij, anno Domini 1623.

Fr. Franciscus Episcopus Lauellensis, & Minimus Generalis.

F. ÆGIDIVS CAMART ORDINIS MINIMORVM *Generalis nouiter electus.*

VIsis approbationibus eiusdem libri,qui dicitur: *De Officio Prælati Regularis*, F.Laurentij de Peyrinis Ord. Minim. & licentia eum imprimendi data ab admodum Illustr. & Reuerendiss. D.Episcopo Lauellensi Prædecessore nostro,dictis vestigiis inhærendo,licentiam, & facultatem concedimus dicto Patri, vt eum typis mandare possit, immo per obedientiam iubemus. In quorum fidem,&c. Datum Romæ die 11. Ianuarij 1623.

Fr. Ægidius Camart Generalis indignus.

Imprimatur.

Fr. Elisæus Mansinius Inquisitor Genuæ.

Denuò Imprimatur.

Inquisitor Placentiæ.
Lepidus Librianus Vic. Gen.
Rosa Vidit.

INDEX



INDEX QVÆSTIONVM,

Capitum, Paragraphorum, Conſtitutionum, & Decretorum in hoc ſecundo Tomo contentorum.

Vltimus Numerus paginam indicat.

QVÆSTIO PRIMA.

QVÆSTIO II.

QVÆSTIO III.

De Auctoritate Prælatorum Regularium. pag. 166.

V. De

QVÆSTIO IV.

De modo agendi Prælati cum subditis. pag. 145

CONSTITVTIONES PONTIFICVM.

Index Titulorum.

Constitutiones S. D.N. Vrbani Papæ VIII. nouissimè præcedentibus additæ. p.403.

Index Titulorum.

Summarium Canonum Concilij Tridentini, qui de Regularibus præscribuntur. 539.



A D



AD LECTOREM.



ANDEM aliquando recusum vides, LECTOR AMICE, opus adeò exoptatum, tandiu desideratum, in quo passim Priuilegia suis quæque tomis aptata, Regularibus à Summis Pontificibus concessa dilucidissimis Commentariis explicantur, exornantur. Opus experieris à prima impressione ab ipso Auctore, adhuc inter nos agente locupletatum: multò sanè vberius locupletandum, nisi eum nobis mors præpropera rapuisset: Nec enim quæ tibi ad calcem offero, Pontificia decreta Commentatiorum luce orbata prodirent ad lucem. Scilicet ingenuo ac liberali animo Auctor erat, qui illud Senecæ *Epist. 6.* valdè probaret: *In hoc gaudeo aliquid scire, vt doceam: Si cum hac exceptione detur sapientia, vt illam inclusam teneam, nec enuntiem, reiiciam*: cumque ei alta mente repostum maneret illud Ecclesiastici *cap. 20. Sapientia absconsa, & Thesaurus inuisus; quæ vtilitas in vtrisque?* Apostolos satagebat inuitari, qui S. Ireneo, *libro tertio, capite decimo quarto*, docente: *Simpliciter & nemini inuidentes ea, quæ didicerant ipsi à Domino, hæc omnibus tradebant.* Tarditatis verò meæ causam ante nouissimè additas Pontificias Constitutiones tibi aperio: Commentaria autem in nostram Minimorum Regulam ab ipsomet Auctore composita tibi præsto erunt. Vale.

DE

DE OFFICIO PRÆLATI REGVLARIS,

SEV

De iis, quæ ad bonum Prælatum formandum ſpectant.

QVÆSTIO PRIMA.

De Regimine in Communi.

CAPVT PRIMVM.

Vnde deriuarint Regimina? & de varijs Regiminum Formis.

PRO hoc capite videri poteſt Plato *lib. 16. de Regno verſus finem, & 8. de Republica in princip.* qui eſt *35. ſuor. oper.* Ariſtot. 8. *Ethic. cap.* 10. & 3. *polit. cap.* 5. D. Th. *opuſc.* 20. *de regim. princip. cap.* 1. Polyb. *lib. 6. hiſtor. à princip.* Plutarch. *in opuſc. de vnius in Repub. domin.* Ægid. *de regim. Princip. lib. 3. part. 2. cap.* 2. Iauel. *lib. 3. polit. tractatu* 2. *cap.* 2. Marquez *in ſuo Gubern. Chriſt. lib. 2. cap.* 21. Mauclet. *de Monarch. tom. 1. lib. 1. part. 1. cap. 2. & lib. 4. cap.* 6. Contzen. 1. *polit. à cap. 5. vſque ad* 14. Almaïnus *de auct. Eccleſiaſt. cap. 1. & tract. de poteſtate Eccleſiaſt. & laica quæſt. 3. cap.* 5. qui duo tractatus ſunt inſerti in fine primi oper. Gerſonis, Azor. *part. 2. lib. 11. cap. 1. quæſt. 1. &* 2. Bellarm. *tom. 1. contr. 3. de ſumm. Pontific. lib. 1. cap.* 1. Patricius *de regno lib. 1. tit.* 3. Lipſius *lib. 2. polit. cap. 1. &* 2. Archid. *in cap. Ius autem naturale, diſt. 1. numero* 5. Rangol. 1. *Regum, cap. 8. verſu 5. tit. De multiplici genere, &c.* Acciaiol. 8. *ethic. cap.* 10. Vbi Segnus, Seaïnus, Burid. Rodrig. *tom. 3. quæſt. regul. quæſt. 34. art.* 1. Caſſan. *in catal. glor. mund. par. 12. conſid. 55. & part. 5. conſid.* 1. Antonin. 3. *part. tit. 3. cap. 2. ſtatim in princip. & §.* 2. Petr. Gregor. *de republ. lib. 1. cap. 2. & lib. 5. cap.* 1. Suarez *lib. 3. de leg. cap. 3. à numero 1. & cap. 4. num. 1. &* 2. Menoch. *inſt. polit lib. 1. cap. 2. &* 4.

2. Noto primò, quòd ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam creauit Deus nobiliſſimum animal, quod hominem vocauit; quem inter cætera prærogatiua donauit rationis, qua vna quod ſibi de aliis denegatum fuerat, optimè poſſet prouidere; quod enim natura animalibus cunctis cibum, tegumenta pilorum, defenſionem, vt dentes, cornua, vngues, vel ſaltem velocitatem ad fugam communicauit; quod illis item naturaliter inſitum eſt cognoſcere, quæ ſibi nocitura, vel profutura ſint, hoc omne homini in communi ſolùm per vnam rationem reparandum inſitum eſt. Ex quo fit, quòd licèt homo in communi ſit ſibi ſufficiens, cunctorumque animalium præſtantiſſimum, in particulari & tamen, & indiuiduo non eſt poſſibile, quod vnus homo ad omnia huiuſmodi per ſuam rationem pertingat, vnde minus ſibi ſufficit, quam quodlibet aliud, quamvis viliſſimum animal. Oportet ergo, quòd in ſocietate viuat, vt ſibi de neceſſariis prouidere poſſit; quare Geneſ. 1. *Dixit Dominus Deus, Non eſt bonum hominem eſſe ſolùm, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.* Adiutorium pro neceſſitatibus corporalibus, & ſpiritualibus; & adiutorium, quo vitam traduceret iucundiùs,

& feliciùs. Et Ecclesiastes. 4. *Meliùs est ergò duos esse simul, quam vnum, habent enim emolumentum mutuæ societatis: & si vnus ceciderit, ab altero fulcietur: væ soli, quia cum ceciderit, non habet subleuantem se.* Et quoniam nec hoc eius auctori visum est sufficiens, multa enim animalia gregatim viuunt, vt grus, formica, apis, quæ tamen non sibi possunt inuicem communicare, eo modo, quo homini, multò plurium indigenti, necesse est; Ideò illum locutione donauit, per quam alter alteri intima cordis sensa propalaret. Concludit ergo bene ex his Arist. 1. *polit. capite* 5. quem sequuntur D. Thom. *loc. cit.* & Ægidius etiam cit. *lib.* 2. *cap.* 1. *part.* 1. quòd homo natura animal sociale est. Quòd si aliqui homines societatem fugiant, eos aut bestias, aut Deos esse, bestias quidem, quia ab humano modo deficiunt, quales sunt viri scelerati, qui non possunt societatem aliorum sopportare, sicut Homerus de quodam dicit, quod erat sine tribu, quia non poterat cum aliis amicabiliter conuiuere, sine iure, quia non viuebat secundum legem, sine domo, quia vt fera extra homines habitabat: Deos verò, quia sibi ipsi cum Dei adiutorio sufficiunt, quales sunt viri contemplatiui. *Si igitur* ait D. Thom. loco cit. *naturale est homini quòd in societate multorum viuat, necesse est in hominibus inesse, per quod multitudo regatur: multis enim existentibus hominibus, & vnoquoque, id quod est sibi congruum, providente, multitudo in diuersa dispergeretur, nisi esset aliquis de ea, quod ad bonum multitudinis pertinet, curam habens.* Vnde Salomon Prou. 11. inquit, *vbi non est gubernator populus corruet.* Quis enim dubitat miserabili naufragio perituram nauem, quæ indoctrio, ac perito moderatore, clauum pro libito vertente cunctaque suo arbitrio moderante careat? Vnde Baldus *in lege Ex hoc iure ff. de iustit. & iur. num.* 3. ait, quod cum naturale sit, quòd homines inter se discordent, vt dicitur *in cap. Quia diuersitatem, de conc. preb.* habent enim ex creatione mentes diuersas, ex necessitate cogente, quia omnia indigent capite, nati sunt Reges. Et Seneca *lib.* 1. *de clem. cap.* 4. *Ille* (Rex) ait, *est vinculum, per quod Respublica cohæret, ille spiritus vitalis, quem hæc tot millia trahunt, nihil ipsa per se futura, nisi onus, & præda, si mens illa imperij subtrahatur.*

3. Noto 2. quòd Aristot. 5. *Ethic. cap.* 7. distinguit ius in naturale, & legitimum, siue legale, & naturale dicit esse, *Quod vbique habet eandem vim, & non quia vel ita videtur, vel minimè.* Idest habet virtutem inducendi hominem ad bonum, & retrahendi à malo, & hoc non oritur ex humana apprehensione, vel opinione, sed ex natura ipsa, quia ratio scilicet sic dictat. *Ius autem legale est, quod à principio verum hoc, vel illo modo fiat, nihil refert: vbi verò fuerit institutum, refert.* Id est, quod ante positionem legis, nihil refert sic, vel aliter agere, quia per naturam non est determinatum, quòd hoc sit bonum, vel malum, sed quando est lege positum, & consuetudine firmatum, refert multum, quoniam obseruare, & obedire bonum est, præterire autem malum. Vnde potest colligi Regula generalis ad cognoscendum, an aliquid ad ius naturale, vel positiuum pertineat, si enim obligatio oritur à natura rei, quæ præcipitur, aut prohibetur, quia scilicet in se est necessaria, vt fiat, vt subuenire extremè indigenti, vel quia in se est illicita, & mala, vt furari, mentiri, tunc præceptio, aut prohibitio pertinet ad ius naturale. Si verò obligatio non oritur à natura rei, quæ præcipitur, aut prohibetur, sed à præcepto, & voluntate prohibentis, esto, ex parte rei adsit aliqua congruitas, & exigentia, vt præcipiatur, aut prohibeatur, pertinet ad ius positiuum, vt ieiunium quadragesimale, confessio annua, &c. Atque ita docent etiam Theologi cum D. Thom. 2. 2. *q.* 57. *art.* 2. & 1. 2. *q.* 95. *art.* 4. *corp.*

4. Molina *tom.* 1. *de iust. tr.* 1. *disp.* 3. aduertens prædictam diuisionem solùm esse iuris quatenus est obiectum iustitiæ diuidit ius latissimè sumptum in diuinum, & humanum. Diuinum est, quod à Deo conditum est; Humanum quod à Deo accepta potestate homines tulerunt. Rursus ius diuinum subdiuidit in naturale, & positiuum. Ius diuinum naturale, est quædam vis intellectus à Deo conditore humanæ naturæ impressa, qua bonum à malo discernentes illud amplectimur, & istud refugimus. Vnde etiam *gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt.* Ad Rom. 2. Ius diuinum positiuum est, quod à Deo, aut Christo de his, quæ ad naturale ius non spectant, latum est, siue id per se immediatè condiderit, siue ministerio Angeli, siue alicuius alterius suorum seruorum, vt Mosis, vel Apostolorum, vt præceptum baptismi, confessionis, &c. Et denique ius humanum subdiuidit in ius gentium, ciuile, & canonicum. Ius canonicum est, quod per Ecclesiam, vel eius ministros conditum est. Ciuile verò, quod conditum est per sæculares Potestates. Ius gentium dicit esse ius humanum, quo omnes, aut ferè omnes, gentes vtuntur. Latissimam iuris diuisionem vide apud Bellouac. *in specul. doctrin. lib. septimo, à capite* 37. Vasquez 1. 2. *disputatione* 157. *per totam.* Videri etiam potest Valent. *tom. secundo, disputat.* 7. *quæst.* 5. *parte* 2.

5. Iuristæ diuidunt ius in naturale, ciuile, & gentium. *Instit. de iure naturali, gentium, &c.* §. 1. *& seq. leg.* 1. *ff. de iust. & iure, cap. Ius autem, d.* 1. vbi Canonistæ, & Legistæ. Ius naturale est commune omnium nationum, eo quod vbique instinctu naturæ, non constitutione aliqua habetur, vt viri, & fœminæ coniunctio, liberorum successio, educatio, communis omnium possessio necessitatis tempore acquisitio eorum, quæ cœlo, terra, marique capiuntur, cùm enim in nullius sint posita potestate, occupanti cedunt. Item depositæ rei, vel commendatæ pecuniæ restitutio, violentiæ per vim repulsio. Ita *in cap. Ius naturale, d.* 1. *Instit. loc. cit.* §. *Nam ius.* Ius ciuile est, quod quique populus, vel quæque ciuitas sibi proprium, diuina, vel humana causa constituit. Ita *in cap. Ius ciuile, d.* 1. *Instit.* §. *Ius autem ciuile loco citato.* Ius gentium est, quo omnes ferè gentes vtuntur; vt sedium occupatio, ædificatio ad habitandum in proprio solo, munitio contra hostes, bella iusta, captiuitates, vt scilicet captiuis vitæ seruentur, seruitutes, vt scilicet qui bello iusto capiuntur, fiant serui capientium, ita vt neque etiam fugere possint, secundum Glossam *in cap. Ius gentium, verbo Seruitutes*; secùs tamen, si bellum iniustum sit. Sed in dubio fugere possunt, sibi potius, quam aliis consulentes, & etiam in bello iusto captus puto quòd fugere possit, iure enim naturæ omnes homines liberi sunt, Institutione de iure natural. §. *Ius autem*; vnde illi præiudicare non debet ius gentium, imò, & ius gentium: hoc etiam concedere videtur, omnes enim qui possunt, fugiunt, nec capientes iure repetunt: quare non deberent eos Domini verberare, si post fugam eos arripiant, (Nisi verberent ad terrendum vt censeo) cùm ius suum quærant. Sunt etiam de iure gentium postliminia, id est ius illud, quo restituitur alicui res, quam per captiuitatem amiserat, fœdera, paces, induciæ, id est treguæ, legatorum non violandorum Religio. Ita habetur *in cap. Ius gentium, d.* 1. *& inst. loc. cit* §. *Ius autem gentium: & in lege Omnes populi. ff. de iust. & iure dicitur*, quod ius gentium est illud, *Quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, idque apud omnes gentes peræque custoditur.*

6. *In lege autem* 1. §. *Huius studij, ff. eod.* dicitur, ius gentium à iure naturali differre, quòd hoc omnibus animalibus, illud solis hominibus inter se commune est. Quod etiam docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 57. *art.* 3. *corp. & ad tertium*, Turrec. *in cap. Ius gentium, num.* 4. Ægid. *de regim. lib* 3. *par. c.* 25. Iavell. 5. *ethic. tract.*

tract. 2. cap. 2. versu, Sed aduerte. Vtrum autem ius gentium sit ius potiùs naturale, quàm positiuum, & quomodo differat à iure naturali, & ciuili, discutiunt subtiliter scholastici, Ego pro meo intento puto dicta sufficere. Videri potest Vasquez 1.2. *disp.* 157. *cap.* 2. & 3. Bannes, & Aragon. *ad locum citatum* D. Thom. Malder. 2.2. *tract.* 1. *cap.* 2. *dub.* 3.

7. Dico 1. regimina à Deo immediatè per naturam operante deriuarunt. Ita D. Thom. *de reg. princ. lib.* 3. *à cap.* 1. Victor. *relect.* 3. *de ciuil. potest. num.* 6. Sotus *lib.* 4. *de iust. quæst.* 4. *art.* 1. *concl.* 2. Almain. *de auct. Eccles. cap.* 1. Nauarr. *in cap. nouit. de iud. notab.* 3. *coroll.* 20. *num.* 85. *tom* 4. Bellat. *tom.* 2. *lib.* 3. *de laicis, cap.* 6. Mol. *tom.* 1. *de iust. tract.* 2. *disp.* 22. *versu, Hac tamen & disp.* 27. Contz. *lib.* 1. *Polit. cap.* 3. *num.* 3. *& cap.* 5. 6. *&* 7. Menoch. *instit. polit. lib.* 1. *capite* 3. P. Greg. *de Repub. lib.* 7. *cap.* 1. *numero* 3. Probatur 1. Homo naturaliter necessitatur in societate viuere, vt dictum est *notab.* 1. nec potest ibi quiete viuere sine rectore, vt ibidem dixi; ergo naturale est illi in societate viuenti quòd regatur. Sed Deus auctor naturæ est; ergo à Deo, tanquam auctore naturæ, & per naturam immediatè operante, prouenit, quòd homo per aliquod regimen regatur, quæ enim à natura, & in natura sunt, ad Deum referuntur, Vnde Arist. 8. *phys. textu* 33. *&* 4. *de cœlo, textu* 25. ait grauia, & leuia à generante moueri non ob aliam causam, quam per illam naturalem inclinationem, quam habent ab illo. Si ergo Deus dedit hanc necessitatem, & inclinationem hominibus, vt in societate viuentes aliquo regente indigerent, hoc ipsum Deo auctori acceptum referre necesse est. 2. probatur ex Arist. 1. *polit. cap.* 2. vbi ait *Ex his igitur patet, ciuitatem esse ex his, qua natura sunt, & quod homo natura ciuile est animal: & qui absque ciuitate est per naturam, non per fortunam, aut nequam est, aut potior, quàm homo* 3. ex August. 5. *de ciuit. Dei, cap.* 21. vbi ait. *Non tribuamus dandi regni, atque imperij potestatem, nisi Deo vero, qui dat felicitatem in regno cælorum solis piis, regnum vero terrenum, & piis, & impiis sicut ei placet, cui nihil iniuste placet.* 4. ex epist. ad Rom. cap. 13. *Omnes anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo, qua autem sunt à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Et Ioan. 19. dicitur. *Non haberes in me potestatem, nisi desuper tibi datum fuisset.*

8. Neque obstat, quòd *in lege, ex hoc iure, ff. de iust. & iur.* dominia dicantur de iure gentium instituta, & id probent ibi expositores, Bart. *n.* 5. Bald. *n.* 4. nam id intelligitur quantum ad distinctionem; nam quantum ad substantiam, seu natiuitatẽ sunt introducta de iure diuino, vt docet ibi Angel. de Perus. *n.* 2. *&* 3. Concludo ergo quòd dominia vniuersim pendent à Deo, tanquam auctore naturæ, distincta sunt per ius gentium, & acquiruntur quandoque per ius ciuile, vsucapionem, arrogationem, sententias, testamenta, electiones, &c. vt docet Glossa *in dicta lege ex hoc iure*; & Angel. *n.* 3. quo pacto conciliari possunt multa dicta Doctorum, & Legum. Et aduerte etiam, quod omnia regimina tam bonorum, quam malorum Principum à Deo sunt, vel iubente, vel permittente, iubente quidem, si Principes boni sint; permittente, si mali. Quod mihi probatur euidenter *capite Audacter*, 8. *quæst.* 1. vbi dicitur. *Non semper princeps populi, & Ecclesia iudex per Dei arbitrium datur, sed vt merita nostra deposcunt, si mali fiat actus nostri, & operamur malignum in conspectu Domini, dantur nobis Principes secundum cor nostrum, iuxta illud Osea 8. fecerunt sibi regem, & non per me, Principem, & non per consilium meum &c.*

9. Dico 2. principatuum formæ sunt tres, Monarchia, Aristocratia, Democratia. Ita Arist. 8. *ethic. c.* 10. *&* 3. *polit c.* 5. Plato *lib.* 16. *de regno* D. Tho. *de regim. Princ. c.* 1. *&* 1. 2. *q.* 95. *art.* 4. *corp.* Bell. *de Eccl. monarch. cap.* 1. *tom.* 1. Ægid. *de regim. p.* 2. *lib.* 3. *c.* 2. noster Rangol. 1. *Regum, c.* 8. *vers.* 11. *tract. de iur. Regis, c.* 4. Molina *tom.* 1. *de instit. tract.* 2. *disp.* 23. Conrad. 1. 2. *q.* 95. *art.* 4. Contzen. 1. *polit. cap.* 14. & alij cit. *n.* 1. Probatur, nam vel Respublica regitur per vnum commune caput, & dicitur monarchia, vel per paucos, & optimates, & dicitur aristocratia; aut per multos, & populares, & vocatur politia; Verùm quando à recto deuiatur in prima specie regiminis, vocatur tyrannis; quando deuiatur in 2. obligarchia. Quando in 3. democratia; sed iam hodie hoc nomen in bonam partem sumitur. Ita Arist. 3. *polit. cit.* sed magis in particulari videndum est, quidnam sit quodlibet istorum regiminum. Sit ergo.

§. I.

Quid, & quotuplex sit Monarchia, deque illius vtilitatibus, & damnis quomodo dissoluatur, & conseruetur.

10. PRo hoc §. videri potest Arist. 3. *polit. cap.* 10. 11. Gerson. *p.* 1. *de potest. Ecc. consid.* 13. Iauell. 3. *polit. tract.* 5. *cap.* 1. Rangol. 1. *Reg. cap.* 8. *versu* 11. *tract. de iur. Regis, cap.* 4. *&* 5. Maucl. *de monarch. part.* 1. *cap.* 2. *tom.* 1. Vaston. *in thes. vit. ciu. lib.* 5. *cap.* 10. Contzen. *lib.* 1. *polit. c.* 15. Molina *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 23. Salas 1. 2. *q.* 95. *tract.* 14. *disp.* 6. *sect.* 1. *n.* 16. Sarton. *in ciue Reipub. reg. consid.* 48. *&* 49. Anton. Perez *in Pead. fid. volum.* 5. *de Rom. Pont. dub.* 1. *c.* 12. P. Greg. *de Repub. lib.* 5 *c.* 3. *à num.* 1. *& c.* 4. *per totum.* Bzouius *in Rom. Pont. c.* 1. *col.* 6. *versu Placet.* Ioan. de S. Maria *in sua politic. christ.* Mambrin. Roseus *in Inst. Princ. c.* 1. Patrit. *de Repub. lib.* 1. *tit.* Menoch. *instit. polit. lib.* 1. *c.* 4. *à n.* 2. Azor. *p.* 2. *lib.* 11. *c.* 1. *q.* 2.

11. Nota 1. quod monarchia est summum penes vnum imperium, sine superioris, aut æqualis populi, vel alterius Principis consortio. Ita Maucl. *loc. cit.* Hæc definitio est omnium optima meo videri; explicat enim monarchiæ essentiam; quatenus dicit, eam esse vnius Principatum; & illam facit differre ab aliis gubernationibus; ab aristocratia quidem, quatenus excludit æquales, & consortes in imperio; à democratia verò quatenus excludit populum. Quæ definitio sumitur ex Arist. 3. *polit. capite* 3. *&* 15. Aliam monarchiæ definitionem affert Lipsius *lib.* 2. *polit. capite* 3. nimirum quod sit vnius imperium, moribus, aut legibus delatum, susceptum, gestumque parentium bono. Sed hæc solùm comprehendit monarchiam legitimam, de qua hic infra.

12. Noto 2. quòd variæ sunt monarchiæ species, de quibus Arist. 3. *polit. cap.* 10. *&* 11. Iauell. *ibid. tract.* 5. *cap.* 1. Cont. *loc. cit.* Mol. *loc. cit. versu hinc est.* Frachet. *in suo semin. discurs.* 19. *fine*; Frezza *in discurs. polit. discurs.* 2. Breuiter tamen illam diuido in diuinam, qua summa illa Majestas, quæ est Rex Regum, & dominus dominantium, & omnia, quæ in cœlis, & quæ in terris sunt nutu solo gubernat, & regit; quæ si omnia subuerterit, & in vnum coarctauerit, non est, qui contradicat ei, nec qui possit ei dicere, Domine cur ita facis, quæque solo suo eloquio vniuersa restaurat: & in humanam, seu ciuilem, qua vnus imperium regit. Hæc autem subdiuiditur in legitimam, & tyrannicam, seu barbaricam. Quando imperans imperium suum suasque actiones in parentium bonum dirigit, tunc dicitur monarchia legitima: quando autem non ad bonum commune, sed ad proprium dirigit imperium, tunc dicitur tyrannis. Et sic monarchia legitima potest describi, quod sit Vnius imperium, non proprium principaliter, sed commune bonum in suo principatu intendentis. Tyrannica verò Imperium vnius, nullis subiacentis

legibus, incorrigibilis, opprimentis bonos, ac meliores, dominantis pro sola propria voluntate, ad proprium commodum, & vtile respicientis. Vnde Arist. 5. *polit. cap.* 10. ait. *Tyrannus ad nullam communem respicit vtilitatem, nisi gratia proprij commodi, & illius obiectum est id, quod placet, vt è contra Regis, quod honestum est.*

13. Dico primò Multa bona, commoda, & vtilitates affert monarchia legitima iis, qui per illam reguntur, de quibus D. Thom. 4. *cont. gen. capite* 76. *& lib.* 1. *de regim. cap.* 2. Ægid. *de regim. p.* 2. *lib.* 3. *cap.* 3. Almain. *de pot. Eccles. q.* 3. *cap.* 5. Nauarr. *in cap. nouit. de indic. notab.* 3. *num* 168. *tom.* 4. Bong. *de num pag. mihi* 59. Mol. *tom.* 1. *de iust. tract.* 2. *disp.* 23. *versu ex tribus speciebus*: Rangol. *in c.* 4. *vers.* 18. 1. Reg. *tract. de Eccl. iurisd p.* 2. *fin.* vbi refert *constit. quandam Pij II. pag. mihi* 687. *& cap.* 8. *versu* 11. *tract. de Iure Regis, c.* 4. *pag. mihi* 979 Maucl. *p.* 1. *de Monarch. lib* 4. *à c.* 2. Bellar. *lib.* 1. *de Rom. Pont. c.* 2 Veston. *in theatr. vit. ciu. lib. c.* 11. *n.* 6. Azor. *loc. cit. à versu his positis* Lorin. *in c.* 17. *Deut. ver.* 14. Roseus, Salas, Perez, Menoch *loc. cit.* P. Greg. *cap.* 4. *cit.*

14. Primum igitur commodum, quod Reipublicæ affert monarchicum regimen, est quòd in eo omnia meliùs, faciliùs, & securiùs in pace conseruantur, magis charitas, & amicitia ciuium fouetur qui est Reipublicæ finis, est enim Princeps vnus vinculum amoris, quo separata coniunguntur, scissa conglutinantur, fracta consolidantur. Vnde Tacit. 1. *hister. in princip. Pacis* inquit, *interest, omnem potentiam ad vnum conferri.*

15. Secundum, quia hoc regimine faciliùs defenduntur ciues ab iniuriis peruersorum: cùm enim isti vnitam virtutem iustitiæ in vno videant, punitionemque suam ab eo solo pendere sciant, faciliùs abstinent, punitionem timentes, vnde Tacit. 1. *annal, parùm à princip.* ait. *Non aliud discordantis patriæ remedium fuisse, quam vt ab vno regeretur.* & Arist. 5. polit. capite 10. *Vult autem*, inquit *Rex esse custos, vt qui diuitias habent, nihil iniustum patiantur: nec etiam populus afficiatur contumeliis.*

16. Tertium, quia ipsam naturam videmus vnius gubernationi commisisse, quæ gubernio indigere cognouit. Sic in corpore animali posuit vnum cerebrum, à quo sensus ducuntur: vnum cor, à quo omnes corporis motus pendent: vnum caput, à quo cætera membra diriguntur. Sic in mundo vnum solem, qui præest diei, vnam lunam, quæ præest nocti: vnum primum cœlum vnum primum motorem, à quo reliqui, cœli, & motus conseruantur. Apes vnum regem agnoscunt, & grues vnum ducem sequuntur, vnus est dux in gregibus, & in armentis ductor vnus. Vnde Arist. 12. *met. in fine* ait. *At entia naturalia nolunt malè gubernari: non est bonum pluralitas principatuum: vnus ergo Princeps.* Et Seneca lib. 1. de clem. c. 19. *Natura* inquit *commenta est Regem, quod & aliis animalibus licet cognoscere, & ex apibus &c.*

17. Quartum, quia hac via facilior est imperij dilatatio: vnus enim habet multos consiliarios expertos, quos consulit, & audit, vt deinde, quæ sibi vtiliora visa fuerint, eligat, & exequatur, quod fit expeditiùs, & secretiùs vnde Dionys. *lib.* 52. *in orat. Macen.* ait. *Sic demum Respublica rectè generetur, cum neque omnibus consilia de ea initia vulgentur, neque in aperto ea agitentur.*

18. Quintum, quia hic status non ita mutationibus, & seditionibus, ac confusionibus est obnoxius natura sua. Vnde historiæ testantur (vt videri potest apud Contz. 1. *po. cap.* 21. §. 11. Lips. *exemp. pol. lib.* 2. *cap.* 1. *monit.* 6. Bellar. *de Rom. Pont. lib.* 1. *cap.* 2. *versu nunc illud superest*) nullas Respub. diutiùs durasse, quam monarchias. Vnde Iust. *mar. in cohort. ad Græcos, pag. mihi* 17. ait. *Monarchia, siue vnius imperium peccatum esse consueuit.*

19. Sextum, quia Monarchia est antiquius regimen omnibus regiminibus, vt probat P. Greg. *lib.* 5. *de Rep. cap.* 3. *num.* 4. *& n.* 14. vbi id probat ex Gen. *c.* 10. *&* 11. *& dict. num.* 14. *&* 15. & probat, principatum Mosis fuisse monarchicum. Vnde Tul. 3. de leg. ait. *Omnes antiquas gentes Regibus primum paruisse*, Et 1. Reg. c. 8. dicitur *constitue nobis Regem, vt iudicet nos, sicut & habent vniuersa nationes.*

20. Septimum, quia hac forma vtitur Deus in gubernatione mundi, vt probat D. Thom. 1. *p. quæst.* 103. *art.* 3. *&* 4. *cont. gen. cap.* 76. & gubernatio Ecclesiæ monarchica est, vt fusè probat Maucler. *de Monar. p.* 1. *lib.* 4. *cap.* 1. *tom.* 1. Bell. *de Rom. Pont. loc. cit. c.* 9 Bzonius *in Rom. Pont. c.* 1. Menoch. *inst. pol. lib.* 1. *cap* 4. *num* 4.

21. Octauum, quia faciliùs, & meliùs, vnus quam multi in naui clauum torquere possunt; & vnius gratia faciliùs acquiritur, quàm multorum; vnus faciliùs, & efficaciùs virtutis præmia; vni faciliùs est satisfacere, quàm pluribus; & faciliùs est reperire vnum bonum, quàm multos; vnus faciliùs exequitur negotia, quàm plures, vnus perpetuus Monarcha faciliùs necessitates Reipublicæ cognoscit, quàm Gubernatores temporanei; cumque ad ipsum solùm omnia pertinere cognoscat, non est vnde in socium negotia reiiciat, quasi ad ipsum non pertineant, nisi id faciat committendo, & impetrando. Monarchæ populus non inuidet, nec illum contemnit, cùm supra illum sit; quæ facilè inter pares accidunt, dat enim stimulos æmula virtus. Vnde Arist. 3. pol. cap. 11. ait. *Ob hoc forsan Rex ab initio repertus est, quòd difficilem erat viros plures excellentes virtute reperiri.* Et Dionysius hist. lib. 44. in princ. ait. *Monarchia nomen auditu difficile: penes vnum tamen summam esse Republica, conducibile omnium maximè est: facilius enim vnus quispiam vir bonus, quam multi, reperitur; ac si hunc inuenire difficulter quidam existimant, omnino fateri illi coguntur, impossibile esse, vt multi boni inueniantur. Quando virtuosos esse multos consentaneum non est.* Et Isocrat. ad Nicoclem ait. *Tantò monarchiam faciliorem non immeritò iudicauerimus, quantò faciliùs est animum suum vnius viri instituto accomodare, quàm multis, & variis opinionibus placere conari.*

22. Nonum, quia non est minor libertas in principatu regali, quàm in aliis, vt probant Victor. *relect.* 3. *de potestate ciuium numero* 10. *coroll.* 1. Molina *tom.* 1. *de iust, tract.* 2. *disp.* 23. *versu ex tribus speciebus* Nauar. *in cap. nouit. de ind. notab.* 3. *numero* 167. Tum quia eiusdem naturæ est potestas, qua Reges regunt, & qua liberæ ciuitates se gubernant, licèt formæ potestatis diuersæ sint. Tum quia in Monarchia subditi vnum tantùm habent Regem, & Dominum; in aliis tot habent Reges, & Dominos, quot superiores; vnde cùm melius, & facilius sit obedire vni, quam pluribus sequitur, quòd non minor libertas sit in principatu regali, quàm in aliis.

23. Decimum, quia hoc regimen approbat scriptura sacra, vt multis probant Bellar. *loco cit. c.* 2. *versu, sed his omissis*; Mauel. *loco cit. c.* 3. *Deut. enim* 17. dicitur. *Eum constitues Regem, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.* Et Ezechiel. 37 *Faciam eas in gentem vnam in terram montibus Israel, & Rex vnus erit omnibus imperans.*

24. Vndecimum, quia hoc regimen approbarunt S. Patres, quos referunt Bellar. *loco cit. in princip.* & Maucler. *capite* 4. Crysost. *hom.* 34. *in* 1. *ad Cor. in medio*, ex eo quod Deus *Ex vno fecit omne genus hominum*, vt dicitur Act. 17. ait, *Noluit itaque esse democratiam, sed regnum.* Iustin. *mart. loco cit.* approbans illud Homeri.

Non

Non rectè imperitant multi, sceptra vnus habeat, ait *Atque equidem ille* (Homerus) *non bonum esse regimen multorum, sed è diuerso malum, re ipsa ostendere consilium habens, eam ob causam bella illorum propter multitudinem, & prælia, & factiones, & mutuas insidias passim commemorat, nam Monarchia, siue vnius imperium pacatum esse consueuit.*

25. Duodecimum, quia hoc regimen approbarunt etiam Philosophorum principes, quos refert Maucl. *loco citat. capit.* 5. Plato lib. de regno vltra med. *Vnius* inquit *dominatio bonis instructa legibus, illarum omnium optima est. Gubernationem verò eam, in qua non multi imperant, mediam censere debemus: cæterum multorum administrationem omnibus in rebus debilem, atque infirmam.* Aristot. 8. *eth. cap.* 10. post enumeratas ciuilium potestatum formas, *Harum*, ait, *optima regum, pessima est censi potentia*, idest democratia, seu politia & 5. pol. cap. 10. fin. uii. *Regnum ab his, quæ extra sunt minimè corrumpitur, quapropter diuturnius est.* Et 4. *pol. c.* 2. vocat gubernationem regiam diuinissimum, & illius transgressionem deterrimam. Plutarchus opusc. de vnic. in Rep. dom. *Si mihi*, ait, *detur optio, nullam profectò Reipublicæ formam deligerem, quàm Monarchiæ; Platonis fidem secutus, ea enim sola, & sustinetur virtus, & vtilitas Reipublicæ, neque necessitatis, neque gratiæ causa inflectitur, cum reliqua id habeant, vt is, qui imperat, sub imperio, & potestate sit, & qui gerit eas, ipse geritur: feriturque quod non habet vim solidam, & stabilem, qualis est in Monarchia, sed sæpe cogitur Æschylenm illud exclamare quo vsus est Demetrius Poliorcetes amisso imperio. Tu me creasti, tu fers exitium mihi.* Isocrates in Nicocle *Monarchia*, ait, *principem locum præstantissimi quique deferunt.* Et Eurip. *in Androm. act.* 2. ait,

Nunquam gemina laudauero mortalium cubilia,
Neque enim in ciuitatibus gemina domina;
Leuius, & commodiùs vno ferri solent;
Vnius potentia valet.

26 Hæc itaque, & alia plura commoda, quæ sponte omisi, videnda apud citatos DD. in se continet Monarchicus status. Sed cùm facillimè declinet à recto Monarcha, & tyrannus fiat. *Homine enim claro secundis rebus nihil est contumacius*, vt Plutarchus ait in Vit. Lucul. *Sicut è contra nihil parentius imperio rebus aduersis deiecto.* Et longiora, & diuturniora imperia, qualia sunt Monarcharum, multos, attollant, & ad res nouandas impellant, sceleraque principantes si nesciant, doceant regna, ideo multa etiam grauamina, & incommoda affert Monarchicum regimen, cum à recto declinat.

27. Dico secundò, multa etiam damna affert secum principatus Monarchicus, de quibus Arist. 5. *pol. c.* 10. & 11. D. Thom. *de regim. Princ lib.* 1. *c* 3. Dionys. *lib.* 5 2. *hist. in or.* Agrip. Iauel. 5. *pol tract.* 4. *c.* 1. Ægid. *p.* 2. *de regim lib.* 3. *c.* 7. Maucl. *p.* 1. *de Monar. lib.* 4 *cap.* 7. *tom.* 1. Azor. *p.* 2. *lib.* 11. *c.* 1. *q.* 1. Contzen. *lib.* 1. *pol. c.* 16. § 6. Rangol. *in* 1. *Reg. c.* 10. *vers.* 25. Veston. *lib.* 4. *c.* 11. P. Gregor. *lib.* 5. *de Rep. c.* 3. *à n.* 1.

28. Notandum, quòd tyrannorum variæ sunt species, vt docet Aristot. 4. *pol. c.* 10. vbi Iauel. *tract.* 2. *c.* 3. Contzen *loc cit.* §. 2. Veston. *loc cit.* Ego duas species constituo. Prima est eorum, qui regium imperium seditionibus, & fraudibus obtinuerunt, siue id fuerit, quia ad maximum dignitatis culmen à legitimis Regibus, & Potestatibus euecti, iam Principibus ipsis similes, & pares effecti, Luciferi imitatione, eos de solio eiecerint, sibique occopauerint, siue quia à suis Rebuspublicis, & Vniuersitatibus in exercituum Ductores, & ciuitatum Rectores electi, leui populo decepto, eas dignitates, non tanquam ministri, sed tanquam Domini administrauerint, & iugo ministrationis excusso retorto in electores gladio, eos coëgerint telis propriis facta vulnera pati. Secunda tyrannorum species est eorum, qui legitimè sumptum imperium, legitimeque è principio administratum, germinantibus deinde, vt solet communiter, ambitione, auaritia, libidine, abutendo potestate, tyrannicè regunt. Et licet tyranni omnes barbarè imperium exercere dicantur; aliqui tamen barbaricè speciali nomine, seu, quod idem est, despoticè imperant, vnde tale imperium despoticum dicitur. Et est, quando Princeps vult esse absolutè dominus proprietarius, non solùm rerum, & facultatum subditorum, quò ad substantias, vsus, & vsusfructus earum, sed etiam corporum, & vitarum eorundem, ita vt subditi sint pura mancipia; At hoc regimen inter Christianos nunquam fuit introductum, sed eo solùm reguntur Turcæ, & Moscouitæ. De isto dominio tractant Contzen 1. *pol. c.* 21. Veston. *lib.* 4. *c.* 9. Illudque describitur *Daniel* 5. vbi loquens Daniël de Nabuchodonosore Rege ait quod *Vniuersi populi, tribus, & linguæ tremebant, & metuebant eum, quos volebat interficiebat, & quos volebat percutiebat, & quos volebat exaltabat, & quos volebat humiliabat.*

29. Primum igitur damnum, quod ex Monarchia iniusta prouenit, est, quod talis Monarcha, seu potius tyrannus bona omnia Subditorum per varias artes, vel mutuò nunquam redditurus, per inuentas calumnias sibi rapit; etiamsi opus fuerit, ad hoc eosdem met ipsos interimendo occultè, vel manifestè. Vnde sapiens *Prouerb.* 29. dicebat. *Rex iustus erigit terram, vir auarus destruit eam.* Quasi dicat: Rex bonus, qui, postpositis propriis commodis, ad bonum commune semper spectat, Rempublicam olim iacentem erigere, atque excitare solet. Tyrannus verò qui nec nomen Regis meretur, ad solam suam commoditatem prospiciens, & omnia auare, etiam Deo dicata, in proprium vsum conuertens, vt suam ingluuiem quoquo modo satiet, Rempublicam quamlibet etiam felicissimam, & fortunatissimam ocius subuertit, ac destruit, nihil enim aliud meditatur, nihilque agit, quàm quòd possit in vtilitatem propriam conuerti; Ideò non parcit populo, vitæ, aut facultatibus, aut honori eius, tondet ad viuum imò verò excoriat, premit, necat gregem donec sibi satis sit, satis verò illud accedit nunquam.

30. Secundùm, aliorum vxoribus, & fœminis pro suo libito vtitur (sparsa in populo fœda illa Philosophia; princeps non facit cornua, seu infamiæ maculam non inurit; vnde etiam quamplurimæ fœmellæ, & homunculi, alioquin honesti, à tali arietari ariete, gloriari non erubescunt) etiam, vim afferendo, & maritos, seu alios consanguineos nimium lynceos occidendo. Hinc Arist. 5. *politic. cap.* 10. ait, quòd *plurimæ inuasiones factæ sunt ex eo, quia in corpus verecundiam intulissent.* Vnde & *cap.* 11. *versùs finem* Regibus consulit. *Ab omni contumelia abstinendum, præcipuè tamen à duabus, ne in corpus flagris, neuè in ætatem libidine insultum agat: maximéque id cauendum in illis hominibus, qui honorem magni faciunt.*

31. Tertium, optimos quosque persequitur, odit, & expellit, quippè qui putat, ab illis se odio haberi, & eorum excellentiam suæ iniquæ dominationi esse præiudicialem, deterrimos omnes fouet, amat, exaltat, quippè qui similes ei sunt, ab illisque se amari autumat. Vnde D.Thom. *loc. cit.* ait, quod, *Tyrannis magis boni, quàm mali suspecti sunt, semperque his aliena virtus formidolosa est*, & Arist. 5. politic. cap. 11 *qui autem*, ait *Subditorum vel honestati student, vel libertati, minuere excellentiam, & præeminentiam tyranni videntur: oderunt ergo illos tyranni tanquam euersores potestatis suæ*, & Plin. in Paneg. ad Trajan. ait, *vitiis potius ciuium, quam virtutibus se tuebantur.*

32. Quartum, proprium tyranni est, ait Arist. 5. polit. cap. 10. *Arma ciuibus suis adimere, ac multitudi-*

nem populi conculcare, ac ex vrbe pellere, & vacuam habitatoribus ciuitatem reddere, nobilitatem vexare, clam euertere, & palam, & in exilium pellere tanquam aduersarios, & machinatores contra potentiam suam. Vnde Periandri consilium Thrasibulo datum, supereminentes spicas decerpere, tanquam opportunum fuerit, eminentiores ciuium de medio tollere : & cap. 11. ait, *Tria coniectat tyrannus : Vnum vt animos imminuat ciuium, neque enim parui animi contra tyrannum insurgunt. Secundum, vt ciues inter se diffidentes reddat : non euertitur enim tyrannus, nisi ciuium aliqui inter se fidem habeant. Tertium, eos depauperare satagit, atque sic impotentes reddere : nemo enim sibi impossibilia aggreditur.*

33. Quintum, cùm nulli ferè beneficus sit Rex iniquus, propè verò infinitis maleficus, semper timet, semper pauet, cùm enim timeri studeat, timere etiam debet, iuxta illud Claud. *in Paneg. 4. consul. Honor.*

Qui terret, plus ipse timet, sors ista tyrannis
Conuenit, inuideant claris, fortesque trucident.
Muniti gladiis viuant, septique venenis.
Ancipites habeant arces, trepidique minentur.

Quare infinitos propè exploratores habet, externos milites alit, quibus sui custodiam committit, vt tradit Arist. 5. *pol. c.* 10. in quibus multum pecuniæ insumit, quam intolerabili vectigalium onere à populo extorquet.

34. Sextum, leges non seruat diuinas, neque humanas, minùsque municipales, sed habet pro lege voluntatem, & vtilitatem propriam. Quòd si quandoque eas obseruare videatur, vel id est, quia in proprium cedit commodum, vel simulat, machinans malum grandius. Vnde Arist. 5. *pol cap.* 10. *versus finem* ait, quòd corrumpitur Monarchia, si Monarchæ *tyrannicè gubernare pergant, volentes esse domini plurium, & contra legem*, & Plato *lib.* 16. *de reg.* cum Monarchiam astrictam legibus approbasset, subdit. *Legum expers dura est, & subiectis omnium onerosissima.*

35. Septimum, quia regimen Monarchicum, cùm ad iniustitiam declinat, pessimum sit omnium regiminum. Tum quia corruptio optimi pessima est. Tum quia sicut virtus vnita ad bonum, virtuosiorem producit effectum, ita vnita ad malum, vitiosiorem. Tum quia est efficacissimum ad nocendum. Ita ex Arist. 8. *ethic. cap.* 10. & D. Thom. *de regim. lib.* 1. *c.* 3.

36. Octauum, hoc regimen monarchicum ob dictam facilitatem tyrannidis abhorrere videtur Scriptura diuina 1. *Reg.* 8. *vers.* 5. vbi Israëlitæ petierunt Regem à Samuële, dicentes, *constitue nobis Regem, vt iudicet nos.* Qui sermo cum Prophetæ displicuisset, orauit Dominum, qui respondit. *Non te abiecerunt sed me, ne regnem super eos.* Vnde clarè patet, quòd displicuit valde Deo illa petitio Regis, & quòd in ea Israëlitæ peccauerunt. Ad quem locum vide Rangol. Mauel. *de Monarch.* 1. *p. lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 1. *tom.* 1. Contzen 1. *pol. c.* 22. *num.* 3. & ad alienandum populum à petitione Regis describitur ibi ius Regis, dicendo, *hoc erit ius Regis, qui imperaturus est vobis. Filios vestros tollet, &c.* & c. 12. dicitur, *scietis, & videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini, petentes super vos Regem.*

37. Nonum, Regis nomen exosum Romanis fuit, vt ait Cicero 3. *de legibus* & D. Thom. *lib.* 1. *de regim. cap.* 4. & Arist. Monarchias abhorruisse constat ex 3. pol. cap. 11. *Si ergo plurium gubernatio bonorum, aut virorum omnium, optimatum dicitur, vnius autem regnum, optabilius esset ciuitatibus ab optimis gubernari, quam à Rege*, & Thom. Mor. vir egregius ex gente Anglica, vt refert Rangul. *in* 1. *Reg. c.* 8. *vers.* 14. regnum abhorruisse visus est, cùm in epigrammate cecinit.

Regibus è multis, regnum cui sufficit vnum,
Vix Rex vnus erit; Si tamen vnus erit.
Regibus è multis regnum bene qui gerat vnum,
Vix tamen vnus erit, si tamen vnus erit.

38. Dico tertiò, monarchia varijs dissoluitur modis, de quibus Arist. 5. *pol. cap.* 10. Vbi Iauell. *tractat.* 4 *cap.* 2. & 4.

Primus est, propter contumeliam, quando scilicet monarcha iniurijs afficit populum, vel aliquos ex populo, vel in honore, vel in rebus, vel in vita; tunc enim non iniuriati solùm, sed amici, & consanguinei contra Monarcham, & monarchiam insurgunt, vt ipsum, & monarchiam deiiciant, & destruant.

39. Secundus est, propter contemptum actiuum, vel passiuum; cum enim nullus adeo vilis sit, vt non reputet se aliquid esse, si se contemni videat, curat pro posse contemptorem destruere. Et cùm monarcha propter ignauiam non æstimatur, periculum est, vt de monarchia deiiciatur.

40. Tertius, propter metum, quem quis habet; ne propter perpetrata delicta puniatur, tunc enim congregat sibi multos fauentes, vt pœnas euadat. Hæc generaliter omnium regiminum destructiua sunt, monarchiæ præsertim, & destruunt ab intrinseco. Sed ab extrinseco destrui potest monarchia, si aliter præpotens monarcha illi bellum inferat, vt ait Arist. 5. *pol. cap.* 7.

41. Dico quartò, regna conseruantur, si fiant contraria eorum, propter quæ diximus ea dissolui, vt dicit Arist. 5. *pol. cap.* 11. si nimirum Rex expertus, & sapiens sit, nec vllum contemnat, vel afficiat iniuria, atque ita se gerat, vt magis ametur, quàm timeatur, salua tamen semper legum obseruantia, & in particulari si Rex auctoritatem suam moderetur, & alijs partem eius communicet, vt Arist. ait *loc. cit.* & D. Thom. 1. 2. *quæst.* 105. *artic.* 1. *corp.* Et probatur ex Arist. Quia tunc qui regunt, minùs superbiunt, magisque moderati sunt, & illi, qui reguntur, minùs eis inuident. In ista verò regiminis communicatione ante omnia monarchis notandum optimum Arist. præceptum, quod tradit *loco cit.* dicens. *Communis verò custodia omnis dominationis vnus est, neminem vnum præ cæteris magnum facere, sed plures, nam se inuicem custodient : quod si quem extollere oporteat, non tamen eum, qui sit moribus audax, nam huiusmodi homines aptissimi sunt ad inuadendum circa res omnes : si verò cuiusquam potentia minuenda est, modicè, ac non vno simul impetu omnis potestas est auferenda.*

§. II.

Quid, & quotuplex sit Aristocratia, & de eius vtilitatibus, & damnis, & quomodo dissoluatur, & conseruetur.

42. VIdeatur Arist. 3. *pol. cap.* 5. 4. *pol.* 5. *c.* 5. & 7. & 5. *pol. c.* 2. 3. & 7. D. Thom. 1. 2. *quæst.* 95. *artic.* 4. *corp.* & *quæstion.* 105. *artic.* 1. *corp.* Ægid. *de regim. part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 4. Azor. *part.* 2. *lib.* 11. *cap.* 1. *quæstion.* 2. *vers. his positis.* Rangol. *in* 1. *Reg. cap.* 8. *vers.* 9. & *cap.* 10. *vers.* 25. Iauell. 4. *pol. tract.* 2. *cap.* 1. *versùs fin.* & 5. *pol. tract.* 3. *per tot.* Molina *tom.* 1. *de iust. tract.* 2. *disp.* 23. *vers. similiter in Aristocratia.* Contz. 1. *pol. cap.* 17. & 18. Vestun. *in thea. vit. ciu. lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 18. Marquez *in gub. Christ. lib.* 2. *cap.* 21. Ioann. à S. M. *in pol. Christ. cap.* 1. Patritius *de Repub. lib.* 1. *tit.* 1. P. Gregor. *lib.* 5. *de Repub. cap.* 3. *à num.* 7.

43. Noto primò, quòd Aristocratia est optimorum simpliciter non secundum quid, regimen, secundum virtutem principantium, & vtilitatem tantummodò parentium spectantium. Ita Arist. 4. *pol. c.* 7. D. Thom.

loco

loco cit. & alij omnes vno ore Philosophi morales. Dicitur, optimorum, vel ex eo quòd optimi præsunt, vel ex eo quod talis politia ordinatur ad optimum, & commune bonum omnium ciuium, vt Aristot. 3. *pol. capit.* 5. Dicitur, simpliciter, & non secundùm quid, quia bonitas, quæ requiritur in optimatibus, Rempublicam Aristocraticam gubernantibus, debet esse realis, & vera, non ficta, non apparens, solidò virtutis fundamento innixa, non aëreo inanis hypochrisis fulcro inhærens, & erit signum, quod vera virtute polleant, si æquitate, clementia, comitate, æqualitate, liberalitate erga ciues vtantur; si concordibus sententiis bonum publicum spectent, proprias passiones non sequantur; & ab his non dedignatur cæterorum multitudo regi. Sed difficile, inquies, est tales optimos reperiri, Fateor, attenta ambitione, & potentia multorum prætendentium, & corruptione eligentium. Sint itaque illi, qui aliorum comparatione minùs mali sunt, aut in quibus plura, quàm in plebe, virtutum argumenta, reperiuntur, quales sunt nobiles, & diuites, nobiles enim & meliores & honorabiliores censentur; vnde Arist. 3. pol. cap. 8. *Nobilitas*, ait, *apud omnes in honore habetur. Insuper consentaneum est, ex melioribus ortos esse meliores: est enim generis virtus nobilitas.* Item nobiles communiter loquendo, generosiores sunt, magnificentiores, vrbaniores, discretiores, vtpotè qui vltra nobiliorem ortum, diligentiùs, & splendidiùs fuerunt educati, Diuites similiter sunt animosiores ad arcendos hostes, & acriores ad defendendum patriam, vtpotè qui in publico periculo plus quam cæteri perdere possunt, & cùm non indigeant, vix corrumpi possunt denarijs. Et vtrique pro patria, & personas, & bona periculo exponunt alacriùs; Patria namque oppressa, vel excisa, alibi tam honorati & diuites esse non possunt; Nobiles itaque & diuites sunt optimi, qui requiruntur ad Aristocratiam benè regendam. Sed longè absit quòd inde colligas, nobiles non diuites, vel etiam pauperes, virtuosè tamen, & nobiliter viuentes à dicto regimine excludendos; Virtus enim diuitiarum supplet abundanter defectum. Vnde melius est nobiles, virtuosos, licet pauperes, ad tale regimen admittere, quam nobiles diuites, sed vitiosos, seu minùs virtuosos. Isti enim suis vitiis, & malis exemplis Rempub. perdunt, destruunt, desolant, illi suis virtutibus, & bonis exemplis eam erigunt, ampliant, conseruant.

44. Nota secundò, quòd quatuor sunt Aristocratiæ species, primò in qua eliguntur viri optimi simpliciter, secundò in qua eliguntur viri virtuosi, sed diuites, tertiò in qua eliguntur viri virtuosi, & diuites, sed qui sint de populo, quartò in qua absque respectu ad diuitias eliguntur solùm virtuosi, qui sunt de populo. Hæ species autem rectæ sunt, si rectè administrentur, & administrantur rectè, quando optimates bonum commune respiciunt, si autem, bono communi spreto, particulare sequantur, iam aristocratia desinit essentialis, & fit oligarchia; de qua quatuor species constituit Arist. 4. *pol. cap.* 5. Contzen 1. *pol capit.* 18. §. 3. varias Aristocratiæ species, & modos vide apud Aristotelem *loco cit. cap.* 7. Ianell. *ibi, tract.* 1. *cap* 3. Molina *tom.* 5. *de iust. tractat.* 2. *disput.* 23. *versu Similiter*. Patritius *de Repub. lib.* 1. *tit.* 4.

45. Dico primò, varia sunt commoda, quæ affert aristocraticum regimen, de quibus Arist. 3. *polit. cap.* 7. vbi Ianell. *tract.* 3. *cap.* 2. Azor. *par.* 2. *lib.* 11. *cap.* 1. *q.* 2. *versu bis positis*. Rangol. *in* 1. *Reg. cap.* 10 *vers.* 25. Contzen 1. *polit. cap.* 22. Patritius *loco cit. tit.* 1.

46. Primum igitur commodum, quod affert Reipublicæ Aristocratia, est, quia impossibile est, ciuitatem à probis, & optimis gubernari, & non rectè, non enim potest arbor bona malos fructus facere.

47. Secundum, quia Aristocratia est medium regimen inter monarchicum, & democraticum, at in medio consistit virtus, & medium tenuere beati. Cum enim sint plures vno, non possunt esse tyranni; & cum sint pauci, vitant multitudinis confusionem.

48. Tertium, quia in hoc statu distribuuntur principatus maiores, vel minores secundùm maiores, vel minores virtutes, Vnde ciuium animi ad virtutem accenduntur, cùm per eam solam videant ingressum ad honores patere.

49. Quartum, quia prudentia maior inest in optimatum gubernio; vt enim viri probi sunt, maiori pollent prudentia, plus enim vident oculi, quàm oculus, & plures manus plus possunt, quàm vna, & plures intellectus superant vnum in cognoscendo, & cuncti cuncta discernunt, vt ait Arist. 3. *polit. cap.* 7.

50. Quintum, quia plures difficiliùs corrumpuntur, & incorruptiùs iudicant, vt Aristot. 3. *pol cit. & cap.* 15. ait, quòd *plures, quam pauci, incorruptibiliores sunt.* Licèt enim vt singuli possint esse vitiosi, vt omnes tamen difficillimum est esse tales.

51. Sextum, quia optimates astringuntur legibus, vt docet D. Thom. 4. *de regim. cap.* 1. vnde non possint vltra eas procedere in prosecutione iustitiæ. Similiter, si ipsi delinquant, ad pœnas legum tenentur.

52. Septimum, quia in hoc regimine fruuntur libertate, & æqualitate ciues, quibus nihil dulcius, & amabilius humanæ naturæ. Vnde illud *non bene pro toto libertas venditur auro.* Et pro ea conseruanda, & amissa recuperanda, mortem non esse fugiendam, docuit Tullius *Philipp.* 10. dicens. *Ita præclara est libertatis recuperatio, vt ne mors quidem sit in libertate repetenda fugienda.* Et subdit, quod tanti æstimat libertatem quod fugeret immortalitatem, si hæc deberet esse cum seruitute coniuncta. *Quod si immortalitas*, inquit, *consequeretur præsentis periculi fugam, tamen ea magis ea fugienda videretur, quo diuturnior seruitus esset.* Et paulo ante dixerat. *Sed vt concedam incertos exitus esse belli, martemque communem, tamen pro libertate vitæ periculo decertandum est.* Et Aristotelis 2. pol. c. 2. *Quapropter, ait, æqualitas, & reciproca vicissitudo seruat ciuitates, in liberis enim, & æqualibus necesse est eam esse.*

53. Octauum, quia optimates etiam si bonum proprium quærunt cum tamen multi sint, bonum ab ipsis quæsitum erit quasi bonum commune, vnde sequitur, quod difficilius huiusmodi regimen à recto deflectat.

54. Nonum, quia natura dictat, supremum regimen tribuendum esse magis benemeritis, sed isti sunt vel virtuosiores, vel sapientiores, vel nobiliores, qui omnes sunt optimi ciuitatum. Ergo his natura dictat regimen esse tribuendum.

55. Decimum, quia necessarium omninò videtur hoc regimen, imperet vel Monarchus, vel populus, cum ille per se non sufficiat omnia facere. Vnde *Exodi* 18. dixit Ietro Mosi. *Stulto labore consumeris, & vltra vires tua est negotium, solus illud poteris sustinere.* Et Suetonius *in Tiberium capit.* 25. introducit crudelem illum Imperatorem deposcentem à Senatu exonerari aliquibus Reipublicæ partibus. *Quando vniuersæ sufficere solus nemo posset, nisi cum altero, vel etiam cum pluribus.* Populus autem præ multitudine, quæ confusionem parit, non potest, & æqualitas, quam in hoc regimine prætendunt ciues, est conseruationi contrariæ, non enim omnes sunt optimi, & apti ad regimen. Et libertas, quæ semper populo grata fuit, est virtuti contraria, & in detrimentum vergit bonorum, & libertatis est destructiua, inductiuaque tyrannis. Vnde Plato *lib.* 36. *epist.* 8. ait. *Qui verò omnibus viuendi, præferunt libertatem iugum verò*

seruile fugiunt tanquam malum, y caueant moneo, ne insatiabili importuna libertatis auiditate in maiorum suorum incidant morbum, quem quidem illi propterea passi sunt, qaod nulli parere volentes, libertatis amore intemperanter abusi sunt. Quare necessario sequitur, quod Aristoeraticum regimen optimum sit omnium, vt potè magis liberum à dictis incommodis.

56. Vndecimum, quia cum tria requirat Arist. *5. polit. cap.* 8. ad rectè principandum, primò quod principantes ament præsentem ciuitatis statum, secundò quod habeant potentiam ad ea exequenda, quæ Magistratus requirit, tertiò vt habeãt virtutem, & iustitiam ad Rempublicam regendã necessarias. Hæc omnia melius reperiuntur in Aristocratia, quam io vllo alio. Quis enim non amet dominari? Et quæ potentia deesse potest optimatibus, qui vltra eam, quam habent rationem dominij, habent etiam propriam; vel si per potentiam auctoritatem intelligat, his potentia deesse non potest cum facultatem habeant leges condendi, & conditas tollendi, aut moderandi, & cum sint optimi, ijs equidem non deerit virtus, neque iustitia.

57. Duodecimum, quia hoc regimen approbauit Deus, vt constat *ex libro Iudicum cap.* 1. vbi consulentibus filijs Israël Dominum, & dicentibus. *Quis ascendet ante nos contra Cananeum, dixit Dominus, Iudas ascendet.* Vbi per Iudam non est intelligenda aliqua peculiaris persona hoc nomine vocata, sed est intelligenda tribus Iuda, vt ex Abolensi, Lyrano, & Augustino probat Magalian. *ad dictum locum, n.* 2. Vnde constat regnum Israël datum esse à Deo regendum per tribum Iuda, tanquam per optimates. Adde, grauiter peccasse dictum populum quando contra prædictant formam voluit per regem gubernari, vt constat *ex* 1. *Reg.* 8. & dixi §. *praced. n.* 36. quod peccatum confessus est clarè populus; *c.* 12. *ver.* 19. Cum dixit: *Addidimus peccatis nostris malum vt peteremus Regem.*

58. Decimumtertium, Hoc regimen etiam approbarunt Patres August. de vtil. cred. cap. 12. *Non possunt,* ait, *stulti beatius viuere, quam si seruiant sapientibus.* Stulti vulgus, sapientes optimates sunt. Dionysius Carthusianus *in* 1. *Regum cap.* 8. explicans versum illum. Displicuit sermo in oculis Samuëlis, eo quòd dixissent. Da nobis Regem, vt iudicet nos, ait, *Displicuit sermo, non ex ambitione, sed aquitate ad bonum commune, quia sciebat populo potius expedire, quod regeretur per Iudices.* Et Ioseph liber 14. antiquit. capite quinto: *Aiebant*, inquit, *se nolle esse sub Regibus, quod patrium institutum habeant, vt sui Dei pareant sacerdotibus.*

59. Decimumquartum, Quia id etiam docuerunt viri doctissimi. Aristoteles quidem meo videri hoc regimen approbauit 3. *pol c.*7. vbi inter cætera habet. *Verùm bonos, & aquos dominari oportet auctoritatemque habere omnium.* Et c. 11. ait *optabilius esse ciuitatibus ab optimis gubernari, quàm à rege.* Talis etiam fuit Periandri opinio, vt refert Plutarchus *in conuiu.* & vt Pausania refert *in articulo, pag mihi* 51. tale etiam fuit responsum datum ab oraculo Delphico Æsymnio Magarensi, qui cum Delphos, quandoque venisset, ac oraculum consuluisset, quî fieri posset, vt patria secundis rebus vteretur, accepit responsum, benè euenturum, si plurium consilio ciuitas vsa fuisset. Et Thom. Moran. *in carm.* vt refert Rangol. *in* 1. *Reg. c.* 8. *vers.* in laudem Aristocratiæ ita cecinit.

Quaris, vter melius, Rexne imperet anne Senatus,
Neuter (quod sapè est) si sit vterque malus.
Si sit vterque bonus, numero praestare senatum;
Itaque bonis multis plus reor esse boni.
Difficile est numerum forsan reperire bonorum;
Sic facile est vnum sapius esse malum.
Et fuerit medius sape inter vtrumque senatus.
Sed sibi vix vaquam Rex mediocris erit.
Consilioque malus regitur meliore senatus;
Rex consultores sed regit ipse suos.
Alter, vt eligitur populo, sic nascitur alter.
Sors hic caca regit, certum ibi consilium.
Illeque sit factum populo, populum sibi factum
Scilicet hic, vt sint, ques regat ipse, putat;
Rex est in primo semper blandissimus anno,
Omni anno consul Rex erit ergo nouus.
Rex cupidus longo populo corroserit aue.
Si consul malus est, spes melioris adest.
Nec me nota mouet, qua pastam fabula muscam;
Ferre iubet, subeat ne malè pransa locum.
Fallitur, expleri Regem qui credit auarum,
Nunquã hac nõ vacuam mittet hirundo tecum.
Ac Patrum consulta grauis dissensio turbat;
Regi dissentio nemo; malum hoc grauat.

60. Dico secundò, multa etiam mala affert secum Aristocraticom regimen, de quibus Aristoteles 5. *pol. cap.* 2. 3. *&* 10. Bonellus 5. *polit. tractat.* 2. *cap.* 3. *& tractat.* 4. *cap.* 1. *& tract.* 1. *cap.* 2. Marquez *lib.* 2 *gubern. Christ. c.* 21. P. Gregor. *de Republica lib.* 5. *c.* 3. *à num.* 7. Contzen 1. *pol. c.* 21. *à* §. 12. Ioaon. de S. M, *in sua pol. cap.* 1.

61. Prima itaque malitia, quæ in optimatum regimine reperitur est defectus iustitiæ; optimates enim cum sint eiusdem conditionis, sibi iustitiam non ministrant, quando, & sicut oportet; lupus enim, vt aiunt, de lupo non comedit. Vnde delictis fimbrias laxant, & habenas; fiuntque dissoluti populorum contemptores, superbi admodum, & arrogantes, Regesque omnes, quorum proprium est impune peccare, se æstimant, plebi verò eam secundum totum rigorem ministrant, si delinquat, & pro hac solum leges, esse ipsos tanquam Dominos exemptos putant. Vnde diceret Aristoteles 4. *pol. capit.* 4. fine ibi, Rempublicam non esse, *Vbi enim lex non praualet, non est Respublica, nam lex dominari omnibus debet.*

62. Secunda, quia semper maior pars, quæ deterior est, vincit minorem, quæ est melior; cum enim maior semper sit numerus vitiosorum, quam virtuosorum, ille hunc facilè vincit, cum vbique maior pars præualeat, vt ait Arist. 4. *pol. c.* 4. *in principio.* Et in hoc regimine vix potest seruari secretum, quod est anima resolutionum.

63. Tertiò, quia omnia emolumenta honoris, & vtilis, quæ ex communitate prooeniunt, sibi, tanquam de iustitia debita (ad illod, post te, tuos; post hos, si quid superest, reliquos adiuua) attribuunt: dictamque communitatem in proprium commodum, & vtile cum cæterorum ciuium detrimento auidè premunt. Quod est contra præceptum Arist. 5. *polit. c* 8. vbi dicit. *In paucorum gubernatione cura est pauperum suscipienda diligenter, & officia, quibus sunt salaria constituta, istis tradenda; & si quis diuitum eos contumelia affecerit, maior pœna est constituenda, quàm si ipsi inter se idem fecissent.*

64. Quarta, plebem pessundant, & calcant eamque sibi seruire, quasi propriis Dominis cogunt optimates; vnde eam depauperare, & humiliter iacere satagunt, contemnunt, iniuriis afficiunt, non solùm per contumeliam, sed etiam per rerum ablationem, vt loquitur Aristot. 5. *polit. cap.* 10. Et aduerte, quòd res etiam auferri dicitur quando non soluitur quod debetur, nec datur etiam conquerendi locus, alioqui, & verbis, & verberibus vapulat misera plebs: filios enim se cæli, filios terræ populares putant; idque præsertim faciunt optimatum filij, & nepotes, qui otio, & delicijs solummodo intendentes, vt dicit Aristot. 5. *polit. capit.* 9. hæc, &

peiaro

peiora sibi licere existimant. *Magnam enim*, vt ait Arist. loco cit. capit. 7. *habet nobilitas licentiam faciendi quodlibet, & cui vult gratificandi, quæ causa fuit vt Locorum ciuitati interiret.*

65. Quinta, cum plebem sibi infensam putent (quos enim læsimus odio habemus, nec vnquam parcit læsor) eam oderunt; ex quo prouenit, quòd non rectè, non paternè eam tractent in victualibus, de quibus ferè semper caritatem habet, vel ita caro pretio venduntur, vt pauperes vix possint ea comparare.

66. Sexta, cum plebi non fidant, coguntur conducttitios multos habere milites, qui eos custodiant, in quibus alendis cum multæ requirantur pecuniæ, plebem expilant, arma ciuibus adimunt, ac multitudinem populi conculcant, vt ait Arist. 5. *polit. cap.* 10.

67. Septima, quia in hoc regimine vix potest dilatari, & augeri Reipublicæ status; tum propter gubernantium diuersa consilia; tum propter populum, qui vt non particeps gloriæ, ita nec vult laborum: Addendum, quòd licet in hoc regimine videantur imperare multi, vnus tamen vel aliqui potentiores id faciunt, cæteri autem, tanquam vmbræ, eum vel eos sequuntur. Vnde Liu. *lib.* 30. dicebat, *sub vmbra Scipionis Vrbem terrarum dominam latere, nutus eius pro decretis patrum, pro populi iussis esse.* Quod etiam dicit Arist. 5. *polit. cap.* 5.

68. Octaua, quia hoc regimen abhorrere videtur Scriptura sacra, cum dicit Ierem. 12. *Pastores multi demoliti sunt vineam meam.* Quem locum ad id adducunt Molina, *tom.* 1. *de iust. tract.* 2. *disp.* 23. *vers. ex tribus* Victor. *relect. de pot. ciu. num.* 10. *coroll.* 1.

69 Nona, quia de hoc regimine malè senserunt viri grauissimi, Plato *dialog.* 8. *de Repub. lib. scilicet* 8. *in princip. Paucorum*, ait, *potentia plurimis plena est malis. Optimatum verò gubernatio paucorum quodammodo est*, vt ait Ar. 5. *polit cap.* 7. qui ibidem ait, quòd minùs tutum est regimen aristocraticum, quàm democraticum; & paulò inferiùs ait. *Optimatum species ad paucorum potentiam declinant*; quæ est corruptum regimen, vt ait Plutarcus *opusc. de vn. in Repub. dom.* Et de Aristocratia cecinit post Ennium Lucanus.

Nulla fides regni sociis, omnisque potestas
Impatiens consortis erit: nec gentibus vllis
Credite, nec longè factorum exempla petantur.
Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

70. Dico tertiò, multæ sunt causæ, propter quas optimatum regimen dissoluitur; de quibus Arist. 5. *polit. cap.* 7. Vbi Iauell. *tract.* 2. *cap.* 5. inter quas vltra ea, quæ diximus §. *praced. num.* 38. generaliter omnium esse destructiua, sunt hæc præcipuæ.

71. Prima, quando aliqui non honorantur, qui nihilo sunt inferiores illis qui honores accipiunt, vt si inæqualiter inter optimates ipsos distribuantur honores, sed ij plus possunt in Republica qui plus habent diuitiarum non virtutum; ita vt nobiles, ac pariter virtuosi sed pauperes, lex eo solum quòd pauperes, excludantur à magistratibus. Vnde Arist. *loc. cit.* ait. *In optimatibus autem seditiones fiunt interdum quidem ex eo, quod pauci sunt honorum principes.*

72. Secunda, est defectus iustitiæ; sicut enim iustitia conseruat mutuam communicationem inter ciues, firmat, & saluat Rempublicam, ita oppositum eam destruit, & dissoluit. Vnde Arist. *loco cit.* ait, *dissoluuntur autem maxime, & Respublica, & optimatum gubernationes propter transgressionem institia in ipsis factam.*

73. Tertia. Quando aliqui ex ipsis optimatibus omnia gubernare, cæterosque ab ipsis pendere contendunt, nec vllos magistratus, nisi per ipsos alicui demandari sinunt, Vnde Arist. *loc. cit.* ait. *Insuper si quis magnus, & potens, etiam maior fieri, ac solus dominari velit.*

74. Dico quartò. Multa sunt media, quibus aristocraticum regimen conseruatur, de quibus Arist. 5. *pol. præsertim c.* 8. Vbi Iauell. *tract.* 3. *per totum.* Contzen. 1. *pol. cap.* 17. §. 4. Sunt autem, simpliciter loquendo contraria eorum, propter quæ diximus illud dissolui, vt ait Arist. 5. *pol. c.* 11. *& c.* 8. ait. *Illud ergo ante omnia patet, quod si sciamus, per quæ corrumpuntur Respublicæ sciamus etiam, per quæ conseruantur; contrariorum enim contrarij effectus: corruptioni autem conseruatio contraria est.* Si ergo optimates leges etiam in minimo seruent, & dentur secundùm merita gradus, & honores, ac iustitia æqualiter ministretur, Respublica conseruabitur. In specie autem hæc iuuant.

75. Primum. Si optimi viri gubernent aliquamque magistratuum, & officiorum partem populo distribuant, Ait enim Arist. 4. pol. cap. 8. *Qui gubernant, tunc rectè se gerunt, tam eos, qui non sunt participes gubernationis, non afficiunt iniuriis, ac præstantiores ipsorum ad participationem Reipublicæ recipiunt, cupidosque honoris non deprimunt, neque multitudinem suis commodis fraudant.* Et 3. pol. cap. 7. ait. *Excludere illos pœnitus ab honoribus, periculosum est: cum enim multitudo inopum est in ciuitate, eademque ab honoribus exclusa, necesse est eam ciuitatem esse plenam hostium Reipublicæ.* Hoc etiamsi nobiles pauperes multi reperiantur; expedit enim potiùs multitudini satisfieri, quam paucis illis nobilibus pauperibus, quod non aduertentes multæ Respublicæ corruerunt: licet si melius esset agere, vt magistratibus lucra non prouenirent, vt monuit Arist. 5. *pol. cap.* 8.

76. Secundum. Si ea, quæ ad victum sunt necessaria, abundent copiosè in ciuitate, & vili pretio comparentur; hoc enim est arctissimum vinculum, quo multitudo, quæ suum commodum ferè respicit, continetur, nullaque res magis stabilit imperium; æstimat tunc enim plebs se paternè tractari, & sic filiorum more optimates veneratur, & amat.

77. Tertium, Cauenda, molitum nobilitatis malum, superbia; nihil enim magis exasperat inter pares, aut pene pares; cauenda in filiis etiam, & nepotulis, in quibus vt minus discretis magis viget, ne conciues contemnere assuescant.

78. Quartum, vbi Aristocratiæ plebs insidiatur, atque aliquos è suis interseri nobilitati desiderat, id agant optimates, vel propter merita vel propter pecuniam; sic enim satisfit admissis, & aluntur spe alij, contentaque remanet plebs; & si id pecunia fiat, quod non est inconueniens augetur ærarium publicum.

79. Quintum ponit Arist. 5. *pol. capite* 9. dicens: *Maximum autem omnium, quæ dicta sunt, ad Reipublicæ stabilitatem, est id, quod nunc parui faciunt omnes, erudiri ad Reipublicæ disciplinam; nihil enim prosunt vtilissimæ leges, quæ à gubernatoribus decernantur, nisi moribus instituti, & disciplina imbuti in Republica homines fuerint.*

80. Sextum, duo etiam maximè prosunt ad Reipublicæ conseruationem. Primum si illi, qui notabiliter alios in diuitiis, & potentia superant, ad magistratus, & gubernationem Reipublicæ non admittantur: propter rationem Aristotelis 5. politic. cap. 7. *Qui verò*, Inquit, *diuitiis abundant, & Respublica excellentiam eis tribuat, contumeliis cæteros afficiere pergunt, nec per habentes conquiescunt.* Secundum, si interesse habentes cum extraneis principibus, & dicta administratione excludantur: tam firmas enim iecit radices hoc monstrum in humanis cordibus, tamque sui amans existit homo, vt nihil pendat omnia, & bonum publicum etiam propter sui indemnitatem.

81. Sed quid faciet vir bonus plebeius, sed diues, si Respublica nolit eum ad nobilitatem admittere? hic à nobilitate sine dubio contemnetur, & inuidiabitur; vnde se ipse debet contra ista duo bona patientia armare.

maie. Contemptum effugiet, si se nobiliter, modestè tamen, tractet, si se in Reipublicæ negotiis fidelem, diligentem, indefessum: si nobilibus officiosum, benignum, affabilem exhibeat, si eorum familiaritatem tanquam ignem fugiat; si conuiuiis ipsorum, festis, recreationibus non intersit, si matrimonia cum nobilibus etiam ipso pauperioribus ineat. Inuidiam autem difficulter effugiet, minuet autem, si modestè, & ciuiliter viuat, sine fastu, sine sumptu immoderato, si nobilibus purificari non prætendat, neque in vestibus, neque in domibus, neque in famulis, neque in curris, sed se semper illis minorem æstimet, habeatque affectet, sic fiet vt eum nobilitas amet, & secum aliquando associet. Sed hæc difficilia sunt, nisi virtus assistat, iis qui sub eodem Cœlo enim pari censu, & ampliori aliquando nati, & nutriti sunt, & sola fortuna distinguuntur. Inde discordiæ, inde odia, inde seditiones. Vnde Dionysius, *lib.* 52. *inde in principio* ait. *Qui enim eandem naturam acceperunt, ex eadem gente nati sunt, iisdem moribus educati, iisdem legibus instituti, eundem corporum, animorumque vsum patriæ exhibent, qui non iustum sit, eos cæterorum quoque omnium communitatem habere? Qui non optimum sit, neminem alteri nisi virtutis causa præferri? Qui enim eadem sunt conditione nati, æqualitatem appetunt, eaque potiti gaudent, destituti dolent, &c.*

§. III.

Quid, & quotuplex sit popularis politia seu democratia deque eius vtilitatibus, & damnis, quomodo dissoluatur, & conseruetur.

82. Videri potest Aristoteles 3 *politic. capite quinto, & cap.* 7. *&* 5. *politic. cap.* 5. *&* 10. D. Th. 5. *de regimine princip. cap.* 5. Iauellus 3. *politic. tract.* 3. *cap.* 2. *&* 4. *politic. tractat.* 1. *cap.* 3. *&* 5. *politic. tractat.* 2. *cap.* 1. *& tractat.* 3. Gerson. *part.* 1. *suorum operum, de pot. Eccles. consideratio* 13. *versus fin.* Rangol. *in* 1. *Reg. cap.* 10. *versus* 25. Contzen. *e. politic. cap.* 19. *&* 20. Vcston. *in theatro vitæ ciuil. lib.* 4. *cap.* 1. *num* 17. Molina *tom.* 1. *de iustit. tract.* 2. *dispHt.* 23. *versu in democratia.* Azor. *part.* 2. *lib.* 11. *cap.* 1. *quæst.* 2. *versu hupositis.* Marquez *in gubernatione Christ. lib.* 2. *cap.* 22. Patritius *de Republica lib.* 1. *tit.* 4. Petr. Greg. *lib.* 5. *de Republica cap.* 3. *à num.* 21. Ioan. de S. M. *politic. Christ. cap.* 1.

83. Noto primò, quòd politia popularis, quæ alias dicitur democratia, est imperium communitatis perfectæ sub plurimis, vtilitatem Reipublicæ per leges suas principaliter intendentibus. Ita ex Aristotele 3. *polit. cap.* 5. Gerson, *loco citato versus fin.* Contzen. *loco citato cap.* 19. §. 1. Dixit, plurimis: vt intelligeres, non omnem multitudinem mandata exequi, nec consultare, sed plurimos à multitudine ipsa electos, & præpositos ad legum obseruationes, & mandatorum executionem. Dicitur politia popularis, quia omnes ciues, absque generis, opumve discrimine, ad talem Rempublicam regendam valent æqualiter assumi, propter quod dicuntur omnes sub tali regimine viuentes æquales, & in libertate viuere. Æquales non quòd semper sint æquales, cum magistratus sint cæterorum Superiores, sed æquales, quia omnes possunt ad tales magistratus ascendere. Et quando audis, quòd in libertate viuunt, non credas, eos omnino viuere pro arbitrio, & potestate, viuunt enim sub legibus, magistratibus subiecti, sed in libertate, quia omnibus est par ciuilitatis ius, atque honor, & vno tempore dominantur, alio subiiciuntur. Atque ita docet Aristoteles 4. *politic. cap.* 4. *&* 6. *polit. cap.* 2. Iauellus 6. *politic. tract.* 1. *cap.* 1. Petr. Gregor. *syntag. iur. lib.* 18. *cap.* 3. *num.* 5.

84. Noto secundò, quòd varias politiæ species effert Arist. 4. *polit. cit. &* 6. *pol. cap.* 2. *&* 4. vbi Iauellus *tract.* 1. *cap.* 3. Contzen. 1. *pol. cap.* 2. §. 4. Molina *tract.* 2. *de iustitia tom.* 1. *disputat.* 23. *versu in democratia etiam.* Prima est, in qua omnes de populo, tam diuites, quam pauperes, tam virtuosi, quam non virtuosi, non secundum magis, & minus, sed æqualiter dominantur. Secunda, in qua non æqualiter, sed secundum censum patrimoniorum, & eum quidem paruum, principantur: ita vt qui tot possidet habilis sit ad honores Reipublicæ suscipiendos, qui verò non possidet, sit inhabilis. Tertia, in qua omnes ciues habiles sunt ad principandum, siue diuites, siue non, dummodò non sint criminosi tali crimine, quod mereantur priuari ciuilitate, vt falsarij, proditores, patricidæ, & serui, & dominantes in tali Republica, dominantur secundum quod lex disponit, & non aliter. Quarta, in qua omnes omnino habiles sunt ad magistratus gerendos, modò ciues sint, & secundum leges dominentur. Quinta, in qua dominantur omnes de populo æqualiter, & indifferenter, sicut & in prima specie, sed differt ab ea in hoc, quòd isti non dominantur secundum leges, sed secundum decreta, & statuta populi, quæ volunt præualere legibus. Differt verò decretum, à lege quod hæc est de vniuersalibus, illud de particularibus operabilibus. Et omnes isti modi recti sunt, si rectè administrentur, administrantur autem rectè, si dominantes bonum commune respiciant, & leges obseruent: si verò, bono communi spreto, in proprium incumbant, iam desinunt esse recti, & politia fit democratia, quæ propriè nihil est aliud quam imperium vtilitatem pauperum, seu tenuiorum respiciens & opponitur directè oligarchiæ, quæ est paucorum diuitum potentia.

85. Dico primò, varia sunt commoda, & vtilitates, quas secum affert popularis politia, de quibus Arist. 3. *politic. cap.* 7. *&* 11. Iauellus 3. *politic. tractat.* 3. 3. *cap.* 2. Azot. *part.* 2. *lib.* 11. *quæst.* 2. *versu his positis.* Rangol. *in* 1. *Regum caput* 10. *versu* 25. *& caput* 8 *vers.* 11. *tractat. de iure Regul. cap.* 5.

86. Primum commodum, quod ex democratia oritur, est pax, & tranquillitas Reipublicæ, quæ est finis illius, vt dictum est supra; pax enim, & tranquillitas oritur ex æqualitate, quæ reperitur inter ciues, sicut enim humanum corpus, cum humores sunt in æquali proportione commensurati, nec vnus alteri præponderat, vel dominatur, conseruatur in pace, & sanitate, & è contra ex humorum inæqualitate infirmitates, quæ sunt seditiones, pacem corporis conturbantes, nascuntur, ita illa Respublica in pace conseruabitur, in qua ciues æqualiter tractabuntur, quod fit in populari.

87. Secundum, quia hoc regimen libertatem parit, iucundissimum, & æstimatissimum humanæ naturæ bonum, quod nullum aliud facit regimen. In optimatum enim Republica optimi solùm libertate fruuntur, qui soli capita possunt esse, alij semper pedes, semper subiecti libertate frui dici non posse videntur.

88. Tertium, quia democratia est nobilissima omnium potestatum, cum sit fons, & origo cæterarum, vt probat Rangol. *in* 1. *Regum capite* 8. *versu* 11. *tractat. de iur. Reg. cap.* 5. Bellarmin. *tom.* 2. *lib.* 3. *de laico cap.* 6. Suarez *de leg. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 2. Salas *de leg. disp.* 6. *sect.* 2. *num.* 17. *fin.* Nauarr. *in cap. nouit. de iud. notab.* 3. *à num.* 100. Ludou. de Sardis *de natura liber.* §. *de legitimatione per rescript. num.* 6. & habetur *in lege* 2. §. *nouissimè ff. de orig. iur.* cum enim Deus, per naturam immediatè operando, vt dictum est supra *num.* 7. communicati contulerit potestatem ad sui conseruationem, & in hac fuerit facultas dictam potestatem tribuendi vni, vel pluribus, vel etiam apud se retinendi secundùm aliquas leges, constat quòd democratia, quæ regimen est communitatis, sit fons, & origo

Monarchiæ,

Monarchiæ, & Aristocratiæ. An autem communitas possit hanc potestatem à se abdicare, & semel traditam vni, vel pluribus auferre, hic non dissentio; Quippe Almaïn. *de auctoritate Ecclesiastica cap. 1. coroll. 2.* asserit quòd communitas hanc potestatem à se abdicare non potest, imò neque ea priuari, nisi à Deo sicut nec singularis homo potest à se abdicare facultatem se defendendi. Et pro hac citat Glossam *in cap. Ostendit, 23. quæst. 3.* quæ ait, quòd *populus bene habet iurisdictionem, licèt dicat lex, quod transtulit ius suum in Imperatorem.* Quod etiam insinuat se iam defendisse Nauarrus *loco citato. Et coroll. 3.* dicit idem Almaïn, & etiam Bell. quod communitas habet potestatem super Principem ab ea constitutum, qua eum deponere potest, si non ædificationem, sed in destructionem politiæ regat: quia alias non esset in ea potestas sufficiens se conseruandi, & ponit in facto exempla communitatum quæ hac potestate vsæ sunt.

88. Quartum, quia democratia nullo iure tenetur, nisi diuino, à quo potestatem habuit, & gentium, quod tamen neque de Monarchia, & Aristocratia dici potest. Nam si hæ gubernationes ab illa habuerunt principium, vt dictum est, eam solùm potestatem habebunt, quæ illis à communitate data fuerit, quam potestatem nec Monarchis, neque optimatibus licet præuaricare: est enim iuris alieni vsurpatio non leue crimen, præsertim in iis, quæ pretiosissimæ, ac sacratissimæ libertati officiunt. Vnde etiam in consuetudine est apud aliquas gentes, vt cum primum Reges, etiam per successionem regnantes, possessionem Regnorum ingrediuntur, iurent leges regni illius seruare; quod si recusent, ipsæ & fidelitatem suam eis renuunt iurare.

89. Quintum, quia magis expedit principari, quod melius, ac virtuosius est, sed multitudo in vnum conueniens est melior, & magis virtuosa, quam pauci virtuosi: licèt enim singuli de multitudine non sint virtuosi simpliciter, sed quisque habeat aliquid virtutis, & prudentiæ, cum tamen in vnum conuenerint, facient vnum aliquid magnum, & simpliciter virtuosum, in quo enim vnus deficiet, continget alterum abundare, & sic facient quasi vnum hominem virtuosum, ac perfectum, habentem multitudinem sensuum, per quos discernere possit: & multitudinem manuum, ac pedum, per quos possit moueri ad operationem, & operari, & multitudinem intellectum, per quos virtutes intellectuales possidebit. & multitudinem appetituum, per quos habebit virtutes morales, quæ est ratio Arist. *3. pol. cap. 7.*

90. Sextum, si multitudo popularis non assumatur ad principatum, & regimen ciuitatis, existimabit se inhonoratam, & non appretiatam, & cum sint multi, & pauperes, conturbabunt ciuitatem per seditiones, & querelas: hoc autem periculosum est, & timendum, ideò expedit eam principari. Quæ ratio est etiam Arist. *loc. cit.*

91. Septimum, quia ista gubernatio est minus seditionibus obnoxia, cum enim omnes ciues sint æquales, quis contra se ipsum seditiones mouebit? ac propterea tutior est, ac diuturnior, vt ait Arist. *5. polit. cap. 7.* dicens. *Fortius enim est id, quod plus est, & magis acquiescunt æquum habentes.*

92. Octauum, quia hoc regimen approbare videtur Scriptura sacra. Exodi 8. *prouide de omni plebe viros potentes, ac timentes Deum.* Et Deuteronomij 1. *Date ex vobis viros sapientes, & gnaros, quorum conuersatio sit probata in tribubus vestris, vt ponam eos vobis Principes*, & Prouerb. 11. dicitur *salus vbi multa consilia.*

93. Nonum, quia hoc regimen etiam approbarunt Patres, Cassiodor. *lib. 9. var. cap. 2.* approbare videtur exemplo gruum, cum dicit. *Grues morales nouerunt exercere concordiam, inter quas nullus primatus quæritur: quia iniquitatis ambitus non habetur, vigilant vicissim, communi se cautela custodiunt, ipse pastus alternus est: sic honor nullis adimitur, dum omnia sub communione seruantur. Hic etiam volatus vicaria æqualitate disponitur, vltima fit prima, & quæ primatum tenuit, esse posterior non recusat: sic quodam communione sociata sine regibus obsequuntur, sine dominatis parent, sine terrore famulantur, voluntariè seruiendo libera sunt, & inuicem se diligendo muniuntur. Quarum morem scriptores rerum naturalium conuenienter, politiam quandam inter ipsas esse commemorant, quas vnico affectu viuere cognouerunt.* Quo eodé exemplo democratiam probat Ambr. 5. *in examine c. 15.* & inter alia ait. *Quid hoc pulchrius, & laborem omnibus, & honorem esse communem, nec paucis arrogari potentiam, sed quadam in omnes voluntaria sorte transcribi. Antiqua hoc Reipublicæ munus, & instar liberæ ciuitatis est.* Et D. Thom, 1. 2. *quæst. 97. articul. prim. corp.* ait. *Quod si populus sit bene moderatus, & grauis, communisque vtilitatis custos, rectè lex fertur, qua tali populo liceat creare sibi magistratus, per quos Respublica administretur.*

94. Decimum, quia ita etiam censuerunt viri doctissimi. Arist. *5. pol c. 2.* ait, *quòd tutior est, ac minus seditioni subiacet popularis gubernatio, quàm paucorum.* Et 3. *pol. c. 7.* id etiam approbare videtur. Et huius opinionis fuit etiam Solon, vt refert Plutarch. *in vita* & Herod. ait *lib. 3.* quòd in hac gubernandi forma *nihil agitur insolenter, quia sorte magistratus eliguntur, & administrationis suæ rationem reddere coguntur.* Et Isocr. *in Areopagita* ait. *Nec prætereunda commoda sunt democratiæ insignia, propter quæ claris, ac magnis ciuitatibus democratia vtiles indicantur.* Et hac Reipublicæ forma vsi sunt Romani, vt refert Gruchius *de Rom. comit. in præfatio.* Qui eo regimine durante, longè maximam Reipublicæ partem obtinuerunt. Et Patrit. *lib. 1. de Republica tit. 1.* ait. *Vnus autem, qui virtutes omnes complectatur, vel nunquam vt arbitror inuentus est, sed cum in Republica complures sint, vnusquisque partem aliquam virtutis, ac prudentiæ habet. Quocirca in vnum collati ciues, quasi vnum hominem præstant, qui multiplici ingenio, ac memoria pollet, oculis pluribus cernit, operatur manibus multis, & pedibus penè infinitis nititur.* Et Iuuen. Satyr. 8. vers. 210. ait. *Libera si dentur populo suffragia, quis tam perditus, vt dubitet Senecam præferre Neroni.*

95. Dico secundò, multa etiam sunt mala, quæ secum affert democraticum regimen; de quibus Arist. *5. polit. cap. 10.* Plato 8. *de Rep.* Iauell. *3. p. tract. 3. cap. 1. & 5. pol. tract. 2. cap. 1.* Cuntzen. 1 *pol. c. 20. à §. 5.* Marquez *gubernatio Christ. cap. 21.* P. Greg. *lib. 5. de Republ. cap. 3. à num. 21.* Ioannis de S. M. *in politica Christ. capite primo.*

96. Primum igitur malum democratiæ est, quod cum pauperes mixtim cum aliis minus pauperibus dominentur & cum paupertate iunctam habeant potentiam, rabie quadam naturali curant, etiam inferendo vim, diuitum facultates diripere, vt suæ indigentiæ suppleant, & sic diuitibus & virtuosis, quorum sunt diuitiæ, iniuriam faciunt, quæ est ratio Arist. *3. pol. cap. 7.*

97. Secundum, quia cum plebs sit naturaliter inimica nobilitati, & paupertas diuitiis, vt ait Iauell. *5. polit. tract. 2. cap. 1.* nobiles, & diuites in hoc statu maximè odio habentur, quare plebs hic, vt ait Arist. *5. pol. cap. 10. Nobilitatem vexat, clam euertit, & palam, & in exilium pellit, tanquam aduersarios, & machinatores contra potentiam suam.*

98. Tertium, quia plebs vix rectum potest dare consilium, cum multis passionibus sit obnoxia, & pauci admodum in ea boni reperiantur, stultorum enim numerus infinitus. Tandem resoluit, & difficulter, faciliterque impeditur, quod ad bonum publicum est resolutura, vix pacificatur irata, vixque secreta

seruat,

seruat, facilè subornatur, & pro nihilo excandescit: iustitiam non ministrat, officia, & magistratus publicè vendit, & qui emit, sibi sine dubio emit. Sic Marius, vt in eo refert Plutarchus non erubuit vasa pecuniis plena in publicum afferre ad comparanda plebis suffragia. Et ita impudenter fiebat Athenis, vt aiunt, quòd euntes ad sumendam possessionem magistratuum Estratocles, & Demosthenes dicerent, Imus *ad domum auri*. Videatur Cic. *pro Cluent. & oratione 5. in Verr. & lib. 4. ad Att. epist. vlt.* videatur etiam *cap. Osius, de elect. & cap. Docendus, dist.* 62. Vnde D. Thom. 1. 2. *quæst. 97. art. 1. corp.* ait. *Porrò si paulatim populus deprauatus habeat venale suffragium, & regimen flagitiosis, sceleratisque committat, rectè adimitur populo potestas dandi honores, & ad paucorum bonorum redit arbitrium.*

99. Quartum, quia facilè aperitur in hoc regimine seditionibus via. Cum enim magis regatur arbitrio, & sensu, quàm prudentia, & ratione, facilè oriuntur rixæ inter magistratus, quæ si in apertum Martem descendant, difficillimè consopiuntur; vnusquisque enim ex magistratibus suam habet factionem, & cum nullus reperiatur supremæ auctoritatis, cui honorem, & reuerentiam præstent, aut debeant, omnia commouent, perturbant, & inquietant, & suo se populari gladio necant. Vnde in Romana Republica sæpè lapidationes in foro visæ sunt, non sæpè, sed nimis sæpè gladij extensi. Quare Virgil. Æneid. 1.

Ac veluti magno in populo cum sæpè coorta est
Seditio sæuitque animis ignobile vulgus;
Iamque faces, & saxa volant, furor arma ministrat.

100. Quintum, quia Patres hoc regimen execrantur. Ambros. 5. *in exam. cap.* 21. de hoc regimine loquens ait, *non merita virtutis expendit; nec publicæ vtilitatis emolumenta rimatur, sed mobilitatis nutat incerto.* Et Hieron. in cap. 21. Matth. *semper turba mobilis est, nec in proposita voluntate persistens, atque in morem fluctuum, diuersorumque ventorum, huc, illacque transfertur.*

101. Sextum, quia hoc regimen abominati sunt viri grauissimi. Plato in Axiocho, seu de morte contemnenda, in med. *Quis*, ait, *Beatus esse possit vulgi viuens arbitrio, tametsi faueatur ei, plauditurque?* & lib. 8. de Rep. ait. *An non primum quidem liberi erunt omnes, ciuitasque libertatis plena, summaque licentia, pro libidine, omnia omnes audebunt?* & infra ait, quòd in ista politia videntur. *Sæpè homines morte, vel exilio condemnatos, nihilominus vrbem incolere, ac prodire in medium, & sæpè quasi nemo videat, aut curet, instar heroum quorundam per vrbem incedere.* Et Arist. 8. *& hic cap.* 10. ex tribus formis regendæ multitudinis, pessimam democratiam pronuntiat. Tullius *in orat pro Cluen.* mari comparat populum, dicens. *Vt mare, quod sua natura tranquillum est, ventorum vi agitatur, atque turbatur sic populus Romanus sua sponte placatus, hominum seditiosorum vocibus, vt violentissimis tempestatibus, concitatur.* Et in oratione pro Ch. Plan. ait, *quoad populum pertinet, semper dignitatis iniquus iudex est.* Et Anacharsis Philosophus, vt refert P. Crin. *lib. 1. de honest. discipl. cap.* 4. cum regimen Atheniensium conspexisset, admirabundus clamauit. *O Rempublicam breui perituram in qua viri Principes consultent, populus autem, & imperita rerum plebecula decernat, cui videlicet propriam sit, in minimis maximè formidare, & in maximis minimè prospicere.* Et Charondas Catinensium legislator, vt refert idem Crin. inquiebat, *Qui se populo committit, fortunam, non rationem sequitur; qui fortuna fauet, periculo, & alea se dedit; qui in alea est, ad ruinam, & cladem inclinat.*

102. Dico tertiò, multæ sunt causæ, propter quas dissoluitur democratia, de quibus Arist. 5. *pol. cap.* 2. & 5. Vbi Iauellus *tract. 2. cap.* 1. Veston. *theat. vit. ciu. lib. 4. cap. 1. num.* 17.

103. Prima est luxus, & rerum copia, ex quibus fit populus iners superbus, inuidus, rixosus, vnde, bono communi neglecto, partium studia præferuntur: quæ partes deinde cum se inuicem tolerare nequeant, neque vna velit alteri cedere, hinc fit; quòd sicut vnitas est vinculum, quo tale regimen manutenetur, ita diuisio est causa, quæ illud destruit, ad illud *omne regnum in se diuisum desolabitur.*

104. Secunda est inæqualitas; cum enim in populari regimine omnes ciues sint æqualiter liberi, ex æqualitate libertatis putant se absolutè æquales, & sic tenent, quòd æqualiter debent participare de bonis communibus ciuitatis, de honoribus, de lucris, quòd si id non fiat, qui minus accipiunt, inuident; contendunt, rixantur, seditionem mouent, turbant, inquietant. Quas duas rationes ponit Arist. 5. *pol. cap.* 2.

105. Tertia, dissoluitur, etiam hoc regimen propter eos, qui ducunt popularem statum. Hi enim, vt inimici diuitum, & nobilium, irritant contra eos populum, vt in exilium illos mittat, & eorum bona proscribat, sibique assignet, nobiles verò, & diuites in exilium pulsi conueniunt, se armant, & ciuitatem inuadere satagunt; atque ita popularem statum euertunt. Et est ratio Arist. *loco cit. cap.* 5.

106. Quarta, dissoluunt etiam hoc regimen tres illæ communes causæ aliorum regiminum corruptiuæ; nimirum contumelia, metus, & contemptus, vt Arist. 5. *pol. cap.* 10. & multas causas corruptiuas huiusmodi Reipublicæ affert Solon *in quadam elegia relata à Stob. in fin. 1. tom.* ex qua hos paucos accipe versus.

Nam vrbem superi capiunt euertere nostram,
Et nobis, nisi sint numina læsa, fauent.
Ac nostra custos arcis Tritonia Pallas
Perpetua cura mœnia nostra regit.
Ipsi sed patriam sceleratis mentibus vltrò
Conantur ciues dilacerare suam.
Nam pretio quidam vendunt legisque fidemque
Aurum qua nullo iure, modoque petunt.
Seruitiam exercent, rapiuntque tyrannide quidam,
Induat vt iustus ciuibus arma dolor.
Pars studet & furtiuo domestica damna rapinis,
Exhausit patrias cum malè luxus opes.
Diripiuntque vrbis patrimonia publica nostra,
Et sibi diuitias vique doloque parant, &c.

107. Dico quartò, multa etiam sunt media, quibus democratia conseruatur, de quibus Arist. 5. *pol. cap. 8. & 9.* Iauellus ibi *tractatus* 5. Contzen. 1. *pol. cap.* 19. §. 5.

108. Primum, si diuites, & nobiles non damnificentur, sed erga eos debitus seruetur respectus, & bonis suis sinantur pacificè frui, illisque tribuantur officia, quæ sunt extra dominationem Reipublicæ; sic enim non poterunt se esse contemptos condolere. Quæ est ratio Arist. 5. *pol. cap.* 8.

109. Secundum, si ad Rempublicam regendam ciues medij assumantur, hi enim non poterunt per potentiam tyrannidem affectare, nec per paupertatem diuites turbare: boni enim ciues censentur qui medij sunt. Et est ratio Arist. *loco cit. & 4. pol. cap.* 12.

110. Tertium affert August. *de Repub. Romana* 5. *de Ciu. Dei, cap. 12. fin.* dicens. *Hinc domi industriam, quam commemorauit, Cato, vt ærarium esset opulentum, tenues res priuatæ. Vnde, corruptis moribus, vitium è contrario posuit publicè egestatem, priuatim opulentiam.* Ad quod etiam facit illud Thucid. *lib. 2. in oratione Pericl. ad Athenien.* vbi dicebat, *præstare Rempublicam publicè esse felicem, tutam, & diuitem, quàm singulos, & priuatos, nam, illa felice, & hi quoque seruantur his solùm beatis, illa vero misera, tandem, & ipsi euertentur.*

111. Quat

111. Quartum, si fiat magistratus censorius, qui à magistratibus Reipublicæ administratæ rationem reposcat, populoque referat, vt delinquentes puniat: ab alieno enim arbitrio dependere; neque licere omnia, quælibet, facere vtile est.

§. IV.

Quænam sit ex prædictis politiis simpliciter melior, & vtilior.

112. Videri potest pro hoc §. Polyb. *lib. 6. hist. à princ.* Patrit. *de Rep. lib. 1. tit. 1.* Maluet. *in Tacit. discurs. 49.* Menoch. *inst. pol. lib. 1. cap. 4.* P. Greg. *de Rep. lib. 5. cap. 3.* Salas. 1. 2. *quæst. 95. tract. 14. disput. 6. sect. 1. num. 16. versu An vero;* Molin. *tom. 1. de iust. tract. 2. disput. 23. versu ex tribus speciebus.*

113. Dico primò, tam Monarchia, quam Aristocratia, & Democratia sunt rectæ gubernationes, si rectè exerceantur secundum leges earum respectiuè. Ita communiter omnes DD. cum Aristotele *3. politic. cap. 5. pol. cap. 1. & 3. pol. cap. 12.* Probatur ex Aristotele *3. pol. cap. 5.* vbi ait. *Quando igitur vnus, vel pauci, vel multi communem vtilitatem in gubernatione sequuntur, has esse rectas rerumpublicarum species necesse est.* Et *cap. 12.* ait. *Cum verò diximus tres esse rectas gubernandi species; &* Plut. *in opusculo de vn. in Repub. dom.* id probat exemplo musici, dicens. *Quemadmodum vir musica peritus, quouis instrumento oblato vti artificiosè, idque tractare affabre nouit, vt pro sua conditione vocem concinnam reddat, sic vir ciuilis, &c.*

114. Dico secundò, docent communiter DD. simpliciter Monarchiam esse optimum omnium supradictorum regiminum. Plato *in libro de regno,* qui est 16. *suorum operum vltra med.* Aristoteles 8. *eth. cap. 10.* Stobæus *ser. 45.* D. Thom. *lib. 1. de regim. cap. 5* Bened. à Bened. *in sacul. Eccl. sacul. 228.* Bell. *de Christo, tom. 1. cap. 3. fin. & de Rom. Pont. lib. 1. cap. 4.* P. Greg. Menoch. *loc. cit.* Probatur quia primum in vnoquoque genere est mensura reliquorum. Ergò quò priùs ad mensuram accedit vnumquodque ei etiam magis simile redditur. Sed primum inter imperia, ac præstantissimum est diuinum, quo Deus Optimus, Maximus, cuncta moderatur. Ergo, cum Monarchia nostra sit illi similior, quam cæteræ administrationes, erit etiam melior, & nobilior.

115. Cæterum Licetus *in præfation. tractatu de Intell. agen.* & ex professo Maluet. probant, optimatum regimen esse melius simpliciter Monarchia; quia ex eo magis peruenitur ad finem regiminis, qui est publica pax. Et ad dictum argumentum respondent, quòd imò regimen Dei videtur esse aristocraticum; sunt enim in illo sacro tribunali tres distinctæ personæ, licèt solùm vna simplex essentia, & natura. Patritius verò *libro 1. de Republica tit. 4. fin.* democratiam omnium optimam putat, Salonis secutus sententiam; quia plures coniuncti pauciora ignorant, quàm vnus, vel aliqui. *Ego,* inquit, *in eorum numero sum, qui optimam Rempublicam esse dicam, quæ ex omni genere hominum commixta sit.*

116. At ergo Monarchiam meliorem omnibus existimarē, si daretur Monarcha, qualis describitur *Deut. 17.* & qualem describit Aristotel. *3. polit. cap. 12.* qui scilicet ita omnes virtute præcellat, *vt vnius ipsius virtus sit maior aliorum omnium virtute,* & 1. polit. capit. 8. ait. *Ex quo fit, vt is, qui imperat, perfectam virtutem habere debeat moralem.* Quare Marcus Aurelius Imperator dicebat. *Princeps, qui omnibus dominatur, omnibus etiam virtutibus præditus esse debet.* Et Cyrus, vt refert Plutarch. in Apophteg. *Magistratu dignum non esse quemquam aiebat, qui melior Subditis non esset.* Et qualem dicebat debere esse Alphonsus Rex Aragoniæ, vt refert Antonius Panormitanus *in eius vita,* cum dicit. *Reges fœlices erunt, & regna, si iustè imperent, si inter linguas sublimiter honorantium, & obsequia nimis humiliter salutantium non extollantur, sed se homines esse meminerint si suam potestatem ad Dei cultum maximè dilatandum maiestatis eius famulam faciunt; si Deum timeant, diligant, & colant: si plus ament illud regnum, vbi non timent habere consortem: si tardius vindicent, facilè ignoscant: si eandem vindictam pro necessitate regenda, tuendaque Reipublica, non pro saturandis inimicitiarum odiis exerceant, si veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgeant: si quod asprè coguntur plerumque decernere, misericordia lenitate, & beneficiorum largitate compenset: si luxuria tantò sint castigatiores, quantò possent esse liberiores: si malint cupiditatibus, quam quibuslibet gentibus imperare: si hoc omnia faciant, non propter ardorem inanis gloriæ, sed propter amorem fœlicitatis æternæ: si pro suis peccatis humilitatis, & miserationis, & orationis sacrificium Deo suo vere immolari non negligant.* Vel saltem esset Rex, qualem describit Seneca epist. 90. *Illo ergo seculo quod auream perhibetur, penes sapientes fuit regnum. Hi continebant manus, & infirmiores à validioribus tuebantur: suadebant, dissuadebantque, & vtilia, atque inutilia monstrabant: horum prudentia, ne quid deesset suis prouidebat: videbat: fortitudo arcebat pericula, beneficia augebat, ornabatque subiectos: officium erat, imperare, non regnum.* Si, inquam, reperiretur Rex aliquis supradictas habens conditiones, ego regnum illud felicissimum existimarem, & tale regimen eo casu omnium optimum dicerem. Sed quia credo, id vix posse fieri, & moraliter illud existimo impossibile, iuxta *legem. Apud Iulianum. §. fin. ff. de leg.* Ideò non credo, sæcularem, & humanam Monarchiam esse simpliciter meliorem omnibus regiminibus, sed eam pati sua incommoda, & damna, ac aliæ politiæ, vixque posse inter eas assignari excellentiæ, & maioritatis præeminentiam.

117. Dico ergo tertiò stante corruptione humanæ naturæ illud regimen esse cæteris præstantius, quod est mixtum Monarchia, Aristocratia, & Democratia: huic autem proximè accedere illud, quod est mixtum aliquo, ex dictis regiminibus; quare Aristocratiam mixtam Democratia, meliorem existimo simplici Monarchia, & Democratiam mixtam Aristocratia, simplici Aristocratia meliorem puto. Et in vniuersum mixtionem in regiminibus probo, reprobo simplicitatem. Ita ex parte docent D. Thom. 1. 2. *quæst. 95 art. 4. corp. & quæst. 105. art. 1. corp.* Bell. *de Rom. Pont. libro 1. cap. 3.* Contzen. *1. pol. cap. 21.* Suar. *lib. 3. de lege cap. 4. num. 1.* Malder. 1. 2. *quæst. 95. art. 4. fin.*

118. Probatur primò. Tùm quia hoc regimen est minus obnoxium calamitatibus simplicium regiminum, mixtora enim illa temperata malis, & asperitates retundit: Tum quia regimen mixtum continet omnes proprietates bonas regiminis simplicis, exploditque malas; ad hoc enim miscetur. Tum quia illud regimen est magis vtile Reipublicæ, quod est bonis magis charum, & illud videtur iis magis charum, quod potest ab omnibus participari: tale est mixtum. Tum quia in natura nullum simplex corpus reperitur, neque etiam ex ipsis simplicibus elementis, vt puto, sed omnia mixta nobis tradit; ergo signum est, quòd mixta meliora sunt, & vtiliora. Tum quia mixta magis prosunt corpori humano, quam simplicia, vt constat ex arte medicinæ.

119. Secundò probatur quia scriptura sacra tale regimen approbauit, vt probat D. Th. *loc. cit. quæst. 105.* hoc pacto. *Moses, & eius successores gubernabant populum, quasi singulariter omnibus principantes, quod est quodam species regni: eligebantur autem 72. seniores secundum virtutem, dicitur enim Deuteronom. 1. Tolle de vestris tribubus viros sapientes, & nobiles, &*

constitui eos principes , & hoc erat aristocraticum , sed democratiuum erat , quod isti de omni populo eligebantur , dicitur enim Exodi 18. prouidè de omni plebe viros sapientes , &c. Et etiam quod populus eos eligebat , vnde Deut. 1. date ex vobis viros sapientes.

120. Tertiò probatur ex Arist. 4. *polit. cap.* 12. vbi ait , *Quantò melior est gubernatio temperata , tantò est durabilior.* Et pol. *lib.* 6. expressè ait , *eam Rempublicam censeri debere optimam , quæ ex omnibus illis, quas diximus , formis sit composita , cuius rei probationem, non ratione solùm collectam, sed vsu etiam, & experientia firmatam habemus, &c.*

CAPVT II.

Vtrum Regularium Reipublicæ, seu Religiones aliquo ex supradictis regiminibus regantur, & quale illud sit.

1. PRo isto cap. videndæ sunt Regulæ , & constitutiones singulorum Ordinum ; Basil. *in Regul. Fus. disp. reg.* 45. 48. 54. *& in Regul. breu. reg.* 112. Aug. *in cap.* 11. vbi expositores, Hugo de S. Vict. & alij. Bened. *in cap.* 3. *& cap.* 65. vbi expositores, Trithem. *cap.* 3. Perez *num.* 4 *&* 2. Turrecrem. *tract.* 15. *&* 140. Ctesbeeck. *Carmelitarum in Reg.* Albert. *cap.* 1. *&* 2. vbi Th. à Iesu. 3. *par. glos.* 1. *vers. secundum est. Minorum , cap.* 8. vbi Bonau. Cord. Polit. Bartol. *Minorum Regul. num.* 39. *&* 51. Pacom. *num.* 64. 66. 77. 122. & 123 Seraph. & Maseard. *in princ.* Hieron. *in Reg. Monach. cap.* 7. *Constitut. Cler. Regul. Theat. cap.* 5. *& cap.* 7. Festus *in constit. Prædic. par.* 3. *c.* 25. Nauarr. *com.* 3. *de Reg. num.* 15. Rodrig. *tom.* 1. *quæst. reg.* 9. 27. *art.* 2. *vers Neque his obstat.* Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 10. *cap.* 1 *tract.* 3. Sarton. *in ciu. Reipub. reg. consid* 46 *Constit. Can. Reg. Later. part.* 2. *cap.* 1.

2. Dico primò, certissimum omninò est , omnes Religiones regi vno ex supradictis regiminibus , vel simplici , vel composito. Constat , quia non potest aliud excogitari , vt docet Suarez 3. *de leg. cap.* 4. *num.* 1. & dixi supra *cap.* 1. *num.* 9.

3. Dico secundò , militantes sub Regula S. Benedicti , ex sua primæua institutione Monarchia reguntur. Ita Perez *in Reg. S. Bened. cap.* 65. *num.* 2. constat *ex cap.* 3. *dicta Regula , & cap.* 65. sic habetur. *Ideoque nos præuidemus expedire propter pacis, charitatisque custodiam , in Abbatis pendere arbitrio ordinationem monasterij sui.* Constat etiam *ex cap. Nullam.* 18. *quæst* 2. vbi dicitur , *vt de cætero fideliter, & studiosè vniuersa , quæ vel ad diuini cultus reuerentiam , vel ad vtilitatem eiusdem Monasterij pertinent , Abbatis sollicitudo , ad quem totius potestas pertinere conuenit, debeat adimplere.* Et licèt Trithem. *in dict. cap.* 3. illis verbis , *quoties aliqua,* octo affert casus, in quibus Abbas tenetur obtinere consensum Conuentus , id tamen non prouenit ex primæua Regulæ institutione , sed ordinatione canonica , vel Monachali.

4. Dico tertiò , militantes sub Regula S. Basilij regi videntur aristocratia. Ait enim in reg. fus. disp. cap. 54. *Præpositi Conuentuum de rebus difficilibus inter se communicent, & conferant.* Et cap. 48. *illud*, inquit, *in vniuersum obseruari debet in Conuentu, vt nullo modo quis curiosè Antistitis consilia peruestiget , aut in eius facta anxiè inquirat , ijs duntaxat exceptis , qui tum dignitatis gradu , tum consilij prudentia Antistiti ipsi proximi sunt* Et cap. 45. *Præter Antistitem alius etiam esse aliquis debet , qui , illo absente , aut alioqui occupatione aliqua distento , Fratrum ipse curam possit suscipere.* Et *in reg. breu. cap.* 112. quando aliquis admittendus est, *consciis cæteris Fratribus admittatur.*

5. Dico quartò. Licèt Nauarr. *com.* 3. *de reg. n.* 15. quem sequitur Suarez 4. *de Relig. tract.* 3. *lib.* 10. *cap.* 1. *num.* 9. dicant, Augustinum significasse in regula; suos Religiosos debere regi Monarchiam, nihil tamen potest colligi ex dicta Regula, quòd potiùs Monarchiam, quàm aristocratiam , aut democratiam intenderit instituere. Nam ex illis verbis , cap. 11. *Præposito tanquam Patri obediatur , multò magis Presbytero , qui omnium vestrum curam gerit* ; Et infra. *Ad Præpositum præcipuè pertinebit, vt ad Presbyterum, cuius est apud vos maior auctoritas, referat, quod modum , & vires eius excedit,* non potest colligi, sed solùm in illis Cœnobiis Augustini fuisse duos Superiores, vnum, qui vocabatur Præpositus, seu Prior, aut Corrector Monasterij , alterum, qui vocabatur Presbyter , & erat Episcopus Diœcesanus, cui tunc subiiciebantur Monachi , vel alius quispiam Presbyter ad Monachorum curam ab Episcopo deputatus, vt Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 4. Trull *in eius ord Can. reg lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 2. Sed meliùs Nauarr. *com.* 3. *de Reg. num.* 4. Presbyter erat Prior Conuentus, & Præpositus eius Vicarius. Nec etiam id potest colligi ex eo , quod dicitur *cap.* 1. (aduerte hic , quòd sequor diuisionem huius Regulæ secundùm distinctionem factam ab Hugone.) *Et distribuatur vnicuique vestrum à Præposito vestro victus, & vestimentum:* hoc enim solùm arguit , bona temporalia per vnum Præpositum, tanquam per œconomum, esse distribuenda. Nec etiam id potest colligi ex eo , quod dicitur c. 10. quòd Prælatus non postulet veniam à Subditis , si quando in eis reprehendendis excesserit ; id enim fit , ne apud indiscretos Subditos auctoritatem perdat. Ex eo fortè posset hoc aliquatenùs colligi , quod dicitur cap. 7. *Si autem deprehenditur , & conuincitur, secundùm arbitrium Presbyteri, vel Præpositi grauius emendetur.* Sed nec ex hoc ; Nam si Presbyter erat Superior Præpositi, ab hoc ad illum dabatur recursus ; & potest dubitari , an id possent per se soli , vel de consensu aliorum. Vnde potiùs ex dictis colligi videtur, cum duos Superiores constituat , fortè in aliquibus partes , quòd aristocratiam intenderit.

6. Sed quicquid sit de illo antiquo regimine. Nunc ea Religio regitur aristocratia. Priori enim generali dantur duo Assistentes , sine quorum consilio nihil decernere potest. Qui Assistentes, durante eorum officio, sunt immediatè subiecti Sedi Apostolicæ. Vnde , si delinquant, Prior generalis contra illos potest solùm formare processum informatiuum , & hoc de licentia Protectoris : decisio verò illius pertinet ad Sedem Apostolicam. Hi assistentes in omnibus negotiis votum habent consultiuum; in grauioribus tamen casibus, vt in nominatione Vicarij generalis, aut in priuatione Prouincialium, aut in legum , vel statutorum , spectantium ad vniuersum Ordinem , promulgatione, vel in deputandis Commissariis generalibus, vel Visitatoribus , aut in damnandis Fratribus ad triremes, vel in infligendis pœnis carcerum vltra annum, & exilij vltra biennium, aut in priuatione vocis actiuæ, & passiuæ, vel in aliis similibus casibus, si Assistentes fuerint concordes , & in voto contrario Generalis , tunc eius rei cognitio ad Sedem Apostolicam deuoluitur ; si verò contingat , Assistentium vota esse diuersa, tunc ea sententia præfertur, quæ à Generali magis probabitur. Ita statuitur *in constitut.* 5. *Pauli V.* quæ incipit, *Prouisionis;* in append. apud Cherub. *tom.* 3 *pag.* 60. Et de Canonicis regularibus Lateranen. qui sub hac Regula militant, quòd aristocratia regantur, constat ex eorum constit. *p.* 2. *c.* 1 *&* 2. Et aristocratia etiam principaliter reguntur Dominicani sub hac etiam Regula militantes , vt patet ex eorum constitutione *p.* 3. *cap.* 3.

7. Dico quintò. Carmelitani ex sua primæua Regula illis data ab Alberto Patriarcha Ierosolymitano , & reformata ab Hugone , regi videntur democratia ; licèt in præsentiarum ad aristocratiam accedere dicat Thom.

Thom. à Ies, *loc. cit. in princip.* seù potiùs ad Monarchiam, vt audio. Pater *ex cap. 2. dicta Regula*, vbi dicitur. *Praterea iuxta situm loci, quem inhabitare proposueritis, singuli vestrum singulas habeant cellulas separatas, sicus per dispositionem Prioris ipsius, & de assensu aliorum Fratrum, vel sanioris partis eadem cellula cuique fuerint assignata.* Si ergo in assignatione cellarum (omnes enim tunc in cellulis separatis habitabant, nec communi Refectorio vtebantur) requiritur consensus Fratrum, is etiam requiretur in rebus aliis grauioribus. Et *in eadem cap.* 2. Regulæ teformatæ, & mitigatæ ab Hugone cum auctoritate, & mandato Innocentij I V. ita habetur. *Loca autem habere poteritis in eremis, vel vbi donata vobis fuerint, ad vestra Religionis obseruantiam apta, & commoda, secundum quod Priori, & Fratribus videbitur expedire.* Et quod modo Discalceati eiusdem Ordinis aristocratia regantur, constat *ex Constit. 25. Clem. VIII. Pastoralis*, §. 8. apud Cherub. *tom. 3. bull. pag. 33.* vbi dicitur. *Praposito generali adiungimus sex consiliarios, siue assistentes cum voto decisiuo.*

8. Dico sextò. Fratres Minores democratia reguntur. Colligitur *ex cap. 7. sua Regula*, in quo non solùm Sacerdotes, sed & Laici ad Superioritates dictæ Religionis admittuntur. Et ita docet Satton. *in ciu. Reipub. Reg. consid.* 46. Sed Cordub. & Polit. *in cap.* 8. *dicta Regula* dicunt, quòd est Monarchia mixta.

9. Dico septimò. Iesuitæ Monarchia reguntur. Constat *ex constitut. 25. Pauli III. Regimini*, apud Cherub. *tom. 1. bull fol.* 653. vbi §. 4. dicitur. *Ne quis fortè zelo vtatur, sed non secundùm scientiam, proprij cuiusque gradus iudicium, & officiorum discretio, ac distributio tota sit in manu Prapositi.* Et §. 5. subditur. *Qui quidem Prapositus de consilio consociorum constitutiones, ad constructionem huius propositi nobis finis conducentes, in consilio condendi auctoritatem habeat.* Et infra, *iubendi autem ius totum penes Prapositum erit.* Et §. 8. *Voueant singuli, se in omnibus, qua ad Regula huius nostra obseruationem faciunt, obedientes fore Societatis Preposito.* Quæ omnia repetuntur, confirmantur, & ampliantur, *in constit. 9. Iulij III. Exposcit debitum*, §. 4. & 8. *fol. 699. in dicto tom. 1. bull. Cherub.* Dicit tamen Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 3. lib. 10. cap. 1. à num.* 3. hanc Monarchiam participare in multis cum aristocratia.

10. Dico octauò. Clerici Regulares, Theatini nuncupati, aristocratia reguntur. Constat *ex cap.* 5. suarum constitut. vbi sic habetur. *Licèt tota facultas regenda Congregationis sit penes Patrem Generalem; tamen in huiusmodi rebus exequendis, & in constitutionibus pro re graui declarandis, si qua fortè dubitationes oriantur, ac in pœnis grauioribus imponendis, Consultorum consensus adhibeatur.* Et §. seq. *De consensu Patrum Visitatorum rem totam expediat.* Et cap. 7. dicitur. *Pater Generalis neque etiam de Consultorum sententia, nouas leges, aut constitutiones edere, aut editas abrogare, siue in parte aliqua immutare poterit; interpretari tamen ex Consultorum consensu poterit.*

11. Dico nonò. Clerici, qui Ministri infirmorum dicuntur, sub aristocratia viuunt. Constat *ex constitutione 17. Greg. XIV. illius*, apud Cherub. *tom. 2. bull.* 706. *in cuius* §. 5. dicitur. *Totius Congregationis Superior Prafectus generalis appellabitur, cuius officium perpetuum erit, quoad viuet. Socios autem habebit quatuor, qui Consultores dicentur votum eorum, aquè ac Prafecti, decisiuum.* Sed hoc regimen fuit immutatum *anno* 1600. *die* 28. *Decemb.* per constitut. Clement. VIII. in qua Consultores Prouincialium votum solum consultiuum habent, & ex quatuor Consultoribus Generalis duo sunt Fratres Laïci, & duo Sacerdotes, & similiter ex duobus Consultoribus Prouincialium vnus est Laïcus, alter Sacerdos. Quare multum habet nunc hoc regimen de democratia.

12. Dico deeimò. Religio nostra Minimorum ex Monarchia, aristocratia, & democratia regimine mixto regitur. Constat, quia in ea adest vnus Generalis, qui est caput totius Religionis, per quem omnia, quæ occurrunt in grauia quantumvis negotia executioni mandantur. Qui quidem Generalis eligitur à tota Religione, saltem virtualiter; nam cum eligatur ab omnibus Prouincialibus Ordinis, & vno Commisso specialiter deputato à singulis Fratribus vniuscuiusque Prouinciæ, per specialem electionem illius, factam in singulis Conuentibus, dicendum est, quòd eligitur à tota Religioue, quæ virtualiter residet in Prouincialibus, & Commissis. Et dictus Generalis potest eligi ex omnibus Fratribus dictæ Religionis, absque discrimine, modo Sacerdos sit attingens annum vigesimum quintum, & modò per triennium sit in Religione professus. Huic dantur tres Socij, qui habent non solùm votum consultiuum, sed etiam decisiuum, vt dicam *§. seq.* Et hic Generalis subiicitur correctioni dictorum Collegarum, & Fratrum, si in aliquo delinquat. Habet etiam ista Religio Prouinciales, qui certæ Prouinciæ certis terminis coarctatæ præsident; & hi eliguntur à singulis Conuentuum Correctoribus, & singulorum Conuentuum discretis: atque ita etiam ab omnibus Fratribus totius Prouinciæ, qui virtualiter continentur in dictis Correctoribus, & discretis; Correctores enim, & discreti eliguntur à singulis Fratribus Sacerdotibus singulorum Conuentuum. Adsunt etiam in ea Definitores, votum decisiuum habentes, qui singulis annis in die S. Michaëlis Archãgeli 29. Septemb. congregantur pro definiendis negotiis Prouinciarũ, pro assignandis Correctoribus in singulis Conuentibus. Et hi Definitores non possunt à Generali amoueri à Prouinciis, in quibus sunt Definitores, secundùm determinationem *cap. general. Genua 7. n. 29.* Hæc omnia constant *ex Regula n.* 39. 45. 48. 49. 51. *& ex Correct. n.* 9. 65. 93. 100. 101. 103. Atque ita vides in hoc regimine Monarchiã in vno capite omnia regente, & gubernante, nulli, dum rectè officium administrat, subiecto. Aristocratiam vides, quia hoc caput habet membra, scilicet Socios, votum decisiui m cum eo habentes. Vides etiam in singulis Prouinciis singulos Prouinciales ab ipso Generali non dependentes; sed veri suarum Prouinciarum Rectores, Generali tamen obedientes; quod aristocratiam sonare dicit Bell. *lib. 1. de Roman. Pontif. cap. 3. tom.* 5. Perspicitur etiam aristocratia in Definitoribus, qui tanquam optimates Prouincias regunt cum capite. In eo democratia videtur, quòd istud caput, & omnia singularum Prouinciarum capita ab omni, & ex omni multitudine eligantur, dictæque multitudinis correctioni subiacent. Quare de hoc regimine mihi omninò videtur posse dici, quod de Republica Romana, enarratis populi, Senatus, & Consulum officiis, & facultatibus, conclusit Polyb. lib. 6. hist. *Cum igitur singula ciuitatis partes & incommodare, & commodare sibi inuicem hoc modo queant, euenit, vt ad omnes casus aptè, conuenienterque sint concinnata. Ex quo fit, vt meliorem hac Republica nemo possit instituere.* Consules hic dicas Generalem, & Prouincialem Senatum Collegas, & Definitores, populum, reliquam multitudinem: Hi omnes sibi inuicem obnoxij sunt. Quare quoad formam, nullam meliorem inueniri posse, puto: optima namque ciuitatis ea forma creditur; in qua est, qui possit imperantibus imperare, vt ait Io. Quincin. *de aristocrat. Christ. tit. de mutat. impor. tom. 16. tract.* Aduerte tamen, quòd Religiones feré omnes nunc regimine temperato sub diuersis formis, & modis vtuntur, vt dicunt Nauarr. *com. 3. de Regul. num. 15. versu Ad 15.* Rodriguez *tom. 1. quast. regular. quast. 27. art. 2.*

§. Vnicus.

Vtrum Superiorum Socij in Ordine Minimorum habeant votum decisiuum, an verò solùm consultiuum.

13. DOctissimus P. Passarell. noster *in schol. ex Barch. num.* 17. putat, Socios Prælatorum absolutè esse puros consiliarios, exceptis quibusdam casibus in Regula, & Correctorio insertis, & per consequens quòd licèt Prælatus teneatur consilium Sociorum requirere, non tamen teneatur illud sequi.

14. Et probatur primò ex Correct. *num* 104. vbi dicitur. *Prælatorum Socij nulla speciali auctoritate, neque praeminentia fulgeant.* Et num. 113. dicitur. *Superiorum Prælatorum Socij subdantur dumtaxat Correctoris generalis, ac proprij Vigilis, & Prouincialis obedientia.* Et num. 74. *Seniores suis Correctoribus humiliter obediant, ac eis honorem, & reuerentiam exhibeant, & suis in locis Religionis Ordine sedeant, absque vlla praeminentia: si quis verò ipsorum Seniorum contrarium fecerit, & aliquam sibi praeminentiam vsurpauerit, sex mensibus priuetur actiua, & passiua vocibus.* Et *n.* 23. cui titulus est, De pœnitentiis ex consilio imponendis, statuitur, quod in materia votorum, & casibus grauibus Seniorum assensus non requiratur.

15. Secundò probari potest sententia Passarell. *ex Reg. num.* 40. vbi dicitur. *In Seniores verò quicumque capitulariter assumpti, suis Correctoribus consilium, & auxilium in cunctis ad hanc Regulam, & vitam quomodolibet spectantibus maturè præbeant.*

16. Tertiò ex eadem Reg. *num.* 51. vbi dicitur. *Insuper singulis praintitulatis huius Ordinis Superioribus maturè deputentur tres timorosi socij, qui Seniores nuncupentur, quorum prouido suffulti consilio, commissa sibi Religionis negotia, discretè, ac sapienter discernant, & efficaciter tractent, atque definiant.*

17. Quartò ex Correct. *num.* 72. vbi dicitur. *Et cum talibus Senioribus sua negotia maturè tractabit quilibet localis Corrector, consilium ab ipsis sumendo, & cum eis conferendo super quibuscumque libris vendendis, vel emendis, & super nouis vestibus, &c.*

18. Quintò ex eodem Correct. *num.* 112. vbi Correctoribus non licèt è Conuentu exire, nisi propter causas, quas alij Fratres expedire non valeant, & tunc de capituli scientia, & Seniorum consilio.

19. Sextò *in cap. Tolos. num.* 35. statuitur, quòd Superior maior de suorum Sociorum consilio corrigat Superiorem minorem iniustè suis Subditis necessaria distribuentem. Et *num.* 47. statuitur sic. *Item definierunt, quòd Superior, siue Generalis, siue Prouincialis, siue localis Corrector alicubi videns aliquem Fratrem clamorosum, & præsertim sæculares scandalizantem, seu alias rebellantem, & contumacem, & absque suorum respectiuè Seniorum super huiusmodi consilio; potest tali Fratri iniungere, & præcipere, quod vadat ad suam cameram. Si autem Frater huiusmodi dicto eius Superiori super hoc inobediens fuerit, per dictum, vel alium eius respectiuè Superiorem de suorum Sociorum consilio puniatur.* Et *in cap. Genuen.* 1. *num.* 12. dicitur, quòd Laici, & Oblati habere debent Informatorem per triennium, à die professionis per P. Generalem, aut Prouincialem de consilio Collegarum assignandum.

20. Dico tamen, supradictis non obstantibus, quòd Socij Generalis, Prouincialis, & Correctoris habent in rebus grauibus votum decisiuum, & sunt comparticipes officij. Res graues voco receptiones nouitiorum ad Ordinem, alienationes, Conuentuum sumptiones, delinquentium incarcerationes, suspensiones, priuationes, rehabilitationes, ordinationes, Vicariorum, & Visitatorum deputationes, &c.

21. Probatur primò, *ex num.* 16. *Correct.* vbi dicitur. *Ad ipsos verò Superiores Prælatos, & eorum Socios talium recipiendorum (nouitiorum) deliberatio spectabit. Vbi autem aliquis Subditus per ipsos Superiores Prælatos ad tale negotium delegatus fuerit, resideat ipsa deliberatio penes localem Correctorem, & eius Socios siue Seniores.* Quem locum declarat Passarell. *in schol. ex Barch. num.* 12. Cum ergo receptio nouitiorum committatur copulatiuè deliberationi Superiorum & eorum Sociis, signum est, quòd Socij in hoc votum habent, non solùm consultiuum, sed etiam decisiuum. Cum enim duo in dispositione coniunguntur per dictionem, *Et*, oportet, vtrumque interuenire; vt est textus elatus *in l. Si quis ita stipulatus, ff. de verbor. oblig.* quem ad id adducit Abb. *lib.* 1. *consil. cons.* 57. *num.* 1. Et præterea deliberatio, vt bene Gutter. *can. quæst. lib.* 2. *cap.* 5. includit non solùm diligentem consultationem, & prouidum tractatum de re deliberanda, sed etiam ipsius rei determinationem; vt colligitur *ex cap.* 1. *de imm. Eccl. in* 6. ibi, *prahabita cum Fratribus, &c.* Et insinuat Penna *in l. Omnes iudices, Cod. de cur. lib.* 10 *fin.*

22. Secundò probatur ex eodem Correct. *num.* 23. vbi dicitur. *Vlteriùs vbicumque in præsenti Correctorio agitur de quorumcumque delinquentium incarceratione, suspensione, depositione, aut priuatione, intelligatur huiusmodi primitùs, semper præuiis fraternis, ac discretis monitionibus, habitoque Seniorum consensu,* idest Sociorum, vt exponit *cap. Tol. num.* 47.

23. Tertiò ex eodem Correct. *num.* 11. Correctores suspensi debent sic remanere, quovsque per aliquem Superiorum Prælatorum cum suis Sociis pleniùs deliberetur. Et in fine dicitur, quòd pœnitentiam subeant, iuxta deliberationem Prælatorum cum suis Sociis factam. Et *ibid. num.* 36. dicitur. *Præterea si quis castitatem sanctam violauerit, vbi quam primum super hoc legitimè conuictus fuerit, sex mensibus incarceretur, vel grauius puniatur, iuxta delicti grauitatem, & exigentiam, prout Correctori generali, aut talis Prouinciæ Vigili, vel Prouinciali cum suis Sociis secundum Deum meliùs expedire videbitur.* Vbi nota illam dictionem, *Cum*, quia stat hic coniunctiuè principaliter; quotiescumque enim coniungit nomina collectiua, vel dignitatem, semper stat principaliter, vt Tusch. *verb. Dictio concl.* 358. *num.* 20. Abb. *lib.* 1. *cons. cons.* 57. qui explicans quandam const. Papæ Io. in qua dicitur, quòd Episcopus, & capitulum cum Consulibus, quoties eis expedire videbitur, &c. dicit *num.* 2. quòd Episcopus, Capitulum, & Consules faciunt tres voces, quæ ex forma dictæ const. habent consentire in dispositione, de qua ibi; nec Episcopus potest quidquam facere sine illis. Et idem dico in casu nostro.

24. Quartò probatur ex Correct. *n.* 97. vbi dicitur. *Singuli autem Prælati (prius etiam non habito suorum Collegarum consensu) quibuscumque personis scribere poterunt; vbi autem simul vnanimiter contradicerent dictorum Prælatorum Socij, quod ipsi Prælati nonnullis personis de hoc Ordine non existentibus scriberent; tunc per eiusdem, vel proximioris Conuentus capituli, seu maioris, ac sanioris eius partis definitionem, & determinationem charitatiuè, maturéque mitigari valebit eorum differentia huiusmodi.* Quod statutum declaratur *in cap. Val.* 4. *num.* 41. quod vbi omnes Socij contradicerent Prælatis, tunc stetur determinationi capituli localis, vbi verò duo Socij ex vna, & alter cum Prælato ex altera, contrarij essent, stetur parti Superioris, & in eius sententiam teneantur alij scribere. Quòd statutum confirmatur *in c. Barch.* 1. *n.* 17. Ex quibus clarè patet nostra conclusio. Si enim, omnib. Collegis contradicentib. non potest Prælatus scribere extra Ordinē, sed debet expectari definitio capituli localis, ergo Collegæ sunt plusquam consiliarij: consiliarios enim qui adhibere tenetur, non necessitatur regulariter sequi consultum, vt bene Passarell. *in schol.*

ex

ex Barch. num. 17. *cap. Cum olim, de arb.* vbi Glossa *verbo, Sine discordet.* Multa ad id congerit Barbosa *in loc. commun. verbo Consilium, num.* 50. Sanchez *lib.* 1. *de matr. disp.* 34. *num.* 24. Menoch. *de præsumpt. lib.* 6. *quæst.* 34. *num.* 25. De Thomaset. *in flor. reg.* 81. Et confirmatur ex statutis Val. & Barch. vbi statuitur, standum esse parti Superioris cum vno Collega, aliis Collegis discordantibus; ad quid enim hæc statuta, si Collegæ sunt puri consiliarij? Et aduerte circa id, quòd dicitur, standum esse parti Superioris cum vno Collega, quòd huiusmodi statutum habent etiam Fratres Prædicatores, vt patet ex eorum constitut. 3. *par. c.* 30. vbi dicitur. *Quòd si in partes æquales se diuiserint, illorum sententia præualebit, in quorum partem Magister Ordinis inclinauerit.* Et Augustiniani, vt constat ex dictis *supra hoc c. n.* 6. Et habent etiam Clerici Reg. Theatini nuncupati; vt patet *ex c.* 7. *suar. const.* Habent etiam Clerici, qui ministri infirmorum dicuntur, vt constat *ex const.* 17. *Greg. XIV. Illius,* §. 5. apud Cherub. *tom.* 2. *bull. pag.* 706. Et circa illam particulam quod alij teneantur subscribere id esse iuri communi conforme, multis docet Rodrig. *tom.* 2. *q. reg. q.* 45. *art.* 10.

25. Quintò ex Correct. *num.* 105. vbi statuitur, quòd Superiores locales in præsentia suorum Prouincialium, & Prouinciales in præsentia Generalis carcerum pœnas, aut alias graues pœnitentias nulli subditorum imponant, sed id relinquant Superioris præsentis, suorumque Sociorum sententiæ. Sed sententia est definitio iudicialis controuersiæ secundum omnes, vt Thusc. *ver. Sententia, concl.* 106. *n.* 1. seu est vox iudicis ad causam facientis, vt Thusc. *ibi, n.* 3. Ergo socij in imponendis pœnitentiis grauibus coniudices sunt cum Prælatis.

26. Neque obstat, quòd eodem loco subditur. *Habeant Prælati plenariam iurisdictionem super cunctis pœnitentiis, tam hic taxatis, quàm non taxatis, tam illas imponendi, quàm ab eis de præfatorum Sociorum suorum consilio delinquentes liberandi, ac pœnitentias ipsas augendi, & minuendi.* Nam intelligitur de pœnitentiis leuibus. Nam paulò ante, loquendo de pœnitentiis grauibus, id remiserat Prælatorum, & sociorum suorum sententiæ. Vel, si non quadrat, dicas, hoc secundo loco consilium poni pro consensu; & habes coniecturam id ita esse, ex citatione marginali, quæ citat Correct. *num.* 23. in quo non imponuntur graues pœnitentiæ, nisi de consensu Seniorum. Immò esse familiare Regulæ ponere consilium pro consensu, constat *ex dicto num.* 23. cui est titulus de pœnitentiis ex consilio imponendis, & deinde statuit, quòd non imponantur, nisi habito Seniorum consensu. Et in Regul. *num.* 50. statuitur, quòd Correctores è conuentu non egrediantur, nisi de scientia capituli, & Seniorum consensu. Et deinde in Correct. *num.* 112. de iisdem Correctoribus egredientibus conuentu dicitur. *Ipsis verò localibus Correctoribus de sui localis capituli scientia, & Seniorum consilio, &c.* Quod caput declarans Card. Senogall. auctoritate Papæ, *clausula* 6. vt habes *tom* 1. *priu. nostri Ordin. in constitut.* 17. *Iulij II.* §. 6. ait, *Et ita de eorundem Fratrum scientia, & Seniorum assensu domos exire poterunt pro causis, &c.* Et quòd assensu Seniorum requiratur in casu exitus Correctoris à conuentu, dicit Passarell. *in schol. ex Barch. n.* 11. *versu Intellige eo non posse vti.* Et idem clarissimè habes *in cap.* 1. *Bonon. num.* 13. vbi statuitur, quòd Prouincialis possit mittere Correctorem extra conuentum contra Seniorum voluntatem, idest, non expectato Seniorum consensu, vel etiam ipsis repugnantibus, iuxta ea, quæ dixi *tom.* 1. *huius opin. c.* 26. §. 2. *pag.* 431. Deinde subdit, quòd Correctores in præsentia Prouincialis non possint è conuentu exire sine licentia ipsius, etiã cum Seniorum consilio. Et concludit, dictam definitionem non repugnare Regulæ, consensum Seniorum ad hoc requirenti. Ad quod item facit *cap. Massil. n.* 47. Constat pariter esse familiare Regulæ ponere consilium pro consensu ex Correct. *n.* 72. vbi dicitur, quòd Corrector sumat consilium à Senioribus, super quibuscumque libris emendis, vel vendendis; & tamen Card. Senogall. *loco citato clausula* 8. declarauit, in his requiri assensum, vel dissensum Fratrum. Nec mireris, quòd Legislator consilium pro consensu sæpè ponat. Nam & hoc est frequens in iure, vt docet Thusc. *ver. consilium, concl.* 766. *n.* 2. Gonzal *ad reg* 8. *Cancell. Gloss.* 46. *a n.* 78. Tiraquel. *de retract. lignag. glos* 9 §. 1. *n.* 159. Menoch. *de præsumpt lib.* 6. *præsumpt.* 34. *n.* 28. & est textus *iuncta Glossa. verbo Consilio, in c. Venerabilis, de iud. deleg.* Et id fecisse puto Legislatorem nostrum, quia enim Socios Prælatorum intendebat facere participes officij parum curauit ponere consilium, vel consensum, cum certi iuris sit, quòd qui tenetur procedere cum consilio aliorum, non solùm petere illud tenetur, sed etiam sequi cum illi sint participes officij, vt docet Abb. *in c. Cum olim, de arbitr n* 5. vbi Butr. *n.* 15. *ad med.*

27. Sextò ex Correct. *n* 88. vbi dicitur *Nullus localium Correctorum, absque sui Superioris facultate, vel absque Seniorum localium consensu, Fratres in confessores deputatos ab auditione confessionum quarumcumque personarum arcere poterit.* Et aduerte, quòd nominat hic Seniores locales, ad differentiam Sociorum Prælatorum, qui etiam Seniores nuncupantur *in Reg. n.* 51 *& in c. Tolos n* 47. Et scias, quòd in Regula nostra Seniores, & socij idem sunt, vt constat claré *ex cit. locis.*

28. Septimò *ex cap n.* 38. probatur, vbi dicitur. *Definierunt, quod Prælati non possint pœnitentias graues cuiquam imponere, nisi de consilio, & assensu suorum Sociorum,* iuxta tex. Correct. *n.* 23. *& in c. Genuen.* 6. *n.* 13. electiones officialium remittuntur Generali cum suis Collegis, quod seruatur in omnibus capitulis, & *in cap. Rom.* 6. me præsente, statutum est, quòd Generalis, quos priuauit, & deposuit de Sociorum consensu, prout per Correct. *loc. cit.* non possit solus rehabilitare, licet hoc statutum *in dicto cap.* incuria scribæ non fuerit annotatum. Et *in cap. Forijul.* 1. *numer.* 18. non possunt Prælati facere ordinationes, nisi de consilio, & assensu Collegarum.

29. Octauò probatur ex nomine ipso Collegarum, quò communiter vocantur, vt patet *ex loc cit. c. Val & Genuen.* Collega enim dicitur socius in officio, vt Gell. *lib.* 13. *cap.* 14. & plura Calep. *verbo Collega.* Et argumentum ab etymologia validum est, vt probat Barbos. *in loco com. verb. Argumentum, n.* 152.

30. Nonò probatur ex resolutione quorundam dubiorum, facta à Congregatione visitationis Apostolicæ *anno* 1597. *die* 14. *Ianuarij* subscripta Sorbolongus; quam ponam *in addit. ad priu. Minim. sub Clem. VIII.* in horum dubiorum tertio petitur, quid faciendum, quando aliquis Collega fuerit recusatus à Fratribus in visitatione? Et respond. quòd non debet admitti qualiscumque recusatio; quia sunt quatuor Iudices, & non vnus. Ad id etiam facit resolutio *ad dub.* 5. *& ad* 9. Facit etiam *constitut.* 2. *Clem. VIII.* §. 8. quam habes *in tom.* 2. *nostr. priuil.* Facit praxis, & consuetudo præscripta.

31. Ad primum ergo in contrarium resp. locum illũ Correct. *n.* 104. nihil facere pro Passar. si rectè intelligatur. Collegæ enim nullam habent specialem auctoritatem, quia nihil per se ipsos, à Generali seiuncti, possũt facere. Nec multò minùs habent præeminentiam, cum teneant suæ genituræ locum. Sed hoc quid obstat? quomodò ex hoc concluditur, quòd non habeant votum decisiuum? enim & illud habere in quibusdam casibus, victus supradictis textibus pro nostra sententia adductis, ipse confitetur Passar *in ille n.* 17. *schol. Barch.* Locus ille *ex n.* 113. habet etiã verum, sunt enim Collegæ Prælatorum subditi obedientiæ, & suis Prælatis parere tenentur in his, quæ secundùm Regulã iubentur; & per

hoc dixi, quod nostrum regimen est monarchicum, licet non simplex, quia vnum Superiorem,& Prælatum habemus, cui omnes obedire tenentur, & à cuius iurisdictione nullos reperitur exemptus. Sed hoc non obstat, quominùs Collegæ ipsius in rebus grauibus debeant cum ipso votum decisiuum habere, pro illo enim tunc coniudices cum illo sint, & illi non parent. Ex quibus respond. etiam ad locum illum *ex num.74.* Locus ille *ex num.23.* est pro nobis expressè, vnde illum adduximus pro secunda probatione nostræ conclusionis. Verba autem illa in fine *dicti num.23.* posita. *Nisi fortè super aliquo quatuor votorum, aut alio graui casu, vel scandalo rationabiliter, legitimèque conuicti fuerint ipsi delinquentes*, nolunt dicere, quòd superiores Prælati in pœnis infligendis ratione transgressionis votorum, consensum non habeant suorum Collegarum, sed quòd non possint in dictis casibus imponere alias pœnas, præter taxatas in dicto Correct. Quòd etiam clarè explicant Correct. *num.105.* vbi datur Prælatis cum suis Collegis potestas super quibuscumque pœnis imponendis, vel remittendis, exceptis votorum pœnis. Et expressiùs in num. 107. *Præterea caueant singuli huius Ordinis superiores Prælati, suique Vicesgerentes, ne ipsi aliquando super alicuius quatuor votorum fractione, quemquam remissè puniant, vel citiùs, quam in hoc præsenti Correctorio decernitur, & ordinatur, aliquem de carceribus liberent.* Ex quibus liquet, quòd in materia votorum legislator nullum arbitramentum inquit Superioribus, neque Socijs, sed transgressores vult puniri iuxta pœnas ab ipso taxatas, nisi fortè capitulum generale aliter disponeret, vt dicitur in eod. Correct. *num.58.* Illa verba dicti num.23. *Aut alio graui casu, vel scandalo.* Intelliguntur, quòd possit Superior capiens aliquem subditum in flaganti delicto, eum incarcerari, & ligari facere, etiam absque consensu, & consilio Seniorum, ne delinquens fugiendo pœnas effugiat, quod pertinet ad bonum Religionis regimen, & ad statum monarchicum constituendum; nolunt tamen dicere, quòd possit Prælatus per sententiam talia facere, absque Sociorum consensu; tunc enim non cohærent vltima primis, quod non est dicendum, *cap. Maiores, verb. Cæterùm, de bapt.* & hanc explicationem desumo *ex cap. Tolos. num.47.*

32. Ad secundum resp. non sine quare ibi Consilio additum esse. Et auxilium; auxilium verò præstatur tribus modis secundùm Glossam *in cap. 1. de off. ind. deleg. verbo Patri pœna*, quam ibi multis declarat Panorm. *nu.5.* & eam approbat tanquam communiter receptam Anton. Gabr. *commun. opin. tom.2. lib.9. tit.12 de malef. num.15.* nimirum consilium dando, cooperando, auctorizando, & descendendo; hæc autem includunt consensum, vt dicunt præfati DD. Atque ita idem est Seniores teneri consilium, & auxilium dare Correctoribus in omnibus, ad Regulam spectantibus, ac illis fauere, & præsto esse adiuuando, & consentiendo in omnibus, quæ ad obseruantiam dictæ Regulæ pertinent.

33. Ad tertium. Per consilium, ibi intelligo consensum, iuxta ea, quæ dico hic supra *num. 26.* Et quia dicunt DD. quod quando dispositione statuti iudex tenetur ferre sententiam cum consilio sapientis, consilium sibi sumitur pro consensu, vt Menoch. *lib. 6. de præsumpt. præsumpt. 34. n. 28.* Quod militat in casu nostro; & quando consilium petendum est ab eo, qui particeps est officij, vt sunt Collegæ per dicta, sequendum est, iuxta *l. Titium in princ. ff. de admin. tut.* Gonzal. *ad reg. 8. cancel. Gloss. 46. num. 78.* Et quia Collegæ dantur Prælatis tanquam coadiutores, vnde sine illius consensu nihil possint facere, iuxta *c. Venerabili, de offic. deleg.* vbi Glossa *verbo Consilium*, ait, quòd ibi per consilium, intelligitur consensus, quia aliàs non valeret multum coadiutor. Adde, quòd ex vi locutionis colligitur, ibi pro consilio debere intelligi consensum, ait enim, *quorum prouido suffulti consilio*, sed non possunt esse suffulti, id est sustentari consilio, nisi illi adhæreant. Quòd si non placet hic impropriate nomen consilij, dic, quòd intelligitur hic textus in rebus ordinarijs, & minùs grauibus, vt dare obedientias, concedere litteras commendaritias ad ordines, scribere ad inferiores Prælatos, Confessarios, Prædicatores, atque Lectores instituere, &c.

34. Ad quartum iam dixi ibi per consilium declarasse Card. Senogall. *claus. 8.* debere intelligi consensum. Et constat ex his, quæ sequuntur dicto num.72. *Veruntamen non omittatur capitulare consilium, vbi, &c.* Et tamen certissimum est, & vsu comprobatum, quòd capitulum non congregatur à Superioribus ad sumendum consilium, sed consensum, & contra ea, quæ determinauit capitulum, nullus Superior, neque etiam Generalis recalcitrat; & quòd capitulum non congregetur, nisi pro obtinendo consensu, constat ex Correct. *num 6.7.8.9.10.33.35.50.78.90.*

Ad quintum constat *ex num.26.* ibi per consilium consensum intelligi.

35. Ad sextum ista inæqualis distributio est illa eadem, de qua in Correct. *num.49. & 109.* cui, quia supponitur non esse exorbitanter inæqualis, certa pœnitentia non assignatur, sed relinquitur Superioris arbitrio, & Collegarum consilio. Similiter dic, quòd potest Superior Prælatus de concilio Sociorum punire Correctorem pœnis leuioribus, qui in imponendis pœnitentiis à Regula taxatis negligens fuerit. Ad illud *ex num.47. eiusdem cap. Tolos.* dico, quòd facit pro nostra sententia; subditur enim statim post verba cit. in argum. *Definientes, quod maior Superior, absque suorum respectiuè Seniorum, seu Sociorum consilio, possit minori Superiori, citrà carceres, & aliàs pœnas graues, iuxta delicti exigentiam, pœnitentiam imponere.* Neque dicas; ergo cum solo consilio dictorum Seniorum poterit dictas pœnitentias imponere. Nam capitulum in tali statuto condendo se fundauit in *Correct. num.23.* vt colligitur ex *cit. marg.* in quo tales pœnitentiæ graues iubentur imponi de consensu Seniorum. Ad illud *ex c. 1. Genuen.* dic, quòd assignare Informatorem Oblatis, non censetur res magni momenti.

36. Sed obijcies. Si Collegæ sunt comparticipes officij, ergo, si delinquant, non possunt à Superiore puniri, par enim in parem non habet imperium; *cap. Inferior, cap. Denique, dist.21. cap. Innotuit, §. Quamuis, de elect.* Resp. tamen, quòd potest Prælatus suos Socios punire etiam officiis eos priuando, quia sunt merè subditi obedientiæ, iuxta Correct. *num.113.* & Præses punit æqualem sibi, *leg. Si quis fortè, §. si quos comitum, ff. de pœnis. cap. Placuit. 6. quæst.3.* Nec obstat, quòd par in parem non habet imperiũ. Nam Collegæ non sunt pares suis Prælatis, neque in dignitate, quia nullam habent formaliter, neque etiam in iurisdictione, quia multa possunt Prælati facere sine illis, de quibus *nu.32.* sed solùm sunt pares in iudiciis, & sentẽtiis de rebus grauibus ferendis, in negotijs magni momenti expediendis. Et illa Regula, *Par in parem*, fallit, quando agitur de punitione, quæ publicam concernit vtilitatem, vt hic. Ita De Thom. *in flor. reg.233.* & deinde per delictũ fiunt inferiores Prælatis, & omnem dignitatem, si quam habent, amittunt; *leg. Quicumque, Cod. vbi Senatores, vel Clariss.*

37. Sed quid, si omnes Collegæ delinquerent, posset ne Prælatus eos omnes punire, etiam officiis priuando, supposito, quòd delicta id mererentur? Respond. Si vnus Collega delinqueret, posset Prælatus cum reliquis eum punire; argum. statuti *in cap. Genuen. 2. nu.13.* Similiter si duo delinquerent, possent cum tertio Collega illos castigare, argum. statuti *in cap. Genuen. 1. num. 16. Et Val.4. numero. 38.* sed si omnes delinquerent, deberet eos punire cum Correctore, & 1. & 2. Seniore conuentus, in quo deliquerint, vel proximioris argum. eorum, quæ dicuntur de priuatione Generalis in Correct. *numero 9.*

numero 9. & de electione Collegarum mortuorum *in cap. Val. 5. numero 19. verſ. Ad 4.* Scio tamen, quòd in reſolutione illorum dubiorum, de quibus *numero 59. ad quæſitum 4.* quid faciendum, quando aliquis depoſuerit contra Collegam. Reſpond. quòd poterit Generalis ſecretò recipere depoſitionem illam, eamque probare, & Congregationi referre. Sed quæ dixi, videntur conformiora noſtræ Regulæ, & conſtitutionibus.

CAPVT III.

An externæ politiæ vtcumque ordinatæ noceat Religioſorum ſtatus.

1. NOn diſputo hic contra hæreticos cordialiſſimos Religioſi ſtatus inimicos, & merito; Religioſi enim eorum impudentias propalant, nefandaque mendacia gladio necant veritatis: hoc namque negotium Controuerſiarum eſt. Pro quo videri poſſunt Vualden. *tom. 1. lib. 3. doctr. fid. & tom. 3. de ſacr. tit. 19. cap. 149.* Alphonſ. à Caſtro *aduer. hæreſ. lib. 10. ver. Monachatus*, Bellar. *tom. 2. lib. 2. de Monach.* Sed ſolùm inquiro, an Religioſorum multitudo poſſit vnquam nocere ſæculari politiæ. Et pro hoc puncto videndus eſt Contzen. *lib. 6. polit. cap. 46.* Veſton. *de Repub. lib. 3. cap. 15. & lib. 5. cap. 21.* Mauel. *de Monarch. Eccleſ. tom. 1. par. 2. lib. 5. cap. 13.* Rang. noſter *in 1. Reg. cap. 10. verſ. 8.* ibi, *& oſtendam tibi; & c. 1. ver. 1. Eſcana, & montis Ephraim.*

2. Dico primò, conſtitutiſſimum mihi eſt, Religioſorum in communi viuentium ſub Paſtoris regularis ferula multitudinem nullo vnquam tempore politiæ ſæculari poſſe nocere. Conſidero namque Rempublicam in duobus ſtatibus; in ſtatu belli, & in ſtatu pacis. Quòd in ſtatu belli non poſſit vllo modo ei nocere, patet. Quomodo enim nocebit inermis Religioſorum multitudo, otio contemplationis diuinorum aſſueta, ab armis ſæcularibus, mondaniſque negotiis, populorumque tumultibus ab incunabulis abſtracta? ieiuniis, abſtinentiis, diſciplinis, mortificationibus, humicubationibus attrita? quorum armatura, eis ab Apoſtolo data *ad Epheſ. 6.* eſt, vt *lumbos habeant in veritate ſuccinctos*, per contemptum illecebrarum carnis mundanarumque vanitatum, per fidelitatem, & integritatem, per amorem rerum cæleſtium, per ornamentum virtutum, per conſtantiam in bono, per facilitatem defferendi malum, per doctrinam, qua hoſtes fidei impugnantur; quod ſic illi, qui Veritas eſt, placere per omnia poſſint? *Vt induant loricam iuſtitiæ*, quæ omnia, quæ volunt, vt ſibi faciant homines, tenentur, & illis ea ſimiliter facere, *Luc. 6.* Cuiuſque iuſtitiæ primum munus eſt, nemini nocere, & communibus ſine cuiuſquam detrimento vti, omniaque facere, quæ ad aliorum ſalutem, etiam cum proprio damno, & incommodo neceſſaria ſunt. Secundum tribuere vnicuique quod ſuum eſt, maiori ſuo reuerentiam, pari concordiam, minori diſciplinam, Deo cultum, & obedientiam, ſibi ſanctimoniam, inimico patientiam, pauperi miſericordiam, omnibus fraternam in Domino charitatem? *Vt habeant calceatos pedes in præparationem Euangelij pacis*, per mortificationem, per mortis memoriam, per bona exempla, vt bonum, quòd, Domino largiente, cognoſcunt, & per prædicationem Euangelij, & per bona opera aliis communicent. Et ſic ſunt pacifici cum illis, qui & pacem oderunt, vnde inimicitias tollunt, bella compeſcunt, iras comprimunt, diſcordes ſedant, inimicos conciliant, Dæmonem fugant, eiuſque ſuggeſtiones retundunt. Vt habeant ſcutum fidei, qua opcribus formata, rapiant regna cæleſtia; & acquirant repromiſſiones? *Vt habeant galeam ſalutis*, id eſt ſpem ſalutis conſequendæ per dicta bona opera? *vt denique habeant gladium ſpiritus*, id eſt verbum Dei, quo iugulent dæmones, & omnes ſequaces eius? Ecce armatura Religioſorum à capite ad talos. Galea eſt ſpes ſalutis, thorax eſt iuſtitia, balteus eſt veritas, calcei, & ocreæ ſunt humilitas, & præparatio ad propagandum fidem Euangelij, cuius effectus eſt pax. Dextera tenent gladium, id eſt verbum Dei, & ſiniſtra ſcutum, ſcilicet fidem. Quæ arma nunquam deponunt, ſiue dormiant, ſiue vigilent, ſiue ſedeant, ſiue currant, ſiue laborent, ſiue conquieſcant, ſiue comedant, ſiue ieiunent. Et his armati ita veterem hominem, id eſt ſenſum carnalem domant, vt illorum conuerſatio iam non in mundo, ſed in cœlo ſit, & illorum caro iam non carnalis, ſed cœleſtis videatur. Iſta ſunt Religioſorum arma, quæ cum non carnalia, ſed ſpiritualia ſint, indubitatum eſt, quòd nunquam ſæculari, & mundanæ Reipublicæ ſint nocitura.

3. Si verò conſideremus ſtatum Reipublicæ in tempore pacis, multò minùs ei poteſt nocere Religioſorum multitudo. Nam tunc nocere non poſſunt, niſi ſeditiones commouendo populum irritando, pacem turbando. At hæc fieri nequaquam poſſunt. Nam vel ſupponimus debere fieri à tota multitudine Religioſorum, & eſt caſus metaphyſicus; qui enim fieri poteſt, vt tota multitudo Religioſorum conueniat ad concitandum populum contra rectè dominantium Dominium (niſi fortè dominantes curarent populum in perditionem trahere per introductionem hæreſum, quo caſu id licitum, & debitum eſſet ad communitatem ſaluandam.) Quòd ſi nihilominus volumus ſupponere. Dico, quòd ille caſus certam illius ciuitatis deſtructionem præſagiret; eſſet enim caſus depictus *Iſaiæ 3.* vbi dicitur. *Et erunt, qui beatificant populum iſtum, ſeducentes, & qui beatificantur præcipitati: propter hoc ſuper adoleſcentulis eius non lætabitur Dominus, & pupillorum eius, & viduarum non miſerebitur. Succenſa eſt quaſi ignis impietas, veprem, & ſpinam vorabit. In ira Domini exercituum conturbata eſt terra, & erit populus quaſi eſca ignis, & vir fratri ſuo non parcet, & declinabit ad dexteram, & eſuriet, & comedet ad ſiniſtram, & non ſaturabitur. Vnuſquiſque carnem brachij ſui vorabit. Manaſſes Ephraim, & Ephraim Manaſſem, ſimul ipſi contra Iudam.* Vel ſupponimus, ſeditionem commoueri à Religioſis particularibus, & tunc non valeret conſequentia. Aliqui particulares Religioſi mali, & ſeditioſi ſunt, ergo omnes Religioſi ſunt pernicioſi Reipublicæ; nam particularibus ad vniuerſalia non valet illatio; alioquin valeret etiam iſta. Aliqui ciues ſunt ſeditioſi, ergo omnes ciues ſunt ſeditioſi, & iſta. Aliquæ mulieres maritatæ non ſeruant fidem maritis, ergo nullæ mulieres maritatæ fidem maritis ſeruant. Quæ conſequentiæ erroneæ ſunt. Nec multò minùs licet argumentari à concreto ad abſtractum. Aliqui Religioſi mali ſunt, ergo ſtatus Religioſus malus eſt. Sicut non valet. Et 12. Apoſtolis vnus iniquus fuit, ergo Apoſtolatus iniquus eſt, vt bene D. Thom. *in flor. reg. 178.*

4. At inquiunt homines de mundo. Licèt fortè directè multitudo Religioſorum perniciem Reipublicæ, non ſit allatura, poteſt tamen indirectè afferre.

Primò. Propter multa ipſorum ſcandala, & mala opera. Videntes enim multi ſimplices, eos, qui dati ſunt in ædificationem, multa mala facere, & peiora quandoque, quàm ipſi vnquam imaginati ſint, animantur ad ſimilia facienda, putantes non eſſe tam mala, quàm ipſi imaginabantur. Si Ioui licuit, dicebat Terentianus ille nebulo, virginem aureis pluuiis conſtuprare, quare & mihi volentem violare non licebit?

Secundò. Quia ſi omnes homines fierent Religioſi, & continentiam vouerent, certè humanum genus deſtrueretur.

Tertiò. Licèt non omnes, si tamen quamplurimi id genus vitæ amplecterentur, non potest negari, quin in hoc remaneret damnificata Respublica, non enim posset ab ijs ea obtinere obsequia, quæ ab aliis ciuibus.

Quartò. Cum Religiosi multa in dies acquirant, vel piorum vltimis voluntatibus, vel propria industria, & labore, quæ statim sunt exempta à gabellis, datijs, & grauiminibus, quibus subiectantur aliorum ciuium bona, inde publicum ærarium minuitur, & tantum possunt crescere dicta Religiosorum bona, vt ita dictum ærarium minuatur, quòd supportandis Reipublicæ oneribus non sit idoneum, sine spe quòd vspiam augeatur. Participant enim in hoc Religiosi (qui bona possident in communi) de illo attributo Christi, qui nunquam dimisit, quod semel assumpsit.

5. Ad primum, Aliquorum Religiosorum impietas eo vitæ genere, quod profitentur, indigni, facit, vt cogar fateri, multos ex illis scandalosè viuere; sed quid inde? fortè inferes, ergo omnes scandalosè viuunt? scandalosa est consequentia. Quamplurimi enim virtuosè, & exemplariter viuunt. Ex centum vnum malum vix reperias, & centum virtutes vitius maliriam non compensabunt? *Noli respicere*, ait Hieronym. epist. 34. *Iudam negantem, sed Paulum respice confitentem*; nec amurcam, & purgamenta Religionum attendas, sed oleum, & ornamenta intuere, & intelliges, paucorum scandala nihil obesse posse, si compares cum multo, quod prodest cœterorum omnium sanctum viuendi institutum. Vide id genus plura apud Platum *de bono stat. Religios. lib. 3. capit. 25.*

6. Ad secundum resp. cum Aug. de bono coniug. cap. 10. *Vtinam hoc omnes vellent dumtaxat in charitate, de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta, multò citiùs Dei ciuitas compleretur, & accelaretur terminus sæculi.* Et Hieron. 1 contra Iouin. *Noli*, inquit, *metuere, ne omnes virgines sint, difficilis res est virginitas, & ideò rara, quia difficilis.* Chrysost. de virg. cap. 15. tom. 5. *Hi*, inquit, *solliciti sunt ne commune hominum genus aliquando deficiat, & omnem anima sua, tanquam aliena, curam vnusquisque negligit.* Et cap. 16. probat, quòd genus humanum per connubium nec conseruatur, nec augetur. *Neque verò*, ait, *nunc etiam genus nostrum auget connubij vis, sed Domini oratio ea, quam habuit ab initio, Crescite, & multiplicamini, & replete terram* Et concludit *cap. 15.* quod etiamsi omnes homines castitatem vouerent, & seruarent, non per hoc destrueretur humanum genus; qui enim ex nihilo illud potuit creare, alia via, quam per connubium, illud etiam potest conseruare. Vide plura huiusmodi apud Platum *loco cit. cap. 26.*

7. Ad tertium. Obsequia, quæ ciues tenentur suæ Reipublicę soluere, sunt quinque principaliora primum est legationum, secundum consiliorum, tertium custodiarum ciuitatis, quartum auxiliorum pecuniæ tempore necessitatis, quintum magistratuum. Sed ista obsequia possunt optimè soluere Religiosi seculari Reipublicæ, si casus occurrat necessitatis. Et quò ad primum de legationibus. Cum *legatus sit is, qui lectus, missusque publico publicum negotium peregrè agit, non militari manu, sed viribus ingenij*: vt ex Carolo Paschasio *cap. 5. de Leg.* refert Germon. *lib. 1. cap. 1. num. 1. de Leg.* Seu, vt illum definit Bragaccia lib. 1. de Leg. c. 6. *Est publicus minister, sufficienter bonus, doctus, & expertus, missus à Republica ad absentem, publicorum negotiorum, vel amicabilis congratulationis causa.* Quis prohibet, grauem virum, & doctum Religiosum minus hoc explere, & rectè, cum non viribus armorum, sed ingenij illud explendum sit? Et si in Legatis requiruntur morum integritas, eruditio, politia, ac omnes animi, corporis, & fortunæ dotes, actionumque humanarum vsus, & experientia, vt docet Canonher. *lib. 2. qq. in Tacit. de Leg. in princ.* Quis neget in Religionibus omnibus viros esse quamplurimos his omnibus conditionibus ornatos? Possem ex omnibus Religionibus exempla quamplura, & noua, & vetera proferre, ex mea innumera, sed historias non scribo. Sit hoc vnum in signum particularis amicitiæ, qua illum prosequor, Legatio illa, quam obijt ad Regem Catholicum venerabilis P. F. Ioseph Cianus à Messana, Prouincialis Neapolis, motu proprio Summi Pontificis Vrb. VIII. ad hoc ad munus penitus inscius, absens, & ad quiescendum in cella reclusus, nouiter assumptus. Is *anno* 1620. à toto Regno Siciliæ pro negotiis, de quibus dicent Historici, ad Regem Catholicum, legatione functurus, missus est. Hic omnia prætereo, qua arte Panormo exijt, cum exitus esset omnibus præclusus, qua sollicitudine, quibus periculis Madritum appulit, qua prudentia, & dexteritate legationem exposuit. Hæc talia fuere, vt à Catholico Rege, eiusque ministris desideratum suæ legationis finem breuissimo tempore felicissimè obtinuerit. Affero in gratiam patriæ etiam legationem, quàm obijt ad Ducem Vrbanitatem P. F. Gabriel Cicala noster Genuensis doctissimus Concionator, missus à fel. rec. Paulo Papa V. anno secundo sui Pontificatus. Et quòd omnis vir habens supradictas conditiones, sit aptus ad legationis munus explendum, docet Ger. *lib. 1. de Leg. c. 18. n. 23.* Et praxis communis est, vt Principes passim ad negotia secretiora tractanda, & quæ citissima indigent expeditione, viros graues, & Religiosos destinent.

8. Quò ad illud secundum de consiliis. Si consiliarij debent esse illi, qui *Exodi* 18. describantur illis verbis. *Prouide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis, qui iudicent populum.* Ex quo elicit Cai. quòd 5. conditiones debent habere consiliarij, prima debent esse magnanimi, magnatum vultum non timentes, votum suum liberè exponentes. Vnde dignissima est illa Alphonsi Regis sententia. *Consiliarios Regum, aut Reges esse oportere, aut Regum animos habere*, secunda debent timere Deum, qui enim timet Deum, facit bona. Vnde Fridericus III. Imperator rogatus, quos è suis haberet charissimos, respondit, eos, *qui non magis me, quàm Deum timent*, tertia debent esse sapientes; propterea decet senes, fideles in secretis, studiosos historiarum, non præcipitatos, sinceros, honestæ famæ, iuris Reipublicæ benè peritos, experimentatos, non adulatores. Vnde fuit digna Caroli V. Imperatoris vox, audita morte Thomæ Mori, viri sapientissimi, Angliæque Cancellarij, & martyris, *In Moro Henricus Rex VIII. totius Angliæ caput præcidit*, quarta debent habere veritatem non tantùm sapientiæ, quantum iustitiæ, neminem fallentes. Vnde Ludouicus XI. Galliarum Rex ajebat, *se in aula omnibus rebus abundare, excepta vna*, & rogatus, quænam ea esset, dixit, *Veritas*, quàm cum inuenisset in B. P. N. Francisco, valde gauisus est. Vndè licèt mortis timidissimus esset, eam tamen pronunrianti Francisco, certamque eius diem signanti, non succensuit, sed ad pietatem, & ad pœnitentiam se conuertit, soliusque Francisci consiliis regendum se tradidit, Caroloque filio, vt eum in suum intimum Consiliarium assumeret, mandauit, talemque Consiliarium Regni sui columen, & paludamentum Ludouicus XII. nominare cōsuescebat: quinta debent à muneribus abstinere *qui enim diligunt munera, infideles, & socij furum dicūtur.* Isaię 1. Vnde Alcamanes Teleueri filius Spartanus rogatus, cur munera à Messenniis oblata nō accepisset, respondit, *quia si accepissem, cum legibus pacem habere nō potuisse.* Sed nullus negabit, in Religionibus reperiri viros magnanimos, quibus viuere Christus sit, & mori lucrum. Et quis potest maiori cum libertate votū dicere, quàm ille; qui terrena non sapiens, eaque & illorum desiderium respuens, ex officio habet esse veridicus, & cui gloriosum est pro veritate decertans in odium optimatum incurrere, vt dicebat Nanz. *orat. 1. n. 120.* Quod etiam

etiam significarunt Romani, vt Crinit. refert *lib.10. capite 10.* Quando potuerunt nefas, vti flamines vllum modum haberent in apice, in cinctu, aut in alia parte. Quòd Religiosi sint timentes Deum, probatione non indiget, cum in id studij diu, noctuque incumbant; vnde vel Religiosi non sunt, vel timentes Deum sunt. De sapientia non dubitatur, cum ex officio habeat docere, prædicare, libros scribere, & id notum est lippis, & tonsoribus. Et sic de reliquis.

9. Quoad tertium de custodia ciuitatis. Verum quidem est non licere Religiosis arma capere ad hostes oppugnandos; *cap. Quicumque ol a. 23. quæst. 8. cap. Eos, qui 20. quæst. 3. cap. Et mulia, §. de Cler. de vot.* cum arma illorum sint lacrymæ, & orationes; *cap. Conuenior, 23. quæst. 8. §. Quid ergo turbamini*; Glossa *in capite Continentia, vers. Ad Subdiaconatum, de Cler. perc.* Vnde Bern. *epist. 221. ad Ludou. Reg. Franc.* ait: *Profectò stabimus, & pugnabimus vsque ad mortem, si ita oportuerit, pro matre nostra armis, quibus licet, non scutis, & gladiis, sed precibus, fletibusque ad Deum.* Possunt nihilominus cum consensu saltem præsumpto suorum Superiorum hortari sæculares ad fortiter pugnandum pro defensione oppressorum, & Ecclesiæ; *cap. Omni timore, cap. Hortatu, 23. quæst. 8.* facit *cap. Fortitudo, 23. quæst. 3.* Grat. *in cap. Quicumque cit. vers. His ita respondetur.* D. Thom. *2.2. q. 40. art. 2. ad 2. & 3.* Nauarr. *in man. c. 27. num. 515.* & hoc non solùm ante conflictum, sed etiam in ipso conflictu. Molina *tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 108. vers. his non obstantibus.* Becan. *2. 2. cap. 25. q. 16. num. 4.*

10. Et possunt etiam in aliquibus casibus per se ipsos pugnare, mutilando, occidendo, &c. primò quando aliter propriam vitam saluare non possunt; vt si in naui ipsorum cum aliorum vita, vel dulcissimum, & inæstimabile bonum libertas pericliteur, secundo quando id est necessarium ad defensionem Reipublicæ, aut ciuitatis, ita vt, pugnantibus Religiosis; patria, aut ciuitas, vel exercitus conseruanda, illis verò non pugnantibus destruenda, vel captiuanda sit; tertiò quando id esset necessarium ad consecutionem iustæ victoriæ, à qua pax, & bonum commune Ecclesiæ pendet. Et in his casibus non solùm possunt, sed etiam iure naturali tenentur pugnare; Caietan. *2. 2. quæst. 40. art. 2. vers. Sunt verò aliqui*: vbi Mald. Mol. *loco cit vers. Sunt verò aliqui.* Conin. *de act. disp. 31. num. 91.* Becan. *loc. cit. num. 8.* Val. *tom. 3. disp. 3. part. 4. col. 1. ver. Secundò.* Qui aduertit, in dictis casibus licentiam non requiri; quia sicut gratia non destruit naturam, ita lex Ecclesiastica non tollit obligationem legis naturalis. Neque istis casibus in quibus licitè possunt Religiosi pugnare mutilando, & occidendo, iure naturali suadente, vllam incurrunt irregularitatem, vt bene Val. *loco cit. col. 5. vers. Sed contraria sententia*, Conin. *loco cit.* Sylu. *vers. Bellum. 3. quæst. 2.* licèt aliqui, vt Nauarr. & alij contrarium sentiant.

11. Tenentur etiam Regulares ad custodiam murorum ciuitatis tempore necessitatis, per expressum tex. *in cap. Peruenit, de imm. Eccl.* Et nulla est maior pietas, quàm patriam defendere; *cap. Fortitudo, 23. quæst. 3.* Vnde hoc casu licet etiam Ecclesias fortificare, seu incastellare, ad hoc vt illuc fugiant obsessi, & saluentur. Ita Innoc. *in cap. Cum Ecclesia, de imm. Eccl.* vbi Io. And. *num. 2.* Anchar. *in cap. Quia nonnulli, num. 5. eod. tit. in 6.*

12. Et aduerte, quòd ad defendendam ciuitatem tempore necessitatis tenentur non solùm Regulares, qui sunt naturales illius, sed etiam illi, qui in ea localiter habitant. Cum enim Religiosi per votum professionis sint exempti à iurisdictione Principum temporalium etiam naturalium, fiunt ciues illorum locorum, in quibus habitant, & comedunt panem. Atque ita docent Nauarr. *tom. 1. cons. de test. cons. 6. num. 2. & comm. 2. de Reg. num. 63. vers. Nunc quoad*; Sà *in aphor. vers. Ciuitas, num. 4.* Laz. *in comp. op.* Nauarr. *ver. Monachus, num. 5.* Graff. *tom. 2. cons. lib. 5. de pænit. cons. 2. diff. 3. num. 7.* Ricc. *4. part. prax. decis. 63. num. 5.* Bart. *in l. 1 ff. Ad municipales, num. 14. & num 13.* ait, quòd Prælatus sit ciuis illius ciuitatis, in qua habet Ecclesiam; & *num. 11.* ait, quòd non per hoc desinit esse ciuis patriæ, ex qua ducit originem. Et si vis scire, quot modis quis ciuis fiat, adi Pen. *in l. Ciues, Cod. de incolis, lib. 10.* Et aduerte hic etiam, quòd Sacerdos regularis transiens per aliquem conuentum, debet celebrare missam pro illo conuentu, in quo panem comedit, non pro eo, in quo localiter permanet. Tum ne illi sit onerosus; tum quia in nostro Ordine præsertim hospites sunt subditi illis Correctoribus, per quorum conuentus transeunt. Et ad id potest cogi ab illo Superiore, si enim est illius subditus, ei obedire tenetur.

13. Quò ad quartum, de auxilio pecuniarum. De hoc iam dixi *tom. 1. priu. in const. 2. Iulij II. num. 141.* quòd tempore necessitatis tenentur Regulares Rempublicam adiuuare de suis bonis, & contribuere ad ratam, prout alij Ciues. Et DD. ibi cit. adde Anchar. *loc. cit.* Et nota ad hoc propositum, quòd cum tempore belli inflicti huic Reipublicæ Genuensi *Anno 1625.* Ego essem Prouincialis huius Prouinciæ, obtuli dictæ Reipublicæ omnia vasa argentea, quæ erant in nostra sacristia Conuentus IESV MARIÆ, cæteraque dicti conuentus bona: & ab Illustrissimis de Palatio responsum cum gratiarum actione accepi, ea pietate dignum; qua semper est venerata res Eclesiasticas dicta Respublica, nimirùm quòd priùs erant consumenda bona Reipublicæ, deindè sæcularium, tum demum, his consumptis, quando nullum aliud suppeteret remedium, vsi fuissent bonis Ecclesiasticorum.

14. Quò ad illud de Magistratibus. Certum est, quòd ea munera non possunt obire Regulares; *cap. Eos, qui, 20. quæst. 3.* possunt tamen consilijs dictos Magistratus ita iuuare, ac si personaliter exercerent: non enim minus gerit Magistratum; qui consilio gerit, quam qui personaliter gerit, vt ait Glossa *in cap. Ex multa, ver. Inhabiles, de voto.*

15. Ad quartum, principale fateor, acquisita à Religiosis difficulter alienari, vetantibus summis Pontificibus, alienantur tamen multa diuersis ocasionibus, & prætextibus. Cæterùm rideo multum, quòd dubitetur; posse aliquando euenire, vt tantum crescant à Regularibus acquisita, quòd ærarium publicum oneribus obeundis non sit sufficiens. Nam (vt omittam, quæ possem hic dicere) præterita tempora quid futurum sit denuntiant; *cap. Scribam, de presump.* Et argumentum de præteritis ad futura validum esse, multis probat Barb. *in loco comm. verb. Argumentum num. 202.* Et argumentum ab experientia validissimum est, vt Bald. *in leg. Non ignorat, Cod. de his, qui accus. non poss.* Sed Religiones in 1630. annis tales diuitias non acquisiuerunt, fidelium charitate feruescente; ergo dicendum est, quòd neque etiam in posterum acquirent, fidelium charitate tepescente, ne frigescente dicam. Minor huius syllogismi constat experientia. Nam, prætermissis Mendicantibus, qui semper mendicantes sunt, & vix habent, vnde saturentur pane, si loquamur de Religionibus Monachorum, qui aliquas diuitias videntur habere, hos verissimum est multas olim habuisse receptas à Summis Pontificibus suarum Religionum, sed modò quas habent vix sufficiunt ad sustentationem familiæ. Quòd si qui ipsorum superabundantes habent, in pauperes dispensant, quòd in vtilitatem Reipublicæ redundant. Præterea, vt dixi *num. 13.* tempore necessitatis omnes Religiosi tenentur sua bona exponere pro communi malo à Republica arcendo. Et quòd Ecclesiasticorum diuitiæ vtiles sint sæculari politiæ, vide apud Contz. *lib. 6. pol. cap. 45. & cap. 43.* respondet ad ea, quæ contra illas



illas obiiciunt hæretici. Constat ergo ex omnibus supradictis, quod Religiosi quantumvis crescant, neque directè, neque indirectè possunt vnquam nocere Reipublicæ sæculari.

16. Poterunt tamen nocere occasionaliter, si contemnantur, & vilipendantur à viris sæcularibus: tunc enim, cum specialis hæreditas Domini sint, creaturarum omnium Creator ad iracundiam prouocabitur, & vindictam sumet de iis, qui ausi fuerint oculi sui pupillam tangere. Vnde Saluian. *lib. 8. de gub. Dei*, vt refert Rang. noster *in 1. Reg. cap. 8. vers. 7. tit. Quòd prophetarum, &c.* aiebat. *Sacrilegij quippè genus est, Dei odisse cultores; sicut enim si seruos nostros quispiam cædat, in nos seruorum nostrorum cedit iniuria; & si à quoquam filius verberaretur alienus in supplicio filij pietas paterna torqueretur; ita, & cum seruus Dei à quodam læditur, maiestas diuina violatur.* Et S. Anacl. *ep. 1.* vt refert Maucl. *de monarch. Ecclesi. tom. 1. part. 2. lib. 5. cap. 13.* ait. *Iniuria Sacerdotum ad Christum pertinet, cuius vice funguntur*: ipsomet Christo testante Luc. 16. *Qui vos spernit, me spernit*: Et 1. Reg. 8. Samuëli dictum est, *non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Et in facti contingentia pueri irridentes Prophetam Eliseum, dicendo *ascende calue, ascende calue*, lacerati sunt à duobus vrsis, & Reg. *lib. 4. cap. 2. narrat historia.* Odium enim sæcularium in Religiosos per irrisionem, per maledictionem, per sibilum, per inflationem, per extorsionem, per denegationem eorum, quæ illis debentur, per paruipensionem comprobatur, vt bene Rang. *loc. cit.* Et multorum Regnorum, & Prouinciarum ruinam ex hoc pessimo fonte ortum habuisse, docent grauissimi DD. de Afris dictus Saluian. De Gallis Fulbert. Carnot. *ep. 1. ad Abbonem Abbatem Floriacen.* vt refert Mauel. *loco cit. de Angelis* Rang. *loco cit. vers. fin.* Et faxit Deus, quòd calamitates præsentes ex eodem non originentur; nam reddet vnicuique secundùm opus suum, & iuxta, ea quæ quisque suis Religiosis fecerit, faciet illi; quia contra ipsum facta fuisse putat.

17. Dico secundò: Multa commoda, & vtilitates affert status Religiosorum sæculari politiæ; de quibus Contz. Veston. Maucl. Rang. *loco cit. sup. n. 1.* Quæ ad duo capita reduci possunt. Ad opera nimirum, & ad sermones. Quoad opera; quòd hæc multum fructum afferant Reipublicæ, docet Aug. *tom. 6. de vtil. cred. cap. 17.* opera enim non solùm necessitatis, sed, & superogationis faciunt Religiosis omnes, quibus admonent populos, & excitant ad bene viuendum: Nam cum Religiosorum, reliquorumque Christianorum finis sit acquisitio æternæ beatitudinis, & videant populi, Religiosos tot opera supererogationis facere, vt illam margaritam consequantur, inflammantur ad ea saltem facienda, quæ necessitatis sunt, vt, & ipsi eadem potiantur. Quare videntes, Religiosos tam strictam obedientiam seruare, vt ad nutum Prælati genuflectant, stent, sedeant, currant, comedant, abstineant, animantur ad obediendum impigrè maioribus suis Principibus, parentibus, &c. Et videntes, eos castitatem seruare, intra limites matrimonij se continent. Ex ipsorum paupertate colligunt, in diuitiis cor apponendum non esse, sed ex iis esse pauperibus subueniendum. Ex quartò aliquarum Religionum voto, vt vitæ quadragesimalis Minimorum, discunt frugaliter viuere, suis temporibus ieiunia seruare. Ex voto Iesuitarum eundi ad seminandum Euangelium ad simplicem voluntatem Pontificis, nullo petito viatico, in quamcumque mondi plagam, discunt nulli esse parcendum labori pro fidei dilatatione, & animarum salute procuranda. Ex voto redemptionis captiuorum docentur promptitudinem, quam debent ostendere in operibus misericordiæ exercendis. Ex voto Clericorum ministrantium infirmis deseruiendo hospitalibus, discunt erga dictos infirmos charitatem. Deindè Religiosi populis Sacramentum pœnitentiæ ministrant, & Eucharistiæ, quibus eos ex dura liberant seruitute peccati, ex manibus extrahunt diaboli, reconciliant Deo, qui sic reconciliati vitia præterita detestantur, ea recordati horrent, & in futurum abstinere, ac ad meliorem vitæ frugem redire proponunt. Quare illi Principes, qui suos populos operibus, & sermonibus hortantur ad Sacramentorum frequentiam, de seditionibus, & coniurationibus timere non debent. Si deindè loquamur magis in specie de Religiosis, qui labore manuum suarum viuunt, hi prosunt, non solùm quia nullo modo Rempublicam grauant, sed etiam quia subleuant, viliùs enim, quam alij, merces suas vendunt: Hi verò, qui contemplationi vacant corpore quidem non laborant, ait enim Arist. 8. *pol. cap. 4.* quòd *simul mente, & corpore laborare non oportet.* Laborant tamen mente, & sunt veluti custodes, qui custodiunt ciuitates die, ac nocte, easque ab hostibus visibilibus, & inuisibilibus defendunt: De his enim intelligo locum illum Esa. 62. *Super muros tuos Ierusalem constitui custodes tota die, & tota nocte in perpetuum non tacebunt.* Vnde Bernard. *hom. de duob. discip. eunt. in Emaus*, ait. *Ciuitatem custodiunt isti vigiles. Hi sunt vigiles obseruantes omni tempore custodias Domini. Hi excubant ab hostium tabernaculi. Hi sunt Oriones, & Hyades, & interiora Austri; quàm delectabile est eis interesse vigiliis, consurgunt de nocte, in principio vigiliarum suarum, vt effundant cor suum coram Domino, & oratio eorum apud Altissimum.* Hi Religiosi, qui precario viuunt frequenti eleemosynarum postulatione, sunt causa, vt deuoti sæculares eleemosynas frequenter faciant, & opera misericordiæ exerceant, iisque exercendis assuescant. Qui verò ex redditibus viuunt, hospitalitatem exercent, pauperibus erogant multa, & plus quandoque vno die, quàm integræ ciuitates, vt pauperum multi testantur.

18. Venio ad sermones, seu potius ad opera, quæ sermonibus complentur. Docent Religiosi populos in prædicationibus, in cathedris; ignorantiam, pestiferum humani generis morbum, ab hominum mente exterminare student. Infideles ad fidem conuertere satagunt; cum hæreticis verbis, scriptis, operibus quotidie dimicare non desinunt. Suis cohortationibus populos in vnione Religionis conseruant; eos in principium suorum obedientia retinent (opus omnibus politicis valde charum.) Hi docent homines Deum timere, reuereri, colere, orare, adorare, in rebus aduersis patientiam habere; proximi benefacere, inimicos diligere. Et denique nulla est virtus, quæ à Religiosis viris in populos non refundatur. Et si vis scire beneficia singularia, quæ Religiosi perticolares populo Christiano fecerunt, adi Platom *de bono statu Religio. lib. 2. cap. 30.* Et denique scias, quòd si nihil aliud facerent Religiosi, quàm Deum orare pro populis, multum in hoc illis prosunt. Valent enim solæ eorum preces, & tacita merita ad Deum humano generi conciliandum, vt dicebat Nazian. orat. 1. in Iulian. ferè in med. *Quorum lacryma peccati diluuium, & mundi piamentum, quorum extenta inter precandum manus flammas extinguunt; feras consopiunt; gladiorum aciem retundunt, instructas acies in fugam vertunt.* Et Euseb. Cæsar. lib. 1. Euang. demonst. cap. 8. *Qui hunc modum amplexi sunt*, ait, *quasi ab hac mortali vita seiuncti, ipsumque dumtaxat corpus in terra gerentes, cogitatione verò, atque animo in cœlo degentes, quasi quidam cælites, reliquorum hominum vitam despiciunt: quippè qui pro vniuerso genere supremò omnium Deo sacrati sint.* Et paucis interpositis. *Quibus rebus diuinitatem ipsam placantes, suum, & pro se ipsis, & pro aliis, qui eiusdem sint generis, administrant sacerdotium.* Et Homer. vt refert Vulater. *lib. 29. de suppl.*

Namque preces summi famula Iouis esse feruntur.
At spreta innumeros luctus, ac damna precantur.

Et vt politicis, qui vt crassioribus ingenij crassa solùm,

lùm, & mundana respiciunt, in parte etiam satisfaciamus, versent hi parùm cogitatione, & mente quot nobilium familiæ, mediantibus Religionibus, conseruentur; quæ sine illis, paupertate adactæ, nobilitatem perdidissent quantos equestres viros aiunt Religiones, qui sine illis pedissequi fuissent? non enim omnes ad militiam, & nauticam apti.

CAPVT IV.

De varijs Superioribus Regularium, eorumque duratione.

VIdeatur pro hoc cap. Azot. *tom. 1. instit. moral. lib.* 13. *cap.* 11. Rodriguez *tom.* 1. *quæst. regul. quæst.* 12. *art.* 5. *& quæst.* 16. *art.* 2 Cord. *in reg. Minor. cap.* 8. *quæst.* 1. vbi Polit. Suar. *tom* 4. *de relig tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 2. *&* 7. Miranda *tom.* 2. *man. quæst.* 6. *art.* 5. Castellinus *de elect. cap.* 19. Tambur. *de iur. Abb. disp* 11 *quæsito* 2.

2. Supponendum ex dictis sup. *cap.* 1. *num.* 2. *& tom* 1. *huius op. quæst.* 1. *cap.* 3. quòd in Religionibus necessarij sunt Prælati ad eas regendas, & conseruandas Et his, quæ ibi ad id probandum attuli, adde Chrysost. *hom.* 34. *in ep. ad Heb. in princ.* vbi ait. *Malum quidem est. vbi nullus est principatus, & multarum cladium hac res existit occasio, & confusionis est, turbationumque principium. Sicut enim si ex choro ipsum coriphaeum auferas, nequaquam modulatus chorus, vel ordinatus existit. & phalanx militum, si ducem non habeat, nullo modo numero acies illa, vel ordine praecedit, & nauis, si gubernatore priuetur, pessum eat necesse est, sic & gregi, si pastorem abstuleris, cunctus dispergitur, & peribit. Malum igitur est vbi nullus est principatus, subuersionis, quippè hoc est argumentum.* Vide Suarez *loco cit. cap.* 1. *num.* 1.

3. Dico 1. Superiores Religionum Mendicantium communiter sunt in triplici differentia, vt Suarez *loco cit.* Aliqui enim sunt supremi, qui vocantur Generales, & præsunt toti Religioni, seu Congregationi; ita vt supra se in eis nullum alium Superiorem agnoscant, dum rectè suum officium administrant, nisi capitulum generale; & habent immediatam iurisdictionem in omnes Religiosos sibi subiectos, etiam in Prælatos, medios, & infimos, secundùm magis, & minus, pro Religionum diuersitate. Alij sunt Prælati medij, qui vocantur Prouinciales, seu Ministri, & isti, præsunt certæ alicui Prouinciæ, & in sua Prouincia nullum Superiorem recognoscunt, dum rectè officium administrant; subduntur tamen immediatè Generali, & habent immediatam iurisdictionem in omnes Religiosos suæ Prouinciæ. Monachi verò istos Prælatos medios non agnoscunt, licèt habeant supremum, quem Abbatem generalem vocant, & infimum, quem Abbatem simpliciter. Alij sunt Prælati infimi, qui Priores, Guardiani, Rectores, Præpositi, Correctores vocantur, & isti præsunt vni alicui conuentui, in quo nullum alium Superiorem recognoscunt, subduntur tamen immediatè iurisdictioni Prouincialium, & Generalium, & habent immediatam iurisdictionem in solos fratres suorum conuentuum. Omnes dicti Prælati habent iurisdictionem ordinariam, tum spiritualem, tum temporalem in suos subditos, vt dixi *tom.* 1. *priu. in const. Pyrrhi, num.* 11. & docet Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 1 *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 7. quæ iurisdictio est quasi Episcopalis, vt dixi *tom.* 2. *priu. cit. num.* 46. & docent Tambur. *de iur. Abb. tom.* 1. *disput.* 2. *quæstion.* 4. *num.* 2. & Suarez *loco cit. num.* 9. qui à *num.* 10. probat, hanc iurisdictionem habere etiam Superiores locales, qui consentit Sanchez 2. *in decisione capit.* 11. *num.* 7. Quod tamen in Ordine nostro non videtur procedere; non enim absoluunt nostri Correctores à casibus reseruatis, nisi specialiter à Prouincialibus, vel Generalibus deputentur, vt patet ex Correct. *n.* 86. Nec possunt confessores Fratribus deputare, *ibid. n.* 85. nec Prædicatores instituere, *n.* 79. nec possunt concedere literas commendatitias ad Sacerdotium suscipiendum, *num.* 77. nec etiam ad alios ordines, sine licentia capituli, *numero* 78. Nec possunt multa alia facere, quæ ordinaria potestate faciunt Episcopi, & reliqui superiores Prælati. Sed his non obstantibus, adhuc censet Suarez *numero* 13. *&* 14. Quòd dicti Superiores locales etiam in Ordine nostro, vt ex eius doctrina colligitur, habeant iurisdictionem quasi Episcopalem, cum habeant potestatem excommunicandi, præcipiendi, absoluendi, à casibus etiam Papalibus, vt probo *tom.* 1. *nost. priu. in const.* 4. *Syxti IV. num.* 25. *&* 26. Vnde etiam potest concedi, quòd dictam iurisdictionem quasi Episcopalem habeant, sed magis limitatam, quàm Prouinciales; quòd non est mirum, cum etiam ipsi Prouinciales dictam iurisdictionem habent magis adhoc limitatam, quàm Generales, vt dicit Suarez *num.* 14. & constat ex iis, quæ dixi *tom.* 1. *huius op. quæst.* 1. *cap.* 21. §. 2. *concl.* 1.

4. Dico 2. Generalis Ordinis Prædicatorum est perpetuus, Azot. *tom.* 1. *lib.* 13. *cap.* 11. *quæst.* 8. patet ex const. dicti Ordinis de quibus Festus *part.* 3. *cap.* 24. Perpetuus similiter est Generalis Iesuitarum; vt Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 3. *lib.* 10. *cap.* 2. *num.* 2. Item Generalem perpetuum habent Carthusiani, vt dicit Nauarr. *comm.* 3. *de Reg. num.* 3. *vers. Tertiò per imitationem*; & Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 4.

5. Dico 3. multæ Religiones Generalem perpetuum habebant, quem tamen processu temporis temporaneum reddiderunt Ita *Perez de Religione Monachorum in cap.* 84. *Reg. S. Bened. num.* 9. vbi ait, quòd S. Bened. instituit Abbatias perpetuas; *quas tamen ob grauissima incommoda, diu est, quòd Religio reiecit, approbante Romana Sede, & omni Religione annuente.* Et de Congregatione Vallis vmbrosæ Tambur. *de iur. Abb. tom.* 1. *disp.* 12. *quæst.* 2. *num.* 7. Et de Ordine Carmelitarum dicit Thom. à Iesv *in expos. sua Reg. part.* 3. *cap.* 1. super illis verbis. *Qui ex vnanimi*, quòd Prior generalis per totius vitæ spatium perdurabat; nunc autem solùm per sexennium, iuxta const. Clem. VIII. apud Cherub. *tom.* 3. *bull. in const.* 25. §. 11. *pag.* 32. Dicit tamen Castell. *de elect. cap.* 19. *pag. mihi* 406. *ex cap.* 10. *const. Discalceatorum*, de quibus loquitur dicta const. Clem. quòd officium Generalis non durat nisi per triennium, sed hoc triennium est solùm pro Congregatione Italiæ, & illud sexennium est pro Congregatione Hispaniæ. Monachi S. Basilij, S. Augustini licèt ex eorum Regulis Generales haberent perpetuos, vt Miranda *tom.* 2. *man. quæst.* 6. *art.* 6. *vers. Sed propterea.* Nauarr. *lib.* 3. *cons. de stat. Monach. cons.* 7. *num.* 8. illi tamen nunc habent triennalem, vt constat, *ex const.* 58. *Gregorij XIII.* Benedictus, §. 10. *tom.* 2. *bull pag.* 434. Isti verò, idest Augustiniani, habent sexennalem, vt constat *ex constitutione* 5. *Pauli V. Prouisionis*, §. 2. *tom.* 3. *bull. in append. pag.* 60. *ex const.* 2. *Syxti V. Exigit, in bull. Eremit. S. Augustini impresso Romæ Anno* 1628. vbi §. 1. dicitur, quòd Generales illius Ordinis ab immemorabili tempore fuerunt perpetui, & §. 3. illum reducit ad sexennium. Fratres Minores perpetuum habebant Generalem, vt colligitur ex eorum Regula, *cap.* 8. & ibi id dicit Corduba *quæst.* 1. & Polit. *num.* 7 & Miranda *tom.* 2 *man. quæst.* 6. *art.* 5. Sed nunc non durat nisi per sexennium, vt dicit idem Miran. ibi *art.* 1. *concl.* 3. & Rodriquez *tom.* 1. *quæst. reg. quæst.* 16. *art.* 2. Sigismund. *de elect. part.* 3. *cap.* 1. *dub.* 101. cum dixisset Generalem Minorum priùs fuisse perpetuum, subdit, factam esse temporalem à summis Pontificibus,

pie motis rationabilibus de causis. Cruciferi olim Generalem perpetuum habebant, nunc verò habent triennalem, vt dicit Azor. *tom. 1. lib. 13. cap. 11. quæst. 8. vers. Cruciferi*, & constat *ex const. 59. Pij V. Nihil in Ecclesia, tom. 2. bull. pag. 255.* in cuius §. 5. dicitur. *Vnde cum huius frugifera disciplina cultum iam perderi, ac labescere conspiceretur, pia mem. Innocentij Papa VIII. procurante Priori Generali, & Definitoribus dicti Ordinis, bene, ac prouidenter statuit, vt ipse Generalis, ac cæteri omnes Priores, &c. deinceps non ad vitam, sed ad triennium dumtaxat assumeretur.* Fratres Trinitarij Generalem perpetuum habebant, vt Azor. *loc. cit. vers. Hic est ordo*; sed nunc Reformati eiusdem Ordinis ad sexennium reduxerunt, Castell. *de elect. cap. 19. pag. 409.* Mercenarij olim perpetuum Generalem habebant, nunc ad sexennium reduxerunt, Azor. *loco cit. vers. Ipso Anno.* Seruitæ olim perpetuum habebant Generalem, nunc ad triennium reduxerunt. Azor. *loco cit. vers. sexdecim annis*: sed Castell. *loco cit. pag. 407.* ex constitutionibus ipsorum dicit durare ad sexennium; potest esse quòd fuerit extensus. Item perpetuum habebant Cistercienses, vt Tambur. *de iur. Abb. tom. 1. disp. 12. quæst. 2. num. 1.* sed post reform. Gregorij XIII. triennalis factus est in Italia, & in Hispania, vt Castell. *ex cap. 12. const. dicti Ordinis pag. 384.* item perpetuum Generalem habebant Clerici ministrantes infirmis, vt patet *ex constit. 17. Gregorij XIV. illius, §. 5. tom. 2. bull. fol. 706.* sed ad sexennium reductus est *per const. Clem. VIII. datam Romæ Anno 1600. die 28. Decembris* in qua illius Ordinis Regula reformatur, & approbatur cum derogatione dictæ constitutionis Gregorij XIV. Item perpetuum Generalem habebant Clerici regulares minores, vt constat *ex const. 81. Sixti V. Sacra Religionis, §. 3. tom. 2. bull. pag. 629.* Sed nunc habent sexennalem. Item perpetuum habebant Armeni S. Bartholemæi Genuæ, sed à tempore Sixti IV. ad triennalem reduxerunt.

6. Dico 4. Reliquæ omnes Religiones habent Generalem temporalem, & fortè ex primæua institutione Canonici reg. S. Saluatoris habent triennalem, vt constat *ex const. 98. Sixti V. Ex varietate tom. 2. bull. pag. 668.* Canonici regulares Later. triennalem, *ex const. 14. Pauli V. §. 5. Pastoralis, tom. 3. bull. pag. 193.* Eremitæ Congregationis Petri de Pisis Ordinis S. Hier. triennalem, *ex const. 13. Sixti IV. §. 7. & 12. Sedes Apostolica, tom. 1. bull. pag. 361.* Fratres S. Ambrosij ad nemus, quibus vniti sunt per Sixtum V. vt constat *ex const. 15. Pauli V. Pastoralis, tom. 3 bull. pag. 195.* Fratres Congregationis S. Barnabæ, alias Societatis Fratrum Apostolorum pauperia vitæ, vt per *const. 3. Alex. VI. Pia vita, tom. 1 bull. pag. 393.* habent Generalem triennalem, vt per *const. 22. Eugenij IV. §. 4. Regimini tom. 1. bull. pag. 291.* Camaldulenses triennalem; Castell. *de elect cap. 19. pag. 375.* Item Reformati eiusdem Ordinis; dictus Castell. *pag. 382.* licèt prius solùm annualem haberent, vt *ex const. 2. Leonis X. Etsi à summo, §. 88. & 90. tom. 1. bull. pag. 468.* Fratres S. Hieronymi Fesulani olim Generalem annualem habebant, vt per *const. 21. Eugenij IV. §. 4. & 7. Super gregem, tom. 1. bull. pag. 290.* Sed modò redactus est, vt audio, ad triennium. Cassinenses quinquennalem; Castell *pag. 366.* Clerici, qui Theatini dicuntur, triennalem, per *const. 11. Clem. VIII. § 1. Exponi tom. 1. bull. pag. 576. & ex part. 3.* Suar. *const. cap. 7.* Minimi Generalem habebant triennalem, ex Reg. *num. 15.* sed crescente Religione, cum non posset tam breui spatio totam Religionem visitare, factus est sexennalis, vt constat *ex const. 4 Pauli V. Cum sicut, in tom. 2. nostr. priu. pag. 311.* Clerici de Somascha triennalem. Clerici piarum scholarum, seu Congregationis Matris Dei approbati, vt audio, à Gregorio XV. primum Generalem habuerunt nouennalem, alios deindè perpetuos. De istis Clericis habes duas const. *in tom. 3. bull.* vna est Pauli V. *Inter pastorales, pag. 316.* altera Clem. VIII. *Ex quo diuina, in append. eiusd. bull. pag. 45.*

§. I.

An expediat Generales esse perpetuos.

7. Videri potest pro hoc § D. Thom. *lib. 4. de reg. cap. 7. & 8* Chauass *de perf. prad. lib. 2. cap. 5. §. 4.* Scrib. *in pol. christ. lib. 1. cap. 30.* Canonh. *quæst. in Tacit. vtrum Magistratus perpetui esse debeant pag. mihi 268.* Lips. *exemp. pol. lib. 2. cap. 9. monit. 3. quæst. An curias, &c.* Contz. *lib. 7. pol. cap. 10.* Maluet. *in Tacit. disc. vlt. in terminis.* Nauarr. *comm. 3. de Reg. num. 3. & lib. 3. cons. de stat. Monach. cons. 7. num. 8.* Cord. *in Reg. Min. quæst. 3. introd. verb. Sicut & alia:* Mir. *tom. 2. man. quæst. 6. art. 6.* Suarez *tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. cap. 7. & tract. 3. lib. 10. cap. 2.* Castel. *de elect. cap. 20. num. 8. vers. Quinta propositio.* Azor. *tom. 1. lib 12. cap 20. quæst. 21.* Rodriquez *tom. 1. quæst. reg. q. 16. art. 1* Sarton *in ciu. Resp. reg. consid. 176.* Tamb. *tom. 1. de iur. Abb. disp. 22. q. 3.*

8. Expedire Generales, & capita Ordinum regularium omnium perpetuo durare, mordicus defendit Nauarr. *loco cit.* vehementer desiderans, vt qui temporalea sunt, ad perpetuitatem reducantur. Nauarr. sequuntur Rodriquez Azor. Mir. Castell. illius tantummodo dictis inhærendo. Nauarr. doctrinam ampliat, & sequitur Suarez. Quæ tamen mihi subtiliùs trutinanda est.

9. Primò igitur probat Nauar. cum Prælati temporales à subditis pendeant, iisque indigeant, eos timent. *Humani enim moris est illum vereri, cuius iudicio, & voluntate nunc erigitur, nunc deprimitur*, vt dicitur *in cap. Visis, 16. quæst. 2.* vnde vis Prælatiæ minuitur, cum non possint in subditos liberè auctoritatem exercere, nec eos pro meritis punire.

10. 2. Quia ex hac vicissitudine multa oriuntur vitia, & in primis ambitio Religionis pestis, quæ Religiosorum oculos excæcat, ne suis status obligationem agnoscant, vt dicitur *in cap. Quorumdam, de elect in 6.* ex qua subsequitur eneruatio disciplinæ; electi enim electoribus promittunt impunitates, priuilegia, gratias, &c. sequuntur deindè conuentiones simoniacæ, quibus alij aliis promittunt suum fauorem futuris trienniis, vt in præsenti faueant; contra *cap. Quam pio, 1. quæst. 2. cap. Pactiones, & de pact.* Oriuntur etiam subornationes, & collusiones, quibus alij sibi, vel aliis suffragia in futurum procurant. Insuper factiones, dissidia, susurrationes, murmurationes, detractiones, dum alij aliorum veros defectus, & vitia, tum naturæ, tum morum detegunt, & augent, alij falsos imponunt, quò factionis contrariæ personarum opinionem bonam tollant, vel minuant. Insuper electi in suos suffragatores saltem pro primo anno in gratiam suffragationis omnes gratias, & priuilegia conferunt, nec eis ingratum quidpiam iubere possunt, nec punire, si delinquant, eos verò, qui sibi aduersari sunt, crudeliter insequuntur, puniunt, corrigunt, inquietant, nec vllam occasionem eos molestandi prætermittunt.

11. 3. Quia ex ista temporalitate nascitur, negligentia gerendi, conseruandi, & augendi temporalia, quoad redditus reddendos vltra suum triennium, biennium, vel annum; immò, & defendendi, & recuperandi illa, quæ redditus sui triennij augere non possunt, & impensis litium diminuuntur.

12. 4. Quia Patriarchæ Regularum Institutores Generales perpetuos instituerunt: & Ecclesiæ Prælati perpetui sunt.

13. 5. Quia nonum hoc inuentum Generalatus temporanei ea solùm ratione nititur, quòd perpetui

fi equenter

frequenter nimium absolutè gubernant, & redditus temporales in vanos, & extraneos vsus conuertunt; partè, & auarè in monachos, & Ecclesiarum, & monasteriorum ornamenta impendunt. At de duobus malis minus est eligendum, & tolerandum, *cap.1. dist* 13 Ergo hæc parua temporalia sunt potiùs toleranda, quàm tot temporalia, spiritualia, quæ ex Prælatis temporaneis consequuntur.

14. Confirmat hæc omnia Nau. 1. exemplo Tiberij Cæsaris, qui, vt est apud Suet. in eius vita tardissimè, aut nunquam Rectores Prouinciarum mutabat. Vnde Tacit. 1. *ann.fin.* ait. *Id quoque morum Tiberij fuit continuare imperia, ac plerosque ad finem vitæ in iisdem exercitibus, aut iurisdictionibus habere*; secundo confirmat exemplo Dominicanorum, & Iesuitarum, quorum Generales perpetui sunt, & concludit *dicto comm.* 3. quòd licèt temporanei Generales in Ordinibus Mendicantium possint vtcumque tolerari, quia illorum præfecturæ non sunt multum concupiscibiles, tamen in Ordinibus Monachorum omnino expedit esse perpetuos, tertiò supradicta omnia confirmat *de statu Monach. cit* & testatur tanquam annosus rest s, & consultor, ad quem innumera peccata pro remedio occasione dictarum temporalium præfecturarum delata sunt, quod si posset absque scandalo, restitueret statum antiquum Generalium perpetuorum.

15. 6. Probatur sententia. Nauar. quia maiori alacritate suscipitur munus, & diligentiori cura exercetur, in quo quis est perpetuo perseueraturus; quiescit enim in eo, delectatur, & tanquam res propria curatur, nam non amatur, quod propter se non amatur: vnde Arist. 2. pol, cap. 3. *est*, inquit, *sanè inenarrabile, quantum intersit ad voluptatem considerare aliquid esse proprium sui; non enim frustra quisque ad se ipsum amicitiam habet, est verò id naturale.*

16. 7. Quia longa experientia multum confert ad magnam prouidentiam, & gubernationem: quæ experientia carent gubernia temporalia; quando enim tales gubernatores experientiam habere incipiunt, tunc officia deficiunt; nec de rebus perpetuis ad modum curant; contenti, vt sit pax in diebus suis. Vnde Socrates *in Nicocle* aiebat, vt referunt. *Qui magistratus per vices annorum subeunt, priùs fiunt iterum priuati, quàm Reipublicæ negotia cognascant, eorumque sibi experientiam comparent; qui verò iisdem semper officiis funguntur, licèt ingenij fuerint inferioris, experientia tamen, vsuque rerum longè cæteris præferendi sunt.* Et Dio l. 2. in or. Mæcen. *Annui*, inquit, *illi magistratus, ac pauco tempore circumscripti, hoc habent, vt cum quis aliquid in iis addidicerit, priùs decedat, quàm eius specimen exhibere possit.* Et vt ait ex Arist. D. Thom. lib. 4. de regim. cap. 7. *Experientia facit artem, & inexperientia casum, & scientia rei militaris nutrit audaciam, nemo enim facere metuit, quòd bene se didicisse confidit.*

17. 8. Idem probatur exemplo rerum naturalium; videmus enim in terra, quòd partes eius eodem modo semper se habent, vt contingit in mineris, quia minera auri in eadem parte terræ semper generat aurum, & minera argenti argentum. Vnde *Iob.* 28 dicitur. *habet argentum venarũ suarũ principia, & auro locus est, in quo conflatur.*

18. 9. Superiores temporales monasteriorum bona auidissimè deuorant tanquam lupi vespertini, scientes quia modicum tempus habent Vnde Galbæ ministri in Imperatoris senecta pecus deglubere satagebant, dicente Tacito 1. hist. *Iam afferebant venalia cuncta præpotentes liberti: seruorum manus subitis auida, & tanquam apud senem festinantes.*

19. 10. Probatur ex Scriptura Sacra *Exodi* 18. vbi dicitur, *Constitue ex eis Tribunos, qui iudicent populum omni tempore.*

20. Dicendum tamen mihi videtur, statui Regularium magis expedire Generales temporaneos, quàm perpetuos. Pro hac sententia affero D. Thom. *lib. 3. de regim. Princ. c. 4. &* 8. Canonh. Scriban. & in terminis Sarton. *locis cit. num. 6.*

21. Probatur 1. ex Scriptura Sacra 1. *Machab.* 8. vbi approbatur annualis electio Romanorum magistratuum. *Et committunt vni homini magistratum suum per singulos annos dominari vniuersæ terræ, & omnes obediunt vni, & non est inuidia, neque zelus inter eos* Super quem locum dicit Glossa, quòd, durante in Republica Romana tali magistratuum electione, creuit in illud augmentum, quo populis omnibus dominata est. Et D. Thom. *loco cit.* dicit, quòd causa talis electionis annuæ fuit, vt electus *non insolens diu maneret, & moderatio citò succurreret.* Quòd priùs dixerat Eutrop. lib. 1. hist. *Et placuit ne imperium longius, quàm annum haberent; ne per diuturnitatem potestatis insolentiores redderentur, sed ciuiles semper essent qui se post annum scirent futuros esse priuatos* Ex quibus collige tres bonos affectos Prælationum temporalium. Primus est cessatio inuidiæ, & zeli; vnde etiam D. Th. subdit, *distribuere personis idoneis magistratus, causa est maioris pacis in ciuitate, & in politia quacumque.* Secundus est augmentum Reipublicæ, antecessoris enim gloria acuit successoris ingenium ad meliora patranda, illius pericula hunc cautum reddunt, & ab his, quæ illum exosum reddiderunt, hic prudenter abstinet; docet namque qui præest sequentes iter. Tertius est modestia in regimine, quis enim, nisi stultus; insolescat imperans, cum statim parere cogatur; qui non modestè imperet cum statim sit ea metiendus mensura; qua alios fuerit metitus? quis vir honestus ea perpetret mala, quæ statim toto tempore vitæ suæ sibi priuato sunt ab omnibus exprobranda.

22. 2. Probatur. Nam vel dignitates sunt honores, vel onera, Si primum, eis priuare viros sapientes, & prudentes iniustum est. Si secundum æqualiter etiam distribuenda æqualibus, ne vnus tanto onere pressus succumbat.

23. 3. Cum virum ostendat magistet, contingit aliquando, vt vir virtuosus eligatur, qui deindè, vi dominationis impulsus, in alterum virum mutetur vitiosum, & sceleratum, vt de Saüle 1. *Reg* testatur Scriptura *à capite* 15. qui difficulter ad tempus sustineri poterit, & durissimum est in perpetuum. Vnde Arist. 1. *pol. cap. 2. sic* ait: *Perfectione suscepta, optimum cunctorum animalium est homo. Si autem alienus sint à lege, iudiciis, pessimum est omnium animalium sæuissima est enim iniustitia tenens arma.*

24. 4 Quidam sunt naturaliter ad subiectionem dispositi, & ad regimen minùs valent, & è conuerso; vt dicit D. Thom. *de regim. lib. 4. c. 7.* & Arist. 1. *pol. cap.* 8. Ergo qui est bonus subditus, assumptus est malè regens; & si perpetuetur cum principatu, est causa scissuræ in ciuitate.

25. 5. Appetitus honoris inest naturaliter homini, vnde Val. Max. vt refert D Thoma *loco cit.* ait. *Nulla est tanta humilitas, quæ hac dulcedine non tangatur.* Et Oleast. *Gen.* 2. ait, quòd Deus non est passus, aliquem suorum monarchiæ mundi oblatione tentari, præter Christum. Et reddit rationem, *quia enim nouerat, neminem, nisi Christum victorem euasurum ex præsentata mundi monarchia, eum solum voluit illa tentari.* Et Pius II. *in descrip. Europ. cap.* 9 ait. *Auarissima honoris humana mens facilius opes, quàm gloriam partitur* Hincque sequitur, quòd homo est superioris impatiens, dare ergo Prælaturam vni soli, est causa seditionis, & tumultus; cum præsertim *diuturniora imperia*, vt ait Dio. loco cit. lib. 52. *multos ad fastum, ac tentandas res nouas extollant.* Concludit ergo D. Thom. quòd *laudabilis est politia in qua secundum merita vnicuique ciui vicissim distribuuntur honores, vt antiqui fecerunt Romani; quam etiam Philosophis magis commendat.*

26. 6. Quia cum omnia senescant tempore, regimina etiam senescere oportet, vt ait Arist. 2. pol. cap. 7. *Est enim vt corporis, sic etiam ciuitatis senectus.* Et sic

regentium vitalis ætatis senium senescens regimen comitatur: quare tepidiores, remissiores, segniorésque fiunt Prælati perpetui, & assidua iustitiæ tractatione minus eius reuerentes; quotidianum enim opus cum tædio, & fastidio vsurpatur.

27.7. Corruptelæ in perpetuis gubernationibus facilè obrepunt. Et quibus ex diuturnitate securitas adest, facile aures, & manus iis laxant, munera accipiendo, omnia in vsum proprium conuertendo, ea amicis, & cognatis largiendo; & væ, & iterum væ illi, qui auderet aperire contra os suum. Ex quibus incommoda grauissima, etiam spiritualia oriuntur, non solùm pro Prælatis ipsis, sed etiã pro subditis: munerum largitiones, simoniæ, subditorum odia, detractiones, murmurationes, &c. Nec facilè possunt vitari; Quæ enim non facit malus Prælatus perpetuus, vt se conseruet? Quas non tyrannides exercet? Quas non iniustitias? Quas non virtuosorum depressiones? Quas non vitiosorum, & facinorosorum hominum exaltationes? Quas non pecunias emungit? conuentus expilat, monachos expoliat, vt eos corrumpat, qui suæ perpetuitati fauere possunt: Et quos non excœcat, insurdescit, & consopit pecunia? Quid nunc ea non obtinetur in curiis.

28 8. Plus potest destruere malus Prælatus perpetuus, & quò ad temporalia, & quò ad spiritualia, quàm centum temporales. Et probo. Quia si vnus temporalium destruit, statim alter ædificat, nec potest tantum vnus destruere, quin statim possit alter ædificare, febris enim, quantumvis grauis, si interpolet, periculo carere designat, dicunt Medici. At continuatio Prælati mali omnia eradicat genimina, cum febris continua occidat. Nam ponamus, quòd Prælatus malus perpetuus viuat 20. annos in Prælatura, qui eo tempore ad Religionem recipientur, quomodo viuent? certè tales subditi, quales Prælati; à boue enim maiori discit arare minor.

Vnaque conspecta liuorem ducit ab vna.
Cum spectant læsos oculi læduntur; & ipsi.

Ergo cum isti iniquitatem biberint in iuuentute, ex qua diligentia, & studium incipit peccandi; cum per spatium dictorum annorum ita relaxatè vixerint, nonne in criminibus gloriabuntur? quis deindè Prælatus, quantumvis bonus, hos reformabit, retinebit, disciplinatè viuere coget? quis eos subiugabit? certè indurata virga rumpitur potiùs, quàm flectatur, & relaxata Religio reformari nequaquam potest: vbi bene dicunt aliqui, quòd faciliùs Religio de nouo fundatur, quàm relaxata restituatur. At iniquis, non viuunt pro suo arbitratu Prælati perpetui, sed secundùm leges, quarum si præuaricatores extiterint, absoluuntur. Sed de hoc iam dixi *de num. præced.* Nec sunt ita stulti Prælati mali, vt vno ictu, velint Religionem relaxare, magistro eorum diabolo tecnæ, nec astus desunt, quæ illos doceat: & callidus serpens paulatim serpit.

29. 9. Vbi Prælati sunt perpetui, perpetuæ sunt persecutiones, nec eas terminat, nisi tunc fausta mors; & semper sunt pauperes, qui semel sunt pauperes. *Hoc enim habent pessimum animi magna fortuna insolentes, quos læserunt, oderunt.* Nec sperandum est, quòd vnquam reconciliari omninò possint, nam dicunt, quòd amico reconciliato nulla est adhibenda fides; quod tamen esse falsum, si verè, & ex corde, ac à multo tempore facta sit reconciliatio, conuincit auctoritas Hieron. 1. *contra Ruff.* vbi ait. *Ego cùm omnes amicitias tuendas semper putaui summa religione, & fide, tum eas maximè, quæ essent ex inimicitiis reuocatæ in gratiam.* Et habent semper in ore illud Ecclesiastici 12. *Non credas inimico tuo in æternum, & si humiliatus vadat curuus, adiice animum tuum, & custodi te ab illo.* In temporaneis autem Prælaturis hoc non contingit in Prælatis prudentibus, qui semper non se imperaturos recordantur: quod inculcabat Agatho Rex Magistratibus, vt refert Stob. *serm.* 43. Insipientes autem si id non recordentur, spe finis faciliùs tolerantur, nec ad desperationem adducunt.

30. 10. Perpetuitate dominij superbiunt homines, vt liberas Religiones suas esse proprias, & hæreditarias existiment, nihilque Religionis corpus faciant, & non tanquam partes se gerant, sed tanquam Domini contra dictum Apostoli 1. Pet. 5. *non dominantes in cleris.* Vnde Tac. lib. 2. ano. ait, *superbire homines etiam annui magistratus designatione, quid si honorem per quinquennium agitent?* Et Patrit. lib. 1. de Repub. tit. 6. *Profinitum tempus magistratus habere debent, nam perpetuo imperare in libera ciuitate odiosum est: parere enim, vt imperare d sciat, optimo ciui expedit*; vt nimirum compati sciat necessitatibus, & infirmitatibus subditorum, tanquam qui ea olim fuit expertus, & iterum experietur.

31. 11. Ex Arist. 2. *pol. cap.* 3. vbi confutans sententiam Socratis magistratus perpetuos admittentis, ait, *periculosa est insuper magistratuum constitutio, quam sic facit Socrates, vt semper sint iidem.* Et cap. 7. ait, *senatorum quoque potestas non rectè apud illos constituta est, nam quòd sint viri boni, ac sufficienter ad virtutem eruditi, dicet forsitan aliquis ciuitati conducere, enimuero quòd per omnem vitam magis de rebus decernendis potestatem habeant, periculosum est.* Et narrat Dio *lib.* 60 quòd cum Carthagine magistratus vitales essent, petente Annibale annuales facti sunt, & refert Liu. *lib.* 3. quòd instante Æmilio Mamerco Dictatore, Censura, quæ per quinquennium durabat, ad Menses 18. redacta est à populo, quo facto, ipse Mamercus sequenti die Dictaturæ cessit, eam reddens rationem. *Vt sciatis, quàm mihi diuturna imperia placeant.* Et Platonem magistratus perpetuos abhorruisse, docet Iauell. *tom* 2. *super. oper. Epit. in pol. Platon. tract.* 7. 2. *cap* 2. *col.* 3. & addit, in hoc non se bene gessisse Aristotelem erga præceptorem suum.

32. 12. Probatur exemplo Caroli V. Imperatoris, de quo Scrib. 1. *pol. Christ. cap.* 30. ait, quòd dedit consilium Philippo filio, ne gubernationes magnas diu sub vno capite pateretur. Patet exemplo omnium Religionum, tribus, aut quatuor exceptis, vt constat ex *num.* 4. 5. & 6. & *ex num. quinto* constat, multas Religiones, quæ Generalem perpetuum habebant, eum temporalem reddidisse, ob incommoda, quæ ex tali perpetuitate patiebantur; immò quæ ex antiquis Religionibus relaxatis perpetuum Generalem habentibus reformatæ sunt, in temporalem reformauerunt, vt constat *ex dicto num.* 5. non constat autem aliquam Religionem, quæ habuerit ex sua primæua institutione Generalem temporaneum, eum ad perpetuitatem reduxisse.

33. 13. Quia perpetuitate tollitur occasio talentum sibi concreditum exercendi, & acquirendi experientiam gubernandi. Alij etiam non curant ea merita acquirere, quæ ad regimen, ad quod aspirare diffidunt, sunt necessaria. Multi etiam ex hoc non ita disciplinatè viuunt, sicut si ad tale officium possent ascendere, *vitium enim aliquando vitio tollitur*, vt ait Aug. *Epist.* 29. *col.* 4. Vnde fit, vt his omnibus bonis priuetur Religio. Quod considerantes nobiles Romani, pueros suos docebant, vt apud Valer. aliquando legi, vt honores appeterent, cum enim ad honores non eleuarentur, nisi viri probi, probos hoc solo honoris stimulo eos reddebant, quod non contigisset, si honores appetere non licuisset.

34. 14. Quia vt plurimum in istis electionibus perpetuis parum remanet libertatis electoribus, ingerunt enim se in iis principes magni, & Magnates quique, ad hoc vt aliquis sibi, vel suis charus assumatur, & hoc vel per sordes, vt plurimum, vel per sanguinem. Ad quod potest facere, quod ait Liu. 4. *libertatis magna custodia est, si magna imperia diuturna esse non sinas.*

35. 15. Quia talis continuatio honorum vetatur in iure ciuili, vbi *lib.* 10. *Cod. tit.* 40. habetur *tit. De muneribus,*

ribus, & honoribus non continuandis. Et in lege Honor. §.gerendorum, ff. de mun. & hon. dicitur. Neque continuate quispiam honores potest.

36. 16. Denique Prælati perpetui ingenerant in ambitiosorum mentibus perpetua sui interitus desideria; nec solùm in ambitiosis, sed etiam in nouitatum amicis, quorum numerus est infinitus. Et quandoque desideriis additur aliquid aliud.

37. Ad argumenta allata pro prima sententia primò concedo, quòd vbique sunt angustiæ, & si Africa plorat non ridet Italia; vt est commune in rebus istis moralibus, & politicis; longè tamen minora incommoda cerno in Prælatis temporalibus, quam in perpetuis, vt considerabanti omnia supradicta, & infra dicenda patebit. In particulari autem ad 1. Respondeo 1. illud argumentum etiam procedere in Superioribus perpetuis, nam, & ipsi eliguntur eo modo, & ab iis, à quibus eliguntur temporales, & correctioni electorum subiacent, si delinquant; nullus est enim Generalis, siue Dominicorum, siue Iesuitarum, &c. qui à Religione, quæ illum eligit, deponi non possit, si delicta id exigant 2. Respondeo illud dictum intelligi de iis, qui eliguntur, & deponuntur ad nutum, & simpliciter voluntatem aliquorum, quales sunt Vicarij, & Capellani, qui instituuntur, & destituuntur ad nutum, & voluntatem, etiam sine aliqua causa rationabili eorum, à quibus fuerunt instituti; vt de necessario debent eos timere: & est casus illius cap. vt patet ex illis verbis. *Et cum voluerit, aufertur.* At hic sumus in casu differenti, electi namque in Prælatos non deponuntur ad nutum, & voluntatem eorum, qui eos elegerunt; sed requiritur maxima, & vrgentissima causa, probanda iuridice non ab iis, qui elegerunt, sed à deputatis; vnde non est, quod Prælatus eos timeat, qui sibi suffragati fuerunt, cum iis nullo modo indigeat. Vel 3. Respondeo quod illud, Veteri, intelligitur timore reuerentiali, vt explicat Glossa *in cap. Illud quidem, verbo compellitur, 8 q. 2.* humanum enim est ei reuerentiam exhibere, à quo beneficium acceperis. Quòd si, salua iustitia, & regulari disciplina, fiat, & alioquin persona electa digna est, & quæ nullus incongruæ voluntati deseruire parata sit, vt dicitur *dicto cap. Illud, non est inconueniens.*

38. Ad 2. testor tanquam Christianus, & Religiosus, qui annos vixi 45. & ex his 30. in Religione, quippe interfui quatuor capitulis generalibus, sex prouincialibus, quindecim definitoriis, ac plus minusvè conuentualibus quod ego non vidi tot ruinas, quot hic confingit Nau. Non potest quidem negari, quin in dictis capitulis fiant aliquando altercationes, quin multæ suffragatorum adsint diuisiones, quibus alij vnum, alij alium eligere prætendunt, singuli existimantes à se propositum cæteris meliorem. At hoc neque nouum, neque reprehensibile est, vt dicitur *in c. Nec nouum, 8. q. 1.* neque quidquam id minuit de perfectione Religiosa, *c. Si fortè, d. 63.* Cæterum ambitioni obstitum est per *const. 5. Pauli V. tom. 2. nostr. priu.* Et subornatoribus obstitum est per *const. 10. Vrbani VIII. § 52. ibid.* Quod verò dicit de murmurationibus, & defectione defectuum. Si defectus veri sint, & essentialiter faciant ad electionē, non est malum detegere, immò ad id obligantur scientes, quando ex eorum occultatione aliquid detrimenti grauis est passura Religio. Si verò falsi, eo tempore non impressionem faciunt, & calumniatores semper calumniantur. Illud de simoniis, si intelligatur, quod prætendentes donent aliquid alicui magnati extra Religionem, vt illius patrocinio dignitatem assequantur, non est verisimile; nam si pecunia corrupti debent posse apud electores, debent esse magnæ auctoritatis, & consequenter diuites, pauperum Religiosorum pecunia non indulgentes, si non sunt magnæ auctoritatis apud electores, nequicquam valebunt, cum apud eos vix aliquando possint potentissimi Reges, orbisque terrarum augustissimi Principes. Si autem intelligatur de simonia commissa in corrumpendis immediatè electoribus, absolutè nego id posse fieri, nam sunt ita conscientiæ dediti, vel passionibus affecti, vt omnia contemnāt in comparatione finis consequendi. Præterea, & hic morbus potest etiam contingere, licèt non tam frequenter, in electionibus perpetuis. Illud de pactis, si fiat, non fit ita impudenter, vt supponit Nau. Nam ad plus eligendus dicit electoribus. Nun ero ingratus; & tunc nulla est simonia, vt ait Sigism *de elect. dub. 54. n. 2.* Nec similiter adest simonia, quando eligendus diceret electori. Dato suffragium, & de tuo honore curabitur, sicut congruum fuerit, vt Pottel. *in dub. reg. ver. Simonia, n. 1.* Nec etiam adest simonia, quando dicitur suffragato. Et non dubites, ego ero amicus tuus. Nec sim liter quando dicitur, Suffragato tali, deinde cætera officia inter vos sunt diuidenda, vel inter vos diuidite. Quia in his casibus pacta non sunt clara, & verba solùm fiunt generalia, quæ non stringunt, cum solùm curialiter intelligantur. At ad hoc vt in his pactis interfit simonia, requiritur, quòd detur, vel non detur alicui votum cum onere expresso de iustitia exigibili, vt fiat aliquid quasi pro pretio rei spiritualis, vel causa principali immediata talem rem spiritualem habendi, vt Nau. *in sum c 23. n. 100. ver. Secundo quòd duplex*, Sigism. *loc. cit n. 6.* Vide quæ dixi *tom. 1. huius op. quæst 1. c. 31. §. 9. concl. 2.* Illud verò, quod saltem pro 1. anno non possint dicti electi suis suffragatoribus quidquam ingratum iubere, ridiculum est. Vidi enim sæpissimè contrarium. Et huius rei eam soleo rationem reddere Quod scilicet pugnantes electores eo tempore omnia sibi licere & deberi, Prælati honestatem, & iustitiam irritant in se ipsos; Quod insinuauit Sen. *lib. 1. de benef. c. 1.* dicens, *Multos experimur ingratos, plures facimus, quia alias graues exprobratores, exactoresque sumus, alias leues, & quos paulo post muneris sui pæniteat, alias querulos, & minima momenta calumniantes.* Ad quem locum citat L ps. dictum quoddam Columellæ scilicet. *Multi beneficia, quæ in amicos contulerunt, leuitate destruunt.* Cum autem Iurisconsultorum antes in nostra materia sint sicut potiùs illæ sterquilinij, de quibus Plutar. apud Ros. *sing. lib 6. c. 55.* per quas pugamenta eiiciuntur ciuitatum, potest esse, quod aliqui malevoli pauca vera multis falsis miscentes, ea retulerint, doctori Nau. qui facilius, quam par erat, iis assensum præbens, hæc scripserit. Vnde bene Suar. *tom. 4. de relig. tract 1. cap. 7. n 6.* ait, sententiam Nau. non esse ita certam, sicut ipse putauit, & incommoda, quæ attulit, non tam inferri ex duratione Prælatorum, quam ex modo eligendi.

39. Ad 3. fateor, aliquam reperiri aliquando negligentiam in aliquibus Prælatis temporaneis circa bona temporalia. Sed nulla est hæc comparatio cum dilapidatione bonorum monasterij, quæ fit, vt ipsomet Nau. concedente, à Prælatis perpetuis; illa negligentia in temporaneis reparatur per assistentes, & quando non, per successorem. At hæc dilapidatio nequaquam potest reparari.

40. Ad 4. concesso, quòd aliqui Religionum Institutores perpetuos Generales instituerint, eum tamen id successu tēporis non sit visum vtile, approbantibus summis Pontificibus, mutatum est, vt dixi *n. 5* Ecclesia verum est quod habet Pastores perpetuos, quia inter ipsum, & Pastorem intercedit connubium spirituale, quod ad similitudinem connubij carnalis perpetuum est. Deinde beneficia Ecclesiastica annexam semper habent præbendam, & beneficiarij faciunt fructus suos; quorum neutrum reperitur in Prælatis Regularium. Vnde etiam dixi *tom. 1. huius op. q. 1. c. 31. §. 9. conclus. 2.* quod excommunicatio lata contra simoniacos in beneficiis, non comprehendebat simoniacos in istis dignitatibus regularibus.

41. Ad 5. ea incommoda, & multa alia dicta supra coëgerunt Summos Pontifices ad perpetuitatem illam tollendam. Ad 1. confirmationem. Non continuabat Tiberius magistratus, quia id iudicaret vilius, sed propter alias rationes, quas immediatè subiicit Tacitus, dicens,

causa varia traduntur, alij tadio nona cura semel placita pro aeternis seruauisse; quidam inuidia, ne plures fruerentur. Sunt qui existiment, vt callidum eius ingenium, ita anxium iudicium, neque enim eminentes virtutes sectabatur, & rursus vitia oderat, ex optimis periculum sibi, à pessimis dedecus publicum metuebat. Cum ergo odisset Tiberius, vt ait Malu. *dis.53.in Tac.* summè virtuosos, nec vitiosos vellet assumere, non ita facilè oneri aptos, & æquales ceperies, semel mediocriter aptos, assumptos, à quibus nec sibi periculum, nec Reipublicæ dedecus metueret, continuabat. Ad 2. confit. Dominicanis, Iesuitis, Carthusianis, & Trinitariis non existimatis, opponimus cæteras omnes Religiones, de quibus *n.* 5. *&* 6. Ad tertiam confir. patet ex dictis *num.* 38.

42. Ad 6. Verum est, quòd maiori diligentia custodimus propria, quam aliena. Sed Prælatus, quantouis tempore duret, etiam perpetuo, nunquam tamen Religionem gubernate debet tanquam Dominus, sed solum tanquam procurator; *cap. Fraternitatem, de donat.* Est nihilominus verùm, quòd procuratot res Ecclesias tenetur meliores, & eo affectu custodire, & conseruare; ac si essent propriæ, vt est text *in dicto cap. Fraternitatem.* Sed iste affectus potest æquè benè reperiri in Prælatis temporaneis, ac in perpetuis, immò meliùs in illis, quàm in istis, nam isti sæpissimè rem tanquam proprium te, & affectu administrant, & cum Religiosorum damno in proprium commodum, & vtilitatem conuertuot; quod illis facilè non accidit. Et licèt viri mundani, & interessati nihil ament, nisi in ordine ad se ipsos, viri tamen Religiosi, qui omnia respuerunt, vt Christum lucrifacerent, omnia amare debent in ordine ad Deum, & publicam vtilitatem. Quod si contrarium faciant, iam degenerant tam temporales, quàm perpetui. Vnde tunc curtit regula, quòd de duobus malis, minus est permittendum. Sed nemo dubitare potest, quòd minus malum in hoc genere possint causare Prælati temporales, etiám rem suam agentes, quàm perpetui. Verùm etiam est dictum Arist. quod maxima voluptas est considerare, rem esse propriam; sed ita humanas mentes depravantur inordinati affectus, vt etiam rebus propriis abutantur quamplurimi, pinguissima patrimonia in damnum proprium, & familiæ dissipantes.

43. Ad 7. fateor, experimentatum Prælatum cum puritate conscientiæ iudicio rationis non carentem, vt dicitur *in cap. Non solùm, de reg. in 6.* optimum esse. Sed vt idem, ista experientia carere eos, qui primò ad Prælatiam assumuntur, qui tamen iam alias assumpti fuere, ea non carent; & hi, qui primò, cùm aliquandiu in Prælatia perseuerauerint, experti fiunt; & si discreti, & timentes Deum sint, à prædecessoribus discent, quæ sibi facere oporteat, ea sequèndo, quæ in illis laudata fuere, & quæ vituperata fugiendo. Et vt Tac. ait, 1. hist. in or. Galbæ ad Pis. *Vtilissimus, idem, ac breuissimus bonarum, malarumque rerum delectus, cogitare quid aut nolueris sub alio Principe, aut volueris.* Videatur Suarez *tom.* 4. *de relig. tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 6. & D. Thomas 4 *de reg. c.* 8. vbi ait, satis esse, quòd eligatur expertus, si non exercitio regiminis, saltem virtutum.

44. Ad 8. Respondeo à D. Thoma *loco citat.* Illud de mineris non habere similitudinem, quia recipiunt impressionem à corpore cœlesti, quæ est ad vnum determinata, voluntas autem humana sideribus non sobiicitur, quia variabilis est, & ideò variatur de bono in malum, & è conuerso; vnde perpetuatio est periculosa.

45. Ad 9. concessa etiam vi argumenti, mali nomen hoc non meretur, si comparetur cum hydropisi Prælati perpetui; quo enim plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

46. Ad 10. Illud, omni tempore, dicit perpetuitatem officij, non officialium. Seu omni tempore, idest, qiò sint parati omnibus horis ministrare iustitiam petentibus, vt dicit Chauass. *de perfect. prud. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 4.

§ II.

Quanto tempore expediat durare Superiores regulares.

47. Videri possint pro hoc §. Suarez *tom.* 4. *de rel. tract.* 3. *l.* 10. *c.* 3. *n.* 18. Sart. *in cinc Reip. reg. consid.* 177. Consilium Mæcenatis ad Cæsarem fuit, vt refert Dio *lib* 52. *in or. Mæcen.* quòd magistratus *neque minus triennio (nisi quis quid deliquerit) neque plus quinquennio* durarent. Dicendum in hi tamen videtur, in magnis Ordinibus, & per orbem dilatatis expedire Generalem sexennalem, Prouinciales triennales, Superiores locales annuales. Quò ad Generales probo, tum experientia Minorum, Augustiniensium, Carmelitarum, & Minimorum; tum quia cum hæ Religiones sint, benedicente Domino, iam per totum orbem diffusæ, non potest minori spatio Generalis quidquam Religioni prodesse, & alias electores essent in continuo cursu pro Generali eligendo. Quare minimi, qui Generalem triennalem habebant, ad sexennalem auctoritate Papæ reduxerunt. In Religionibus verò paruis sufficient Generales triennales, nihil enim incommodi ex hoc nascitur, & possunt bene suo muneri satisfacere. Quò ad Prouinciales omninò sufficit triennium, non enim sunt magnæ Prouinciæ, quin possit illis bonos Pastor illo tempore multum prodesse.

48. Quò ad Superiores verò locales maior est difficultas, nam priùs desinunt, quàm incipiant conuentus negotia cognoscere. Vnde nec possunt conuentuum vtilitati prospicere; nec habent animum id faciendi; cum destructum iri dubitent, si perfectum non fuerit, quod ab ipsis fuerit multo labore cœptum; ipsa enim temporis breuitas bonam Superioris intentionem retundit. Sed nihilominus annuales probo, tum Romanorum exemplo, qui Consules, sub quibus ad imperium orbis terrarum creuit ea Respublica, annuales creabant: tum Carthaginensium, qui Iudices perpetuos, instante Annibale, ad annum reduxerunt, vt Dio *lib.* 60. tum Genoensium, qui Gubernatores, & Potestates ciuitatum, & oppidorū annuales creant: tùm quòd improbotum Superiorum animi temporis breuitate compescuntur, minusq; communitati possunt obesse, bonorum è contra sublevantur, & plus prodesse student; tum quòd modestiùs imperant breui pariturì: tum quod in officio magis continentur cæteri aspiratores; tùm quòd plures onera, & honores experiuntur. Nec quidquam relevant contraria: nam negotia vnius conuentus non sunt tantæ molis, quin breuissimo tempore possint cognosci, & multi plures per interualla vni conuentui præficiuntur. Nec temporis breuitas retundit nisi retusos, frigidos, & malè inclinatos nam alij ea potius animantur, pressi honoris, & boni communis stimulo, ac timentes, ne transuolet tempus, absque eo, quòd aliquid præclari in boni communis vtilitatem exantilarint: Nec charitatem habere conuincitur, qui in iis peragendis, quæ solius boni communis intuitu peragenda essent, ducitur studio vanæ illius gloriolæ, Cœpi, perfeci, alias non cepturus; qui namque communem respiciunt vtilitatem, ea incipiunt, quæ ad illam conducere videntur, & aliis ea perficienda relinquunt, quando per se ipsos non possunt.

§. III.

An expediat Prælatorum inferiorum electiones fieri per Capitula conuentualia, an verò magis definitoria, seu absolutè per Capitula Ordinum.

49. Videatur pro hoc §. Nauarr. *comm.* 3. *de reg. num.* 3. *vers. Septimò confirmatur*; Suarez *tom.* 4. *de relig. tract.* 1. *lib.* 2. *capite* 7. *num.* 8. *& tract.* 3. *lib.* 10. *capite* 3. *num.* 6. Castell. *de el. capite.* 7. *num.* 14

num. 14. *& cap.* 20.*num.* 12. P.Greg. *tom.2.de el cap.5. à num.* 1. Azor.*part.2. lib.6.cap.14. quæst.* 1. Perez. *in Reg.S.Bened. cap.64.à num.3.*Petrus de Baisio *in direct. elect. part.1.cap.* 1.

50. Notandum, quòd tribus modis possunt fieri electiones Prælatorum inferiorum 1. à tota communitate, v.g. Correctot vnius conuentus à Fratribus vocalibus, & habilibus illius conuentus, 2. ab aliquo Prælato cum Definitoribus Prouinciæ, 3. à solo supremo Prælato cum consilio aliquorum. Suarez *loco cit. tract.* 3. hunc tertium modum probat, vt suam Religionem, quæ illum sequitur, extollat, quod laudabile esset, nisi faceret cum aliarum vituperio; Ego enim illam etiam habeo inclinationem, vt meam Religionem semper extollam, & pro viribus defendam, ne, mea vituperando, sapientiam affectare videar; quod faciunt illi quibus semper aliena meliora videntur, quàm propria, de quibus Ouid. 1. de ar. aman.

Fertilior seges est alienis semper in agris,
Vicinumque pecus grandius vber habet.

At quætere laudem cum aliorum vituperio, vitium intolerabile est, morte ipsa amarulentius: *Et pessimus laudandi modus ſe ipsum cum aliorum iniuria prædicare*, vt ait Bonau. *in spec. ad nou. part.*1. *cap.* 31. Quod facit Suarez qui non contentus probare modum illum suum, acriter impugnat modum eligendi Prælatos inferiores, siue per communitatem, siue per definitorium, quem seruant omnes aliæ Religiones. Nauarr autem *loco cit.* electiones conuentuales respuens, definitorij admittit; quod etiam facit Perez *in Reg.S.Bened. loc. cit.*

51. Probat. 1. suam sententiam Suarez. Quia modus iste eligendi ambitionem fouet, quæ est Religionis pestis, vt dicit Basil. inst.mon.cap.10. *Inter fratres Principatum nullo modo appetere monachus debet: siquidem diabolica ista pestis est, & libidinis dominandi labes.* Assumptum probat, quia quò electio magis in democraticum regimen declinat, eo magis est huic vitio exposita; In quocumque enim statu pauciores sunt viri prudentes, & à priuatis effectibus liberi; & ideò quando omnes de communitate eligunt, necesse est in eis esse multos iuuenes, vel minus prudentes, vel suis affectibus non satis moderatos; vnde facilè est eos decipere, aut corrumpere, vel aliis modis subornare, & inde oritur spiritus ambitionis in his, qui sperant se posse his modis prælationem consequi.

52. 2. Quia ex huiusmodi electionibus plerumque sequi solent diuisiones, & schismata, quæ eleganter, & fusè prosequitur Chrysostom. *lib.3. de sacerd.* Et Nicet. *hist. de rebus Germ.* vt refert Contz. 1 *pol.cap.25.num.16.* ait. *O quanto deterius est multorum suffragium, & electio, quam vnius. Tu inclytum Romanum Imperium, & gentibus adoranda majestas, quos tyrannos pertulisti? quales te amatores petierunt, quibus substracta tui copiam fecisti? quales corona, & diademate, & purpurea veste exornasti.*

53. 3. Quia Prælati electi solent esse infensi his, qui suffragia eis non dederunt; aliis verò nimis conniuere, & quæ essent punienda dissimulare, immò etiam ad officia, & dignitates licèt immeritos promouere, vt dixit Gregor. *epist.* 22. & refertur in cap. illud quidem, 8. quæst. 2. *Si quorundam patrocinio fuerit quisquam electus, voluntatibus eorum, cum fuerit ordinatus, obedire, reuerentia exigente, compelletur, sicque fit, vt & res illius minuantur Ecclesiæ, & ordo Ecclesiasticus non seruetur.*

54. 4. Quia in Ecclesia vniuersali ablatæ sunt electiones Episcoporum, quæ olim à clero, & populo fieri solebant. Et multæ Religiones etiam huiusmodi electiones sustulerunt, & aliæ auferendas esse iudicant, & exoptant.

55. Dicendum tamen est, magis expedire communitatibus Religiosorum, vt electiones Superiorum conuentualium fiant à conuentu, & electiones Prouincialium à Prouincia. Ita Castell. *de elect. cap.7. num.* 14.

Probatur primò, ex Scriptura sacra, vbi *Act.* 1. dicitur, *Dederunt sortes eis, & cecidit sors super Mathiam, & annumeratus est cum vndecim Apostolis.* Idest, vt explicat Gagn. rogauerunt Deum, vt eorum mentes illuminaret, eutinam ea illis duobus, qui eorum videri pari dignitate contendebant, suffragarentur. Et constare id ait ex eo, quod dicitur, & *Annumeratus est*: pro quo ex græco legit, Suffragiis, & calculis omnium cooptatus est. Gagneïum sequitur Lorin. addens fieri etiam potuisse, vt post visum diuinum signum electi Mathiæ suis etiam Apostoli communibus apertisque suffragiis electionem approbarint. Et Act.6. dicitur, *considerate ergo fratres viros ex vobis boni testimonij septem*, &c. *& elegerunt Stephanum*, &c. Cum enim Discipuli probassent consilium Apostolorū de eligendis ex ipsis septem viros Apostoli deinde communibus suffragiis eos septem viros elegerunt, Stephanum nimirum, &c. Et Act. 15. dicitur; *Tunc placuit Apostolis, & senioribus cum omni Ecclesia eligere viros ex eis.* Ex quibus constat, quòd tempore Apostolorum electiones ministrorum Ecclesiæ fiebant eo modo, quo nunc vtuntur ferè Religiones omnes plus minusvè.

56. 2. Probatur ex sacris Can. vbi *in decret. sub Greg. IX. & in 6. sub Bonif. VIII. & in lib. Clem. sub Clem.* 5. *& in lib. exer. comm & Ioann.* 22. habentur integri tituli, *De electione.* Et in decreto habentur etiam plura *cap. de elect. c. Si quis Episcopus,* 16. *q.* 7. qui est canon. Apostolorum. Et *c. sanè, & seq. & cap. Porrò, dist.66. & cap. Clori, dist.63. & cap. Vota ciuium, dist. ead. & c. Nullus inuitis, dist.61. & cap. nulla ratio, dist.* 62. & alibi sæpe. Concilia Generalia de electione tractantia videri possunt apud Cresp. *in sum. cath. fid. verb. Elect. & verb. Abbas non laicus; sed ex.* & in Conc Trid. *sess. 25. c. 6. de reg.* datur forma procedendi in electione quorumcunque Superiorum. Et in iure ciuili id videri potest *in l. Si quanquam Codic. de Episcop. & Cleric. & in l. Obseruare Codic. de decur. lib.* 10. & multis id probat P. de Bais. *n.* 49. & in specie quòd electio Superioris conuentualis de iure communi ad conuentum pertineat, docent *cap. Congregatio 16. q.7. c. Abbas, 1. & 2. c. Abbatem, 1. & 2. 18. quæst 2. cap. Quam sit, §. Defuncto, ibid c.1. cap. Cum terra, de el. cap. Cum dilectus, de consuet. cap. Monachi, §. Priores, de statu monach.* Rota apud Farin. *part. 1. decis. 63. n. 5. per regulam 29. de reg. iur. in 6* ait *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari*, & num. 9 resoluit, quòd statuta auferentia auctoritatem particularibus monasteriis eligendi sibi suum Superiorem, & illam concedentia Prouinciali, vel Generali cum definitoribus, sunt contra iuris communis dispositionem, vnde sine auctoritate Papæ fieri nequeunt, & facta non subsistunt, *c. Quod super his, de maior. & obed.* Quare concludit ibi Rota *num. vltimò*, quòd quædam constitutio Papæ, quæ auferebat auctoritatem Abbatem eligendi Monachis, & eam dabat Generali cum Definitoribus; erat præiudicialis Religioni, de qua *ibi.* Et Nau. *tom.* 1. *cons. de consuet. cons 2. n.* 1. ait, quòd statuta, quòd prudentiores tantùm re, & ætate habeant vocem in capitulo, & in electione Superiorum, sunt contra ius commune. Si ergo tot canones, & concilia, & in specie Trid. voluerunt per electionem fieri Superiores, & à Monachis particularibus electiones Abbatum, cuicumque monasterio præficiendorum, certum est, quòd hoc dictis Monasteriis debet esse magis expediens.

57. 3. Probatur auctoritate S. Benedicti *in c. 64. sua Reg.* vbi ait. *In Abbatis ordinatione illa semper consideretur ratio, vt hic constituatur, quem sibi omnis concors congregatio secundum Dei timorem, siue etiam pars, quamuis parua, congregationis saniori consilio elegerit.* Et loquitur secundum omnes expositores de electione Abbatis singulorum monasteriorum. D. Basil. *in reg. fus. disp. c.*43. loquens de Prælato monasterij, habet. *Non qui sibi ipse Prælationem assumat, sed qui à cæteris, qui auctoritate in*

conuentibus præsint, delectus sit, & satis magnum in superiori vita documentum dederit probitatis morum suarij, & cap.45. ait, quòd Vicarius conuentus propter Antistitis absentiam, vel infirmitatem, sit is, *qui eum ipsius* (Antistitis) *tum cæterorum etiam Fratrum diligenti animaduersione, circumspectioneque adhibitis, ad hoc delectus sit, vt, absente illo, curam in se conuentus recipiat*. Albert. in reg. Carm c. 1. ait. *Illud in primis statuimus, vt vnum ex vobis habeatis Priorem, qui ex vnanimi omnium assensu, vel maioris, & sanioris partis ad hoc officium eligatur* Quæ verba, ait Tho. à Iesu *in expl. dictæ Reg.* quòd absolute intelliguntur tam de Priote conuentuali, quàm de Priore Generali. Et D. Hieron. in Reg. Monachar. c. 3. ait. *Eligantur autem iuxta Apostolorum ritum communi voto Abbatissa, & cæterarum singulis annis, aut, si decens videbitur, & vtile confirmentur duæ, aut plures ex Sororibus.* Vbi notandum secundum Hier. sententiam, quòd officiales etiam minores ab Apostolis communi voto fiebant S.P. Franciscus Minimorum Institutor omnes electiones Correctorum, Seniorum, Sacristarum, cæterorumque conuentus officialium per Correctorem, & capitulum locale fieri iussit *in Reg. n.* 39. 40. 43. 49. Similiter Prouincialium per capitula prouincialia fieri mandauit eadem Reg. *num.* 48. Et denique ait Azor *part. 2. instit. mor lib. 6. c.* 14. *in fine*, quòd apud Monach. & Religiosorum Ordinum cœnobia adhuc mos antiquus retinetur, vt Abbates cœnobiorum, Præpositi Ordinum Generales, Prouinciales, & plerique etiam locales in conuentibus, vel Generalibus, vel prouincialibus multorum suffragiis eligantur.

58. 4 Probatur. Quia expedit, vt is, qui præficiendus est Religiosis, sit illis gratissimus, vt libentiùs illi pareant, illiusque defectus, si quos fortè habeat, patientiùs tolerent, gratior autem erit semper, qui propriis suffragiis electus fuerit, quàm qui alienis. Quæ ratio semper fuit maximoperè æstimata à Summis Pontificibus, vt constat *ex c. Vota ciuium, dist. 63. cap. Nullus inuitis, dist. 61. & c seq* Et Leo I. *Ep.* 84. c. 5. *ad Anastas. Thess. Episc.* ait, *Nullus inuitis, & non petentibus, ordinetur ne ciuitas non optatum Episcopum, aut oderit, aut contemnat.*

59. Neque valet quod dicit Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 3. lib* 10. *c.* 3. *n.* 16. hanc commoditatem esse mere humanam, & temporalem, nec esse multum æstimandam, si comparetur cum incommodis, quæ inde sequuntur; & licèt si videatur commoda iis, qui Superiorem elegerunt, valde tamen esse exosam, & incommodam iis, qui non consenserunt, cum non semper electiones vnanimi consensu fiant. Non valet, inquam, nam meo iudicio merè humana commoditas, non est illa, ex qua oritur quies, & tranquilitas mentis, tantùm Religiosis necessaria, *cap. Quam sit*, 18. *q.* 2. oritur autem hæc ex tali Prælatorum electione, vt insinuat Paulus 1. *ad Tim.* 2. ex hac namque tranquillitate nascitur pax partis superioris cum inferiori, rationis cum sensu, pax cum Deo, & proximo, cum enim animus non est perturbatus odio aliisque passionibus, bis bonis omnibus fruitur. Et ideo etiam non est mirum, si quandoque pro tali quiete consequenda inter se Religiosi discordent in electionibus. Ait enim Arist. 3. mor. c. 2. *Vt sani esse volumus, eligimus ea, quibus sani esse valeamus*. Quòd verò hæc commoditas non sit multum æstimanda, falsum videtur, cum eam tantùm æstimarint sanctissimi Pontifices, grauissimi, & doctissimi Patres, qui conciliorum decreta statuere, sanctissimi Religionum Patriarchæ, qui eo fine talem electionem mandauere; qui quidem omnes etiam incommoda, quæ in tali modo eligendi hominum malitia aliquando obrepunt, considerare potuerunt. Linquo, multo minora incommoda sequi ex isto eligendi modo, quam ex illo, quem tantùm extollit Suarez, vt constabit ex sequentibus. Quòd ista commoditas non tangat omnes 1. ista discordia non censetur illaudabilis à sacris canonibus, *c. Nec nouum*, 8. *q.* 1. *c. Si fortè, dist.* 63. deinde ista discordia non potest notabilem perturbationem in discordante generare, cum secreto fiant electiones; vnde etiamsi electus esset mali animi, cum non sciat, quisnam ei suffragium denegauerit, non potest eum perturbare, 3. quia etiam dato, quòd coniecturare posset electus, quisnam ei non fuerit suffragatus, nescio quid per hoc illi nocere possit, præsertim vbi Prælati temporales sunt, qui tam feroces non sont, vt subditum sibi contrarium velint exterminate Ego enim noui multos, qui non sunt aliquibus Prælatis suffragati, ipsis Prælatis coniectantibus, qui tamen non fuerunt in quoquam læsi: & tota læsio quam possunt timere à Prælatis maligois, qui illis contradixerunt est translatio de vno conuentu in alium; quæ res quàm parum sit æstimanda, nemo non videt.

60. 5. Probatur nostra conclusio. Quia cum vnus Generalis non sit per se sufficiens ad cognoscendum omnes suos subditos, cogetur stare relationi aliorum, qui docti suis passionibus dabunt bonam, vel malam, iuxta amorem vel odium, quæ habebunt ad personam, de qua relationem faciunt; vnde sequetur, quod plerumque Generalis eliget in Prælatos indignos, & immeritos, cui malo moraliter prouideri non potest; homines enim sumus. Quantum autem malum sit, indignos ad dignitates Ecclesiasticas promouere, nemo sanæ mentis ignorat, vt dicitur *in cap. Graue nimis, de preb.* & est tale, vt nullis possit compensationibus adæquari, vt colligitur ex Trid. *sess. 24. de ref. cap.* 1.

61. Respondeo ad hoc à Suar. *loc. cit. n.* 15. hoc malum vitare non posse neq; electores, neque Pontifices, neque Episcopos, neque Reges, neque alios quoscumque, Principes, nõ enim isti possunt aliter officia, & dignitates prouidere, quã accepta informatione à personis fide dignis. Sed falsissimum est, quòd electores, de quibus loquimur, non possint dicta incõmoda vitare. Nam ponamus, quòd facienda sit electio Correctoris, aut Prioris conuentualis à Fratribus vnius conuentus, vel eligendus est è corpore capituli, vel ad summum è corpore Prouinciæ, si est ex corpore capituli, electores, cum simul viuant, & habitent, se bene norunt, & de his, quæ noui, informatione non egeo; vel est è corpore Prouinciæ, & similiter omnes Fratres vnius Prouinciæ plus, minusvè se se bene norunt, vt constat; qui enim hodie permanet Genuæ, cras Sauonæ moratur; vnde nulla est ibi necessitas informationum. Idem dic de electione Prouincialium. Quare cum per hunc modum eligendi optimè vitetur hoc incommodum, quod per modum illum, Suarez ipsomet fatente, ineuitabile est, dicendum omnino est, modum hunc, quem seruant omnes penè Religiones, magis expedire, quàm illum, quem seruat Societas, licèt fortè Societati suus modus expedientior sit, vt Suarez *loc. cit. n.* 14. Cætera, quæ dicit Suar. *illo n.* 15. sunt omnino commentitia.

62. 6 Probatur eadem conclusio. Quia modus eligendi etiam inferiores Prælatos per electionem, est antiquissimus, à Collegio Apostolorum, sanctissimisque Patriarchis trahens originem, vt dictum est; à tot viris sapientibus, & sanctis, quos semper habuerunt Religiones, approbatus, & laudatus per tot sæcula: modus verò iste, quod Generalis per se solus dictas prouisiones faciat, nouus est. Sed antiqui mores mutandi non sunt sine maxima, & euidenti necessitate, *l. in rebus, ff de const. Princ.* & ridiculum est sine tali necessitate eos mutare, vt dicitur *in cap. Ridiculum, d.* 12. & D. Thom. 1. 2. *q.* 97. *art.* 2. determinat, legem etiam humanam, non esse mutandam propter quamlibet vtilitatem, sed propter maximam, quæ superet damnum, quod mutatio adducit.

63. Ad hoc argumentũ posset responderi, hunc modũ prouidendi Superiores, quem seruat Societas, non esse nouũ. Nam olim Episcopi, qui erant quasi supremi Religionum Prælati, Abbates in monasteriis constituebant, iuxta c. 1. 18. q. 2. ibi, *Abbates, aliique officia instituere*; Sed esse falsum vnquam habuisse Episcopos auctoritatem Abbates constituendi, constat ex *c. Abbas*, 18. *q.* 2.

vbi

vbi dicitur, *Abbas in Monasterio non per Episcopum, aut per aliquem extraneorum ordinetur.* Et idem habetur *in tribus cap. seq.* quæ ad id adducit Cresp. *in sum. cath. fid. ver. Abbas non laicus.* Verba ergo illa posita *in cap.* 1. 18. *q.* 2. exponit ibi Glossa *verbo Instituere*, quòd instituere sic confirmare; vel si propriè sumatur, intelligitur, quando Monachi sunt negligentes, iuxta *cap. Cum simus*, 9. *quæst.* 3. aut indignum eligunt, iuxta *cap. Si quis Abbas*, 18. *q.* 2. quam explicationem approbat etiam Suar. *loc. cit. num.* 13. & ad argumentum respondet *num.* 14. quòd siue ille modus quem seruat Societas, sit nouus, necne, siue eo vtantur aliæ Religiones, siue non, modò sit Societati expediens, potest Societas eo vti; quod ego non improbo.

64. 7. Probatur. *Quia imperaturus omnibus, eligi debet ex omnibus*, vt ait Plin. in Paneg. & *plerumque optimum quemque electio inuenit*, vt Tacit. in 1. hist. & *loco libertatis erit, quòd eligi cœpimus*, vt Tacit. ibid. in or. Galbæ ad Pis. Et Arist. 3. pol. c. 7. *Quapropter*, inquit, *& Solon, & alij quidem eorum, qui leges condidere, huiuscemodi homines* (multitudinem) *ad suffragia, electionésque magistratuum admittunt.* Et Philo Iud. in princ. lib. de creat Princ. ait, *Preficies tibi ipsi Principem non alienigenam, sed vnum ex tuis Fratribus; nimirum significans, electionem debere fieri voluntariam ex suffragijs, consensuque totius populi, præcedente, vt oportet, examine.* Ex quibus collige, multitudinem electorum electionem vitiosam reddere vix posse.

65. Ad 1. ergo in contrarium. Respond. concedendo, verissimum esse, quòd *pleraque eorum, quæ homines iniustè faciunt, per ambitionem, & auaritiam committuntur*, vt ait Arist. 2. *pol. cap.* 7. Item quòd ambitio sit Religionis pestis. Quòd autem ambitio magis foueatur per hunc modum eligendi Prælatos, quàm per assignatum à Suar. falsum est. Nam si loquamur de ambitiosis naturaliter, de quibus Arist. 7. *mor. eundem. cap.* 5. cum isti naturaliter ferantur in amorem propriæ excellentiæ, tamque apud omnes in admiratione esse cupiant, tales semper optabunt apparere, perque varia media, secreta, vel aperta tentabunt dignitates adipisci, vt per potentes personas, corrumpendo consiliarios, amicos, & familiares eorum, aut etiam Prælatum ipsum (quid enim non audet ambitio?) immediatè tentabunt corrumpere, quòd si apertè obtinere diffidant, occultè facient, per hypocrisim, sanctitatem fingendo, dignitates abhorrere simulando, seu etiam per alias sordes: humanum enim vitæ plenum erroribus pelagus traiicimus: Et cum facilius sit corrumpere vnum, quàm plures, vt Arist. 3. *pol. cap.* 11. & Nauarr. *in nostris terminis lib.* 1. *consil. de consuet. consil.* 2. *n.* 2. qui ideò ait, quòd securius esset, si omnes professi, & subdiaconatu insigniti haberent vocem in capitulo, non est dubium, quin dicti ambitiosi magis fouebuntur per istum modum eligendi, quam per alium vsurpatum in omnibus Religionibus, in quibus plures corrumpendi sunt. Neque potest humana prudentia huic malo plenè obuiare. Vnum enim solum Deum, excellentiam nimirum propriam, ambitiosus adorat, pro qua omnia suffert, omnia sustinet, omnia patitur, omnia contemnit, omnia calcat, omnia pessundat, iuga frangit, rumpit vincula, eique vni, & soli seruire, & placere studet, & satagit. Si autem loquamur de illis, qui minùs ambitiosi sunt, & non sunt tam ardenter ad id à natura inclinati, iis satis prouisum est per constitutiones pontificias, quibus prohibitũ est, vota procurare, nec per se, nec per alios sub grauissimis pœnis, vt patet *ex cõstit.* 5. *Pauli V.* §. 2 *nost. priu. & ex cõst.* 10. *Vrb. VIII* §. 52. *ibid.* Illud verò, quod addit Suarez quòd quò magis electio in democraticum regimen declinat, eò magis est huic vitio exposita, est cõtra doctrinã Arist. 5. *pol. c.* 1. vbi ait, *verùm tamen tutior est, ac minus seditioni subiacet popularis gubernatio, quàm paucorum potentia.* At seditio principaliter mouetur per cupiditatem regnandi, ergo democraticum regimen est minùs ambitioni expositum, quàm cætera regimina.

66. Ad 2. Chrysost. loquitur *de elect. Episc.* quæ præsente, consentiente, & annuente plebe impetita, ignorante, indiscreta, furiosa, celeusmatica, corniçina, fiebant, iuxta ea, quæ adducit Cresp. *in sum. cath. fid. verb. Episcopus eligatur, & qualis*, & iuxta *cap. Quantò Apostolica, cùm aliis seq. dist.* 63. quæ electiones non poterant sine illis tumultibus, seditionibus, & schismatibus fieri, populo in diuersa semper abeunte. Quæ propterea prohibitæ sunt, *c. Non est permittendum, c. Non licet populo, dist. ead.* & quod hæc fuerit mens Chrys. constat ex eius verbis, quæ hic affero. *Ito hinc iam, ac publica festa spectato, ea dico, in quibus dignitatum Ecclesiasticarum electiones de more fiunt, & tam multis videbis mihi criminationibus lacerari Episcopum, quanta est tota illa Subditorum multitudo, quibus eligendi potestas concessa est. Hos omnes tum in multas factiones scindi, neque inter se consentire, neque cum eo, cui forte Episcopatus delatus sit, conuenire videas, sed vnusquisque à suis vnius partibus stat, alius hunc, alius alium eligens: cuius rei hac causa est, quod id ipsum non spectas, quod solum spectandum fuerat, neque animi virtutem.* Hæc Chrysost. Quæ non quadrant electionibus, quæ fiunt à Regularib. hæ enim non à tota multitudine, sed à paucis selectis fiunt: in quibus licèt aliquando diuisiones videantur, iam dixi, id non esse reprehensibile, nec quidquam minuere de perfectione Religiosa, cum omnes bono fine ducantur, existimantes à se propositum esse cæteris meliorem, quòd si vna pars præualeat, vidi semper aliam pacificè concurrere, quando eligendus idoneus est, *futuro enim iam Domino non prorsus gratificari, extrema dementia est*, aiebat Procop. *de bell. Goth. lib.* 1.

67. ad 3. Respond. eas omnes vanitates, sunt enim electi homines, & Christiani, & Religiosi, nec possunt pro arbitratu habenas, vel laxare, vel stringere, sed id debent secundùm leges, & viuas, & mortuas: Quos etiam recordari docet Agathonis dictum apud Stob. serm. 44. *Trium oportere Superiorem meminisse, primò quòd imperet hominibus deinde quòd secundùm leges, tertiò quòd non semper imperet.* Et electores rem priùs diligenter expendunt, vtpote quæ omnes tangat, & multò diligentiùs eum, qui eligendus proponitur, iuxta consilium Chrysost. 4 *de Sacerd. paulo infra à princ.* & in primis viros vindicatiuos, malignos, viperinos, & amarulentos arcent, vt debent, ne vulnera proprijs telis facta lugere cogantur. Quod examen si non faciant, ait Anton. serm. 174. ad Stob. *nihil prodesse poterit, si dicant se ignorare eum, qui crearetur suffragiis, sed ob hanc ipsam causam magis accusandi sunt, quòd quem ignorabant, promouerint.* Deinde sæpissimè videmus, eos, qui dominari sperabant, duriùs, quàm alios, ad seruiendum cogi. Greg. loquitur de electionibus factis per abusum laicæ potestatis, & per Principes sæculares, quod omninò vetatur in *cap Nullus laicorum, cum quatuor seq.* Vel dicas, id intelligi de timore reuerentiali, prout dixi hic sup. *n.* 37.

68. Ad 4. Sancta pia mater Ecclesia volens gratificari iis, qui in eam benefici fuerunt, & etiam pro bono pacis conseruando, concessit facultatem aliquibus Principibus nominandi benemeritas personas ad dignitates Episcopales, ius confirmationis semper sibi reseruans. Sed in Germania adhuc mos antiquus seruatur, vt ait Azor. *par.* 2. *lib.* 6. *c.* 14. *q.* 1. & Castell. *de el. c.* 8. *n.* 22. *vers. Ad* 2. *autem.* Neque etiam in omnibus beneficiis Galliæ nominatio regia habet locum, neque in omnibus electiuis electiones sublatæ sunt, vt ait P. Greg. *tom.* 2. *iur. c. tract. de elect. c.* 5. *n.* 24. Itaque quòd Ecclesia sustulerit aliquas electiones, non fuit, quia iudicaret electiones esse perniciosas, sed vt gratificaretur Principibus de ea benemeritis, & pro bono pacis, vt dixi: & ad defendendas Ecclesias ab infestationibus hæreticorum, vt ait Grat. *in c. Vota*, §. *Principib. dist.* 63. P. Greg. *loc. cit. n.* 8. Ex quo factum

 est

est, vt ait Azor. *loc. cit.* quòd Episcopi, & alij Ecclesiastici Episcopari ambientes, aulas Regum, & Principum consectentur, illisque indecenti demissione seruiant, licèt id illis prohibeatur in Trid *sess. 25. de refor. c. 17* & Parisien. 3n. vt refert Cresp. *in sum. cath. fid. ver. Clerici curiam non sequantur.* contra quos inuehitur P. Dam. *lib. 5. epist. 3.* vbi specialiter probat, quòd qui seipsos tradunt seruitiis alicuius Principis, vt dignitates Ecclesiasticas assequantur, simoniacè assequuntur. Quòd verò aliquæ Religiones has electiones sustulerint, constat esse falsú ex his, quæ tradit Castell. *de elect. c. 1.* vbi affert modos eligendi, qui seruantur apud omnes ferè Religiones. Ad id, quod dicit Suar. multas Religiones exoptare, vt electiones huiusmodi auferantur, id grauissimè dicitur. Imò omninò contrarium constat *ex dec. 65. Rota Rom. apud Farin. par. 1.* E contra verò constat, multos è Iesuitis exoptare, vt regimen eorum immutetur, per multas scripturas, quæ circumferuntur, & nouissimè *ann. 1658. die 26 April.* prohibitus est discursus cuiusdam Io. Marianæ, id multum desiderantis. Sed hæc omittenda. Satis mihi est, quòd modus eligendi Superiores inferiores, ab antiquis Patribus adinuentus, ab Apostolica Sede approbatus, ab omnibus Regularibus practicatus, est illis magis commodus, & magis expediens, quam ille, quem seruat Societas: quòd si Societas cum sibi commodiorem probet, non improbo. Scio, quòd *sua cuique pramunt, & quòd suum cuilibet crepitus olet*, vt dicit Nazianz. *or. 1. aduersùs Iulian.* Sed nemo venari debet laudem cum alieno vituperio, vt dixi. Hoc vnum addo, ea omnia incommoda, quæ ait Suarez interuenire in electionibus inferiorum Prælatorum, quæ à Regularibus fiunt, interuenire etiam in electione supremi Prælati. Vnde illi etiam exoptandum esset, vt dicta electio per Summum Pontificem fieret.

§. IV.

Vtrù Superiores locales apud Regulares sint Prælati.

69. Videatur Syl. *in sum. ver. Prælat. q. 2.* Armill. *eod. n. 1.* Vega *eod. casu 2.* Angel. *eod in princ. & ver. Delegat. §. 3.* Rossella *ver. Delegare, §. 11.* Anton. *3. part. tit. 17. c. 2 §. 5.* Sotus *in 4. dist. 22. q. 2. art. 1. ver. Nomine autem.* Henriq. *in sum. lib 13. c. 24 n. 3.* Cord. *in comp. priu. Mendic. ver. Guardian.* Rodrig. *tom. 1. q. reg. q. 12. art. 6.* Miranda *tom. 2. man. q. 19. art 1.* Azor. *par. 2 lib. 3. c. 20. q. 2. & c. 25. q. 1.* Nauarr. *in sum. c. 27. n. 5.* Capella Tol. *decis. 13. num. 3.* Suar. *tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. cap. 2. num 2.* Sigismund. *de elect. dubit. 151.* Barbos. *de potest. Episc. par. 2. alleg. 36. num. 12.*

70. Noto primò, quòd Ecclesiarum Prælati sunt in duplici differentia. Alij dicuntur Prælati Superiores, alij inferiores, vt constat *ex clem. Dudum, §. in Ecclesiis, de sepul.* & dicit Sylu. *verb. Confessor. 1. 8. in princ.* Prælati Superiores sunt in triplici differentia. Alij sunt Patriarchæ, siue Primates, quod idem est, vt constat *ex c. 1. & 2. dist. 99. & ex c. Duo simul. de off. ord.* Quasi Patres Patrum, qui pluribus præsunt Prouinciis, seu Archiepiscopatibus. Alij sunt Archiepiscopi, seu Metropolitani, quasi Principes Episcoporũ qui pluribus præsunt Episcopatibus, seu Diœcesibus. Alij sunt Episcopi, qui soli suæ præsunt Diœcesi; habent tamen plures sub se Parochias. De quibus vide latiùs P. Greg. *lib. 15. synt. à cap. 9.* Barb. *de pot. Episc. p. 1. tit. 1. c 6. à n. 6.* Sbrozz. *de Vic. Episc. lib. 1. q. 3. n. 55.* Sebast. Cæsar *de Ecclef. hier. q. 2. proœm à n 3.* Alij sunt Prælati inferiores, Archidiaconi, Decani, Archipresbyteri, *c. 1. de at. & qual. ord.* omnes etiam Prælati, qui post Episcopos sunt, dicuntur Prælati inferiores, vt Sylu. *loc cit.* Bath. *in c. Decernimus, de ind. num. 3.* Proportionaliter ergo in Religionibus, alij sunt Prælati Superiores, vt Generales, qui toti præsunt Religioni; Prouinciales; qui vni soli præsunt Prouinciæ, Custodes in Ordine Minorum, quorum auctoritas quoad iurisdictionem est Episcopalis, Custodia namque, vt ait Rodrig. *loc. cit. art. 5.* est veluti Diœcesis, certis limitibus conclusa, in qua sunt plures Conuentus cum suis Guardianis, qui omnes Custodi subduntur. In Ordine nostro instituit etiam Vigiles S. P. Franciscus, vt constat *ex Reg. n. 46.* qui Vigiles super certas Ordinis Correctorias deputandi erant, & in suis Vigilantiis generalis Correctoris, auctoritate plenaria potiebantur, & erant supra Prouinciales, vt constat ex Correct. *n. 61. & n. 105.* Sed iam isti in desuetudinem abiere. Isti omnes vocantur, & sunt Prælati Superiores ad modum Prælatorum Superiorum iam dictorum. Nam Generalis est veluti Primas, vel Patriarcha, qui toti Religioni præest, & habet sub se plures Custodes, Vigiles, & Prouinciales; In Ordine nostro si fierent Vigiles, haberent potestatem iurisdictionis ad modum Archiepiscoporum, subessent enim illis plures Prouinciales. Hanc dignitatem ad modum Archiepiscoporũ habent Prouinciales Minorũ, quia illis subsunt plures Custodes, dignitatem quasi Episcopalem habentes. Nos Minimi ad modum Episcoporum habemus Prouinciales, qui habent suam Diocœsim certis restrictam limitibus, & illis plures Correctores, velut Parochi subduntur. Atq; ita Generalis, Vigiles, Prouinciales in Ordine nostro Prælati Superiores vocantur, vt constat ex Correct. *n. 11.* Prælati autem inferiores vocantur Correctores locales, Abbates, &c. vt Sylu. *loc. cit.* Suarez etiam cit. *num. 10.*

71. Noto secundò, quòd nomen, Prælatus, sumitur dupliciter, vt dixi *tom. 1. huius op. quæst. 1. cap. 18. §. 2. concl. 5.* ex Panorm. *in c. Decernimus, de iud. num. 16.* Primò latè, quomodo dicuntur Prælati omnes habentes in Ecclesia prærogatiuam, & gradum honorificum sine iurisdictione, vt Plebani, Decani, Archipresbyteri; *c. 1. de at. & qual. ord.* Item omnis habens animarum curam dicitur Prælatus, vt colligitur *ex c. Tua, de cler. agr.* & hoc modo Parochus potest dici Prælatus, sed non propriè: nam *in clem. Dudum, §. in Ecclesiis*, Rector, & Prælatus separatim ponuntur, & similiter *in clem. fin. de procur.* Ita Azor. *tom. 2. lib. 3. c. 25.* Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 2. c. 1. n. 6.* Ragusius *de Voc. can. in c. quæsit. 2. n. 6.* Angel. *verb. Prælat in Princ.* & alij communiter. 2. sumitur nomen Prælatus strictè, propriè, ac iuridicè, quo modo ille solus dicitur Prælatus, qui habet iurisdictionem spiritualem, & ordinariam fori contentiosi, vt sumitur ex *cap. Decernimus, de iud.* vbi Glossa *vers. Ecclesiarum Prælati*, & dicunt præfati Doctores.

72. Dico 1. Abbates, Priores, Guardianos, Rectores, Præpositos, Correctores, & alios quouis nomina nuncupatos Superiores locales, esse verè, propter Prælatos. Ita omnes DD. cit. *num. 66.* & constat *ex cap. Decernimus, de iud. & cap. fin. de pœnit. & remiss.* & ex Glossa *in Clem. 1. de elect. verb. Prælatum.*

73. Probatur. Quia habent iurisdictionem spiritualem fori contentiosi, eamque ordinariam, quam proinde subdelegare possunt, quæ *n. 71.* diximus requiri, & sufficere ad hoc, vt quis sit verè, & propriè Prælatus. Quod, habeant iurisdictionem in foro pœnitentiæ, patet ex his, quæ dixi *tom. 1. priu in const. 4. Sixti IV. n. 25.* & quia, cum sint ordinarij Pastores, & veluti Parochi, hac iurisdictione carere non debent; & dicit Suarez *loc. cit. cap. 2. n. 7.* Quod autem hanc etiam habeant in foro contentioso, patet, quia excommunicare possunt, vt dicitur *in cap. cum in Ecclesiis, de maior. & obed. cap. Cum ab Ecclesiarum de off. or.* vt Glossa *verb. Ecclesiastica*, Innocent. *n. 1.* Nauarr. *in sum. c. 27. n. 5.* Sotus *in 4. distinct. 25. q. 2. art. 1. vers. Nomine autem.* Henriquez *lib. 13. c. 24. n. 3.* Sà *verb. excom. num. 13.* Toletus *lib. 1. c. 6. n. 3.* Sayrus *de cens. lib 1 c 6. n. 13.* Aula *de cens. part. 2 c. 2 disp. 1. dub. 1.* Fagundez *in præcept. Eccles præcept. 2. lib. 8. cap. 4. num. 5.* Quòd denique talis iurisdictio sit ordinaria, probatur: quia iurisdictio, quæ conuenit alicui per electionem Collegij, vel Vniuersitatis ad aliquod officium,

officium, accedente Superioris confirmatione, est ordinaria, Innocen. *loc. cit.* Armilla *verb. Prælatus, num.* 1. Suarez *loc. cit. num.* 8. probat Miranda *tom. 2. man. quæst.* 19 *art.* 4. *concl.* 2.

74. Nec solùm sunt Prælati dicti Superiores locales, sed etiam ij Vicarij, qui paruo alicui conuentui præsunt, immediatè subiecti Prouinciali, vel Generali. Quia etiam isti ordinariam habent potestatem, & colligitur *ex cap. In singulis, de statu Monach.* ibi, *Priorum Abbates proprios non habentium.* Ita Syluest. *Prælatus, q.* 2. Rodr. *tom. 1. q. reg. q. 12. art. 6. fin.* Mirand. *tom. 2. man q* 20. *art* 1. *concl.* 1. & hoc licèt solum instituantur per definitorium, vel per solum Prouincialem auctoritate definitorij, vel per solum Generalem auctoritate capituli generalis, quia tunc virtute Collegij instituuntur, vt insinuat Sylu. *loc. cit.* Quod est etiam verum, licèt ad nutum Superiorum possint amoueri, vt in Ordine nostro, & notat Angelus *verb. Prælatus, in princip. & verb. Delegatus,* §. 1. Rosella *verb. Delegare,* §. 11. Idem dic de iis Vicariis, qui ponuntur in conuentibus loco Superioris defuncti, vel priuati, vel absentis per longum tempus, quia habent eandem auctoritatem, quam illi, in quorum loco ponuntur: nam subrogatum sapit naturam illius, in cuius locum succedit, *c. Maiores, de baptism.* §. *Ad id autem.* Ita iidem DD. Vicarij autem dictorum Superiorum localium, seu Superiores, vel etiam Priores claustrales sub Abbate existentes Prælati non sunt, vt dicunt iidem Doctores & præterea Azor. *par. 2. lib. 3. c. 20. q. 2.* Anton. 3. *part. tit.* 17. *cap.* 2. §. 2. quia isti sunt sub potestate Abbatis præsentis, nec vllam habent iurisdictionem, nisi quæ illis ab Abbate tribuitur.

75. Et hic nota etiam vnum bonum punctum, quòd Vicarij paruorum conuentuum, non valentium sustinere Correctorem propter Fratrum penuriam, si instituantur à definitorio, non possunt ad nutum Prouincialis amoueri, nisi aliter definitorium declaret. Ita Rodrig. *loco citato,* Miranda cit. *art.* 2. *concl.* 2. Probatur, quia quod per Superiorem instituitur, per inferiorem destitui non potest, *cap. Inferior, dist.* 21. definitorium est Superior Prouincialis.

76. Dico 2. dicti Superiores locales habent iurisdictionem in suos Subditos tam spiritualem, quàm temporalem quasi Episcopalem, vt dixi hic *supra num.* 3. & docent præterea Glossa *in clem.* 1. *verb. Proprij, de reb. Eccles. non alien.* & Nauarr. *com. 2. de Reg. n. 63. verb. Addo* 2. Tambur. *de iur. Abb. tom.* 1. *disp. 3. quæst.* 2. *n.* 2. Zerola *in praxi part.* 1. *verb. Excom. causa maior. verb. Secundo an Subditus.* Probatur *ex cap. Abbates, de priuil. in* 6. quod caput, cum loquatur de Abbatibus vni conuentui præsidentibus, debet etiam intelligi de omnibus Superiorib. localibus quocumque nomine nuncupentur. Sed ista potestas, vt dixi, est magis in his limitata, quam in aliis Superioribus Prælatis, vt constat ex priuilegiorum tenore, v. g. priuilegium dispensandi in foro conscientiæ cum coniugibus, qui post matrimonium carnaliter peccauerunt cum consanguineis alterius, ad hoc vt possint petere debitum, est solis Prouincialibus concessum à Pio V. vt dicit Cruz *lib. 2. de statu Religio. cap. 6. dub. 9 concl.* 1. & Henriquez *lib. 7. de indulg. cap.* 28. *num.* 6. qui *in com. litera M.* multos citat. Hoc priuilegio non poterunt per se primo, & directè vti Superiores locales, nisi fuerint specialiter à Prouincialibus, vel Generalibus electi. Nec similiter poterunt vti priuilegio dispensandi ad petendum debitum, cum eo, qui ante matrimonium fecit votum simplex castitatis, de quo iidem DD. quia est Superioribus maioribus concessum. De quibus priuilegiis vide Portell. *in addit. ad dub. reg. ver. Confessor dispensans, à n.* 7. In iis autem, in quibus eorum potestas non est limitata, eandem habent auctoritatem in suos Fratres Conuentuales, quam Prouinciales in Prouinciam, & Generales in totam Religionem, vt dicunt Casarub. *in comp. priu. verb. Guard. an. sub num.* 5. Mirand. *tom.* 2. *man. q.* 19. *art.* 4.

77. In temporalibus autem bona Monasterij administrare ad Prælatum Conuentualem pertinet secundùm ius commune, *c. Nullam,* 18. *q.* 2. Nau. *com. 3. de Regul. n.* 4. Ægid. *de contract. c.* 4. *n.* 16. & in Regula nostra id etiam manifestè Correctoribus conceditur, vt constat ex Correct. *n.* 46. 47. 48. 49. 50. 109. & dixi *tom* 2. *priu. in constitut.* 7. *Pauli V. à n.* 36. & constabit etiam ex dicendis §. *seq.* Possint tamen Superiores Prælati Correctoribus mandare, vt debita soluant, & primò quæ priùs contracta sunt, vt Fratrib. necessitates præbeant, vt cadentem Conuentum, vel Ecclesiam reparent, vt Conuentus possessiones colant. Quia hæc ad eorum officiũ pertinent, in casu negligentiæ Prælatorom inferiorum.

78. Quò verò ad correctionem Fratrum etiam in criminalibus, hæc quoque secundùm ius commune ad Superiorem localem pertinere videtur, *cap. Suscepimus, de homicid* vbi mandatur Abbati, non Episcopo, vt Monachos homicidiarios ad arbitrium puniat, & Abbas consuluit Papam, non Episcopus, vt notat ibi Abbas *n.* 5. & *in c. Sicut ex literarum, eod. tit.* innuitur, quòd Prior, & Fratres Carthusienses cognoscunt de homicidio per eorum Fratres commisso. Quod idem etiam significatur in *c. Significasti, el* 2. *eod* tit. vt quid enim consilium sumeret à Papa ille Prior, nisi priùs inquisisset de facto? In *c. autem Moniales, de purg. can. & in c. Abbates* 18 *q.* 2. apostasia, & proprietatis vitia per Abbatem puniri mãdantur, & subditur in dicto cap. Abbates. *Et reum si ille Abbas futurum esse cognoscat, qui in huiusmodi personas non regulariter animaduertit.* Plura huiusmodi vide apud Panor. *in c. Si quis contra Clericum, de foro compet. n.* 50. vbi ait inter cætera. *Et in ipsis ego distinguo inter Abbates, & alios Prælatos sæculares, vt Præpositos, Plebanos & similes, vt Abbas habeat iurisdictionem super suos Monachos vbicumque delinquant, contrahant, vel resideant, tam in ciuilibus, quàm in criminalibus, tam correctionaliter, quam in figura iudicij.* Cæterùm Superiores locales Mendicantium non videntur modò habere tantam auctoritatem, vt dicunt Mir. *tom.* 1 *man. q.* 19. *art* 3. Sigismund *de elect. dub.* 114. *n.* 2. Aret. *in pract. crim. c.* 1. Rota apud Farin. *par.* 1. *dec.* 15. *n.* 12. Sed videtur, quòd solùm possint corrigere suos Subditos contra Regulam, & constitutiones peccantes, vt si lineas deferant, pecunias tangant, silentium frangant, non autem si delicta committant omnibus communia, vt furtum, homicidiũ, &c. Sed in hoc inspiciendæ sunt singulorum Ordinum constitutiones, & secundùm illas procedendum. Nam in constitut. Prædicatorum video illorum Priores multam habere auctoritatem, infligunt enim pœnam grauioris culpæ, vt constat *ex 3. p. dist. const. c.* 12. quæ pœna non solet infligi nisi per contumaciam, manifestam rebellionem, manuum iniectionem in Prælatos, per conspirationem, &c. vt constat *ex 4. p. dist. constit. c. 18. c. 20 & c.* nouitios ad habitum recipiunt, literas commendatitias ad ordines concedunt, licentiam tribuunt suis Subditis audiendi confessiones tam sæcularium, quam Regularium, casus sibi reseruant, vt patet ex eisdem const. *part.* 2. *cap.* 67. quod tamen aliis communiter Superioribus localibus non conceditur, vt notat Fagund *in 2. præcepto Eccl. lib. 8. cap. 4. num.* 1. Quid nostri Correctores facere possint in hac materia, dicam diffusè, §. *seq.*

79 An vero facultatem concessam Superioribus localibus à Summis Pontificib. possint Generales, & Prouinciales coarctare, dubitant DD. Affirmant Suar. *tom.* 4 *de Relig. tract. 1. lib. 2. c. 21. n.* 14. Casarub. *in compend. priu. ver. Absolutio ordinaria quoad Fratres,* §. 7. *versic. Aduertendum est.* Negant verò Corduba *ibi vers. Item, ibid. & vers. Accedere ad Monasteria monial. versus finem.* Passarell. *in schol. ex Gemmen. n.* 4. & 18. Mir. *tom.* 2. *man. q.* 19 *art.* 5. Rodrig. *tom. 1. q. reg. q.* 9. *art.* 2. Et huic

sententiæ

ſententiæ tanquam probabiliori adhæreo. Quod enim per Superiorem conceditur, per inferiorem tolli non poteſt, *c. Inferior, diſt.* 21. *Clement. Ne Romani, de elect. cap. Cum inferior, de maiorit. & obedien.* Gloſſa *in c. fin. verb. Pignora, de haret. in* 6. Gonzal. *ad regul.* 8. *Canc. Gloſſ.* 45. §. 1. *n.* 69. Imò addo, quod non poſſunt dicti Prælati auctoritatem Superiorum localium tollere, etiamſi hi ea abuterentur, Gloſſa *in c. Priuilegium*, 11. *q.* 3. poſſent tamen in hoc caſu dictam auctoritatem ſuſpendere, præſumendo de voluntate Pontificis, iuxta dictum *cap. Priuilegium*, 11. *q.* 3. & interim Papam conſulere, vt dicunt Curd. *verb. Abſolutio cit.* Miranda, & Rodriguez, & hoc caſu ad dictum priuilegium ſuſpendendum habent Superiores Prælati priuilegium à Sixto IV. quod refert Caſarub. *In comp. verb. Priuilegia Fratrum, n.* 9. Quòd adhuc eſt limitandum, ſi omnes inferiores Prælati per longũ præcedens tempus dicto priuilegio abuſi eſſent, & in eo abuſu vellent perſeuerare, nec per Superiorem Prælatum poſſent quoad hoc corrigi: nam alioquin prædeceſſorum delictum non debet ſucceſſoribus, nec officio præiudicare, Gloſſa *in dicto c. Priuileg. arg. c. Cum tempore, de arb.* niſi tamen vellent ſuſpenſionem impetrare pro tali Superiore induiduali ter, quòd non conſulo, ne auferatur omninò. Imò addunt dicti DD. quòd nec capitula generalia, vel prouincialia poſſunt dictam auctoritatem coarctare, abſq; licentia Papæ generali, vel ſpeciali: Sed quòd poſſint dicta capitula coarctare priuilegia inferioribus Prælatis, ſeu Correctoribus localibus conceſſa per viuæ vocis oracula, habent priuilegium Leon. X. de quo dixi *tom.* 1. *noſtr. priu. in conſt.* 2. *Iulij II n.* 9. Ad coarctandum autem dicta priuilegia per alias conſtitutiones Pontificias, quàm per viuæ vocis oracula conceſſa, non habent hanc facultatem capitula ſiue generalia, ſiue prouincialia, quòd dicit Corduba *loc. cit.* Et licèt viuæ vocis oracula habeant eandem vim, ac aliæ conſtitutiones, vt dicunt Innoc. *in cap. Conſtitutus, de reſcript. n.* 2. & Felin. *conſ.* 6. *n.* 1. & dixi *tom.* 1. *noſtr. priu. in conſt.* 17. *Iulij II. n.* 1. tamen quia, derogatis aliis conſtitutionib. non cenſentur derogata viuæ vocis oracula, vt ibid. dixi *conſil.* 2. *n.* 26. Ideò hic etiam aſſero quòd conceſſo priuilegio ad derogandum viuæ vocis oraculis, non videtur conceſſum ad derogandum aliis conſtitutionibus, per identitatem rationis.

80. Dico 3. Superiores locales eſſe ex iis Prælatis, qui poſſunt ſibi eligere confeſſorem ad libitum vbicumque, & quotieſcumque iuxta *cap. fin. de pœnit. & remiſſ.* Ita Anton. 3. *par. tit.* 17. *c.* 2. §. 2. Sylu. *verb. Confeſſ.* 1. *q.* 8. Roſella *verb. Confeſſio* 3. §. 37. Henriq. *in ſum. lib.* 6. *c.* 13. *n.* 3. *in com lit.* P. Armilla *verb. Abſolutio*, §. 15. Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 4. *art.* 2. *verſu Similiter omnes*, Suarez *tom.* 4. *in* 3. *p. diſp.* 27. *ſect.* 2. *n.* 9. Vaſq. *tom.* 4. *in* 3. *p. q.* 93. *art.* 2. *dub* 4. *n.* 2. Nugn. *in* 3. *p. tom.* 2. *q.* 8 *art.* 5. *dub.* 2. *col.* 4. Molfeſ. 1. *p. ſum. tract.* 7. *c.* 15. *num.* 7. & 42. Long. *de caſ. reſer p.* 1. *ſect.* 1. *art.* 21. *n.* 2. Rodrig *tom.* 1. *q. reg. q.* 20. *art.* 28. Reginald. *in praxi lib* 1. *n.* 38. Conſtat ex *d. cap. fin.* Et aduerte, quod confeſſor eligendus non eſt neceſſe quòd ſit approbatus ad audiendas confeſſiones à Prælato Superiore, v. g. Prouinciali, ſed ſuffi it quòd ſit ſimplex Sacerdos, eo enim ipſo quòd ſimplex Sacerdos non ſuſpenſus, neque excommunicatus, neque interdictus eligitur à Prælato diſcreto, idoneus confeſſor cenſetur. Atque ita docent Sotus *loc. cit. art.* 3. *verſu Poſtremum dubium*, Long. *loc. cit. num.* 3. Et in Ordine noſtro hoc eſt indubitabile per Correct. *n.* 84.

81. Sed dubitabis, à quibuſnam caſibus poterunt abſoluere confeſſores electi Prælatos eligentes? Dico, quòd ab omnibus, à quibus ipſimet Prælati poſſunt ſuos Subditos abſoluere. Ita Sylu. *loc. cit. q.* 9. Anton. *loc. cit.* Angel. *ver. Confeſſio* 3. §. 7. Henriq. *in ſum. lib.* 7. *cap.* 28. *n.* 1. multos citans *in com. lit. H.* Reginald. *loc. cit.* Conſtat ex *conſtit.* 2. *Iulij II.* §. 9. & 49. *tom.* 1. *noſtr. priu.* & habetur expreſsè in noſtro Correct. *loc. cit.* Non poterunt itaque dicti confeſſores electi abſoluere eligentes à caſibus Superiori Prælato reſeruatis, ipſiſque eligentibus non conceſſis, vt notant in ſpecie Henriq. *lib.* 6. *cap.* 13. *num.* 3. Rodrig. *loco cit. q.* 21. *art.* 8.

82. Dubitabis etiam, an ſi eligens fuerit maiori excõmunicatione ligatus, poſſit electus eum abſoluere, & beneficium abſolutionis impertire? Dico, quòd ſic. Quia ſuma auctoritatem, non ab eligente, ſed à Canone committente. Ant. Sylu. *loc. cit.* Vnde collige, quòd ſi Superior percutiat aliquem ſuum Subditum, poteſt abſolui à confeſſore ab ipſo electo, vt notat Rodrig. *tom.* 1. *quaſt. reg. quaſt.* 20. *art.* 12. Barboſ *in cap. Monachi, de ſent. excom. n.* 4. Et ſi ſubditus, & Prælatus ad inuicem ſe percuſſerint, & in conuentu non ſit aliquis, qui eos poſſit abſoluere, poſſunt ab inuicem ſe abſoluere, vt dicunt iidem DD. & præterea Paſſarell. *in priuil. not. ab.* 35 *fine*, Tab. *ver. Abſolutio* 2. §. 6. Quia licèt excommunicatus non poſſit abſoluere ab excommunicatione; *c. Audiuimus*, 24. *q.* 1. in caſu tamen neceſſitatis poteſt; quia neceſſitas non habet legem; *c. Quod non eſt licitum, de reg. iur.*

83. Et aduerte hic, quòd Prælatus non excommunicatus poteſt licitè communicare in omnibus, etiam in diuinis, diuinum officium priuatim cum illis recitando, cum ſubditis excommunicatis non toleratis, ſicut patet naturalis cum aliis; eſt enim Prælatus pater ſpiritualis ſuorum ſubditorum, Similiter magiſter nouitiorum poteſt liberè communicare cum illis excommunicatis in omnibus, quia eſt illorum pedagogus ſpiritualis? Ita Auila *de cenſ. p.* 2. *c.* 6. *diſp.* 11. *dub.* 7 *fin.* Sot. *in* 4. *diſt.* 22. *q.* 1. *art.* 4. *concl.* 5. *ver. Secunda cauſa.* Similiter Subditi religioſi, etiam nouitij, poſſunt liberè communicare in omnibus cum ſuis Prælatis excommunicatis non toleratis. Ita Auil. *loc cit. dub.* 6. *fine*; Armill. *verſ. Excomm. n.* 46. Hi enim ſunt filij ſpirituales ſuorum Prælatorum, vnde in his habet etiam locum *c. Quoniam multos*, 11. *q.* 3. in quo cap. licèt expreſsè non dicatur, quòd pater poſſit communicare cum filio excommunicato, ſed ſolùm quòd filius poteſt communicare cum patre excommunicato, implicitè tamen id etiam intelligitur; quia filius, & pater ſunt correlatiua, & diſpoſita in vno correlatiuorum, in alio intelliguntur, vbi non cernitur ſpecialis ratio contraria *l. fin. ff. de acceptil. l. fin. Cod. de in dicta vidnit. tol.*

84. Sed inquies. Licèt Prælatus, & ſubditus ſint correlatiua, cernitur tamen in Prælato ſpecialis ratio, qua, ſi ſit excommunicatus, non poſſit cum illo communicare ſubditus; quia nimirum Prælatus excommunicatus non toleratus ſtatim eſt priuatus omni iuriſdictione, *c. Pia de excel. in* 7. Sylu. *ver. Excom.* 3. *n.* 3. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 12. *c.* 6. *per totum* vnde deſinit eſſe Prælatus: Quod non contingit in ſubdito, cui per excommunicationem non deſinit eſſe ſubditus. Reſpondeo. Verum quidem eſſe, quòd excommunicatus non toleratus eſt ſuſpenſus, ſeu priuatus omni iuriſdictione ſpirituali, quò ad vſum, non eſt tamen priuatus officio, niſi illi excommunicationi, quam incurrit, annexa ſit ipſo facto priuatio officij, vt Sylu. *loc cit.* Antonin. 3. *par. tit.* 17. *c.* 9. *verſus fin.* Vnde licèt Prælatus excommunicationem incurrat per leuem percuſſionem, ſubdito, ſuadente diabolo, inflictam, quæ qualis ſit, docent Nau. *in ſum. c.* 27 *n.* 92. Gen. *in praxi Neapol. c.* 90. *n.* 1. non tamen ſtatim eſt ipſo facto priuatus officio; eſt enim officiorum priuatio vltimum terribilium, vt dicitur, & determinatur in Ordine noſtro *c. Bonon.* 1. *n.* 15. vnde tam grauis pœna pro leui percuſſione infligenda non eſt, & docent in ſpecie Rodrig. *tom.* 1. *q. reg. q.* 34. *art.* 3. Portel. *in addit. ad dub. reg. ver. Manus violenta, n.* 3. Quare, cum non ſit ſtatim priuatus officio, poterit, temporaliam, & politicam dominationem domus exercendo, cum ſubditis priuatim communicare. Atque ita docet Auila *dub.* 6 *citat.*

85. Nota hic etiam, quòd Prælatus, qui poteſt confeſſorem eligere, ſemel electum poteſt ad libitum motare,

tate,& alium eligere, vt notant Anton. 3. p. tit. 17. c. 2. §. 2. fine. Angel. ver. Confessio 3. §. 6. Suar. to. 4 in 3. p. disp. 27. sect. 2. n. 11. & eo ipso quòd is, qui potest eligere confessorem, confitetur alicui videtur ipsum eligere; Anton. loco cit. Angel. cit. § 8. Quia plus est factis eligere, quam verbis, c. legebatur, de maior. & obed.

86. Dubitabis etiam, an Prælatus potestatem habens confessorem eligendi, possit eligere sacerdotem non subditum. Dico quòd duobus modis potest id contingere, primò si succedat, aliquem simplicem sacerdotem, non approbatum à suo Superiore, transire per aliquam Prouinciam, vel conuentum, an possit eligi in confessarium à Prouinciali, vel Correctore illius Prouinciæ, vel conuentus, secundò si Prouincialis, vel Correctur transeat per alienam Prouinciam, vel conuentum, an possint eligere sibi in confessorem aliquem similiter simplicem sacerdotem à suo Superiore non approbatum. In primo casu dico, quòd potest eligi, quia secundùm statuta omnium ferè Religionum transeuntes, & peregrini sunt subditi illorum Superiorum, in quorum Prouinciis, vel conuentibus degunt. Et ita docent Suarez tom. 4. in 3 p. disp. 28 sect. 6. n. 13. Fagund. in prae. Eccl. praecept. 2. lib. 2. c. 2. n. 80. In secundo casu videtur, quòd non possint, propter Trid. sess. 23. c. 15. de reform. & ita docent Suarez, & Fagundez loc. cit. Azor. tom. 2. lib. 4. cap. quaest. 16. ver. Quares, id negat Cardinalibus. Et quòd nequeant etiam id facere Episcopi, afferendo declarationem sacræ Congreg. docent Ricc. 1. part. prax. decis. 548. num. 2. De Ang. add. ad Quarant. verb. Archiepisc. auctoritas, num. 12. Nald. in summ. verb. Confessarius, num. 27. Sed quòd Prælati Regulares hanc facultatem habeant, docet Long. 4. part. de casibus reseru. sect. 1. art. 21. num. 2. & videtur colligi non solùm ex prædicto cap. fin. de pœnit. & remiss. quòd absolutè loquitur; sed etiam ex constit. 2. Iuly II. §. 9. & 29. tom. 1. nostr. priuil. quod cum sit priuilegium fauorabile, & nemini nociuum, latè est interpretandum, & priuilegia absolutè loquentia, absolutè etiam intelligenda sunt. l. De pretio, ff. de publ. in rem, act. & vbi lex non distinguit, nec nos etiam distinguere debemus. Et facit dictum cap. fin quatenus ait, quòd possint dicti Prælati absque sui Superioris licentia, dictum confessarium eligere; cum enim dicti Correctores, & Prouinciales per statutum Religionum sint Subditi in Conuentibus, & Prouinciis, per quas transeunt, possint absque Superiorum dictarum Prouinciarum licentia simplices Sacerdotes in confessarios eligere. Ad declarationem sacræ Congregat. dico, quòd loquitur solùm de Episcopis, ne sibi inuicem præiudicent in iurisdictione, cui cum non sint tam arctati Prælati Regulares eiusdem Religionis, ei non præiudicant, & consequenter dicta declaratione non comprehenduntur. Vide Dianam tom. 3. tract. 2. resol. 3.

87. Dubitabis etiam, an præsente confessario, à Generali, vel Prouinciali approbato, liberum sit dictis Superioribus localibus simplicem Sacerdotem eligere. Sigismund. de elect. dub. 125. concedit quidem, quòd Superiores locales possint vigore dicti cap. fin. de pœnit. sibi confessarium, etiam à Superioribus non approbatum, eligere, negat tamen num. 4. id posse, quando adsunt confessarij approbati à Prælatis, & citat pro se Suarez tom. 4. in 3. part. disp. 27. sect. 2. num. 10. qui non loquitur in hoc casu, sed solùm quando Religio haberet speciale priuilegium, vel statutum Regulæ approbatum à Papa post illud commune ius, quòd Prælatus inferior non posset confiteri nisi confessario à Prælato maiori assignato, tunc enim non posset Prælatus inferior illo priuilegio vti, quòd est verùm, quo eodem prorsus modo loquitur Reginald. quem pro se citat Sigismund. Censeo itaque Regulariter posse dictos Prælatos, etiamsi adsint confessarij à Superioribus maioribus approbati, eligere sibi in confessorem Sacerdotem non approbatum. Tum quia hoc est priuilegium omnium fauorabile, & nemini nociuum, vnde est largè interpretandum, iuxta reg. Odia, quæ est 15. de regul. iur. in 6. Tum quia consuetudo id iamdiù obtinuit. Tum quia iam ferè nihil valeret hoc priuilegium, cum in quibuslibet Conuentibus teneantur Superiores Prælati confessarios deputare, iuxta constitut. Clement. VIII. quam habes tom. 2. nostr. priu. in constitut. 10. Vrbani VIII. §. 72. Tum quia nullus alius classicus Doctor, quem viderim, hanc limitationem locum habere, eam vtique apposuisset. Neque obstat quòd idem Sigismund. affert, hoc priuil. concedi, quando imminet animarum periculum, quod non imminet, quando adest confessarius approbatus. Nam facultas, quæ conceditur omnibus Sacerdotibus absoluendi à quibuscumque casibus in articulo mortis, eo fine conceditur, Ne hac occasione aliquis pereat: vt dicit Trid. sess. 14. cap. 7. de Sacram. pœnit. Et tamen Nauarr. lib. 5. cons. de pœnit. & remiss. cons. 23. num. 2. Reginald. in praxi lib. 1. num. 61. vers. Quinimò, Sayrus in decis. lib. 4. tit. 22. decis. 21. Sà in Aphor. verb. Absolutio, num. 3 Long. de cas. reseru. part. 1. art. 16. num. 6. verb. Nihilominus, & alij multi dicunt, quòd præsente Parocho, seu alio habente facultatem absoluendi à reseruatis, potest nihilominus in dicto articulo constitutus eligere, alium talem facultatem non habentem, imò & simplicem omninò Sacerdotem, quòd est idem, quia verba Concilij admodùm sunt, & non est cur restringantur, & tamen eo casu non est periculum animarum.

88. Aduerte tamen, quòd in Ordine nostro cessat omnis difficultas; concedit enim legislator in Correct. num. 84. quòd Superiores locales possint vnum ex Fratribus eiusdem, Ordinis Presbyterum idoneum in suum confessorem eligere, vt dixi etiam tom 1. nostrorum priuilegiorum in constit 4. Sixti IV. num. 28. particula illa, idoneum, significat Sacerdotem eligendum non debere esse excommunicatum, neque suspensum, neque interdictum, sed debere esse scientem ligare, & soluere, vt explicat Sot in 4. dist. 18. quaest. 4. art. 3. vers. & ratio est. Quòd si non idoneum in scientiis positiuis eligant, licèt confessio valida sit, eligens tamen mortaliter peccat; tùm quòd contra mentem facit concedentis in re graui: tum quòd errandi se periculo exponit. Verum quidem est, quod si eligens videat Sacerdotem à se electum esse manifestè inhabilem, & sciat mortale peccatum esse tali confessori confiteri, confessio erit inualida: si verò existimet: confessarium esse idoneum, vel non esse peccatum ei confiteri, & hoc ei contingat ex ignorantia inuincibili, confessio non solum erit valida, sed etiam sine peccato, si verò id contingat ex ignorantia vincibili, confessio erit quidem valida, sed informis. Vnde qui post confessionem nouit confessorem non fuisse idoneum, si id ex malitia, vel affectata ignorantia factum est, tenetur confessionem iterare, si verò ex ignorantia, non tenetur iterare; sed solùm consulere circa casus difficiles, & de illa negligentia se accusare. Ita Nugn. in 3. part. tom. 1. quaest. 8. art. 5. dub. 3. princ. col. 2.

89. Aduerte etiam, quòd vigore huius priuilegij cap. fin. non possunt Prælati eligere sibi confessorem extra Ordinem, sed debent seruare iura, & statuta suæ Religionis. Ita Suarez tom. 4. in 3. part. disp 27. sect. 5. num. 10. Reginald. in praxi, lib. 1. num. 38. Nugn. loc. cit. dub. 1. col. 4. Quòd si Religio nihil statuat circa hoc, puto, quòd possint etiam eligere extra Religionem, sicut enim possunt aliis licentiam dare, vt dixi tom. 1. huius op. quaest. 1. cap. 21. conclus. 6. ita possunt eam sibi elargiri. Ita Molf. tom. 1. sum tract 7. cap. 15. num. 44. & sic electus non est necesse quod sit approbatus ab Ordinario, Molf. n. 45. Fagund. in 2 pracep. Eccl. lib. 7. c. 2. num 4. dixi in loc. cit. Relig. concl 7.

90. Ad

90. Ad vltimum hic quæres tria, primum, an in Superiores locales possint eligi, qui nesciunt linguã illius regionis, in qua sunt Superiores, secundum an dicti Superiores locales, possint ad suum libitum officiales manuales, sacristam, &c. amouere, tertium an dicti Superiores locales statim ac sunt electi, sint etiam confirmati.

91. Ad 1. Selua *de benef. part. 3. q. 27. num. 9.* & Sigismund. *de elect. dub.* 116. respondent negatiuè, & probant ex *cap. Quoniam, de off. ordin.* Sed profectò si linguam latinam saltem intelligat, & loquatur, non erit eius electio inualida, quia hæc ferè apud omnes Religiosos in Europa intelligitur, quare poterit se illis communicare: Conuersis autem eam non intelligentibus poterit se communicare per alium quemcumque & in casibus scrupulosis poterit alteri suam facultatem tribuere, vt conceditur *d. c. Quoniam. Et facit cap. Ad decorem, de inst.* Hoc tamen non laudare ex eo, quia extranei non solent tantum diligi, quantum naturales, nec sic cognoscunt suorum Subditorum humores, & complexiones, vnde non possunt ea efficacia adhibere remedia.

92. Ad 2. resp. affirmatiuè. Ita Nauarr. *tom. 2. de reg. num. 65. vers. Addo octauè* Et de Priori claustrali Azot. *part. 2. c. 2. q. 2.* Th. à Iesu *de statu Monach. 5. part. c. 1. vers. Horum verò.* Probant, quia cum ista officia prouideantur ordinariè ad libitum Superiorum Conuentualium, ad eorum etiam libitum remoueri possunt. Et ita habetur in Trid. *sess. 25. cap. 2. de reg. & cap. Cum ad Monasterium, §. Tales, de statu Monac.* Glossa *in cap. Monachi, verb. Non mutetur, eodem tit.* Faciunt *cap. Ad nostram, & cap. Porrecta, de confirm. vtil. vel inutil.* Limitant tamen Nauarr. nisi id malo animo fiat; nam tunc dicti officiales amoti possunt agere contra Superiorem, vt restituantur. Innoc. *in c. insinuante, qui clericis, vel vou num* 1. D. Aluin. *de poe. Abb. cap. 6. num. 2. vers. Sed non obstantibus.* Ex quo collige, quod Vicarius Conuentus electus ad libitum Prouincialis, ad eius libitum amouendus, si malo animo amoueatur, potest contra ipsum agere, vt restituatur, qui est casus Innoc. animus autem malus ex coniecturis probatur, vt Mascard. *de probat. concl. 105. num. 10. concl. 95. num. 2. & 6.* vt si verbis, & operibus solitus fuit officialem male tractare. Limita etiam secundò nisi aliud habeant Religionis constitutiones, vt v. g. Subprior Prædicatorum, qui à Priore instituitur cum consilio Discretorum sui Conuentus, non potest amoueri à Priore, nisi cum consilio patrum, & per vota secreta. Nec etiam potest amoueri, quando imminet tractatus eorum, quæ ad capitulum mittenda sunt, vt constat *ex eorum const. part. 3. c. 13.* & dicit Castell. *de elect. 18. præsertim num* 6. In ordine Minimorum dicta officia prouidentur per Correctorem, & capitulum locale, vt constat *ex Reg. num. 8. & 43.* vnde non possunt sine causa rationabili auferri; per doctrinam Innoc. *in cap. In singulis, de statu Monach. num. 2.* Imò in Conuentibus Romanis, qui sunt Cameræ Generalis, per declarationem Congreg. Regul. factam *ann.* 1616. non possunt à Generali ipso, durantibus eorum officiis, vt iis Conuentibus amoueri.

93. Ad 3. Variæ sunt Religionum constitutiones, quæ omninò sunt inspiciendæ. Rodrig. *tom. 2. quæst. regul. quæst 53. art. 6* dicit, quòd electiones Guardianorum factæ per Prouincialem, & Definitores in ordine Minorum statim censentur confirmatæ, per priuilegium Benedicti XIII. confirmatum, & extensum à Pio IV. & expeditum à Pio V. In ordine Prædicatorum Prior electus ante confirmationem nullam habet administrationem, nec ius ad dictum Prioratum, vnde neque potest illi renuntiare, neque appellare, si non confirmetur, vt constat *ex part. 3. suar. const. cap. 17. ver. Electus autem canonicè*, & dicit Castell. *de elect. c. 2. n. 23.* In Ord. Minim. hæ electiones fiunt à Fratrib. localib. *die 15. Sept.* nec vllam per eas acquirũt electi iurisdictionem, nisi post confirmationẽ capituli definitorij, quæ fit die 29. eiusd. mensis. Verum quidem est, quòd electiones dictorum Correctorum, quæ fiunt in Conuentib. Romanis, statim sortiuntur effectũ. & Correctores exercent suam iurisdictionẽ, tam temporalem, quam spiritualẽ in Subditos, petunt tamen confirmationẽ à Generali. Et in hoc iuuantur tum consuetudine, tũ dicto priuilegio Benedicti, in quo statuitur, quòd in Priorẽ ritè electus, ante confirmationem possit liberè exercere administrationẽ tam in temporalib. quam in spiritualibus, dummodò infra tempus legitimum confirmetur.

§. V.

Quid possint, vel non possint Correctores locales in ordine Minimorum secundùm ipsorum Regulam, constitutiones, & priuilegia.

94. Dico primò Correctores locales non recipiunt nouitios ad Religionẽ, sed id pertinet ad Superiores Prælatos cum suis Sociis, vt constat *ex Reg. n. 2. & Correct. n.* 16. Dicam latiùs *infra q. 3. c. 1. n.* 15.

95. Dico 2. Nouitios ad professionem recipere pertinet ad Prælatos Superiores, cum consensu Correctoris, & capituli localis, licet enim id non dicatur in *Reg. n. 3.* consequitur tamen ex eo, quòd dicitur, *n. 2.* ad ipsos nimirum Superiores Prælatos receptionem nouitiorum pertinere; quia si recipiunt ad habitum, multò magis ad professionẽ, vt ait Paslai. *in schol. ex Barch n. 12.* Quòd verò requiratur capituli consensus, constat *ex Reg. n. 3.* ibi, *si à Fratribus professis.* Vide quæ dixi *tom. 1. huius operis q. 1. cap. 26. §. 2. sub conclus.* 4. In absentia autem Prouincialis potest capitulum locale, nouitios ad professionem recipere, absque illius expressa licentia. Nisi fortè à prædicto Prouinciali id fuisset specialiter prohibitum. Ita statuitur *in cap. Val. 2. num.* 15.

96. Dico tertiò. Correctores concedunt licentiam ad equitandum super asinum, vel mulum, iuxta Fratrum qualitatem, & regionum diuersitatem, & consuetudinem; modò tamen sellæ, & fræna sint simplicia, & religiosa, *Reg. n. 11. Correct. 22. cap. Turon. num. 25. Tolos. num. 55. Val. 5. num. 20. vers. Primum.*

97. Dico quartò. Reparationi Ecclesiæ, & Fratrum debitæ subuentioni per Correctores locales, & eorum capitula piè subuenitur, *Reg. num.* 24. & ægrotis de Correctoris iussione in infirmorio charitatiuè succurritur de omnibus cibariis, pro sanitate celeriùs restauranda, *Reg. num.* 26. Non licèt tamen Correctoribus extrahere à comedendis cibis Paschalibus in infirmaria ægrotos sine medici consilio, *c. Gennen. 4. num.* 14.

98. Dico 5. Correctores locales possunt dispensare super cunctis ieiuniis Regulæ, *Reg. n.* 31. Adque ipsos pertinet concedere licentiam Fratribus comedendi extra horam solitam refectionis ordinariæ; Inque deuotorum sæcularium domibus recubandi, ibique pernoctandi, cum commodè non possunt ad monasteria diuertere; *Reg. n.* 33. Ad ipsos etiam Correctores pertinet hospites benignè, & charitatiuè colligere, ac Fratres deputare ad illis inseruiendum. *Reg. num.* 34.

99. Dico 6. Correctores locales, cæterique Superiores Ordinis Minimorum tenentur in victu, & vestitu secum cæteris Fratrib. iuxta posse conformare; *Reg. n. 39 Correct. n. 65.* quod est conforme decretis Clem. VIII. quæ habes *to. 2. nostr. priu. in const. 20. Vrb. VIII* §. 25. & 27. Et aduerte, quòd singularitas, quæ reddet difformem Correctorem, ac cæteros Superiores à reliqua communitate, debet esse notabilis, & onerosa, vt Correctorium ipsum *loc. cit.* declarat. Quo modo verò intelligatur illud *iuxta posse*, dicam, benedicente Domino, in explicatione Regulæ ad illum locum. Vbi similiter explicabo illa verba dicti num. 39. *Nisi generalis, vel prouincialis capituli consensu interueniente*, & diligenter ponderabo statutum

totum ſuper illis factum *in c.Genuen.5.n.25.* & doctrinam Paſſat.*in ſchol.ex Genuen.n.25.verſ.Sed ſuper tertium.* Quòd autem hæc approbatio non ſit neceſſe, quòd fiat in ſcriptis,& qui dicendi ſint laudabiliter vixiſſe, vide *in c.Val.5.n.21.verſ.Septimum*; & vide etiam decretum *in cap.Maſſil.1.* in dubiis Miſſis à Cardin. de Nazareth, *dub.3.*

100. Dico 7. inſtituere Prædicatores, Lectores, confeſſarios Fratrum, & nouitiorum, ad ſuperiores Prælatos pertinet; *Reg.n.42.Correct.n.79.& 85.* Vbi autem dicti ſuperiores Prælati eſſent abſentes, & immineret neceſſitas aſſignandi neceſſarium nouitiis, tunc Correctores de conſilio ſuorum Seniorum poſſent dictum confeſſarium ex approbatis à ſuperioribus Prælatis, præfatis nouitiis aſſignare; *Correct.n.89.cum decl. c.1. Bonon.n.12.* Idem dic, ſi dicti ſuperiores Prælati in hoc negligentes extitiſſent. Neque poſſunt dicti locales Correctores arcere fratres legitimè in confeſſarios deputatos ab audientia confeſſionum. Quòd ſi caſus aliquis, vrgeret, id poſſet localis Corrector, cum conſenſu ſuorum Seniorum; *Correct. n.88.*

101. Dico 8. Aſſignare Informatorem nouitiis ad ſuperiores Prælatos pertinet; *Reg. n.42.* ſi tamen nimium auſterus eſſet, vt inexemplaris, aut indiſcretus, poterit per Correctorem, & eius capitulum deponi; *Correct.num.90.* Sed nunc per decreta Clem. VIII. quæ habes *to.2.noſt.priu.in conſt.10 Vrb.VIII.§.91.* Magiſter nouitiorum per capitulum prouinciale eligitur ad triennium, quo triennio durante, abſque legitima cauſa, iuridicè probanda, amoueri non poteſt. Verùm ſi indiſcretus, vel ſcandaloſus fuerit, per Correctorem localem, iuxta tex. *Correct.cit.* puto, quòd poterit ſaltem ſuſpendi, quovſque Prælatus ſuperior conſulatur; & interim poterit Corrector cum conſilio, & aſſenſu ſuorum Seniorum, & grauiorum Patrum conuentus alium ſubſtituere. Similiter in caſu mortis, & longæ abſentiæ, niſi in dicto cap. prouinciali ei ſocius fuiſſet deputatus, nam tunc ipſe nouitiatus curam gereret, quovſque per Superiorem maiorem prouideretur, iuxta formam traditam in dicta conſt. Vrb. VIII.

102. Dico 9 Officiales conuentus, Sacriſtam, Procuratorem, Diſpenſatorem, Prouiſorem, &c. eligere, ad Correctorem cum ſuo capitulo locali pertinet; *Reg. n. 8. & 43. Correct.n.91.* Poſſunt etiam fieri per ſuperiores Prælatos tempore viſitationis; *Reg num.43.* de conſenſu tamen capit. localis, vt conſt. *ex conſt.17. Iuly II. §.5.* quam habes *tom.1. noſtrorum priuileg.* Et de Senioribus *in Correct. n.70 & 74.*

103. Dico 10. Correctores locales, reuoluto ſui Correctoriatus anno, debent ſemper ad minus per annum ſubiecti remanere, niſi ad altiora eligantur; *Reg. n.49.* Vnde ſi Corrector eligatur in Prouincialem, & de Prouinciali in Generalem, ſufficit deinde; quòd remaneat ſubditus pro eo tempore, quo fuit Generalis. Ita *in capit. Turon. num.35. & Toloſ. num.62.* Poſſunt tamen qui fuerunt Correctores, vel Prouinciales, deputari in Vicarios alicuius conuentus pro eo perficiendo, vel promouendo, *cap. Genuen.6. num.23. Rom.7. ſeſſ. 10.* Si verò Correctot, perfecta minori, vel maiori parte ſui officij, fuerit priuatus, poteſt iterum immediatè ſuo tempore eligi, ſi fuerit habilis, per doctrinam, quam probat, Paſſarel. *in ſchol.ex Genuen.n.28.* Secus autem, ſi ſpontè renuntiauerit, nam tunc eligi non poterit in proximè ſequenti feſto S. Michaëlis, per ſtatutum factum *in cap.Val.n.19.ad 2.* Et de his, qui ſpontè officiis renunciant, vt ad maiora eligantur, adeſt decretum Eminentiſſimi Cardinalis Aldobrandini Protectoris, tenoris ſequentis.

104. *Nos Hippolyt. tit.S.Angeli in Piſcina, Cardin. Aldobrand. Camerarius, & Ordinis Minimorum Protect. Cum ad nos, & Correctorem generalem Ordinis Minimorum remiſſa fuiſſet ſolutio dubij propoſiti in cap. vltimo generali, ſeſſ.11.& vlt. Romæ celebrato, cuius tenor eſt. Dubitatum fuit, an qui alicui officio renuntiauit, poſſit ad aliud officium aſſumi, etiam alterius qualitatis. Patres reſponderunt, hoc eſſe committendum Illuſtriſſimo Domino Protectori, vnà cum Reuerendiſſimo P. Generali tantùm. Ideò re maturè conſiderata, vtque omnis ambitioſus aditus fratribus precludatur; dicimus, & declaramus; quòd quicumque frater dicti Ordinis ad aliquam dignitatem, vel officium fuerit aſſumptus, ſi huic renuntiauerit, illum ad aliud æqualis, vel etiam ſuperioris qualitatis officium, toto tempore, à Regula officio, cui renuntiauit præfixo, aſſumi non poſſe. Ita vt nec Zeloſus, nec Collega Generalis, in Prouinciales, nec Collegæ prouinciales in Correctores locales, ſicuti nec Prouinciales in Collegas generales, nec Correctores in Collegas prouinciales, ſi officio renuntiauerint, poſſint eligi, ſed toto reſiduo officij tempore ſubditi remaneant. In quorum fidem, &c. Dat. Romæ, in Palatio noſtræ ſolitæ reſidentiæ die 8. Aprilis 1626. Hippolytus Cardin. Aldobrand. Protector, Frater Simon Bachelier Generalis.* Quæ determinatio fuit acceptata *in c. Generali Barch.3. ſeſſ 5.n.10.* Sed aduerte bene, quòd intelligitur ſolùm de his, qui poſt acceptatas dignitates eis renuntiant, non de his, qui renuntiant, antequam acceptauerint, iuri per electionem acquiſito, nam ſic diuerſos, & malos cauſaret effectus. Et ita declarauit ſacra Congreg. Regul. *anno 1631. menſe Ianuarij.*

105. Dico 11. Correctores locales non poſſunt conuentu exire, niſi pro iuſta cauſa, & de capituli ſcientia, & Seniorum aſſenſu; *Reg.n.50.* iuſta autem cauſa eſt, quando peragendum eſt aliquod negotium, conuentus vtilitatem directè, vel indirectè concernens, quòd per alios fratres, & oblatos decenter expediri non poteſt. *Correct.n.112.* Illud verò, De capituli ſcientia, non ita intelligitur, quaſi neceſſe ſit, quòd quotieſcumque Correctores volunt exire, debeant congregare capitulum, ſed ſatis eſt, quòd ante, vel poſt diuinum officium, ante, vel poſt refectionem exitus ſui cauſam fratribus proponant. Ita *in conſt 17. Iuly II § 6. tom.1. noſtr. priuileg.* Prælatis verò ſuperioribus præſentibus poſſunt dicti Correctores cum ſola ipſorum licentia, etiam contra Seniorum voluntatem, foras exire. *Paula n.25. Bonon.1.n.13.* Tenentur etiam, quando exeunt, de capituli ſcientia, & Seniorum conſilio, relinquere ſuo loco aliquem Fratrem idoneum ad ſuum libitum, etiamſi relictus fuerit anno præterito Corrector, vel Prælatus ſuperior, vſque ad menſem, vel citra, & non vltra; *Paula loco cit. Genuen.1.n.6. Turon.n.23.* Similiter ſi infirmetur Corrector, poteſt Vicarium relinquere per menſem, *Val.2.n.12.Genuen.3.n.9.* Quòd ſi Correctoris infirmitas, vel abſentia vltra menſem prolatetur, electio deuoluitur ad capitulum locale, & Correctorem infirmum, ſi eſt in conuentu. *Gen.3.n.9.* Sed nunc poſſunt etiam relinquere per duos menſes: *Maſſil.1.n.45.* Et aduerte, quòd quando capitulum eligit Vicarium per infirmitatem, vel abſentiam Correctoris, non eligit ordinariè, niſi per menſem, poteſt tamen eligere per totum tempus, quo infirmitas, vel abſentia durauerit, & licet à principio intenderit ſolùm eligere per menſem, eo tranſacto, abſque noua electione, poterit permittere illum perſeuerare quovſque voluerit, vel fuerit neceſſe, Paſſarell. *in ſchol.ex Genuen.n.28.* Et aduerte etiam, quòd ſi Prælatus ſuperior ſit præſens, quando Corrector vult exire è conuentu; vel infirmatur, non poteſt Vicarium relinquere, niſi de aſſenſu illius. *Toloſ.n.35.Bonon.n.14.* Qui aſſenſus non requiritur ad eligendum Vicarium, id enim habent Correctores à iure: ſed requiritur ad eligendam perſonam Vicarij relinquendi, vt dixi *tom. 2. noſtr.priu.in conſt 7. Pauli V.n 48.* Et aduerte etiam, quòd Corrector infirmus poteſt relinquere Vicarium pro toto tempore infirmitatis, ſi penuria fratrum id exigat: *Val.2.num.12.* & tempore infirmitatis poteſt ſe

intromittere de rebus conuentus, ibid. *n.13.* Denique nota, quòd Correctores exeuntes è conuentu absque scientia capituli, & Seniorum assensu, si ter moniti non resipuerint, debent ab officio per duos menses suspendi. Quòd si post prædictam suspensionem iterum in hunc errorem lapsi fuerint, trina etiam monitione præuia, debent officio priuari; *Massil.1. n.47.* Vnde vides arbitrariam pœnam Correct.*n.112.* determinatam.

106. Dico 12. Correctores locales puniunt percussores aliorum fratrum, quando percussio fuit leuis, aut grauis, non autem quando fuit enormis; *Correct.n.6. & 7.* Et hic nota pro semper, quòd in Regula nostra Corrector nunquam pœnam carceris infligit sine consensu capituli. *Correct.n.6.10 & 33.* damnatos autem ad carceres ad longum tempus per superiores Prælatos, infirmitatis causa de consensu capituli, & consilio medici Corrector transfert in locum tutum, si facilè, & absque periculo Superior maior de tali infirmitate moneri non potest, *Correct. n.7.*

107. Dico 13. Corrector cum capitulo locali, & Prælatorum Sociis deponit, & suspendit superiores Prælatos committentes delicta, depositione, & suspensione digna, secundum dispositionem, & determinationem dicti Corr. & prouidet de Superiore vsque ad capitulum prouinciale, vel generale; *Correct.n.9.* Si verò talia delicta perpetret Corrector ipse, deponitur, vel suspenditur similiter per Seniores, & capitulum locale, & per eosdem loco depositi alius substituitur, quovsque per Generalem, vel Prouincialem super hoc plenius definiatur. *Correct.n.10.* Dicti autem Superiores suspensi in nulla re subiiciuntur eorum substitutis, sed simpliciter remanent in conuentibus suæ depositionis, quovsque per generales, vel prouinciale capitulum, si de Generali, vel Prouinciali loquamur, vel per Prouincialem, aut Generalem, si de Correctore locali, pleniùs deliberetur. *Correct.num.11.* Circa autem modum procedendi in capitulo prouinciali, quando ad ipsum pertinet plenior definitio Prouincialis depositi, vel suspensi, vide *c. Val. 4. num. 21.*

108. Dico 14. Fures quoscumque puniunt Correctores. *Correct.n.13.* & videtur, quòd etiam in figura iudicij, vt colligitur ex illa clausula *legitimè conuictus fuerit.* Scito autem, quatuor esse modos conuincendi reos; de quibus Glossa *in cap. Nos in quemquam 2. quæst. 1.* Primus iure, scilicet instrumentis, & testibus, secundus facti euidentia, vt si fur cum furto in manibus reperiatur, tertius iuris interpretatione, vt si pluries citatus non comparuit, quartus violenta suspicione, idest quando talis est suspicio, quæ nos cogit ad iudicandum rem ita esse, vt si fractam cellam aspiciamus, & aliquem ex ea egredientem suffarcinatum, & deinde intelligamus in ea cella deesse habitum, vel pileum. Puto igitur, quòd Correctores possunt procedere contra fures in facti euidentia, & violenta suspicione, in quibus non requiritur omnimoda figura iudicij, *cap. ad nostram, el 3. de iure iur. iuncta Glossa, verb. Obseruandus.* In aliis autem hoc pertinere ad superiores Prælatos, & etiam in illis, si sint præsentes. Furtum autem sacrilegum punire, ad superiores Prælatos pertinet, vt colligitur *ex Corr. num. 14.* poterunt tamen Correctores hoc casu furem sacrilegum carceribus detinere, per ea, quæ dixi *tom. 1. nostr. priu. in constit. 2. Syxti IV. n.64.* ex Trid. *sess. 25. de reform. cap. 6.* & colligitur etiam *ex dicto Correct. n.20.* vbi apostatæ, & gyrouagantes, per Correctorem, & capitulum locale ad carceres per tres menses damnantur, eorumque arbitrio talis pœna mitigatur. Hos autem priuare actiua, & passiua vocibus, ac iure primogenituræ, ad Prouincialem, vel Generalem pertinet, sicut illos rehabilitare, ad prouinciale, vel generale capitulum spectat.

109. Dico 15. Correctores tenentur qualibet secunda, quarta, & sexta feria capitulum culpatum celebrare, nisi in iis festum aliquod duplex, vel alia vrgens necessitas occurrat. *Correct.n.28.* Verum tamen est, quòd sicut per necessitatem capitulum omitti potest, ita propter aliquod vrgens negotium potest celebrari, etiam festo duplici occurrente; Colligitur *ex dicto loco Corr.* vbi non prohibetur in festo duplici capitulum celebrari, sed solum permittitur non celebrari; ergo, si necessitas vrgeat, conceditur: in dictis autem capitulis debet Corrector commendare Fratribus D. Papam, & Eminentissimum Protectorem, cum toto Collegio Cardinalium, & reliquos omnes benefactores, pro quibus tenetur Religio, Prouincia, & conuentus orare. *Correct. n.28* Non debent tamen dicti Correctores in huiusmodi capitulis diu detinere Fratres, nec quæ secreta sunt permittere diuulgari. *Correct.n.32.* Quare autem dicta capitula dicantur culparum, & an Religiosi teneantur sub culpa ad pœnam in iis à Superioribus taxatam, vide *tom. 1. huius op. c.5. vers. In nostro.*

110. Dico 16. Inobedientes, & contumaces punire potest Corrector etiam pœna carceris de consensu capituli, & quandocumque parati fuerint obedire, de eiusdem consensu liberare. *Correct.num.33.* Nota S Patris charitatem pro emolliendis induratis.

111. Dico 17. Violatores castitatis sanctæ non possunt Correctores punire, sed id pertinet ad superiores Prælatos cum suis Sociis. *Correct.n.36.* poterunt tamen Correctores dictos in flagranti repertos carceribus detinere, vt dictum est *n.108.*

112. Dico 18. ad Correctores pertinet punire clauigeros, & Seniores, qui extra conuentum ituri, non eodem die reuersuri, dictis Correctoribus non indicauerint, cuinam Fratrum clauem, vel quemnam de Conseniorum consensu loco suo reliquerint. *Correct.n.45.*

113. Dico 19. Correctores tenentur singulis tribus mensibus coram locali capitulo, & in fine sui officij coram proprio Prouinciali rationem reddere de cunctis eleemosynis, eo tempore suis conuentibus obuenitis: tenentur etiam eleemosynas, quæ superfuerunt (salua prouisione per annum pro infirmis, & fratrum indumentis, ac aliis necessitaribus, præsertim pro fabrica perficienda, iuxta *const. 17. Iulij II. §. 9. tom. 1. nostr. priu.*) in pias causas distribuere; *Correct. num. 47.* vbi contrafacientibus apponitur pœna perpetuæ priuationis vocis actiuæ, & passiuæ.

114. Dico 20. Qui contra paupertatem, eleemosynas fraudando, delinquunt, per superiores Prælatos puniuntur; *Correct. num.43.* Qui verò eleemosynas, sibi à parentibus, vel aliis datas, Correctori non præsentauerit, & de eius licentia non expenderit, per superiores Prælatos priuari debet iure primogenituræ per annum; *Correct.num.48.* immò tenetur eas in capsa quatuor clauium, cum aliis eleemosynis conuentus reponere; *Paula num. 12.*

115. Dico 21. Correctores inæqualiter eleemosynas distribuentes, etiam de capituli scientia, & Seniorũ consilio, per superiores Prælatos puniuntur; *Correct.n. 49. & 109. Tolos. num. 35. fine.* Possunt tamen dicti Correctores vni Fratri plus, quàm alij, tribuere, quia plus egeat; non enim omnes æqualiter indigent; *Correct. dicto num. 109.* Puniendi ergo solùm quando inæqualiter, cæteris paribus, distribuunt. Et nota, quòd assignare vestimenta Fratribus, ad superiores Prælatos pertinet, vt colligitur, *ex dicto loc. Correct. num. 109.* & vsus comprobauit.

116. Dico 22. Superiores Prælati non possunt bona vnius conuentus in alium transferre, neque sibi applicare, sine speciali consensu Correctoris, & capituli conuentus, à quo talia bona transferenda sunt; nisi in capitulo Generali, vel prouinciali aliter ordinaretur: vel nisi pro euidenti necessitate alicuius conuentus id fieri, prudens, & charitatiua Prælati discretio suadeat. *Correct. num. 50.* Sed in omnibus rebus, etiam parui momenti,

momenti, etiam quando adest euidens necessitas alterius conuentus, consulo vt semper Prælati curent obtinere consensum saltem Correctoris, & Seniorum, ad vitandas murmurationes. Res autem magni momenti transferri non possunt sine licentia Papæ, quia censentur alienationes.

117. Dico 23. Violatores vitæ quadragesimalis, & introducentes carnes in nostros conuentus, per superiores Prælatos puniuntur, *Correct. num.* 51. 53. Atque ita vides, quòd punire delinquentes circa vota castitatis, paupertatis, & vitæ quadragesimalis, ad Prælatos pertinet, vt dixi *num.* 111. 114. delinquentes verò circa obedientiam etiam per Correctores puniuntur modo dicto *num* 110. Et aduerte hic vnum bonum punctum, quòd superiores Prælati in puniendis delinquentibus contra vota non egent Collegarum consensu, cum pœna sit per regulam taxata, neque ipsi habent facultatem eam minuendi, vt constat *ex Correct. num.* 23. ibi *Nisi fortè super aliquo*, &c. Ex *n.* 105. ibi *exceptis votorum pœnis*. Et clarissimè *n* 107.

118. Dico 24. Correctoribus in refectorio vix loqui permittitur, ne de refectorio capitulum faciant; *Correct. n* 60. punire autem silentium frangentes ipsorum est, *Correct. n.* 59.

119. Dico 25. Correctores debent reuerenter recipere superiores Prælatos, cum ad eos diuerterint, illisque debitum honorem humiliter impendere, & iuxta loci facultatem benignè tractare; *Reg. n.* 38. *Corr. n.* 61.

120. Dico 26. dare benedictionem fratribus ad exeundum foras, Correctorum est; *ex Correct. num.* 62. & probaui *tom.* 2. *nostr. priu. in constit.* 7. *Pauli V. n.* 47. Et aduerte, quòd foras egressuri semper tenentur petere benedictionē à Correctore, etiamsi sit ibi præsens Prouincialis; non enim dicit legislator, quòd eo casu egressuri petant benedictionem à Prouinciali, sed solùm quòd Corrector pro reuerentia sui maioris supplicet Prouinciali, vt iis benedicere dignetur.

121. Dico 27. Correctores locales in præsentia Prouincialis possunt suum ordinarium officium exercere, ter in hebdomada capitulum culparum celebrare, fratres corrigere, de bonis monasterij secundùm Regulam disponere, &c. *Correct. num.* 64. Neque obstat illa clausula eodem num. posita. *In quantum sibi à suis prædictis superioribus Prælatis, & eorum vices gerentibus permissum fuerit.* Nam præter ea, quæ dixi *tom.* 2. *priu. cit. n.* 46. hic addo, clausulam illam non importare meram, & liberam voluntatem, sed arbitrium boni viri; Barbosa *de clausul. claus.* 69. Monera *de distrib. p.* 1. *q.* 9. *n.* 27 Gonzal. 6. 7. *n.* 112. *ad reg.* 8. *cancell.* Menoch. *de arbit. lib.* 1. *q.* 8. *à n.* 1. bonus autem vir est; quem describit Horat. lib. 1. ep. ep. 16. ad Quinct.

—— Vir bonus est quis?
Qui consulta patrum, qui leges iuraque seruat;
Quo multa magnaque secantur iudice lites.
Quo responsores, quo causa teste tenentur.

Et plura huiusmodi videre potes apud Menoch. *de arb. lib.* 1. *in proœm. n.* 6. *&* 7. & cum duplex distinguant Iuristæ arbitrium, vt Menoch. *lib.* 1. *de arbit. q.* 6. *n.* 1. primum, quòd plenum, & liberum appellatur 2. quòd iure, ratione, ac æquitate regulatum dicitur, & 1. sit concessio à lege, vel homine facta, qua potest is iudex, semoto iure, ratione, ac æquitate, sed proprio ductus appetitu, à dolo tamen alieno, quòd placuerit statuere 2. verò sit concessio à lege, vel homine facta, qua possit is iudex, quid sentiat iure, ratione, ac æquitate animi sui proferre sententiam, quique non in alium statuat, quòd sibi statui negare posset, vt Menoch *loc. cit. num.* 2. *&* 3. qui de vtrisque arbitriis in sequentibus agit, & quidem de libero *q.* 7. examinans singulariter verba, quibus illud conferri solet; *&* *q.* 8. examinat pariter verba, per quæ regulatum arbitrium confertur: Et licet illa clausula *in quantum sibi permissum fuerit*, neque in 1. neque in 2. arbitrio numeretur à Menoch. cum tamen assimiletur illi, *Vt videbitur, Vt placuerit*, &c. quæ arbitrium regulatum important, hanc nostram idem arbitrium importare dicendum est. Et dato, quòd sit dubium, quodnam arbitrium importet, in dubio, præsertim cum agitur de præiudicio tertij, secundùm Menoch. *loco cit. q.* 9. *n.* 8. Thusc. *ver. Arbitrium, concl.* 470. *n.* 26. præsumendum est, per eam arbitrium liberum non fuisse concessum, sed iure regulatum. Non vult ergo dicere legislator, quod superiores Prælati possint Correctorum iurisdictionem ad suum beneplacitum sine iure, & ratione (quòd aliqui malè prætendunt) impedire, sed solùm, quod quando aliqua iusta ratio in casu aliquo particulari suaserit, Correctores debere ab aliquo abstinere, v. g. à mittendis extra conuentum Fratribus, possit id illis Prouincialis, vel alius superior Prælatus impedire. Et quòd hæc sit germana interpretatio illius loci, probo ex *eodem Correct. num.* 64. vbi dicitur *ob hoc tamen*, &c. Cum enim *n.* 62. *&* 63. mandasset legislator, quòd vbicumque præsentes fuissent Corrector localis, & Prouincialis, ille tanquam minor huic cederet tanquam maiori, & quòd quando fratres egressuri benedictionem à Correctore peterent in præsentia Prouincialis, ipse Corrector nutu, vel verbo ipsi Prouinciali supplicaret, vt dictis fratribus benedicere dignaretur; Et similiter mandasset, quòd quando in refectorio adessent Generalis, vel Prouincialis, ab istis: non à Correctore fratres benedicerentur, dubitari poterat, an similiter in præsentia dictorum Prælatorum posset Corrector de rebus monasterij disponere, volens hanc dubitationem resoluere, subdit, *ob hoc tamen non intendunt*, &c. vbi nota, quòd dictio, *Tamen*, est limitatiua superiorum, vt Barbos. *de dict. dict.* 347. *n.* 1. cum ergo in illis duobus casibus *n.* 62. *&* 63. statuerit potestatem Correctoris ferè, vel omninò cessare in præsentia Prouincialis, volens prædictam regulam limitare, ait *n.* 64. *ob hoc tamen*, &c. Et quia etiam poterat contingere, vt expediret auctoritatem Correctorum suspendere in aliquo casu, ideò ne de hoc possent inter superiores, & inferiores Prælatos oriri controuersiæ, quæ non sunt vnquam sine subditorum scandalo, declarat, id esse superioribus Prælatis concessum. Neque etiam hic dictis obstat statutum *c. Bonon.* 1. *n.* 14. quo cauetur, quòd quando adest superior Prælatus in conuentu, nihil notabile concludatur, neque conclusum executioni mandetur per Correctorem, & capitulum locale, nisi ex scientia, & assensu ipsius; nam id intelligo, quod superior Prælatus declarauerit, velle se intendere super dicto negotio, vt colligitur *ex cap. Tolos. n.* 34. Nec est inconueniens, quòd Corrector præsente superiore Prælato, suum exerceat officium; cum eorum officia sint circa diuersa.

122. Hinc collige, non posse Prouincialem auferre auctoritatem à Correctore; neque etiam Generalem posse auferre auctoritatem à Prouinciali procedendi in aliquo casu contento intra limites suæ iurisdictionis. Immò neque posse superiorem Prælatum priùs in dicto casu procedere, quàm Prælatus inferior, si ad hunc primæ causæ pertineant; neque posse dictam causam sibi immediatè reseruare, vel auocare. Cum enim hi Prælati inferiores, non à superiori Prælato, sed à lege, & Regula iurisdictionem suam ordinariam acceperint, non possunt pro libito suæ voluntatis eam illis auferre superiores Prælati. Quòd satis probat Trid. *sess.* 24. *de reform. cap.* 20. vbi ait, *quòd causæ omnes in prima instantia coram ordinariis dumtaxat cognoscantur.* Et quòd sub nomine, Ordinarij, ibi intelligantur omnes habentes iurisdictionem ordinariam docet Paris. *de resign. lib.* 2. *q.* 11. *n.* 19. Sanch 3. *de matrim. disp.* 29. *n.* 5. & multi alij apud istos. Et in casu nostro Portel, *in addit. ad dub. reg. ver. Prælati potestas, n.* 8. Cum aliqua tamen causa potest superior Prælatus in casu particulari inferioris potestatem coarctare; sicut enim cum

illa potest in totum officio priuare, ita potest partem illius ab eo auferre, vt dixi *tom. 2. prin. in const. 7. Pauli V. n. 43.* Sed de ista causa debet constare: vnde non sufficeret, superiorem Prælatum dicere, se ad id iustam causam habere, sed debet illam manifestare, vt dixi *tom. 1. huius op. q. 1. c. 1x. concl. 5. vers. Neque credendum.*

123. Dico 28. Correctores notabiliter omittentes chorum, vel refectorium, per superiores Prælatos puniri debent. *Correct. num.* 66. quòd etiam statuit Clemens VIII. *in const.* 10 *Vrb. VIII* §. 18. & 53 *tom. 2. nostr. prin.* & aduertant Correctores, quòd peccant omninò mortaliter, si absque legitima causa sunt notabiliter negligentes in frequentatione chori, vel in celebratione Missæ. Ita expressè. A S. Fausto *in thesaur. relig. lib. 6. q. 179. num. 2.* & quòd, si semel moniti non se correxerint, debent officiis priuari: *per cap. fin. d. 92.* vbi statuitur, quòd clericus Ecclesiæ deputatus, qui ad quotidianum psallendi officium non conuenerit, debet deponi. Et in Concil. Aquisgranensi sub Stephano Papa V. & Ludouico Pio *cap.* 531 quòd habetur *tom. 3. Concil. p. 1. sect. x. pag. mihi* 250. ita habetur, *Qui verè has horas frequentare, & in his, vt dignum est, cæleste neglexerit officium persoluere, digna inuectione corripiatur, vt & ipse emendetur, & cæteri timorem habentes, huiusce modi negligentiam caueant.* Colligitur id etiam ex *c. 1. & c. Dolentes, de celebr. Miss.* & ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 12. *de refor.* & manifestè probatur ex *Clem. 1. de celebr. Miss.* vbi § *vlt.* Superioribus etiam regularibus, vt notat in specie Trul. *in elucid. sui Ord. lib. 2. c. 1x. n. 1.* mandatur, vt sollicitam diligentiam adhibeant, vt debitis horis conuenienter officium diuinum celebretur, *si Dei, & Apostolicæ Sedis indignationem euitare voluerint.* Quæ verba important præceptum ad mortale obligans, vt dixi *tom. 1. prin. in const. 3. Sixti IV. n. 7* Et ratio est, quia certum est tum ex iure communi, tum ex regula, & constit. Pontificum teneri regulares ad officium recitandum in choro, & id tenentur Superiores sub mortali curare, vt constat *ex dicta Clem.* ergo eodem præcepto tenentur assistere, cum & ipsi pars sint communitatis, & capita; vnde tenentur non solùm assistere quatenus partes sunt, sed etiam quatenus capita ratione exempli, & scandali vitandi. Atque ita Suarez *tom. 5. de relig. de hor. can. lib. 4. c. 10. n. 8.* A S. Fausto *de hor. can. lib. 2. q. 18.* Filliuc. *tom. 5. tract. 23. c. 4. n. 135.*

An autem subditus, qui habet consuetudinem nunquam accedendi ad Chorum, etiamsi non sit studiorum causa occupatus, peccet mortaliter, putat quod non Diana *tom. 3. tract. 2. resol.* 18.

124. Vnde sequitur, quòd Prælati, qui sunt causa per suam incuriam, vt vno die omittatur totum officium diuinum in choro, vel aliqua hora peccant mortaliter, quo etiam peccato afficiuntur, qui tali omissioni causam præbent, vel ad illam cooperantur, etiamsi priuatim illud officium dicant. Ita Sotus *lib. 10. de iust. quæst. 5. art. 3. vers. fin.* Ledesm. *part 2. summ tract. 9. cap. 4. concl. 7.* A S. Fausto *loco cit.* Et ratio est, quia agunt contra præceptum Ecclesiasticum ad mortale obligans. Similiter peccant mortaliter Superiores, quando permittunt, quòd in choro omittatur officium B. M. V. eo tempore, quo secundùm consuetudinem dici debet; nam tunc est pars officij diuini. Ita Sorb. *in comp. priuil. mendic. verb. Officium diuinum 3. vers. Sed an officium, pag. mihi* 449. Graff. *1. p. decis. lib. 5. cap* 53. *num.* 53. Sot. *loco cit. art. 4.* extra chorum verò non tenentur singulariter illud dicere obligati ad officium diuinum, per concessionem Pij V. *in approbat. breu.* Item mortaliter peccant Superiores permittentes quòd in choro non dicatur officium mortuorum prima die post Festum Omnium Sanctorum; & similiter peccant, qui extra chorum illud non recitant: Sot. & Graff. *loc. cit.* Suar. *loco cit. cap. 25. n. 9.* Similiter mortaliter peccant permittentes, vt omittantur in choro Litaniæ maiores in die S. Marci, & in tribus diebus ante Ascensionem, nisi adsint publicis processionibus, quia sunt pars officij illius temporis. Suarez *loco cit. numer.* 8. ad quas dicendas tenentur etiam recitantes officium extra chorum. Permittere autem ne dicantur in choro psalmi graduales, pœnitentiales, & officium defunctorum, quando secundùm Breuiarij rubricas debent dici, mortale non est, Suarez *loco cit. cap. 13. num.* 13. & hoc etiamsi adesset consuetudo, tollitur enim hæc obligatio per dictam bullam Pij V. Idem dic de septem psal. qui quotidie dicuntur à Minimis; cum enim non obligentur ad hoc nisi ex Regula, quæ ad nullum peccatum obligat, eos omittere non erit peccatum, nisi fortè concurrat vna ex illis quatuor causis, de quibus dixi *tom. 1. huius op. cap. 5. notab.* 8. Sed de hac materia vide pleniùs Nauarr. *tom. 4. de or. c. 10 n. 4.* Azor. *tom. 1. lib. 10. c. 16. q. 3. & 4.* Fil. *tom. 2. tract. x3. c. 6. à n. 211.* à S. Fausto *de hor. can. lib. 2. q. 304.* Gauant. *tom. 2. sect. 9. c. 1. & c. 2. per tota.*

125. Dico 29. Correctores non possunt professis imponere pœnitentias coram nouitiis exequendas, nec eos obligare ad dicendas culpas coram illis, nisi vbi professi coram nouitiis deliquissent. *Correct. n.* 67.

126. Dico 30. Correctores de Seniorum consilio, & assensu capituli possunt libros pro bibliotheca emere, vel, si adsint aliqui duplices, vel minùs vtiles, aut non conformes statui Religiosorũ, eos vendere, prout pleniùs definitur *in cap. Val. 4. num.* 8. Possunt item Correctores de eorundem consilio, & assensu emere pannos, vel stamineas pro nouis vestibus faciendis, conuentum, & Ecclesiam ædificare, vel reparare, negotiaque omnia monasterij determinare. *Correct. num.* 72. Correctores autem, qui dictum consilium, & consensum prætermiserint, post binam monitionem, ab officio suspendi debent per Seniores, & capitulum locale, ac per superiores Prælatos ad mensuram delicti puniri. *Correct. n.* 73.

127. Dico 31. discordiæ ortæ inter Correctores, & subditos, debent definiri per Seniores, & maturiores fratres conuentus; quòd si subditi culpabiles inuenti fuerint, debent puniri per capitulum locale; si autem inuentus fuerit culpabilis Corrector, debet puniri per aliquem superiorum Prælatorum; *Correct. num.* 35. differentiæ autem ortæ inter Correctorem, & Seniores, per capitulum locale extingui debent, *Correct. num.* 73. Debent tamen Seniores in omnibus suis Correctoribus obedire, & sine vlla præeminentia in suis locis sedere. *Correct. n.* 74.

128. Dico 32. Correctores non possunt punire, deponere, priuare, vel emendare Lectores, modum Religiosis conuenientem in suis lectionibus excedentes, sed id pertinet ad superiores Prælatos. *Correct. n.* 75. si tamen ipsi Lectores delinquant quò ad mores, possunt per Correctores, in his, quæ ipsorum Correctorum facultatem non excedunt, puniri, cum Correctorium *loco cit.* solùm loquatur de Lectoribus excedentibus in modo legendi.

129. Dico 33. Correctores cum suo locali capitulo possunt concedere literas dimissorias suis subditis, tam quò ad ordines minores, quàm quo ad sacros. *Corr. n. 78. e. Barch. 1. n. 6.* Passar. *in schol. ex Barch n. 11. vers. Intellige eo non posse.* Vbi bene declarat, hac potestate non posse, nec debere capitulum vti in præsentia superioris Prælati sine scientia, & assensu ipsius, nec etiam in absentia in casu prohibitionis, non quidem generalis, nec perpetuæ, sed specialis, iuxta ea, quæ dico *tom. 2. nostr. prin. in const. 7. Pauli V. n. 43* Quò verò ad presbyteratum, id pertinet ad superiores Prælatos. *Correct. n.* 77. Non possunt tamen præfati Superiores ad ordines suscipiendos mittere, qui voce capitulari, seu primogenitura priuati sunt; *cap. Tolos. num. 12. Genuen. 7. n. 57.* Et aduerte, quòd fratres laici, qui alias in capitulo locali vocem habent, in hoc negotio mittendi fratres ad ordinationem,

nationem,& aliis negotiis spiritualibus vocem non habent; per definitionem *Correct. n.71.*

130. Dico 34. Correctores habentes per se,vel per alios cuiquam disciplinam,debent ab officio statim suspendi per Seniores, & capitulum locale, *Correct. n.68.*

131. Dico 35.Correctores locales possunt prohibere confessoribus fratrum, nè beneficium absolutionis in aliquo casu suis subditis impendant. Possunt item dicti Correct. excommunicare, *Correct. n.87.*

132. Dico 36. Nullus frater Minimus potest literas extraneorum ad extraneos deferre, vel eis describere absque Correctoris licentia; literas tamen fratrum eiusdem Ordinis potest quilibet,cui diriguntur,deferre, dummodò priùs Correctori ostendantur; *Correct. num. 100.* Nec possunt fratres sibi inuicem scribere, nec etiam ad extraneos, absque eo quòd literæ subscribantur à Correctore locali.Ita *in c.Val.5.n.21.* Suis tamen Superioribus possunt singuli scribere, absque dicta Correctoris subscriptione; *Tolos. n.46.*

133. Dico 37.Locales Correctores in præsentia Generalis, vel Prouincialis non possunt etiam de consensu Seniorum,& capituli,cuiquam pœnitentias graues arcens,&c.imponere.sed,quando casus occurrerit,debent intimare Prælato superiori præsenti, & ipsius arbitrio relinquere; *Correct. n.105.*

134. Dico 38. Correctores in acceptatione possessionis sui officij tenentur facere inuentarium seu registrum omnium bonorum mobilium,spectantium ad sacristiã, coquinam, conuentum, infirmariam,bibliothecam, ad hoc vt possint de iis tempore visitationis rationem reddere Prælatis superioribus visitantibus. Quòd si in hoc fuerint negligentes, debent perpetuò officiis priuari, & vlteriùs grauiter puniri ad arbitrium visitatorum. Correct. *n.108.*

135. Dico 39. Omnes Superiores Minimorum impetrantes ab Apostolica Sede aliquod indultum contra regulam, sunt ipso facto priuati suis officiis, & fratres ab illorum obedientia exempti; *Correct. n.110.* intellige, nisi Papa,expressè huic statuto derogaret.

136. Dico 40. Correctores locales, & alij omnes superiores Prælati peccantes contra aliquod quatuor votorum,statim debent ab officio deponi, & capitulari voce perpetuò priuari; *Correct. n.111.*

137. Dico 41. Correctores videntes aliquem fratrem clamorosum, præsertim sæculares scandalizantem, seu rebellantem, & contumacem possunt eum in carcerem detrudere,absque Seniorum consilio,& obedire recusantem,de Seniorum consilio,& assensu castigare, *Tol. n.47.*

138. Dico 42. Correctores destruentes studium,occupantesque studentes ita in negotiis conuentus (absque magna,& vrgenti necessitate) vt lectiones Lectores omittere necessitentur, post trinam monitionem cum debitis temporum interuallis,eis in capitulo per Seniores in absentia Prouincialis factam, debent ab officio per mensem suspendi, & similiter Prouinciales per eorum Socios; *Malche n.6.*

139. Dico 43. Correctores in locis remotis à ciuitatibus,de consensu Seniorum, & consilio chirurgi possunt supplere medici absentiam, si facilè haberi non possit, quò ad concedendum alicui, vt possit carnes comedere; *Genua 1. n.33.*

140. Dico 44. Correctores legitimo impedimento præpediti, possunt vnà cum capitulo locali vnum ex suis fratribus ad capitulum prouinciale mittere, qui in eodem capitulo vices dictorum Correctorum gerat. *Bonon.5. n.10.*

141. Dico 45. Correctores negligentes in cura infirmorum,trina præuia monitione per Seniores,& capitulum locale ad mensem suspendi debent,& per Seniores infirmis prouideri. Quòd si vrgens infirmitas illam trinam monitionem expectare non concedat, & Correctores non prouideant, tenentur prouidere Seniores, qui, si in hoc fuerint negligentes, puniri debent per Superiorem; *Val.1. n.11.*

142. Dico 46. Correctores tenentur assignare Socium Collegis prouincialibus, extra conuentum exire petentibus, ipsi verò Collegæ in absentia Prouincialis tenentur à Correctoribus benedictionem, non licentiam, petere; *Val. 3. n.8. fin.*

143. Dico 47. Correctores perseuerant in officio, etiam post festum S. Michaëlis cum titulo Correctorum, quousque successores personaliter compareant in conuentibus suorum Correctoriatuum, *Val.4 n.27.*

144. Dico 48.Electio Vicarij conuentualis loco Correctoris defuncti,priuati,vel suspensi,vel cassati propter electionis defectum,ad capitulum locale pertinet:poterunt tamen superiores Prælati per aliquot dies, donec capitulum electionem faciat, prouidere. *Val.4 n.30.*

145. Dico 49. Correctores dantes vestimenta, à superioribus Prælatis assignata,in pecunia,sunt ipso facto priuati suis officiis. *Val.4. n.34.*

146. Dico 50. Correctorum electiones non fiunt in illis conuentibus,qui reguntur per Vicarios, sed prouisio Vicariorum ad Prouinciales,& eius socios pertinet, & Socij eiusmet Prouincialis possunt in præfatos Vicarios eligi. *Genua 4. n.19.*

147. Dico 51. Correctores debent quò ad officium diuinum, & celebrationem Missarum curare, vt obseruentur cæremoniæ Missalis,& Breuiarij Romani,in refectorio verò, & in aliis cæremoniis nostri Ordin. *Genua 4. n.32. Massil.1. n.63.*

148. Dico 52. non possunt Correctores fratres,Missos à superioribus Prælatis in suos conuentus; ad ipsos superiores Prælatos remittere,sed priùs debent eos monere per literas,ad hoc vt possint prouidere. *Barch.1. n. 27.* vbi idem determinatur de Prouinciali respectu,Generalis.

149. Dico 53. Correctores non possunt absoluere à transgressione votorum,sed id reseruatur solis superioribus Prælatis;*Correct.n.68 Genua 5.n.18.* vide Passar. *in schol ex Genuen.n.18.* & quæ dico *tom.2.priu.in const.10. Vrban. VIII. n.12.*

150. Dico 54.Correctores non possunt eligi in Scribas capituli localis, quando agitur de Correctore,Discreto,Commisso,vel Vicario eligendo. *Auen.2 n.10.* potest quidem Corrector in casu paritatis vocum, & ter repetita electione, vnum ex illis duobus,qui sunt pares in vocibus,in Scribam,&c. eligere; *Genua 6. n.26.* Si autem electi pares non fuerint in prædictis electionibus,is ad officium assumatur, qui plures voces habuerit. *Barch.3.sess.5. vespert. n.1.*

151. Dico 55. Parochi nostri Ordinis sunt omninò subiecti Correctoribus. *Auen.2. n.26.* Vide quæ dico *tom.1. nostr. priu. in const.26. Leon. X. n 4.*

152. Dico 56.Correctores non possunt eligi ex aliena Prouincia, nisi priùs in illa per annum saltem permanserint, *Auen.2. n.29.* Intelligitur tamen de iis,qui nunquam in ea Prouincia fuerint, *Barch.2. n.33.* Nec intelligitur de Correctoribus Romanis,qui possunt eligi ex qualibet Prouincia, vt probo *tom.2. nostr. priu.in const.7. Pauli V. à n.18.* & quòd fratres illorum conuentuum possint eligere Correctorem extra capitulum,declarauit Sacra Congreg. Regularium *anno* 1625 *die 7. Octob.*quam Congregationis declarationem confirmauit,& approbauit S.D. Vrb. VIII *die 11.eiusdem mensis, & anni.* Quam approbationem ponam in additamentis ad priuilegia Regularium.

153. Dico 57. Super Correctores possunt Prouinciales Vicarios pro emergentibus tantùm constituere; *Correct.n.106.* Emergentia autem negotia ea dicuntur, quæ maxima egent celeritate,nec ad Superiorem commodè recurri potest. *Auen.1. n.31.*

154. Dico 58. Correctores non debent vllo modo vocari

vocari Priores, *Barch.2. numer.* 38. & est contra *Reg. num.*44.

155. Dico 59. Correctores, qui & simul sunt Definitores, cum pergunt ad capitulum definitorium, possunt relinqoere Vicarium, qui præsideat vsque ad aduentum personalem noui Correctoris, *Gennen. 7. numer.* 39.

156. Dico 60. Correctores dum actualiter sunt in officio, non possunt eligi in Collegas Prouincialis, possunt tamen eligi in Collegas Generalis, *Roma 6. n. 14. dub.5.*

157. Dico 61. Correctores electi à capitulis localibus, non possunt ad libitum capitulorum definitoriorum, vel prouincialium mutari de conuentu, in quo fuerunt electi, in alium; sed ad hoc necesse est interueniat causa iusta, & rationabilis, probanda, & discutienda in dicto capitulo, & in illius actis describenda; *Roma 7. sess.* 8. Vide quæ dico *tom.1. huius op. q.1. cap.* 31. §. 7. Quando autem dico causam, ad id requiri iustam, & rationabilem, intellige, quòd causa debet esse legitima, & vera, ac iuris ordine seruato probata, iuxta dicta à Panor. *in cap. Ea, quæ, de sent. & re iud. n.1.*

158. Dico 62. Correctores functi suis officiis possunt eligi in Vicarios amouibiles ad nutum Prouincialium in aliquibus conuentibus paruulis, & postquam continuauerint per annum in dictis Vicariatibus, possunt iterum eligi in Correctores pro 3. annis, modò in 2. anno in Vicarios non eligantur per electionem, sed solùm per Prouinciales, & Collegas; iuxta *cap. Rom. 7. sess.* 10. *ver. Quod Vicarij.* Ita *in eodem cap. ibid. ver. Ad dubium.*

159. Dico 63. in conuentibus, vbi non sunt nisi tres sacerdotes vocales, possint Correctores nominare in Scribam vnum ex illis duobus, ad effectum electionum faciendarum Correctoris dicti conuentus, & Commissi ad capitulum generale, non autem Discreti ad capitulum Prouinciale, quia hic debet esse de corpore capituli, illi autem non est necesse; *Roma 7. sess. 11. ver. Dubitatum est etiam.* Et nota hic declarationem sacræ Congreg. Concilij, factam *die* 22. *August.* 1626. his verbis. *Quaritur, vbi duo Religiosi regulares in aliquo Conuentu locales reperiuntur, & debeant electionem Superioris illius conuentus peragere, & non habeant Scribam Fratrum propria Religionis, num possint assumere aliquem alium Religiosum alterius Religionis, vel Presbyterum, aut Notarium Apostolicum in Scribam, ne conuentus, & ipsi priuentur eorum iure, cum Scriba secundùm iura possit esse extraneus. Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Trid. interpretum, Respondit, posse assumere in Scribam personam extraneam, aliàs facultatem habentem acta, seu instrumenta conficiendi in rebus Ecclesiasticis. R. Card. Vbaldinus, Franciscus Paulutius S. C. Secretarius.*

160. Dico 64. Correctores possunt absoluere per priuilegia Apostolica suos subditos ab omnibus casibus etiam reseruatis Papæ, præter septem, vt probaui *tom. 1. nostr. prin. in const. 4. Sixti IV. n.25. cum praced.* An autem dicti Correctores possint à censuris, seu aliis casibus absoluere, præsente superiori Prælato, quando res ad forum contentiosum deducta est, vt si v. g. duo fratres se mutuò publicè percutiant. Puto quòd non, quia cum ad superiorem Prælatum iudicium illius fori pertineat, pertinet etiam eos à dicta censura absoluere, & alioquin inconueniens grande est, quòd illi excommunicati, priusquam fisco satisfaciant, sacramentaliter absoluantur, & diuinis se ingerant: atque ita tenere videtur Long *de casib. reser. par.1. sect.2. art.4.* pro quo facit *cap. Ex parte, el 1. de ver. signif.* ibi, *Si offensa est manifesta.*

161. Dico 65. Correctores ad id specialiter à Generalib. deputati, possunt dispensare cum illegitimis ad dignitates obtinendas, per ea, quæ dico *tom.1. nostr. prin. in const.2. Iulij II. n.96.* & præter priuilegia ibi ad hoc adducta, adest etiam priuilegium Clem. VIII. concessum Clericis regularibus de Somascha. *Decet*, apud Cherub. *tom.3. bull. in const.* 22. *Clem. VIII. pag. mihi* 29. vbi dat facultatem Generali, vt cum suis Collegis possit dispensare cum illegitimis ad recipiendum, retinendum, & exercendum administrationes, officia, & dignitates. Et absolutè posse Prælatos regulares cum illegitimis dispensare, sicut ante constitut. Gregorij XIV. docet Sigismund. *par.2. de elect. cap. 4. dub.76. num.6.*

162. Dico 66. Possunt Correctores dispensare cum homicida voluntario in rixa, vt dico *tom. 1. prin. cit. n.*104. & cum iudice homicida, *ibid. n.*105. Item cum homicida casuali indirectè, & occulto, *ibid. n.* 112. Item cum membra mutilante, *n.*117. Item in bigamis, *num.*120. Item absoluere possunt suum subditum, qui percussit clericum sæcularem, vel religiosum alterius Religionis, *ibi n.*119.

163. Dico 67. Possunt Correctores absoluere omnes fratres suæ Religionis, vndecumque ad eos declinantes, à sententiis excommunicationis, suspensionis, aut interdicti, à iure, vel à iudice generaliter promulgatis, *per const. cit. Iuly II.* §. 9. *Ad quem §. vide qua dico.*

164. Dico 68. Correctores in diebus indulgentiarum deputant sex, aut plures confessarios, qui absoluant ad eorum Ecclesias confluentes illis diebus, etiam à casibus Episcopalibus. Ita concessit Leo X. *tom.1. nostr. prin in eius const.2.* §. 2. Vide quæ ibi dico *n.* 3. & vide etiam *tom. 2. eorundem prin. in const. 2. Pauli III. n.5. &* 6. & possunt dicti Correctores ad hoc munus deputare non solùm Sacerdotes professos, sed etiam nouitios, vt ibi dico *n.7.*

165. Dico 69. Correctores tenentur singulis annis quærere suos apostatas, & eos, si bonam præbeant emendationis spem, reducere ad Religionem, iuxta decretum sacræ Congregationis quod habes *tom. 2. nostr. prin. in const.* 10. *Vrb. VIII.* §. 7.

166. Dico 70. Correctores ab Episcopis inuitati, vt eant cum suis Fratribus ad publicas processiones, obedire tenentur, vt habetur in Trid. *sess 25. de regul. cap.* 13. & dixi 1. *part. nostri Ritualis notab.* 1. alioquin possunt puniri à dictis Episcopis pœna priuationis sui officij, vt dixi *tom.1. nostr. prin. in const.2. Syxti IV. num.60.*

167. Dico 71. Correctores possunt benedicere ornamenta Ecclesiastica, & corporalia, non solùm pro suis Ecclesiis, sed etiam pro aliis, vt latè probaui *in 2. par. nostri Ritualis, à notab.9.*

168. Dico 72. Correctores cum suo conuentu possunt leuare corpora suorum Fratrum decedentium extra conuentum, absque licentia, vel scientia Parochi, vt probo 3. *p. Ritual. notab.1. & tom. 2. nostr. prin. in const.7. Py V. n.12. ad decimum.*

CAPVT V.

Quam iurisdictionem habeant Superiores regulares in suos subditos.

1. PRo hoc cap. videri potest Rodrig. *tom.1. q. reg. q.17. art.1.* Mir. *tom 1. man. q. 13. art. 5.* Suar. *tom.3. de relig. lib 2. c.18. & tom 4. tract.1. lib.2. c.1.* Sanch. .5. *in decal. cap.1. n.* 15. 20. & 21. Vasq. 1. 2. *disp.165. cap.5.* Azor. *tom.1. instit. mor. lib.12. c.6. q.6.* Salas *de leg. disp.8. sect.18.* Thom. à Iesu *in reg. Carmel. c.10. dub.3. par.3.* Less. *lib.2. de inst. c.41. dub. 1. à num.10.*

2. Suppono 1. statum Religiosorum fuisse à Christo Domino

Domino institutum, & ab Apostolis amplexatum, & seruatum. Ita D.Thom. 2. 2. q.88. *art.4. ad 3.* Palud. *in 4. d.38. q.1. diff.5. concl.3.* Ledes. *de stat. Relig. in comm. c.4. concl.1. pag. mihi* 78. Plat. *de bon. stat. relig. lib.2. cap.20. per tot.* Vasq. *loc. cit.* Suar. *tom.3. de relig. lib.3. c.2. à n.3.* Maucl. *lib.5. de monar. Eccl. cap.13. part.2. lib.5. c.13. n.1. tom.1.* Sanch. *loco cit. n.15.* & alij communiter DD. & PP. quos adducunt Suarez, Vasq. Plat. Et probatur ex *illo Matth.*19. vbi Christus dixit cuidam adolescenti, *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*; ex quibus habes votum paupertatis, *Et veni, sequere me*, vbi habes votum obedientiæ per sui ipsius traditionem. De voto castitatis ibidē dicitur, *sunt eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum*, idest, qui se priuauerunt potestate carnalibus voluptatibus vtendi, amore regni cœlorum adipiscendi, alioqui enim eunuchi non essent. Et quòd Christus ibi loquatur de statu Religiosorum, constat manifestè, nam cum adolescens eum interrogasset, quid faceret, vt vitam æternam possideret? respondit Christus, seruanda illi esse mandata; quæ cum se seruasse replicasset adolescens, subiunxit Christus, *si vis perfectus esse, &c.* Quasi diceret, licèt si hominibus in statu sæculari existentibus sufficiat pro salute æterna consequenda mandata seruare, iis tamen, qui perfectiorem vitæ statum anhelant, non sufficit mandata seruare, sed debent prætereà omnia, quæ mundi sunt, mundo relinquere, & se totaliter Deo tradere per propriæ voluntatis abnegationem, atque etiam se omninò per votum castitatis potestate licitè coëundi priuare. Quòd verò Apostoli hunc statum amplexi fuerint, constat ex eodem *Matth. cap.* 17. vbi Petrus auditis, quæ à Christo fuerant adolescenti dicta, nomine omnium Apostolorum dixit, *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Ac si diceret. Ecce, Domine, fecimus, quod iussisti, reliquimus in primis omnes nostras facultates, & potestatem amplius eas, vel alias habendi, *& secuti sumus te*, dando in manus tuas voluntates nostras, quibus promisimus, nolle facere, nisi quod iusseris, & volueris; in quibus verbis includitur votum castitatis; cum enim scirent, Christum requisisse ab iis, qui eum in statu perfectionis sequi voluerant etiam castitatem; si vouerunt facere, quòd ipse vellet, consequenter etiam vouerunt castitatem. Vnde etiam aliquæ Religiones votum solum faciunt obedientiæ in quo includuntur alia duo. An verò Apostoli fuerint Monachi, vel Clerici, dixi fuisse Monachos *tom.2. nostr. priu. in const.5. Pij V. n.3.* Quod modo confirmo auctoritate Epiph. aduer. hæres. *hær.* 58. vbi explicas de Apostolis illud Matth. 19. *sunt eunuchi*, &c. ait, *Quoniam igitur fuerint quam generosi Apostoli, ac monasticam vitam degentes*; &c. Et Ber. *ad fratr. de mon. Dei*, loquens de antiquitate status monastici, ait. *Res enim à Deo familiarissimè celebrata, & ab eius discipulis ipso præsente concupita.*

3. Suppono 2. Ex vi votorum præcisè non posse quemquam ita se alteri subiicere, vt ei in se ipsum iurisdictionem tribuat; licèt enim iure naturæ personæ nulli subiectæ possint inter se conuenire, & aliquem sibi proponere, qui in ipsas habeat iurisdictionem, vt dixi hic *supra. cap 1. num.* 87. Quæ tamen alicui subiectæ sunt, id facere nequeunt, quocumque voto aut iuramento interueniente, quia esset in præiudicium Superioris iam electi. Cum ergo iurisdictio spiritualis iam tota à Christo Domino collata sit Summo Pontifici, aliisque Ecclesiasticis Prælatis cum subiectione ad illum, hinc fit, quòd nulla priuata persona possit se ipsam per votum alteri spiritualiter subiicere, nec in se ipsam alteri iurisdictionem præbere; sed ad hoc requiritur, quòd vota ipsa acceptentur ab ipso Superiore, vel ipsius nomine; quo fit, vt Regularium Prælati vi votorum præcisè nullam habeant iurisdictionem spiritualem in subditos, sed formaliter virtute Pontificis, qui ipsis Prælatis facultatem concessit ipsa vota acceptandi; Atque ita docet Vasq. 1. 2. *disp.* 165. *c.4. à n.24.* Sanch. 5. *in dec. c.1. n.20.* Hinc fit, quòd, cum Pontifex Prælatis Religionum tradiderit eam potestatem; quam ipse, vel alij Prælati, & Superiores habebant super nouitios, si dicti Prælati regulares præcipiant aliquid nouitiis cum intentione eos ad mortale obligandi, seu etiam sub pœna excommunicationis, hi obedire tenentur, non vi voti, quòd nun fecerunt, sed vi potestatis, à Pontifice per ingressum Religionis super ipsos receptæ; Quod notat Salas *de leg. disp.8 sect.*18.

4. Suppono 3. totam monasterij potestatem apud Prælatum residere; c. *Nullam* 18. *q.* 2. quæ potestas dicit in Prælato triplicem iurisdictionem. 1. est œconomica circa res temporales monasterij, & Religionis. 2. est spiritualis, tam in foro interno, vt confessiones audire, quàm in foro externo, vt casus reseruare, excommunicare, &c. 3. est iudiciaria, prædictis necessariò annexa, vt docet D.Thom. *quodlib.* 1. *art.*16. vt subditos corrigere, visitare, &c. de quibus omnibus mihi dicendum est in hoc opere. De tertia dicam remissiuè *in q.*4. De 2. quò ad forum internum satis dixi *in prin. Minim.* quò ad forum externus dicam *q.* 3. De prima nunc aliqua. Videatur pro ista potestatis diuisione Vasq. *loco cit. num.* 28. *&* 29. Regin. *in praxi*; *lib.* 1. *à num.* 10. Thom. à Iesu *in expos. sua reg. c.* 10. *p.3. dub.* 1.

5. Quò igitur ad potestatem œconomicam, cum partes illius sint principaliter duæ, homo, & possessio; vt ait Arist. 1. *œconom. c.* 2. scire debet Superior, vt paterfamilias, quòd duas res principaliter debet curare, quæ sunt, sub se, nimirum homines idest, subditos; & res, idest facultates. Et circa facultates quomodò dispensandæ, concedendæ, conseruandæ; dixi multa *tom.* 1. *huius op. q.* 2. & quomodò alienari, vel non alienari possint, dixi etiam multa *tom.1. priu. in const.* 9. *Iuly II.* quæ cum satis sint per se diffusa, hic non repeto; Solùm tangam aliqua de potestate œconomica.

6. Circa familiam igitur, quæ, cum sit pars nobilior, & principalior, & propter quam datur possessio, indiget sollicitiori cura, & diligentia, aduertendum, quòd quinque genera subditorum habere potest sub se Prælatus, nimirum Sacerdotes seniores, Sacerdotes iuuenes, clericos, nouitios, conuersos; inter hos sunt aliquando infirmi, quandoque hospites; ex his etiam multi viri graues, vel honorata prælaturarum functione, vel laurea scientiarum, vel corona sanctitatis, vel Principum familiaritate; ex his etiam multi sunt officiales. Cum his omnibus quomodò se gerat prudens Superior, vt Deo, Religioni, & sibi cultus debitus tribuatur, hic insinuo.

7. Primò igitur in communi ea aliis, & eo modo studeat imperare, quæ ab aliis sibi imperari optaret, vt dicitur Tob. 4. *Quòd ab alio oderis tibi fieri, vide, ne tu aliquando alteri facias*, & Greg. 2. par. pastor. cap.10. ait, *Cuncti quippe, quousque in hac mortali carne subsistimus, corruptionis nostræ infirmitatibus subiacemus: Ex se ergo debet vnusquisque colligere, qualiter aliena hunc oporteat imbecillitati misereri, ne contra infirmitatem proximi si ad increpationis vocem feruentius rapiatur, oblitus sui esse videatur.* Et Chrys. hom.13. ad pop. Antioch. *Non opus est*, inquit, *multis sermonibus, neque prolixis legibus, nec varia doctrina, voluntas tua sit lex. Vis beneficia capere? confer beneficium alteri: vis misericordiam consequi? miserere proximi: vis laudari? lauda alium: vis amari? ama: vis partibus primus potiri? cede illas prius alteri.*

8. Secundò æqualiter omnibus se amicum exhibeat, æqualiterque omnes in omnibus tractet; seque

æqualiter omnibus conformet. Omnia Bonau. de sex. al. Seraph. c. 6. *Licèt enim meliores in affectu præferendi sint minoribus, & omnes propter spem salutis in Christo amplectendi sunt; in actu tamen exterioris exhibitionis taliter se gerat ad omnes, vt nullus se ab eo contemni propter alios suspicetur, sed quilibet se ab eo diligi præsumat; & fiducialiter ei, quasi singulari amico, confidat, ne alicui indignatio, & inuidia in aliis nutriatur.* Et superiùs dixerat. *Communem vitam cum cæteris obseruet, in victu, vestitu, & habere, vt non iacet conuiuiis, & potationibus, cum alij sobrio cibo, & potu vtantur; nec sit eis dissimilis habitu, cum quibus est ei professio communis; nec à labore cæterorum se subtrahat, qui illos iubet in eisdem laboribus exerceri.* Et Chrys. hom. 58. ad pop. *Vna*, ait, *mensa, & ministerium suscipientibus, & exhibentibus, eadem fercula, eadem indumenta, habitacula eadem, eadem vita; Et quid miraris*, subdit, *quòd vna sit omnibus dieta, vestis, & mensa, quippe cum omnibus sit vna anima?* Hanc vniformitatem pluriès præcepit S.P.N. *Reg. n.* 39. *Correct* 65. & dixi *c. prac.* §. 5. *n.* 99. Prouideat ergo noster œconomus suis subditis de sufficienti victu, vestitu, cubiculo, &c. iuxta conuentus facultatem; facilè enim ex hoc ad omnem regularem obseruantiam illos compellet, dum ea, quæ necessaria sunt, illis subministrabit. Ex auaritia namque Prælatorum quam plurima animarum dispendia oriuntur. Quot, Deus bone, monasteria reformarentur, si Religiosis necessaria tribuerentur de communi penu? Aduertat hic noster œconomus, quòd non desinit esse æqualis distributor bonorum monasterij ex eo quòd alicui plus indigenti plus tribuat; *Act. n.* 4. dicitur, *Diuidebatur singulis, prout cuique opus erat*, & tamē erant illis omnia communia. Quòd aduertens legislator noster *in Cor. n.* 109. ait, *Veruntamen si aliquando causa frigiditatis, aut infirmitatis aliquis se pluribus tunicis egere asserat, illi tanquam Dei seruo credatur, & eidem, iuxta loci facultatem charitatiuè prouideatur.* Et Aug. in c. 1. suæ reg. ait, *Non æqualiter omnibus distribuatur, quia non æqualiter valetis omnes, sed potius vnicuique prout cuique opus fuerit.* Ad hanc vniformitatem etiam pertinet omnibus æqualiter se affabilem præbere, tam maioribus, quàm minoribus. Bon. loc. cit. *Sit etiam*, ait, *humilis affabilitate, vt subditi facilem accessum ad eum habeant, & fiducialiter ei loqui de quibus indigent, audeant, & patienter eos audiat, & benignè eis satisfaciat, & studiosè instruat, & alacriter exhortetur; studeat magis amari, quam timeri, quia lubentiùs obeditur ei, qui diligitur, quam qui timetur.* Et notet noster œconom. pro æqualitate seruanda pulchrum dictum Philonis lib. de creat. Princ. ad fin. *Est æqualitas mater iustitiæ. Est lumen clarissimum: Sol, vt ita dicam, iustitiæ; sicut è diuerso inæqualitas tum in defectu, tum in nimietate, fons, & origo caliginis.*

9. Senes autem, vt ad particularia descendamus honoret, illorum necessitatibus occurrat, etiam non petitas subministret, patienter eorum grauedines supportet, visitet sæpius, consoletur, consilium ab ijs petat, etiam sine necessitate, vt eos non contemnere videatur; satagat in primis, vt à iunioribus honorentur, & non permittat, vt quidquam seruitij illis desit, memor quòd hæc sibi fieri gaudebit, si ad senectutem peruenerit. De hoc honore, & qui sint illi senes, quibus talis honor debet, plenè dixi *tom. 2. priu. in const. 6. Pauli V. num* 4.9. *& seq.*

10. Sacerdotes verò iuuenes frænandi, nimia enim licentia ijs propter carnem, & sanguinem aliquando concessa, grauia damna solet in Religione causare. Obedire ergo eos assuefaciat, ex eo namq; quòd sacerdotes sunt, non debent esse magis licentiosi; in nulla re, quæ regularem obseruantiam tangat, relaxet: mortificatè viuere, domique manere compellat. Quòd si foras sit aliquando exeundum, omninò caueat, ne socium ad electionem concedat, nec eundem sæpiùs ad mentem Clem. VIII. vt constat ex *const.* 10. *Vrb. VIII. to.* 2. *nost. priu.* § 36. immò semper non gratum, vt & à petendo exitu abstineat, & foris, sibi à socio cum oporteat cauere, religiosè tractet. Nullo pacto permittat vti licentiis, quibus sacerdotes seniores, nec omni reuerentia, qua illos, cohonestet; nimias inter se ipsos familiaritates exterminet; ne conuenticula celebrent prohibeat. Otiositatem, vitiorum omnium matrem, tanquam pestem fugere adigat; otiosos, si quos aliquando reperiat, obiurget acriter, seuerè puniat, & magis labore cogat. Hinc. n. seditiones, conspirationes, monopolia, rixæ, discordiæ, murmurationes, Superiorum contemptus, regulæ transgressiones, & disciplinæ regularis eneruationes.

11. Clerici adhuc magis frænandi. Eos à magistri seueriori ferula non amoneat, durè, vt nouitios tractet; quid enim iuuat illa aspera, & dura nouitiorum tractatio, si statim, facta professione, iugum excutiant; Mitiùs ergo semper cum nouitiis agendum existimaui, quàm cum clericis nouiter professis; illi enim, vt iugo nondum assueti, si asperrimum absque aliquo leuamine eis superimponatur, succumbent facilè; isti iam aliquanto assueti tolerabiliùs ferre possunt; nouitij propterea expulsionis timore, si non amore virtutis, timidiores, & obedientiores; clericis eo carentes, audaciores, & insolentiores esse solent, vnde durissimè tractandi, prudenter tamen, ne frangantur. Diuinis diu, noctuque interesse imperet, non interessentes publicè cum ludibrio corrigat, & castiget. Cum Sacerdotibus practicare nullo modo sinat. Nimias inter se ipsos familiaritates radicitus euellat, verba, nutus, actiones eorum diligenter notet, præsertim quandó non aduertunt; quid diu, noctuque gerant, scire curet; inclinationes eorum per se, vel per alios sibi similes cognoscere studeat, cognitis secundùm sibi traditam prudentiam adhibeat medicamina: cellas eorum, & capsulas diligenter, & sæpè scrutetur; ne quid recipiant iam à sæcularibus, quàm à fratribus, strictissimè inhibeat: inter se ne quidquam ad vsum sibi concessum commutent, prohibeat; multo minùs ne distrahant: foras egredi nullo vnquam tempore sinat; quòd si exigat necessitas, cum solo magistro: ne vnus alterius cellam ingrediatur, vetet, multo minùs, quòd in ea moretur, etiam aperta ianua: in sacerdotum, aut conuersorum cellas penitus ingredi non permittat, foribus etiam reseratis: studiis, & orationi assiduè intendere adigat, negligentes absque misericordia puniat; impietas enim est misereri, quando non oportet, & quorum non oportet, nunquam otiosos esse permittat, ait enim Chrys. hom. 38. in Mat. quòd *otiosa iuuentus imprudenter educata, omni ferocissima bestia immanior est.*

12. Cum ex nouitiorum educatione tota pendeat Religionis obseruantia, vt notauit Clemen. VIII. *in const.* 10. *Vrb. VIII. cit.* §. 79. & adolescentium educationem esse fundamentum totius Reipublicæ dixerit Diogenes, curet in primis noster œconomus, ne ad habitum recipiantur, qui requisitas conditiones non habeant, receptos studeat in timore Dei, & Religionis obseruantia educari; faciat leuiter probare dura, & aspera; studeat eorum inclinationes, actiones, verba, & nutus cognoscere; mortificationibus assuefaciat; acriter reprehendat, & aliquando insontes, ad experimentum virtutis, & eos exerceat in patientia, quæ est regina virtutum, & Religiosis simpliciter necessaria. Ad quæ eum inuitat Sapiens Ecclesiastici 30. *Curua ceruicem eius in iuuentute, & tunde latera eius dum infans est, ne fortè induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ*, & supra *Equus indomitus euadit durus, & filius remissus euadet præceps.* Et Salomon Prou. 23. *Noli subtrahere à puero disciplinam, si enim percusseris eum virga, non morietur: tu virga percuties eum, &*

animam

animam eius de inferno liberabis. Prudentia tamen in his opus est, ita vt si vna manus petentiat, ambæ sanent. Foras egredi nullo pacto permittat, quòd si quando-que necessitas postulet, cum solo magistro, vel eius socio. Parentes rarò alloqui sinat, vt eos obliuisci assuefcant. Et sciat, quòd omnis, & quicumque labor hac occasione toleratus in maximum honorem Dei, & Religionis vtilitatem tedundat; sciatque etiam, ad id se iure diuino, & naturali teneri; & quòd de negligentia est rationem redditurus illi, qui iudicaturus est viuos, & mortuos.

13. Conuersorum cura non est negligenda, immò maximè curanda; & ego in ea sum opinione, vt credam, illorum educationem diligentiori cura esse procurandam, quàm clericorum. Ducor, quòd hi soli, vt plurimum, per ciuitates ambulent, & Religiosus, qui sine teste ambulat, maximè debet esse mortificatus, ne scandalizet: hi etiam frequentiùs, immò quotidie, sæculares alloquuntur; vnde deberent esse valdè instructi in perfectione, vt eos ædificarent, in eaque multum radicati, ne picem tangendo, ab ea inquinentur; Denique ne sæcularium mores in Religionem inducerent. Nescio tamen quo incantamento ita eorum cura negligatur in Religionibus. Curet igitur noster œconomus eos ad Religionem recipi, qui cum pietate, & deuotione corporis vires coniunctas habeant, vt supportandis Religionis oneribus apti existant, curet, eos omnes in vno conuentu sub vnius magistri disciplina educari, & si fieri potest, nouitiatus tempore in quæstuationibus non occupet, maximè si soli eas facere debent; cum enim vt plurimum sint monbus rudes ruditatem illam non possunt sic breui relinquere, vnde licèt optent ædificare, destruunt persæpe: studeat eos imbui bonis moribus: sermonibus de disciplina regulari abesse non permittat; inculcet sæpe illis fidelitatem promissam, vel promittendam: moneat eos mortaliter peccare, si fuerint negligentes in ministeriis, ad hoc enim recipiuntur in Religionibus, vnde, si sint negligentes, fraudant Religionem. Et ita in hoc puncto docet A S. Fausto *in thes. relig. lib. 6. quæst.* 179. *num.* 3. Et ante omnia vigilet, an singulis hebdomadis pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta recipiant, iuxta inuetetatam, & laudabilem consuetudinem in Religione nostra.

14. Infirmos visitet semel ad minus in die, eosque consoletur. Curet vt infirmarius diligens sit, & charitatiuus; infirmus enim, qui sibimet subuenire non valet, eo ipso ampliùs tribulatur, cum ab his, à quibus deberet non consolatur, non à miseria per compassionem sublcuator, iuxta illud psal. 68. *sustinui, qui simul mecum contristaretur, & non fuit, qui consolaretur, & non inueni*; Quòd si in aliquo offendat ægrotus, in quo reprehensione sit dignus, vel excuset propter infirmitatem, vel differat, quousque melius se habeat; vel, si quid ei dicendum sit, ita dulciter moneat, vt ægrum sanet, non exasperet, infirmitati potiùs, quàm infirmo ertatum tribuendo. De omnibus necessaria pro sanitate celeriùs restauranda prouideat. Quod nostris Correctoribus præcipitur *in Reg. num.* 26. per obedientiam ad mortale obligans, & est vnicum, & solum præceptum in Regula ad mortale obligans, vltra vota. Et notanda etiam traditio, quam ab antiquis accepimus, quòd aliquando interrogatus S. P. N. quid faciendum, quando in aliquo conuentu paupertimo non esset commoditas prouidendi infirmis de necessariis, respondit, *eo casu vendendas esse campanas, & calices, & infirmo succurrendum.* Vnde etiam in Reg. num. 32. & Correct. num. 56. ait, *præterea charitatiuè semper obseruetur, quod cuncti diutino ac naturali languore cassis visitati, nedum in dictis ieiuniis, sed etiam in cunctis vigiliis, & quibuscumque Ordinis huius oneribus benignè supportentur, & cibis quadragesimalibus abundantius, quàm sani, refocillentur,* &c. Aduertat etiam Superior, quod fratri dicenti se esse infirmum credere debet, etiamsi aliqui ex malitia, illusione in animarum suarum dispendium aliquando mentiti fuerint: nam alioquin euenire posset, vt verè indigentes paterentur: quod optimè notant. Bonau. *de sex. al. Seraph. cap.* 4. Et fundatur *in l. Absentem, ff. de pænis*, vbi dicitur, quòd meliùs est absoluere nocentem, quàm condemnare innocentem. Et Aug. id expressè præcipit in sua reg. cap. 9. dicens. *Si latens est dolor in corpore, famulo Dei dicenti, quid sibi doleat, sine dubitatione credatur.* Si infirmitas sit periculosa, curet, vt semper in infirmi cella diu, noctuque Fratres assistant: omnia iuxta medici præceptum obseruari curet. Si sit de sanitate desperatus, mandet expertis Fratribus, vt moribundum adiuuent: sacramenta ministrari faciat, &c. iuxta formam nostri Ritualis.

15. Hospites quomodo recipiendi, tractandi, & honorandi vide *tom.* 2. *nostr. priu. in constit.* 6. *Vrb. VIII. num.* 1.

16. Cum viris grauibus functione honorata dignitatum prudenter admodùm gerere se debet noster œconomus, & in primis naturalem eorum inclinationē inspicere; nam si ambitiosi sunt, erunt etiā necessario inquieti, seditiosi, & conciliatione amicorum, in prælationibus acquisitorum, superbi; vnde omnino frænandi sunt, & potiùs prudenter contemnendi, quàm æstimandi ad hoc vt humilientur. Prohibeat omnino illis nocturna conuenticula, & diutnas etiam in cella, vel alibi fratrū congregationes à communibus aliorum Fratrum obsequiis chori, missarum, confessionum, refectorij, &c. exemptos esse non patiatur. Non eis, in publico præsertim, multum tribuat, illosque verbis potiùs, quàm factis pascat; in eorum tamen gratiam quædam aliquando minora faciat, ne contemnere videatur. Si vero sint humiles, & sua sorte contenti, nouitatum non amici, multum eos æstimare debet, sunt enim ad obedientiam maximè prompti, cum imperando obedire didicerint, illorum consiliis vtatur, habent enim multarum rerum experientiam; continueat, si non tam frequentes in communitatis obsequiis aliquando fuerint. Hæc eadem seruanda sunt cum viris grauibus laurea scientiæ: cum enim scientia ex se inflet, si inflati sint, humiliet; si humiles, exaltet, ædificant enim hi quotidie in cœlo, Ecclesiamque Dei propriis humeris sustentant.

17. Cum viris grauibus corona sanctitatis nullum erit Superioris negotium; isti enim nutibus obediunt, regulam, & regulates constitutiones ad amussim seruant, neminem lædunt, neque verbis, neque nutibus, neque factis, se si toletant, in obsequiis communitatis assidui; si egent, humiliter petunt, si recipiuot, gratias agunt; si denegetur, patienter sustinent, linguam frænant, omnia in bonam partem accipiunt; confratrum defectus non accusant, immò excusant, maximè Superiorum; si excusare non possunt, compatiuntur, aliis virtutibus cooperiunt, aliis omnibus se peiores æstimant, proprios defectus semper augent, & publicant, virtutes tacent; istos cæcus Superior tegere potest, cum alios neque oculatus ante, & retro sufficiat. Solum debet aduertere circa istos Superior, ne indiscreto feruore ducti, mortem, vel malam sanitatem sibi indiscretis pœnitentiis conficiant. Cauendum etiam maximè, an verè tales sint, quales foras videri satagunt: nam angelus satanæ se aliquando in angelum lucis transfigurat, & lupus non rarò ouinam pellem induit: quare tunc maximè obseruandi sunt & plagæ eorum non sunt taccodæ: ait enim Naz. or. 1. num. 60. *Quidam etiam ad minima vsque ac leuissima obseruandi sunt, nimirum qui eo quòd peccata sua obscura, & incognita esse putant (quandoquidem id moliuntur) tanquam sapientiores animis inflantur.*

18. Cum iis, qui habent familiaritatem cum aliquo Principe,

cit. art 2. à *c* 24. Mersennus *c.* 2. *Gen. vers.* 15. *q.* 25. Et est optima ratio D. Th. *illo c.* 5. Nam vel laborare manibus est præceptum, vel cõsilium. Si est consilium, nullus tenetur ad laborandum manibus, nisi qui ad hoc voto se astrinxit: Ergo Religiosi, qui ex sua regula non habent, quòd debeant manibus laborare; ad laborem manuum non tenentur. Si autem est præceptum, cum ad præcepta diuina, & Apostolica æqualiter teneantur Religiosi, & sæculares, non magis ad laborem manuum tenentur Religiosi, quàm sæculares. Ergo si licebat alicui sine labore manuum viuere, quando erat in sæculo, idem ei licebit, quando erit in Religione. Vnde summi Pontifices concesserunt, vt Religiosi eleemosynas quærere possent, & quòd à nullo possent impediri, vt dixi *tom.* 1. *priu. in conf.* 4. *Sixti IV. ann.* 40.

39. Tenetur etiam Prælatus possessiones conuentus diligenter colere; Tum vt tanquam bonus paterfamilias possit filiis alimenta præbere, vt Sayr. *in claui reg. lib.* 7. *cap.* 7. *num.* 6. Tum vt procurator, vt dicitur *in capite Fraternitatem, de donat.* Tum vt minùs onerosus sit populo, & minùs importunus in eleemosynis quærendis. Tum ad vitandum scandalum: videntes enim sæculares, agros Religiosorum quæstionis spe non curari, scandalizantur de eorum pigritia, & inertia, & quòd, cum possint viuere de suo cum aliquo labore, velint alienos sudores otiosè comedere, præsertim cum agri, ideò Religiosis à piis viris relicti sint, vt commodiùs, & sine tanto ciuitatum grauamine viuere possent.

40. Sed hic multæ se offerunt, difficultates. 1. Qua ratione possint Religiosi licitè ex eleemosynis viuere. Ad quàm respondetur à D. Thom. 2. 2. *quæst.* 187. *art.* 4. *corp.* 1. quia vnusquisque absque scrupulo potest viuere de eo, quòd suum est, sed eleemosynæ perpetuæ, vel temporales collatæ à liberalitate fidelium Religiosis, actibus Religionis insistentibus, factæ sunt illorum propriæ: ergo de illis possunt licitè viuere. 2. quia quilibet viuere potest de eo, quòd sibi debitum est, sed eleemosynæ debitæ sunt Religosis; tum propter necessitatem, quia scilicet præ infirmitate non possint sibi manibus laborando victum quærere; vel quia non possint quærere quantum sufficiat; vel quia non sint assueti laborare, vtpotè qui in sæculo nunquam laborauerint. Tum propter opera spiritualia, quæ fidelibus impendunt, prædicando, altari seruiendo, sacramenta ministrando, studio sacræ scripturæ mediatè, vel immediatè incumbendo, diuinis laudibus in choro intercessendo; qui enim altario seruit, de altario viuere debet, 1. *Cor.* 9. Posset etiam ex eleemosynis in monasterio viuere, qui bona temporalia, quæ habebat in sæculo, ad monasterium detulisset.

41. 2. Difficultas est, An possit contingere, quòd eleemosynarum vsus sit Religiosis illicitus. Ad quam à D. Thom. *loco cit.* respondetur posse 1. si Religiosi cessent à religiosis actibus, defraudant enim tunc benefactores participatione bonorum operum, quorum spe eleemosynas erogarunt, 2. si velint in Religione otiosè viuere, absque vlla vtilitate, vel necessitate ex supra dictis, & absque eo quòd aliquid ad Religionem detulerint. Quemadmodum solent facere aliqui, qui cum in sæculo panem in sudore comederent, in Religione, postea laborare erubescunt, dominari prætendunt, & Cæsarum de sanguine natos deprædicant. De quibus loquens Aug. de oper. monach. cap. 22. ait, *Plerumque ad hanc professionem seruitutis Dei, & ex conditione seruili aliqui veniant, & ex vita rusticana, & ex opificum exercitatione, & plebeio labore, tantò vtique felicius, quantò fortiùs educati, qui si non admittantur, graue peccatum; est multi enim ex eo numero verè magni, & imitandi extiterant: de quibus non apparet, vtrum ex proposito seruitutis Dei venerint, & vitam inopem, & laboriosam fugientes, vacui pasci, atque vestiri voluerint, & insuper honorati ab eis, à quibus contemni, conterique consueuerant. Tales ergo, si quomiam operentur, de infirmitate corporis, se excusare non possunt, præterita quippe vita consuetudine conuincuntur.* Et paulò infra de iisdem ait. *Vtinam isti, qui vacare volunt manibus, omnibus vacarent & linguis*; inquietant enim, & stridoribus, & murmuribus mentes, & corpora illorum Religiosorum, qui volunt panem bene operando lucrari. Dicit verò Caiet. *illa quæst.* 187. *art.* 4. *circa fin.* quòd si quis Religiosus regulam seruaret, & caueret à transgressione præceptorum, sed pigritia, ac inuigilantia in ipso regnante, quasi inutilis viueret in monasterio, peccaret quidem, sed non mortaliter, viuendo ex monasterij prouentibus, & deberet huic dici. Qui non laborat, non manducat, & deberet cogi ad operandum.

42. 3. Difficultas. An iis casibus, quibus eleemosynarum vsus esset huiusmodi Religiosis illicitus peccatum esset ex eleemosynis viuere, an verò solùm esset peccatum non facere ea, propter quæ eleemosynæ donatæ sunt. Ad hanc respondet Val. *tom.* 3. *disp.* 10. *quæst.* 5. *p.* 3. *ver. Sed occurrunt hic*, quòd formaliter est talibus Religiosis illicitus vsus eleemosynarum ita vt non possint ex illis viuere, tenentur enim eas eleemosynas vsurpare eo fine, quò à benefactoribus datæ sunt; sed datæ sunt vt Religiosi Religiosè viuant insistentes diuinis obsequiis, & sic benefactores participes faciant suorum bonorum operum; cum ergo id non faciant, qui otiosè, & irreligiosè viuunt, sequitur, quòd non possint ex dictis eleemosynis viuere, & si viuant, peccent. Ad hoc velim aduertant illi, tàm Superiores, quàm subditi, qui quotidie per ciuitates otiosi noua quærentes cursitant, & quando domi remanent, circumeunt continuè claustra murmurando, ridendo, cantando, audita noua referendo, quid sit manducandum, quid bibendum inquirendo, & nihil minus cogitant, quàm de missis celebrandis, diuinis interessendo, obsequiis monasterij insistendo. Heu Heu quàm multi panem pauperum proditoriè comedunt; Audiant Greg. hom. 17. in Euang. *Pensate fratres, quanta damnationis est sine labore percipere mercedem laboris, quanti criminis peccatorum pretia accipere, & nihil contra peccatum prædicando dicere?*

43. 4. Difficultas. An tales Religiosi otiosi, ex eleemosynis viuendo, peccent mortaliter. Respondet Caiet. 2. 2. *quæst.* 187. *art.* 4. *ver. Ad euidentiam horum*, quòd inter Religiosos, & eos, qui illis contulerunt suas facultates, non intercedit communiter iustitia propriè dicta, sed solùm debitum gratitudinis; nam donantes amore Dei, & ratione eleemosynæ donant. Vnde Religiosi iure naturali tenentur suis Religiosis actibus dictis benefactoribus gratiam retribuere, quod illis sufficit, nec aliam expectant retributionem. Et quia gratiæ contrariatur ingratitudo, idcirco tunc solùm interuenit huiusmodi omissione peccatum mortale, quando contingit ingratitudo mortalis. Et quia secundum D. Thom. 2. 2. *quæst.* 107. *art.* 3. *corp.* aliquis potest dici dupliciter ingratus. Vno modo per solam omissionem, puta quia non recognoscit, vel non laudat, vel non retribuit vices pro accepto beneficio. Alio modo, quia non solùm prætermittit implere gratitudinis debitum, sed etiam contrarium agit, puta quia reddit mala pro bonis, vel beneficium vituperat, vel reputat benefactorem maleficum v. g. sit aliquis summus benefactor nostri Ordinis, qui conuentum, & Ecclesiam fundauerit, dotauerit, & omnia fecerit pro tali conuentu ditando, si Fratres contemnerent intrinsecè, & formaliter dictum benefactorem pro suo benefactore cognoscere, vel quia ad paupertatem redactus, vel quia senex, &c. aut ei non subuenirent in magnis suis necessitatibus, cum possent, vel non laudarent eum, in quo laudandus esset, maximè si ex tali omissione laudis sequeretur ipsis Fratribus vituperium, aut infamia, hoc modo essent ipsi benefactori mortaliter ingrati ratione omissionis. Si autem ex negligentia quadam, & indispo-

sitione

fitione naturali prædicta omitterent non peccarent plusquam venialiter. Si verò non solùm prætermitterent agere prædicta, sed ipsum benefactorem odio haberent, blasphemarent, vituperarent, iniuriarent, contumeliis afficerent, verberarent, tunc essent etiam ingrati mortaliter; sed si talia dicerent propter motum sensualitatis, non peccarent plusquam venialiter. Atque ita Caiet. *loc. cit.* Anton. 2. *p. tit.3. cap.* 9. §. 1. Vnde constat, quòd si aliquis Religiosus sit mortaliter vno ex dictis modis ingratus suis benefactibus, viuendo ex eleemosynis ipsorum, mortaliter peccat. Val. *loc. cit.* ait ad hanc difficultatem, quòd, si quis ex contemptu beneficij eleemosynatum abstineat ab actibus Religiosis peccat mortaliter. Similiter si nunquam ferè recordatur benefactorum, & notabiliter est negligens in obseruantiis Religiosis, ita vt nullam, aut vix aliquam curet.

44. 5. Difficultas est: An tales Religiosi mortaliter ingrati, viuendo ex eleemosynis, teneantur ad restitutionem. Caiet. *loco cit.* ait, non teneri. Quia istorum peccatum non consistit in vsurpatione rei alienæ, sed in abusu rei iam factæ suæ per donationem. Quòd solùm admitto, quando eleemosynæ datæ sunt simpliciter intuitu eleemosynæ, non verò si datæ sint cum obligationibus, missarum v. g. seu aliarum precum, partibus stipulantibus, & obseruationem iurantibus, Notario publico interueniente: tunc enim censeo, quòd Fratres, dictis obligationibus non satisfacientes, restituere teneantur; videtur enim benefactor illa conditione dedisse, alias non daturus; quare ea non impleta, inuito domino retinentur illæ eleemosynæ; atque ita restitui debent vel hæredibus, si mortuus sit benefactor, vel ex eis faciendum est adimpleri, quòd donator in fundatione mandauit. Idem dic etiam, si quis donasset v. g centum aureorum redditum alicui monasterio eo pacto, quòd Fratres illius tenerentur singulis diebus pro illius anima Missam celebrare, vel dicere Litanias, & in casu omissionis notabilis dicti centum aurei deciderent hospitali v. g. Hoc casu puto, quòd, si Fratres non implerent, restituere tenerentur dicto hospitali, etiam caducitatem ignorantes, dictos centum aureos, vel, si fuissent per aliquod tempus notabiliter negligentes, illud, in quo fuerunt negligentes. Colligitur *ex decr. de celebrat. Miss.* quæ habes *tom. 2. nost. prin. in const. 9. Vrb. VIII.* §. 2.

45. 6. Difficultas est: An Prælatus conuentus habentis multas possessiones, quibus curatis, potest commodè suam familiam sustentare, nolens per auaritiam, vel incuriam eas colere, sit in bono statu. Puto, eum esse in malo statu, per dicta *huic sup. num.* 39. Et quia qui potest commodè sustentari de suo, non debet alienum quærere. Aut enim eleemosynas hauriunt à pauperibus, & est iniquitas maxima sanguinem pauperum exsugere ad inertiam fouendam, cum ipsi plus indigeant: aut hauriunt à diuitibus, & auferunt à pauperibus. Vnde Hier. relatus *in cap. Cleric. 1. quæst 2.* ait. *Clericos autem illos conuenit stipendiis Ecclesiæ sustentari, quibus parentum, & propinquorum nulla suffragantur bona: Qui autem bonis parentum, & opibus suis sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profectò committunt, & per abusionem talium iudicium sibi manducant, & bibunt.*

46. Circa 2. Debet esse Superior conseruator acquisitorum; parum enim prodest acquirere, nisi acquisitum seruetur: nam cribro haurire aquam, nihil prodest; quia cribrum haustam non seruat, & Ouid. dicebat.

Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri.

Tres autem regulas adhoc proponit *art. 1. œconom. c.6. & 1. de re fam cap.6.* quibus œconomus potest res acquisitas conseruare. Prima, quæ seruabatur apud Atticos, seu Athenienses; & erat quod singulis annis fructus receptos ex prædiis vendebant, quæcunque erant ad victum familiæ necessaria emebant; sic fraudes, & detrimenta, quæ in victualibus seruandis accidunt, vitabant. Secunda, quæ seruabatur apud Laconicos, vt domus instrumenta singula suo loco iacerent; sic enim parata non requiruntur. Tertia, quæ seruabatur apud Persas; & erat, quòd œconomus omnia, quæ in domo erant, diligenter inspiciebat, atque discutiebat, & per se ipsum immediatè omnia iubebat. Vnde quidam Persa interrogatus, quid equum maximè pinguem faceret? respondit, *Oculus Domini*, Cui etiam correspondet illud Lybici, qui interrogatus, quodnam sterquilinium foret agro optimum? respondit, *Domini vestigia.* Erat etiam maximè vigilans œconomus Persa, expergiscebatur enim priùs quàm cæteri, & posteriùs omnium cubitum ibat. Ex his discet, quid sibi faciendum sit noster œconomus. In primis enim, cum ad regimen alicuius conuentus fuerit assumptus, inuentarium omnium rerum, etiam minimarum, quæ in eo sunt, recipiet. Omnia deinde suo loco disponet, vt cum fuerint opus, non requirantur. Diligenter omnia per seipsum inspiciet. Penum visitabit frequenter: Quid singulis comestionibus familiæ dandum sit, prouidebit. Choro, Ecclesiæ, & Sacristiæ semper personaliter intererit. Et vbiq; semper præsens, quantum humana patitur fragilitas, studebit esse. Insolitis horis conuentum circumire, officinas, & cellas fratrum quærere, puto necessarium. Et ita varium se debet familiæ circa motum, & personam suam ostentare, vt nullus moralem certitudinem habere possit, quòd tali hora in talem locum ipse non sit comparaturus. Studeat omnia per se ipsum iubere, & omnem eam diligentiam in conseruandis bonis conuentus adhibeat, quam adhiberet in conseruandis propriis, immò & maiorem, eam scilicet quam diligentior se in iis adhiberet; tali enim intentione ad illud ministerium assumptus fuit, vt ait Suares *tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. cap. 26. num. 7.*

47. Sed hic se offerunt aliquæ difficultates. Prima. An Prælatus peccet, si aliqua res monasterij ipsius culpa pereat, aut deterioretur. Vt respondeam supponendum est quod de culpa dicit Syluest. *verbo Culpa, q. 1. num. 2.* quòd culpa est triplex, lata, leuis, & leuissima. Culpa lata est ignoratio illius rei, quam quis scire tenetur; & sciunt homines eiusdem professionis. Leuis est omissio illius rei, quam homines diligentes eiusdem conditionis adhibere solent. Leuissima est omissio illius rei, quam homo diligentissimus eiusdem conditionis adhibere solet, v. g. commodatum librum dimisisti ante ostium domus, & sublatus est, ista est culpa lata; si verò librum in cella locasti, sed ostium non clausisti, leuis culpa est: si autem ostium quidem clausisti, sed claue non firmasti, leuissima culpa est, si denique de industria librum ante ostium dimisisti, vel ostium non clausisti, vel claue non firmasti, & liber sublatus est iam non culpa, sed dolus est, qui nullo casu excusat. His suppositis. Dico, vel prælatus in prælaturæ acquisitione se ingerit, vel non se ingerit. Si se ingerit, tenetur de culpa leui, in commodum enim proprium prælaturam recipit, & posset etiam dici, quòd teneatur de leuissima, iuxta *caput vnicum de commod.* Sed non sum ita seuerus, cum pluribus debeant attendere prælati regulares. Si autem non se ingerit, sed passiuè se habens in prælatum eligitor, tenetur solùm de lata; tunc enim non in gratiam sui, sed conuentus prælaturam recipit. Ita Gloss. *in cap. vnico de commod. verb. de leuissima*; Less. *lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 9. num. 76. vers. Decimo* P. Nau. *lib. 3. de rest. cap. 4. num 125.* Nald. *in sum verb. bona, n. 14.* Llam. 3. *p. met. cap. 13. §. 14.* Sylu. *verb. Prælatus, q. 4.* Itaque Prælatus, cuius culpa res perit, vel deterioratur, illam restituere tenetur, vt in specie dicit Arag. 2. 2 *q. 62. artic. 7. col. 14 versic. Mihi ex.*

48. 2. Difficultas est: An singuli fratres teneantur bona Monasterij conseruare. Ad hoc iam dixi *tom. 1. huius oper. quæst. 2. cap. 2. §. 9. quæsito 6.* quòd ad singulos

intromittere de rebus conuentus, ibid. *n.*13. Denique nota, quòd Correctores exeuntes è conuentu absque scientia capituli, & Seniorum assensu, si ter moniti non resipuerint, debent ab officio per duos menses suspendi. Quòd si post prædictam suspensionem iterum in hunc errorem lapsi fuerint, trina etiam monitione præuia, debent officio priuari; *Massil.*1. *n.*47. Vnde vides arbitrariam pœnam Correct. *n.*113. determinatam.

106. Dico 15. Correctores locales puniunt percussores aliorum fratrum, quando percussio fuit leuis, aut grauis, non autem quando fuit enormis; *Correct. n.*6. *&* 7. Et hic nota pro semper, quòd in Regula nostra Corrector nunquam pœnam carceris infligit sine consensu capituli. *Correct. n.*6. 50 *&* 33. damnatos autem ad carceres ad longum tempus per superiores Prælatos, infirmitatis causa de consensu capituli, & consilio medici Corrector transfert in locum tutum, si facilè, & absque periculo Superior maior de tali infirmitate moneri non potast, *Correct. n.*7.

107. Dico 13. Corrector cum capitulo locali, & Prælatorum Sociis deponit, & suspendit superiores Prælatos committentes delicta, depositione, & suspensione digna, secundum dispositionem, & determinationem dicti Corr. & prouidet de Superiore vsque ad capitulum prouinciale, vel generale; *Correct. n.*9. Si verò talia delicta perpetret Corrector ipse, deponitur, vel suspenditur similiter per Seniores, & capitulum locale, & per eosdem loco depositi alius substituitur, quovsque per Generalem, vel Prouincialem super hoc plenius definiatur. *Correct. n.*10. Dicti autem Superiores suspensi in nulla re subiiciuntur eorum substitutis, sed simpliciter remanent in conuentibus suæ depositionis, quovsque per generales, vel prouinciale capitulum, si de Generali, vel Prouinciali loquamur, vel per Prouincialem, aut Generalem, si de Correctore locali, pleniùs deliberetur. *Correct. num.*11. Circa autem modum procedendi in capitulo prouinciali, quando ad ipsum pertinet plenior definitio Prouincialis depositi, vel suspensi, vide *c. Vol.* 4. *num.* 51.

108. Dico 14. Fures quoscumque puniunt Correctores. *Correct. n.*13. & videtur, quòd etiam in figura iudicij, vt colligitur ex illa clausula *legitimè conuictus fuerit.* Scito autem, quatuor esse modos conuincendi reos; de quibus Glossa *in cap. Nos in quemquam* 2. *quæst.* 1. Primus iure, scilicet instrumentis, & testibus, secundus facti euidentia, vt si fur cum furto in manibus reperiatur, tertius iuris interpretatione, vt si pluries citatus non comparuit, quartus violenta suspicione, idest quando talis est suspicio, quæ nos cogit ad iudicandum rem ita esse, vt si fractam cellam aspiciamus, & aliquem ex ea egredientem suffarcinatum, & deinde intelligamus in ea cella deesse habitum, vel pileum. Puto igitur, quòd Correctores possunt procedere contra fures in facti euidentia, & violenta suspicione, in quibus non requiritur omnimoda figura iudicij, *cap. ad nostram, el* 3. *de iure iur. iuncta Glossa, verb. Obseruandum.* In aliis autem hoc pertinere ad superiores Prælatos, & etiam in illis, si sint præsentes. Furtum autem sacrilegum punire, ad superiores Prælatos pertinet, vt colligitur *ex Corr. num.*14. poterunt tamen Correctores hoc casu furem sacrilegum carceribus detinere, per ea, quæ dixi *tom.*1. *nostr. prin. in constit.* 5. *Syxti IV. n.*64. ex Trid. *sess.* 25. *de reform. cap.*6. & colligitur etiam *ex dicto Correct. n.*20. vbi apostatæ, & gyrouagantes, per Correctorem, & capitulum locale ad carceres per tres menses damnantur, eorumque arbitrio talis pœna mitigatur. Hos autem priuare actiua, & passiua vocibus, ac iure primogenituræ, ad Prouincialem, vel Generalem pertinet, sicut illos rehabilitare, ad prouinciale, vel generale capitulum spectat.

109. Dico 15. Correctores tenentur qualibet secunda, quarta, & sexta feria capitulum culparum celebrare, nisi in iis festum aliquod duplex, vel alia vrgens necessitas occurrat. *Correct. n.*28. Verum tamen est, quòd sicut per necessitatem capitulum omitti potest, ita propter aliquod vrgens negotium potest celebrari, etiam festo duplici occurrente; Colligitur *ex dicto loco Corr.* vbi non prohibetur in festo duplici capitulum celebrari, sed solum permittitur non celebrari; ergo, si necessitas vrgeat, conceditur: in dictis autem capitulis debet Corrector commendare Fratribus D. Papam, & Eminentissimum Protectorem, cum toto Collegio Cardinalium, & reliquos omnes benefactores, pro quibus tenetur Religio, Prouincia, & conuentus orare. *Correct. n.*58 Non debent tamen dicti Correctores in huiusmodi capitulis diu detinere Fratres, nec quæ secreta sunt permittere diuulgari. *Correct. n.*35. Quare autem dicta capitula dicantur culparum, & an Religiosi teneantur sub culpa ad pœnam in iis à Superioribus taxatam, vide *tom.*1. *huius op. c.*5. *vers. In nostra.*

110. Dico 16. Inobedientes, & contumaces punire potest Corrector etiam pœna carceris de consensu capituli, & quandocumque parati fuerint obedire, de eiusdem consensu liberare *Correct. num.*33. Nota S Patris charitatem pro emolliendis induratis.

111. Dico 17. Violatores castitatis sanctæ non possunt Correctores punire, sed id pertinet ad superiores Prælatos cum suis Sociis. *Correct. n.*36. poterunt tamen Correctores dictos in flagranti repertos carceribus detinere, vt dictum est *n.*108.

112. Dico 18. ad Correctores pertinet punire clauigeros, & Seniores, qui extra conuentum ituri, non eodem die reuersuri, dictis Correctoribus non indicauerint, cuinam Fratrum clauem, vel quemnam de Consiliariorum consensu loco suo reliquerint. *Correct. n.*45.

113. Dico 19. Correctores tenentur singulis tribus mensibus coram locali capitulo, & in fine sui officij coram proprio Prouinciali rationem reddere de cunctis eleemosynis, eo tempore suis conuentibus obuentis: tenentur etiam eleemosynas, quæ superfuerint (salua prouisione per annum pro infirmis, & fratrum indumentis, ac aliis necessitatibus, præsertim pro fabrica perficienda, iuxta *const.* 17. *Iulij II.* §. 9. *tom.* 5. *nostr. prin.*) in pias causas distribuere; *Correct. num.* 47. vbi contrafacientibus apponitur pœna perpetuæ priuationis vocis actiuæ, & passiuæ.

114. Dico 20. Qui contra paupertatem, eleemosynas fraudando, delinquunt, per superiores Prælatos puniuntur; *Correct. num.*43. Qui verò eleemosynas, sibi à parentibus, vel aliis datas, Correctori non præsentauerit, & de eius licentia non expenderit, per superiores Prælatos priuari debet iure primogenituræ per annum; *Correct. num.*48. immò tenetur eas in capsa quatuor clauium, cum aliis eleemosynis conuentus reponere; *Paula num.* 12.

115. Dico 21. Correctores inæqualiter eleemosynas distribuentes, etiam de capituli scientia, & Seniorũ consilio, per superiores Prælatos puniuntur; *Correct. n.* 49. *&* 109. *Tolos. num.* 35. *fine.* Possunt tamen dicti Correctores vni Fratri plus, quàm alij, tribuere, quia plus egeat; non enim omnes æqualiter indigent; *Correct. dicta num.* 109. Puniendi ergo solùm quando inæqualiter, cæteris paribus, distribuunt. Et nota, quòd assignare vestimenta Fratribus, ad superiores Prælatos pertinet, vt colligitur, *ex dicta loc. Correct. num.* 109. & vsus comprobauit.

116. Dico 22. Superiores Prælati non possunt bona vnius conuentus in alium transferre, neque sibi applicare, sine speciali consensu Correctoris, & capituli conuentus, à quo talia bona transferenda sunt; nisi in capitulo Generali, vel prouinciali aliter ordinaretur: vel nisi pro euidenti necessitate alicuius conuentus id fieri, prudens, & charitatiua Prælati discretio suadeat; *Correct. num.* 50. Sed in omnibus rebus, etiam parui momenti,

momenti, etiam quando adest euidens necessitas alterius conuentus, consulo vt semper Prælati curent obtinere consensum saltem Correctoris, & Seniorum, ad vitandas murmurationes. Res autem magni momenti transferri non possunt sine licentia Papæ, quia censentur alienationes.

117. Dico 23. Violatores vitæ quadragesimalis, & introducentes carnes in nostros conuentus, per superiores Prælatos puniuntur, *Correct. num.* 51. 53. Atque ita vides, quòd punire delinquentes circà vota castitatis, paupertatis, & vitæ quadragesimalis, ad Prælatos pertinet, vt dixi *num.* 111. 114. delinquentes verò circa obedientiam etiam per Correctores puniuntur modo dicto *num.* 110. Et aduerte hic vnum bonum punctum, quòd superiores Prælati in puniendis delinquentibus contra vota non egent Collegarum consensu, cum pœna sit per regulam taxata, neque ipsi habent facultatem eam minuendi, vt constat *ex Correct. num.* 23. ibi *Nisi fortè super aliquo*, &c. Ex *n.* 105. ibi *exceptis votorum pœnis*. Et clarissimè *n* 107.

118. Dico 24. Correctoribus in refectorio vix loqui permittitur, ne de refectorio capitulum faciant; *Correct. n* 60. punire autem silentium frangentes ipsorum est, *Correct. n.* 59.

119. Dico 25. Correctores debent reuerenter recipere superiores Prælatos, cum ad eos diuerterint, illisque debitum honorem humiliter impendere, & iuxta loci facultatem benignè tractare; *Reg. n.* 38. *Corr. n.* 61.

120. Dico 26. dare benedictionem fratribus ad exeundum foras, Correctorum est; *ex Correct. num.* 62. & probaui *tom.* 2. *nostr. prin. in constit.* 7. *Pauli V. n.* 47. Et aduerte, quòd foras egressuri semper tenentur petere benedictionē à Correctore, etiamsi sit ibi præsens Prouincialis; non enim dicit legislator, quòd eo casu egressuri petant benedictionem à Prouinciali, sed solùm quòd Correctot pro reuerentia sui maioris supplicet Prouinciali, vt iis benedicere dignetur.

121. Dico 27. Correctores locales in præsentia Prouincialis possunt suum ordinarium officium exercere, ter in hebdomada capitulum culparum celebrare, fratres corrigere, de bonis monasterij secundùm Regulam disponere, &c. *Correct. num.* 64. Neque obstat illa clausula eodem num. posita. *In quantum sibi à suis prædictis superioribus Prælatis, & eorum vices gerentibus permissum fuerit.* Nam præter ea, quæ dixi *tom.* 2. *priu. cit. n.* 46. hic addo, clausulam illam non importare meram, & liberam voluntatem, sed arbitrium boni viri; Barbosa *de claus. claus.* 69. Moneta *de distrib. p.* 1. *q.* 9. *n.* 27 Gonzal. *§.* 7. *n.* 112. *ad reg.* 8. *cancell.* Menoch. *de arbit. lib.* 1. *q.* 8. *à n.* 1. bonus autem vir est; quem describit Horat. lib. 1. ep. ep. 16. ad Quinct.

—— Vir bonus est quis?
Qui consulta patrum, qui leges, iuraque seruat;
Quo multa magnaque secantur iudice lites.
Quo responsores, qua causa teste tenentur.

Et plura huiusmodi videre potes apud Menoch. *de arb. lib.* 1. *in proœm. n.* 6. *&* 7. & cum duplex distinguant Iuristæ arbitrium, vt Menoch. *lib.* 1. *de arbit. q.* 6. *n.* 1. primum, quòd plenum, & liberum appellatur 2. quòd iure, ratione, ac æquitate regulatum dicitur, & 1. sit concessio à lege, vel homine facta, qua potest is iudex, semoto iure, ratione, ac æquitate, sed proprio ductus appetitu, à dolo tamen alieno, quòd placuerit statuere 2. verò sit concessio à lege, vel homine facta, qua possit is iudex, quid sentiat iure, ratione, ac æquitate animi sui proferre sententiam, quique non in alium statuat, quòd sibi statui negare posset, vt Menoch. *loc. cit. num.* 2. *&* 3. qui de vtrisque arbitriis in sequentibus agit, & quidem de libero *q.* 7. examinans singulariter verba, quibus illud conferri solet; *&* *q.* 8. examinat pariter verba, per quæ regulatum arbitrium confertur: Et licet illa clausula *in quantum sibi permissum fuerit*, neque in 1. neque in 2. arbitrio numeretur à Menoch. cum tamen assimiletur illi, *Vt videbitur, Vt placuerit*, &c. quæ arbitrium regulatum important, hanc nostram idem arbitrium importare dicendum est. Et dato, quòd sit dubium, quodnam arbitrium importet, in dubio, præsertim cum agitur de præiudicio tertij, secundùm Menoch. *loco cit. q.* 9. *n.* 8. Thosc. *ver. Arbitrium, concl.* 470. *n.* 26. præsumendum est, per eam arbitrium liberum non fuisse concessum, sed iure regulatum. Non vult ergo dicere legislator, quod superiores Prælati possint Correctorum iurisdictionem ad suum beneplacitum sine iure, & ratione (quòd aliqui malè prætendunt) impedire, sed solùm, quod quando aliqua iusta ratio in casu aliquo particulari suaserit, Correctores debere ab aliquo abstinere, v. g. à mittendis extra conuentum Fratribus, possit id illis Prouincialis, vel alius superior Prælatus impedire. Et quòd hæc sit germana interpretatio illius loci, probo ea *eadem Correct. num.* 64. vbi dicitur *ob hac tamen*, &c. Cum enim *n.* 62. *&* 63. mandasset legislator, quòd vbicumque præsentes fuissent Correctot localis, & Prouincialis, ille tanquam minor huic cederet tanquam maiori, & quòd quando fratres egressuri benedictionem à Correctore peterent in præsentia Prouincialis, ipse Correctoi nutu, vel verbo ipsi Prouinciali supplicaret, vt dictis fratribus benedicere dignaretur; Et similiter mandasset, quòd quando in refectorio adessent Generalis, vel Prouincialis, ab istis: non à Correctore fratres benedicerentur, dubitari poterat, an similiter in præsentia dictorum Prælatorum posset Corrector de rebus monasterij disponere, volens hanc dubitationem resoluere, subdit, *ab hoc tamen non intendatur*, &c. vbi nota, quòd dictio, *Tamen*, est limitatiua superiorum, vt Barbos. *de dict. dict.* 347. *n.* 1. cum ergo in illis duobus casibus *n.* 62. *&* 63. statuerit potestatem Correctoris ferè, vel omninò cessare in præsentia Prouincialis, volens prædictam regulam limitare, ait *n.* 64. *ob hoc tamen*, &c. Et quia etiam poterat contingere, vt expediret auctoritatem Correctorum suspendere in aliquo casu, ideò ne de hoc possent inter superiores, & inferiores Prælatos oriri controuersiæ, quæ non sunt vnquam sine subditorum scandalo, declarat, id esse superioribus Prælatis concessum. Neque etiam hic dictis obstat statutum *c. Bonon.* 1. *n.* 14. quo cauetur, quòd quando adest superior Prælatus in conuentu, nihil notabile concludatur, neque conclusum executioni mandetur per Correctorem, & capitulum locale, nisi ex scientia, & assensu ipsius; nam id intelligo, quod superior Prælatus declarauerit, velle se intendere super dicto negotio, vt colligitur *ex cap. Tolos. n.* 34. Nec est inconueniens, quòd Corrector præsente superiore Prælato, suum exerceat officium; cum eorum officia sint circa diuersa.

122. Hinc collige, non posse Prouincialem auferre auctoritatem à Correctore; neque etiam Generalem posse auferre auctoritatem à Prouinciali procedendi in aliquo casu contento intra limites suæ iurisdictionis, Immò neque posse superiorem Prælatum priùs in dicto casu procedere, quàm Prælatus inferior, si ad hunc primæ causæ pertineant; neque posse dictam causam sibi immediatè reseruare, vel auocare. Cum enim hi Prælati inferiores, non à superiori Prælato, sed à lege, & Regula iurisdictionem suam ordinariam acceperint, non possunt pro libito suæ voluntatis eam illis auferre superiores Prælati. Quòd satis probat Trid. *sess.* 24. *de reform. cap.* 20. vbi ait, *quòd causæ omnes in prima instantia coram ordinariis dumtaxat cognoscantur.* Et quòd sub nomine, Ordinarij, ibi intelligantur omnes habentes iurisdictionem ordinariam docet Pasqualig. *de resign. lib.* 2. *q.* 11. *n.* 19. Sanch. 3. *de matrim. disp.* 29. *n.* 5. & multi alij apud istos. Et in casu nostro Portel. *in addit. ad dub. reg. ver. Prælati potestas, n.* 8. Cum aliqua tamen causa potest superior Prælatus in casu particulari inferioris potestatem coarctare; sicut enim cum

illa potest in totum officio priuare, ita potest pattem illius ab eo auferre, vt dixi *tom.* 2 *priu. in const. 7. Pauli V. n.* 43. Sed de ista causa debet constare: vnde non sufficeret, superiorem Prælatum dicere, se ad id iustam causam habere, sed debet illam manifestare, vt dixi *tom. 1. huius op. q. 1. c. 12. concl. 1. vers. Neque credendum.*

123. Dico 28. Correctores notabiliter omittentes chorum, vel refectorium, per superiores Prælatos puniri debent. *Correct. num.* 66. quòd etiam statuit Clemens VIII. *in const.* 10 *Vrb. VIII* §. 18. & 53 *tom. 2. nostr. priu.* & aduertant Correctores, quòd peccant omninò mortaliter, si absque legitima causa sunt notabiliter negligentes in frequentatione chori, vel in celebratione Missæ. Ita expressè. A S. Fausto *in thesaur. relig. lib. 6. q. 179. num.* 2. & quòd, si semel moniti non se correxerint, debent officiis priuari: *per cap. fin. d.* 92. vbi statuitur, quòd clericus Ecclesiæ deputatus, qui ad quotidianum psallendi officium non conuenerit, debet deponi. Et in Concil. Aquisgranensi sub Stephano Papa V. & Ludouico Pio *cap.* 131 quòd habetur *tom. 3. Concil. p. 1. sect. 2. pag. mihi* 250. ita habetur, *Qui verè has horas frequentare, & in his, vt dignum est, cæleste neglexerit officium persoluere, digna inuectione corripiatur, vt & ipse emendetur, & cæteri timorem habentes, huiuscemodi negligentiam caueant.* Colligitur id etiam *ex c. 1. & c. Dolentes, de celebr. Miss.* & ex Trid. *sess. 24. cap. 12. de refor.* & manifestè probatur *ex Clem. 1. de celebr. Miss.* vbi § *vlt.* Superiotibus etiam regularibus, vt notat in specie Trul. *in elucid. sui Ord. lib. 2. c. 12. n. 1.* mandatur, vt sollicitam diligentiam adhibeant, vt debitis horis conuenienter officium diuinum celebretur, *si Dei, & Apostolicæ Sedis indignationem euitare voluerint.* Quæ verba important præceptum ad mortale obligans, vt dixi *tom. 1. priu. in const. 3. Sixti IV. n.* 7 Et ratio est, quia certum est tum ex iure communi, tum ex regula, & constit. Pontificum teneri regulares ad officium recitandum in choro, & id teneotur Superiotes sub mortali curare, vt constat *ex dicta Clem.* ergo eodem præcepto tenentur assistere, cum & ipsi pars sint communitatis, & capita; vnde tenentur non solùm assistere quatenus partes sunt, sed etiam quatenus capita ratione exempli, & scandali vitandi. Atque ita Suarez *tom. 2. de relig. de hor. can. lib. 4. c. 10. n.* 8. A S. Fausto *de hor. can. lib. 2. q.* 18. Filliuc. *tom. 2. tract. 23. c. 4. n.* 135.

An autem subditus, qui habet consuetudinem nunquam accedendi ad Chorum, etiamsi non sit studiorum causa occupatus, peccet mortaliter, putat quod non Diana *tom. 3. tract. 2. resol.* 18.

124. Vnde sequitur, quòd Prælati, qui sunt caosa per suam incuriam, vt vno die omittatur totum officium diuinum in choro, vel aliqua hora peccant mortaliter, quo etiam peccato afficiuntur, qui tali omissioni caosam præbent, vel ad illam cooperantur, etiamsi priuatim illud officium dicant. Ita Sotus *lib. 10. de iust. quæst. 5. art. 3. vers. fin.* Ledesm. *part. 2. summ. tract. 9. cap. 4. concl. 7.* A S. Faustfto *loco cit.* Et ratio est, quia agunt contra præceptum Ecclesiasticum ad mortale obligans. Similiter peccant mortaliter Superiores, quando permittunt, quòd in choro omittatur officium B. M. V. eo tempore, quo secundùm consuetudinem dici debet; nam tunc est pars officij diuini. Ita Sorb. *in comp. priuil. mendic. verb. Officium diuinum 3. vers. Sed an officium, pag. mihi* 449. Graff. *1. p. decis. lib. 2. cap. 53. num.* 23. Sot. *loco cit. art.* 4. extra chorum verò non tenentur singulariter illud dicere obligati ad officium diuinum, per concessionem Pij V. *in approbat. breu.* Item mortaliter peccant Superiores permittentes quòd in choro non dicatur officium mortuorum prima die post Festum Omnium Sanctorum; & similiter peccant, qui extra chorum illud non recitant: Sor. & Graff. *loc. cit.* Suar. *loco cit. cap. 25. n.* 9. Similiter mortaliter peccant permittentes, vt omittantur in choro Litaniç maiores in die S. Marci, & in tribus diebus ante Ascensionem, nisi adsint publicis processionibus, quia sunt pars officij illius temporis. Suarez *loco cit. numer.* 8. ad quas dicendas tenentur etiam recitantes officium extra chorum. Permittere autem ne dicantur in choro psalmi graduales, pœnitentiales, & officium defunctorum, quando secundùm Breuiarij rubricas debent dici, mortale non est, Suarez *loco cit. cap. 13. num.* 13. & hoc etiamsi adsit consuetudo, tollitur enim hæc obligatio per dictam bullam Pij V. Idem dic de septem psal. qui quondie dicuntur à Minimis; cum enim non obligentur ad hoc nisi ex Regula, quæ ad nullum peccatum obligat, eos omittere non erit peccatum, nisi fortè concurrat vna ex illis quatuor causis, de quibus dixi *tom. 1. huius op. cap. 5. notab.* 8. Sed de hac materia vide pleniùs Nauarr. *tom. 4. de or. c. 10 n.* 4. Azor *tom. 1. lib. 10. c. 16. q. 3. & 4.* Fil. *tom. 2. tract. 23. c. 6. à n.* 211. à S. Fausto *de hor. can. lib. 2. q.* 304. Gauant. *tom. 2. sect. 9. c. 1. & c. 2. per tota.*

125. Dico 29. Correctores non possunt professis imponere pœnitentias coram nouitiis exequendas, nec eos obligare ad dicendas culpas coram illis, nisi vbi professi coram nouitiis deliquissent. *Correct n.* 67.

126. Dico 30. Correctores de Seniorum consilio, & assensu capituli possunt libros pro bibliotheca emere, vel, si adsint aliqui duplices, vel minùs viles, aut non conformes statui Religiosorũ, eos vendere, prout pleniùs definitur *in cap. Val. 4. num.* 8. Possunt item Correctores de eorundem consilio, & assensu emere pannos, vel stamineas pro nouis vestibus faciendis, conuentui, & Ecclesiam ædificare, vel reparare, negotiaque omnia monasterij determinare. *Correct. num.* 72. Correctores autem, qui dictum consilium, & consensum prætermiserint, post binam monitionem, ab officio suspendi debent per Seniores, & capitulum locale, ac per superiores Prælatos ad mensuram delicti puniri. *Correct. n.* 73.

127. Dico 31. discordiæ ortæ inter Correctores, & subditos, debent definiri per Seniores, & maturiores fratres conuentus; quòd si subditi culpabiles inuenti fuerint, debent puniri per capitulum locale; si autem inuentus fuerit culpabilis Corrector, debet puniri per aliquem superiorum Prælatorum; *Correct. num.* 35. differentiæ autem ortæ inter Correctorem, & Seniores, per capitulum locale extingui debent, *Correct num.* 73. Debent tamen Seniores in omnibus suis Correctoribus obedire, & sine vlla præeminentia in suis locis sedere. *Correct. n.* 74.

128. Dico 32. Correctores non possunt punire, deponere, priuare, vel emendare Lectores, modum Religiosis conuenientem in suis lectionibus excedentes, sed id pertinet ad superiores Prælatos, *Correct. n.* 75. si tamen ipsi Lectores delinquant quò ad mores, possunt per Correctores, in his, quæ ipsorum Correctorum facultatem non excedunt, puniri, cum Correctorium *loco cit.* solùm loquatur de Lectoribus excedentibus in modo legendi.

129. Dico 33. Correctores cum suo locali capitulo possunt concedere literas dimissorias suis subditis, tam quò ad ordines minores, quàm quo ad sacros. *Corr. n. 78. c. Barch. 1. n. 6.* Passar. *in schol. ex Barch n. 11. vers. Intellige eo non posse.* Vbi bene declarat, hac potestate non posse, nec debere capitulum vti in præsentia superioris Prælati sine scientia, & assensu ipsius, nec etiam in absentia in casu prohibitionis, non quidem generalis, nec perpetuæ, sed specialis, iuxta ea, quæ dico *tom. 1. nostr. priu. in const. 7. Pauli V. n.* 43 Quò verò ad presbyteratum, id pertinet ad superiores Prælatos. *Correct. n.* 77. Non possunt tamen præfati Superiores ad ordines suscipiendos mittere, qui voce capitulari, seu primogenitura priuati sunt; *cap. Tolos. num. 12. Genuen. 7. n.* 27. Et aduerte, quòd fratres laici, qui alias in capitulo locali vocem habent, in hoc negotio mittendi fratres ad ordi-

oationem,

nationem, & aliis negotiis spiritualibus vocem non habent; per definitionem *Correct. n.71.*

130. Dico 34. Correctores habentes per se, vel per alios cuiquam disciplinam, debent ab officio statim suspendi per Seniores, & capitulum locale, *Correct. n.68.*

131. Dico 35. Correctores locales possunt prohibere confessoribus fratrum, nè beneficium absolutionis in aliquo casu suis subditis impendant. Possunt item dicti Correct. excommunicare, *Correct. n.87.*

132. Dico 36. Nullus frater Minimus potest literas extraneorum ad extraneos deferre, vel eis describere absque Correctoris licentia; literas tamen fratrum eiusdem Ordinis potest quilibet, cui diriguntur, deferre, dummodò priùs Correctori ostendantur; *Correct. num.* 100. Nec possunt fratres sibi inuicem scribere, nec etiam ad extraneos, absque eo quòd literæ subscribantur à Correctore locali. Ita *in c. Val. 5. n. 21.* Suis tamen Superioribus possunt singuli scribere, absque dicta Correctoris subscriptione; *Tolos. n.46.*

133. Dico 37. Locales Correctores in præsentia Generalis, vel Prouincialis non possunt etiam de consensu Seniorum, & capituli, cuiquam pœnitentias graues carceris, &c. imponere; sed, quando casus occurreretir, debent intimare Prælato superiori præsenti, & ipsius arbitrio relinquere; *Correct. n.105.*

134. Dico 38. Correctores in acceptatione possessionis sui officij tenentur facere inuentarium seu registrum omnium bonorum mobilium, spectantium ad sacristiã, coquinam, conuentum, infirmariam, bibliothecam, ad hoc vt possint de iis tempore visitationis rationem reddere Prælatis superioribus visitantibus. Quòd si in hoc fuerint negligentes, debent perpetuò officiis priuari, & vlteriùs grauiter puniri ad arbitrium visitatorum; Correct. *n.108.*

135. Dico 39. Omnes Superiores Minimorum impetrantes ab Apostolica Sede aliquod indultum contra regulam, sunt ipso facto priuati suis officiis, & fratres ab illorum obedientia exempti; *Correct. n.110.* intellige, nisi Papa expressè huic statuto derogaret.

136. Dico 40. Correctores locales, & alij omnes superiores Prælati peccantes contra aliquod quatuor votorum, statim debent ab officio deponi, & capitulari voce perpetuò priuari; *Correct. n.111.*

147. Dico 41. Correctores videntes aliquem fratrem clamorosum, præsertim sæculares scandalizantem, seu rebellantem, & contumacem possunt eum in cameram detrudere, absque Seniorum consilio, & obedire recusantem, de Seniorum consilio, & assensu castigare, *Tol. n.47.*

138. Dico 42. Correctores destruentes studium, occupantesque studentes ita in negotiis conuentus (absque magna, & vrgenti necessitate) vt lectiones Lectores omittere necessitentur, post trinam monitionem cum debitis temporum interuallis, eis in capitulo per Seniores in absentia Prouincialis factam, debent ab officio per mensem suspendi, & similiter Prouinciales per eorum Socios; *Malche n.6.*

139. Dico 43. Correctores in locis remotis à ciuitatibus, de consensu Seniorum, & consilio chirurgi possunt supplere medici absentiam, si facilè haberi non possit, quò ad concedendum alicui, vt possit carnes comedere; *Genua 1. n.33.*

140. Dico 44. Correctores legitimo impedimento præpediti, possunt vnà cum capitulo locali vnum ex suis fratribus ad capitulum prouinciale mittere, qui in eodem capitulo vices dictorum Correctorum gerat. *Bonon. 1. n.10.*

141. Dico 45. Correctores negligentes in cura infirmorum, trina præuia monitione per Seniores, & capitulum locale ad mensem suspendi debent, & per Seniores infirmis prouideri. Quòd si vrgens infirmitas illam trinam monitionem expectare non concedat, & Correctores non prouideant, tenentur prouidere Seniores, qui, si in hoc fuerint negligentes, puniri debent per Superiorem; *Val. 1. n.11.*

142. Dico 46. Correctores tenentur assignare Socium Collegis prouincialibus, extra conuentum exire petentibus, ipsi verò Collegæ in absentia Prouincialis tenentur à Correctoribus benedictionem, non licentiam, petere; *Val. 3. n.8. fin.*

143. Dico 47. Correctores perseuerant in officio, etiam post festum S. Michaëlis cum titulo Correctorum, quovsque successores personaliter compareant in conuentibus suorum Correctoriatuum, *Val. 4 n.27.*

144. Dico 48. Electio Vicarij conuentualis loco Correctoris defuncti, priuati, vel suspensi, vel cassati propter electionis defectum, ad capitulum locale pertinet: poterunt tamen superiores Prælati per aliquot dies, donec capitulum electionem faciat, prouidere. *Val. 4 n.30.*

145. Dico 49. Correctores dantes vestimenta, à superioribus Prælatis assignata, in pecunia, sunt ipso facto priuati suis officiis. *Val. 4. n.34.*

146. Dico 50. Correctorum electiones non fiunt in illis conuentibus, qui reguntur per Vicarios, sed prouisio Vicariorum ad Prouinciales, & eius socios pertinet, & Socij eiusmet Prouincialis possunt in præfatos Vicarios eligi. *Genua 4. n.19.*

147. Dico 51. Correctores debent quò ad officium diuinum, & celebrationem Missarum curare, vt obseruentur cæremoniæ Missalis, & Breuiarij Romani; in refectorio verò, & in aliis cæremoniis nostri Ordin. *Genue 4. n 32. Massil. 1. n.63.*

148. Dico 52. non possunt Correctores fratres, Missos à superioribus Prælatis in suos conuentus; ad ipsos superiores Prælatos remittere, sed priùs debent eos monere per literas, ad hoc vt possint prouidere. *Barch. 1. n.* 27. vbi idem determinatur de Prouinciali respectu Generalis.

149. Dico 53. Correctores non possunt absoluere à transgressione votorum, sed id reseruatur solis superioribus Prælatis; *Correct. n.68 Genua 5. n.18.* vide Passar. *in schol ex Gennen n.* 18. & quæ dico *tom. 2. priu. in constit.* 10. *Vrban. VIII. n.12.*

150. Dico 54. Correctores non possunt eligi in Scribas capituli localis, quando agitur de Correctore, Discreto, Commisso, vel Vicario eligendo. *Anen. 2. n.10.* potest quidem Corrector in casu paritatis vocum, & tertia reperita electione, vnum ex illis duobus, qui sunt pares in vocibus, in Scribam, &c. eligere; *Genua 6. n.26.* Si autem electi pares non fuerint in prædictis electionibus, is ad officium assumatur, qui plures voces habuerit. *Barch. 3. sess. 5. vespert. n.1.*

151. Dico 55. Parochi nostri Ordinis sunt omninò subiecti Correctoribus. *Anen. 2. n.26.* Vide quæ dico *tom. 1. nostr. priu. in const. 26. Leon. X. n 4.*

152. Dico 56. Correctores non possunt eligi ex aliena Prouincia, nisi priùs in illa per annum saltem permanserint, *Anen. 2. n.29.* Intelligitur tamen de iis, qui nunquam in ea Prouincia fuerint, *Barch. 2. n.23.* Nec intelligitur de Correctoribus Romanis, qui possunt eligi ex qualibet Prouincia, vt probo *tom. 2. nostr. priu. in const. 7. Pauli V. à n.18.* & quòd fratres illorum conuentuum possint eligere Correctorem extra capitulum, declarauit Sacra Congreg. Regularium *anno 1625 die 7. Octob.* quam Congregationis declarationem confirmauit, & approbauit S.D. Vrb. VIII *die 11. eiusdem mensis, & anni.* Quam approbationem ponam in additamentis ad priuilegia Regularium.

153. Dico 57. Super Correctores possunt Prouinciales Vicarios pro emergentibus tantùm constituere; *Correct. n.106.* Emergentia autem negotia ea dicuntur, quæ maxima egent celeritate, nec ad Superiorem commodè recurri potest. *Anen. 1. n.31.*

154. Dico 58. Correctores non debent vllo modo

vocati Priores, *Barch.2. numer.* 38. & est contra *Reg. num.* 44.

155. Dico 59. Correctores, qui & simul sunt Definitores, cum pergunt ad capitulum definitorium, possunt relinquere Vicarium, qui præsideat vsque ad aduentum personalem noui Correctoris, *Gennen. 7. numer.* 39.

156. Dico 60. Correctores dum actualiter sunt in officio, non possunt eligi in Collegas Prouincialis, possunt tamen eligi in Collegas Generalis, *Roma 6. n.* 14. *dub.* 5.

157. Dico 61. Correctores electi à capitulis localibus, non possunt ad libitum capitulorum definitoriorum, vel prouincialium mutari de conuentu, in quo fuerunt electi, in alium; sed ad hoc necesse est interueniat causa iusta, & rationabilis, probanda, & discutienda in dicto capitulo, & in illius actis describenda; *Roma 7 sess.* 8. Vide quæ dico *tom. 1. huius op. q. 1. cap.* 31. §. 7. Quando autem dico causam, ad id requiri iustam, & rationabilem, intellige, quòd causa debet esse legitima, & vera, ac iuris ordine seruato probata, iuxta dicta à Panor. *in cap. Ea, quæ, de sent. & re iud. n.* 1.

158. Dico 62. Correctores functi suis officiis possunt eligi in Vicarios amouibiles ad nutum Prouincialium in aliquibus conuentibus paruulis, & postquam continuauerint per annum in dictis Vicariatibus, possunt iterum eligi in Correctores pro 3. annis, modò in 2. anno in Vicarios non eligantur per electionem, sed solùm per Prouinciales, & Collegas; iuxta *cap. Rom. 7. sess. 10. ver. Quod Vicarij.* Ita *in eodem cap. ibid. ver. Ad dubium.*

159. Dico 63. in conuentibus, vbi non sunt nisi tres sacerdores vocales, possint Correctores nominare in Scribam vnum ex illis duobus, ad effectum electionum faciendarum Correctoris dicti conuentus, & Commissi ad capitulum generale, non autem Discreti ad capitulum Prouinciale, quia hic debet esse de corpore capituli, illi autem non est necesse; *Roma 7. sess.* 11. *ver. Dubitatum est etiam.* Et nota hic declarationem sacræ Congreg. Concilij, factam *die 22. August.* 1626. his verbis. *Quæritur, vbi duo Religiosi regulares in aliquo Conuentu locales reperiuntur, & debeant electionem Superioris illius conuentus peragere, & non habeant Scribam Fratrum propria Religionis, num possint assumere aliquem alium Religiosum alterius Religionis, vel Presbyterum, aut Notarium Apostolicum in Scribam, ne conuentus, & ipsi priuentur eorum iure, cum Scriba secundùm iura possit esse extraneus. Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Trid. interpretum, Respondit, posse assumere in Scribam personam extraneam, aliàs facultatem habentem acta, seu instrumenta conficiendi in rebus Ecclesiasticis. R. Card. Vbaldinus, Franciscus Paulutius S. C. Secretarius.*

160. Dico 64. Correctores possunt absoluere per priuilegia Apostolica suos subditos ab omnibus casibus etiam reseruatis Papæ, præter septem, vt probaui *tom. 1. nostr. priu. in const. 4. Sixti IV. n. 25. cum præced.* An autem dicti Correctores possint à censuris, seu aliis casibus absoluere, præsente superiori Prælato, quando res ad forum contentiosum deducta est, vt si v. g. duo fratres se mutuò publicè percutiant. Puto quòd non, quia cum ad superiorem Prælatum iudicium illius fori pertineat, pertinet etiam eos à dicta censura absoluere, & alioquin inconueniens grande est, quòd illi excommunicati, priusquam fisco satisfaciant, sacramentaliter absoluantur, & diuinis se ingerant: atque ita tenere videtur Loog *de casib. reser. par. 1. sect. 5. art. 4.* pro quo facit *cap. Ex parte, el 1. de ver. signif.* ibi, *Si offensa est manifesta.*

161. Dico 65. Correctores ad id specialiter à Generalib. deputati, possunt dispensare cum illegitimis ad dignitates obtinendas, per ea, quæ dico *tom. 1. nostr. priu. in const. 2. Iulij II. n. 96.* & præter priuilegia ibi ad hoc adducta, adest etiam priuilegium Clem. VIII. concessum Clericis regularibus de Somascha. *Decet*, apud Cherub. *tom. 3. bull. in const. 22. Clem. VIII. pag. mihi* 29. vbi dat facultatem Generali, vt cum suis Collegis possit dispensare cum illegitimis ad recipiendum, retinendum, & exercendum administrationes, officia, & dignitates. Et absolutè posse Prælatos regulares cum illegitimis dispensare, sicut ante constitut. Gregorij XIV. docet Sigismund. *par. 5. de irreg. cap. 4. dub. 76. num. 6.*

162. Dico 66. Possunt Correctores dispensare cum homicida voluntario in rixa, vt dico *tom. 1. priu. cit. n. 104.* & cum iudice homicida, *ibid. n. 105.* Item cum homicida casuali indirectè, & occulto, *ibid. n. 112.* Item cum membra mutilante, *n. 117.* Item in bigamis, *num. 150.* Item absoluere possunt suum subditum, qui percussit clericum sæcularem, vel religiosum alterius Religionis, *ibi n. 119.*

163. Dico 67. Possunt Correctores absoluere omnes fratres suæ Religionis, vndecumque ad eos declinantes, à sententiis excommunicationis, suspensionis, aut interdicti, à iure, vel à iudice generaliter promulgatis, *per const. cit. Iulij II. §. 9. Ad quem §. vide quæ dico.*

164. Dico 68. Correctores in diebus indulgentiarum deputant sex, aut plures confessarios, qui absoluant ad eorum Ecclesias confluentes illis diebus, etiam à casibus Episcopalibus. Ita concessit Leo X. *tom. 1. nostr. priu. in eius const. 5. §. 2.* Vide quæ ibi dico *n.* 3. & vide etiam *tom. 2. eorundem priu. in const. 2. Pauli III. n. 5. &* 6. & possunt dicti Correctores ad hoc munus deputare non solùm Sacerdotes professos, sed etiam nouitios, vt ibi dico *n. 7.*

165. Dico 69. Correctores tenentur singulis annis quærere suos apostatas, & eos, si bonam præbeant emendationis spem, reducere ad Religionem, iuxta decretum sacræ Congregationis quod habes *tom. 2. nostr. priu. in const. 10. Vrb. VIII. §. 7.*

166. Dico 70. Correctores ab Episcopis inuitati, vt eant cum suis Fratribus ad publicas processiones, obedire tenentur, vt habetur in Trid. *sess 25. de regul. cap. 13.* & dixi 1. *part. nostri Ritualis notab.* 1. alioquin possunt priuari à dictis Episcopis pœna priuationis sui officij, vt dixi *tom. 1. nostr. priu. in const. 5. Syxti IV. num. 60.*

167. Dico 71. Correctores possunt benedicere ornamenta Ecclesiastica, & corporalia, non solùm pro suis Ecclesiis, sed etiam pro aliis, vt latè probaui *in 2. par. nostri Ritualis, à notab 9.*

168. Dico 72. Correctores cum suo conuentu possunt leuare corpora suorum Fratrum decedentium extra conuentum, absque licentia, vel scientia Parochi, vt probo 3. *p. Ritual. notab. 1. & tom. 2. nostr. priu. in const. 7. Pij V. n. 12. ad decimum.*

CAPVT V.

Quam iurisdictionem habeant Superiores regulares in suos subditos.

1. PRo hoc cap. videri potest Rodrig. *tom. 1. q. reg. q. 17. art. 1.* Mit. *tom 1. man. q. 13. art. 5.* Suar. *tom. 3. de relig. lib 2. c. 18. & tom 4. tract. 1. lib. 2. c. 1.* Sanch. 5. *in decal cap. 1. n. 15. 20. & 21.* Vasq. 1. 2. *disp. 165. cap. 5.* Azor. *tom. 1. instit. mor. lib. 12. c. 6. q. 6.* Salas *de leg. disp. 8. sect. 18.* Thom. à Iesu *in reg. Carmel. c. 10. dub. 3. par. 3.* Less. *lib. 2. de iust. c. 41. dub. 1. à num. 10.*

2. Suppono 1. statum Religiosorum fuisse à Christo Domino

Domino institutum, & ab Apostolis amplexatum, & seruatum. Ita D.Thom. 2. 2. q.88. *art.4. ad* 3. Palud. *in* 4. *d.*38. *q.*2. *diss.*5. *concl.*3. Ledesm. *de stat. Relig. in comm. c.*4. *concl.*1. *pag. mihi* 78. Plat. *de bon. stat. relig. lib.*2. *cap.*20. *per tot.* Vasq. *loc. cit.* Suar. *tom.*3. *de relig. lib.*3. *c.*2. *à n.*3. Mauel. *lib.*5. *de monar. Eccl. cap.*13. *part.*2. *lib.*5. *c.*13. *n.*1. *tom.*1. Sanch. *loco cit. n.*15. & alij communiter DD. & PP. quos adducunt Suarez, Vasq. Plat. Et probatur ex *illo Matth.*19. vbi Christus dixit cuidam adolescenti, *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*; ex quibus habes votum paupertatis, *Et veni, sequere me*, vbi habes votum obedientiæ per sui ipsius traditionem. De voto castitatis ibidē dicitur, *sunt eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum*, idest, qui se priuauerunt potestate carnalibus voluptatibus vtendi, amore regni cœlorum adipiscendi, alioqui enim eunuchi non essent. Et quòd Christus ibi loquatur de statu Religiosorum, constat manifestè, nam cum adolescens eum interrogasset, quid faceret, vt vitam æternam possideret? respondit Christus, seruanda illi esse mandata; quæ cum se seruasse replicasset adolescens, subiunxit Christus, *si vis perfectus esse, &c.* Quasi diceret, licèt si hominibus in statu sæculari existentibus sufficiat pro salute æterna consequenda mandata seruare, iis tamen, qui perfectiorem vitæ statum anhelant, non sufficit mandata seruare, sed debent præterea omnia, quæ mundi sunt, mundo relinquere, & se totaliter Deo tradere per propriæ voluntatis abnegationem, atque etiam se omninò per votum castitatis potestate licitè coëundi priuare. Quòd verò Apostoli hunc statum amplexi fuerint, constat ex eodem *Matth. cap.* 17. vbi Petrus auditis, quæ à Christo fuerant adolescenti dicta, nomine omnium Apostolorum dixit, *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Ac si diceret. Ecce, Domine, fecimus, quod iussisti, reliquimus in primis omnes nostras facultates, & potestatem amplius eas, vel alias habendi, *& secuti sumus te*, dando in manus tuas voluntates nostras, quibus promisimus, nolle facere, nisi quod iusseris, & volueris; in quibus verbis includitur votum castitatis; cum enim scirent, Christum requisisse ab iis, qui enim in statu perfectionis sequi voluerant etiam castitatem; si vouerunt facere, quòd ipse vellet, consequenter etiam vouerunt castitatem. Vnde etiam aliquæ Religiones votum solum faciunt obedientiæ in quo includuntur alia duo. An verò Apostoli fuerint Monachi, vel Clerici, dixi fuisse Monachos *tom.*2. *nostr. priu. in const.*5. *Pij V. n.*3. Quod modo confirmo auctoritate Epiph. aduer. hæres. *hær.* 58. vbi explicas de Apostolis illud Matth. 19. *sunt eunuchi*, &c. ait, *Quoniam igitur fuerint quam generasi Apostoli, ac monasticam vitam degentes*; &c. Et Bet. *ad fratr. de mon. Dei*, loquens de antiquitate status monastici, ait. *Res enim à Deo familiarissimè celebrata, & ab eius discipulis ipso præsente concupita.*

3. Suppono 2. Ex vi votorum præcisè unn posse quemquam ita se alteri subiicere, vt ei in se ipsum iurisdictionem tribuat; licèt enim iure naturæ personæ nulli subiectæ possint inter se conuenire, & aliquem sibi proponere, qui in ipsas habeat iurisdictionem, vt dixi hic *supra. cap.* 1. *num.* 87. Quæ tamen alicui subiectæ sunt, id facere nequeunt, quocumque voto aut iuramento interueniente, quia esset in præiudicium Superioris iam electi. Cum ergo iurisdictio spiritualis iam tota à Christo Domino collata sit Summo Pontifici, aliisque Ecclesiasticis Prælatis cum subiectione ad illum, hinc fit, quòd nulla priuata persona possit se ipsam per votum alteri spiritualiter subiicere, nec in se ipsam alteri iurisdictionem præbere; sed ad hoc requiritur, quòd vota ipsa acceptentur ab ipso Superiore, vel ipsius nomine; quo fit, vt Regularium Prælati vi votorum præcisè nullam habeant iurisdictionem spiritualem in subditos, sed formaliter virtute Pontificis, qui ipsis Prælatis facultatem concessit ipsa vota acceptandi; Atque ita docet Vasq. 1. 2. *disp.* 165. *c.* 4. *à n.*24. Sanch. 5. *in dec. c.*1. *n.*10. Hinc fit, quòd, cum Pontifex Prælatis Religionum tradiderit eam potestatem; quam ipse, vel alij Prælati, & Superiores habebant super nouitios, si dicti Prælati regulares præcipiant aliquid nouitiis cum intentione eos ad mortale obligandi, seu etiam sub pœna excommunicationis, hi obedire tenentur, non vi voti, quòd non fecerunt, sed vi potestatis, à Pontifice per ingressum Religionis super ipsos receptæ; Quod notat Salas *de leg. disp.*8 *sect.*18.

4. Suppono 3. totam monasterij potestatem apud Prælatum residere; *c. Nullam* 18. *q.* 2. quæ potestas dicitur in Prælato triplicem iurisdictionem. 1. est œconomica circa res temporales monasterij, & Religionis. 2. est spiritualis, tam in foro interno, vt confessiones audire, quàm in foro externo, vt casus reseruare, excommunicare, &c. 3. est iudiciaria, prædictis necessariò annexa, vt docet D.Thom. *quodlib.* 1. *art.* 16. vt subditos corrigere, visitare, &c. de quibus omnibus mihi dicendum est in hoc opere. De tertia dicam temissiuè *in q.*4. De 2. quò ad forum internum sans dixi *in priu. Minim.* quò ad forum externum dicam *q.* 3. De prima nunc aliqua. Videatur pro ista potestatis distinctione Vasq. *loco cit. num.* 28. *&* 29. Regin. *in praxi*; *lib.* 1. *à num.* 10. Thom. à Iesu *in expos. suæ reg. c.* 10: *p.* 3. *dub.* 1.

5. Quò igitur ad potestatem œconomicam, cum partes illius sint principaliter duæ, homo, & possessio, vt ait Arist. 1. *œconom. c.* 2. scire debet Superior, vt paterfamilias, quòd duas res principaliter debet curare, quæ sunt, sub se, nimirum homines idest, subditos; & res, idest facultates. Et circa facultates quomodò dispensandæ, concedendæ, conseruandæ; dixi multa *tom.* 1. *huius op. q.* 2. & quomodò alienari, vel non alienari possint, dixi etiam mu ta *tom.*1. *priu. in const.* 9. *Iulij II.* quæ cum satis sint per se diffusa, hic non repeto. Solum tangam aliqua de potestate œconomica.

6. Circa familiam igitur, quæ, cum sit pars nobilior, & principalior, & propter quam datur possessio, indiget sollicitiori cura, & diligentia, aduertendum, quòd quoque genera subditorum habere potest sub se Prælatus, nimirum Sacerdotes seniores, Sacerdotes iuuenes, clericos, nouitios, conuersos; inter hos sunt aliquando infirmi, quandoque hospites; ex his etiam multi viri graues, vel honorata prælaturarum functione, vel laurea scientiarum, vel corona sanctitatis, vel Principum familiaritate; ex his etiam multi sunt officiales. Cum his omnibus quomodò se gerat prudens Superior, vt Deo, Religioni, & sibi cultus debitus tribuatur, hic insinuo.

7. Primò igitur in communi ex aliis, & eo modo studeat imperare, quæ ab aliis sibi imperari optaret, vt dicitur Tob. 4. *Quod ab alio oderis tibi fieri, vide, ne tu aliquando alteri facias*, & Greg. 2. *pat. pastor.* cap. 10. ait, *Cuncti quippe, quousque in hac mortali carne subsistimus, corruptionis nostræ infirmitatibus subiacemus: Ex se ergo debet vnusquisque colligere, qualiter aliena hunc oporteat imbecillitati misereri, ne, contra infirmitatem proximi si ad increpationis vocem feruentius rapiatur, oblitus sui esse videatur.* Et Chrys. hom 13. ad pop. Antioch. *Non opus est*, inquit, *multis sermonibus, neque prolixis legibus, nec varia doctrina, voluntas tua sit lex. Vis beneficia capere? confer beneficium alteri: vis misericordiam consequi? miserere proximi: vis laudari? lauda alium: vis amari? ama: vis partibus primus potiri? cede illas prius alteri.*

8. Secundò æqualiter omnibus se amicum exhibeat, æqualiterque omnes in omnibus tractet; seque

 æqualiter

æqualitet omnibus conformet. Omnia Bonau. de sex. al. Seraph. c. 6. *Licèt enim meliores in affectu præferendi sint minoribus, & omnes propter spem salutis in Christo amplectendi sunt; in actu tamen exterioris exhibitionis taliter se geras ad omnes, vt nullus se ab eo contemni propter alios suspicetur, sed quilibet se ab eo diligi præsumat; & fiducialiter ei, quasi singulari amico, confidat, ne alicui indignatio, & inuidia in aliis nutriatur.* Et superiùs dixerat. *Communem vitam cum cæteris obseruet, in victu, vestitu, & labore, vt non facet conuiuiis, & potationibus, cum alij sobrio cibo, & potu vtantur; nec sit eis dissimilis habitu, cum quibus est eis professio communis; nec à labore cæterorum se subtrahat, qui illos iubet in eisdem laboribus exerceri.* Et Chris. hom. 58. ad pop. *Vna*, ait, *mensa, & ministerium suscipientibus, & exhibentibus, eadem fercula, eadem indumenta, habitacula eadem, eadem vita; Et quid miraris*, subdit, *quòd vna sit omnibus dieta, vestis, & mensa, quippe cum omnibus sit vna anima?* Hanc vniformitatem pluriès præcepit S.P.N. *Reg. n.39. Correct 65.* & dixi *c. prac. §. 5. n. 99.* Prouideat ergo noster œconomus suis subditis de sufficienti victu, vestitu, cubiculo, &c. iuxta conuentus facultatem; facilè enim ex hoc ad omnem regularem obseruantiam illos compellet, dum ea, quæ necessaria sunt, illis subministrabit. Ex auaritia namque Prælatorum quam plurima animarum dispendia oriuntur. Quot, Deus bone, monasteria reformarentur, si Religiosis necessaria tribuerentur de communi penu? Aduertat hic noster œconomus, quòd non desinit esse æqualis distributor bonorum monasterij ex eo quòd alicui plus indigenti plus tribuat; *Act. n. 4.* dicitur, *Diuidebatur singulis, prout cuique opus erat*, & tamē erant illis omnia communia. Quòd aduertens legislator noster *in Cor. n. 109.* ait, *Veruntamen si aliquando causa frigiditatis, aut infirmitatis aliquis se pluribus tunicis egere asserat, illi tanquam Dei seruo credatur, & eidem, iuxta loci facultatem charitatiuè prouideatur.* Et Aug. in c. 1. suæ reg. ait, *Non æqualiter omnibus distribuatur, quia non æqualiter valetis omnes, sed potius vnicuique prout cuique opus fuerit.* Ad hanc vniformitatem etiam pertinet omnibus æqualiter se affabilem præbere, tam maioribus, quàm minoribus. Bon. loc. cit. *Sit etiam*, ait, *humilis affabilitate, vt subditi facilem accessum ad eum habeant, & fiducialiter ei loqui de quibus indigent, audeant, & patienter eos audiat, & benignè eis satisfaciat, & studiosè instruat, & alacriter exhortetur; studeat magis amari, quam timeri, quia lubentiùs obeditur ei, qui diligitur, quam qui timetur.* Et notet noster œconom. pro æqualitate seruanda pulchrum dictum Philonis lib. de creat. Princ. ad fin. *Est æqualitas mater iustitiæ. Est lumen clarissimum: Sol, vt ita dicam, fulgentius; sicut è diuerso inæqualitas tum in defectu, tum in nimietate, fons, & origo caliginis.*

9. Senes autem, vt ad particularia descendamus honoret, illorum necessitatibus occurrat, etiam non petitas subministret, patienter eorum grauedines supportet, visitet sæpius, consoletur, consilium ab ijs petat, etiam sine necessitate, vt eos non contemnere videatur; satagat in primis, vt à iunioribus honorentur, & non permittat, vt quidquam seruitij illis desit, memor quòd hæc sibi fieri gaudebit, si ad senectutem peruenerit. De hoc honore, & qui sint illi senes, quibus talis honor debet, plenè dixi *tom. 2. priu. in const. 6. Pauli V. num 4.9. & seq.*

10. Sacerdotes verò iuuenes frænandi, nimia enim licentia ijs propter carnem, & sanguinem aliquando concessa, grauia damna solet in Religione causare. Obedire ergo eos assuefaciat, ex eo enimq; quòd sacerdotes sunt, non debent esse magis licentiosi; in nulla re, quæ regularem obseruantiam tangat, relaxet: mortificatè viuere, domique manere compellat. Quòd si foras sit aliquando exeundum, omninò caueat, ne socium ad electionem concedat, nec eundem sæpiùs ad mentem Clem. VIII. vt constat ex *const. 10. Vrb. VIII. to. 2. nost. priu.* § 36. immò semper non gratum, vt & à petendo exitu abstineat, & foris, sibi à socio cum oporteat cauere, religiosè tractet. Nullo pacto permittat vti licentiis, quibus sacerdotes seniores, nec omni reuerentia, qua illos, cohonestet; nimias inter se ipsos familiaritates exterminet; ne conuenticula celebrent prohibeat. Otiositatem, vitiorum omnium matrem, tanquam pestem fugere adigat; otiosos, si quos aliquando reperiat, obiurget acriter, seuerè puniat, & magis labore cogat. Hinc. n. seditiones, conspirationes, monopolia, rixæ, discordiæ, murmurationes, Superiorum contemptus, regulæ transgressiones, & disciplinæ regularis eneruationes.

11. Clerici adhuc magis frænandi. Eos à magistri seueriori ferula non amoueat, durè, vt nouitios tractet; quid enim timat illa aspera, & dura nouitiorum tractatio, si statim, facta professione, iugum excutiatur; Mitiùs ergo semper cum nouitiis agendum existimaui, quàm cum clericis nouiter professis; illi enim, vt iugo nondum assueti, si asperrimum absque aliquo leuamine eis superimponatur, succumbent facilè; isti iam aliquantu assueti tolerabiliùs ferre possunt; nouitij propterea expulsionis timore, si non amore virtutis, timidiores, & obedientiores; clericis eo carentes, audaciores, & insolentiores esse solent, vnde duriſſimè tractandi, prudenter tamen, ne frangantur. Diuinis diu, noctuque interesse imperet, non interessentes publicè cum ludibrio corrigat, & castiget. Cum Sacerdotibus practicare nullo modo sinat. Nimias inter se ipsos familiaritates radicitus euellat, verba, nutus, actiones eorum diligenter notet, præsertim quando non aduertunt; quid diu, noctuque gerant, scire curet; inclinationes eorum per se, vel per alios sibi similes cognoscere studeat, cognitis secundùm sibi traditam prudentiam adhibeat medicamina: cellas eorum, & capsulas diligenter, & sæpè scrutetur; ne quid recipiant tam à sæcularibus, quàm à fratribus, strictiſſimè inhibeat: inter se ne quidquam ad vsum sibi concessum commutent, prohibeat; multo minùs ne distrahant: foras egredi nullo vnquam tempore sinat; quòd si exigat necessitas, cum solo magistro: ne vnus alterius cellam ingrediatur, vetet, multo minùs, quòd in ea moretur, etiam aperta ianua: in sacerdotum, aut conuersorum cellas penitus ingredi non permittat, foribus etiam reseratis: studiis, & orationi assiduè intendere adigat, negligentes absque misericordia puniat; impietas enim est misereri, quando non oportet, & quorum non oportet, nunquam otiosos esse permittat, ait enim Chrys. hom. 38. in Mat. quòd *otiosa iuuentus imprudenter educata, omni ferocissima bestia immanior est.*

12. Cum ex nouitiorum educatione tota pendeat Religionis obseruantia, vt notauit Clemen. VIII. *in const. 10. Vrb. VIII. cit. §. 79.* & adolescentium educationem esse fundamentum totius Reipublicæ dixerit Diogenes, curet in primis noster œconomus, ne ad habitum recipiantur, qui requisitas conditiones non habeant, receptos studeat in timore Dei, & Religionis obseruantia educari; faciat leuiter probare dura, & aspera; studeat eorum inclinationes, actiones, verba, & nutus cognoscere; mortificationibus assuefaciat; acriter reprehendat, & aliquando insontes, ad experimentum virtutis, & eos exerceat in patientia, quæ est regina virtutum, & Religiosis simpliciter necessaria. Ad quæ eum inuitat Sapiens Ecclesiastici 30. *Curua ceruicem eius in iuuentute, & tunde latera eius dum infans est, ne fortè induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ*, & supra *Equus indomitus euadit durus, & filius remissus euadet præceps.* Et Salomon Prou. 23. *Noli subtrahere à puero disciplinam, si enim percusseris eum virga, non morietur: tu virga percuties eum, &*

animam

animam eius de inferno liberabis. Prudentia tamen in his opus est, ita vt si vna manus percutiat, ambæ sanent. Foras egredi nullo pacto permittat, quòd si quandoque necessitas postulet, cum solo magistro, vel eius socio. Parentes tarò alloqui sinat, vt eos obliuisci assuescant. Et sciat, quòd omnis, & quicumque labor hac occasione toleratus in maximum honorem Dei, & Religionis vtilitatem redundat; sciatque etiam, ad id se iure diuino, & naturali teneri; & quòd de negligentia est rationem redditurus illi, qui iudicaturus est viuos, & mortuos.

13. Conuersorum cura non est negligenda, immò maximè curanda; & ego in ea sum opinione, vt credam, illorum educationem diligentiori cura esse procurandam, quàm clericorum. Ducor, quòd hi soli, vt plurimum, per ciuitates ambulent, & Religiosus, qui sine teste ambulat, maximè debet esse mortificatus, ne scandalizet: hi etiam frequentiùs, immò quotidie, sæculares alloquuntur; vnde deberent esse valdè instructi in perfectione, vt eos ædificarent, in eaque multum radicati, ne picem tangendo, ab ea inquinentur; Denique ne sæcularium mores in Religionem inducerent. Nescio tamen quo incantamento ita eorum cura negligatur in Religionibus. Curet igitur noster œconomus eos ad Religionem recipi, qui cum pietate, & deuotione corporis vires coniunctas habeant, vt supportandis Religionis oneribus apti existant, curet, eos omnes in vno conuentu sub vnius magistri disciplina educari, & si fieri potest, nouitiatus tempore in quæstuationibus non occupet, maximè si soli eas facere debent; cum enim vt plurimum sint moribus rudes ruditatem illam non possunt sic breui relinquere, vndè licèt optent ædificare, destruunt persæpe: studeat eos imbui bonis moribus: sermonibus de disciplina regulari abesse non permittat: inculcet sæpe illis fidelitatem promissam, vel promittendam: moneat eos mortaliter peccare, si fuerint negligentes in ministeriis, ad hoc enim recipiuntur in Religionibus, vnde, si sunt negligentes, fraudant Religionem. Et ita in hoc puncto docet A S. Fausto *in thes. relig. lib. 6. quæst.* 179. *num.* 3. Et ante omnia vigilet, an singulis hebdomadis pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta recipiant, iuxta inueteratam, & laudabilem consuetudinem in Religione nostra.

14. Infirmos visitet semel ad minus in die, eosque consoletur. Curet vt infirmarius diligens sit, & charitatiuus; infirmus enim, qui sibimet subuenire non valet, eo ipso ampliùs tribulatur, cum ab his, à quibus deberet non consolatur, non à miseria per compassionem subleuatur, iuxta illud psal. 68 *sustinui, qui simul mecum contristaretur, & non fuit, qui consolaretur, & non inueni*; Quòd si in aliquo offendat ægrotus, in quo reprehensione sit dignus, vel excuset propter infirmitatem, vel differat, quovsque melius se habeat; vel, si quid ei dicendum sit, ita dulciter moneat, vt ægrum sanet, non exasperet, infirmitati potiùs, quàm infirmo erratum tribuendo. De omnibus necessariis pro sanitate celeriùs restauranda prouideat. Quod nostris Correctoribus præcipitur *in Reg. num.* 26. per obedientiam ad mortale obligans, & est vnicum, & solum præceptum in Regula ad mortale obligans, vltra vota. Et notanda etiam traditio, quam ab antiquis accepimus, quòd aliquando interrogatus S. P. N. quid faciendum, quando in aliquo conuentu pauperrimo non esset commoditas prouidendi infirmis de necessariis, respondit, *eo casu vendendas esse campanas, & calices, & infirmo succurrendum.* Vnde etiam in Reg. num. 32. & Correct. num. 56. ait, *præterea charitatiuè semper obseruetur, quod cuncti diutino ac naturali languore caliti visitati, nedum in dictis ieiuniis, sed etiam in cunctis vigiliis, & quibuscumque Ordinis huius oneribus benignè supportentur, & cibis quadragesimalibus abundantiùs, quàm sani, refocillentur*, &c. Aduertat etiam Superior, quòd fratri dicenti se esse infirmum credere debet, etiamsi aliqui ex malitia, illusione in animarum suarum dispendium aliquando mentiti fuerint: nam alioquin euenire posset, vt verè indigentes paterentur: quòd optimè notant. Bonau. *de sex. al. Seraph. cap.* 4. Et fundatur *in l. Absentem, ff. de pœnis*, vbi dicitur, quòd meliùs est absoluere nocentem, quàm condemnare innocentem. Et Aug. id expressè præcipit in sua reg. cap. 9. dicens. *Si latens est dolor in corpore, famulo Dei dicenti, quid sibi doleat, sine dubitatione credatur.* Si infirmitas sit periculosa, curet, vt semper in infirmi cella diu, noctuque Fratres assistant: omnia iuxta medici præceptum obseruari curet. Si sit de sanitate desperatus, mandet expertis Fratribus, vt moribundum adiuuent: sacramenta ministrari faciat, &c. iuxta formam nostri Ritualis.

15. Hospites quomodo recipiendi, tractandi, & honorandi vide *tom. 2. nostr. priu. in constit. 6. Vrb. VIII. num.* 1.

16. Cum viris grauibus functione honorata dignitatum prudenter admodùm gerere se debet noster œconomus, & in primis naturalem eorum inclinationẽ inspicere; nam si ambitiosi sunt, erunt etiã necessario inquieti, seditiosi, & conciliatione amicorum, in prælationibus acquisitorum, superbi; vnde omnino frænandi sunt, & potiùs prudenter contemnendi, quàm æstimandi ad hoc vt humilientur. Prohibeat omnino illis nocturna conuenticula, & diurnas etiam in cella, vel alibi fratrũ congregationes à communibus aliorum Fratrum obsequiis chori, missarum, confessionum, refectorij, &c. exemptos esse non patiatur. Non eis, in publico præsertim, multum tribuat, illosque verbis potiùs, quàm factis pascat; in eorum tamen gratiam quædam aliquando minora faciat, ne contemnere videatur. Si vero sint humiles, & sua sorte contenti, nouitatum non amici, multum eos æstimare debet, sunt enim ad obedientiam maximè prompti, cum imperando obedire didicerint, illorum consiliis vtatur, habent enim multarum rerum experientiam; conniueat, si non tam frequentes in communitatis obsequiis aliquando fuerint. Hæc eadem seruanda sunt cum viris grauibus laurea scientiæ: cum enim scientia ex se inflet, si inflati sint, humiliet; si humiles, exaltet, ædificant enim hi quotidie in cœlo, Ecclesiamque Dei propriis humeris sustentant.

17. Cum viris grauibus corona sanctitatis nullum erit Superioris negotium; isti enim nutibus obediunt, regulam, & regulares constitutiones ad amussim seruant, neminem lædunt, neque verbis, neque nutibus, neque factis, læsi tolerant, in obsequiis communitatis assidui; si egent, humiliter petunt, si recipiunt, gratias agunt; si denegetur, patienter sustinent, linguam frænant, omnia in bonam partem accipiunt; confratrum defectus non accusant, immò excusant, maximè Superiorum; si excusare non possunt, compatiuntur, aliis virtutibus cooperiunt, aliis omnibus se peiores æstimant, proprios defectus semper augent, & publicant, virtutes tacent; istos cæcus Superior regere potest, cum alios neque oculatus ante, & retro sufficiat. Solum debet aduertere circa istos Superior, ne indiscreto feruore ducti, mortem, vel malam sanitatem sibi indiscretis pœnitentiis consciscant. Cauendum etiam maximè, an verè tales sint, quales foras videri satagunt: nam angelus satanæ se aliquando in angelum lucis transfigurat, & lupus non rarò ouinam pellem induit: quare tunc maximè obseruandi sunt & plagæ eorum non sunt tacendæ: ait enim Naz. or. 1. num. 60. *Quidam etiam ad minima vsque ac leuissima obseruandi sunt, nimirum qui eo quòd peccata sua obscura, & incognita esse putant (quandoquidem id moliuntur) tanquam sapientiores animis inflantur.*

18. Cum iis, qui habent familiaritatem cum aliquo Principe,

Principe, vel quia sunt eius confessarij, vel consiliarij, vel Theologi, arduum erit Superiori negotium; cum enim isti, communiter loquendo, aulas sequuntur quotidie, aulicorum mores ita induunt, vt verè aulici fiant, vnde monita Superioris spernunt, correctiones fraternas rident, punitiones cum Superioris iussione vitant, si illis secundetur, fiunt intolerabiles; si resistatur, indignantur ita, vt indignationem cadere super Superiorem Principis auxilio pro posse curent. Malum negotium, è Religionibus eradicandum: honorat enim leuiter in cute, & lædit enormiter in carne; Hæc, & peiora didici à S. Basil. *in constitut. monial. cap.* 21. vbi ait. *Qui maiorem in modum sæcularium hominum amicitia delectatur, eaque re assiduè cum illis esse in colloquiis cupit, is ex frequenti cum illis sermone prauas eorum affectiones in animum facilè insinuauerit, & mente rursum cogitationibus mundanis completa, à præclara illa, quàm erat aggressus, instantia operis discessit, & à se deinceps proscripta vitæ spiritualis stabilitate, quem ex animo offuderat, vita prioris vomitum resorbebit. Atque adeò saucius tandem concidet miserè confixus ab hoste.* Et S. Ephrem. tom. 2. paræn. 46. in princ. ait. *Qui conuersationibus gaudet mundanis, sæculum nondum se odisse ostendit: nam sicut qui ignem excitat, flammam suscitat, ita & mundana colloquia, passiones, atque affectiones prauas in corde Monachi commouent.* Quid faciet ergo Superior cum istis? Studebit ne illis placere? At non consentit ille, qui dixit, *si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem,* ad Gal. 1. Dissimulabit ne? sinet ne, eos secundùm proprium sensum viuere? Non suffert. Ezechiel. cap. 33. *Si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina, & populus se non custodierit, veneritque gladius, & tulerit de iis animam, ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram.* Et S. Prosper. lib. 1. de vita contemp. cap. 20. ait, *speculatorem dedi te, hoc est dicere, si ei peccata sua non annuntiaueris, si eum non argueris, vt ab impietate sua conuertatur, & viuat; & te, quia non increpasti, & ipsum, qui, te tacente, peccauit, flammis perennibus perdam.* Armet se ergo Superior zelo amoris Dei, induat loricam iustitiæ, sumat scutum inexpugnabile veritatis, & cum galea prudentiæ det vnicuique iuxta opera sua, & accipiet coronam gloriæ. Et licèt si his artibus nihil proficere videatur aliquando obstinata Principis tuitione, proficit tamen, quia sæpe Principum stomachi, vt delicatuli, non diu sustinent continuatum cibum; & quando aliquid inordinatum causa talis Religiosi acciderit, excusabitur Religio, & apud Principem ipsum, & apud aulam, & populum.

19. Officiales etiam habet sub se plurimos noster œconomus, Seniores, Bibliothecarium, Magistrum nouitiorum, Lectores, Sacristam, & eius socium, Procuratorem, Clauigeros, Dispensatorem, Coquum, Ianitorem, Refectorarium, Infirmarium maiorem, & minorem, Cellarium, seu hospitum receptorem, Emptorem. Quæstuarios.

20. Circa Seniores, curet in primis ad tale munus assumi viros graues, prudentes, exercitatos, discretos, qui eum opere, & sermone iuuare possint. Eos in consilium adhibeat, & illorum requirat, & expectet consensum, vbi, & quando secundùm regulam opus fuerit. Caueat in Ordine nostro ne vllam sibi præeminentiam contra Correct. *num.* 74. vsurpent.

21. Circa Bibliothecarium, hoc officium in hac Genuensi Prouincia est triennale, & datur solùm viris qualificatis. Videat tamen noster œconomus, an diligens sit in officio; an libri recto ordine collocentur, & conseruentur; an ex bibliotheca extrahantur; an aliquis deficiat; an diligens sit in ea augmentanda; an librum habeat, in quo notet libros, qui commodantur Lectoribus; an eos suo tempore studeat recuperare; an bibliotheca conseruetur munda, rectè composita; an bis in hebdomada eam verri curet; an semel in mense puluerem ex libris excuti; an libri humiditate, vel alia re lædi sinat; an tempore, & tineis corrosos libros reparari studeat.

22. Circa Magistrum nouitiorum, curet, vt eligatur habens conditiones requisitas, iuxta constit. Clem. VIII. quam habes *tom. 2. nostr. priu. in const.* 10. *Vrb. VIII.* §. 92. vt scilicet sit affabiliter grauis, & grauiter affabilis, prudentia, & charitate refertus, zelum Dei cum mansuetudine præferens, ab omni ira, & indignatione alienus, qui non tam metui, quam amari concupiscat; curet vt nouitios in regulari disciplina instruat; in oratione mentali exerceat; mortificationi eos assuefaciat, sit eorum pater, & magister, non nutrix, quæ corpus solùm effingere, non animum studeat; in patre reluceat pietas, qua maior nulla, iuxta illud Psal. 102. *Quomodò miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se,* & Homer. in Odys. *mitis*, inquit, *erit patris instar*; in magistro seueritas, iuxta illud Prou. 29. *virga, atque correctio tribuunt sapientiam,* & Horat. lib. 1. epist. 11.

Sic iterat voces, & verba cadentia tollit,
Vt puerum sæuo credas dictata magistro, eddere.

Videat ergo noster œconomus, quòd Magister nouitiorum sit piè sæuiens, eripiendo noxios, erigendo lapsos, seruando fractos, solidando debiles, iustè consolando misericordia, & piè sæuiendo disciplina.

23. Circa Lectores, an seruent præceptum Patriarchæ nostri Reg. num. 41. *Omnes insuper Lectores ita suas forment lectiones, quòd eorum auditores ad ædificatoriè prædicandum, & confessiones audiendum idoneos, & aptos efficiant.* Attendat, an verbo, & exemplo discipulos doceant; an vana, superflua, scurrilia inter legendum misceant; an studentes circa mores quidquam peruersum doceant.

24. Circa Sacristam attendat, an obligationibus Missarum punctualiter satisfieri curet, an librum habeat, in quo & Missarum obligationes, & Sacerdotes celebrantes notentur singulis diebus, deque hoc ab eo saltem singulis mensibus rationem exposcat, illique in hoc non quiescat; an pulset horis determinatis ad officium diuinum, an fratres diligenter excitet ad matutinum, & ad primam; an temporibus debitis officia, & Missas pro nostris defunctis celebrari faciat; an externos sacerdotes sine debitis literis testimonialibus ad celebrandum admittat; an eleemosynas, ad sacristiam peruenientes, statim, & fideliter Superiori notificet; an sanctissimum sacramentum decenter custodiatur; an calices, corporalia, purificatoria, mappas munda asseruentur; an Ecclesiam debitis paramentorum coloribus iuxta temporum varietatem ornet; an paramenta congruo loco asseruentur; an inuentarium sacristiæ diligenter custodiatur, an res laceras resarciri curet.

25. Circa Sacristæ socium attendat, an sit obediens Sacristæ; an modestè incedat per Ecclesiam; an modestè, oculisque demissis, quando rogatur, mulieres, aliasque personas alloquatur; an modestè respondeat interrogatus, an attentè, cum deuotione, & ædificatione sacris inseruiat; an vestimenta, quibus induuntur missaturi, sunt rectè aptata; an candelas, & hostias paratas teneat; an sit diligens in vocandis Missis inseruituris; an vinum eo die haustum ministret, ampullas, candelabra, lampades mundet, accensas teneat, Ecclesiam verrat, & Ecclesiæ portas horis destinatis aperiat, & claudat, an Ecclesiam apertam sine custode relinquat.

26. Circa Procuratorem; videat, an diligenter, & ædificatoriè eleemosynas quærat, an habeat catalogum deuotorum, qui eleemosynas faciunt, an eos conseruet;

ſeruet,& augeat;an eleemoſynas fideliter ad conuentum deferat; an temporibus debitis conuentus redditus exigat. Iubeat illi ne locet, vendat, contractus ineat, in iudicio compareat, lites incipiat, transigat, &c. abſque Superioris licentia; videat, an litibus inceptis ex neceſſitate diligenter aſſiſtat, peritos conſulat, rem ſuam abſque odio, iniuriis, lamentationibus agat.

27. Circa Clauigeros, qui & Quinternarij eſſe ſolent; an fideliter ſcribant tam receptum, quam expenſum, an errores in computando faciant; an claues fideliter cuſtodiant.

28. Circa Diſpenſatorem; an res conuentus ad victum pertinentes, fideliter cuſtodiat, conſeruet, æqualiter diſpenſet; an ea diſſipet, diſpergat, diſtrahat intus, ſeu extra conuentum, corrumpi ſinat; an vinum rationabiliter temperet, an pauperibus eleemoſynas faciat; an Fratribus neceſſaria deneget, tribuat ſuperflua; an dolia, cæteraque ſuæ curæ commiſſa vaſa bene conſeruet. Quòd ſi diſpenſator ſit etiam coquus, vt in Ordine noſtro communiter, an munditiam, & in ſe, & in ſibi ſeruientibus ſeruet; an cibos rationabiliter ſecundum Religioſam paupertatem paret; an portiones æquales omnibus tribuat; an aliquod particulare obſonium alicui paret, vel tribuat abſque Superiores licentia; an ligna, carbonem, &c. plus, quàm oportet, comburat, an quæ ex menſa ſuperfluunt, conſeruet, an habeat inuentarium omnium ſuppellectilium ad coquinam pertinentium, de quibus eſt ſuo tempore rationem redditurus; an verba ſcandaloſa, & minimè Religioſa proferat; decet enim Diſpenſatorem, & coquum, qui cum omnibus etiam nouitiis quotidie colloquuntur, eſſe maximè modeſtos, & Religioſos.

29. Circa ianitorem; an diſcretus ſit, & modeſtus; an pauperibus eleemoſynas petentibus benignè reſpondeat; an ianuam clauſam ſemper teneat; an ianuam pulſantibus ſemper Religioſis verbi *Deo gratias* reſpondeat; an vocet Fratres, quando ab aliquo vocari mandantur; an vocet eos quando ſunt in choro, refectorio, vel capitulo; tunc enim dedecet eos vocare, ſed debet rogare vocantes vt parumper per charitatem expectent, niſi conditio perſonæ vocantis, vel grauitas negotij aliud exigeret, an ianuam horis ſibi à Superiore ſtatutis claudat, vel aperiat, an cum mulieribus ad portam confluentibus diu loquatur. Et vtile admodum eſſet, vt Ianitor inter cætera haberet illam conditionem, quam in illo requirit Ariſt. 1. *de fam. cap. 6. fine*; vt ſcilicet eſſet inutilis aliis muneribus, puta ſi eſſet claudus, mancus, ſenex; ſic enim cum non poſſet multum laborare, minus occuparetur, & ſic ſedulus admodum eſſet in ſuo officio.

30. Circa refectorarium; an curet, vt omnia, quæ vſui refectorij deſeruiunt, ſint munda, ne aqua manibus abluendis, aut mantilia extergendis deſint; an mappas ſingulis hebdomadibus mundas reponat, an cyathos, lagenas, ſalina munda conſeruet, an deſint in refectorio, an quæ ſuperfluunt ex menſa, Diſpenſatori tribuat; an aliquid ex ſe diſpenſet abſque Superioris poteſtate.

31. Circa infirmarium maiorem; an adſit aduenienti medico; an eum aduocet, quando eſt neceſſarium; an infirmos continuè viſitet; an eis faciat per minorem infirmarium miniſtrari quæcunque à medico præſcripta fuere, & eo tempore, & modo; an quæ ægrotis danda ſunt emi opportunè ſtudeat, & diligenter præparari; an aduertat, quo die quis cœperit ægrotare, & qua hora febris infirmum corripuerit, & deſeruerit, vt monere poſſit medicum, & ad hoc vt cœnam, vel prandium anteuertere, vel poſtponere poſſit, præſertim ſi infirmus iuuenis ſit, qui ad hæc non aduertat; an Superiorem admoneat, quando infirmi ſalute periclitantur, ad hoc vt deputet, qui de illorum animabus eo caſu curam gerat, an defunctorum corpora Religionis more parata, ad Eccleſiam, & ſepulturam deferri curet.

32. Circa Infirmarium minorem, an promptè in omnibus obediat maiori, an cibos ordinatos à medico Religioſo ſtudio præparet, tempore ab illo ſignato miniſtret, an præter ordinata à medico aliquid infirmo largiatur in eius perniciem ſanitatis, an ægrotorum cubicula mundet: an ſcaphia, matulas diligenter abſtergat, lectos quotidie ſternat, floſculis, & ramuſculis ad exhilarandum ægrotum cubiculum ornet, an ægrotos iucundis, ſed religioſis verbis alloquatur, an patienter, & charitatiuè infirmos ſupportet.

33. Circa Cellarium, an cellas mundas retineat, an hoſpites hilariter recipiat, eiſque cellas iuxta Religioſam paupertatem ornatas tribuat, an lectos concinnè ſternat, lodices, culcitras laneas, ceruicalia, puluinaria munda largiatur, an, ſi quid ab hoſpitibus in dictis cellis per obliuionem relictum fuerit, ſtatim Superiori denuntiet, an, ſi quid defuerit in Fratrum cellis, charitatiuè donet, an in diſtribuendo, quæ ſub illius ſunt poteſtate, æqualitatem ſeruet, an poſtulanti Fratri quidquam, quod ipſe non habeat, mitè reſpondeat, ſeruans illud Eccl. 18. & *verbum bonum melius, quàm datum.*

34. Circa emptorem; an ſit diligens, & fidelis, an res bonas emat, & honeſto pretio, an ædificet quibuſcum agit, an à Superiore iniuncta punctualiter obſeruet, an quolibet die de expenſis Superiori expoſcenti rationem reddat.

35. Circa Quæſtuarios, an ſint diligentes in eleemoſynis quærendis, fideles in afferendis, deuoti in petendis, modeſti in reſpondendo, parci in interrogando, exemplares in ambulando, patientes in ſufferendis indiſcretorum ſæcularium verbis iniurioſis, ſeu immodeſtis.

§. I.

De cura quam debet habere Prælatus de bonis temporalibus Religionis.

36. VLtra poteſtatem, quam habet Prælatus in perſona ſuorum ſubditorum, habet etiam poteſtatem in bonis temporalibus ſui conuentus, quam poteſtatem in Ordine noſtro eſſe apud Correctorem, dixi *cap. præc. num.* 121. & iure communi id eſſe verum conſtat *ex cap. Nullam*, 18. *quæſt.* 2. & *cap. Edoceri, de reſcrip.* & probat Suarez *tom. 4. de relig. tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 2. & 4. Nauarr *com. 3. de reg. num. 3. ver. Secundo quæritur*, Panor. *in dicto cap. Edoceri*, *num.* 2. Poteſtas autem iſta ſecundum Ariſt. 1. *œconom. c. 6. &* 1. *de re fam cap.* 6. dicit quatuor, 1. dicit ius acquirendi, 2. ius conſeruandi, 3. ius rebus acquiſitis vtendi in honorem, & ornamentum conuentus, & Eccleſiæ, 4. ius iis fruendi ſecundum rationis iudicium.

37. Circa 1. debet Prælatus procurare bona temporalia, mediis tamen licitis; nam alioquin non poſſet neceſſitatibus Fratrum, conuentus, & Eccleſiæ prouidere. Duobus autem modis licitè acquirit 1. eleemoſynas petendo, ſeu ſpontè oblatas recipiendo, 2. terram, ſeu poſſeſſiones ex eleemoſynis habitas colendo. Eleemoſynas petere, ſeu oblatas recipere, iiſque viuere habent ex inſtituto Mendicantes, & id licitè fieri poſſe, probat D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 187. *art.* 4. & *opuſc.* 18. *contra impugnantes Religionem*, *cap.* 7. Bon. *tom. 5. opuſ. de paupere. Chriſti, q.* 2. VVald. *tom. 1. doct. fid. lib. 4. art. 1. & c.* 4. Chriſtus enim mendicauit in publico, nam cum remanſiſſet in Ieruſalem, vacaſſetque tribus diebus, quibus quærebant eum parentes, Lucæ 2. iſtis tribus diebus victum ſibi mendicando quæſiuit ſecundum Aluaredum, relatum à VVual. *loc. cit. cap. 4. n.* 3. & D. Thom. *loc. cit. art. 5. in arg. Sed contra.* Benedictus ex eleemoſynis, ſibi à Romano Monacho miniſtratis, tribus annis in ſpecu vixit. Alexius item. Vterque pariter Franciſcus.

38. Et quod Religioſi laborare manibus non teneantur, probant iidem DD. D. Th. *opuſ. c.* 5. & 2. 2. *cit. art.* 3. Bonau. *in opuſ. cit. q.* 3 & *in reg. Minor. q.* 11. VVual. *loc. cit.*

oit. art 2. *à c* 24. Merſennus *c.* 2. *Gen. verſ.* 15. *q.* 25. Et eſt optima ratio D. Th. *illo c.* 5. Nam vel laborare manibus eſt præceptum, vel cõſilium. Si eſt conſilium, nullus tenetur ad laborandum manibus, niſi qui ad hoc voto ſe aſtrinxit: Ergo Religioſi, qui ex ſua regula non habent, quòd debeant manibus laborare; ad laborem manuum non tenentur. Si autem eſt præceptum, cum ad præcepta diuina, & Apoſtolica æqualiter teneantur Religioſi, & ſæculares, non magis ad laborem manuum tenentur Religioſi, quàm ſæculares. Ergo ſi licebat alicui ſine labore manuum viuere, quando erat in ſæculo, idem ei licebit, quando erit in Religione. Vnde ſummi Pontifices conceſſerunt, vt Religioſi eleemoſynas quærere poſſent, & quòd à nullo poſſent impediri, vt dixi *tom.* 1. *priu. in conſ.* 4. *Sixti IV. num.* 40.

39. Tenetur etiam Prælatus poſſeſſiones conuentus diligenter colere; Tum vt tanquam bonus paterfamilias poſſit filiis alimenta præbere, vt Sayr. *in claui reg. lib.* 7. *cap.* 7. *num.* 6. Tum vt procurator, vt dicitur *in cupite Fraternitatem, de donat.* Tum vt minùs oneroſus ſit populo, & minùs importunos in eleemoſynis quærendis. Tum ad vitandum ſcandalum: videntes enim ſæculares, agros Religioſorum quæſtionis ſpe non curari, ſcandalizantur de eorum pigritia, & inertia, & quòd, cum poſſint viuere de ſuo cum aliquo labore, velint alienos ſudores otioſè comedere, præſertim cum agri, ideò Religioſis à piis viris relicti ſint, vt commodiùs, & ſine tanto ciuitatum grauamine viuere poſſent.

40. Sed hic multæ ſe offerunt, difficultates. 1. Qua ratione poſſint Religioſi licitè ex eleemoſynis viuere. Ad quàm reſpondetur à D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 187. *art.* 4. *corp.* 1. quia vnuſquiſque abſque ſcrupulo poteſt viuere de eo, quòd ſuum eſt, ſed eleemoſynæ perpetuæ, vel temporales collatæ à liberalitate fidelium Religioſis, actibus Religionis inſiſtentibus, factæ ſunt illorum propriæ: ergo de illis poſſunt licitè viuere. 2. quia quilibet viuere poteſt de eo, quòd ſibi debitum eſt, ſed eleemoſynæ debitæ ſunt Religoſis; tum propter neceſſitatem, quia ſcilicet præ infirmitate non poſſint ſibi manibus laborando victum quærere; vel quia non poſſint quærere quantum ſufficiat; vel quia non ſint aſſueti laborare, vtpotè qui in ſæculo nunquam laborauerint. Tum propter opera ſpiritualia, quæ fidelibus impendunt, prædicando, altari ſeruiendo, ſacramenta miniſtrando, ſtudio ſacræ ſcripturæ mediatè, vel immediatè incumbendo, diuinis laudibus in choro intereſſendo; qui enim altario ſeruit, de altario viuere debet, 1. *Cor.* 9. Poſſet etiam ex eleemoſynis in monaſterio viuere, qui bona temporalia, quæ habebat in ſæculo, ad monaſterium detuliſſet.

41. 2. Difficultas eſt, An poſſit contingere, quòd eleemoſynarum vſus ſit Religioſis illicitus. Ad quam à D. Thom. *loco cit.* reſpondetur poſſe 1. ſi Religioſi ceſſent à religioſis actibus, defraudant enim tunc benefactores participatione bonorum operum, quorum ſpe eleemoſynas erogarunt, 2. ſi velint in Religione otioſè viuere, abſque vlla vtilitate, vel neceſſitate ex ſupra dictis, & abſque eo quòd aliquid ad Religionem detulerint. Quemadmodum ſolent facere aliqui, qui cum in ſæculo panem in ſudore comederent, in Religione, poſtea laborare erubeſcunt, dominari prætendunt, & Cæſarum de ſanguine natos deprædicant. De quibus loquens Aug. de oper. monach. cap. 21. ait, *Plerumque ad hanc profeſſionem ſeruitutis Dei, & ex conditione ſeruili aliqui veniunt, & ex vita ruſticana, & ex opificum exercitatione, & plebeio labore, tantò vtique felicius, quantò fortiùs educati, qui ſi non admittantur, graue peccatum; eſt multi enim ex eo numero verè magni, & imitandi extiterunt: de quibus non apparet, vtrum ex propoſito ſeruitutis Dei venerint, & vitam inopem, & laborioſam fugientes, vacui paſci, atque veſtiri voluerint, & inſuper honorari ab eis, à quibus contemni, conterique conſueuerant. Tales ergo, ſi quominus operentur, de infirmitate corporis, ſe excuſare non poſſunt, præterita quippe vita conſuetudine conuincuntur.* Et paulò infra de iiſdem ait. *Vtinam iſti, qui vacare volunt manibus, omnibus vacarent & linguis*; inquietant enim, & ſtridoribus, & murmuribus mentes, & corpora illorum Religioſorum, qui volunt panem bene operando lucrari. Dicit verò Caiet. *illa quæſt.* 187. *art.* 4. *circa fin.* quòd ſi quis Religioſus regulam ſeruaret, & caueret à tranſgreſſione præceptorum, ſed pigritia, ac inuigilantia in ipſo regnante, quaſi inutilis viueret in monaſterio, peccaret quidem, ſed non mortaliter, viuendo ex monaſterij prouentibus, & deberet huic dici. Qui non laborat, non manducat, & deberet cogi ad operandum.

42. 3. Difficultas. An iis caſibus, quibus eleemoſynarum vſus eſſet huiuſmodi Religioſis illicitus peccatum eſſet ex eleemoſynis viuere, an verò ſolùm eſſet peccatum non facere ea, propter quæ eleemoſynæ donatæ ſunt. Ad hanc reſpondet Val. *tom.* 3. *diſp.* 10. *quæſt.* 5. *p.* 3. *ver. Sed occurrunt hic*, quòd formaliter eſt talibus Religioſis illicitus vſus eleemoſynarum ita vt non poſſint ex illis viuere, tenentur enim eas eleemoſynas vſurpare eo fine, quò à benefactoribus datæ ſunt; ſed datæ ſunt vt Religioſi Religioſè viuant inſiſtentes diuinis obſequiis, & ſic benefactores participes faciant ſuorum bonorum operum; cum ergo id non faciant, qui otioſè, & irreligioſè viuunt, ſequitur, quòd non poſſint ex dictis eleemoſynis viuere, & ſi viuant, peccent. Ad hoc velim aduertant illi, tàm Superiores, quàm ſubditi, qui quotidie per ciuitates otioſi noua quærentes curſitant, & quando domi remanent, circumeunt continuè clauſtra murmurando, ridendo, cantando, audita noua referendo, quid ſit manducandum, quid bibendum inquirendo, & nihil minus cogitant, quàm de miſſis celebrandis, diuinis intereſſendo, obſequiis monaſterij inſiſtendo. Heu Heu quàm multi panem pauperum proditoriè comedunt; Audiant Greg. hom. 17. in Euang. *Penſate fratres, quanta damnationis eſt ſine labore percipere mercedem laboris, quanti criminis peccatorum pretia accipere, & nihil contra peccatum prædicando dicere?*

43. 4. Difficultas. An tales Religioſi otioſi, ex eleemoſynis viuendo, peccent mortaliter. Reſpondet Caiet. 2. 2. *quæſt.* 187. *art.* 4. *ver. Ad euidentiam horum*, quòd inter Religioſos, & eos, qui illis contulerunt ſuas facultates, non intercedit communiter iuſtitia propriè dicta, ſed ſolùm debitum gratitudinis; nam donantes amore Dei, & ratione eleemoſynæ donant. Vnde Religioſi iure naturali tenentur ſuis Religioſis actibus dictis benefactoribus gratiam retribuere, quod illis ſufficit, nec aliam expectant retributionem. Et quia gratiæ contrariatur ingratitudo, ideirco tunc ſolùm interueniit huiuſmodi omiſſione peccatum mortale, quando contingit ingratitudo mortalis. Et quia ſecundum D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 107. *art.* 3. *corp.* aliquis poteſt dici dupliciter ingratus. Vno modo per ſolam omiſſionem, puta quia non recognoſcit, vel non laudat, vel non retribuit vices pro accepto beneficio. Alio modo, quia non ſolùm prætermittit implere gratitudinis debitum, ſed etiam contrarium agit, puta quia reddit mala pro bonis, vel beneficium vituperat, vel reputat benefactorem maleficum v. g. ſit aliquis ſummus benefactor noſtri Ordinis, qui conuentum, & Eccleſiam fundauerit, dotauerit, & omnia fecerit pro tali conuentu ditando, ſi Fratres contemnerent intrinſecè, & formaliter dictum benefactorem pro ſuo benefactore cognoſcere, vel quia ad paupertatem redactus, vel quia ſenex, &c. aut ei non ſubuenirent in magnis ſuis neceſſitatibus, cum poſſent, vel non laudarent eum, in quo laudandus eſſet, maximè ſi ex tali omiſſione laudis ſequeretur ipſis Fratribus vituperium, aut infamia, hoc modo eſſent ipſi benefactori mortaliter ingrati ratione omiſſionis. Si autem ex negligentia quadam, & indiſpo-

ſitione

fitione naturali prædicta omitterent non peccarent plusquam venialiter. Si verò non solùm prætermitterent agere prædicta, sed ipsum benefactorem odio haberent, blasphemarent, vituperarent, iniuriarent, contumeliis afficerent, verberarent, tunc essent etiam ingrati mortaliter; sed si talia dicerent propter motum sensualitatis, non peccarent plusquam venialiter. Atque ita Caiet. *loc. cit.* Anton. 2. *p. tit.* 3. *cap.* 9. §. 1. Vnde constat, quòd si aliquis Religiosus sit mortaliter vno ex dictis modis ingratus suis benefactibus, viuendo ex eleemosynis ipsorum, mortaliter peccat. Val. *loc. cit.* ait ad hanc difficultatem, quòd, si quis ex contemptu beneficij eleemosynarum abstineat ab actibus Religiosis peccat mortaliter. Similiter si nunquam ferè recordatur benefactorum, & notabiliter est negligens in obseruantiis Religiosis, ita vt nullam, aut vix aliquam curet.

44. 5. Difficultas est: An tales Religiosi mortaliter ingrati, viuendo ex eleemosynis, teneantur ad restitutionem. Caiet. *loca cit.* ait, non teneri. Quia istorum peccatum non consistit in vsurpatione rei alienæ, sed in abusu rei iam factæ suæ per donationem. Quòd solùm admitto, quando eleemosynæ datæ sunt simpliciter intuitu eleemosynæ, non verò si datæ sint cum obligationibus, missarum v. g. seu aliarum precum, partibus stipulantibus, & obseruationem iurantibus. Notario publico interueniente: tunc enim censeo, quòd Fratres, dictis obligationibus non satisfacientes, restituere teneantur; videtur enim benefactor illa conditione dedisse, alias non daturus; quare ea non impleta, inuito domino retinentur illæ eleemosynæ; atque ita restitui debent vel hæredibus, si mortuus sit benefactor, vel ex eis faciendum est adimpleri, quòd donator in fundatione mandauit. Idem dic etiam, si quis donasset v. g. centum aureorum redditum alicui monasterio eo pacto, quòd Fratres illius tenerentur singulis diebus pro illius anima Missam celebrare, vel dicere Litanias, & in casu omissionis notabilis dicti centum aurei deciderent hospitali v. g. Hoc casu puto, quòd, si Fratres non implerent, restituere tenerentur dicto hospitali, etiam caducitatem ignoranti, dictos centum aureos, vel, si fuissent per aliquod tempus notabiliter negligentes, illud, in quo fuerunt negligentes. Colligitur *ex decr. de celebrat. Miss.* quæ habes *tom. 2. nost. prin. in const. 9. Vrb. VIII.* §. 2.

45. 6. Difficultas est: An Prælatus conuentus habentis multas possessiones, quibus cultis, potest commodè suam familiam sustentare, nolens per auaritiam, vel incuriam eas colere, sit in bono statu. Puto, eum esse in malo statu, per dicta *huic sup. num.* 39. Et quia qui potest commodè sustentari de suo, non debet alienum quærere. Aut enim eleemosynas hauriunt à pauperibus, & est iniquitas maxima sanguinem pauperum exsugere ad inertiam fouendam, cum ipsi plus indigeant: aut hauriunt à diuitibus, & auferunt à pauperibus. Vnde Hier. relatus *in cap. Cleric.* 1. *quæst* 2. ait. *Clericos autem illos conuenit stipendiis Ecclesiæ sustentari, quibus parentum, & propinquorum nulla suffragantur bona: Qui autem bonis parentum, & opibus suis sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profectò committunt, & per abusionem talium iudicium sibi manducant, & bibunt.*

46. Circa 2. Debet esse Superior conseruator acquisitorum; parum enim prodest acquirere, nisi acquisitum seruetur: nam cribro haurire aquam, nihil prodest; quia cribrum haustam non seruat, & Ouid. dicebat,

Nan minor est virtus, quàm quærere, parta tueri.

Tres autem regulas adhoc proponit *art.* 5. *œconom. c.* 6. & 1. *de re fam. cap.* 6. quibus œconomus potest res acquisitas conseruare. Prima, quæ seruabatur apud Atticos, seu Athenienses; & erat quod singulis annis fructus receptos ex prædiis vendebant, quæcunque erant ad victum familiæ necessaria emebant: sic fraudes, & detrimenta, quæ in victualibus seruandis accidunt, vitabant. Secunda, quæ seruabatur apud Laconicos, vt domus instrumenta singula suo loco iacerent; sic enim parata non requiruntur. Tertia, quæ seruabatur apud Persas; & erat, quòd œconomus omnia, quæ in domo erant, diligenter inspiciebat, atque discutiebat, & per se ipsum immediatè omnia iubebat. Vnde quidam Persa interrogatus, quid equum maximè pinguem faceret? respondit, *Oculus Domini*, Cui etiam correspondet illud Lybici, qui interrogatus, quodnam sterquilinium foret agro optimum? respondit, *Domini vestigia*. Erat etiam maximè vigilans œconomus Persa, expergiscebatur enim priùs quàm cæteri, & posteriùs omnium cubitum ibat. Ex his discet, quid sibi faciendum sit noster œconomus. In primis enim, cum ad regimen alicuius conuentus fuerit assumptus, inuentarium omnium rerum, etiam minimarum, quæ in eo sunt, recipiet. Omnia deinde suo loco disponet, vt cum fuerint opus, non requirantur. Diligenter omnia per seipsum inspiciet. Penum visitabit frequenter: Quid singulis comestionibus familiæ dandum sit, prouidebit. Choro, Ecclesiæ, & Sacristiæ semper personaliter intererit. Et vbiq; semper præsens, quantum humana patitur fragilitas, studebit esse. Insolitis horis conuentum circumire, officinas, & cellas fratrum quærere, puto necessarium. Et ita varium se debet familiæ circa motum, & personam suam ostentare, vt nullus moralem certitudinem habere possit, quòd tali hora in talem locum ipse non sit compariturus. Studeat omnia per se ipsum iubere, & omnem eam diligentiam in conseruandis bonis conuentus adhibeat, quam adhiberet in conseruandis propriis, immò & maiorem, eam scilicet quam diligentior se in iis adhiberet; tali enim intentione ad illud ministerium assumptus fuit, vt ait Suares *tom. 4. de relig. tract.* 1, *lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 7.

47. Sed hic se offerunt aliquæ difficultates. Prima. An Prælatus peccet, si aliqua res monasterij ipsius culpa pereat, aut deterioretur. Vt respondeam supponendum est quod de culpa dicit Syluest. *verbo Culpa*, *q.* 1. *num.* 2. quòd culpa est triplex, lata, leuis, & leuissima. Culpa lata est ignoratio illius rei, quam quis scire tenetur; & sciunt homines eiusdem professionis. Leuis est omissio illius rei, quam homines diligentes eiusdem conditionis adhibere solent. Leuissima est omissio illius rei, quam homo diligentissimus eiusdem conditionis adhibere solet, v. g. commodatum librum dimisisti ante ostium domus, & sublatus est, ista est culpa lata; si verò librum in cella locasti, sed ostium non clausisti, leuis culpa est: si autem ostium quidem clausisti, sed claue non firmasti, leuissima culpa est; si denique de industria librum ante ostium dimisisti, vel ostium non clausisti, vel claue non firmasti, & liber sublatus est iam non culpa, sed dolus est, qui nullo casu excusat. His suppositis. Dico, vel prælatus in prælaturæ acquisitione se ingerit, vel non se ingerit. Si se ingerit, tenetur de culpa leui, in commodum enim proprium prælaturam recipit, & posset etiam dici, quòd teneatur de leuissima, iuxta *caput vnicum de commod.* Sed non sum ita seuerus, cum pluribus debeant attendere prælati regulares. Si autem non se ingerit, sed passiuè se habens in prælatum eligitur, tenetur solùm de lata; tunc enim non in gratiam sui, sed conuentus prælaturam recipit. Ita Gloss. *in cap. vnico de commod. verb. de leuissima*; Less. *lib.* 2. *de iust. cap.* 45. *dub.* 9. *num.* 76. *vers. Decimo* P. Nau. *lib.* 3. *de rest. cap.* 4. *num* 125. Nald. *in sum. verb. bona*, *n.* 14. Llam. 3. *p. met. cap.* 13. §. 14. Sylu. *verb. Prælatus*, *q.* 4. Itaque Prælatus, cuius culpa res perit, vel deterioratur, illam restituere tenetur, vt in specie dicit Arag. 2. 2. *q.* 62. *artic.* 7. *col.* 14. *versic. Mihi ex.*

48. 2. Difficultas est: An singuli fratres teneantur bona Monasterij conseruare. Ad hoc iam dixi *tom.* 1. *huius oper. quæst.* 2. *cap.* 2. §. 9. *quæsita* 6. quòd ad singulos

singulos pertinet rerum Monasterij conseruatio, quia hæ omnibus communes sunt, non quidem vt singulis, sed vt vniuersis. Vnde singuli, quod vniuersorum est, tueri tenentur: non quidem eodem modo, quo Superiores, nam isti tenentur omnino ex iustitia, non solum non dissipare, sed etiam conseruare; subditi autem, si res non sit suæ curæ mandata, non tenentur ex iustitia conseruare, & non dissipare, sed solùm ex charitate; & ne contra votum peccent paupertatis. Ita Suarez *tom.4. de relig. tract. 1. lib. 2. capite 26. numero 7.* Videatur Perez *in regul. Sanct. Bened. cap. 32. num. 6.* vbi Turrec. *tract. 91.* Et audiant subditi, quid senserint de hoc antiqui illi eremi cultores, de quibus Cassian. lib. 4. instit. cap. 20. ait. *In septimana cuiusdam fratris, cum præteriens œconomus triu lenticulu granu in terra iacere vidisset, quæ hebdomadario festinanti, dum ea præpararet coctioni, inter manus cum aqua, qua diluebantur, elapsa sunt, confestim super hoc Abbatem consuluit, à quo velut interuersor, neglectorque sacri peculij iudicatus, ab oratione suspensus, cuius negligentiæ reatus non aliter ei remissus est, nisi cum publica pœnitentia diluisset. Non solùm enim se ipsos non esse suos, sed etiam omnia, quæ sua sunt, credunt Domino consecrata, propter quod, si quid fuerit monasterio semel illatum, vt sacrosanctum cum omni decernunt reuerentia debere tractari.*

49. 3. Difficultas est: An Superior teneatur etiam litigando procurare bona sui Monasterij: & si scandalum sit secutum nisi dimittat, an teneatur ea dimittere. Respondeo Religiosis non esse licitum litigare, nisi causa necessitatis, aut vtilitatis; *capite Monachi, capite Qui verè, 16. quæst. 1.* Plura vide apud Abul. *tom. 6. in Math. capite 23. quæst. 51.* Nobis Minimis est omnino interdictum *in Reg. numero 24.* Iul. tamen II. *in const. 17. §. 2. tom. 1. nostr. priu.* concessit, vt per procuratorem possemus eleemosynas nobis relictas in iudicio repetere. Si autem scandalum sit secuturum, dicit D. Thom. 2. 2. *quæst. 43. art. 8.* quòd, cum Prælatus teneatur de necessitate salutis conseruare bona Ecclesiæ, quorum est dispensator, non dominus, non potest ea dimittere, vel negligere, etiamsi inde scandalum sit secuturum. Hanc tamen doctrinam limitant doctè Cai. *illo art.* & Val. *tom. 3. disp. 3. quæst. 18. p. 4. col. 2. vers. Qua tamen in re,* 1. quòd conuentus ipse, qui habet dominium huiusmodi bonorum, rectè potest aliquando illa donare, aut aliis permittere propter vitandum scandalum. 2. Prælatum quoque posse, & debere interdum repetitionem illorum differre, ad vitandum scandalum, & calamitatem pauperum, si huiusmodi bona, & iura Ecclesiæ non possint reddere sine magno saltem detrimento sui status, quia præsumi potest de mente illius, qui dicta bona reliquit. 3. limitat Doctrinam Diu. Thom. Anton. *part. 2. tit. 7. cap. 4. §. 6.* quòd non debet Prælatus dimittere, seu negligere bona temporalia sui conuentus propter scandalum illius solius, à quo repetenda sunt; vel quando ex non repetitione maius scandalum sequeretur. Denique limitari potest, quòd non debent dicta bona dimitti à Prælato propter scandalum, si ea non sint necessaria pro alenda familia, reparanda fabrica, vel etiam pauperibus subueniando.

50. Circa 3. ius, quod habet Prælatus bonis acquisitis vtendi in honorem, & ornamentum Ecclesiæ; vel conuentus, notandum, quòd ad Prælatum pertinet ex bonis conuentus conuentum fabricare, cadentem reparare, suppellectilibus necessariis tum refectorio, tum coquinæ, tum infirmitorio, tum cellis, honestis tamen, & Religiosis ornare, bibliothecæ etiam de libris prouidere, & Ecclesiam secundum facultates ornare; quod etiam insinuatur *in cap. Nullam 18. quæst. 2.* illis verbis *vel ad diuini cultus reuerentiam*: & docent Suarez *tom.4. de relig. tract. 1. lib. 2. capite 26. numero 9.* Llamas 3. *part. meth. capite 13. §. 14.*

51. Notandum etiam, quòd in hoc, & sequenti iure Prælatus bona conuentus alienat. Bona autem sunt in duplici differentia, aut mobilia, aut immobilia. Mobilia aut sunt pretiosa, calices, vestes aureæ, &c. aut non pretiosa. Non pretiosa aut habent permanentem durationem cum ipso vsu, vt vestes, libri, suppellectibilia domus; aut ipso vsu consumuntur, vt esculenta, poculenta, pecunia, &c. De immobilibus, & mobilibus pretiosis, quòd ea Prælatus alienare non possit, dixi *tom. 1. nostror. priu. in const. 9. Iulij II.* De iis mobilibus, quæ habent durationem permanentem cum ipso vsu, certum est etiam, quòd ea neque in genere, neque in specie alienare potest, non in genere, quia non potest Prælatus omnes libros, qui sunt in bibliotheca, vendere, neque omnia supellectilia coquinæ, vel cellarum, hæc enim collectiuè sumpta censentur mobilia pretiosa, neque in specie, quia, cum habeant durationem cum ipso vsu, ea distrahere esset conuentum spoliare, & deteriorare, quòd prudens non facit œconomus, nec potest facere procurator, qualis est Superior, posset quidem Prælatus ea distrahere, commutando in meliora. Circa autem ea, quæ ipso vsu consumuntur, Prælatus habet maiorem auctoritatem. Dico tamen quòd hæc duplicem habent vsum, quod possunt consumi. 1. per commutationem, vel emptionem, vt si triticum superfluens commutet in vinum, vel oleum deficiens, vel ex pecunia aliquid emat, vel ædificet. 2. per gratuitam donationem. Quò ad primum vsum in Ordine nostro in rebus alicuius momenti non potest Prælatus commutare, neque emere, neque ædificare sine consensu capituli, & consuetudo ita obtinuit, vt non possit Corrector sine consensu capituli, aut saltem Seniorum, neque vendere, quæ superfluunt ex ordinaria prouisione conuentus, neque emere quæ deficiunt. Optimum remedium, sanctè institutum ad vitandas occasiones, & fraudum, & murmurationum; cum enim omnia pateant omnibus, subditus dolere non potest, nec Superior fraudare. Emere autem res, quæ ad quotidianum vsum fratrum pertinent, pulmenta, pitantiam, carnem pro infirmis, calceos, &c. in Ordine nostro ad conuentualem Prælatum absolutè spectat, non per se ipsum immediatè, sed per prouisorem conuentus capitulariter electum. Circa 2. vsum, quomodo, & quantum, & quando possit Prælatus donare, dixi *tom. 1. huius op. quæst. 2. c. 2. à §. 6.* & dicam hic etiam infra aliqua *num. 55. & 56.*

52. Notandum etiam, quòd debet noster œconomus in bonis expendendis esse in primis fidelis, deindè prudens: fidelis, ne fratres penso debito fraudet, & in proprium lucrum conuertat; & prudens, vt det, & expendat secundum exigentiam, & necessitatem. Quas duas conditiones esse œconomo necessarias, docuit Christus *Math. 24. & Luca 12.* dicens: *Quis putas est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore?* Quis putas est. Quasi dicat, vt exponit Caiet. Pauci sunt dispensatores, qui sint fideles, & prudentes. Ad quam sententiam alludit Paulus 1. Cor. 4. *Hic iam quæritur inter dispensatores, vel fidelis quis inueniatur.* Vbi pro, dispensatores, in græco legitur, œconomos, vt notat A lapide ad illum locum, Et est sensus, vt exponit Guillian. Quid autem superest, requiritur, an detur alicuius dispensator fidelis. Et aduerte, quòd non dubitatur, an detur prudens, nam multi prudentes, sunt qui non fideles, imò prudentiores sunt filij tenebræ, quàm filij lucis, & faciliùs in dispensatore reperitur prudentia, quàm fidelitas; quis enim est hic, qui post aurum non abit, & non sperat in pecuniæ thesauris, & laudabimus eum? O crudelissima humanorum cordium tyrannis pecunia? quæ non mortalium pectora cogis? quas non munitissimas animarum turres expugnas? quas non decipis? quas non perdis? stultus, qui te cum contempsisset per Religionis ingressum, in ea

te

te iterum incipit æstimare: Amore tui, audacter dicam, perire puto quotquot pereunt in Religionibus, animarum myriades: Mentior, si id non dicitur Ecclesiastici 10. *Nihil est iniquius, quàm amare pecuniam, hic enim animam suam venalem habet.* Et Ierem. 6. *A minore vsque ad maiorem omnes auaritiæ student: & à propheta vsque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum.* Et Isa. 56. *Ipsi Pastores ignorauerunt intelligentiam, omnes in viam suam, declinauerunt; vnusquisque ad auaritiam suam, à summo vsque ad nouissimum.* Sed hæc omittamus. Si scire cupit noster œconomus, quid illi faciendum sit, vt fidelis dici mereatur, audiat Theoph. ad illum locum Pauli: *Fidelis autem est, si herilia bona sibi non vendicet, & attribuat, vt non veluti Dominus res tractet, adoriaturuè, sed veluti aliena, herilia dispenset, non sua esse dicens, quia sunt heri, sed è diuerso quæ sua sunt, heri esse.* Audiatur etiam Bernar. epist. 2. *Quicquid præter necessarium victum, ac simplex vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.*

53. Sed multæ hic se offerunt difficultates. Prima est An ex eleemosynis perpetuis, vel temporaneis, priùs sit fabricandus, seu reparandus conuentus, quàm familia alenda, vel è contra. Respondeo priùs esse fabricandam Ecclesiam, vel conuentum, quàm alendam familiam; vnde, si conuentus, vel Ecclesia ita indigeant reparatione, vt simul, & semel non possit familia ali, dico, quòd tunc familia minuenda est ad eum numerum, qui simul cum fabricatione conuentus possit sustentari, cum enim non reparantur conuentus, & Ecclesiæ, facilè ruunt, & omnino fiunt inhabitabiles, & deseruntur. Similiter, si aliquis deuotus relinquat aliquam pecuniæ quantitatem pro fabricando conuentu, dico, quòd priùs est dictus conuentus fabricandus cum suis officinis, & similiter Ecclesia, quàm ibi assignentur fratres; locus namque præcedit locatum. Non nego tamen, quòd hoc casu non possint deputari duo Religiosi, qui fabricæ curam habeant. Atque ita collig. potest ex D. Thom. 2. 2. *q.* 86. *art. 2. corp.* Val. *tom. 3. disp. 6. quæst. 4. part. 4. asser. 2. in casu nostro* Nauarr. *comm. 3. de reg. num. 6. vers. Dixi secundo.*

54. 2. Difficultas. Quisnam ex bonis conuentus priùs alendus sit, Prælatus ipse, an verò fratres locales. Nauarr. *comm. 3. de reg. numero 6. vers. Dixi in primis*, putat; quod priùs alendus sit Prælatus, secundum tamen puram necessitatem personæ, nulla habita ratione qualitatum extrinsecarum. Sed meliùs Suarez *tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. cap. 26. numero* 10. nullum in hoc agnoscit ordinem, nisi quem necessitas exigit, quæ interdum obligabit Prælatum ad subueniendum priùs aliis, quàm sibi; interdum à contrario. Per se autem loquendo, æquè primò tenetur ad alendum totum conuentum, in quo ipse comprehenditur; & licèt ipse possit iuri suo cedere, & posterius ali, quàm conuentus, non potest tamen cedere iuri aliorum, ita vt priùs se, quàm conuentum alat. Sed quid, si non posset se simul, & conuentum alere? Dico, quòd iste casus est summè Metaphysicus, nec potest dari nisi in eo euentu, in quo non esset in conuentu nisi alter frater, & tunc dico, quòd, si illud alimentum non esset sufficiens pro omnibus, posset Prælatus vitam suam vitæ subditi præferre, eo enim casu, & est pars conuentus, & caput illius; & quilibet tenetur priùs sibi prouidere, quàm aliis, iuxta illud Euangelij, *Ne fortè non sufficiat nobis, & vobis*, Gratian. *discept. for. tom. 3. cap. 552. num. 1.*

55. 3. Difficultas est. An possit Prælatus ex bonis conuentus aliquid gratiosè donare. Respondeo negatiuè. Tum quia, cum non sit dominus, sed dispensator, non potest ex alieno donationes facere, vt dicitur *in capite Abbati, dist. 54.* Tum quia in *sæpè cit. capite Nullam* 18 *quæst. 2.* dicitur, quòd Abbas possit expendere bona monasterij in Dei cultum, & monasterij vtilitatem. Tum quia id expressè vetatur *in constit. Clement VIII. de larg. mun.* Quòd si tales largitiones faciat, peccat contra iustitiam, sua abutendo potestate, & contra votum paupertatis, vtendo illis bonis tanquam dominus; vnde, & ipse, & qui recipiunt, restituere tenentur. Ita Suarez *loco cit. numero* 11. Caietanus 2. 2. *quæst. 43. art.* 8. *in princ.* Valentia *tom. 3. disp. 3. quæst.* 18. *part. 4. col. 2. vers. Qua tamen in re.* Molina *tom. 2. de iust. disp.* 276 *num.* 2. & docent præterea omnes expositores *cit. bul. de munit. larg.* quos adduxi *tom. 1. huius operis quæst. 2. capite 2. §. 6.* quibus adde Sosam *tract. 1. suorum op.* & Ioan. Cruz. *lib. 1. de stat. Relig. capite 3. dub. 5. concl.* 3. Potest tamen Prælatus titulo pietatis, & eleemosynæ aliquid donare, immò debet, vt Nauar. *comm. 3. de reg. num. 6. vers. Dixi quintò.* Llam. 3. *part. inst. cap.* 13. §. 14. & non solùm de superfluis, sed etiam de non superfluis, prudenter tamen, & discretè, iuxta conuentus facultates. Molina, & Suarez *loco cit.* Et ratio est, quia de superfluis etiam tenentur eleemosynas facere Domini rerum suarum, iuxta illud. *Quod superest date pauperibus.* Ergo illi, qui ex eleemosynis viuunt, potiori aliquo iure teneri videntur ad eleemosynas faciendas etiam de non superfluis; oportet enim eum misereri conserui sui, cuius dominus misertus est. Potest etiam Prælatus de assensu fratrum donationes aliquas remuneratorias facere, quia, cum hæ de iure naturali debeantur, prohibitæ non sunt, vt dixi *tom. 1. huius operis loco cit.* & dicunt Suarez *loc. cit. num.* 14. & Molina *loc. cit.*

56. 4. Difficultas est. An Prælati possint ex bonis sui conuentus aliquid assumere, vel suis consanguineis donare. Respondeo in hoc esse maximè respiciendum ad Religionis consuetudinem, & abundantiam, vel penuriam. Certum tamen est, ea bona posse sibi assumere Prælatum, & in proprium vsum conuertere, quæ potest aliis concedere. Sed, cum multi sint auarissimi cum aliis, & maximè prodigi secum, ita vt nunquam saturentur, dico, quòd Prælatus potest ex bonis monasterij in suum proprium vsum conuertere, vel suis parentibus indigentibus, vel aliis ad pias causas pro nuptiis puellarum, verbi gratia donare, vsque ad summam decem aureorum singulis annis; vel, si conuentus sit pinguis, id posse bis in anno, & hoc etiam sine licentia, & consensu conuentus, si aliud non habeat Religionis constitutio vel consuetudo; modò tamen priùs obligationes monasterij impleat, fratres alat, vestiat, necessaria suppellectilia emat, conuentum reparet, &c. & modo propter hoc postea Religiosi aliquam penuriam non patiantur. Sicut enim potest, immò debet, etiam de non superfluis, eleemosynas facere, ita potest eas sibi attribuere, vel potiori iure suis consanguineis donare. Ita Lud. Lopez 2. *p. instruct. cap.* 5. §. *Primò quòd in aliis*: Corduba *in sum. quæst.* 54. *vers. Respondeo tres causas.* P. Nau. *lib. 3. de rest. cap. 1. num.* 183. Fagund. *in 2. præcept. Eccl. lib.* 8. *cap. 6. num.* 12. Llam. 3. *part. inst. cap.* 13. §. 15. Cruz *de stat. Relig. lib. 1. c. 3. dub. 5. concl.* 1. Dixi cum aliis *tom. 1. huius op. quæst.* 2. *cap. 2. §. 6. concl.* 2. Si verò dicti Prælati proprio labore aliquas comparent pecunias, prædicando, docendo, confessiones audiendo, libros scribendo, dicit Llam. *loco cit. fin.* quòd iis possunt vti in quoscumque vsus sibi placuerit, etiam eos extra Religionem donando Quia, inquit, cum nomine monachi in odiosis non veniat Abbas, & id, quòd dicitur. Quidquid acquirit monachus, acquirit monasterio, odiosum sit, in eo non comprehenditur Abbas, seu alius quivis Prælatus. Sed hæc doctrina mihi non probatur, nam non videtur iustum, neque æquum, quòd Religio me Prælatum alat, vestiat, omniaque necessaria abundanter ministret, & quòd ego, si aliquid mea industria acquiro, mihi acquiram. Adde, quòd non acquiro ex propriis, cum enim omnes

meæ industriæ, & labores sint vinculati in Religionis seruitium, etiam in illius seruitium debet esse vinculatum, quod illis laboribus comparo: vnde odiosum non est, sed maximè iustum, quòd omnia acquisita à monachis, monasterij sint, cum monasterij viribus sint acquisita. Puto itaque, posse ea iis Prælatum liberiori quidem manu aliquid in pias causas etiam extra Religionem erogare; at omnia, nego. Dicunt etiam Lopea, Corduba, quòd possunt Generales, & Prouinciales ea bonis monasterij vltra summam decem, vel 50. ducatorum etiam extra Religionem donare, vel sibi applicare. Sed in mea Religione, in qua omnimoda bonorum administratio penes Correctorem, & capitulum locale residet, hoc non admitto. Nec etiam admitto illud, quod licere sibi putant aliqui Superiores, qui durante officio, faciunt sibi bonum marsupium, dicentes. Hac pecunia emam deinde tot libros pro bibliotheca, faciam tot planetas pro sacristia, monasterium, vel Ecclesiam fabricabo; nam præterquam quòd facilè se ingerit species ista boni, & faciliùs deindè dulci cedit retentioni, vana rerum futurarum dubietate, vel spe accusantem conscientiam quietare satagens, non est in potestate Superioris eos sumptus facere; & dimisso officio, debet etiam curam illius dimittere. Non potest moueri zelo, nam si iudicabat, conuentum illis rebus indigere, prouidere debebat cum ad id tenebatur. Ita Graffius *de casu reser. lib. 3. cap. 7. num. 31.* Mir. *tom. 1. man. quæst. 28. art. 15. concl. 1.*

57. 5. Difficultas. An possit, vel debeat Prælatus omnes superabundantes redditus in eleemosynam dare; Respondeo in Ordine nostro ad id teneri Superiores sub pœna priuationis sui officij, & inhabilitatis perpetuæ. Ita expresse mandatur *in Correct. num.* 47. Verum Iul. II. *in constit. eius* 18. 6. 9. *tom. 1. nostr. priu.* declarauit, hoc *debere intelligi ciuiliter, videlicet, salua semper prouisione per annum pro infirmis, & fratrum indumentis, ac aliis necessitatibus, & præsertim pro fabrica proficienda.* Communiter autem ait Suarez *tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. capite 26. numero 13.* quòd in necessitatibus communibus pauperum licèt aliquid dandum sit dare tamen omnia, quæ superfluunt, nec est præceptum, nec consilium in Prælato Religioso. Vnde putat, quòd id non sit potestate Prælati; quia melius est augere, aut perficere monasterium, vel quò ad ea quæ pertinent ad cultum diuinum, aut habitationem fratrum, vel quò ad perpetuos redditus, vt ex iis plures Religiosi sustentari possint, quòd maius Dei obsequium est, quàm abundans eleemosyna in communibus necessitatibus. Ita Suarez secutus Nauarr. *comm. 3. de reg. num. 6. vers. Dixi quintò.*

58. Circa 4. Quòd requirit Arist. in œconomo, vt scilicet sciat frui diuitiis, eas impendendo in victum, & vestitum, commoditatemque propriam, & familiæ, ne in abundantia egeat. Notandum; ad œconomum nostrum pertinere prouidere suis fratribus tam sanis, quàm infirmis abundanter de cibis, & vestimentis necessariis pro vitæ sustentatione, iuxta suæ Religionis statuta: & hoc est iustitia; vnde peccat, si in hoc deficiat; ex quo enim omnes Religiosi per professionem Religioni nomen dedere, eique incorporati seruiunt iuxta vocationem suam, digni sunt ex iustitia mercede sua, & iure naturæ sunt participes quò ad necessaria ipsius Religionis bonorum temporalium, & spiritualium. Insuper per professionem initur quidam tacitus contractus inter Religionem, & Religiosum, quo hic tenetur omnes operas suas in Religionis fauorem impendere, & illa se obligat ad illum prouidendum de necessariis quo ad victum, & vestitum. Atque ita docet Llama 3. *part. met. capite 13. §. 14.* Lessius *lib. 2. de iust. capite 41. dub. 8. numero 67. vers. Verius tamen puto;* Gratian. discept. *forens. tom. 3. capite 552. num. 21.* Diai, abundanter, nam *vbi non est abundantia, non est obseruantia,* Iuxta dictum D. Ber. relatum à Perea *in Reg. Sancti Benedicti capite 32. numero 7.* & Greg. *lib. 2. regist. indict. 11. epist. 17.* ait, *Necessitatis occasio, aut desides facit, aut robur conuersationis infringit,* & refertur *in capite Religiosam, 12. quæst. 2. & in psal. 104.* dicitur, *Dedit illis Regiones gentium, & labores populorum possederunt, vt custodiant iustificationes eius, & legem eius requirant.* Quare à graui culpa non absoluo eos Prælatos, qui necessaria subditis denegant, vel ita parcè ministrant, vt via sufficiant, *Inhumanum enim est,* dicit Humber. in spec. relig. part. 2. lib. 5. cap. 7. *vt iumento necessarium pabulum subtrahatur, cui onus imponitur, & flagellum virga adhibetur.* Et hoc etiamsi id faciant, vt cumulent pecuniam, erogandam deinde vel in monasterij fabricam, vel in redditus perpetuos. Quid enim prodest magnos redditus, ampla monasteria, & magnificas Ecclesias argento, auro, gemmisque ditissimas possidere, & fame deinde perire, nudis pedibus propter necessitatem ambulare, pediculis comedi propter Superioris duritiam, & rusticitatem? Ex hoc peculia, eleemosinarum fraudationes, murmurationes, detractiones, secretorum Religionis reuelationes, inobedientiæ; via enim obeditur Prælato, qui necessaria subditis non ministrat, vel si necessaria, ita miserabiliter, & cum tanta mathematica mensura, vt potiùs deficiant in libris, quàm abundent in quadrante. Audiatur Hum. loc. cit. *Per hoc quòd necessaria conuentui non prouidentur, multa mala proueniunt: prouenit inde murmur: sequitur etiam euagatio conuentus; aliquando enim pro defectu, qui pro modico posset suppleri, refectorium euacuatur, & cum magnis expensis, & cum magno detrimento Religionis fratres per cameras disperguntur, & etiam datur eis occasio, vt proprietarij esse velint.* Et Greg. 2. p. past. cap. 7. *Qui* (Prælati) *necessaria vitæ præsentis non tribuunt nequaquam libenter audiuntur.* Non indendo tamen per hoc obligare Prælatos ad suppeditandum bona monasterij subditis in tanta abundantia, vt superfluant, & ipsi impinguati, & incrassati recalcitrent, vt vellent aliqui, quorum tota mens, atque felicitas est, vt bene pascantur, & bene vestiantur, & summo studio cuticulam curent, quique Christum sequuntur, non amore Christi, sed amore panis Christi; Superior enim, qui vellet hos saturare, breui totam conuentus substantiam effunderet, & deinde cogeretur ære alieno illum grauare: Ex quo quanta orianatur incommoda, discat lector ex his, quæ graphicè dicit Carol. Scriban. *in Super. relig. lib. 1. cap. 26.* ex quo hæc pauca accipe. Hinc enim, ait, importunæ creditorum, molestæque sollicitatione, famæ, nominisque dispendia, conceptus animo mœror, perpetua sollicitudo, anxia mens futurorum, quæ nec pacatas concedit noctes, non dies, curæque curis innascuntur, cum æs alienum alteri accrescit. Quæruntur inde amici, & qua quæruntur, perduntur via, ferè enim cum mutuatitia pecunia amicitia exuitur, sed & à cogitata familiaritate resiliunt multi, veriti ne ad petendum audaciores consuetudo faciat: vnde ingens, noxiaque in primis libertas subditis conceditur; cum enim se rerum inopia primi Superior sentit, nihil priùs habet, quàm vt necessaria parandi suis facultatem largiatur, quo se hoc onere expediat, e quibus initiis neglecta iacet paupertas, æmulationum exurgunt maria, & vniuersa ferè domestica disciplina iacet, cum singuli rebus suis student, plusque illis operæ, quàm perfectioni impendunt, mutuoque se ad commoda exacuunt, & sociorum exemplo paria audent; sed & ipse Superior perpetua sollicitudine disciplinæ neglector est; quasi satis illi sit, suorum industria inopiam depelli. Quare, ne quemquam familiæ offendat, permittit omnia, è Religionis illa regula sint, an secus, pro eodem habet; satis illi habuisse: nec necessaria tantum concedi, sed quidquam animo libitum est; cum enim vereatur, ne, si quædam neget, à reliquis excidat, indulget omnia,

omnia, ne careat optatis. Hinc superfluarum rerum,& cum Religione pugnantium ingens farrago exoritur, nec iam vltra Religio, sed cauponantium veriùs exurgunt cellæ. Hæc, & multa alia Scribamus. Quare prodigalitatem, nec supra redditum sumptus suadeo, sed solùm prætendo, vt dentur subditis iuxta religiosam paupertatem omnia necessaria quò ad victum, & vestitum, sub ea forma, qua alij Prælati eiusdem conuentus, discreti, prudentes, & charitatiui dare suis subditis consueuere, sic enim subditi conqueri non possunt, & obedire coguntur, & de facto, vt experientia comprobauit, libentiùs, promptiùs obeditur, & regula exactiùs seruatur, & Deo alacriùs seruitur. Vnde videmus, quòd omnes Religiones obseruantes dicta necessaria abundanter subditis ministrant, & quæ ruerunt, ex hoc solo ruerunt. Et ideo semper existimaui ad reformandas Religiones esse hoc vnicum remedium. Excusaretur tamen Superior à necessariis ministrandis propter monasterij inopiam & tunc communis paupertas esset æqualiter ab omnibus toleranda, vt Gratianus *loco cit. num.* 25. & Patriarcha noster non semel hoc monuit *in Correct. numero* 109. sed tunc Superioris maioris esset familiam minuere, ne relaxaretur.

59. Sed hic se offerunt aliquæ difficultates, 1. An subditus, cui Superior necessaria iniustè denegat, possit ea sibi clam ex communibus conuentus redditibus sumere? Ad hoc iam affirmatiuè respondi *tom. 1. huius op. quæst. 2. cap. 2. §. 4. vers. Possunt*, & docent Pet. Nauarr. *lib. 3. de rest. cap. 1. num.* 196. Fagund *in 2. precept. Eccl. lib. 8. cap. 6. num.* 13. quia prælatus tenetur ex iustitia, vt dictum est, necessaria largiri, quòd si non facit, potest subditus sibi sumere, quia tunc suum recipit, non alienum, nec actum exercet dominij: Tum quia tali pacto illud votum fecit. Tum quia vsu solo rei communis vtitur. Aduertendum tamen, ne vltra præcisam necessitatem quidquam sumatur.

60. 2. Difficultas. An Prælatus teneatur alere fratrem illum, qui in iuuentute diù apostatauit, fugas arripuit, multa commisit scandala, cum per senectutem, vel infirmitatem incurabilem inutilis deuenerit. Vere hic punctus difficilis est, & à nullo, quòd viderim, tractatus. Resolutè tamen dico, ex iustitia non teneri. Nam frangenti fidem fides frangi potest, *l. Conuenerit, ff. Pro socio, l. Cum proponas, Codic. de pact* Barbos. *in loca comm. lit. F. num.* 41 Cum ergo iste fidem datam Religioni de suis operibus pro ea impendendis non seruauerit, non tenetur Religio fidem de eo alendo seruare: & valde durum est, quòd filiis Belial, qui iugum fregerunt, & Dominum proiecerunt, filiis Dei necessaria tribuantur. Ex charitate autem ratione ligaminis fraternitatis, eum alere deberet. Et proportionaliter dic, quòd qui malè seruit, malè ali meretur, abundans tamen charitas omnes æqualiter tractari suadet.

61. Constat ergo ex dictis, demandatam esse Prælatis sub culpa mortali curam bonorum temporalium, & spiritualium. Et docet Gregor. 2. part. pastor. cap. 7. *Sunt nonnulli, qui gregis quidem curam suscipiunt, sed sic sibimet vacare ad spiritualia appetunt, vt rebus exterioribus nullatenus occupentur: qui cum curare corporalia funditus negligunt, subditorum necessitatibus minimè concurrunt.* Et idem Greg relatus in cap. Petrus Diaconus, dist. 39. ait: *Talis hoc tempore in regiminis debet arce constitui, qui non solùm de salute animarum, verùm etiam de extrinseca subiectorum vtilitate sciat esse sollicitus.* Docent etiam Trithem. *in cap. 2. reg. S. Benedicti* ad illa verba. *Non plus gerat sollicitudinem, &c.* Humbertus *in spec. relig. part. 2 lib. 5. cap. 9.* Nald *in summ. verb. Bona, num.* 14. Cura autem rerum spiritualium eos magis sollicitare debet, quam temporalium, & tantum, quantum anima corpori præstat, prius enim quærendum esse regnum Dei, quam temporalia, docuit magister noster Christus Matth. 6. *Quid enim*, inquit Abbas Nilus in ascet. apud Magal. in Iud. capite 5. sect. 1. annot. 3. numero 59. *in virtutis studium incumbentibus vnquam defuit, quod vitæ esset necessarium, quamuis nihil omnino solliciti essent?* Sed Deus bone, quomodo hunc ordinem peruertit humana cupiditas? quàm sunt anxij, & solliciti aliqui Prælati in curandis temporalibus, & quàm dormientes in curandis spiritualibus, illud Poëtæ obseruantes.

O ciues Ciues, quærenda pecunia primùm!
Virtus post nummos.

Et illud Christi Matth. 16. contemnentes, *Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Contra hos Prælatos bene Inuehitur Trithem. p. 1. de relig. claustr. tract. 1. art. 3. num. 2. *Sed Pastor*, inquit, *Monachorum inordinatæ auaritiæ spiritu seducitur, & mente, tanquam non sentiens, excæcatur, Domini a se timorem proiicit. Impulsus auaritiæ stimulis mandata Dei, & Sanctæ matris Ecclesiæ despicit, dies festos non custodit, rebus terrenis totus immergitur, nihil aliud, quam temporalia, meditatur, semper lucris terrenis inhiat, de profectu animarum nihil curat: sacræ lectionis codex raro, vel nunquam in manibus eius conspicitur, registra censuum crebriùs reuoluuntur: agrum agro copulas, aurum, & argentum semper in thecam repelle, dum comportat, & dum abundare monasterium suum rebus temporalibus nimium desideras, prædam raptoribus præparas. Væ tibi Pastor auare claustralium, qui maiorem sollicitudinem de brutis animalibus geris, quam de commissis tibi animalibus? infirmatur equus, & mox paras remedium, perit anima, & nullum putas imminere periculum?* Et Greg. 2. part. pastor. cap. 7. *Sæpè*, ait, *nonnulli velut obliti, quod fratribus animarum causa prælati sunt, toto cordis annisu sæcularibus curis inseruiunt: has, cum adsunt, se agere exultant; ad has etiam, cum desunt, diebus, ac noctibus cogitationis turbidæ æstibus anhelant.* Et P. Dam. tom. 1. lib. 6. ep. 33. *Eò ergo formidulosius*, inquit, *diuinum cogimur expectare iudicium, quo rationem debemus, non de segetibus in secessum mox cuniculos digerendis, sed de animalibus potius, quæ sui repræsentant imaginem conditoris.*

62 Signa autem, quibus dignosci potest, an Prælatus magis curet temporalia quam spiritualia, hæc sunt secundum Humb. loco cit. *Si in propria persona terrenis negotiis intendit, & in spiritualibus Vicarium ponit. Si non timet fratres suos periculo exponere, vt temporalia bona seruare valeat, & augere, vt cum magnis expensis muros erigit, & mores negligit, Si quotidianas expensas frequenter computat, animarum verò detrimenta, vel profectus ignorat. Si quando fratres veniunt ad capitula, de rerum temporalium conseruatione, vel multiplicatione est tractatus primus, de Ordinis verò reformatione vltimus, vel nullus. Item si sollicitè prouidentur, quæ necessaria sunt corporibus, de his verò non curat, quæ sunt necessaria animabus.*

63. Et in tantum est commendata Prælatis cura animarum sibi subditarum, quòd, si permittat passim violari regulas sui Ordinis, ad culpam tantùm venialem obligantes, propter pigritiam, ne scilicet quietem suam turbet, vel aliam quamcumque causam, mortaliter peccat. Quia, cum teneatur pro viribus progressum suæ Religionis procurare, & ex hac frequenti transgressione non modicum patiatur detrimentum Religio, hoc detrimentum ipsi Prælato tanquam custodi imputatur, & cum sit graue, grauem inducit culpam. Ita Sanchez 1. *in decal. cap. 6. num.* 19. Naldus *in summ. verb. Prælatus, num.* 11.

§. II.

An iurisdictio Prælatorum regularium sit ex iure diuino.

64. VIdeatur Mich. Med. *de indulg. disp.6. cap.29.* Alph. à Castro *de iust. heret. pun. lib.2. cap.24.* Vict. *relict.2. de pot. Eccl. num.28. propos.* 3. Bell. *tom.* 1. *de Rom. Pont. lib.4. à cap.22.* Bann. 2. 2. *q.*1 *art.*10. *dub.* 5. *ex comm. suffr. tibus.* Sotus *lib.*10. *de iust. quæst.*1. *art.*4. Llam. 3. *p. met. cap.*6. §. 9. Magal. *proœmin. epist. Paul. sect.*12. Rodrig. *tom.* 1. *quæst. reg. quæst.*17. *art.*2. Henriquez *lib* 6. *cap.*5. *num.*7 Miranda *tom.*1. *man. quæst.*13. *art.*4. Coriol *de cas. reser. part.*1. *sect.* 1. *art.* 3. *num.* 2. Suarez *tom.*4 *in* 3. *part. disp* 25. *sect.* 1. *& tom.*4. *de relig. tract.*1. *lib.*2. *cap.*1. *num.*7. Vasquez 1.2. *disp.*152. *cap.* 3. *à num* 28.

65. Dico 1. certissimum est iurisdictionem, quam habent Prælati regulares in suos subditos, esse illis tributam à Christo Domino immediatè immediatione virtutis. Probatur, quia omnis potestas spiritualis pendet à Christo, tanquam à primo fonte; cum enim ad beatitudinem supernaturalem sit ordinata, omnem excedit facultatem naturæ. Ergo Christus concurrit ad communicandam huiusmodi potestatem, cuicumque, communicetur. Sicut enim primus orbis dicitur concurrere ad omnes motus corporum cœlestium immediatione virtutis, quia nullum potest moueri, nisi accepta virtute ab illo primo, sic etiam nulla potestas spiritualis est in Ecclesia, in quocumque Prælato existat, nisi per virtutem Christi primò concurrentis ad illam conferendam.

66. Dico 2. probabile est, quòd iurisdictio Prælatorum regularium sit à Christo immediatè immediatione suppositi. Ita Medina, Rodriguez, Miranda, Sotus, Coriol loco cit. Probatur, quia vt *hoc cap n.*2. dictum est, Christus Religiones instituit; & quò ad essentialia ita instituit, vt per nullam vnquam humanam prudentiam meliùs institui possent. Vnde Apostolos, Christianæ Religionis prima exemplaria, votis Religionis obstrinxit; nec solùm instituit pro statu Apostolorum, duraturas; omnia enim, quæ facit, ad eruditionem nostram fecit, *ad consummationem Sanctorum*, vt dicitur ad Ephesios 4. *in opus ministerij, in ædificationem corporis sui, donec occurramus omnes in vnitatem fidei*, &c. idest donec omnes infideles ad Christi fidem conuertantur, quòd erit in fine mundi, quando erit vnus pastor, & vnum ouile. Ergo Religiones instituit perpetuo duraturas, tanquam à diuina institutione manantes, super quam nulla humana potestas auctoritatem habet, & tanquam validissima paludamenta, ad Ecclesiam Romanam, catholicamque fidem sustentandam. Sed de essentia Religionum perpetuo duraturarum est, vt habeant Prælatos eiusdem Religionis. Ergo Christus reales Prælatos cum iurisdictione sufficienti instituit. Hæc consequentia probatur auctoritate Apost. *loco cit.* vbi ait. *Et ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores.* Vbi per Pastores intelliguntur omnes Prælati Ecclesiastici, vt dicit A Lapide *ibi*, curam animarum habentes. Si ergo hos instituit, necessario dedit illis omnem iurisdictionem, quæ erat necessario dedit illis omnem iurisdictionem, quæ erat necessaria pro tali munere debitè obeundo, alioquin non posset dici illos gradus instituisse; instituere enim aliquem in Vicarium v.g. est dare illi omnem potestatem Vicarij; deinde qui dat formam, dat consequentia ad illam. Cum verò sciret Christus quòd non erat semper nobiscum per extrinsecam assistentiam conuersaturus, mandauit suo Vicario, vt perpetuo, quòd ille fecerat cum suis Apostolis, & in communi, ipse faceret cum omnibus Prælatis Ecclesiasticis, in particulari, idest daret illis iurisdictionem necessariam pro modulo regiminis. At hoc est iurisdictionem immediatè à iure diuino pendere; quòd enim mandato Principis fit, à principe fieri dicendum est. Et nemo dubitat, electionem Mosis, Iosuë, Saulis, & Dauid à Deo proximè, & immediatè manasse, vt bene Azor. *part.* 1. *Institut. moral. lib.* 11. *capite* 1. *quæst.* 1. *ver. Obiicies.* Et sacramenta baptismi, pœnitentiæ, &c. virtute Christi immediatè ministrantur. Quòd verò Christus id iusserit Petro, & successoribus, colligitur ex *cit. loco Pauli.* Si enim Christus Pastores instituit, & Pastores non sunt sine iurisdictione, ergo iurisdictionem, quam habent, à Christo habent immediatè per suum Vicarium. Quod de essentia Religionum sit habere Pastorem eiusdem professionis, constat *ex Clem.* 1. *de elect. capite Cum causam, de elec.* vbi dicitur. Cum secundum legem diuinam *Deut.* 22. non sit in boue arandum, & asino, idest homines diuersæ professionis in vno officio non sint sociandi, vt ibi exponit Glossa, & dicitur etiam *capite In noua actione*, 16. *quæst.*7. Et in *capite Diuersis fallaciis, de cler. coniug.* dicitur, quod male conueniunt citharæ cum psalterio: diuersitas enim professionis, & habitus, dissensiones, & scandala causat; *capite Quòd Deo*, 33. *quæst.* 5. *cap. Quidam. de apostat.* Ergo secundum legem diuinam, quam non soluere, sed adimplere venit Christus, per sacros Canones expositam, & declaratam, Prælati Religionum debent esse eiusdem professionis. Nec obstat, quòd aliquando Religionum Prælati fuerint Episcopi diuersæ professionis; nam non debemus considerare, quid factum sit sed quid faciendum erat, *cap. Cum causam, de elect.* & fortè etiam tunc bono Regularium regimini sic congruebat, iuxta illud Apost. 1. Cor. 13. *Cum essem paruulus loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus, quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli.* Cum enim Religiones nondum eas vires recepissent, quæ erant necessariæ, vt absolutè per se ipsas cum sola Pontificis Romani assistentia gubernarentur, Episcopos tanquam christianæ perfectionis magistros habere conueniebat. Habuerunt tamen semper omnes Religiones suos immediatos Prælatos, vt ex antiquioribus regulis Basilij, Benedicti, Augustini constat.

CAPVT VI.

Vtrum liceat appetere Prælaturas, curam animarum annexam habentes.

1. VIdeatur D. Thom. 2. 2 *quæst.* 185. *art.* 1. vbi Caiet. & *quodlib.* 2. *art.* 11. Ant. 2. *part. tit.* 3. *cap.* 5. §. 3. *ver. Sed quæritur*, Sotus *lib.* 10. *de iust. quæst.* 2. *art.* 1. Sylu. *verb. Episcopus, quæst.* 3. Ang. *eod.* §. 2. *& ver. Ambitio*, §. 2. Tab. *verb Cathedra*, *num.* 1. Nauarr. *tom.* 4. *miscell.* 42. *de or. num.* 2. *& lib.*5. *consil. cons.*17. *de sent. excomm. num.* 7. Ledesma *de stat. Episcop. cap.* 3. *à concl.* 1. Corrad. 1. *p. cas. q.* 152. Val. *tom.* 3. *disp.* 10. *quæst* 3. *part.* 2. Azor. *tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 28 *quæst.* 2 Fest. *in const. Pred par.* 3. *cap.* 11. Suarez *tom.* 4. *de relig. tract.* 3. *lib.*6. *cap.*7. Henriquez *lib.* 10. *capite* 32. *numero* 3. Torres *lib.* 3. *mor. phil. cap.*3. Barbos. *de pot Episc. tom.* 1. *tit.* 2. *gloss.* 1. *num* 8. Sarton. *in ciue Reip. reg. consid.* 12. Castell. *de elect. cap.* 9. *num.* 36. *& cap.* 10. *à num.* 12. Gherins *in theol. mor. verb. Prælatus, quæst.* 2. Alb. Trott. *de perf. cler. lib.*2. *part.*1. *requis.*8. *n.*91. Regin. *in prax. lib.* 30. *tract.* 3. *à num.* 186.

2. Noto 1. ex D. Thom. 2.2. *cit.* quòd in Prælaturis tria possunt considerari. Primum, & Principale est operatio, per quam vtilitati proximorum intenditur. 2. est altitudo gradus. 3. est reuerentia, & honor, & sufficientia temporalium.

3. Noto

3. Noto 2. quòd tria genera personarum solent Prælaturas appetere. 1. est earum, quæ omninò illis indignæ sunt propter aliquem defectum, vel naturalem, vel canonicum. 2. earum, quæ dignæ quidem sunt, sed peruersè appetunt, vt si appetant Prælaturas, non propter animarum salutem procurandam, sed propter celsitudinem gradus, honorem, aut bona temporalia, vel si sint Regulares, vt Religionis iugum excutiant. 3. earum, quæ & dignæ Prælatura sunt, & recto ordine appetunt, vt scilicet salutem curent animarum.

4. Dico 1. si indignus Prælaturam appetit, mortaliter peccat. Tum ratione iustitiæ, impedit enim locum digno, cui talis Prælatura ex iustitia debebatur. Tum ratione charitatis, nam talis nociturus est omnibus potiùs, quàm profuturus. Tum ratione præsumptionis, appetens id, quòd sibi non debetur, & ad quod exercendum non habet vires. Ita Valent. *loco cit. in princ.* Ledesma *cit. concl.* 5. & multo maius peccatum est eo casu Prælaturam recipere; Ledesm. Sotus *loc. cit.*

5. Dico 2. dignus, qui appetit Prælaturam ratione bonorum temporalium, vel celsitudinis gradus, illa sibi constituendo tanquam finem primarium, & principalem, peccat omninò mortaliter. Sot. Val. Caiet. *loc. cit.* Ledesm. *concl.* 7. Antonin. mox cit. peruertit enim finem Prælaturæ, qui est principaliter proximi salutem procurare, non solùm dilectio Dei, & proximi est in præcepto, sed etiam ipse ordo dilectionis, vt D. Th. 2. 2. *quæst.* 26. *art* 1. est autem de ordine dilectionis, vt diligamus priùs salutem animarum, quàm corporum, Anton. 2. *part. tit.* 3. *cap.* 5. §. 4. *ver. Quærere ergo.* Qui verò mouetur ad appetendam Prælaturam ratione bonorum temporalium, vt habeat sufficientiam temporalium, & honorem, ita tamen, vt temporalia non sint finis Prælaturæ, sed appetitur, quia cum hoc intendit facere debitum suum circa curam animarum, & distributionem bonorum, nec intendit vti Episcopatu ad finem temporalium, sed quantum sibi conceditur portione sua, & debito sibi honore, &c. ad laudem Dei, hic tantùm venialiter peccat. Ita Cajetan. 2. 2. q. 185. *art.* 1. *ver. Nihilominus tamen.* Qui addit, ex hoc non reddi quenquam Prælatura indignum, quod etiam notauit Ledesm. *loc. cit. concl.* 7. *dubit.* 1. Nauarr. *lib.* 5. *cons. de sent. excom. consil.* 17. *num* 7. ait, quòd Prælatura appetitur à digno etiam absque veniali, modò principaliter appetatur, vt prosit, & minùs principaliter ob vtilitatem, vel honorem.

6. Dico 3. etiamsi quis sit Prælatura dignus, eamque recto ordine appetat, videlicet vt prosit, non præsit, communiter tamen mortaliter peccat sic appetendo sine necessitate. Ita D. Thom. 2. 2. *cit.* Anton. *loc. cit.* §. 3. & 4. Valent. *tom.* 3. *disp.* 10. *quæst.* 4. *part.* 2. *col.* 3. *ver. Nihilominus, & ver. seq.* Tab. *verb. Cathedra num.* 1. Sot. *loc. cit.* Ledesm. *loc. cit. dub.* 2. *pag.* 24. Sylu. *verb. Episcopo, quæst.* 3. Conrad. *loc. cit.* Probatur, quia temerarium est magno periculo salutis se exponere, absque vrgenti necessitate, sed qui Prælaturas appetit magno se salutis periculo exponit, ob multitudinem, & grauitatem obligationum, quas secum ferunt Prælaturæ, vt constat præcipuè ex 1. *ad Timoth.* 3. & *ad Tit.* 1. & manifestè apparet. *ex tota quæst. sequent.* Quare S. Thom *quodlibet.* 5. *art.* 22. laudat eos, qui Prælaturas declinauerunt, vt fecisse ferunt Nazianz. qui ideò è patria discessit, ne ad Episcopatum ascendere cogeretur, S. Ephrem, qui eiusdem rei gratia insaniam simulauit, Bernard. D. Thom. & alios multos. Ambros. Augustin. Cyprian. Bonauentura susceperunt inuiti. P. N. Franciscus offerenti Sixto IV. eas maiores dignitates, quas potest catholica Ecclesia conferre, cœli se solùm dignitates ambire respondit, nec inde remoueri potuit, quantumuis rogatus. Per easdem semitas eum fuere secuti P. F. Gaspar de Fosso, qui cum Episcopalem dignitatem, mandante Paulo IV. ad instantiam Caroli V. recepisset, offerenti deinde Gregorio XIII. per Cardinalem S. Sixti nepotem, Cardinalitiam dignitatem, respondit, eam nec corpori, nec ætati, nec meritis eius conuenire, vnde Roma aufugit ferè. Per easdem semitas cucurrit P. F. Ioannes à Flumine frigido eloquentissimus concionator, & nostræ Religionis aliquando Generalis, qui oblatam cardinalitiam dignitatem per Pium V. omnium stupore intrepidè recusauit: & rogantibus Fratribus, vt saltem ad honorem Religionis reciperet; respondit, honorem Religionis non consistere in pompaticis istis dignitatibus, sed in Religiosorum sancta, & exemplari conuersatione. Quare Religio nostra licèt adhuc Cardinales non habuerit, habuit tamen, qui eam dignitatem recusarunt: quod est multò plus gloriosum, quàm multos habuisse, licèt habuisse, vel non habuisse Cardinales, nihil addat, vel minuat Religionum gloriæ, cum aliquæ sint antiquissimæ, & illustrissimæ, atque maximæ Religiones, quæ non adhuc his temporibus tali dignatæ sunt honore ab Apostolica Sede. Et qui cupit scire, qui etiam Romanum Imperium recusarint, vel coacti receperint, adeat nostrum Rangol. *in* 1. *Reg. capite* 10. *vers* 22. P. Gregor. *lib* 6. *syntag. cap.* 20. *numero* 7. Videat etiam Plat. *de bon. stat. relig. lib.* 2. *cap.* 26.

7. Constat etiam nostra conclusio ex his, quæ dixerunt PP. & Philosophi contra huiusmodi ambientes. August. 19. de ciu. cap. 19. *Locus*, ait, *Superior, sine quo regi populus non potest, etsi ita teneatur, atque administretur, vt decet, tamen indecenter appetitur.* &c. & *lib.* 3. *de doctr. christ. cap.* 15. agens de isto appetitu dominandi, quo plerumque laborant homines se ipsos amantes, ait. *Talis autem dilectio meliùs odium vocatur.* Et Chrysost. *hom.* 35. *op. imperf.* ad illa verba, Audientes decem indignati sunt. *Primatum*, Inquit, *honoris concupiscere vanitas est. Primatus enim fugientem se desiderat, desiderantem se odit, & ibi quicumque desiderat primatum in terra, inueniet confusionem in cælo, vt iam inter seruos Christi non sit de primatu certamen.* Et hom. 29. in 2. ad Corinth. cap. 13. *Si vis gloriam habere, contemne, si enim gloriam secteris, gloria excides.* Et Gregor. 24 mor. cap. vlt. *Tunc solùm potestas bene geritur, cum non amando, sed timendo detinetur, quæ vt ministrari rectè valeat, oportet primum, vt hanc non cupiditas, sed necessitas imponat.* Et idem relat. cap. vlt. 1. quæst. 6. ait: *Sicut is, qui inuitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admonendus, sic qui vltrò ambit, vel importunè se ingerit & procul dubio repellendus, nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid agit, nisi vt crescendo decrescat & ascendendo descendat.* Isid. l. 3. sent. c. 48. *Qui in appetendis honoribus sæculi, aut prosperitatibus mundi instanti desudat labore, & hic, & in futuro tamen inuenitur à requie; tantoque sarcinis peccatorum grauatur, quantò à bonis operibus existit alienus.* Et Leo Papa relat. in cap. Miramur, d. 61. *Principatus, quem aut seditio extorsit, aut ambitus occupauit, etiamsi moribus, aut actibus non offendit, ipse tamen initij sui est perniciosus exemplo. Et difficile est, vt bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.* Ber. Episcop. 126. & serm. 18. ex paruulis. *Quisquis dominari non appetit, is profectò fructuosè præest cæteris instituendis.* Et Epist. 24. *Curritur ad Ecclesiasticas curas tanquam sine curis.* Et infra, *non cum tanta alacritate currerent ad honores, si esse sentirent, & onera, grauari profectò metuerent, nec cum tanto labore, & periculo dignitates affectarent.* Laurent. Iustin. de regim. Prælat. cap. 1. *Nemo Primatum cupiat, nullusque alijs præesse desideret, cæteris quippè negotiis magis periculosum est regimen animarum, atque ad illud, prout oportet, ministrandum difficillimè quisque reperitur idoneus. Verùm si quis pro se ipso rationem reddere nequaquam sufficit, quantò*

minus præsse, sibique commissis? Iudicium durissimum, inquit Sapiens (Sap.) *fiet ijs, qui præsunt. Nempè si hoc homines considerarent, minimè ambirent præesse, neque Ecclesiastica dignitatis cathedram tante cum studio quærita ent.* Plura huiusmodi vide apud Nazianz. *or. ad ciu. graui tim. percul.* Ambros. *lib. 1. de Sacerd.* D. Thom. & alios PP. Cresp. *in sum. cathed. fid. verb. Episcopatus vac. non amb.* Ex quibus satis constat, mortale esse Episcopatus appetere. Nec putandum, PP. solùm loqui de indignis, vt notat Torres *lib. 3. de mor. Philosoph. cap. 3. §. 1.* nam de his nulla poterat esse dubitatio.

8. Nec latuit ethnicos hæc appetendæ dignitatis pernicies. Epictet. in enchir. cap. 20. *Memento*, ait, *oportere te velut in conuiuio versari: in quo, si fercula ad te perueniunt, extenta manu modestè carpe: si transit qui fert, ne eum detine: si nondum peruenit, ne procul appetitum extende, sed expecta dum ad te veniat. Sic erga principatus*, &c. Tull. 1. de off. *Cauenda est etiam gloriæ cupiditas, eripit enim libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet esse contentio. Nec verò imperia expetenda, ac potius non accipienda interdum, aut deponenda nonnunquam.* Et Plato de reg. tendens ad fin. *Quippè si bonorum virorum extaret ciuitas, in ea haud aliter non imperandi gratia pugnaretur, quàm nunc certetur imperandi cupiditate.* Et Ant. serm. 174. ab Stub. *Nemo*, ait, *cum liceat sine periculo sequi, ducere periculosè concupiscat.* Et huius resistentiæ, quàm dignitatibus faciunt sapientes viri, rationem elegantem dat Thom. Mor. vt refert P. Greg. lib. 6. syntag. cap. 20. num. 7. *Meritò abstinent sapientes à regenda Republica, habentes satis, vt quia aliena stultitia mederi non possunt, ipsi saltem sint in tuto. Veluti qui effusum in plateas populum cum ab imbribus ad tecta reuocare non possunt, consultè agunt, qui semet intra tecta continent.*

9. Dico 4. in casu necessitatis, vt si alicubi, vel propter labores, & pericula vitæ, Prælaturis annexa, nemo reperiretur, qui vellet eam recipere, aut propter aliquorum malitiam esset alias præficiendus indignus, liceret digno Prælaturam appetere. Ita D. Thom. & omnes communiter. Quia bonum commune particulari laudabiliter præfertur. Quo pacto Greg. 1. *pastor. cap.* 8. & D. Thom. 2. 2. *cit. ad* 1. intelligunt illud Pauli 1. ad Timoth. 3. *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Ea enim conditione erant, tunc temporis Episcopi, vt singulis ferè momentis mortem pro Christo expectarent. Hanc doctrinam videtur apertè docuisse Plato *loc. cit.* vbi ait, *Neque pecunia, neque honore ducti boni homines imperare volunt: neque enim apertè pecuniam magistratus præmium accipientes, mercenarij vocari volunt, neque clanculum fures: neque rursus honoris causa; non enim ambitiosi sunt. Oportet igitur necessitatem illis imponi, & mulctam, si futurum est, vt velint magistratum accipere.*

10. Dico 5. peccatum mortale est Prælaturas procurare. Anton. 2. *part. tit.* 3. *cap* 5. § 2. & alij communiter. Si enim non licet appetere per actum interiorem, multò minus licebit procurare per actum exteriorem, vt ait Cajet. *in sum. ver. Beneficia.* Et probatur ex Ecclesiastici 7. *Noli quærere ab homine ducatum, neque à Rege cathedram honoris.* Et ad Hebr. 5. dicitur, *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Et videtur contra ius naturale, quòd aliquis velit procurare onus supra vires suas; æstimare autem vires se habere ad id necessarias, præsumptuosum est.

11. Nota, quòd 3. modis procurantur officia. Per preces, per obsequia, per munera. Et omnes isti tres modi simoniaci sunt, & mortale peccatum inducunt, vt D. Th. 2. 2. *q.* 100. *art. 5. corp. & ad 3* Anton *loc. cit. § 2. & 3. vers. Dicit, n. ibi.* P. Dam. *lib. 2. ep. ep. 3* & notat D. Th. *loc. cit. ad* 3. quòd precari pro aliquo digno, vt ad Prælaturam assumatur, non est simonia, nisi rogatus, vel rogator non attendat ad dignitatem personæ, sed ad humanum fauorem, nam tunc simonia erit in intentione. Si verò aliquis pro se rogat, vt obtineat Prælaturam habentem curam animarum, ex ipsa præsumptione redditur indignus. Licitè tamen potest aliquis pro se petere, si sit indigens, beneficium Ecclesiasticum sine cura animarum; quia cum seruiat altari, ex illo viuere debet. Potest etiam peti licitè, & procurari Prælatura in casibus necessitatis, & sine scandalo, vt dixi *num.* 9. atque ita Cajet. 2. 2. *q.* 100. *art.* 5. Val. *tom.* 3. *disp.* 10 *q.* 3. *p.* 2. *col.* 4. *vers. Casus autem*, hoc enim est consilium charitatis, non præsumptionis. Ait etiam ibi Cajet. quòd vbi regimen Ecclesiasticum esset corruptum, petitio, & procuratio beneficij curam animarum habentis pro se alias digno, ex humano affectu procedens, licet sapiat aliquid præsumptionis, pro quanto quis petit præesse, quia tamen appetit intendens prodesse, & periculum imminet semper malæ prouisionis, stante huiusmodi corruptela, quòd probi viri postponuntur, non plusquàm venialis videtur illa præsumptio. Sed hanc doctrinam in mea Religione non admitto, vnde nullo modo puto licitum esse dignitates procurare, per doctrinam D. Th. *illo ar.* 5. *ad* 3. Pœnas inflictas contra procurantes officia in Religionib. vide to. 1. *huius op. q. 2. c. 2 §. 11. & tom. 2. nostr. priu. in cens. 5. Pauli V.* & quando quis teneatur dignitates acceptare, & quando possit recusare, dixi *tom. 1. huius op. q. 2. cap.* 10.

12. Ad vltimum nota, quòd Cajet. *in sum. verb. Beneficia Ecclesiastica, 6. Beneficium*, Cort. 1. *p. cap. quæst.* 252. *vers. Quarta est*, dicunt, quòd appetere secundùm quid, idest si Superiori videatur expediens, cognoscendo se indignum cum tremore, committendo negotium Deo pro honore ipsius, & salute Ecclesiæ, non est perniciosum, nec damnabile, imò videtur meritorium, si ex charitate procedat, cum per hoc non intendat se ingerere, sed Deo se offerre. Hic casus potest concedi, si stetur in eo, at ambitionis blanda subtilitas, ea esse verba pura mihi scrupulum inijcit, ait enim Greg. 1. p. Pastor. cap. 9. quòd *sæpè mens de se ipsa mentitur, & fingit se de bono opere amare, quod non amat, de mundi autem gloria non amare, quod amat*, &c. Vnde melius est istas tentationes expellere, & sequi B. Laur. Iust. *consilium de regim. Præl. cap.* 1. vbi ait, *Quoties immissiones præsidendi nobis fiunt per Angelos malos, vel suasiones fiunt per homines bonos, aut ex concupiscentia carnis, & vna huius immoderata affectione cogitationes in nobis formantur, ad proprio recurramus infirmitatis examen, ad pauendumque extrema animaduersionis iudicium, & omninò desiderium fugabitur dominandi. In illo quippè die nequaquam erit securior, qui fuerit potentior, siue maior erit, qui fuerit honoratior, quin potius qui extiterit corde humilior*, &c.

13. Denique potest quis licitè petere à Deo secundùm beneplacitum voluntatis suæ, vt eum dignum iudicet faciendi talia opera, quibus Ecclesiæ suæ prodesse possit. Appetere etiam potest ea opera facere, quæ bonus Prælatus faceret in Prælatura bene administrata. Ita Diu. Thom. 2. 2. *quæstione* 185. *art.* 1. *corp.* & pro fine, & coronide istius materiæ notentur sequentes versus.

Esse, fuisse, fore, tria florida sunt sine flore.
Nam simul omne perit, quod fuit, est & erit.
Quod fuit, est, & erit, perit articulo breuis horæ.
Ergo quid prodest esse, fuisse, fore?

CAPVT.

CAPVT VII.

In quem finem constituantur Prælati in Religionibus.

1. Videatur pro hoc cap. Aug. *in tr. de Pastor.* qui est *tom. 9. cap. 1. & 2.* D. Th. *1. de regim. princ. c. 1. & lib. 3. c. 11. & opusc. de regim Iud. quæst. 6. & 2. 2. q. 185. art. 5. corp.* Arm. 8. *mor. c. 10 3. pol. c. 5. 5. pol. c. 10.* Anton. *3. p. tit. 19. cap. 11. §. 1.* Tos. *in Exod. cap. 10. q. 19.* Bened. Ægid. *de inst. p. 1. cap. 3. num. 7.* Rodr. *tom. 3. q. reg. q. 34. art. 5.* Mir. *tom. 2. man. q. 5. art. 5.* Lips. *lib. 1. exempl. pol. c. 7.* Per. *in reg. S. Bened. cap. 2. p. 4. num 61.* Top. *de pot. princ. sec. §. 5. a num. 17.* Iauel. *tom. 2. suor. op. tr. de off. princ. christ. p. 3. c. 2.* Rang. *in 1. Reg. cap. 8. vers. 15. tit. An sic publicè, &c. & cap. 12. vers. 3.* illis verbis, *Virum bonum*, Contz. *2. pol. cap. 1. §. 4.* Reginald. *in prax. lib. 10. num. 69.* Ribad. *de princ. christ. lib. 2. c. 9. & 10.* Bell. *de off. princ. christ. lib. 1. c. 7.* Tort. *in phil. mor. lib. 3. cap. 13. præsertim §. 3.* Barb. *de pot. Episc. par. 1. tit. 2. gloss. 2. num. 6.* Vgol. *de pot. Episc. cap. 1. num. 1.* Cresp. *in summ. cathed. fid. vers. Pastor.*

2. Dicendum est, Prælatos dari in Religionibus in commodum, & vtilitatem, non ipsorum, sed Subditorum. Ita omnes DD. citat. Probatur 1. ex Scriptura sacra. Ezech. 3, *Speculatorem dedi te hodie domui Israël.* Et cap. 33. *Quod si speculator viderit gladium venientem; & non insonuerit buccina, &c. sanguinem eius de manu speculatoris requiram.* Quæ loca explicans Greg. hom. 11. in Ezech. ait. *Cui aliena cura committitur, speculator vocatur, vt in mentis altitudine sedeat, atque vocabulum nominis ex virtute actionis trahit: non est enim speculator, qui in imo est; speculator quippe semper in altitudine stat, vt quicquid venturum est, longè prospiciat.* Et cap. 13. reprehenduntur Prælati, eo quia sibi commissum gregem non defenderint. *Non ascendistis*, dicitur, *ex aduerso, nec apposuistis murum pro domo Israel, vt staretis in prælio in die Domini.* Et cap. 34. *Væ Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: non ne greges pascuntur à Pastoribus?* Et ibid. *lac comedebatis, & lana operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, & ægrotum non sanastis, & quod confractum erat, non alligastis*, &c. Ier. 13. *Vbi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum? quid dices, cum visitauerit te?* Et Psal. 77. *Elegit Dauid seruum suum, pascere Iacob seruum suum, & Israel hereditatem suam.* Elegit, inquit, Dauid, non vt pasceret seipsum, sed vt pasceret Iacob, & Israël. Et subdit, *& pauit eos in innocentia cordis sui.* Et num. 11. dicitur, *Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantem.* At nutrix non portat infantem propter commoditatem propriam, sed infantis. Et 1. Petr. 5. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei.* Et Io. 21. summo Pastorum Petro dictum est. *Pasce agnos, pasce oues.* Et ad Hebr. 5. dicitur: *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur.* Quem locum explicans ibi. D. Th. ait. *Pro hominibus constituitur, idest pro ipsorum vtilitate, non enim constituitur propter gloriam, non propter cumulandas diuitias, non propter consanguineos ditandos. Si verò aliquis quærit quod suum est, non est Pastor, sed mercenarius.*

3. 2. Probatur ex PP. Aug. loc. cit. cap. 1. ait. *Nos enim, quos in isto loco de quo periculosa redditur ratio, Dominus secundùm dignationem suam, non secundùm meritum nostrum constituit, habemus duo quædam, vnum, quòd Christiani sumus; alterum, quòd præpositi sumus. Illud, quòd Christiani sumus, propter nos est, quòd autem Præpositi sumus, propter vos est. In eo quod Christiani sumus, attenditur vtilitas nostra, in eo, quòd Præpositi sumus non nisi vestra.* Et 19. de Ciuit. Dei, cap. 14. *Qui imperant, seruiunt eis, quibus videntur imperare*, Greg. lib. 5. in 1. Reg. cap. 20. in princip. *Vita quidem innocentiam pro nobis habemus, sed Prælationis culmen pro aliis, non pro nobis ascendimus. Per innocentiæ bonum ad æternam patriam tendimus, per altitudinem gradus in aliorum custodia vigilamus.* Naz. or. 1. apol. n. 91. *Hic spiritualis omnis imperij finis est vbique, priuata vtilitate neglecta commodis aliorum consulere.* Ber. ser. de trib. ord. Eccles. in med. *Puritatem quidem cordis in eo Prælatus habet, vt prodesse desideret, non præesse, vt scilicet proprium commodum, vel honorem sæculi, seu aliud quidpiam suum in Prælatione non quærat, præter solum beneplacitum Dei, & animarum salutem.* Synes. de regno in princ. *Verum quid in vita ratione sequitur, quod Subditis commodum videtur qui laborent, & molestiam perferre vult, ne quid illis molestum sit, qui pro illis perieclitatur, vt in pace, & securitate degant, quique vigilare, & in maximo concursu sollicitudinum versari sustinet, vt noctu, & interdiu Subditi malis omnibus vacent, hic in genere quidem ouium pastor, in hominum verò genere Rex est.* D. Thom. lib. 1. de reg. cap. 1. *Si verò non ad bonum commune multitudinis, sed ad bonum priuatum regentis regimen ordinetur, erit regimen iniustum, atque peruersum: bonum siquidem gregis Pastores quærere debent, & Rectores quilibet bonum multitudinis sibi subiectæ.* Et lib. 3. cap. 11. *Regnum non est propter Regem, sed Rex propter regnum, quia ad hoc Deus prouidit de eis, vt regnum regant, & gubernent, & vnumquemque in suo iure conseruent, & hic est finis regiminis, quod si aliud faciunt in seipsos commodum retorquendo, non sunt Reges, sed tyranni.* Et de Reg. Iudæor. quæsito 6. *Considerare debetis, quòd Principes terrarum sunt à Deo instituti, non quidem vt propria lucra quærant, sed vt communem populi vtilitatem procurent.* Hildeb. Archiep. Turon. ser. in illud Lucæ 12. Cui multum datum est, multum quæretur ab eo, relat. in bibl. PP. tom. 3. pag. 271. ex Impressis Paris. 1614. *Pastoris est quærere non quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, non commoda temporalium rerum, sed salutem animarum.* Tost. cap. 20. Exod. q. 19. *Qui autem Princeps, vel Prælatus est magis vacans vtilitati suæ quàm distributioni iusti politici non Prælatus, aut Princeps, sed tyrannus est. Quæ satis dura definitio est nostris Principibus, & Prælatis.*

4. 3. Probatur ex Trid. sess. 25. cap. 1. de reform. *Optandum est, vt ij, qui Episcopale ministerium suscipiunt, quæ suæ sibi partes, agnoscant, ac se non ad propria commoda, non ad diuitias, aut luxum, sed ad labores, & sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant.* Videatur etiam *cap. 1. sess. 24. cap. 3. eodem tit. lit. cap. Si quis Episcopi. §. Ecce cum, 1. q. 1.* & cap. Qui Episcopatum, & cap. In scripturis, 8. q. 1. & *cap. In decima 18. q. 2. & c. Quorum vices, d. 68.* vbi Prælati vocantur Patres Ecclesiæ, patres autem filiis seruiunt, vt Bell. *tom. 1 disp. de sum. Pont. lib. 1. cap. 7. ver. Respondeo; duplex esse genus*, vbi ait, *Episcopi sunt serui Ecclesiæ, quemadmodum etiam Magistratus seruus Reipublicæ, & Rex populo (si Rex, non tyrannus sit) & pater filiis, & Magister discipulis.*

5. 4. Probatur ex Theologis, Ægid. de reg. p. 2. lib. 3. cap. 6. *Rex respicit bonum commune, tyrannus verò bonum proprium.* Victor. in relect. 4. de pot. Papæ, & Concil. propr. 17. *Potestas Principum est à Republica, quæ non dedit eis potestatem ad grauandos Subditos, sed ad conseruandum.* Med. 1. 2 q. 90. ar. 2. concl. 1. *Reges, & Principes non possunt instituere leges ad priuatum commodum, & vtilitatem. Certè sicut potentiæ naturales de natura sua institutæ sunt, vt tueantur bonum totius suppositi, sic potestas publica in commune bonum instituta est.* Gers. tom. 4. de pot. Eccl. consid. 13. col. 5.

Dicitur

Dicitur autem vnus ille bonus vel Rex, vel Imperator, seu Monarcha, qui non proprium principaliter, sed commune bonum intendit in suo Principatu. Almain. in tract. de pot. Eccl. q. 3. cap. 4. qui est insertus tom. 4. cit. Gers. *Principatus Apostolicus est ordinatus non propter bonum principantis, sed propter bonum commune subiectorum.* Rang. in 1. Reg. cap. 8. vers. 11. de reg. cap. 16. *Natura Magistratus, & Imperij est, vt Subditorum vtilitatem, non imperantis commodum respiciat.* Plures Theologos, & Iuristas vide apud Top. *loc. cit.*

6. 5. Probatur ex Ar. 3. pol. cap. 5. *Quandò igitur vnus, vel pauci, vel multi communem vtilitatem in gubernatione sequuntur, has esse rectas rerum publicarum species necesse est: quando autem ad propriam vtilitatem, transgressiones sunt, & labes.* Et 5. pol. cap. 10. *Vult autem Rex esse custos, vt qui diuitias habent, nihil iniustum patiantur, nec etiam populus afficiatur contumeliis: tyrannus autem, vt sæpè iam diximus, ad nullam communem respicit vtilitatem, nisi gratia proprij commodi.* Et 8. mor. cap. 10. *Tyrannus suam, Rex Subditorum vtilitatem spectat, non enim est Rex, nisi ex se ipse sufficiat omnibusque bonis excellat: At qui talis est, nulla re indiget, quo circa vtilitatem non sibi, sed Subditis procurabit.* Et lib. 5. cap. 6. *Propterea non sinimus dominari hominem, sed rationem eo quòd sibi ipsi id facit, & tyrannus euadit, est autem qui dominatur, iuris ipsius custos, at si iuris, æqui etiam. Quoniam verò esse ipsi nihil amplius videtur, siquidem est iustus, non enim amplius ex simpliciter bono sibi attribuit, nisi id sibi proportione conueniat, idcirco alteri laborat, atque ideò iustitiam alienum esse bonum inquiunt. Merces igitur quædam danda est, ea autem est honor, & gloria, quibus vero hoc satis non sunt, ij tyranni efficiuntur.* Circa quem locum, cum aureus omninò sit, & christianus.

7. Noto 1. quoad illa verba *Non sinimus.* Quod homo vt sic imperfectus est, multis oppressus passionibus, vnde, si secundum eas dominari sinatur, omnes dominij commoditates sibi sumet, labores autem refugiet, & in Subditos refundet, & sic sibi soli attendens, tyrannus euadet, perficitur autem per virtutes proprio sudore partas, secundùm quas cum dominatur, dominari dicitur secundùm rationem. Atque ita bene dixit Menander.

Quàm suauis res est homo, si sit homo.

idest perfectus. Et Cic. 1. de off. *Quoniam autem,* inquit, *viuitur non cum perfectis hominibus, plenéque sapientibus.*

8. Noto 2. circa illa verba, *Quoniam verò esse, &c.* quòd Princeps iustus non censet, sibi plus esse tribuendum, quam aliis, nisi fortè secundùm debitam proportionem iustitiæ distributiuæ, secundùm quam qui plus laborat, plus manducat, vnde cum nullus sit in Republica; qui plus laboret, quàm Princeps, plus etiam ipse, habita ratione dignitatis, accipere potest ad Principis dignitatem sustentandam. Vnde fit, vt, cum aliis non sibi, laboret, & plus, quàm alij laboret, quòd non plus, quàm alij, recipiat, sed ad æqualitatem secundùm distributiuam iustitiam.

9. Noto 3. circa illa verba, *Merces igitur*, quòd cum secundùm ius naturæ retribuendum sit aliquid mercedis ei, qui pro nobis laborat, cum Princeps pro Subditis laboret, ab istis illi merces danda est, nimirum honor, & gloria, quæ sunt maxima bonorum, quæ ab hominibus dari possunt. Si autem sint aliqui Principes, quibus ista non sufficiant pro mercede, sed quærant lucra, isti sunt iniusti, & tyranni. Vnde 1. ethic. c. 5. ait, quòd *honor est ciuilis vitæ finis.* Et honorem esse suauissimum pabulum Principatuum, docet ex Cicerone Cassan. *in catal. glor. mund. parte quinta, consid.* 2. & Patrit. *de regno lib. 9. tit.* 2. ait, quòd iste honor est rectè factorum conscientia, quorum verus fructus est fecisse.

10 Noto 4. quòd ista optimè quadrant Prælatis Regularibus, debent enim ij esse viri super omnes alios suæ respectiuè Religionis virtuosi, ad hoc vt possint regulas, & constitutiones seruare, seruari facere, nec debent sibi plus omnium quàm aliis, tribuere, nec omnes Religionis labores in Subditos refundere, ipsi verò deliciis, & commoditatibus vacare. Et cum viri virtuosi non solùm secundùm scientias speculatiuas, sed etiam secundùm morales, sciant, quid sibi conueniat, & quid non, non sibi isti plus tribuent de bonis Religionis, quàm aliis, nisi fortè aliter suadeat distributiua iustitia, secundùm quam dicta bona dicuntur etiam distribui ad æqualitatem, cum datur vnicuique quod illi est opus, vt dictum est supra. Vnde in *Reg. nostra, n.* 39. dicitur, *Huius Religionis, & vitæ regimini intendentes, cæteris in victu, ac vestitu se iuxta posse conforment.* Quoniam verò Superiores semper vigilare debent pro bono, & salute Subditorum, ab istis illis de iustitia debetur honor, & reuerentia, quibus Superiores debent esse contenti, expectantes in alio sæculo etiam à Deo retributionem.

11. 6. Probatur nostra conclusio ex Platone, & aliis Philosophis, ac Poëtis. Plat. lib. 1. de Rep. vltra med. *Neque alius vllus in aliquo Principatu, & facultate imperans, quatenus Princeps est, quod sibi conferat, cogitat, aut præcipit, sed quod subiecto conducat, & quæ dicit, quoque facit, cuncta ad illius vtilitatem, decorémque dicit, & facit*, & ibid. vers. fin. *patet, legitimum Principem, non sui ipsius, sed eius, qui sub ipso est, commoditatem respicere.* Et lib. 1. de regno vltra med. *Qua ratione vir sapiens, bonusque gubernabit, semper ita ad salutem Subditorum respiciens, vt ad nautarum, nauisque salutem respicit gubernator.* Et Cic. 1. de off. *Omninò qui Reipublicæ profuturi sunt, duo Platonis præcepta teneant. Vnum, vt vtilitatem ciuium sic tueantur, vt quidquid agunt, ad eam referant, obliti commodorum suorum. Alterum, vt totum corpus Reipublicæ curent, ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. Vt enim tutela, sic procuratio Reipublicæ, ad vtilitatem eorum, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa, gerenda est: Qui autem parti ciuium consulunt, partem negligunt, rem perniciosissimam in ciuitatem inducunt, seditionem, atque discordiam.* Plutar. ad Princ. in erud. ait, *Principes esse Dei administros ad tutandam hominum salutem, vt quæ Dij bona hominibus largiuntur, ea partim conseruent.* Et Euseb. apud Stob. ser. 44. *Principem non ob quæstum priuatum, sed ob salutem, custodiamque Subditorum omnia facere oportet.* Sen. lib. 1. de clem. c. 14. Patrem patriæ Principem appellat, *vt sciret datam sibi potestatem patriam, quæ est temperatissima, liberis consulens, suaque post illos ponens.* Et Adrian. Imperatorem sæpè dixisse ferunt, *ita se Rempublicam gesturum, vt sciret populi rem esse, non propriam.* Et Xenoph. in mem. Socr. lib. 3. *Rex eligitur, non vt sese molliter curet, sed vt per ipsum ij, qui elegerunt, bene beatéque agant*, & lib. 8. de pædia Cyri, statim ab initio. *Verum ego, ò viri, sæpenumero etiam alias cogitaui, bonum Principem nihilo differre à bono patre, nam & parentes filiis prouident, vt bona his nunquam sint defutura.* Et Tiber. apud Lips. mon. pol. cap. 7. *Dixi, & nunc, & sæpè alias, Patres conscripti, bonum, & salutarem Principem, quem vos tanta, & tam libera potestate instruxistis, Senatui seruire debere, & vniuersis ciuibus, sæpè, ac plerumque etiam singulis, neque id me dixisse pœnitet.* Et Claud. Paneg. in cons. 4. Honor.

Tu ciuem, patremque geras, tu consule cunctis,
Nec tibi, nec tua te moueant, sed publica vota.

Et denique curam, quam debet habere Princeps in procuranda Subditorum incolumitate, eleganter expressit

pressit Alciat. *embl. anchora*, cui alligatus est Delphin, quod est 144. & his versibus illustrat.

Titani; quoties conturbant æquora Fratres,
Tum miseros nautas anchora iacta iuuat:
Hanc pius erga homines Delphin cōplectitur, imis
Tutius vt possit figier illa vadis.
Quàm decet hæc, memores, gestare insignia Reges,
Anchora quod nautis, se populo esse suo.

Plura huiusmodi vide apud Stob. & Lips. *loc. cit.* Top. *de pot. Princ.* §. 5. *à n.* 26. Contz. 2. *pol. cap.* 2. §. 4. & 5. Claud. Minoëm *ad embl.* 144. *Alciat.*

12. 7. Tandem probari potest nostra conclusio. Quia officium Principis est exercere iustitiam, at iustitia est ad alterum, vt dictum est ex Arist. *num.* 6. ergo officium Principis ad subiectos est ordinatum, non ad se.

13. Ex dictis sequitur 1. teneri Prælatum sub mortali procurare bonum, cum spirituale, tum temporale priùs Religionis, & communitatis in vniuersum, deinde singularum personarum de communitate. Ita in specie Bart. *in auth. de her. & falc. in princ. num.* 4. Rodrig. *tom.* 3. *de reg. quæst.* 34. *art.* 5.

14. 2. Sequitur Prælatum non procurantem magis vtilitatem communem, & particularem Subditorum, quàm suam propriam, mortaliter peccare. Lædit enim iustitiam in re graui, operando contra Prælatiæ finem. Ita Top. *de pot. Princ.* §. 5. *num.* 20.

15. 3. Sequitur, Prælatum non docentem, non monentem, non corrigentem, sed conniuentem, dissimulantem Subditorum peccata, vel ob pigritiam, vel ob verecundiam, quia scilicet verecundatur eos reprehendere, vel ne in eorum inimicitias incurrat, ne impediant, & noceant in rebus temporalibus, quas vel adipisci appetit, vel amittere formidat, vel quia timet, ne in eum maledicta iaciant, seu calumnientur, &c. mortaliter peccare, & esse dignum furca. Ita decernitur num. 25. *Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra Solem in patibulo.* Ad quem locum dicit Olcast. *Non debent Prælati suis Subditis conniuere cum viderint eos iniqua appetere, aut quæ sibi sunt nocitura.* Et Greg homil. 11. in Ezech. ad illa verba, *Si dicentem me ad impium,* ait. *Pensandum est, quantum sibi connexa sunt peccata Subditorum, atque Præpositorum, quod vbi subiectus ex sua culpa moritur, ibi is, qui præest, quoniam tacuit, reus mortis tenetur.* Aug. lib. de Pastor. cap. 9. *Videtis quàm sit Pastoribus tacere periculosum. moritur enim, & rectè moritur in impietate sua, & in peccato suo moritur, negligentia enim eius occidit eum.* Et in *c. Vt clerici, de vita, & hon. cler.* statuitur, quòd Prælatus sustinens Subditos in suis iniquitatibus, maximè obtentu pecuniæ, vel alterius commodi temporalis, debet puniri eadem pœna, qua sustentatus. Et Aug. ser. 16. ver. Dom. *Si negligis corrigere, peior eo, qui peccauit, factus es.* Non nego tamen per hoc, non posse aliquando Prælatum prudenter dissimulare aliqua peccata minora, quæ scilicet scandalosa non sunt, neque à peccatore obstinato patrata, vt dicitur *in c. Ipsa pietas,* §. *Verùm, & c. Quod Christus,* 23. *q.* 4. & monet. Trid. *sess.* 13. *cap.* 1. *de refor.* Posset similiter Prælatus dissimulare ad tempus peccata illius, qui efficeretur deterior, si peccatum linquere compelleretur. Nam quandoque sustinetur minus malum, vt maius euitetur, *cap. Duo mala, d.* 13. Ita Panor. *in cap. Vt Clerici, de vit. & hon. Cler. n.* 4. & D. Aug *lib.* 1. *de Ciu. Dei, cap.* 9. ait. *Nam si propterea quisque obiurgandis, & corripiendis male agentibus parcit, quia opportunius tempus inquirit, vel eisdem ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam, & piam erudiendos impediant infirmos alios, non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium charitatis.* Et Naz. or. 1. n. 6. *In quibusdam ad nonnulla conniuere satius fuerit, ita vt videntes, non videamus, & audientes non audiamus, ne alioquin eos nimis crebris obiurgationibus tanquam fluctibus obruentes, ad desperationem incitemus, ac dissoluto tandem pudore, quod persuasionis pharmacum est, ad quodvis facinus audaciores reddamus.* Hæc etiam Diu. Thom. 2. 2. *quæst.* 33. *art.* 2. *ad.* 3.

16. 4. Sequitur Prælatum sub mortali teneri vitam exponere pro spirituali salute suorum Subditorum, non solùm in vniuersum, sed etiam in singulari, & hoc etiam citra extremam necessitatem. Constat, tùm quia bonum spirituale præferendum est bono temporali, sed vita corporalis est bonum temporale, ergo illi præferenda est vita spiritualis animæ, sed omnes Christiani tenentur vitam propriam corporalem periculo exponere pro vita spirituali sui proximi extremè indigenti, per doctrinam D. Th. communiter receptam 2. 2. *q.* 26. *ar.* 5. *corp. & ad* 3. ergo Prælati, qui non solùm vinculo charitatis, sed etiam iustitiæ tenentur suos Subditos adiuuare, ad id obligabuntur etiam in extrema necessitate, videlicet in graui, vel etiam ordinaria, tùm quia *Io.* 10. dicitur. *Bonus Pastor dat animam suam pro ouibus suis, mercenarius autem videt lupum venientem, & fugit.* Bonus pastor, ea scilicet bonitate, quæ ad gratiam, & amicitiam Dei necessaria est, dat animam suam, idest periculo exponit vitam suam corporalem pro vita spirituali ouium suarum. Et 1. Io. 4. *Sicut Christus animam suam pro nobis posuit, sic, & nos debemus pro Fratribus animas ponere.* Et Io. Clim. de off. Past. in tom. 5. bibl. vet. PP. fol. mihi 734. *Confusio est Pastoris formidare mortem.* Et Aug. de Past. c. 7. *Reuocabo errantē, requiram perditam, velis nolis, id agam, etsi me inquirentem lanient vepres syluarum, per omnia angusta me coarctabo, omnes sepes excutiam.* Vide Greg. *hom.* 14. *in Euang. Io.* Atque Ita docent omnes DD. cum D. Th. *loc. cit.* vbi Arag. *q.* 2. *concl.* 4. Sot. *lib.* 10. *de iust q.* 3. *art.* 4. *concl.* 2. Salon 2. 2. *q.* 62 *art* 7. *contr.* 3. *tit. An qui tenentur.* Val. *to.* 3. *disp.* 3. *q.* 4. *p.* 3. *col.* 9. *vers. Quoad alteram* Benz. *in spec. ep. lib.* 1. *disp* 1. *q.* 1. *vers. Quintu rotionib. & ver. seq.* Mald. *ad loc. cit.* D. Th *asser.* 2. *vers. Hinc patet.* Hinc Prælatus in Subditorum necessitatibus pro illis orare tenetur, quòd probat Arag. 2. 2. *q.* 83. *ar.* 3. *col.* 7. *vers. Tertius casus est,* ex illo Pauli ad Ephes. 3. *Propter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra: Et huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi.* Hinc etiam dixi *tom.* 1. *huius op. q.* 1. *c.* 21. *concl.* 2. quòd tempore pestis, vel alterius persecutionis non potest Prælatus fugere, relictis ouibus sine sufficienti Pastore, & præter DD. ibi adductos ad hoc, docent Arag. 2. 2. *q.* 26. *ar.* 4. *q.* 2. *concl.* 4. A. S. Fausto *in thes. relig. lib* 6. *q.* 104. Nald. *in sum. verb. Prælatus, n.* 8. Lop. *in sum. to.* 1. *c.* 67. *vers. At verò* Fernand. 4. *part. sui exam c* 16. §. 4. *n.* 9. Benz *loc. cit.* Mald. *loc. cit.* qui ponit casum in Prælato negligente administrare Sacramentum pœnitentiæ Subdito, quem credit esse in peccato mortali peste laborante, ob metum contagij, eò prætextu, quòd non sit in extrema necessitate, & per contritionem probabiliter speretur saluandus. Vide Mald. *in c.* 10. *Euang. Io. n.* 12. Tert. *lib.* 1. *de fuga in persec.* Athan. *in apol. pro fuga sua,* Aug. *ad Honor. ep.* 180. Ghet. *in Theolog. mor. verb. Prælatus, quæst.* 20. Caßan. *in catal. glor. mund. part.* 5. *concl.* 14.

17. Sed an pro vita corporali omnium suorū Subditorum teneatur Prælatus vitam propriam mortis periculo exponere potest dubitari. Certum tamen est teneri lege iustitiæ, ad hoc enim constituitur, & ab ipsis pendet tanquam à toto; vnde tanquam pars debet pro toto seruando exponere se periculò. Ita Sot. 10. *de iust. q.* 3 *art.* 4. Nauarr. *in sum. cap.* 24. *n.* 18. Benz. *loc. cit. vers. Addo tu, quòd,* Val. *to.* 3. *disp.* 3. *q.* 4. *p.* 3. *assert.* 4. Farin. 4 *p. prax. de homic. q.* 125. *n.* 322. Et colligitur *ex c. Regum, & cap. Administratores,* 23 *q.* 5. *cap. Suggestum c. Scissitaris,* 7. *quæst.* 1. Et dicit Aug. serm. 1. de parasceu. *Regis est, vitam suam pro his, quibus regnat, opponere.* Et Chrysostom. homil. de cru. & latr. *Imperatorum est pro omnibus mori, & Regis optimi pro communi vtilitate*

nunquam

nunquam recusare supplicium. Vnde etiam collige, quòd tenetur Prælatus pro bono communi, etiam temporali, vitæ periculo se exponere: nam bonum commune priuato est præferendum, vt D. Thom. 2. 2. *q.* 26. *art.* 4. *ad* 3. Suar. *tr. de charit. dis.* 9. *sect.* 3. *n.* 1. Ex quo colligit Dal. *loc. cit. vers. Porro*, debere vnumquemque exponere se periculo vitæ pro illo viro conseruando, ex quo bonum aliquod Reipublicæ necessarium in communitatem redundat. Sed si quis furaretur vas argenteum magni pretij, nec posset Prælatus illud recuperare sine vitæ periculo, teneretur ne? Puto, quòd non; nam vita est multò pretiosior re illa temporali. Et colligitur ex *cap. Si tributum; iuncta gloss. vers. non nego*, 11. *quæst.* 1.

18. An autem pro vita corporali vnius Subditi teneatur Prælatus periculo vitæ se exponere. Negat Benz. *loc. cit. vers. Adde quòd Rex*; Nam, cæteris paribus, Prælatus est magis necessarius Reipublicæ, quàm alius Subditus. Verùm quidem est, quòd, si Subditus maximè conferret ad conseruationem Reipublicæ, & plus etiam, quàm Prælatus, vt sæpè contingit in Religionibus, eo casu, bono communi attento, teneretur Prælatus pro dicti Subditi vita seruanda mortis periculo se exponere. Quòd autem singuli Subditi teneantur pro Prælato vitæ periculo se exponere, est sine difficultate, & docent Suar. Farin. Nauarr. cit. *num.* 17.

19. 5. Sequitur teneri Prælatum sub mortali corrigere Subditos, etiam cum periculo vitæ. Tum quia Prælatus est persona publica, & custos iustitiæ, & exemplar Subditorum, vnde ad omnia præceptorum, cuiuscumque sint virtutis, arctiùs tenetur, quàm Subditi, sed Subditi tenentur ad præceptum correctionis fraternæ sub mortali extra periculum vitæ: ergo Prælati etiam cum illo periculo tenebuntur. Tum quia Prælati habent peculiarem necessitudinem cum Subditis ratione officij, & ideò debent illorum salutis singularem curam gerere tanquam pastores, & patres. Tum quia Prælatus magis tenetur diligere filios, quàm Subditi alios Fratres. Tum quia ad id tenetur Prælatus ratione charitatis, vt Cajet. 2. 2. *q.* 33. *ar.* 2. *in resp. ad* 4. vbi Arag. *col. penul. vers.* 4. *concl.* Suarez *tract. de charit. disp.* 8. *sect.* 5. *num.* 4. Tum quia *Pastor bonus animam suam ponit pro ouibus suis*, vt dictum est ex Ioan. *cap.* 10. Atque ita docent Sot. *de secr. teg. memb.* 2. *q.* 2. *concl.* 7. Valent. *tom.* 3. *disp.* 3. *q.* 10. *p.* 2. *col.* 13. *vers. Tertia sent. & p.* 3. *col.* 4. *vers. Hinc* 1 Arag. *loc. cit.* Innuit Nauarr. *in man. cap.* 24. *num.* 12.

20. Et nota, quòd quando Prælatus tenetur ex iustitia Subditum paternè corrigere, si omittat, peccat contra iustitiam, & contra particulare præceptum charitatis, atque adeò non satisfacit in confessione, si dicat: Omisi correctionem proximi, sed tenetur dicere, omisi correctionem mei Subditi, cum ex officio tenebar. Ita Suarez *loc. cit. num.* 5. Valent. *loc. cit. p.* 3. *col.* 5. *vers. Sed hac fortè.*

21. Et nota etiam, quòd licèt Prælatus sit in peccato mortali simili, vel etiam maiori tenetur nihilominus Subditum peccantem corrigere. Quia peccantem neminem liberat ab obligatione diuinorum præceptorum; cum nemini sua malitia prodesse, aut bonitas nocere debeat: *c.* 1. *de potest. Prælat.* Ita Val. *to.* 3. *disp.* 3. *q.* 10. *p.* 3. *à vers. Quintò peculiariter.* Quòd si peccatum Prælati publicum sit, & absit scandalum, tenetur adhuc Subditum corrigere, non per modum corrigentis, sed per modum rogantis, & ingemiscentis, iuxta doctrinam D. Thom. *in* 4. *d.* 19. *q.* 2. *art.* 2. *quæstiun.* 2. *corp.*

22. Et aduerte, quòd Prælatus tenetur non solùm Subditum corrigere, quando scit peccatum ipsius, vt alij communiter, sed tenentur sub mortali inquirere de Subditi peccato. Quia tenetur ratione officij curare quantum potest, vt Subditi boni sint. Vnde sicut ille qui debet pecuniam creditori, debet eum requirere, cùm tempus fuerit, vt ei debitum reddat. Ita Prælatus, qui habet specialem curam Subditorum, debet eos quærere, ad hoc vt eos corrigat de peccato. Ita expressè D. Thom. 2. 2. *q.* 33. *art.* 2. *ad* 4. Ioseph de S. M. *in trib. relig. tract.* 1. *cap.* 10. §. 4. Val. *loc. cit. col.* 4. *vers. ac propter hanc*, qui bene monet cum Cajet. *ad loc. cit.* D. Thom. *fin.* quod in hac Inquisitione opus est maxima prudentia, ne multa suspicio præcipitem, & exosum Prælatum reddat, nevè contra incuria multiplicationem pariat peccatorum occultorum.

Subditis tamen illicitum est inquirere Fratrum peccata, vt fraternè corrigant, nam talis Inquisitio odia parit, & dissensiones. Ita D. Thom. *loc. cit. art.* 7. *ad* 5. & Dian. 3. *p. tract.* 2. *res.* 42. vbi quamplurimos citat.

23. 6. Sequitur, teneri Prælatum Regularem sub mortali diligenter curare, vt Subditi scientiis, & virtutibus imbuantur. Ita Ægid. *de reg. p.* 2. *lib.* 3. *cap.* 8. Colligitur ex Trident. *sess.* 5. *de refor. c.* 1. Cum enim finis Prælatorum sit bonum Religionis, bonum autem Religionis sit ita Religiosos educare, vt vitam hic felicem in ordine ad æternam, sibi, & aliis adipiscantur, hoc verò vix fieri possit sine literis, quæ viam vitæ ignorantibus ostendunt, & in tenebris sedentes, & vmbra mortis ad lumen veritatis reuocant, ideò oportet, vt Prælati qui suo muneri satisfacere volunt, studia in suis Conuentibus, & Prouinciis instituant. Quod in nostro ordine pluries mandatum est Prouincialibus sub pœnis grauissimis, vt constat *ex cap. Rem.* 3. *num.* 16. *Malach. num.* 6 *Paul. num.* 18. *Gonneu.* 3. *num.* 20. *Val.* 4. *num.* 7. & alibi. Et aduerte, quod Prælati studia negligentes tyranni sunt, vt dicit Ægid. *loc. cit.* Et quia ad bonum in Religione internum consequendum, non sufficit illud cognoscere, & habere intellectum illuminatum ad discurrendum circa illud, requiritur etiam, vt sint Religiosi imbuti moralibus virtutibus, quibus appetitus ita moderetur, vt efficaciter velit dictum bonum consequi; Ideò oportet vt Prælati etiam in moralibus virtutibus, humilitate, patientia, &c. suos Subditos exerceant. Audiatur Sen. de tranq. cap. 3. *Nec is solus Reipublicæ prodest, qui candidatos extrahit, & tuetur reos, de pace, belloque censet, sed qui iuuentutem exhortatur, qui in tanta bonorum præceptorum inopia, virtute instruit animos, qui ad pecuniam, luxuriamque cursu ruentes prebensat, ac retrahit, & si nihil aliud, certè moratur, in priuato publicum negotium agit.*

24. 7. Sequitur, teneri Prælatum sub mortali dare bonum exemplum Subditis, & coram illis irreprehensibilem apparere, iuxta dictum *Apost.* 1. *ad Tim.* 3. peccatum namque Prælati ruina est Subditorum. Vnde Aug. lib. de past. cap. *Prælati malè viuendo, & malum exemplum prabendo, necant oues, attendit enim ouis etiam fortis plerumque præpositum suum malè viuentem: si declinet oculos à regulis Domini, & intendat in hominem, incipit dicere in corde suo. Si præpositus meus sic viuit, ego quid sum, qui non faciam, quod ille facit?* Et Greg. *lib.* 1. *in* 1. *reg. cap.* 3. super illa verba, *Non audierunt vocem*, ait. *Pastorum culpa subtiliùs iudicantur, & non solum peccata eis pœnam vltionis aggrauant, sed etiam munera concessa.* Et D. Th. *lect.* 1. *in cap.* 10. *Io* ait, quod quatuor sunt actus boni pastoris 1. quidem, quòd oues cognoscit. 2. verò quòd eas educit iam segregat è societate impiorum. 3. quia iam eductas ab impiis, & inductas in ouile, iterum educit eas ex ouili. 4. eas præcedit exemplo bonæ conuersationis. Et Patr. *lib.* 1. *de regn. tit.* 7. ex sententia Platonis, & Socratis dicit *Principes longè magis exẽplo, quam culpa peccare.* Quare, si Prælatus fuerit impudicus, si vinolentus, si percussor, si superbus, si iracundus, si litigiosus, non nudum peccatum committit, puta fornicationis, vinolentiæ, &c. sed aggrauatum per circunstantiam personæ, repugnantem Apostoli præcepto, necessariò in confessione explicandam. Sed de hoc latiùs *quæst.* 2. *cap.* 2. §. 5.

25. 8. Se

25. 8. Sequitur non posse prælatum absque mortali prelaturæ renuntiare, quando est valdè necessarius pro salute gregis, & hoc etiamsi habeat licentiam renuntiandi à Superiore, nam strictissimo iure diuino, & naturali tenetur curam gerere eorum, quibus præest. Peccaret etiam mortaliter prælatus, qui renuntiaret prælatiæ, vt sibi solùm vacaret; tenetur enim bonum subditorum magis, quam proprium curare. Ita habetur *in cap. Suggestum 7. q. 1.* Val. *tom. 3. disp. 10. q. 3. par. 4. col. 2. Vers. Secundus casus est, & vers. seq.*

26. 9. Sequitur, teneri prælatum sub mortali in tribus casibus prælatiæ acquisitæ renuntiare, primò cum est impeditus tali crimine, vt nequeat suo muneri satisfacere, v.g homicidio voluntario, & simonia, per quam sit in prælatiam assumptus. Et hoc etiamsi dicta peccata occulta sint, impediunt enim executionem legitimam officij: vnde, cum non possit fini prælatiæ satisfacere, tenetur renuntiare. Similiter si sit intrusus, idest non legitimè electus, neque secundùm naturam, neque secundum canones, secundò renuntiare tenetur, si propter perpetuam infirmitatem est ita corpore impeditus, vt nullo modo, non solùm in omnibus, sed nec etiam in parte possit suo muneri satisfacere, tertiò si ita est scientia necessaria ad proprium munus obeundum destitutus, vt nulla sit spes, vt omni diligentia adhibita, sufficiens reddatur, propter eandem rationem. Ita habetur *in cap. Nisi cum pridem, de renunt.* Val. *loc. cit. à vers. de secundo.*

27. 10. Sequitur, teneri prælatos animarum curam habentes, in suis prælatiis personaliter residere. Ita habetur *in cap. Peruenit; cap. Suggestum, cap. Sciscitaris, 7. quæst. 1.* Fusè tradit Trid. *sess. 6. de refor. cap. 1. & sess. 23. eod. tit. cap. 1.* Cum enim teneantur salutem sibi commissi gregis curare, si fuerint absentes, id nequaquam possunt adimplere. Et licet adimplere possent per substitutum, adhuc tamen residere tenerentur, nam grex, quem sibi elegit pastorem, semper magis diligit, & veneratur, quam substitutum naturali in id inclinatione ferente, & dicit Trid. *sess. 23. cit.* ibi, *Obligari ad personalem in sua Ecclesia, vel diœcesi residentiam.* Et in *c. Extirpanda, §. Qui verò de preb.* dicitur. *Qui parochialem habet Ecclesiam non per vicarium, sed per seipsos ibi deseruiat.* Vnde si non resideant, vltra mortale peccatum, tenentur restituere fructus perceptos, iuxta Trid. *loc. cit.* Val. *loc. cit. par. 5. col. 4 vers. quintò certum est*: & id etiam ante condemnationem, qui enim accipit quod suum non est, tenetur in conscientia illud restituere. Val. *loc. cit. col. 5. vers. preterea* Et Prælati regulares, qui stipendium aliquod habent, illud nec recipere, nec receptum retinere possunt, si non resideant. Ex quo etiam sequitur, quod ratæ in nostro Ordine assignatæ Generali, vel prouincialibus, pro Religione, & prouinciis visitandis, si non visitent non debentur, & si extorqueant, retinere non possunt, nisi quod simpliciter pro suo vestiario necessarium est; nam beneficium datur propter officium, *cap. fin. de refer. in 6.* quare si quis non præstet debitum officium, iniquè officij fructus recipit, & retinet.

28. Possunt tamen Prælati absque vlla culpa ad breue aliquod tempus; duorum v. g. mensium, propter aliquam iustam rationem à cura suæ Prælatiæ abesse. Ita in terminis Trid. *sess. 23. de refor. c. 1.* nam abesse non dicitur, qui statim est reuersurus, vt dicit Trid. *loc. cit.* ibi, *Quoniam autem*, & multis id probat Gonzal. *ad reg 8 cancel. glos. 43. num. 5.* vnde resoluit Beia *4. p. cal. casu 21.* quòd Parochus ruralis, qui singulis hebdomadibus in vrbem venit ad videndos parentes, & cum illis vno tantum die moratur, relicto tamen ad occurrentes casus capellano, non peccat mortaliter, nec tenetur ad fructuum restitutionem. Et aduerte, quod abesse à propriis Ecclesiis per duos menses possunt Prælati absque alicuius alterius licentia, & etiam Curati absq; licentia Episcopi. Ita Nau. *in man. cap. 25. nu. 12 vers. Quæ omnia, ferè ad finem*: Azor *p. 2. l. 7. cap. 4. q. 10.* Val. *to. 3 disp. 10. q. 3. p. 5. col. 3. vers. præcepit.*

29. Ex quibus collige, quod superiores locales, qui quotidie cursitant per ciuitates, & loca suorum districtuum, relictis suis conuentibus non sunt in bono statu etiam abstrahendo à constitutionibus regularibus: tenentur enim suis curis personaliter assistere, & illa continua Superioris absentia fratres relaxat, & conuentum deperdit. Vnde de quodam Seniore nostri Ordinis, qui cum esset Superior nunquam egrediebatur è conuentu, audiui quod interrogatus: Quare nunquam exiret? respondit. *Per exitum Superioris è domo, Conuentus multum perdit, & dæmon multum lucratur.*

30. Sed quid, si in Correctorem eligatur Parochus curam animarum in Ecclesia regulari exercens, qui debet quolibet momento exire ad oues curandas? Respondeo hunc casum esse valde difficilem, & ad illum parum aduertere multos. Puto itaque non posse parochum in Correctorem eligi, nisi parochiæ renuntiet: sunt enim hæc officia ambo personalem residentiam requirentia; cum ambo animarum curam habeant; Vnde per Trid. *sess. 24. de ref. c. 17.* sunt incompatibilia, cum pluribus intentus minor sit ad singula sensus: poterit tamen Parochus in Ordine Minimorum, in quo Superiores locales sunt solùm annuales, in Correctorem eligi, si pro eo anno parochiæ, quæ ei non est in titulum collata, sed ad beneplacitum superiorum prælatorum, renuntiet, in ijs verò Religionibus, in quibus priores conuentuales sunt perpetui, non possunt Parochi in priores eligi, nisi per Prælatos Parochiæ de alio Parocho prouideatur, cum non possint per substitutum Parochiæ in perpetuum deseruire, vt probat Sanchez *libro 3. de matrimon disputatione 31. num. 18.*

31. Noto tamen, quod possunt dicti prælati ex grauissimis causis, etiam longo tempore à suis Prælatiis abesse; cum enim præceptum de residentia (siue diuinum sit, siue Ecclesiasticum, pro quo videri possunt multi tract. apud Turrecremata *post tractat. de auctoritate Papæ*: Valentia *loc. citat. col. 5.* Sotus *lib. 10. de iust. q. 3. art. 1.* Caietan. *2. 2. q. 185. art. 5.* Azor *loco cit. quæst. 1.*) sit affirmatiuum, non obligat pro omni tempore, & in omni casu, sed pro ratione circumstantiarum, vt alia affirmatiua: Hæ autem causæ sunt quatuor, quas enumerat Trid. *sess. 23. cap. 1. de reform.* ad quas multæ aliæ reducuntur, de quibus Azor *loco citato quæst. 2.* Prima est christiana pietas, qua Prælatus abest ad iuuandam aliquam Ecclesiam, ad dirimendas lites 2. est vrgens necessitas, quando residentia vergit in præsens, ac manifestissimum discrimen vitæ Prælati, propter morbum, vel propter persecutionem aliquam. An autem propter aëris intemperiem possit Prælatus, Corrector v.g. abesse à suo conuentu per aliquot menses, puta à conuentu nostro Albiganensi per illos tres menses æstinos; puto quòd sic, cum licentia tamen Prouincialis, & modo conuentui sufficienter prouideatur de aliquo Superiore idoneo. Similiter dic, si Corrector infirmaretur in aliquo loco, in quo non esset medicus, neque medicinæ, Azor. *to. 2. lib. 7. c. 4. q. 4. vers. ad 2. cap. vrget enim tunc præceptum naturale de conseruanda vita, nec obligat necessitas subditorum*, vt suppono 3. causa est debita obedientia, quando scilicet quis abest vt pareat Superiori, potenti in residentia ad aliquod saltem tempus dispensare, vt v.g. si Generalis vocaret ad se Prouincialem, & Prouincialis Correctorem, iisque vteretur ad visitandam Prouinciam, vel Religionem. Tria tamen debent in hoc casu aduerti, primò quòd id vergat in Religionis vtilitatē, vt bene Valentia *loco cit. col 2. vers. Debita obedientia.* Secundò quod tunc prouideatur conuentui, vel Prouinciæ de Superiore idoneo, tertiò quòd ista absentia non sit vltra quadrimestre singulis annis; per duos enim menses diximus, quòd possunt abesse

absque dispensatione; & super aliis duobus poterunt dicti Prælati dispensare: & audio, ita fuisse declaratum à Sacra Congreg. Concil. Si autem negotium maiorem absentiam requirat, ad Papam recurrendum erit; quòd causa est euidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ vtilitas; vnde potest prouincialis dispensare cum Correctore, vt incepta studia perficiat, quia id vergit in Religionis vtilitatem: quod tamen limita, nisi obstent regularia statuta, vt obstant in ordine nostro, per statutum *cap. Anen. 2. n. 24.* Concedit item Concilium loco citato, quod absque facultate Superioris possint Prælati abesse à suis prælatis propter aliquod munus ipsis annexum, v.g. quando Prouincialis debet ire ad capitulum generale, & Corrector ad capitulum prouinciale. Et nota, quòd in illis quatuor casibus, in quibus potest dispensari super residentia, dispensatio debet fieri causa bene cognita, & in scriptis. Videatur Miranda *tom. 1. man. quæst 9. artic. 5.* Vasquez *opusc. de benef. cap. 4. §. 2. art. 2. dub. 1. 2. 3.* Sanctarel. *vera resolut part. 1. q. 1.* Mauelcr *tom. 1 part. lib. 5. c. 9.* Molf *tom. 1 summ. tract. 6. c. 11. à n. 20* Et aduerte, quòd Canones, & DD. de residentia Prælatorum sæcularium tractantes trahi ad residentiam prælatorum regularium, secutus sententiam Rodriguez *tom. 2. c. 39. & Homob. tam. 4. de exam. tr. 15. c. 6. q. 1 2 3. Remedia vtr. Et cum Superiores*, vbi enim est eadem ratio, ibi, & idem ius.

32. 11. Sequitur, Prælatum non debere esse personarum acceptatorem, non solum in pœnis, sed nec in bonis monasterij, ita vni parti subditorum consulat, & alteram negligat, vt dicitur *in c. Ea quæ §. Porrò, de stat. monach.* ex hoc enim oriuntur seditiones, atque; discordia; vnde Gen. 37. *Videntes fratres eius (Ioseph) quòd à patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui.* Et discordia ciuium nulla est in Republica res perniciosior, vt ait Plato *5. de Rep. parum à princ.* his verbis. *Habemus ne vllum perniciosius ciuitati malum, quàm quod eam diuidit, & ex vna plures facit? vel melius quidquam ea, quòd ipsam vincit simul, & vnam efficit?* Et habetur *in c. 1. d. 71.* Vnde regnantibus maximè conuenit studere concordiæ, vt enim ait Cassiod. lib. 1. var. epist. 22. *Decet quippe regalis apicis curam generalitatis custodire concordiam, quoniam ad laudem regnantis trahitur, si ab omnibus pax ametur. Quid enim est, quòd nos melius prædicet; quam quietus populus, concors Senatus, totaque Respublica morum nostrorum honestata vestitu:* Et l. 2. epist. 29. *Regnantis est gloria subiectorum otiosa tranquillitas* Et Phil. relat. à Magal. in c. 1. Iud. n. 168. *Est, inquit, scopus, quem sacer vates spectat in omnibus iuris capitibus, vt concordia, societas, consensusque morum vigeat, vnde familiis, ciuitatibus, gentibus, regionibus, vniuersoque hominum generi summa facilitas contingit.* Et rursus Cassiod. lib. 1. var. epist. 1. *Omni quippe regno desiderabilis debet esse tranquillitas, in qua & populi proficiunt, & vtilitas gentium custoditur*, & Salust. in Iugur. *Concordia paruæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur.* Et Virg. Æn. v 852.

Tu regere imperio populos Romane memento,
Hæ tibi erunt artes, pacique imponere morem.

Vide Pen. *l. 1. Cod. de Irenarch. lib. 10.* Cassan. *in catal. p. 5 consi. 16.* Magal. *loc. cit. & c. 6 à n 121.* Quare Prælati possunt, & debent discordantes subditos amicabiliter concordare, si possint; si non rigore, & imperio, vt ex text. *clarus in c. Discordantes, dist. 90.* potest etiam duobus subditis discordantibus, & ad concordiam redire contemnentibus; sub pœna excommunicationis præcipere, vt concordent; quòd si renuant, eos, vel eum per quem steterit, excommunicare, vt dicitur clarè in *cap. Placuit, d. 90. cap. Prælatum, d. ead* & habetur *in cap. Si quis contristatus. iuncta glossa verb. Inediis, d. ead.*

33. Sed licet teneatur Prælatus concordiam inter fratres procurare, præstat tamen aliquando discordias ponere inter eosdem, cum sunt in malum congregati. Naz. *or. 12. num. 36. Nec verò hæc eo à me dici quisquam suspicetur, quòd pacem omnem amandam, & complectendam esse existimem; nam vt optimam quandam dissensionem, ita perniciosissimam quandam concordiam esse perspectum habea; sed ea demum, quæ bona est, & boni causa initur, ac Deo copulat.* Et Cyrill. lib. 6. in Ioan. c. 16. *quamuis enim ferè semper, vt plurimum bona sit concordia, & discordia mala, quod hæc dissipet omne bonum, atque disturbet, illa verò promoueat, corroboret, & foueat: nihilo secius, & bona interdum inuenitur discordia, & mala concordia, cum discrepantia animorum alicuius mali perpetrandi præstat obstaculum, & vnanimitas mutuusque complurium consensus eos constringit, & alligat, valentioresque reddit, ad conceptum scelus perpetrandum. Vnde ad impediendam malam concordiam se Dominus in hunc mundum venisse confestatus est, cum ait* (Math. 10.) *Non veni mittere pacem in terram, sed gladium, idest, separationem, vt sequentia eius verba ostendunt.* Debent itaque aliquando Superiores ponere discordias inter eos, qui in malum conueniunt, qua arte vsus est etiam Paulus *Act. 23.* cum enim à Iudæis in Ierusalem comprehensus, & in eorum iudicio constitutus esset, sciens vnam partem eorum, qui aderant, vt eum accusarent, esse Pharisæorum, & alteram Sadducæorum, exclamauit inter eos se Pharisæum esse, atque de spe, & resurrectione mortuorum bene sentire; qua voce immisit seditionem inter Pharisæos, & Sadducæos, dissoluit totam aliam multitudinem. Studeat quære Prælatus particulares amicitias extirpare, ad quod vt animetur, legat tractatum de hac re Iul. Nigr.

CAPVT VIII.

Vtrum Superiores regulares teneantur obseruare leges, quas ipsi, vel eorum antecessores tulerunt.

1. Videatur D. Thom. 1 2. *quæst. 96. art. 5.* vbi Caiet. Medina, Conrad. Mald Sot. *lib. 1. de iust. quæst. 6. art. 7.* Vasquez 1. 2. *disp. 167. cap. 3.* Rodriguez *tom. 1. q. reg. quæst. 68. art 3.* Nau. *lib. 5. cons. de pœnit. & remis. cons. 18. num. 2.* Top. *de pot. princ. sec. 5. 1. à n. 15.* Vict. *relect. 3. de pot. ciu. n. 21.* Bald. *in l. Princeps, ff. De leg. & sen. conf.* Couar. *in cap. Alma mater, part. 1. §. 1. num. 4.* Menoch. *25 o.* Miranda *tom. 2. man. quæst. 25. art. 22. & quæst 29. art. 4.* Tiraq. *de contract. lign. §. 1. gloss. 13. n. 38. & 39.* Rang. *in 1. reg. c. 8. vers. 11 tract. de regno, cap. 11. & 12.* Sayr. *in clau. reg. lib. 3. cap. 4. num. 3.* Suarez *lib. 3. de leg. cap. 35. & tom. 4. de relig. tract. 2. lib 2. c. 8. num. 18. & 19.* Salas *de leg disp. 14 sect. 2. & 3.* Valentia *tom 2. disp. 7. q. 5. part. 4* Regin. *in prax. lib. 13. à n. 168.* Azor. *1. part. lib. 5. cap 11. q. 1.* Filliuc. *tom. 2. tract. 21. cap. vlt. q. 10. num. 426.* Patrit. *lib. 8 de reg. tit. 6,* A S. Fausto *in thes. lib. 6. quæst. 120.* Contz. *lib. 1. pol. c. 20.*

2. Suppono 1. omnes superiores regulares, Generales, Prouinciales, Correctores teneri ad obseruandas regulas, quas sunt professi. Constat, quia ad id per votum professionis se obligarunt, & dicunt omnes cit.

3. Suppono 2. Generales teneri directè ad obseruandas constitutiones capituli Generalis; & Prouinciales teneri ad obseruantiam constitutionum capituli prouincialis; & Correctores capituli localis, & earum pœnas incurrere, transgrediantur, sicut cæteri fratres, licet ipsi in dictis capitulis cum aliis dictas constitutiones fecerint. Quia licet sint communitatis, seu capituli capita, sunt tamen ipsis capitulis congregatis inferiores, & subditi, & consequenter non minùs, quàm alij tenentur dicta statuta seruare. Neque possunt dici leg latores, licet ad leges, & statuta condenda conueniant, quia tales soli non sunt, nisi cum aliis. Ita Salas *loco cit. sect. 2. num. 9.* Azor *loco cit. verb. In hoc itaque,* Mald. *loco cit. col. 3. verb. Respondeo,* Vict. *loco cit.* Miranda, q 29 cit.

Rodriguez

Rodriq; *loco cit.* Medina *loco cit. vers. Ad hoc dubium*; *loco cit. concl. 1.* Vasquez *loco cit. cap. 1 num. 2.* Suarez 3. *de leg. cit. num. 1. & 4. de relig. cit. num. 18.*

4. Suppono 3. Superiores regulares teneri ad seruandos contractus initos cum suis subditis v. g. commutauit Prælatus vnum habitum pro tot libris cum suo subdito, dico, quòd tenetur stare prædicto contractui, nec potest in conscientia ab eo resilire sine consensu subditi, & quòd, acceptis libris, tenetur subdito dare habitum; lege enim naturali tenemur contractus, & pacta seruare; *cap. 1. de pact. l. 1. ff. eod* Ita Azor, Filiuc. Reg. *loco cit.* Bald. *cit. nu. 2.* Contz. *cit.* §. 5. Menoch. *cons. 1. num. 240.* Mol. *tract. 2. de iust. disp. 261. num. 9.* qui tenet, quòd Princeps etiam supremus tenetur obseruare contractus initos cum suis subditis, & quòd ad hoc remanet obligatus non tantum naturaliter sed etiam ciuiliter. Quam sententiam etiam tenet cum multis aliis Ægid. *par. 2. de contr. cap. 1. n. 2.* Tenetur etiam Prælatus seruare contractus initos à suo prædecessore, vt Menoch. *cons. 264. num. 15.* Ægid. cum multis *loc. cit. num. 3.* & habetur *in cap. 1. de probat.*

5. Suppono 4. Generalem, & Prouinciales in Ordine Minimorum posse cum consensu suorum Collegarum statuta in Religionis bonum condere, vt dixi *to. 1. huius op. q. 1. c. 8. §. 5. concl. 2. vers. Quòd autem Prælati; & tom. 1. priu. in const. Pyrrhi, num. 10.* & constat *ex nostr. const cap. Foroiul. 1. n 18.* Val. 4. *num* 60. quæ statuta tandiù durant, quandiù fuerint per subsequentem Prælatum de consilio, & assensu suorum Collegarum reuocata, & ibidem dicitur. Et Vrb. VIII anno 1. sui Pontificatus per suas literas, *Vt susceptam*, datas Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris *die 12. Ian. 1624.* concessit Reuerendissimo P. Ægidio Camart, nostri Ordinis Generali, vt posset, inhærendo Euangelicæ, & Apostolicæ doctrinæ, sacrorumque canonum, & conciliorum generalium decretis, & regularibus nostri Ordinis institutis, ordinationes, & statuta, etiam sub censuris perpetuò duratura condere, & ordinare. Circa quod indultum breuiter nota 1. quòd dicta statuta non poterat dictus Generalis facere, nisi cum consilio, & assensu Collegarum, quia sic disponunt nostræ constitutiones, quibus tenebatur inhærere 2. quòd dicta statuta etiam perpetua, per subsequentem Generalem, & suos Collegas poterant reuocari, propter eandem rationem 3. quòd illud fuit priuilegium personale, quod morte ipsius Generalis expirauit de his ergo statutis tàm perpetuis, quàm reuocandis ad libitum successorum, ac etiam de aliis præceptis, quæ fiunt à præfatis Superioribus etiam localibus secundum occurrentes occasiones quæritur, an obligent statuentes, & præcipientes, ita vt ea in conscientia obseruare teneantur. Non loquimur autem de constitutionibus concernentibus solùm gradum aliquem Religiosorum v. g. nouitiorum, aut Laicorum, sed loquimur de constitutionibus concernentibus omnem statum, & omnes gradus Religiosorum, & de constitutionibus, quæ communes omninò sunt tàm Superioribus, quàm subditis, ita vt nulla appareat ratio, quare potiùs subditi, quàm Prælati illis comprehendatur.

6. Dico 1. Prælatus tenetur obseruare leges, & constitutiones à se latas, quò ad vim tamen directiuam solùm, idest quatenus illa lex dirigit illum in id, quod facere tenetur secundùm dictamen rationis in conscientia, ita vt peccet eodem genere peccati, quo subditi, si transgrediatur. Ex D. Tho. 1. 2. *quæst. 96. ar. 5. ad 3.* & suorum discipulorum; Suarez *tom. 4 de relig tract. 1. lib. 2. cap. 8. num. 19.* Vasq. 1. 2. *disp. 167 cap. 3 nu. 17.* Couarr *in cap. Alma mater, par. 1. §. 1. n 7. vers Hac denique* M Giurba *cons. 1. num. 34.* vbi ferè innumeros DD. cit. & est communis omnium Theologorum, & Iurisperitorum, vt dicit Vasquez.

7. Probatur 1. *ex Scriptura sacra Matt. 23.* Christus reprehendit Pharisæos dicens. *Dicunt, & non faciunt, alligant enim onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere.* Et Matt. 7. & Lucæ 6. dicitur. *Quomodo dicis fratri tuo, Sine eyciam festucam de oculo tuo, & ecce trabs est in oculo tuo. Hypocrita eyce primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eycere festucam de oculo fratris tui.* Et ad Rom. 2. dicitur, *Qui alium doces, te ipsum non doces, qui prædicas non furandum, furaris, non mœchandum, mœcharis? Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis, qui iudicas, in quo enim alterum iudicas, te ipsum condemnas, eadem enim agis, quæ iudicas: existimas autem hoc, ô homo, qui iudicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei.*

8. 2. Probatur ex PP. Ambros. *apol. David. poster. cap. 3.* quæ est tom. 1. suor. operum. *Nec legibus Rex solutus est, sed, si peccat; leges suo exemplo soluit, an fieri potest, vt qui de aliis iudicat, sue ipse sit liber iudicio, & in se suscipiat, in quo alios astringat?* Et epistola 32. ad Valent. *Quod præscripsisti aliis, præscripsisti etiam tibi; leges enim Imperator fert, quam primus ipse custodiat.* Et in vita PP. lib. 5. cap. 10. ait Abbas Pastor, *Si quis docet aliquid, & non facit quod docet, similis est puteo, qui omnes ad se venientes satiat, & sordes delet, se ipsum purgare non potest, sed omnis spurcitia, & immunditia in eo est.* Et lact. de diu. institut, lib. 4. cap. 23. *Quicumque præcepta dat hominibus, ac vitam, moresq; fingit aliorum, quæro, debeat ne ipse facere, quæ præcipit, an non debeat? si non fecerit, soluta præcepta sunt; si enim bona sunt, quæ percipiuntur, si vitam hominum in optimo statu collocant, non se debet ipse præceptor à numero, cætuq; hominum segregare, inter quos habitat; & ipsi eodem modo viuendum est, quo docet esse viuendum, ne si aliter vixerit, ipse præceptis suis fidem detrahat, leuioremq; doctrinam suam faciat, si re ipsa resoluat, quod verbis nititur astruere. &c.* Quæ toto ille cap. prosequitur Lact.

9. 3. Probatur auctoritate Philosophorum Arist. 3. pol. cap. 7. *Prima verè illa quæstio manifestum facit, nihil adeò vt leges rectè positas, debere dominari illum autem, qui Respublicæ præest, siue vnus hic sit, siue plures, debere in his potestatem habere, in quibus leges expressè cauere non possunt, ex eo quia non facile sit generali sermone singulos casus comprehendere.* Ex quo loco collige quòd secundum mentem Arist. leges rectè positæ in Repub. debent dominari, non principes, & capita. Quod si casus accidat, de quo lex non disponat, tunc ad capita Reipublicæ recurrendum: si autem lex de illo disponat, secundùm illam, non secundùm principis voluntatem decidendus. Et Plato lib. 4. de leg. & refertur à Stob. serm. 42 *Patrum*, inquit, *illi ciuitati exitium video, in qua non lex magistratibus, sed legi magistratus præsunt: salutem verò illi, vbi lex seruientibus magistratibus dominatur* Et Plin. in paneg. *Non est princeps supra leges, sed leges supra Principem.* Et referente Rodig. lib. 8. cap. 1. col. 3. dicebat Bias, vnus ex 7. Græciæ Philosophis. *Eum verè Principem esse, qui patriis legibus, institutisq; subiecerit se primus.* Et Claud. in 4. cons. Honor.

In commune iube; si quid censesq; tenendum,
Primus iussa subi; tunc obseruantior æqui.
Fit populus, nec ferre vetat, cum viderit ipsum;
Auctorem parcere sibi, componitur orbis
Regis ad exemplum; nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quàm vita regentis;
Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

10. 4. Probatur ex iure canonico, & ciuili; *c. Cum omnes, de const.* Vbi dicitur, *Cum igitur quod quisque iuris in alterum statuit, ipse debeat eo vti, & sapientis* (Catonis) *dicat auctoritas. Patere legem, quam tu ipse tuleris.* Et cap. Iustum est, d. 9. dicitur, *Iustum est, Principem legibus obtemperare suis; tunc enim iura sua*

ab omnibus custodienda existimet, quando ipse illis reuerentiam prebet,&c. Ad id etiam faciunt cap. Non liceat Papæ 12.q.2. *cap.pro illorum*, §. *Quia verò, de preb.* ibi, *Cum legem nobis imponere non debeant quam ipsi negligunt obseruare.* cap. Iustitiæ, fin. 25.q.1.l.4. Cod. de leg. & const. vbi dicitur. *Digna vox maiestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri.* Idem habetur *in l.1.ff. Quod quisque iuris.* Ad id etiam faciunt *l. vult. Cod. de appell. & l. cum heredis, C. qui testam. fac. possunt, & instit. §. Quib. mod. testam. infirm. in fine l. ex imperfecto, Cod. de testam. l. cum multa, Cod. de bon. qualib.*

11. 5. Probatur ratione variè à DD. Suar. *loc. citate* existimat, teneri Generales, & Prouinciales suas ordinationes seruare, quia cum tali conditione implicita, vel explicita data est illis à Summo Pont. immediatè, vel mediante Religione, talis potestas ferendi leges, & ordinationes, scilicet vt ipsi ijs subijcerentur. Id autem deduci potest ex eo quod potestas condendi statuta datur Prælatis, non vtcumque sed solum ad condenda statuta in ædificationem, non in destructionem: sed si Prælatus statuta condita non seruaret, hoc cederet in destructionem, non in ædificationem; daretur enim causa murmurum, seditionum, litium, & perturbationum, & vnusquisque subditorum posset suo Prælato dicere: *Medice cura te ipsum.*

12. 6. Probat Vasq. *loc. cit. n.* 20. quia sicut ius naturæ præcipit, vt inferiores Superioribus obediant, vt dicitur *in c. Quæ contra mores dist.* 1. & sic se conforment cum suo capite; ita præcipit, vt Superiores leges proprias seruent; & sic se conforment cum suis membris: Turpis est enim pars, præsertim caput, si non congruat cum aliis partibus: & quod oneris tibi imponi non vis, id neque debes imponere aliis: & cum Superior aliquid præcipit subditis, id debet seriò, & efficaciter præcipere, vt ad obediendum subditi moueantur: non mouentur autem, si facta contrarientur verbis. Vnde *Matth.* 7. dicitur. *Omnia ergo quecumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis; hac est enim lex, & propheta*: idest, Si vultis, Superiores, vt vestri vobis pareant subditi, non ea illis imponatis onera, quæ vobis imponi reluctaremini, nam in hoc consistit summa omnium, quæ in lege Mosis, & Prophetarũ præcepta sunt.

13. 7. Probat Med. 1.2 *q.96. art.5.* nam leges humanæ ordinantur ad bonum commune, & vt efficiat ciues bonos, & studiosos, sed promouere bonum commune, & comparare sibi virtutem, non minus pertinet ad Superiorem, quam ad subditum.

14. Dico 2. Prælati regulares non tenentur seruare suas leges, neque præcepta quò ad vim coactiuam, idest quò ad pœnam, talibus legibus, & præceptis impositam. Ita omnes DD. citat. *num.* 1. Probatur, quia cum pœna sit coactio quædam, quæ prouenit ab extrinseco, nemo potest cogere se ipsum, nec in se ipsum iudicium condemnationis ferre, & vt ait Sot. *lib.* 1. *de iust. quæst. 6. art. 7. concl.* 3. non est intellectu possibile, vt vim quispiam sibi ipsi inferat, atque adeo se sua lege cogat. Ex dictis insurgunt aliquæ quæstiones breuiter hic expediendæ.

15. Quæres 1. an Generalis possit dispensare super statutis capituli generalis, & Prouincialis super statutis capituli prouincialis, & Corrector super statutis capituli localis. Negant posse dictos Superiores dispensare Cordon. *in Regula Min c.8. quæst.* 3. & Pol. *ibi n.* 17. quia sunt dictorum capitulorum inferiores, & inferior in superiorem auctoritatem non habet, *c. Inferior d.* 21. Sed cohærenter ad ea, quæ dixi *tom.* 1. *huius op. q.1. c.8.* §.5. *concl.* 3. dico, quod dicti Prælati possunt in dictis statutis dispensare, immò quòd prouincialis potest dispensare non solum super statutis capituli prouincialis, sed etiam super statutis capituli generalis; modò tamen adsit iusta, & vera causa, & statutum non auferat eis expressè potestatem: causas autem iustas dixi *ibi concl.* 4 esse septem: & aduerte generaliter, quòd illa causa solùm dicitur iusta, ad effectum vt possit super statuto dispensari, quæ respicit non priuatam, sed publicam vtilitatem, vt colligitur ex Diuo Thom. 1 2. *q. 97. art.* 4. & tradit clarè Trid. *sess. 25. c. de reform.* Si verò capitulum aufert auctoritatem dispensandi, clarum est, quod Superiores, qui sunt suis capitulis inferiores, in ijs dispensare non possunt. Facit *caput Nuper, de sent. excom.* Atque ita cum istis limitationibus posse dictos Prælatos in dictis statutis dispensare, docet Gloss. *in Clem. Ne Romani, de electione verb. dispensari.* Anton. 2. *par. tit. 17. c. vn §* 20. & colligitur ex D. Thom. *loco citato* quatenus ait, quòd rector multitudinis potest dispensare in legibus; Vide Sal. *de leg. disp. 20. sect. 3. num.* 12. qui *num.* 59. ait, quòd possunt dicti Prælati super præfatis statutis dispensare, etiamsi sint confirmata à Papa. Hinc collige, quòd, si potest Generalis dispensare in statutis capituli generalis, potest etiam dispensare eodem modo cum causa iusta in suis; quia legis obligatio ab eius ordinaria potestate dependet, vnde per eam auferri, & restringi potest. Sal. *loc. cit. num.* 16. Azor. *p.1. lib.5. c.15. quæst.* 2.

16. Quæres 2. an dicti Superiores possint prædicta statuta declarare. Respondetur quod declaratio est vnius verbi per aliud, & vnius sententiæ per aliam interpretatio. Sylu. *verb. Interpretatio, in princ.* Salas *de leg. disp. 21. sectio 1. num.* 1. Quotuplex sit interpretatio, & ad quem pertineat leges interpretari, dixi *tom.* 1. *huius op. quæst 4. c.8. vers. Priusquam proferam, & tom.1. priu. in const. 13. Iul. II. num. 2. & tom. 2. dict. priu in const.* 10. *Vrb. VIII. num.* 6. Ad quæstionem ergo dico, quod, si dubium sit super validitate, & subreptione legis, vel priuilegij, aut super verbis legis, tunc, si casus est clarus, & decisibilis de facili, potest Prælatus etiam inferior iuridicè, & obligatoriè declarare dicta statuta, quia in his rebus facillimis supponendum est de mente Superioris; alioqui enim difficile admodum esset introducere legum obseruantiam. Idem dic in casibus maximè dubiis; si non sit facilis ad legislatorem recursus; tunc enim possunt interpretari per rationem naturalem. Si verò dubitatur de intentione legem ferentis, & casus decidi non potest sine maximo dubio, ad legislatorem pertinet declaratio. Ita Rodrig *tom. 1. q. reg. q.* 11 *art.* 1. Salas *loc. cit. num. 5. sect.* 2. In his autem, quæ ad serenitatem conscientiarum subditorum pertinent, & stabilitatem monasteriorum, potest etiam Generalis, hoc vltimo casu priuilegia, & statuta declarare, per *const. 3. Iul. II. §. 1. tom 1. nostr. priu. & per priu. Sixti IV.* de quo *ibid. in const.* 10. *Clem VII. num.* 15. Mir. *tom 2. man. quæst. 29. art. 9* & Rodrig *tom. 1. q. reg q* 68. *art* 6. referunt ad hoc amplissimum priuilegium Martini V. & Eugenij IV.

17. Quæres 3. an Generalis posset dispensare super pœnis iustè impositis à prouinciali alicui Religioso, vel prouincialis superimpositis à Correctore: Respondetur non posse contra voluntatem Prouincialis, vel Correctoris, qui eas imposuerunt. Ita decisum est in Trid. *sess. 14. de refor.* c.1. & habetur *in c. Cum ab Ecclesiarum, de off. iud ord.* & docent Rodrig. *tom. 1. q. reg. q.* 22. *art.* 8. Mir *to. 1 man. q. 3. art. 15. concl.* 1. & rationem reddit Trid. nam tutius, & honestius est subdito, debitam Prælatis obedientiam impendendo, pœnas impositas exoluere, quam cum Prælatorum scandalo, & contemptu ab iis liberari. Verum postquam Prælatus, qui puniuit, suo fuerit officio functus, poterit Superior iusta de causa, absque licentia successoris, subditum liberare, vt limitat Rodriguez quia tunc ordinarij auctoritas non contemnitur. Limitat etiam Miranda in casu appellationis, vel quando pœna imposita esset euidenter iniusta. Atque idem etiam dic de alijs adhuc inferioribus Superioribus, vt Magistris Nouitiorum, & Clericorum, Regentibus studiorum, Lectoribus, &c. à pœnitentiis enim,

enim, quas dicti imponunt Nouitiis, & Clericis, & studentibus, non possunt Superiores eos liberare contra ipsorum voluntatem, nisi in casibus supradictis propter eandem rationem, quæ hic potiori iure militat; nam iuuenes, vt minus discreti ex hoc fiunt, audaciores, & insoleotiores, Magistros, & Lectores contemnunt in damnum bonorum morum, & literarum, quod resultat in Religionis maximum detrimentum; videntes enim Magistri, &c. (qui minus timorati Dei sunt) pœnitentias iuuenibus ab ipsis impositas, à Prælatis eis relaxari, linquunt eos in suo sensu viuere, & laxant disciplinæ habenas, dicentes. Si ita Superiores volunt, ita habeant. Vnde semper consului, vt Superiores pœnitentias à dictis Magistris, &c. impositas, nunquam remitterent, sine consensu imponentium.

18. Et nota, quod dictum decretum Concilij habet etiam locum in suspeosionibus, prohibitionibus, & priuationibus, tam temporaneis, quam perpetuis, & temporalem suspensionem, seu priuationem eam dici scias, vbi ex delicto occulto extraiudicialiter proceditur, vt v.g. si prouincialis ad suum beneplacitum suspendat aliquem à celebratione missarum, vel audientia confessionum, &c. vel Corrector ad suum beneplacitum prohibeat, ne quis e conueotu exeat, vel ad Ecclesiam accedat. Atque ita dicunt declarasse sacram Congregationem Concil. *anno* 1593. & quòd dicti Prælati possint in dictis casibus ob occulta delicta ita procedere, definit Trid. *sess.* 14. *de refor. cap.* 1.

19. Sed quid, si Prælatus superior, inscio inferiore, subditum à pœna liberet, liberabit ne validè? Glossa *in dicto cap. Cum ab Ecclesiarum, vers. Non relaxes,* Innoc. *ibi num.* 6. Ancharan. & Ioan. And. dicunt, quod dispensatio valet, sed quòd superior iniustè facit, & peccat, & quod potest puniri. Hug. Archid. & alij apud Anchar. *loco cit.* dicunt, quòd non valet, nam dicto *cap. Cum ab Ecclesiarum* id prohibetur expresè per verbum imperatiui modi. *Non relaxes*, nec alibi reperitur concessum. Limitat tamen Innoc. nisi aliter haberet consuetudo. Sed quidquid sit de hoc iure antiquo, certissimum est, per ius nouum Concilij dictam liberationem, seu dispensationem non valere; habet enim expresè. *Nulla restitutio contra ipsius Prælati voluntatem suffragetur.*

20. Quæres 4. an Prælatus v.g. Generalis teneatur obseruare consuetudine, & statuta laudabilia specialia alicuius prouinciæ, ad quam accedit, vel per quam transit. Suarez 3. *de leg. c.* 35. *num.* 14. Salas *de leg. disp.* 14. *sect.* 2. *num.* 23. dicunt, non teneri Principem obseruare consuetudines Prouinciæ particularis, nisi illa Prouincia esset propria ipsius habitatio. Et afferunt rationem, quia talia statuta lata sunt ab inferiori potestate, & ideò non habent vim obligandi eum, qui in eodem loco habet superiorem iurisdictionem, & hoc etiam si tales consuetudines, seu statuta fuerint per ipsum principem approbata: Qia cum non fuerint approbata pro tota sua iurisdictiooe, non est cur eapur obligare possint. Ita etiam Tiraq. *de retr. lign.* §. 1. *gloss.* 13. *n.* 38. qui tamen limitat *n.* 39. nisi statutum, vel consuetudo naturali ratione nitatur. Sed de Prælatis regularibus aliter dicendum est, nimirum Generalem teneri obseruare consuetudines, & statuta particularia prouinciæ, & per quam transit, vel quam visitat; & prouincialem statuta, & consuetudines conuentus suæ prouinciæ, per quem transit, vel quem visitat. Tum quia ipsa fraternitatis ratio id exigit, tum quia Superiores tenentur dare bonum exemplum subditis, & eos in virtutibus confouere, non in ijs tepefacere, quod contingeret, si Generalis laudabiles consuetudines non seruaret. Tum quia nullum statutum, aut consuetudo potest habere vim legis perpetuæ, nisi sit ab aliquo Generali approbata; vnde si est consuetudo legitima, debet esse ab aliquo approbata, & sic non poterit dici ab inferiori lata. Tum quia hospites in ordine nostro, & fortè etiam in alijs, sunt subditi illorum superiorum, in quorum conuentibus degunt, & ideo etiam tenentur seruare mores, & consuetudines illorum; vnde etiam Generales, & Prouinciales ratione hospitalitatis tenentur dicta statuta, & consuetudines seruare. Atque ita docet Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 1. *lib.* 2. *c.* 8. *n.* 24.

21. Et quòd hospites, etiam abstrahendo à particularibus Religionum statutis, teneantur seruare etiam in foro conscientiæ mores, & consuetudines conuentuum, per quos transeunt, docent gloss. *in cap.* 1. 3. *q.* 6. Suarez *loc cit. num.* 23. Rodriq. *tom* 1. *q. reg. q* 68. *art.* 4. Mir. *tom.* 2. *man. q.* 29. *art.* 6. Fagund. *in praecep.* 4. *eccl. lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 9. Mald. 1. 2. *q.* 96. *art.* 5. *de pereg. illat.* 1. vbi alios citat. Et fundatur *in cap. Quisquis rebus d.* 41. Ex quo colligitur quod quilibet se debet conformare moribus, etiam in alimentis (si alias prohibita illi speciali iure non sint) eorum, quibuscum viuit. Fundatur etiam *in cap. illa autem d.* 12. vbi postquam dictum est, alia esse statuta, & consuetudines vniuersales, & alias locales, & particulares, subditur. *Nec disciplina vlla est in his melior graui, prudentique Christiano, quam vt eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam ad quam fortè deuenerit.* Fundatur quoque *in cap. Quæ contra mores d.* 1 vbi ea ratio datur. Quia turpis est pars, quæ non congruit suo toti. Et fundari denique potest *in cap. Consilium, de obseru. ieiun. iuncta glossa ver. Consuetudinem* vbi statuitur, consuetudinem cuiusque regionis esse seruandam. In Ordine nostro de hoc puncto nulla est dubitatio per statutum *cap. Val.* 4. *num.* 47. Itaque tam Generales, quàm alij fratres peregrini, transeuntes per hunc conuentum Genuensem, in quo est consuetudo singulis diebus Veneris sumendi disciplinam in communi loco orationis, idest in choro superiore, tenentur dictam consuetudinem seruare, disciplinamque pariter cum aliis sumere, etiam supposito quòd in aliis conuentibus non fieret. Idem dic de ieiuniis, & aliis abstinentiis, & obseruantiis particularibus.

22. Ex his etiam collige, quòd ratione conformitatis tenentur Religiosi obseruare ieiunia, & festa particularia ciuitatum, & oppidorum, in quibus habent monasteria, vt aduertunt in specie Fagundez, *loco cit. num.* 3. Azor. *tom.* 1. *instit. mor. lib.* 7. *cap.* 19. *quæst.* 2. Similiter tenentur ratione conformitatis, & ne alios offendant, obseruare ieiunia, & festa speciali statuto ab Episcopo indicta, ne qui alijs exemplo præire debent, cum pusillorum scandalo retro maneant. Ita Azor. *loco cit ver. Quæres*; licet neget Fagund. *etiam cit. num.* 4.

23. Quæres 5. An Prælatus eo ipso, quòd facit contra legem, seu præceptum, à se impositum, censeatur illi derogare. Respondeo certum esse, posse legislatorem suam legem mutare, & omnino abrogare, & non solùm suam, sed sui antecessoris, illum in potestate non excedentis, vt D. Th. 1. 2. *q.* 97. *art.* 1. & 2. Vasq. 1. 2. *disput.* 178. *cap.* 1. *numer.* 3. Sayrus *in claui reg. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 13. *vers. Quantum verò.* Certum est etiam, non posse legislatorem semel, latam legem pro suo libito abrogare, sed ad id requiri iustam causam, nimirum quòd lex lata damnum potiùs afferat, quàm vtile, seu maius damnum potiùs afferat, quàm vtile: si enim lex vtilitatem afferat, non potest legislator, qui ex officio bono publico prospicere tenetur, eam sine culpa abrogare, si tamen abroget, etiamsi iniustè, validè abrogat, nec tenentur subditi eam ampliùs seruare, vt Vasq. *loco cit. num.* 3. & 4. Ad quæsitum dico, quòd, si Prælatus publicè non obseruat statutum, seu præceptum, à se impositum, v. g. præcepit, ne quis ciuitatem petat cum pileo, si ipse publicè cum pileo petat, & non appareat aliqua ratio, qua censeri possit, velle secum pro illa vice dispensare, dicendum est, quòd velit dictum præceptum abro-

gate, præſertim ſi ſtatutum non ſit vſquequaque vtile. Fundot *in l.1. ff. de conſt. Princ.* in qua dicitur, *Quod Principi placuit, legis habet vigorem.* Si autem Prælatus non publicè, ſed ſecretò, & apparet aliqua ratio, qua nolit derogare legi, ſed ſolùm ſecum pro illa vice diſpenſare; dico, quòd per illam vnicam tranſgreſſionem non derogat: ſi autem actus multiplicet, derogabit ſine dubio, à boue enim maiore ſemper diſcit arare minor, præſertim in Religionibus, in quibus Prælati debent eſſe forma gregis: & ſicut, Prælato ſciente, per aliquot actus contrarios lex excluditur, vt dicunt communiter DD. Gutier. *can. q. lib. 1. c. 8. numer. 3.* ita pari modo ipſo pluries contrafaciente. Et aduerte, quòd Prælatus contra faciens legi, ſeu legis tranſgreſſionem diſſimulans, ad hoc vt legi derogetur, debet eſſe ille idem, qui legem fecit, ſeu in pari dignitate cum illo conſtitutus (ſi lex non fuerit adhuc per longum vſum recepta) nam quantumvis inferior Prælatus diſſimulet legis tranſgreſſionem, nunquam tamen illi derogat, vt Sot. *lib. 1. de iuſt. q. 7. art. 2. paulò antè ad 1.*

24. Quæres 6. An Prælatus teneatur obſeruare ſuas leges irritantes, v.g. præcipit Prælatus, ne quis diſtrahat aliquid per venditionem, commutationem, & etiam inter fratres, ſub pœna nullitatis contractus ipſo facto, & amiſſionis rei, de qua contrahitur; emit deinde ipſe ab aliquo fratre habitum v. g. Quæritur, an contractus ſit nullus; & tam Prælatus, quàm ſubditus perdant, ille pecuniam, iſte habitum. Reſpondeo, contractum non eſſe nullum, nec res deperdi. Ita Saytus *in claui reg. lib 3. c. 4. n. 8. ver. Eodem modo,* Suarez *3. de leg. c. 35. n. 25.* Leſſius *lib. 2 de iuſt. c. 35. dub. 5. num. 32.* Salas *de leg. diſp. 14. ſect. 3. num. 32. & num. 35. fine.* Nam illa nullitas eſt purè pœnalis, & pœnæ ſuos legiſlatores non comprehendunt, vt dixi *num. 14.* & eo ipſo quòd Prælatus conſenſit, dictum fratrem ſecum ſic contrahere, cenſetur illum eximere à lege, quantum poteſt, Nec cedi poteſt, quòd velit ſubditum punire pro re, ad quam ipſe inuitauit, vel in qua conſenſit; ſic enim ſe ipſum condemnaret.

25. Quæres 7. An Prælatus mandans ſub pœna excommunicationis ipſo facto, quòd nullus v. g. aleis ludat, ſi ipſe ludat, incidat in dictam excommunicationem. Reſpondeo, dictum Prælatum peccare mortaliter, vt conſtat ex dictis *a num. 6.* excommunicationem tamen non incurrit, vt conſtat ex *dictis n. 14.* Atque ita in ſpecie docent Couarr. *in cap. Alma mater, part. 1. §. 1. n. 5.* Mald. *1. 2. queſt. 96. art. 5. col. 3. verſ. Vt verò* Salas *loco cit. n. 32. & 33.* Saytus *loco cit. n. 5. ver. Hinc etiam eſt.* A S. Fauſto *in theſ. lib. 6. q. 120. n. 2.* Nec etiam incurrit dictam excommunicationem, qui cum eo ludit, eo enim ipſo quòd Prælatus illum ad ludendum inuitat, vel admittit, cenſetur eum eo diſpenſare. Ita Leſſius *loc. cit.* Salas etiam cit. *n. 34.* licet Saytus *loco cit. n. 6.* & alij apud ipſum contrarium ſentiant. Idem dic, quòd ſi Prælatus iubeat alicui ſuo Vicario, vt excommunicet omnes lineas camiſias deferentes, ſi dictus Vicarius camiſias deferat, non tenetur ſe ipſum excommunicare. Ita Saytus *loco cit. n. 8.* Salas *n. 35.* Nam non poteſt idem eſſe agens, & patiens, vt docet Ariſt. *3. phyſ. c. 8 & lib. 8 c. 4. tex. 40* & habetur *in l. Illum à quo, §. Tempeſtiuum, ff. Ad Trebell.* Item non incurrit excommunicationem latam contra ſcientes, & non reuelantes aliquod delictum, ille met, qui delictum commiſit. Ita iidem DD. Et conſtat, quia nemo tenetur ſe ipſum prodere, *c. Cum non deceat de elect. in 6.* & vitæ ſuæ quiſque debet conſulere, *l. Vt vim, ff. de iuſt. & iur.* & excommunicatio eſt gladius ſpiritualis, *c. Dilecto, de ſent. excom.* quo vtitur Eccleſia ad maiores, quas poteſt, pœnas infligendas, *c. Corripiantur, 24. q. 3.* licet ex fine ſit medicinalis, *c. Cum medicinalis, de ſent. exc. in 6.*

QVÆSTIO II.

DE HIS, QVÆ PERTINENT AD CONSTITVENDVM Prælatum in eſſe veri, & legitimi Prælati.



GGREDIOR 2. quæſt. de Prælato; in quo ex ſacris Can. *cap. Cum in cunctis, de elect. cap. Licet canon. de elect. in 6.* requiritur in primis ætatis maturitas, grauitas morum, literarum ſcientia, & quòd ſit de legitimo matrimonio natus; & *in cap. Innotuit, eod. tit.* requiritur literarum ſcientia, morum honeſtas, vitæ virtus, & fama perſonæ; & *in cap. Viliſſimus, 1. quæſt. 1.* requiritur ſcientia, & ſanctitas, & *in cap. Si conſtitutis, el 1. de appell. & in cap. Si celebret, de cler. exc. celebr.* excommunicatus eligi prohibetur, & ſimiliter ſuſpenſus, & interdictus, aut irregularis, *cap. 1. de poſtul. præl.* quæ omnia renouantur, & confirmantur in Concil. Trid. *ſeſſ. 7. de reform. cap. 1 ſeſſ. 24. cap. 12. & ſeſſ. 22. cap. 2. eod. tit.* Ex quibus colligitur, quòd duæ conditiones requiruntur ad conſtituendum Prælatum in eſſe Prælati. 1. quòd ſit dignus; 2. quòd ſit habilis. Dignitas requiritur de iure naturali, quod dictat, indigno non eſſe conferendas Prælaturas; & indignus eſt, qui ſuo muneri ſatisfacere non poteſt. Habilitas requiritur de iure Eccleſiaſtico, quo vetatur, vt inhabili ſecundum leges Eccleſiæ, etiam aliàs digno, Prælatura non conferatur. De his itaque, quæ ſunt neceſſaria ad reddendum noſtrum Prælatum dignum, & habilem, hic nobis agendum eſt. Et quia ætas idonea ad exercendum munus iniunctum, videtur eſſe primo iure naturæ requiſita, ideo de illa priùs agendum eſt.

CAPVT

CAPVT I.

Quæ ætas requiratur in eo, qui ad Prælaturas regulares assumendus est.

1. Videatur Plut. *opusc. An seni sit ger.* Resp. Alb. Trott. *de perf. cler. lib. 2. par. 1. requis. 13. num. 44.* Galliel. Bened. *in cap. Raynut. par. 1. § Adiecta impuberi, à numer. 5.* Penna *in l. Tyrones, Cod. de Tyron. lib. 12. col. 7.* Sylu. *ver. Ætas, q. 1. à dicto 4. & ver. Beneficium, 3. q. 1. num. 2.* Aug. *eod. §. 4.* Maiol. *de irreg. lib. 1. cap. 30.* Nau. *in man. cap. 25. n. 116. & miscell. 97. de or. tom 4.* Rodrig. *tom. 3. q. reg. q. 34. art. 2.* Salon 2. 2. *q. 63. art. 2. contr. 1.* Rang *in 1. Reg. cap. 12. vers. 2. tit. De præpost. quor. sen. amb.* Suarez *tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. c. 3. num. 7.* P. Gregor. *synt. iur. lib. 47. cap. 9. num. 16.* Garc. *de benef. par. 7. c. 4.* Reginald. *in prax. lib. 30. tract. 3. num. 163.* Sigism. *de elect. dub. 62.* Menoch. *de arb. lib. 2. cas. 427.* Azor. *part. 2. lib. 6. cap. 5. à q. 1.* Miranda *tom. 2. man. q. 3. art. 1. & q. 5. art. 1.* Lessius *lib. 2. de iust. cap. 34. dub. 20.* Vasq. *opusc. de benef. c. 3. §. 2. dub. 1. à n. 14.* Henriq. *lib. 10. c. 19. §. 3.* Campan. *in divers. iur. rubr. 7. cap. 6.* Castell. *de elect. cap. 11. num. 8.* Sarton. *in cane Reip. reg. consid. 52.* Maluet. *disc. 19. in Tac. Lor. ad c. 4. Num. ver. 3.*

2. Noto 1. quòd hominis ætates variè à variis distinguuntur, pro qua distinctione videri potest Philo *de mundi opif. pag. mihi* 18. vbi recitat aliquos versus Solonis, varias hominum ætates describentes. A. Gell. *lib. 10. cap. 28.* P. Greg. *in præl. opt. magist. lib. 4. cap. 13.* Bus. *de stat. ætatis hum. c. 1.* Optimè Rang. *in 1. Reg. cap. 3. ver. 1.* tres tantum constituit secundùm sacram Scripturam hominum ætates 1. quæ pueritia vocatur, vsque ad annum 25. excurrit 2. quæ virilitas dicitur, ab anno 25. ad 50. Tertia, quæ dicitur senectus, à 50. vsque ad finem. In 1. homo eruditur scientiis, & artibus pro toto vitæ cursu necessariis. In 2. se in illis exercet. In 3. & in aliis erudiendis studium, & operam collocat. A primo ortu vsque ad annum 25. vel circiter, crescit hominis natura. Ab eo anno vsque ad 35. persistit, firmat radices, incrementum, neque decrementum recipit; ab anno 35. vsque ad 50. incipit decrescere, & deteriorare, sed ita paulatim, vt vix cerni possit virium defectus, ab anno 50. vsque ad finem sensibiliter videtur virium diminutio, & subiecti sentitur destructio.

3. Noto 2. quòd in maximo semper fuit honore senilis ætas, & maxima ei concessa fuere semper priuilegia, & quinquaginta enumerat, & illustrat Tiraq. *in præf. de iur prim. à num. 79.* ex quibus hic aliqua referre non grauabor, vt nostri iuuenes, quo suos senes honore venerari debeant, non ignorent. *I. igitur, Seniores sunt præ cæteris honorandi, cap. His igitur, d. 23. c. Anteriorum, §. Illud, 2. q 6.* & Iuuen. sat. 13.

Magna fuit quondam capitis reuerentia cani,
Inque suo pretio ruga senilis erat.

II. In dubio semper præsumitur seniores esse prudentiores, iuxta illud Iob. 12. *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.* Et *cap. 1. de renunt.* dicitur, quòd plus valet vmbra senis, quàm arma iuuenis, vt ibi colligit Bald. & Innoc. Et Hier. Ad Nep. *Senectus ætate fit doctior, vsu tritior, processu temporis sapientior.* Et Tull. de sen. *Temeritas est florescentis ætatis, prudentia senectutis.* III. In consiliis quærendis, causisque dubiis decidendis antiquiores iunioribus præferuntur, *cap. De quibus, d. 20.* vnde Eurip. apud Stob. serm. 114.

O filij, manus quidem iuueniles ad agendum robustæ sunt,
Seniorum autem sententiæ præstant.
Tempus enim multam, & variam doctrinam parit.

Et tria, dixit Tull. vt refert Bened. *loc. cit. num. 69.* Romanam Rempublicam euerterunt, *Amor*, scilicet proprij commodi, *occultum odium, & iuuenile consilium.* Vnde magnus ille Macedo militibus suis senio quasi confectis, & vt florida iuuentute militiam renouaret exhortantibus, respondit. *Malo eligere senum grauitatem prouisam, quàm iuuenum velocitatem incautam.* IV. Maior est seniorum auctoritas, cæteris paribus, *c. Anteriorum, §. Illud, 2. q. 6. c. Domino sancto, d. 50. fine.* Ouid 1. metam.

Saxa (quis hoc credat, nisi sit pro teste vetustas)
Ponere duritiem capere.

V. Quò quis est senior, eò prior inscribi debet, cum multorum nomina inscribuntur; & similiter debet ante alios subscribere in instrumentis, conciliis, &c Gloss. *in cap. Statuimus, d. 61.* & in dicendis sententiis præferuntur, Eccles. 32. *Loquere maior natu, decet enim te primum.* Et Tull. in Cat. *Multa sunt in nostro collegio præclara, sed hoc de quo agimus, in primis, quod vt quisque ætate antecellit, ita sententiæ principatum tenet.* Notat autem hic Tiraq. *loc. cit. num. 114.* quòd quando in iudicio adsunt plures aduocati, debent iuniores priùs proponere, & seniores vltimò, vt horum rationes meliùs iudex recordetur; nam quæ vltimò audiuntur, meliùs memoriæ commendantur, per tex. *in cap. Liquidò, de consecr. d. 2.* vbi glossa. VI. Seniores primo loco sedere debent, *cap. Placuit, d. 18.* gloss. *in cap. Statuimus, dist. 61.* intellige, si primus locus sit nobilior, alioquin semper dandus senioribus nobilior locus secundùm communem existimationem, siue ille sit primus, siue vltimus, siue medius. VII. Qui antiquior est in collegio, si Præses desit, poterit conuocare collegium secundùm Innoc. & Panorm. *in cap. 1. de maior. & obed.* Ex quo solues illam quæst. quæ potest fieri ad *num 95.* nostri Correct. Quid si per malitiam Prouincialis, vel Generalis, qui sunt præsidentes capitulorum, se à capitulo absentent, nec Vicarium instituant. Dico, quòd alij capitulantes celebrabunt capitula, & in capitulo generali præsidebit antiquior Prouincialis, & in cap. prouinciali antiquior Corrector, arg. etiam *c. Volumus, d. 89.* vbi gloss. *ver. Clerus*, Archid. & Turrec. plura Tiraq. *loc. cit. num. 119.* VIII. Seniores præferendi sunt iunioribus in legationibus; sic 2. Machab. 6. *Misit Rex senem quendam Antiochenum, qui, &c.* Et Genes. 24. Abraham seniorem seruum domus suæ mittit quærere sponsam filio suo. Et *n. 22.* Balaac Rex Moab misit seniores legatos ad Balaam. Vnde collige, quòd Commissi mittendi ex Prouinciis ad capitula generalia, debent esse ex senioribus Prouinciæ. Item vbi vnus pro multis loquitur, ille debet esse senior ex illis, vt Tiraquel. *loc. cit. n. 124.* Item seniori fratrum debet pater clauem, & annulum custodiæ tradere; Tiraq. *n. 137.* Ex quo collige, quòd bene prouisum est in nostro Ordine, vt sigilli, mortuo Generali, apud seniorem Collegam remaneant. IX. Senior potest iuniorem castigare, & corrigere; similiter frater maior nato, fratrem minorem natu, si inueniat eum aliquid inordinatè facientem; per tex. *in l. 1. Cod. de emend. prof.* Et senior, qui iuniorem coram se peccantem non reprehendit, perinde est, ac si ipse peccasset, & iuniores, qui obiurgari molestè ferunt, magna ignominia affici debent, auctore Plutar. *in Lycurg.* qui *in apoph.* ait, quòd iunior à seniore correctus, si apud patrem quæratur, turpè est patri, nisi denuò iuniorem corrigat, & castiget. Plura Tiraq. *n. 141.* Ex quo collige, quòd iuniores religiosi non debent molestè ferre, si corrigantur, & reprehendantur à senioribus, etiamsi dicti seniores Superiores non sint, & quòd id tenentur seniores facere in conscientia, & quòd, si dicti seniores nolint punire iuniores coram ipsis peccantes, quia fortè

non sit in vsu, tenentur tamen in conscientia Superiorem monere. Item, quòd, si dicti iuniores conquerantur apud Superiorem, se asperè fuisse à senioribus reprehensos, debent dicti Superiores eos acriùs,& asperiùs corrigere, & punire. Item, quòd, quando sunt duo fratres carnales in vno conuentu, potest maior natu minorem reprehendere, castigare, & etiam verberare, cum videt eum aliquid mali facere, absque metu incurrendi in excommunicationem; punit enim ad correctionem, per ius, quod habet supra minorem, illi à natura tributum, nisi fortè id esset specialiter in illa Religione probibitum, vel non esset in vsu. Vide Tiraq. *num.* 143. *&* 144. X. In eleemosynis distribuendis seniores iunioribus præferuntur; *cap. Consideranda est*, *d.* 86. Pen. *in l. Tyrones*, *col.* 1. *Cod. de tyron. lib.* 12. qui ad id citat *cap. Non satis*, *d.* 86. Archid. *in cap. Domino sancto*, *d.* 50. *&* *in c. Tanta*, *d.* 86. Ex quo collige, quod pitantia in refectorio priùs debet sumi à senioribus, quàm à iunioribus, & quòd, si aliquid distribuendum est vltra pitantiam, à senioribus incipiendum est (si aliter non habeat constitutio, vel consuetudo Religionis) & licèt non sufficiat pro omnibus, à senioribus tamen incipiendum est; sicut enim debent esse primi in omnibus eundi ad chorum, Missas celebrandi, communitatem sequendi, ita rationabile est, vt sint primi in recipiendis eleemosynis. XI. Testes seniores iunioribus præferuntur; *c. Quoties*, *c. Licet ex quadam, de test.* Pet. *loc. cit.* Tiraq. *num.* 548. Nisi iuniores sint in dignitate constituti, *c. Statuimus*, *de maior. & obed.* Gloss. *in c. vlt. ver. Antiquiores*, *de consuet. in* 6. XII. Seniores periti præferuntur iunioribus in dando consilio de arte sua, Tiraquel. *numer.* 155. similiter in corrigendis libris, *c. Vt veterum*, *d.* 9. Arch. *in c. Domino sancto*, *d.* 50. Item in literarum diuinarum interpretatione, *c. De quibus*, *d.* 20. *c. Relatum*, *d.* 37. Item, quando iubetur fieri aliquid cum aliorum consilio, & consensu, neminem exprimendo, is consensus a senioribus requirendus est; *c. Factus*, 7. *q.* 1. XIII. Seniores mitiùs puniuntur in eodem genere delicti, *c. Tanta*, *d.* 86. vbi Archid. *& c. Tanta*, 1. *q.* 7. *& c. Tempore*, 16. *q.* 7. XIV. Dicta seniorum custodienda sunt, *c. Ita Dominus*, *d.* 19. Eccles. 8. *Non te prætereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt à patribus suis.* Et etiam seniorum mores custodiendi, *c. Ridiculum*, *d.* 12. Glossa *in c. Quarto. ver. Antiquitas, de transl. præl.* Archid. *in c. Domino sancto*, *d.* 50. & facit illud, Enn.

Moribus antiquis res stat Romana, virisque.

Et illud Periand. Corin. *Moribus quidem antiquis vtere, cibis vero recentibus.* Et illud Phauorini Philosophi, *Viue moribus præteritis, loquere verbis præsentibus.* Et senioris cuiusdam ea mea Religione dictum: *Muscati sunt mores antiqui.* XV. Seniores excusantur à longis itineribus, cæterisque necessariò obeundis, *c. Magnæ, ver. Verùm ætatis*, *de voto*; *c. Quamuis*, *de sent. excomm. c. Placuit*, *el* 2. *d.* 18. vbi excusantur Episcopi, ne personaliter ad synodum accedant propter ætatem, vel ægritudinem, vel aliam grauiorem necessitatem. Vnde patet, quòd triplici ex causa possunt excusari Prouinciales, ne accedant ad capitula generalia. 1. est senectus. 2. grauis ægritudo; non enim sufficit leuis febricula, vel vetus quartana, sed debet esse grauis infirmitas, & periculosa, vt dicitur *in cap. Si quis Episcoporum*, *d.* 18. 3. est grauis alia necessitas, vt si detineatur propter bonum publicum Reipublicæ, vel Religionis, quod non possit æquè bene compleri per alium, vt *in cap Si quis Episcopus*, *d.* 18. Hæc, & alia multa, quæ prosequitur Tiraq. conceduntur senioribus, in quorum gratiam non pigebit referre vnam sententiam, desumptam ex Hebræorum fontibus, quam refert P. Gregor. *lib.* 47. *synt. c.* 9. *num.* 22. explicans enim auctor ille illud prouerbium. Senex in domo signum bonum est, ait, *Quicumque honorat senes, perinde est, ac si honoret Deum sanctum benedictum: nisi enim senes essent, mundus non consisteret. Vnde si dixerint tibi senes, Destrue domum tuam, & fac ex ea sterecorium, destrue consilio senum, Si vero iuuenes tibi dixerint, Fac vt loco stercorarij istius domus extruatur, contemne eos, nec acquiesce consilio eorum; destructio enim senum est ædificatio, & ædificatio iuuenum est destructio.* Et addit, mundum durare propter senes, & omnis prouincia, in qua non est senex, digna est, vt deuastetur. Et vbi videmus in ciuitate senes perire, est præsagium mali, quod illi est euenturum, & affert exemplum Sodomæ, quæ, quamdiu Loth in ea fuit, stetit; vbi recessit, consumpta est, *Gen.* 19. Item suspensa est vindicta totius orbis in diluuio, donec abiret Mathusalem. *Gen.* 7. Et in summa omnis, qui acquiescit consilio senum, liberatur ab omni tribulatione. Et verum est prouerbium nostrum Genuense, *Væ sine sene domui.* Vide Stob. *ser.* 516.

4. Aduerte autem, quòd dicta debent intelligi de senioribus probis, prudentibus, sapientibus, exemplaribus, vt dixi *tom.* 2. *nostr. priu. const.* 6. *Pauls V. à n.* 3. & habetur *in c. Paulus dicit*, 2. *q.* 8. Nam alioqui senes scandalosi, improbi, leues, maligni, asperi, rixosi, viperini, suspicaces, auari, queruli, magis vtilitatem propriam, quàm communitatis spectantes, vt ait Ar. 2. *Reth. cap.* 14. qui quò magis senescunt, eo peiores fiunt, vt de Tiber. narrat Tac. 6. ann. dicens. *In scelera simul, ac dedecora prorupit, postquam remoto pudore & metu sua tantùm ingenio vtebatur.* Hi non solum venerandi non sunt, sed potiùs contemnendi, reprehendendi, & castigandi à iuuenibus, vt fecit Dan. *c.* 13. & Christus seuerè recepit seniores illos, qui interrogabant, qua potestate hæc facis? *Matth.* 21. *Marci* 11. *& Lucæ* 20. Nec proptereà fit illis iniuria, per tex. *in l. Potioris*, *Cod. de off. rect. Prou.* Sed hæc reprehensio in canitiei honorem facienda videtur (nisi obstet senum impudentia) cum aliqua reuerentia, per tex. *in c. Neque*, *d.* 9. ibi, *Salua honorificentia.* Quòd si volueris senes vituperare, lege Stob. *serm.* 115. & Ægid. *de reg. lib.* 1. *part.* 4. *c.* 3. Ar. 2. *reth. c.* 3. & qui dicantur verè senes, vide apud Rang. *in* 1. *Reg. cap.* 2. *vers.* 16. *pag. mihi* 338.

5. Aduerte etiam, quòd interdum iuniores vincunt seniores consilio, & ante pilos venit velox quandoque prudentia, quæ ætatem supplet, *c. De illo*, *el* 2. *c. Tua nobis*, *de spons. impub. c.* 1. *&* 2. *eod. tit. in* 6. *& in* §. *Planè, auth. de monach.* dicitur, non esse omnino honorandum tempus; Ex quo colligunt Iuristæ, quòd Doctores iuuenes doctiores debent omnino præferri senioribus. Et Plaut. in trinum. *Non ætate, verùm ingenio adipiscitur sapientia.* Ad quod fortè respexit ille senior è nostris, qui dicebat, *Ætatem dormiendo acquiri, sapientiam maximè vigilando.* Et fortè etiam ille, qui dixit, *Canities, & brutis animalibus non denegatur, sapientia solis hominibus conceditur.* Et Quinol. lib. 2. in princ. *Non id est æstimandum, cuius quisque sit ætatis, sed quantum in studiis iam effecerit.* Et Hier. ad Paul. *Nolo frater charissime, annorum æstimare nos numero, nec canos sapientiam reputare, Salomone testante, Cani hominis prudentia eius.* Et Ignat. ep. 6. ad Magnes, *Adolescentia non est contemnenda, quoties Deo dedita, consecrataque fuerit: verùm is contemnendus est, qui prauo est animo tametsi malorum dierum tempore plenus sit.* Et Iob. 32. dicitur, *Sperabam, quòd ætas prolixior loqueretur, & annorum multitudo doceret sapientiam, sed, vt video, spiritus est in hominibus, & inspiratio omnipotentis dat intelligentiam.* Et Paul. 1. ad Tim. 4. *Nemo*, ait, *adolescentiam tuam contemnat.* Ad quem locum cit. Chrysostom. *Si ætatis defectum indolis magnitudine, morumque maturitate suppleueris, nullus te adolescentiæ causa contemnet,*

contemnet, sed admirabitur magis. Et Ouid. 1. de ar. aman.

Parcite natales timidi numerare Deorum;
Cæsaribus virtus contigit ante diem.
Ingenium cæleste suis velocius annis
Surgit, & ignaua fert mala damna mora.

Et Virg. 9. Æneid.

Ante annos animumque gerens, curamque virilem.

Hoc casu non debet seniores desiderati sequi sententiã iuniorum, vt dicitur *in c. Si habes,* 14. q. 5. *& c. vlt. d.* c. 8. scientes, quòd non fit iniuria maiori, si à minore melius dicatur *in iure, l. Posiores, Cod. de off. Rect. prou.* Gulliel. Bened. *in c. Raynutius,* 6. *Adiecta impuberi, n.* 36. scientia enim est donum Dei, quod dispensatur pro voluntate, & gratia largitoris; vnde aliqui plus discunt in vno anno, quam alij in tribus.

6. Vnde collige, quòd licèt prætendant seniores omnes sibi dignitates deberi, non est tamen verum; nam iuniores sunt quandoque illis anteponendi. Et in tantum, quòd dicit Gulliel. Bened. *cit. num.* 18. *&* 20. quòd propter excellentiam, & prudentiam iunioris, posset recedi à statuto, in quo decerneretur, quòd non nisi seniores admitterentur ad dignitates. Quod facit pro Magistris nouitiorum, quę, considerata qualitate personæ, prudentia, &c. poterunt eligi, etiamsi 35. annum requisitum à Papa non habeant. Immò potest afferri ratio, quare potiùs iuuenes, quàm senes sint ad regendum apti; sunt enim isti imbecilliores, & timidiores ob defectum natiui caloris, quare sibi potiùs, quàm aliis, debent attendere: iuuenes autem sunt robustiores, & audaciores; vnde omnibus attendere, omnia gerere, vbique esse possunt. Quod videtur voluisse Samuël iuxta egregiam expositionem Rang. cum dixit 1. Reg. 12. *Ego autem senui, & incanui.* Quasi diceret, ait Rang. *Non sum deinceps subeundis laboribus idoneus, nec est, cur vltra spei quidquam, aut prosidij in sene tot curis, & annmis confecto ponere debeatis. Hactenus vobis vixi, & vestris commodis totus inseruini; nunc mihi denique, quod superest ætatis, viuendum est.* Adde, quòd seniores communiter sunt ambitiosiores, quàm iuuenes, ij præsertim qui aliquando Prælaturarum amatam dulcedinem gustauere; quod proueniet ex afflictione: & quia, eum se senes videant, despectum se iri putant, nisi aliqua Prælatura fungantur, vnde omnia faciunt, vt se in Prælaturis conseruent. (Licet etiam, vt verum fateat, id etiam præstet quorundam Prælatorum iuuenum insolentia, qui eos non tractant, vt decet) Sunt etiam senes communiter auari, & multum de se præsumentes, auxilia quærunt semper, non consilia, se omnibus consilia posse dare credentes; fidunt etiam multum ætati; vnde Solon Atheniensium legislator, cum ex eo aliquando Pisistratus quæreret, qua tandem spe fretus, sibi tam audacter obsisteret; *Senectute*, respondit: auctore Tull. *in lib. de senect.* Iuuenes è contra non sunt tam radicati in ambitione, vtpote qui nondum gustauere, tempus superesse confidunt, non sunt tam auari, immò liberales, quòd innerali naturæ conuenit, considisque suum acquiescunt: &, vt ait Art. *2. reth. c.* 12. sunt bonis moribus prædiri, creduli, spe bona pleni, non sunt auari, &c. Quare fateor, quòd, si sint aliquantò moderati in irascibili, & concupiscibili, & prudentia non careant, meliùs regunt, quam senes præsertim vbi regimina sunt temporalia, student enim bene se gerere in primis Prælaturis, vt deinde faciliùs in dies alias assequantur. Vnde Chrysost. *in cap.* 4. *Isa.* ad illa verba, *Et dabo pueros Principes eorum,* ait, *Contingit enim iuuenes esse cordatos, & prudentes; contra videre licet, qui vna cum stoliditate, ac deliciis consenuerint. Nam; & Timotheus iuuenis erat, is tamen Ecclesias innumeras, qui senio incanuerant, sapientius moderatus est. Salomon quoque annos natus duodecim, diserte cum Deo sermocinabatur.* Et paucis interpositis, *& is iam senio confectus multum detraxit de pristina virtute. Sed huius etiam patet beatus ille Dauid graue illud commisit peccatum, non puer quidem, & adolescentulus, verum eam supergressus ætatem peccauit: qui, cum aliquis pusio adhuc esset, admirabile illud trophæum erexit, barbaro illo in terram deiecto, &c.* Quæ eleganter prosequitur ibi Chrysost. exemplis Ieremiæ, Danielis, Iosiæ; Ioseph. Quòd verò Dauid senex esset, quando peccatum cum Bersabea commisit, dicit Scriptura 3. *Reg.* 1. Et de Salom. ibid. dicitur cap. 11. *Cumque iam esset senex, deprauatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur Deos alienos.* Ad quem locum dicit Cai. *Quamuis mulieres iunctæ fuerint Salomoni iuueni, non tamen diuerterunt in iuuentute ad cultum Deorum, sed in senectute paulatim emollitus est animus eius, crescente amore deficiente virtute.* Et quia vbique sunt angustiæ, communiter qui sunt ætatis mediæ, seu consistentis, idest ab anno 35. ad 50. sunt ad regimen optiores; habent enim quidquid est laudabilitatis in senibus, & in iuuenibus, vt prosequitur Ar. *2. reth. c.* 14. & Ægid. *de regim. lib.* 1. *p.* 4. *c.* 4. Cæteris expectare, & quiescere deberent.

7. Dico 1. decet Prælatum ad maiorem Prælatiam eligendum, in minori prius fuisse exercitatum. Ita Marq. *lib.* 1. *sui guber. christ. c.* 9. Cassan. *in catal. glor. mun. par.* 1. *consi.* 9. Pen. *in l. Nulli, Cod. de num col. c.* & *in l. Tyrones, col.* 8. *Cod. de tyron. eod lib.* Maiol. *lib. c. de irreg. c.* 31. *n. c. &* 2. & dixi *tom. 2. nostr. prin. in const. 2. Clem. VIII. num.* 5.

8. Probatur 1. ratione D. Thom. 2. 2. *q.* 1. *art.* 7. *ad* 3. desumpta à modo procedendi naturæ secundùm quam nemo repente fit magnus, sed parua gradatim crescunt. Vnde Quintil. lib. 10. cap. 3. ait. *Nihil rerum ipsa natura voluit magnum effici cito, præposuitque pulcherrimo cuique operi difficultatem; qua nascendi quoque hanc fecit legem, vt maiora animalia diutius visceribus parentum continerentur.*

9. 2. Probatur ex iure tum canonico, tum ciuili, *c. vlt. de elec. per sals prom. c. Qui Ecclesiasticis, d.* 59. dicitur, *Qui Ecclesiasticis disciplinis per ordinem non est imbutus, nec temporum approbatione diuinis stipendiis eruditus, nequaquam ad summum sacerdotium Ecclesiæ aspirare, vel præsumere debet.* Idem habetur in *c. Si officia d. Hoc ad nos, c. Ordinatos, dist. ead. c. Sicut, d.* 48. *c. Sacerdotale, c. in Sacerdotibus, c. Non negamus, c. Miramur, c. Misernus, c. Statuimus, c. Quid proderit, d.* 61. Idem colligitur ex Trid. *sess.* 23. *de reform. c.* 11. Habetur in *l. Nemo excepta, Cod. de aduoc. diu. iud. l. vt gradatim ff. de muner. & honor.* vbi dicitur, *Vt gradatim honores deferantur, & vt à minoribus ad maiores perueniatur, epistola D. Pij ad Titianum exprimitur.* Et in *l. Honor, §. gerendorum, ff. eod.* dicitur, *Gradatim honorum non promiscua facultas, sed ordo certus huic rei adhibitus est; nam neque prius maiorem magistratum quisquam, nisi minorem susceperit, gerere potest.*

10. 3. Probatur ratione. Quia alios docere nescit, qui nondum ipse didicit. dist. 48. in princ. Arist. 3. pol. cap. 3. *Quamobrem rectè dicitur, neminem bene imperare posse, qui non prius sub imperio fuerit.* Miserum enim est, eum fieri Magistrũ, qui nec dum didicit esse discipulus. Vnde omnino sequatur necesse est, quòd totius familiæ status, & ordo nutet, quando quod requiritur in corpore, non inuenitur in capite, vt dicitur *cap. Miramur, d.* 61. Et præmaturi honores solent homines in superbiam euehere; vnde Apostol. 1. *ad Tim.* 3. prohibet neophytos, iam nouellos ordinari, *ne in superbiam elati, in laqueum incidant diaboli.*

11. 4. Probatur auctoritate PP. & Philosophorum Greg. lib. 7. regist. ep. 112. *Ordinatè ad ordines ascendendum est; nam casum appetit, qui ad summa loci fastigia, post postis gradibus, per abrupta quærit ascensum.* Naz. or. 20. num. 48. *Nauticam,* ait, *legem laudo, quæ gubernatori futuro primum remos tradit, dein ad ad pro-ram*

ram eum collocat, sicque prioribus muneribus ipsi commissis, tandem eum post diuturnam remigationem, ac ventorum obseruationem, ad gubernacula constituit. Eadem rei militaris est ratio. Miles primùm, deinde Centurio, tum Imperator. Hic optimus ordo est, iisque qui subsunt in primis conducibilis. Quàm praclarè nobiscum ageretur, si idem rerum nostrarum status esset? Et Aug relat. *in c. Ante omnia, d.* 40 conquærens, quòd inuitus, & per saltum factus fuerit Episcopus, ait. *Merito meorum peccatorum factum est, nam quid aliud existimem nescio, vt secundus locus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noueram.* Cassiod. lib. 1. var. ep. 4. *Qui non fragili variarum, prouectus fortuna ludo, ad apicem fascium repentinus successibus euolauit, sed vt crescere virtutes solent; ad fastigium praconij conscendit gradibus dignitatum: primus enim, &c.* Philo lib. 1. de vita Mos. col. 8. *Solus potest esse Rex vndequaque perfectus, qui bene callet artem pastoritiam, & curando minora animalia, didicit quomodo debeat praesse praestantioribus: Impossibile est enim, vt magna prius, quam parua perficiantur.* Et lib. 1. de Ioseph. dicit, quòd cum Deus vellet Iosephum præficere toti Ægypto, prius voluit eum exercitari in præfectura domus Domini sui. Ar. 3. pol. c. 3. *Hanc dicimus esse ciuilem præsidentiam, quam eum, qui præest didicisse perande oportet, seu præfectum equitum esse, cum ipse prius sub alio esset, & exercitum ducere, cum ipse prius in exercitu per inferiores militiæ gradus ductus sit.* Alioqui sic per saltum promoto posset obiici illud Aristophanis.

Qui nunc quidem nihil est, cras erit maximus.

Vel illud Aristidis. *Qui hodie pedes est, cras videbitur eques.* Vel illud Vlpiani l. 7. §. Præterea, ff. de iniur. *Heri seruus, hodie liber.* Et Hier. ad Oceanum. *Heri cathecumenus, hodie pontifex, heri in amphiteatro, hodie in Ecclesia, vespere in circo, mane in altarie; dudum fautor histrionum, nunc virginum consecrator.*

12. Et pari modo maximè cuperem, vt qui habuit dignitatem maiorem, non posset cogi habere inferiorem, v. g. qui fuit Generalis, non posset cogi esse Prouincialis, & qui fuit Prouincialis, non posset cogi esse Correctòr. Pro quo habemus clarum text. *in l. Maioribus, C. Quemadmodum ciu. mun. lib.* 10. vbi dicitur, *Maioribus honoribus functos, ad minores reuocare non oportere rationis est.* Ad quam *l. vide Petr.* qui id etiam probat *ex c. 1. translat. Episc.* Excipe tamen casum, quo necessitas conuentus, vel prouinciæ aliter suaderet, nam tunc puto, quod etiam stante statuto in contrarium, posset cogi, per ea, quæ habet Nouar. *in praxi priu. miser. pers. priu. 6. n. 6.*

13. Dico 2. Si cætera sint paria, & munera æquè bene possint obiri per seniores, & iuniores, seniores semper anteponendi sunt iunioribus. Ita Tiraquel. *in praf. de iur. primig. num.* 175. *& num.* 186. *& n.* 210. & puto esse communem omnium DD. Nec enim imaginari possum, vllum vnquam Doctorem voluisse tantùm senectuti tribuere, vt seni indigno dignos iuuenis postponeretur, cum semper teneamur eligere digniorem, vt probaui *tom. huius op. q. 1. c. 31. §. 3. &* 4. & dignitas non ex ætate, sed ex meritis metiatur, *Quandoquidem*, vt ait Origen. tom. 21. in Ioan. *Canities hominibus est prudentia, & corona gloriationis, & senectus, & gloria, veris, ac diuinis senibus canities illa sunt, qua mente cernuntur, ipsos ornantes.* Et Chrysost. *lib. 2. de sacerd. in fine*, loquens de iis, qui præ cæteris debent assumi in Episcopo ait, *In eam rem neu oportere prudentiam atate metiri, neque senem canitie probare, neque iuuenem arcendum ab huiusmodi ministerio.* Non est ergo canities externa capitulorum veneranda, vtpotè quæ etiam capris, & aliis brutis animalibus accidat, sed interna virtutum. Vnde Glossa *in c. 1. dist.* 16. per multa iura, quæ allegat, & Glossa *in c. Episcoporum, dist.* 74. & Innoc. *in c. 1. de mau. & ob.* dicunt, quod melior est præferendus antiquiori, & multi Doctores, quos refert Tiraq. *n.* 210. ducent, quod eruditus scholaris imperito doctori est præferendus. Si ergo cætera sint paria, senior iuniori præferri debet; & dictat communis omnium sensus, & colligi potest *ex c. 1. dist.* 85. Vnde Plutar. *in opusc An seni ger. sit Resp. paulò ante med.* ait. *Ad parendum iuuenilis, ad imperandum senilis atas accomodata est: ac maximè salua est ciuitas, vbi consilia senum, & iuuenum arma obtinent.*

14. Dico 3. Si dubiteretur, an æquè sint digni senex, & iuuenis, etiam pro sene præsumendum est, quod scilicet vincat iuniorem virtutibus, & moribus. Ita Tiraq. *loco cit. n.* 153. probatur *ex c. Nisi cum pridem, vers. Alia verò causa* ibi, *Moralis verò maturitas, de renunt. c. Cum iuuentute de prasumpt. c. Fraternitatis, dist. 34. c. Definimus* 18. *q.* 2. & Hieron. ad Rust. ait. *Non est facile malum de perfecta atate credendum, quam praterita vita defendit, & honorat vocabulum dignitatis.*

15. Nota tamen, quòd senes, de quibus loquor, non debent esse decrepiti, nam decrepitorum nutat prudentia repuerascens, sed debent esse tales senes, quibus mens vigeat in pectore, licèt frigida cesset bello dextera, de quibus extant Hesiodi versus, *Facta iuuenum, consulta virorum, vota,* seu preces *senum*; senior enim ætas vigori mentis multarum rerum adiunxit experientiam. Vnde receptum est, vt *Senum prudentia*, in prouerbium abierit. Decrepiti verò, quò morti se propinquiores vident, solent esse minus obnoxij peccatis, & religiosiores, ideo vota illorum, & preces efficaciores, Atque hæc de decrepitis definiuor. *c. 1. dist. 85. c. petiisti, 7. quast.* 1. Rodriguez *tom. 3. q. reg. q. 34. art.* 2. Henriq. *lib. 10. c. 19. n.* 3. Maiol. *de irreg. lib. 2. cap. 30. num.* 14.

16. Dico 4. Superiores locales, quocunque nomine vocentur, debent saltem attingere annum 25. Est omnium citatorum *n.* 1. Rodrig. *to. 1. q. reg. q. 15. art.* 2. Garcia *de benef. p. 7. c. 4. n. 41. &* 42. Abb. *c. Cum in cunctis de elect. n.* 6. probatur tum ex *c. cum in cunctis §. Inferiora, de elect.* Clem. *ne in agro, §. Caeterum de stat. mon.* tum ex Trid. *sess. 24. de reform. c.* 12. Vbi dicitur. *Nemo igitur deinceps ad dignitates quascumque, quibus animarum cura subest, promoueatur, nisi qui saltem 25. annum attigerit.* Tum *ex l. ad Rempublicam ff. de mun. & honor.* Tum ex Regula nostra Minim. *num.* 39. Tum quia eligendus in Superiorem debet esset Sacerdos, *c. 1. de etate, & qualitate ord.* & habet animarum curam: sed Sacerdotium non datur, nisi attingentibus annum 25. per Trid. *sess. 23. de refor. c.* 12.

17. Sed dubitabis, an necessarium sit, quòd eligendus in Prælatum Religiosorum sit actualiter Sacerdos, an verò satis sit, vt per promotionem ipsam obligetur ad Sacerdotium suscipiendum intra tempus à iure statutum. Suarez *tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. c. 3. num.* 21. ait, quòd de iure communi, si quis Religionis professus, nondum ordinatus Sacerdos, in ætate tamen ad sacerdotium requisita, & prima saltem tonsura insignitus, eligeretur in Prælatum suæ Religionis, illa electio non esset irrita, neque irritanda. Et constat *ex cap. 1. de etate, & qualitate ord. cap. Cum in cunctis de elect.* Trident. *sess. 24 de reform. cap.* 12. deberet tamen iste talis infra annum Sacerdotium suscipere, iuxta *c. Licet, & c. Cum ex eo, de elect. in 6.* Et Clem. *Ne in agro, §. Caeterum, de stat. monach.* sub pœna priuationis ipso facto per dictum *c. Cum ex eo,* & dictam Clem. *nisi infirmitas,* vel alia legitima causa illum excusaret; dicta Clem. & Glossa *in c. 1. de atate, & qualitate.* Quod autem debeat saltem prima tonsura esse insignitus, dicit Suar. *loc. cit. n.* 23. Garcia *de benef. par. 7. c. 1. num.* 90. Sed iam puto, quòd in omnibus Religionibus requiratur actuale Sacerdotium. Et licèt in Regula Minorum, *c.* 7. fratres laici possent esse non solum Guardiani, sed etiam Ministri prouinciales; id tamen iam vsu abrogatum est,

vt

vt dicunt Rodrig. *loc.cit.* Miranda *tom.2.man.quæst.2, art. 2.*

18. Nota hic etiam, quod in Correctorem de iure communi non potest eligi monialis, quæ professa trigesimum annum nō excesserit, *c. Indemnitatibus, de elect. in 6.* Cui puto, quòd ad Ordinem nostrum esse derogatam per nostram Regulam monialem, *num 28.* in qua conceditur, quòd possit in matrem Correctricem eligi, quæ per biennium fuerit professa, & 25. annum attigerit; fuit enim Regula confirmata, inserto tenore, à Iulio II. cum ergo Pontifex ius commune in scrinio sui pectoris habeat, *c. 1. de const. in 6.* illi per Regulæ confirmationem derogasse credendum est. Sed modò per Concil. Trident. *sess. 25. de reg. c. 7.* decernitur, quòd *Abbatissa non eligatur minor annis 40. & quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit: Quod si his qualitatibus non reperiatur in eodem monasterio, ex alio eiusdem Ordinis eligi poterit. Et si hoc etiam incommodum Superiori, qui electioni præest, videatur ex iis, qui in eodem monasterio annum 30. excesserint, & quinque saltem annis post professionem rectè vixerint, Episcopo, vel alio Superiore consentiente, eligatur.* Declarauit tamen sacra Congreg. quòd licèt *Abbatissa per quinquennium non permanserit in Religione, dummodò excedat 30. annum, & id fiat ad requisitionem suarum monialium, & de licentia Superioris, & dummodò laudabiliter superiori anno in officio se gesserit, confirmari poterit per biennium.* Plura huiusmodi videri poterunt apud Zerol. *in praxi, par. 1. vers. Abbatissa, n. 1.* per dictum tamen decretum Concilij puto derogari nostræ Regulæ, ait enim Concilium in fine. *In reliquis seruentur singulorum Ordinum, vel monasteriorum constitutiones.* Ex qua clausula constat, quòd quò ad præmissa vult esse derogatum regulis, & constitutionibus. Aduerte autem, quòd quando non esset in monasterio monialis, quæ posset eligi in Abbatissam iuxta determinationem Concilij, non est necessaria facultas Apostolica, vt egredi possit illa, quæ ex alio monasterio electa fuerit, cum id Concilium concedat; cautè tamen deducenda ad monasterium, cui præfecta est.

19. Dico 5. decet Superiores Prælatos, Prouinciales, & Generales esse in 30. ætatis suæ anno constitutos. Mirand. *tom. 2. man. q. 3. art. 1. concl. 12.* putat annum trigesimum excessum requiri de necessitate. Melius Suarez *loc. cit. n. 7.* & Sigismund. *de elect. dub 62. num. 11.* solum de congruentia, & de necessitate solum 25. inceptum. Probatur, tum quia dicti Prælati habent auctoritatem quasi Episcopalem, & in Episcopis requiritur ætas 30. annorum completorum: *c. cum in cunctis, de elect.* Trident. *sess. 7. c. 1. de refor. & sess. 24. c. 1. eod. tit.* Tum quia illa ætas est maturi iudicij, & iustæ auctoritatis; Vnde Leuitæ anno 30. incipiebant seruire tabernaculo, *Num. 4* & lex erat apud Hebræos, vt nemo ante annum 30. docere posset, vt dicit Hieronym. *proœm in Ezech.* Christus, quamvis verus Deus, & perfectissimus homo, ante dictam ætatem noluit dignitatem prælationis, & officium prædicationis assumere, vt constat *ex Lucæ c. 3.* Et Ioseph 30. annorum erat, quando stetit coram Pharaone, & suscepit administrationem Ægypti, *Gen. 41.* Dauid 30. annorum erat cum regnare cœpisset, *2. Reg. 5.* Ezech. 30. annorum erat cum cœpit prophetare. *Ezech. 1.* primus homo ea ætate creatus est, vt tradit Lorin. *in c. 10. Num. vers. 30.* & in eadem ætate resurgemus, vt dicitur ad *Ephes. 4.* Ioann. Baptista in ventre matris sanctificatus non nisi in illa ætate officium Præcursoris exercuit, Bong. *de n. 30.* & Romanorum lege cautum erat, ne quisquam ante 30. ætatis annum, aut Consul efficeretur, aut triumphum duceret, idem Bongus.

20. Dico 6. Collegiatus, Definitoriatus, Discretatus, Commissarius, cæteraque officia personatum dicentia, absque immediata animarum cura, non possunt conferri nisi attingentibus saltem annum 25. in Ordine nostro hoc est sine controuersia, quia tales gradus non possunt dari nisi in ea ætate constitutis, & qui Sacerdotes sint, vt constat *ex Reg. n. 39.* Dicunt tamen Rodrig. *tom. 1. q reg. q. 15. art 2.* Mir. *loc. cit. concl. 3* Sigis. *loco cit. n 3.* quod in Definitores, Discretos, &c. possunt eligi in suo Ordine, qui sunt in ordine sacro constituti, & in ætate 22. annorum. Fundantur in Concil. Trid. *sess. 24. de refor c. 12.* Sed concilium ibi loquitur de illis dignitatibus, & personatibus *quibus animarum cura nulla subest.* Sed istis Definitoribus, & Discretis licèt non subsit cura immediata, & directa animarum, subest tamen mediata, & indirecta, ad ipsos enim pertinet non solum eligere Superiores, sed etiam decidere, & definire grauiora negotia Religionis, & Prouinciæ, abusus eradicare, bonos mores introducere. Habent votum decisiuum in sententiis, absolutionibus, &c. Vnde etiam videntur habere annexam indirectè animarum curam, & cum Concilium loquatur solum de his personatibus, quibus nulla est annexa animarum cura, quòd de his non loquatur, dicendum est; atque ita linquit antiquos canones in suo vigore, secundum quos in huiusmodi personatibus requiritur eadem ætas, ac in prioratibus nimirum 25. annorum, vt constat *ex c. Dudum, el 2. §. Licet de elect.* & multos DD. ad hoc citat Garcia *de benef par. 7. c. 4. n. 54.* Maiol. *de irreg. c. 30 n. 11,* pro nostra sententia faciunt Menoch. *lib. 2. de arb. casu 425. n. 21.* Lessius *lib 2. de iust. c. 34. dub. 24. n. 127.* imò Trid. *sess. 4. de refor. c. 1.* quatenus dicunt, quod omnia, quæ requirunt Canones in Episcopis, debent seruari in creandis Cardinalibus, cum sint Summi Pontificis intimi consiliarij.

21. Dico 7. electio facta in persona illius, qui non habet ætatem 25. annorum, saltem inceptorum, est nulla, & electus renuntiare tenetur, etiam in conscientia, vel quærere remedium à Papa. Ita Nauarr. *in sum. cap. 15. num. 116 & miscell. 40. de or. num. 8.* Garcia *loc. cit. num. 82. & 83.* Azor. *par. 2. lib. 6. cap. 5. quæst. 12.* Panormit. *c. 2. de ætate, & qualitate num. 4. & in c. Cum in cunctis, §. Inferiora, num. 1.* Ledesma *par. 2. sum. tract. 7. c 2. dub. 8. vers. Digo lo primiero, pag. mihi 250.* Probatur *ex cap. Licet canon. de elect. in 6.* vbi dicitur, *Decernentes collationes omnibus viribus carere,* vbi Glossa *verb. carere,* explicat ipso iure, & clarissimè *ex cap. Si eo tempore, de rescrip.* Et confirmatur ex Trident. *sess. 25. c. 5. de refor.* vbi prouisio facta de aliquo beneficio, in quo certa qualitas requiratur, ea non adimpleta, censetur subreptitia; ætas autem est qualitas necessariò requisita.

22. Quæres, an ætas 25. annorum inceptorum, requisita à sacris canonibus ad obtinendas Ecclesiasticas dignitates, debeat esse ita præfixa, vt si desit vna dies, persona censeatur inhabilis. Respondeo debere esse ita præfixam. Ita Garcia *loco citato num. 84* Sigismundus *de elect. loco citato num. 6* Riccius *1. par prax. decis. 655. num. 5.* Molina *tract. 2 de iust. disp. 573 num. 2.* Nam in his, quæ sunt à iure statuta, non licet arbitrari. Bart. *in l. Ambitiosa, num. 11. ff. de decr. ab ord fac.* Nec solum inhabilitat personam defectus vnius diei, sed defectus vnius horæ; debet enim illa ætas 24. annorum esse ita completa, vt annus 25. omninò attingatur. Ita iidem Doctores. Et habetur expressè *in l. Denique, §. Minore ff de minor.* Et aduerte, quod ætas est computanda à die natiuitatis, non conceptionis; nam tunc homo incipit esse talis, cum primò venit in mundum. Ita Garcia *n. 89* Sigism. *n. 7.* ex dictis colligo, quòd, si quis ordinem Presbyteratus recepisset anno v. g. 22. suæ ætatis, non per hoc tamen posset habere Ecclesiasticas dignitates, curam animarum, quomodocunque habentes. Tum quia vsum, & functionem ordinis non habet. Tum quia melioris conditionis non debet esse qui deliquit, quam qui non deliquit. Tum quia paria sunt non esse, & esse

esse perpetam, quò ad consecutionem effectus, l. Quoties. ff. qui satisdare cog. & l. Si se non obtulit, §. Condemnatum, ff. de re iud. Tum quia ad habendas dictas dignitates non requirunt canones tantùm Sacerdotium, quantùm ætatem, vt coostat ex n. 16. Atque ita Glossa in c. Ei, cui, de preb. in 6. vers. ætate. Azor. par. 2. lib. 6. c. 5. q. 13. An autem sic ordinatus ante tempus posset actiuè eligere, vide quæ dico tom. 1. huius operis q. 1. c. 31. §. 8. concl. 1. Suarez tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. c. 4. n. 7.

CAPVT II.

Vtrum in Prælato regulari requiratur scientia, & quæ.

1. VIde D. Thom. addit ad 3. par. quæst. 36. art. 2. Plutarchum in opusc. ad Princip inerud. Petr. Gregor. lib. 47. sym. cap. 10. num. 10. Tiraq. de nob. c. 5. num. 1. Pen. in l. Tyrones, col. 10. Cod. de Tyron. lib. 12. & l. Omnes iudices, Cod. de decur. lib. 18. col 8. Azor. par. 2. lib. 6 cap. 6. Rodriguez tom. 3. quæst. reg. quæst. 34. art. 3. Menocb. lib. 2. de arb. casu 425. Lessium lib. 2. de iust. cap. 34. dub. 24. Sigismundum de elect. dub. 63. Reginaldum supra §. lib. 3. tract. num. 169. Mirandam tom. 2. man. quæst. 4. art. 1. & 2. Henriquez lib. 10. cap. 16. num. 2. Garciam de benef par. 7. c. 7. Contzen. lib. 4. pol. c. 16. Lipsium lib. 1. pol. c. 10. & ibid. in not. Bellarminum de off. princ. lib. 1. cap. 13. Cassiodorum lib. 3. var. ep. 33. & lib. 6. epist. 5. Sarron. in eius Reip. reg conf. 4. Stobæum serm 79. Nauarr. misc. 40. num. 8. & misc. 97. & cap. Si quando, de rescrip. excep. 12. & 13. Ledesmam par. 1. summ. cap. 7. de sacr. ord conclus. 4. Goozal. ad reg. 8. cancell glossa 4. à num. 28 Maiol. de irreg. lib 1. cap. 32. Lambertin. de iur. patrim. lib. 6. par. 1. quæst. 9. art. 24. Abbatem in cap Cum in cunctis de elect. à n. 4. Vbi In nocen. num. 2. Duaren. de benef. lib. 4. cap. 2. Salon. de iust. & iur. quæst. 63. artic. 2. cont. 1. tit. de scient. Sotus lib. 3. de iust. cap. 6. artic. 2. conclus. 6. Parisius de resig. lib 5. cap. 3 à num. 67. B. Laurent. Iustin. de institutione, & regula Prælat. cap. 15. Alb. Trottus de perf. Cler. lib. 2. par. 1. requis. 18. à num. 86. Campanil. in diuers. iur. rub 5 cap. 1. Ioann. de Capistran. in spec. consc. par. 1. num. 30. Ioann. de Selua de benef. par. 3. q. 5. à num. 1.

2. Suppono 1. literarum scientiam esse Religiosis omnibus necessariam, vt dixi tom. 1. huius op. cap. 30. concl. 1. & probat fusè Suarez tom. 4. de Relig. tract. 3. lib. 5. cap. 1. à num. 4. & D. Thom. ante omnes opusc. contra impugn. Relig. cap. 11 vbi adducit locum Hir. ex epist. 4. ad Rust. *Habeto cellulam pro paradiso, varia poma cum scriptura decerpe, his vtere delicijs, harum fruere complexu.* Et infra. *Nunquam de manu, & oculis tuis recedat liber, discatur psalterium ad verbum.* Ex quibus, ait D. Thom. *omnibus patet, quòd studium in Religiosis est commendandum, & præcipuè sanctarum scripturarum, & maximè in illis, qui ad prædicandum deputantur.* Et Ecclesia, cuius sunt principalissima pars regulares, viris indiget literatis, cap. cum ex eo, de electione in 6. Ad quem locum dicit Prob. quod Rex illiteratus est asinus coronatus. Sunt literati in Ecclesia stellæ, & fulgent velut splendor firmamenti, cap. fin. de magistr. Hi sunt, qui in vinea Domini laborant, cap. Super specula, in fine de magist. ac per illos totus mundus illustratur. l. Habita, §. 1. Cod. ne filius pro patre, vbi etiam additur quòd per viros literatos informatur vita subditorum ad obediendum Deo, & eius ministris. Et quòd literæ iuuent ad seruandam obedientiam habes ex cap. Sciendum, 8. quæst. 1. & quod fiot necessariæ ad seruandam paupertatem, dicit cap. Gloria Episcopi, 12. quæst. 2. Vnde collige, quòd Religiosus clericus habens actiuitatem ad studendum, & propter pigritiam id contemnens, peccat mortaliter, non enim vtitur talento sibi concredito, quo necessario vti debet ratione status. Alb. Trott. de perf. cler. lib. 2. par. 1. requis. 18. numer. 97. vbi alios citat.

3. Suppono 2. Ex Mersenn. in cap. 2. Gen. vers. 20. quæst. 29. art. 3. varias esse scientiarum species, quas ipse ad centum reducit, & plures notat DD. de singulis scribentes, vt qui scientiarum omnium principia delibare voluerit, id possit tuto. Et cap. 1. vers. 1. art. 8. pagina mihi 454 agit de scientiarum inuentoribus, & cap. vers. 20. quæst. 55. art. 1. diuidit artes liberales à mechanicis, & art. 2. docet modum vtendi scientiis, & artibus liberalibus in sacris concionibus, accommodando scientias Euangelijs currentibus, & articulis fidei in symbolo Apostolorum descriptis: Opus quippe vtile, & curiosum; quod, vt ipsemet fatetur, desumpsit ex V. P. Francisco Vmblot, qui fuit fratrum Gallorum splendor, & ornamentum, nostræque Religionis insigne decus, deque scientiis omnibus quam maximè benemeritus, quem infausta mors præcocem nobis eripuit, hæreticorum, quibus semper infensissimus fuit, arte relictis, quamplurimis suarum scientiarum testimoniis, è quibus quadragesimales, & aliæ conciones lingua gallica impressæ sunt, quas tamen ego non vidi.

4. Suppono 3. peccare mortaliter eos Religiosos, qui curant promoueri per preces, vel munuscula ad gradum Magisterij Philosophiæ, vel Theologiæ, ad hoc vt inde facilius ad dignitates ascendant, vel honoratiores sint in Religione, cum dicto gradu noscant se indignos. Et simili peccato inficiuntur, qui eos admittunt, si indignos noscant, vel debitas diligentias omittunt. ita Anton. 3. p. tit. 5. c. 2. §. 10. Nauar. in sum. c. 25. n. 55. & misc. 97. de or. n. 2. Sylu. verb. Doctor, q. 4. num. 5. Armilla eod. num. 1. Sà in aphor. verb. Docere, num. 2. Glossa in Clem. 2. de magist. verb. honorem, Contz. 4. pol. cap. 16. §. 10. & 13. Et ratio est, tum quia id procedit ex radice ambitionis: Tum quia hoc pacto impediunt multos magis idoneos à consecutione dicti gradus. Tum quia indebitum sibi honorem vsurpant cum damno etiam multorum: Tum quia communitatem fallunt, quæ solum dignis dictum gradum dare intendit, & cum hac conditione potestatem dedit doctorandi electoribus. Tum quia Trident. sess. 22. de refor. cap. 2. Magisterij gradum per merita dari decernit, & sess. 24. cap 18. eod. tit. decernit, quòd examinatores iurent, se quacunque humana affectione post posita, fideliter munus executuros: vnde dicti electores sunt rei omnium malorum, quæ euenient communitati ex tali promotione indignorum, vt Contzen. loco citato, §. 10. Adde, quod dicti doctorati indignè, non possunt gaudere priuilegiis, legitimis Doctoribus concessis, sed tenentur in conscientia dicto magisterio renuntiare, vel saltem diligentiùs studere, vt habiles fiant. Neque valet communis illa excusatio. Noui plures ignorantiores, quàm sim ego, nam hoc nihil dignificat personam, & multorum peccata mea non dolent. Et Apost. dicit 1. ad Tim. 4. *Attende tibi*, & hoc est intrinsecè malum. Et non quod fit inspici debet, sed quid fieri debet, l. Nemo, Cod. de sent. & interl om. iud arg c causam, quæ de elect. Quod si renuntiare nolior, neque studere non possunt à confessariis absolui. Sylu. verb. Doctor. q. 3. n 4. Contzen. loc. cit. §. 16. vers. Sed tamen. Et addit, quod licet doctorandus tempore examinis inueniatur verè idoneus, & de facto laurea decoretur, si tamen postea per ignauiam, & pigritiam, vale dictu studiis, obliuiscatur, potest reprobari, & insignibus priuari. Quod etiam docet Sylu. loc. cit. q. 5. n. 6. Videatur tamen Azor. p. 2. l. 6. c. 6. q. 1. Ex his collige, quod assignatus ad studendum, si non studet, non potest in conscientia frui priuilegiis studentium,

neque

neque similiter potest absolui, nisi emendarionem promittat. Titaquel. *in tract. de causa cess. num.* 213.

5. Suppono quatro, in duplici esse genere literatos Religiosos: Nam sunt aliqui tali, & tanto dotati à natura ingenio, vt facili negotio literati fiant, & absque multo labore, alij verò, qui ingenio mediocri dotati, labore, & studio literas sibi comparant, ingenij tarditatem eruditione compensantes: Paulò aliter Sen. *epist.* 52. tria ingeniorum genera distinguit: 1. eorum, qui absque præceptore discunt, qualem dicunt fuisse Epicurum. 2. eorum, qui ope aliena indigent, non ituri, si nemo præcesserit, sed bene secuturi: 3. eorum, quibus non duce tantum opus sit, sed adiutore, & coactore. Ego cum neminem sine Doctore naturaliter doctum fieri posse putem, & Epicurum, id sibi gloriabundè tribuentem, fuisse mentitum arbitrer, aliqui Xenocratis auditorem ipsum fuisse asserunt ad duo tantùm genera reduxi. Maxima itaque illa ingenia miranda potiùs communiter sunt, & timenda, quàm probanda, & promouenda, nam plerumque iracundi, & furiosi sunt. Vnde Plato lib. de scien. ferè in princ. ait: *Difficile admodum est, reperire hominem docilem simul, & præ cæteris mansuetum, atque in omnibus virilem. Equidem nec fuisse vnquam existimo, nec esse video, qui ita natura sint instituto; Cæterum acuti, sagacésque & memorosi, & dociles, vt plurimum in iracundiam, impetusque præcipitésque sunt, proruunt enim, atque repiantur, quemadmodum sine retinaculis naues, & furiosi potiùs, quam fortes existunt*: Et Arist. teste Sen. *lib. de tranq. cap.* 15. ait, nullum reperiri magnum ingenium sine mixtura dementiæ, cuius rei ibi rationem reddit Seneca. Et Arist. ipse id tribuit melancholiæ sect. 30. probl. *Vt me* (inquit Cic. apud Cæl. lib. 17. cap. 5.) *non pœniteat hebetiorem esse*. Et quomodo melancholia hunc effectum causet, vide Cælium *loc. cit.* & Ficinum *lib. 1. de sanit. studiosorum tuenda, cap.* 5. Nec miteris, quòd ingeniosus possit esse stultus, non omninò quidem mente alienatus, sed in rebus grauissimis aberrans, nam aliud est celeriter omnia memoriæ commendare, & primo intuitu apprehendere, & aliud iudicare de rebus agendis: vnde non est mirum si omnia in vno non reperiantur. Sunt etiam crebrò ista ingenia dissolutoria, volatica, semper in motu, præsentia semper fastidientia, res nouas appetentia: Itaque maximo studio sunt à Religionum Prælatis huiusmodi frænandi, & virtutibus priùs, quàm scientiis, si id simul fieri non potest; imbuendi, ita tamen vt non frangantur; sic enim in magnum Religionis lumen euadent, aliter in magnam pestem. Ego secundi generis ingenia promouenda probo, hæc enim laboribus, & vigiliis crescunt exacuuntur, & maturescunt, non solùm quoad literas, sed etiam quoad virtutes, vnde constantia, flexibilia, acuta, prompta redduntur. Huiusmodi Religiosis puto deberi de iure naturæ omnes dignitates, præeminentias, & prærogatiuas, quæ in Religione reperiuntur, cum enim ipsi Religioni docendo, concionando, scribẽdo maximè prosint, & benefaciant, & benefacienti benefacere de iure naturæ teneamur, *l. Sed etsi lege* §. *Consuluit, ff. de petit. her. l. Si non fortem*, § *Libertus ff. de condit. indeb.* iure dicto tenebitur Religio dictis beneficia repẽdere. Quod etiam colligunt aliqui *ex l. Habita*, §. *Cod. ne fil. pro pat.* ibi, *Hoc nostra pietatis beneficium indulgemus*.

6. Suppono 5. quòd tres sunt gradus scientiæ, 1. est scientiæ eminẽtis, per quam scilicet quis scit difficillimas quæstiones ad munus suum pertinentes, explicare, & definire, seu qui est in scientia, ad statum suũ necessaria præ omnib. aliis eruditus, & eminens: 2. est scientia mediocris per quam scilicet scit quis communes quæstiones enodare, quæ in suo munere occurũt, quamvis non omnes obscurissimas, & difficillimas, seu quãdo in dicta scientia multos habet pares. 3. est scientiæ sufficientis, quando scilicet quis tantùm scit, quantũ est necessariũ, pro satisfaciendo officio quod habet, auctores legendo, doctores consulendo, ea quæ nescit, petendo. Quæ sufficientia est iudicanda arbitrio boni viri considerantis qualitatem loci, temporis, & personarum, quibuscum debet viuere dignitatem habẽs. Atque ita docent Innoc. *in c. cum in cunctis, de elect n.* 2. Abb. *ibi n.* 4. Lamb. *de iur. patr. lib.* 2 *p.* 1 *q.* 9. *art.* 17. *n.* 3. Azor. *tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 6. *q.* 3. *vers. Sciendum*, A. Trott. *de pers cler lib.* 2. *par.* 1. *requis.* 8. *n.* 92. Ang. *verb. Clericus* 1. §. 4. ibi Tab. *num.* 3. Campan. *in diuers. iur. rub.* 5. *cap.* 1. *num.* 6.

7. Dico 1. Prælatus Regularis debet esse vt literatus. Ita omnes cit. *n.* 1. probatur 1. ex Scrip. sacra Exod. 18. *Prouide de omni tribu viros sapientes, & constitue ex eis tribunos*, &c. Prou. 8. Sapientia ipsa, *Per me Reges regnant, per me Principes imperant*: & Sap. 6. *Ad vos Reges sunt hi sermones mei, vt discatis sapientiam, &c.* Ierem. 23. *Regnabit Rex, & sapiens erit.* & Ierem. 3. *Dabo vobis pastores iuxta cor meum, qui pascant vos scientia, & doctrina.* Et Ierem. 14. *Onagri steterunt in rupibus, & traxerunt ventum quasi dracones.* Per onagros intellit ibi Hieron. Prælatos ignorantes, qui trahunt ventum quasi dracones, quia vt ait Greg. 20. mor. c. 29. *malitiosa superbia inflantur.* Cum enim isti asini syluestres, multò asiniores domesticis, se in culmine vident dignitatis, tantò inflantur superbiæ vento, vt vix locum continentem inueniant, & tanquam Dij videri affectant, iuxta illud Zacch. 11. vb de pastore imperito loquens ait. *O pastor, & idolum derelinquens gregem.* Ad quem locum ait Hieron. *Tam sceleratus est pastor* (imperitus) *vt non idolorum cultor, sed ipse idolum nominetur, dum vult ab omnibus adorari*: Baruc 3. *Et quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam.* Isaiæ 32. maximum beneficiũ promittens Deus populo, ait, *Non vocabitur vltra is, qui insipiens est, princeps*, & c. 56. *Ipsi pastores ignorauerũt intelligentiã.* Eccl. 10. *Rex insipiens perdet populũ suum.* Ezech. 21. minitans Deus maximum suppliciũ populo, ait: *Effundã super te indignationem meam, in igne furoris mei sufflabo in te, daboque in manus hominum insipientiũ & fabricantiũ interitũ*: Vt intelligas esse Dei punitionẽ Regi à Prælato insipiente; fabricant enim hi interitum animarum, & corporum Subditorum, & Religionem in spiritualibus, & corporalibus interimunt. 3. *Regũ* 13. laudauit Deus Salomonẽ, quod non petiuisset ab eo diuitias, neque dies multos, neque vltionẽ inimicorum, sed sapientiam necessariam ad regendum populũ. Eccl. 10. *Est & malum, quod vidi sub Sole; quasi per errorem egrediens in facie Principis, positũ stultum in dignitate sublimi*, ibi per Principem intellige diabolum, qui princeps vocatur. Ioan. 12. Et hic licèt semper nocere studeat hominibus, hoc tamen malum, sublimandi ignorantes in excelsum, nonnisi per errorem facit. Exodi 28. *Pones autem in rationali iudicij doctrinam, & veritatem, quæ erũt in pectore Aaron, quando ingredietur corã Domino*: Sed imitandũ quod *eod. c. vers.* 3. dicitur: *Et loqueris cunctis sapientibus corde, quos repleui spiritu prudentia, vt faciãt vestes Aaron.* Quis non miretur, requirere Deũ in sutoribus, pro consuendis vestibus Aaron, Prælati sapientiã, & prudentiam, & non qualemcumque, sed ex corde, idest qui verè tales sint? per Sutores intelligo amicos Prælatorũ, qui vestes relationũ bonas, aut malas Prælatis super occurrẽtibus negotiis faciunt, prout eis odium, vel amor suaserit. Sint ergo etiã isti sapientes, & prudentes, vt quod iustum est suggerant, & quod iniquũ, non persuadeant. Et sciant Prælati, tales se iudicari foras, quales iudicantur, qui cũ eis familiariter conuersantur; ait enim Hier. ad Demet. *Mores, & studia dominarum plerumque ex ancillarum, & comitantium moribus iudicantur*: Et ad Principiam, *Ex lascivia puellarum comitantium, de dominarum moribus iudicatur.* Et Nazianz. *in vers. contra mulier.* grauiter asserit: *Ancillas esse imagines*

cordis dominarum. Sicut enim veris nnntij sunt hirundines, flos, fructus, ita & dominarum ancillæ. Et Arist. relat. à Patricio lib. 3. de regul. tit. 13. *Est*, inquit, *quadam virtutis exercitatio cum bonis viris conuersari.* Et tandem pro Prælatorum scientia considero locum illum Esther c. 14. *Ne tradas Domine sceptrum ijs, qui non sunt*, scilicet virtute, & scientia excellentes iuxta illud Cic. lib. 3. ad Att. ep. 52. *Fac, vt me velis esse aliquem.* Et Ouid. fast. 6.

Est aliquid nupsisse Ioui, Iouis esse sororem.

Et Act 5. *Ante hos dies extitit Theudas, dicens se esse aliquem* & Paul. ad Gal. 2. *Contuli Euangel. seorsum cum his videbantur esse aliquid*; idest cum Apostolis, iuxta illud Eccles. 3. *Cum sapientibus, & prudentibus tracta.* Ex quo patet, quod qui sunt, videnturque esse aliquid, re vera soli sapientes sunt, insipientes enim nihil sunt. Vnde dicitur, *Homo sine literis est viua mortis imago.* Et tales non essent homines, nisi æquiuocè, docent Gom. *ad reg. de ann. possess. q. 47. fin.* & Gonz. *ad reg.* 8. *cancell. gloss.* 4. *num.* 55. *& num.* 56. affert dictum Aristippi, qui interrogatus, quæ differentia esset inter homines doctos, & indoctos, respondit: Quæ inter viuentes, & mortuos. Et *Eccl.* 2. dicitur, quod tantum differt sapientia à stultitia, quantum lux à tenebris, vnde non immeritò dixit Gonz. *loc. cit. num.* 59. quod stultus, & ignorans Prælatus meretur decapitari.

8. 2. Probatur ex PP. Greg. 1. p. past. c. 1. *Ab imperitis magisterium pastorale suscipitur in magna temeritate, quoniam ars est artium, regimen animarū.* Et paulò infra: *Imperitia pastorum voce veritatis increpatur, cum per Prophetam dicitur, Ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam, &c.* Hieron. *in cap.* 11. *Zach.* ad illa verba, Adhuc sume tibi vasa pastoris stulti. *Pastor stultus*, ait, *& imperitus, haud dubium, quin Antichristus sit.* Et de isto pastore dicitur eod. cap. *Derelicta non visitabit, dispersum non quæret, contritum non sanabit, & id, quod stat, non enutriet, & carnes pinguium comedet, & vngulas eorum dissoluet.* Quæ sunt propria officia imperiti pastoris. Aug. *epist.* 59. *ad Paul. in solut.* 4. ait: Ideò Apostolum *ad Ephes.* 4. dixisse, Alios dedit pastores, & Doctores, *vt intelligerent Pastores ad officium suum pertinere doctrinam* & 19. de ciuit. cap. 6. *Ignorantia iudicis plerumque est calamitas innocentis.* Ber. ser. in cant. *Iam*, inquit, *quomodo in pascua diuinorum educet eloquiorū greges dominicos pastor idiota? Sed etsi doctus quidem fuerit, non sit autem bonus, verendum, ne non tam nutriat doctrina vberi, quam sterili vita noceat.* Et lib. de or. vit. *Post indoctos Prælatos, malosque in sancta Ecclesia nulla pestis ad nocendum infirmis valentior inuenitur.* Chrys. l. 2. de Sacerd. *Sapientissimum* ait, *esse oportet Sacerdotem, & perspicacem in omnibus.* Cassiod. l. 6. var. ep. 5. ait, quod quæstor publicus, *est armarium legum*, & quod *ei adesse debet sciemia cautela sermonis.* Isidor. de summ. bono, lib. 3. cap. 35. *Sicut iniqui, & peccatores ministerium Sacerdotale obsequi prohibentur, ita indocti, & imperiti à tali officio retrahuntur.* B. Laur. Iust. de reg. præl. cap. 7. *Decet profectò doctores, & dominici gregis pastores stare in alto, & doctrinam veritatis præbere cunctis audire cupientibus nam vbi deest doctrina, hortamento vt plurimum desunt cœlestia, consilia sana, & diuinarum monita scripturarum.*

9. 3. Probatur ex Arist. 4. *pol. cap.* 9. Vbi propositæ difficultati, cui sit tribuenda administratio Reipublicæ, an militi sine virtute, an virtuoso sine militia, Respondet cum distinctione, & subdit, *Scientia verò huius communis est omnibus*, Ad quem locum dicit D. Thom. *Oportet enim quod habeant scientiam principes, & in ducatu exercitus, & in regimine ciuitatis: aliter enim non possunt dirigere in finem intentum ea, quæ sunt ad finem.* Et de Socrate refert Xenophontis de dictis, aut factis eis, quod non eos vocabat Principes, aut Reges, qui sceptra ferebant, sed qui regendi scientiam haberent. Et Pla. relat. à Valerio, *lib.* 7. *cap.* 2. aiebat. *Tum beatum terrarum orbem futurum, cum aut sapientes regnare, aut Reges sapere cœpissent.* Nec aliam ob causam puto antiquos Palladem Deam super Iouis caput pinxisse, quàm ad significandum, principanti sapientiam principare debere, mens enim vna sapiens plures manus vincit, & multa, quæ natura impedita sunt, consilio expediuntur. Vnde Homer. *odiss.* 6. Mineruam alloquens, ait,

Atqui ego si mihi sic assistas Cæsia Diua;
Vel trecentum contra homines concurrere pugna.
Ausim, te fretus comite, ô Dea, & adiutrice.

Et Terentius *in Adelph. actu* 1. *scena secunda* reddens rationem, quare necesse sit Prælatos esse literatos, ait.

Homine imperito nunquam quidquam iniustius,
Qui nisi quod ipse facit, nihil rectum putat.

Plutarch. *ad princ. erud.* docttinam vocat Principis custodem, & consiliarium.

10. 4. Probatur *ex iure ciuil. & can. l. Nemini, Cod. de aduoc. diu. iud. l. Nemo iudex, Cod. de sent. & interloc. omn. iud. & in Authen. de Tabell.* §. *Nos autem*, dicitur, quòd ignarus literarum facilè negat ea, quæ pro veritate statuta sunt, & quòd super eos inconuincibilis est, *cap. in fin. de ætate, & qualitate, cap. Nisi cum pridem*, §. *pro defectu, de renunt. cap. Si in laicis, dist.* 38. vbi dicitur, quod ignorantia est intolerabilis in his, qui præsunt, & *cap. Ignorantia, distinct. eadem*, dicitur ignorantia mater cunctorum errorum, maximè in Sacerdotibus, *cap. In causis*, §. *vlt. cap. in cunctis, cap. innotuit*, §. *Multo, cap. Dudum, el* 1. §. *Cum autem, de elect. cap. Illiteratos, dist.* 36. *cap. præcipimus, dist.* 34. *cap. Priscis dist.* 55. *cap. præcipimus, dist.* 34. *cap. priscis, dist.* 55. *cap. nullus, de temp. ord. in* 6. Trid. *sess.* 7. *de reform. cap.* 1. *sess.* 22. *cap.* 2. *sess.* 24. *cap.* 12. *& cap.* 18. *eod. tit.*

11. Dico 2. eligendi in Prælatos Regulares, siue Generales sint, siue Prouinciales, siue Correctores, eam saltem scientiam debent actu habere, quæ est necessaria ad rectè suum munus per seipsos obeundum. Menochius *lib.* 2. *de arbitr. casu* 425 *num.* 37. Parisius *de resig. lib.* 5. *quæst.* 3. *num.* 103. Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 34. *dub.* 23. *num.* 127. Gonzal. *ad reg.* 8. *cancell. gloss.* 4. *num.* 75. Innoc. *in cap. Cum in cunctis, de elect. num.* 1. Nauarr. *in cap. Si quando de rescr. except.* 14. *num.* 1. probatur ex cap. Nisi cum pridem, §. pro defectu, ibi, *Quanquam etsi desideranda sit*, & ex cap. Cum nobis olim de elect. ibi, *Illius quoque literatura*, & ex cap. Venerabilis, de præb. ibi, *Viri eminentis scientia*, & ex Trid. sess. 24. cap. 12. de reform. *Nemo ad dignitates Ecclesiasticas promoueatur, nisi doctrina ad suum munus exequendum necessaria commendetur.* D. Thom. 1. 2. q. 76. ar. 2. corp. *Singuli scire tenentur ea, quæ ad eorum statum, vel officium spectant*: & addit ad 3. part. quæst. 36. art. 2. corp. *Qui aliis præponuntur cur animarum suscipientes, sciant quæ ad executionis sui ordinis spectant.* Et constat etiam ratione naturali, nam turpe est ignorare artem, quam profitemur, *l.* 2. § *Seruius ff. de orig. iur. professio, C. de muner. patr. lib.* 10. *cap. Cum sis, de conuers. coniug.*

12. Dixi, debere habere actu scientiam necessariam, tum quia sunt nonnulli, qui, dignitate impetrata, dicunt, Piscem cepi, quisnam mercatur retia? sic expectationem omnium fallunt; se inertiæ tradunt, & in angulum reiectos libros, si non vendunt, blattis relinquunt, & tineis, breuique obliuiscuntur, si quæ sciebant: Tum quia Ber. lib. 1. de consid. cap. 5. *In monasteria*, inquit, *admittuntur homines spe proficiendi, at officia bonos faciliùs recipiunt, quam faciant, quare*

ad

ad ea viros probatos oportet diligi, non probandos. Tum quia Canones actualem, non aptitudinalem habilitatem requirunt: *cap. Si eo tempore, de rescr. in 6.* Lamb. *de iur. patr. lib. 2. p. 1. q. 10. art. 1. num. 3.* Neque valet dicere, quòd poterit Prælaturam interim per idoneum Vicarium, aut idoneos Collegas exercere, nam officia debent exerceri per officiales naturales vt ita dicam, non per substitutos, qui nunquam administrant vt propria: & verecundum est, ex aliorum manibus quærere, quod apud se inueniri debet, vt dicit Innoc. *in c. Cum in cunctis, de elect. num. 1. glossa in cap. fin. de æt. & qual. vers. Defectum* Pen. *in l. Tyrones, col. 11. Cod. de Tyron. lib. 12.* qui addit, eum non posse dici Prælatum, qui non est sibi sufficiens. Atque ita docent Azor. *part. 2. lib. 6. quæst. 5. vers. Quæres:* Maiol. *de irreg. lib. 1. cap. 32. num. 13.* P. Greg. *lib. 47. synt. cap. 10. num. 9.* Salz. ad Diaz *cap. 21. vers. Primari*, & habetur in Trid. *sess. 7. de refor. cap. 3.*

13. Dico 3. qui eligit ad Prælaturam illum, qui actu non habet eam scientiam, quæ necessaria est, pro dicta Prælatura rectè administranda peccat omninò mortaliter, & similiter qui eam recipit. Ita Garc. *de benef. par. 7. cap. 7. num. 24.* Nauarr. *in man. cap. 25. num. 12.* Mir. *tom. 2. man. q. 4. art. 2. concl. 1.* Regin. *in praxi, lib. 30. tr. 3. n. 171.* Al. Trot. *de perf. cler. lib. 2. part. 1. requis. 18. num. 90.* Sigism. *de elect. dub. 63. n. 2.* Lamb. *loc. cit. q. 9. art. 24. n. 6.* Tab. *verb. Clericus 2. n. 3.* Sylu. *eod. n. 1.* Ang. *eod. n. 4.* Salz. *loc. cit.* Abb. *c. Cum in Cunctis, in elect. n. 4.* vbi Innoc. *n. 3.* qui probat ex *c. Omnes, dist. 38.* vbi dicitur, quod scientia est de substantia Prælaturæ, & *ex c. fin. de æt. & qual.* vbi eligentes ignauos, & ipsi electi puniri inueniuntur. Et etiam probat *ex cap. Non est putanda §. Quisquis ergo 1. quæst. 1.* vbi Glossa *verbo Abstineat*: & tam electi, quam electores tenentur resarcire damnum datum Ecclesiæ, vt dicunt in specie Garc. & Salz. *loc. cit.* Gonzal. *ad reg. 8. gloss. 4. num. 51.*

14. Dico 4. Electio illius, qui non habet sufficientem scientiam ad exercendam dignitatem, ad quam eligitur est ipso iure nulla, & ei renuntiare tenentur. Ita Diaz *in praxi, cap. 21. num. 6.* vbi Salz. *verb. Nulla,* Vega *par. 1. sum. cap. 31. num. 6.* Innoc. *in c. Cum nostris, de concess. preb. num. 1.* vbi Abb. *num. 22.* Nauarr. *misc. 40. de or. n. 8. & cap. Si quando de rescr. excep. 16.* Gonz. *cit. num. 47.* Less. *lib. 2. de iust. cap. 34. dub. 24. num. 127.* Rodrig. *tom. 1. summ. cap. 29. n. 3.* Constat ex *c. fin de æt. & qual. & ex c. 2. dist. 36.* ibi, *Et non solum in eo ambitio inefficax habeatur, c. Dudum, el 1. §. cum autem cap. congregato 1. cap. cum in cunctis, § fin. de elect.* elatè ex Trid. *sess. 22. cap. 4. de refor.* vbi irrita decernitur omnis prouisio facta ei, qui ætatem, & cæteras habilitates integrè non habuerit. Neque obstat Trid. *sess. 7. de reform. cap. 3. & c. fin. de æt. & qual.* in quibus videtur innui, quod licèt defectus competentis scientiæ reddat collationem iniustam, non reddit tamen ipso iure nullam; nam ibi, *irritetur*, significat, irrita declaretur, vt similiter irrita declaratur electio illa *cap. fin. cit.* Et ratio est, quia etiam in iis casibus, in quibus inducitur priuatio ipso iure, requiritur tamen semper talis declaratio: *cap. Cum secundum leges, §. Confiscationis, de hær. in 6. Gloss. in cap. Quàm sit, vers. Eo ipso de elect. in 6.* Grat. *discept. for. tom. 5. cap. 809. num. 13* Gonz. *ad reg. 8. cancell. gloss. 56. n. 127.*

15. Declarant tamen ferè omnes præfati Doctores quòd tunc electio est ipso iure nulla, cum est facta in persona penitùs illiterati, qui nesciat legere, vt videri potest apud Garc. *de benef. part. 7. cap. 7. à num. 14.* Ego tamen cum Diaz *loc. cit.* penitùs illiteratum in hac materia voco, qui non est actu aptus exercere munus, ad quod assumptus est, licèt legere, scribere vulgariter, & latinè; sciat imò, etiamsi latinum intelligat; & grammaticam calleat, purus namque grammaticus purus asinus. Et quid refert scire grammaticam, & nihil aliud? Si sufficit intelligere linguam latinam, sufficiet etiam intelligere linguam vernaculam, nam libri de Scriptura sacra loquentes, vt conciones, lingua vernacula communiter scribuntur: ex Summistis plures etiam vernacula conscripti sunt: philosophiam etiam nostra lingua eam nobis tradidit Piccolom. Theologia mystica vt plurimum lingua vulgari traditur, & illa lingua eam nobis tradidit doctè quidem Bert. noster: & multas scholasticas quæstiones vulgarizauit Tamaÿus noster *in suis excellentiis Christi*, & Amoraga pariter noster *in suo Peccatore pœnitente*, & quis impedit, totam Theologiam scholasticam vernaculè tradi. Puto itaque, quod habilitas requiratur in intellectu, & quòd scire latinè, vel non sit merè extrinsecum, cum non latinitas, sed scientia reddat hominem idoneum, & scientiæ in omni lingua possint addisci, & doceri. Per quæ declara, quæ dixi tom. 1. huius operis quæst. 1. c. 31. §. 2. quæsito 6. *Noscat itaque*, vt cum Cic. dicam 1. de off. *suum quisque ingenium, & acrem se & bonorum, & vitiorum iudicem probeat, ne Scenici plusquam nos videamur habere prudentia: hi enim non optimas, sed accommodatissimas fabulas sibi eligunt.* Et Sen. de tranq. cap. 4. *Æstimanda sunt, quæ aggredimur, & vires nostra cum rebus quas tentaturi sumus, comparanda*, ne nostra ignominia onere pressi, ea cogamur relinquere, quæ tanta anxietate quæsiuimus, iuxta illud Proper. lib. 3. eleg. 9.

Turpe est, quod nequeas, capiti committere pondus.
Et pressum inflexo mox dare terga genu.

Sed malum mundi est, quòd nullus se nouit indignum, & insufficientem ad gubernandum, vt ait Ar. 4. pol. cap. 4. *Arrogant sibi virtutem cuncti, & multifariam se idoneos æstimant ad gubernandum.* Vnde non mirum, si videantur multi cum illo Claud. *Viue pudor facti.*

16. Dico 5. in Generali Ordinis requiritur, vt bene suo muneri satisfacere possit, eminentis scientiæ gradus, eo modo, quo hic *supra num. 6.* declaraui. In ista conclusione debent conuenire omnes Doctores citat. *num.* 11. & pro ea adduco D. Thom. *addit. ad 3. part. quæst. 36. art. 2. corpor.* vbi ait. *Ad Superiores Sacerdotes, scilicet Episcopos, pertinet, vt ea etiam, quæ difficultatem in lege facere possunt, sciunt, & tantò magis, quantò in maiori gradu collocantur.*

17. Nota pro probatione huius conclusionis, quòd duodecim sunt officia Generalis, ad quæ in conscientia obligatur secundùm Sacros Canones, de quibus Hostiens. *in summ. de elect. §. Ad quid tenetur num. 31.* & P. de Bais. *in direct. elect. p. 3. cap. 49. 1.* est prædicatoris, *cap. Sit rector, d. 43.* vbi multis probat Gregor. *ex cuius 2. part. past. cap. 4.* desumptum est illud cap. quod ad Prælatum pertinet prædicatoris officium: quod quippè officium exercere non potest, nisi habeat notitiam vtriusque testamenti, *cap. Qui Episcopus, d. 23.* & quod minimè nouit, nemo docere potest: & quod ore dicit, debet opere complere: nam quæ fiunt à Prælatis, de facili trahuntur à Subditis in exemplum; *cap. Magnæ §. 2. de voto, cap. ex merito, 6. q. 1.* & qualis est hera, tales & ancillæ, vt est in prouerb. Vnde Euripid. apud Stob. serm. 60. ait. *Serui dominorum morbis inficiuntur & secundum iudicem populi, sic & ministri eius, & qualis est rector ciuitatis, tales & habitantes in ea,* Eccl. 10. & Cic. 3. de leg. *Vt cupiditatibus principum, & vitiis infici solet tota ciuitas, sic emendari, & corrigi continentia.*

18. 2. Officium Prælati est Ducis, de cuius ratione tria sunt iam quòd debet Subditos præire in omnibus, non sequi *cap. Docendus, d. 62.* quod si cæcus cæcum ducat, ambo sine dubio in foueam cadent, *Luca 6.* & habetur *in cap. Cum sit ars artium, de æt. & qual.* sic magnus ille Cato apud Luc. lib. 9. pharsf. aiebat.

Ad magnum virtutis opus, summosque labores,
——————— dum primus arenas
Ingrediar, primósque gradus in puluere ponam.
Me calor æthereus feriat; mihi plena veneno
Occurrat serpens, fatoque pericula vestra
Prætentate meo, &c.

2. Quod in duce requiritur, est, vt æstimet quam maximè salutem Subditorum, proque illa omnibus se periculis exponere non vereatur. In quo excelluit ille magnus Scipio, quem victa nobilitauit Africa; quem solitum ferunt fuisse dicere, magis se vnam sui militis vitam æstimare, quam plures hostes illa priuare, 3. ducis munus est, dispersum militem colligere, saucium medicare, inter illum spolia distribuere. In quo etiam maximè excelluit Iulius Cæsar, de quo scribunt, quod, cum quadam nocte post commissum bellum, maris brachium tranasset, nec suos inuenisset, nauicula ad eos ascendit, & recusanti nauiculario ob flantes in contrarium ventos, dixit. Solue nauim, ne timeas, Cæsarem enim vehis, de salute suorum sollicitum.

19. 3. Officium Prælati, est magistri. Magister autem 4. debet habere conditiones. Prima debet esse scientia illustratus: 2. debet esse humilis, benignus, affabilis: 3. debet esse probus; ac rectus: 4. debet esse practicus, & expertus. Sed de his dixi *tom.* 1. *huius op. cap.* 30. *versus finem*: & plura possunt videri apud Pen. *in lib. vn. Cod. de profess] qui in vrb. Constant. lib.* 2. *col.* 1.

20. 4. Prælati officium est pastoris, secundùm quod triplicem panem tenetur ouibus ministrare, scilicet Sacramentalem, de quo dicitur Ioann. 6. *Ego sum panis viuus qui de Cælo descendi*, corporalem, seu naturalem, vt humana vita sustentetur, qui ab eo charitatiuè, & æqualiter dispensandus est, *cap. Quoniam quidquid*, 16. *quæst.* 5. & spiritualem verbi Dei, de quo dicitur Thren. 4. *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Propter hunc triplicem panem, ter dictum est Petro. Ioan. 21. *Pasce oues meas.*

21. 5. Prælati officiũ est præfecti vigilum, vnde culpa illius est, si lupus oues rapit, & ipse nesciat. *cap. Quamuis, de reg. iur.* vbi Glossa *vers. Pastor*, multa cumulat. Præfectus autem vigilum per totam noctem vigilare debet, & oberrare, iuxta dicta supra *quæst.* 1. *cap.* 7. *num.* 22. & adhibere curam, ne mali aliquid accidat, vt dicitur *in l.* 3. *ff. de prof. vig.* Vnde *Ezech.* 3. vocatur speculator. Quia inquit Prosper. de vita contemplat. cap. 2. *Speculantur actus hominum, & qualiter quisque viuat, diligenter explorant, quos bonos probauerint, honorando confirmant, quos deprehenderint vitiosos, arguentes.* Et aduerte, quòd negligentia in Prælatis est peccatum mortale; Glossa *in cap. Ea, quæ verb. Reatu, de off. archidiac.* & ibi Io. Andr. & Butr. Panor. *in cap.* 1. *de treu. & pace*, Imò, & quandoque dissimulatio mortale est in Prælatis. Glossa. *in cap. clericis, de immun. Eccl. vers. dissimulatione.* Panor. *loc. cit.* Felin. *in cap. Licèt Heli, de simon.* facit tex. *in cap. fin. dist.* 47. & Prælatus valdè negligens, est deponendus, Gloss. *in dicto cap. Ea, quæ verb. Negligentia*, & Gloss. *in cap. cum ad monasterium, verb. Negligens, de stat. Monach.* vbi Panor. Petr. de Bais. *in direct. elect.* 3. *part. cap.* 52. *num.* 13.

22. 6. Habet Prælatus officium patris, 1. quia filios verbo doctrinæ spiritualiter generare debet 1. Cor. 4. *Per Euangelium ego vos genui*, 2. eos debet lacte consolationis fouere, 1. ad Thess. 2. *Facti sumus paruuli in medio vestri, tanquam si nutrix foueat filios suos*: 3. debet filios erudire, 1. Cor. 3. *Tanquam paruuli lac* (doctrinæ) *vobis dedi potum*, 4. debet eis thesaurizare exempla multarum virtutum. Prouerb. 21. *Thesaurus desiderabilis, & oleum in habitaculo iusti.* Idest secundum Glossam interlinearem, claritas bonorum operum, & pinguedo deuotionis sunt hæreditas, quam inquit pater spiritualis filiis suis spiritualibus, & 2. *Cor.* 12. dicit eadem Glossa, quòd filij spirituales non debent thesaurizare, sed parentes spirituales debent thesaurizare filiis diuitias vitæ æternæ: 5. debet eis prouidere de necessariis, 2. Cor. 12. *Ego autem libentissimè impendam, & superimpendar pro animabus vestris.* Quem locum sic explicat Lir. Impendam vobis non solùm spiritualia bona, sed etiam temporalia, & superimpendar ego ipse, quasi diceret, Pro salute vestra paratus sustinere mortem. Et Hier. *Quod habeo, labore nimio impendo, & plusquam possum impendam; perfecta enim dilectio non solum totum, quod habet gratis impendit, sed etiam ipsa libenter impenditur, si necesse est.*

23. 7. Prælati officium est medici: *cap. Disciplina, dist.* 43. de hoc arg. conscripsit integrum librum. Scrib. qui inscribitur, medicus Religiosus, ad quem remitto Prælatos, & ad industrias etiam Claud. Aquauiuæ. Hic solum vnum monebo, Medici officium esse curare appositè ad sanandum, vt ait Fernel. *lib.* 1. *cap.* 1. Appositè autem curat, qui citò, tutò, & iucundè remedia confert, quæ facere non potest, nisi qui vtriusque medicinæ, actiuæ scilicèt & contemplatiuæ, valde peritus existit, vt nimirum rerum naturas cognoscat, quò possit earum viribus ad sanitatem vti, sciatque elementorum, humorum, complexionum, potentiarum, membrorum naturas, cognoscat etiam causas omnium morborum, & symptomatum: sciatque etiam ex signis coniicere præterita, præsentia, & futura.

24. 8. Habet etiam Prælatus officium Aduocati, tum apud Deum, quem tenetur assiduè orare pro sibi commisso grege, *cap. Si quis vult, d.* 36. *cap. Quia Sacerdotes*, 10. *q.* 1. tum apud homines, cum quibus Subditos adiuuat, & defendit, *cap. Monachi* 16. *q.* 1. *cap. Ex parte, de post. præl.*

25. 9. Habet officium militis armati, sed arma eius sunt orationes, & lachrymæ, 23. *q.* 8. his defendit Subditos, arcet luporum truculentam rabiem, rigat, confouet.

26. 10. Habet officium gladiatoris. Est autem excommunicatio mucro illius, *cap. Visis, in fine*, 16. *quæst.* 2. *cap. Si quis, de reb. Eccles. non alien.* Quo quomodo vtendum, docet Trid. *sess.* 25. *de reform. cap.* 3. Vide pro pœnis contra malè vsurpantes, *cap. Nemo* 2. *quæst.* 1.

27. 11. Habet Prælatus officium agricultoris, *cap. Solit §. Potuisses de ma. & ob.* vt euellat, destruat, disperdat, dissipet vitia, non solum quoad radicem, sed etiam quoad machinationem malæ ordinationis, vitiosorum adunationem, atque vitiorum defensionem, & hoc prædicando verbum, instando opportunè, importunè arguendo, obsecrando, in omni patientia, & doctrina, vt dicitur 2. *ad Timot.* 4. Nec solum debet destruere, sed etiam ædificare tanquam bonus architectus, de quo 1. Cor. 3. *Secundùm quam data est mihi, vt sapiens architectus fundamentum posui, quod est Christus Iesus.* Ædificet itaque, & plantet virtutes. Et notat Greg. 3. *p. past. c.* 35. quod agricultor prius debet amputare malas radices, quam plantare bonas. *Quia nisi prius peruersa destrueret, ædificare vtiliter recta non posset.*

28. 12. Habet Prælatus officiũ Correctoris, *c. Transmissam, de elect. c. Quanto de his, quæ fiunt à Prælato. cap. Qualiter el 2. de accus. c. Ea, quæ, §. Si vero, de stat. Monach.* & in ordine nostro hoc nomine appellantur Superiores, vt patet *ex n.* 44. *Reg.* vbi quale sit officium Correctoris, describitur. In hoc autem munere exequẽdo recordetur Prælatus aurei illius dicti. Sen. 1. de clem. c. 22. *In alienis iniurijs vindicandis, tria sequi debet Princeps: aut vt eum, quem punit, emendet, aut vt pœna eius cæteros meliores reddat; aut vt sublatis malis, securiores cæteri viuant.*

29. Ad quæ officia tenetur Prælatus in conscientia, & de negligentia rationem redditurus est illi, qui

qui eum iudicaturus est, *cap. 1. de off. archid.* Ex quibus remanet probata nostra conclusio. Constat enim quòd sine eminentis scientiæ gradu non possunt dicta officia rectè,& ritè exerceri: imò, & etiam cum illa est valdè difficile, ait enim Naz. or. 1. apol. n. 31. *Sed sit sanè aliquis non modò à vitiorum contagione purus, verum ad summum etiam virtutis fastigium euectus, haud equidem video, quanam scientia instructus, aut quibus viribus fretus, huiusmodi præfecturā intrepidus suscipere queat*: & n 64. *Qui præsidenti animo præfecturam suscipit, hunc ergo solertia nomine admiror, ne dicam stultitia, &c.* Quæ ibi perbellè Naz. ad quæ remitto Prælatos. Si verò Generalis dictam eminentem scientiam non haberet, modò haberet competentem, toleraretur, *per cap. Nisi cum pridem, §. pro defectu de renun.*

30. Dico 6. in Prouinciali sufficit scientia mediocris, & in Correctore sufficiens. Probatur, quia licèt Prouincialis eadem habeat officia exercere in sua Prouincia, quæ Generalis in tota Religione, cum tamen melius suos Subditos cognoscat, vtpotè cum illis ordinariè enutritus, & non tam ardua negotia passim illi occurrant, sufficit, si ordinaria negotia per se resoluere possit, & pro extraordinariis libros, vel peritos consulere. Similiter Corrector pauca habet admodum negotia, quæ & faciliter enodari possint, vnde sufficit, si in arduis sciat dubitare, & peritiores consulere.

31. Dico 7. Collegæ Generalis, Prouincialis, & Correctoris, debent habere eandem, vel paulò inferiorem scientiam, quam habent sui respectiuè Prælati. Quia, cum sint Prælatorum consiliarij, imò, & in multis coniudices, vt probatum est *supra q. 1. cap. 2. à num. 13.* non rectè suo muneri satisfacient, nisi intra eandem saltem speciem fuerint, doctrina, quam debent habere Prælati insigniti. Et colligitur ex Trident. *sess. 24. de reform. cap. 1.* quatenus requirit in Cardinalibus, qui sunt consiliarij Pontificis, eandem scientiam, quam in Episcopis. Et collige etiam ex hoc, quod non potest tuta conscientia eligi in Collegā, qui dicta scientia non fuerit præditus, sob prætextu quòd alij duo Collegæ sint doctissimi, & quòd ipse illorum opinioni semper adhærebit: nam licèt hoc in concordi sententia fortè sustineri posset ex hoc capite, in discordi tamen, si indoctus sit, non poterit inter eorum sententias iudicare.

32. Dico 8. Qui diuturno vsu, & longa experientia ea nouit, quæ necessaria sunt ad sui muneris functionem, potest in Correctorem eligi, etiamsi Grammaticam, & Latinam linguam penitus ignoret. Ita Azor. *par. 2. lib. 6. cap. 6. quæst. 6.* Parisius *lib. 5. de resig. q. 3. num. 109.* Maiol. *lib. 1. de irreg. cap. 31. num. 10.* Sigismund. *de elect. p. 2. dub. 63. num. 3.* Reginald. *in praxi, l. 3. tract. 3. num. 173.* Abb. *in cap. vl. de æt. & qual. n. 4.* Probatur quia experientia cum prudentia coniuncta, est magistra omnium scientiarum. Vnde etiam collige, quod possunt electores eligere in Correctorem virum illiteratum, qui tamen, cum alias Corrector fuerit, bene se gesserit, supposito quòd Correctoratus sint eiusdem, vel paulò Superioris qualitatis, nam est aptus, v.g. quis regere duodecim Fratres, qui non est aptus regere quinquaginta, & est aptus quis regere Fratres ordinatios, & seniores, qui non est aptus regere grauiores, & iuniores. Lamb. *de iur. patr. lib. 2. p. 1. q. 9. art. 24. n. 6. vers. Et ibi dictis adde.* Quod tamen limita, nisi alij doctiores, & expertiores adsint. Maiol. *loco cit. num. 14.* Azor. *q. 9.*

33. Dico 9. Ardens charitas, vitæ, morumque probitas possunt supplere scientiæ defectum. Angel. *verb. Clericus 2. n. 5. fine.* Sylu. *eod. n. 1. dicto 1.* Salz. ad Dinz. *c. 21. vers. aliquando tamen.* Abb. *c. Cum in cunctis, de elect. n. 4.* Vbi Innoc. *n. 3.* Regin. *loc. cit. n. 172.* Maiol. *loc. cit. n. 4. & 5.* qui id illustrat exemplis. Paris. *num. 112.* Azor. *quæst. 8.* probatur *ex cap. nisi cum pridem, §. pro defectu, in fine,* vbi dicitur. *Scientia inflat, charitas autem ædificat, & ideò imperfectum scientiæ potest supplere perfectio charitatis,* Ratio est, quia charitas est bonum notabile, recta voluntas, ab omnibus terrenis, & præsentibus prorsus auersa, inseparabiliter Deo coniuncta; *cap. Charitas est, de pœnit. d. 2.* Debet tamen esse coniuncta cum discretione, *cap. Non solum de reg. in 6.* vbi dicitur. *Puritati conscientiæ non debet deesse iudicium rationis, ne vnde spiritualis profectus quæritur, salutis dispendium subsequatur,* vbi etiam nota, quod quamvis quis sit idoneus in scientia, non ideò præcedere debet alios, quorum mores sunt magis cogniti, nam cum Trid. *sess. 24. de refor. cap. 18.* non se fundet tantùm in scientia, sed etiam in moribus, & prudentia vtrumque requiri dicendum est, & si ex his aliquid desit, melius est, quòd desinat ex scientiæ, quam ex moribus, scientia enim non ita eminens suppletur per virtutes morales coniunctas. Et ita declarasse Sacram Congregationem refert Gonz. *ad reg. 8. cancell. Gloss. 4. num. 112.* his verbis. *Præferendus est minus doctus, modò idoneus, quando eius mores sunt noti, & approbati, doctiori, cuius vita ignoratur.*

34. Dico 10. Vbi non reperirentur viri literati, possent illiterati, & non sufficientis literaturæ præfici. Maiolus *loc. cit. num. 9.* Menoch. *de arb. lib. 2. casu 425. num. 44.* Abb. *loc. cit.* probatur tùm *ex cap. 24. Isaiæ,* vbi dicitur. *Et erit sicut populus, sic Sacerdos,* tum *ex cap. Pris. d. 55.* vbi Gloss. *vers. sufficientibus*: & *ex cap. 1. d. 57.* ibi, *Aut hominum raritas,* vbi Gloss. tum ex communi dicterio, *Inter cæcos lusci dominantur*: & panem facimus de farina, quam habemus. Cauendum tamen hoc casu electoribus, ne ignorantem præsumentem scire eligant, nam nocebit multò magis, quàm ignorans, suam ignorantiam cognoscens, hic enim, consulendo doctos, veritatem attinget aliquando: ille semper perdet omninò. Vnde Quintilian. lib. 1. inst. or. cap. 1. *De pædagogis hoc amplius, vt aut sint eruditi planè, quam primam esse curam velim, aut se non esse eruditos sciant; nihil enim peius est iis, qui paulùm aliquid vltra primas literas progressi, falsam sibi scientiæ persuasionem induerunt: nam & cedere præcipiendi peritis indignantur, & velut iure quodam potestatis, quo ferè hoc hominum genus intumescit, imperiosi, atque interim sæuientes, stultitiam suam perdocent.*

35. Dico 11. vbi nulla ex dictis causis intercedit; non potest cum illiteratis dispensari, vt ad dignitates assumantur, per quancumque potestatem, etiam Papalem. Ita Gonz. *ad reg. 8. gloss. 4. num. 43.* Parif. *de resig. lib. 5. cap. 3. num. 100.* Guriett. *de tutel. part. 1. cap. 18. num. 2.* Maiol. *loc. cit. num. 13.* Diaz *in praxi, cap. 21. num. 5.* vbi citat dictum Fel. dicentem, quòd si Papa scribat etiam ex certa scientia pro illiterato, obediendum non est, quia vitium illiteraturæ est de iure diuino. Constat ex cap. 4 Oseæ. *Tu scientiam repulisti, & ego repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Et 1. *Tim.* 3. Oportet Episcoporum esse doctorem. Et *cap. 4.* Timotheo præcipit, vt lectioni, exhortationi, & doctrinæ attendat. Vide Azor *tom. 2. lib. sexto, cap. sexto, quæstione quarta,* Ioan. de Selua *de benef. part. 3. quæst. 5. num. 6.*

36. Quæres cur permittat aliquando Deus viros ignorantes, & malos regnare? Respond. id Deum permittere in pœnam Subditorum, Gregor. 1. part. past. cap. 1. *Quia pastorum sæpè imperitia meritis congruit Subditorum*; Et 25. moral. cap. 14. ad illa verba. Qui regnare facit hominem hypocritam, *Nullus, qui talem Rectorem patitur, eum, quem patitur, accusat, quia nimirum sui fuit meriti, peruersi Rectoris subiacere ditioni.* lib. 4. in 1. Reg. c. 1. vers. non te abiecerunt, ait: *An fortasse abiectum se in Regis petitione conqueritur, pro reproba voluntate malè petentis populi, petitur Rex, conceditur pro vindicta, vel fortasse idcircò reprobus Rex*

eligitur, vt electus successor eius Rex Dauid in eo cognosceret, quid cauere debuisset. Aug. Psal. 51. sub init. *Saul Rex non ad permanendum electus est à Domino, sed secundum populi cor durum, & malum datus ad eorum correctionem, non ad vtilitatem.* Eadem habet Cypr. ep. 38. ad Rogat. Iten. lib 5. aduersus hær. cap. 24. *Cuius iussu homines nascuntur, huius iussu, & Reges constituuntur, apti his, qui in illo tempore ab ipsis reguntur. Quidam enim illorum ad correctionem, & vtilitatem subiectorum dantur, & conseruationem iustitiæ, quidam autem ad timorem, & pænam, & increpationem, quidam autem ad illusionem, & contumeliam, & superbiam, quemadmodum, & digni sunt.* Isid. lib. 3. sent. cap. 48. *Reges quando boni sunt, muneris est Dei; quando verò mali sceleris est populi; secundum enim meritum plebium disponitur vita Rectorum*: vide D. Th. lib. 3. de reg. Princ. cap. 7. & cap. 11. in fine, ait. *Interdum dum populus non cognoscit beneficium boni regiminis, expedit exercere tyrannides, quia hæ etiam sunt instrumentum diuinæ iustitiæ.*

§. I.

Quas scientias in particulari deceat, & necesse sit habere Prælatum Regularem.

VIde Duar. *de minist. Eccl. lib. 4. cap. 2.* Sarr. *in cine Reip. reg. conf.* 4. *& sequent.* Lips. *in not. ad lib. 1. pol. cap. 10.*

37. Noto, quod studia, quibus communiter incumbunt Religiosi, sunt Grammaticæ, Philosophiæ, & Theologiæ. Theologiam cuius præcipuè est Religiosorum institutum, in quinque partes diuido. In scholasticam, quæ malleus hæreticorum dicitur, in moralem, quæ dirigendis Christianorum conscientiis inseruit, cui annectitur scientia Canonum, in scripturalem, quæ prædicatoribus inseruit qui sunt anchora nauis Ecclesiæ, in mysticam, qua humana mens, his mundanis reiectis, tota se per charitatem in Deum transfundit, & in asceticam, quæ est Religiosorum specialis, deque iis agit, quæ ad Religiosorum statum, tam perfectionis, quàm necessitatis peculiariter pertinent. Alias Theologiæ diuisiones, vide apud Sand. 1. *part. Theol. lib. 1. com. 3. exer.* 1. vbi 14. Theologiæ diuisiones numerat.

38. Dico 1. necessarium est, Prælatum Religiosum, Generalem præsertim, & Prouincialem excellere in vna ex dictis Theologiis, cæteras autem sufficit attingere. Ita Duar. *loc. cit.* patet ex dictis *num.* 16. *&* 30. Cum enim dixerimus, in his Prælatis requiri gradum scientiæ eminentis, & mediocris, nec possibile sit, omnes in summo gradu possidere, propter scientiarum difficultatem, & vitæ breuitatem, vnde quærebatur Theophrast. quòd satis concedere tenetur, cum aliquid scire cœpisset. Et medicorum coriphæus Hippocr. dicebat, illorum artem esse longam, & vitam breuem; vnde Sen. de breu. vit. cap. 1. *Maior*, inquit, *pars mortalium de natura malignitate conqueritur, quod in exiguum æui gignimur, quòd hoc tam velociter, tam rapidè dati nobis temporis spatia decurrant*, dicendum est, quòd eminenter doctus est ille homo, qui in vna excellit, & alias non ignorat.

39. Dico 2. non est necesse, Prælatum Regularem habere scientiam iuris ciuilis: licèt enim iuris Canonici scientiam ignorare non debeat, ad dirimendas lites, ac controuersias, quæ in Religionibus quotidie occurrunt, & ad facienda iudicia, vitiaque punienda, vt dicitur *in cap. 1. §. Cæterum de consang. & cap. Nulli d. 38. & cap. Qui Episcopus, d. 23.* Et quamvis iuris ciuilis Doctores dicant sine capitulis parum valere leges, & capitula sine legibus nihil, per quod significant, nihil prodesse scientiam Canonum sine iuris ciuilis prudentia: non puto tamen, necessariam esse Prælatis Regularibus legum scientiam, nec etiam attingere, cum omnia, quæ possint illis in suis muneribus occurrere optimè possint resolui per scientiam Canonum, & moralem Theologiam: Hoc mihi satis persuadet *cap. Super specula, ne cler. vel Monach.* vbi prohibetur Religiosis studere legibus, vel medicinæ, sub pœna excommunicationis ipso facto; quod non fieret, si Religiosis studium dictarum facultatum esset necessarium. Et constat etiam experientia, qua videmus, multos Religiosos Prælatos rectè, & cum laude exercuisse Prælationes sine dictis scientiis. Valde tamen vtile erit Prælatis Regularibus, si legibus priuatim quandoque studeant, aliquasque horas in eis consumant. Eodem modo dic de studio medicinæ, poterit enim hoc vti Prælatus in ordine ad bonum spirituale, & ex illa ingenti cura, quam corporales Medicos humani corporis videbit habere, eliciet, quanta sibi erit adhibenda in sanatione spirituali animæ.

40. Dico 3. necesse est, Prælatum Regularium esse valde exercitatum in literis humanioribus, historiis sacris, atque prophanis, Philosophis, Poëtis, Oratoribus. Ita D. Th. *lect. 3. in c. 1. 1. ad Cor.* Duar. *loc. cit.* Probatur tum ex iis, quæ dixi *tom. 1. huius op. cap. 30. concl. 2. & 3.* Tum quia ex his quamplurima eliciuntur necessaria pro vita spirituali. Tum quia, cum Prælati officium præcipuum sit docere, non poterit id munus rectè exequi, nisi magnam eruditionem, quæ in dictis literis continetur, sibi comparauerit. Tum quia SS. PP. qui in dictis literis eminentes fuere intelligere minimè poterit, & tamen in Patribus est fons, & origo omnis Theologiæ. Et Philosophicæ scientiæ mentem attollunt, & abducunt à vano metu, aut admiratione rerũ. Et historia lux est veritatis, & magistra vitæ, in hac enim, tanquam in speculo, ornamus, & componimus vitam nostram ad alienas virtutes. Et Rhetorica, quatenus persuadendi, & dissuadendi facultatem tribuit, Platoni, *de sum. bon. paulò ante fin.* visa est necessaria, cum dixi, *Persuadendi facultatem artibus cunctis excellere, quippè quæ cuncta non vi, sed sponte sibi subyciat.* Vnde de famoso illo Oratore Demosthene ait Sabel. lib. 1. exemp. cap. 6. *Quòd, eo loquente, pacem, & bellu suscepit Græcia, susceptâ deposuit, fœdera cum Regibus iunxit, iunctu dissoluit.* Poësis etiam, & quatenus syllabas mensurare, & quatenus multa ad mores accommoda, & secundũ moralem Philosophiam docet, & quatenus etiam defatigatum potest recreare ingenium, vtilis admodum erit. Tum etiam, quia cum habeat Prælatus instituere Lectores, tum Philosophiæ, tum humanitatis, non poterit id per se rectè facere, nisi dictas scientias calleat. Vnde refert Ammian. Marcel. *lib. 22. & 25.* impium illum Imperatorem Apostatam interdixisse Christianis scholas Grãmaticorũ, Rhetorum, ac Philosophorum, sperans, quòd absque liberali eruditione suam Religionem tueri non possent, *Propriis*, inquiens, *pennis configimur, ex nostris enim libris arma capiunt, quibus in bello aduersus nos vtantur.* Ex quo forte desumptum est iniquum illud decretum factum ab Henric. VIII. Angliæ Rege, quo Fratribus quibusdã Carthusiensib. contemnentibus in eius venire sententiam, mandatum est, vt ab eis omnes libri auferrentur, vt tradit Tor. *in phil. moral. lib. 25. cap. 1.* qui ad id probandum affert multa *in prol. dicti op. num. 12. lib. 19. c. 7. versus fin.* Tandem hoc probat manifestè *c. Turbat, dist.* 37.

41. Dico 4. vtile admodum esset, si Prælati Regulares in linguis peregrinis, græca, hebraica præsertim eruditi essent, hispanica, gallica, germanica Itali, & illi è contra Italica. Ita Duar. *loc. cit.* Probatur tum *ex clem. 1. de magist.* vbi id expressè mandatur, & redditur ratio, quia etiã Christus suos Apostolos, eo quòd seminatores esse deberent Euangelij in omne genere linguarum eruditos esse voluit. Quod etiam præcepit sub pœna indignationis suæ Paulus V. vt dixi, constitutionem afferens, *tom. 1. priuil. in const. 2. Iulij II. num. 19.*

&

& rigorosius decretum de mente Vrbani VIII. factum est à Congregatione de propaganda fide, quod affero *in addit. ad priu. reg. cap. 3. num. 11.* Tum quia multi sunt libri his linguis conscripti, eruditione, & scientia pleni, quorum cognitio multum prodesset ad bene gerendum suum officium. Et Generali, qui habet sub se Gallos, Hispanos, Belgas, Germanos, est ferè necessarium eorum linguas tenere. Tum ad amorem sibi dictarum nationum conciliandum; sumus enim tam rerum nostratum amantes, vt statim ac videmus, extraneum lingua nostra loqui, eum & libentius audiamus, & teneriùs amemus, amarique ab eo existimemus. Quo medio vsus est Rabsaces Assyriorum Dux 4. *Reg.* 18. vt Iudæos sibi beneuolos redderet: & Paulo valde id profuit *Act.* 22. & volatilia ad sibi similia conuenire, docet *Eccl. cap.* 27. Tum ad suorum subditorum necessitatibus prouidendum; non enim omnes subditi linguam Europæis communem callent; & quando id esset, quod impossibile puto, non ita bene ea lingua omnes communicare possunt animi passiones exprimere; vnde multi vt plurimi retardantur à colloquendo cum suis Prælatis, quando vident eos non intelligere linguam suam, quod vergit in maximū Religionis detrimentum. Quare laudatur magnopere Mithridathes Rex Ponti, vt dicit Chauass. *de vera prud. lib.* 3. *cap.* 10. § 3 quòd, cum 22. nationes diuersarum linguarum subiectas haberet, vniuscuiusque lingua liberè loquebatur. Nec contemnant ista Prælati, quasi parui sint momenti; nam, vt Hier. ait in epist. ad Lætam, de instit. fil. *Non sunt contemnenda quasi parua, sine quibus magna constare non possunt:* Quod etiam docuit Quintil. *lib. inst. or. cap.* 1. & certissimum puto, quod Generalis, nisi linguas vulgares suorum subditorum intelligat, non possit plenè suo muneri satisfacere. Et præterea, vt ait Veget. de re milit. in prol. lib. 1. *Neminem decet vel meliora scire, vel plura, quàm Principem, cuius doctrina omnibus potest prodesse subiectis.*

42. Dico 5. vtile etiam erit Prælato si geographicas, geometricas, astronomicas, physiognomicas scientias calleat. De Geographia patet; quia, cum hæc faciat situs terrarum, & magnitudines, atque interualla nosse, ostendatque portus, aditus, flumina, maria, montes, oppida, ciuitates, aliaque quamplurima scitu dignissima, nemo ibit inficias, hanc facultatem futuram fore maximè vtilem iis Prælatis regularibus, qui semper ferè sunt in cursu, suas amplas Religiones visitando. Geometrica etiam erit vtilis pro situandis monasteriis, mensurandis distantiis, altitudinibus, & profunditatibus; ac etiam pro distribuendis honoribus, & oneribus Geometria est necessaria, vt ait Mersen. *in Gen. cap.* 1. *vers.* 1. *contra Atheos ratione* 17. Arithmeticam si non calleat, cogetur in computis conuenientium recipiendis, (negotium magni momenti ob innatam homini cupiditatem) alienis dictis stare.

43. Expatiemur autem aliquantulum in Astronomia, pro qua Noto 1. quòd cælum per virtutem, quam à Deo accepit in sui creatione, agit in hæc inferiora, vt docet Arist. 1. *meteor. cap.* 2. ibi ait. *Virtutem omnem inferioris mundi à supernis lationibus gubernari* & 2. phys. tex. 26. *Homo*, ait, *hominem generat, & sol.* & probat D. Thom. 1. *p. quæst.* 115. *art.* 3. Et experientia constat, qua videmus, accessu, & recessu solis quadripartitam anni diuisionem fieri, ortu, vel occasu aliquorum astrorum, calorem, frigus, & alias qualitates augeri, vel minui; tempestates magis excitari, vel sedari: in morbis etiam curandis sapienter, & vtiliter expectari à Medicis tempus congruum, vt docet Gal. *lib.* 3. *de dieb. crit.* & Ouid. 1. *de Ponto.*

Temperie cæli corpusque animusque iuuatur.

Et Ar. 7. *pol. cap.* 7. Ex climatum diuersitate diuersitatem complexionum colligit. *Nam, qua frigidas, inquit, regiones incolunt, gentes, & quæ per Europam, animo quidem abundant, ingenij verò, & artificij parum habent*, &c.

44. Noto 2. cælum per se, & directè nullam habere virtutem agendi in intellectum, voluntatem, vt probat D. Thom. *lec. cit. art.* 4. & 3. *contra gen. cap.* 84. & constat, quia, si quid posset producere in intellectum, vel voluntatem, vel id esset per modum habitus, vel per modum operationis. Non primum, quia quicquid recipitur in intellectu, vel voluntate, debet esse spirituale, vt sit proportionatum recipienti, cœlum autem, cum sit corporeum, spirituale producere nequaquam potest. Neque 2. tum quia operationes intellectus, & voluntatis vitales sunt, quæ non possunt esse nisi à principio habente vitam, vel ad summum à supernaturali agente, quale non est cælum. Tum quia si cœlum per se causaret actum volitionis, sicut actio cœli est necessaria, ita etiam receptio illius actus in voluntate esset necessaria, & sic tolleretur libertas, &c. Verum quidem est, quòd per accidens, & indirectè cœlum potest aliquo modo agere in intellectum, & voluntatem; dum enim agit in organa, quæ inseruiunt ad operationes animæ, v. g. dum calefacit sanguinem circa cor, quo efferuescente excitamur ad iram, dicitur etiam cœlum excitare ad iram. Et eodem modo, qui certis astris propitiis concipiuntur, magis dicuntur valere ingenio, quàm alij, quia per actionem illorum astrorum præcipua quædam organa sensuum internorum sunt magis apta, & disposita; ex quorum deinde operationibus multum pendet ipse actus intelligendi per hanc tamen inditectam actionem nulla voluntati infertur necessitas, sed semper, orgaois quomodocunque dispositis, & alteratis, potest voluntas non sequi motionem cœli, & oppositum actum elicere, quidquid garriat Astrologorum vanitas. Vnde Ier. 8. dicitur. *A signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ sunt.*

45. Noto 3. quòd 12. sunt signa Zodiaci, quæ his versibus continentur.

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libraq; Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces.

Aries regnat à die 21. Martij, vsque ad 21. Aprilis, qui eo tempore nascitur, erit calidæ, & siccæ naturæ, ac consequenter cholericus. Taurus regnat à die 21. Aprilis ad 21. Maij, qui eo tempore nascitur, terræ naturam induit, & erit frigidus, & siccus, ac melancholicus. Gemini à 21. Maij ad 21. Iunij, qui eo tempore nascitur, calidus, & humidus est, & sanguineus. Cancer à 22. Iunij ad 22. Iulij: qui eo tempore nascitur, solet esse frigidus, & humidus, ac phlegmaticus. Leo à 22. Iulij ad 23. Augusti qui eo tempore nascitur solet esse calidus, & siccus, ac cholericus. Virgo à 23. Augusti ad 24. Septemb. qui eo tempore nascitur, solet esse frigidus, & siccus, ac melancholicus. Libra à 24. Septemb. ad 23. Octob. qui eo tempore nascitur, solet esse calidus, & humidus, ac sanguineus. Scorpio à 23. Octob. ad 23. Nouemb. qui eo tempore nascitur, solet esse frigidus, & humidus ac phlegmaticos. Sagittarius à 23. Nou. ad 22. Decemb. qui eo tempore nascitur, solet esse calidus, siccus, ac cholericus. Caper 22. Decemb. ad 22. Ianuarij; qui eo tempore nascitur, solet esse frigidus, & siccus, ac melancholicus. Aquarius à 22. Ianu. ad 19. Februarij; qui eo tempore nascitur, solet esse calidus, & humidus, ac sanguineus. Pisces à 19. Februarij ad 21. Martij; qui eo tempore nascitur, solet esse frigidus, & humidus, ac phlegmaticus. Distribuuntur itaque ista signa quatuor elementis. Et igni tribuuntur Aries, Leo Sagittarius, quæ sunt signa ignea, & cholerica. Terræ tribuuntur Taurus, Virgo, Capricornus, quæ sunt signa terrea, & melancholica. Aëri tribuuntur Gemini, Libra,

Aquarius, quæ sunt signa aëra, & sanguinea. Aquæ tribuitur Cancer, Scorpio, Pisces, quæ sunt signa aquea, & phlegmatica, & sic constat, quòd omnes homines aut sunt cholerici, aut melancholici, aut sanguinei, aut phlegmatici. Cholericorum naturam hi tibi versus demonstrant.

Hirsutus, fallax, irascens, prodigus, audax,
Astutus, gracilis, siccus, croceique coloris.

Inuidus, & tristis, fallax, luteique coloris.
Melancholicorum.
Non expers fraudis, timidus, dextraque tenacis.

Largus, amans, hilaris, ridens, rubeique coloris,
Sanguineorum.
Constans, carnosus, satis audax, luxuriosus.

Hic somnolentus, piger, in sputamine multus,
Phlegmaticorum.
Nil retinens sensu, pinguis facie color albus.

46. Cum ergo cum his omnibus humoribus habeat agere Prælatus, vtile erit, si studeat quorumcumque subditorum inclinationes cognoscere, vt sciat, quanti singulos expendere possit.

Et quid quisque ferat, quid quisque recuset.

Vt ait Virg. *apud Macrob.* 5. Satur. cap. 16. iuxta illud Prou. 27. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera.* Ad quem locum ait Hier. seu potius Beda lib. 3. *Diligenter adhibe curam eis, quibus te praesse contigerit, agnosce animos, actusque singulorum; & si quid in eis vitij sordidantis inueneris, citius castigare memento.* Licet enim hæ inclinationes liberam humanæ mentis naturam nequaquam cogere possint, & sciat sapiens astris dominari, & infirmitates quandoque primariam hominis complexionem mutent; qui tamen parum prudentes sunt, & complexionem non mutarunt, vt iuuenes, à suis se trahi sinunt inclinationibus. Cholerici ergo sunt superbi, impatientes, præcipitosi, iniuriosi, valde de se ipsis præsumentes. Hos conuenit frænare, reprimere, dum iuuenes, nec minima quidem eis condonare, humiliare pro posse, nunquam se illis gratum, & iucundum exhibere, sed semper grauem, semper Superiorem; si enim illis des digitum, vt aiunt, sumunt & brachium. Nec dubitandum, adoleuerint, ne tibi sint infensi; nam, præterquam quod id timere non debes, præmium, & retributionem tuorum laborem à Deo expectans, citò obliuiscuntur iniuriarum. Melancholici sunt auari, meticulosi, impuri, rudes, duri, obstinati, inofficiosi, inciuiles, conuersationem fugientes, irresoluti, diffidentes, suspiciosi, non multum loquentes, dissimulatores, osores, vindicatiui, & inimici illorum, quos læserunt, iuxta illud Sen. 3. de ira, cap. 33. *Quos læserunt, oderunt.* Cum istis agat valde prudenter Prælatus, & contraria vitiis adhibeat medicamenta virtutum: tardus sit ad illis concedendum aliquid ad vsum proprium, & nunquam aliquid concedat in perpetuum, vel indefinitè, sed semper ad tempus præfixum; non permittat vincere, quæ obstinatè prætendunt, lentè tamen, ne frangat, tribuat aliqua officia, quæ eos officiosos, & ciuiles, & conuersabiles reddant; suspicantes, & diffidentes increpet durè; parum credat illorum dictis, nisi arbitros signent, & priusquam iudicium ferat, arbitros audiat; semper enim addunt aliquid de sua imaginatione, & quandoque vendunt somnia, tanquam Euangelicam veritatem; isti reducendi, quantum fieri potest, vt sint timoratæ conscientiæ, alioqui solent esse valde perniciosi. Sanguinei amantes sunt recreationum, inimici mœstorum sermonum, fugientes rixarum, amantes pacis, benigni, affabiles, non iniuriosi, nisi vi tracti, iniuriarum actiuè, & passiuè immemores, officiosi, liberales, pij, iusti: Istos moderatè frui permittat recreationibus; difficulter permittat exire è conuentu, attendat quibuscum conuersentur, hortetur sæpe ad studendum, & ad pœnitentiam. Phlegmatici sunt tardi in omni actione, tam in motu, quàm in loquendo in consiliis irresoluti, timidi in executionibus; amant, sed non ardenter, oderunt, sed non vehementer; modesti, moderati, ac obedientes: Isti calefaciendi sunt, vt scientias, & virtutes assequantur, prohibendi à conuersationibus, quæ eos ad aliquod vitium possint trahere; nam faciles sunt ad virtutes, & vitia adipiscenda. Vide Sen. *lib. 2. de ira, cap.* 19. cum quo *cap.* 20. concludo, quòd licet *Naturam mutare difficile sit, ne liceat semel mixta nascentium elementa conuertere, plurimum* tamen *potest consuetudo, plurimumque salubriter institui,* vt dicit *cap.* 21. Immò tantum potest educatio, vt naturam vincat, vt ait Ambros. relatus à Scrib. *in pol. christ. cap.* 21. & Cic. apud eundem: *In arte, & doctrina plus est præsidij, quàm in natura.* Et Plut. de lib. educ. col. 3. *Fons, & radix virtutis atque honestatis vitæ est institutio proba.* Vbi, vt patet, plus institutioni; quam naturæ tribuit. Et Sen. loco cit. cap. 18. *Facile est teneros adhuc animos componere.* Nulla est ergo tanta malignitas, quam non assidua virtutis exercitatio corrigat. Cognoscat itaque Prælatus suorum intima subditorum, vt iuxta morbos sciat adhibere medicinas: non fidat tamen omnino signis naturalibus, sed præsentes obseruet mores, nam ait Sen. loco cit. cap. 15. *Tibi sæpe bonam indolem in malis quoque ostendam; sed non ideo vitia non sunt, si naturæ melioris indicia sunt.*

47. Circa Physiognomiam nota, quòd sicut anima nostra ad imaginem, & similitudinem Dei creata est, sic illam diuinam maiestatem imitari in operibus suis studet, quantum potest; vnde sicut Deus in productione creaturarum manifestauit suam gloriam, omnipotentiam, misericordiam, &c. dicente Basil. hom. 11. in exam. *Vniuersa hæc mundi moles perinde est, ac veluti liber literis exaratus, palam contestans, ac deprædicans gloriam.* Et ps. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.* Vnde dixit Architas Tarent. *quod rerum vera contemplatio facit vt cognoscatur Deus.* Sic anima nostra in corpore, quod informat, curat imprimere suam omnimodam cognitionem, vt in eo appareant diligenter intuentibus, intimiora eius sensa, & secretiora secreta. Quare omnes, quas sentit, passiones amoris, vel odij statim per corpus exprimit. Adde, quod, cum anima, & corpus vnum perfectum substantiale indiuiduum faciant, id non posset verificari, nisi partes essentiales, ex quibus componitur, haberent inter se correspondentiam, nec hanc haberent, nisi mutuo sibi suas communicarent passiones. Et sic videmus, quod ad dolorem corporis mœret anima, & ad mœrorem istius, dolet illud. Denique natura neminem fallere intendit, vnde cum videt aliquem futurum malum, ne quis de ea conqueri possit, signat, quare in prouerbio deductum est, *A signatis caue.*

48. Quapropter multi à pulchritudine corporis, animæ pulchritudinem collegere. Et ideo Augustinus 15. de ciuit. cap. 23. ait. *Consuetudo quippe Scripturæ est etiam speciosos corpore, bonos vocare.* Et Eccl. 8. dicitur, *Sapientia hominis lucet in vultu eius.* Et inter alia egregia, quæ de Dauid enumerantur 1. Reg. 16. dicitur, quòd erat pulcher aspectu, & decora facie, ad quem locum Rang. describit, quæ requirantur ad constituendum aliquem pulchrum secundùm longitudinem, latitudinem, & coloris suauitatem. Pulchritudo, si cupis scire quid sit, accipe ex August. 22. de ciu. Dei, cap. 19. *Est apta figura, congruentia partium cum coloris suauitate.* Et Ouid.

Par animo quoque forma suo respondit in illo;
Et genus; & facies, ingeniumque simul.

Plura

Plura huiusmodi vide apud Menoeb. *lib. 2. inst. pol. cap. 30. num.* 8. Campanil. *in diuer. iur. rub.* 11. *cap.* 17. Vide etiam Cassiod. *lib.* 8. *var. ep.* 4.

49. E contra verò ex corporis deformitate animæ deformitatem collegerunt. Vnde: *Cuius facies est deformis, vix potest habere bonos mores*, dicebat Rasis *lib. 2. ad Almansorem*, *cap.* 33. & Marth. *lib.* 12. *epigr.*

Crine ruber, niger ore, breui pede, lumine læsus;
Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

Et interrogatus Cassius Sophista, cur monstruosæ formæ homines insipientes essent? respondit. *Quia corporalibus consentiunt animalia, sicut animalibus corporalia.* Plura huiusmodi vide apud Stob. *serm.* 88. Bong. *de num. 4. pag. mihi* 141. qui addit, qood rorporis defectus, quos caso, non natura quis patitur, nullam animi deformitatem indicant.

50. Sed ea est humanæ rationis vis, vt aliqua etiam naturali deformitate laborantes, possint, diuina adiuti gratia, & philosophiæ adminiculo, externas omnes, virtutiqoe contrarias affectiones exuere, & rebus honestis inuigilare, qualis fuisse creditur deformis ille, quem sibi proximum accumbere iussit centurio ille Sambaulas, de quo Xenopb. *lib. 2. de Cyrop.* Et de Alano viro sapientissimo, dicit Maiol. *canic. tom.* 4. *colloq. 4. pag. mihi* 303. quòd erat fœdè deformis, & ea facie, qua pueri terreri possent. Et de Socrate dicit *pag.* 302. qood erat simis naribus, recalua fronte, repandis crutibus: vnde ille canebat.

Si mihi difficilis formam natura negauit.
Ingenio forma damna repende mea.

Sicut è contra pulchros aspectu moribus deformes persæpe videmus, qoalis fuit ille iuuenis, ad quem turpia fabulantem, dixit Diogenes. *Non te pudet ex eburnea vagina plumbeum gladium exerere.* Et ille, de quo Virgil.

Non equidem ex isto speraui corpore posse
Tale malum nasci: forma, vel sidere fallor.

Vnde Eccl. 11. dicitor. *Non laudes virum in specie sua, neque spernas hominem in visu suo.* Nam dat probitas speciem, sed non species probitatem.

51. Ex his constat, quòd anima nostra spargere solet in corpore proprias affectiones per aliqua exteriora signa, quæ cum obseruasset antiquitas ex longo vsu, & experientia, posteritatique tradidisset, eam facultatem Physiognomiam vocauit, qoam callere nostrum Prælatum ad subditorum Inclinationes cognoscendas diximus: non illi tamen fidendum, nam virtus naturales inclinationes coërcet, vt de Socrate legitur, cui cum aliquando hac arte peritus dixisset, quòd inclinabat ad furtum, & præposteram Venerem, & fuisset multum obiurgatus à discipolis, Socratis sanctitatem, & continentiam cognoscentibus; respondit Socrates. *Sinite, verum dicit: inclino etenim, sed contineo.* Sed prudens Prælatus, cognitis subditorum inclinationibus, super specula attendet opera; quæ si contraria inclinationibus perspexerit, domitam esse naturam intelligat; si conformia, sequi sciat: & sic eius erit prouidere non solùm pro statu præsenti, sed etiam pro futuro.

52. Hinc vnum Prælatos moneo, verecundiam in adolescente maximum esse virtutis indicium; ait enim Sen. ep. 11. *Verecundia bonum in adolescente signum.* Et Diogenes cernens aliquando adolescentulum erubescentem. *Confide*, ait, *talis virtutis est color*, & Homer.

Queis pudor est, plures sunt salui, quàm perierunt.

Et Cato, vt refert Plut. aiebat, adolescentiam se magis amare erubescentes, quã expallescentes, & Menand.

Quisquis erubescit, censeo hunc esse probum.

Et Bernar. ser 6. de assumpt. *Gratissima*, inquit, *sanè gemma in diademate, micans in capite stella, rubor in facie hominis verecundi.* Et ser. 86. in Cant. *Quid amabilius verecundo adolescente, quàm pulchra hac, & quàm splendida gemma morum in vita, & vultu adolescentis? quàm vera, & minimè dubia bonæ nuntia spei, indolis bonæ index*, &c. Damasc. 2. de fide, cap. 15. *Verecundia metus est ob admissum dedecus, ac ne hic quidem affectus extra spem salutis est.* Vide eius Com. ad hunc locum: & plura apud Serib. *lib. 2. pol. christ. cap.* 5.

53. Dico 6. Prælatus debet habere scientiam ethicam, œconomicam, & politicam. Ita in specie Sart. *in eius Reip. eog. consid.* 4. Ethica instruit hominem in ordine ad se ipsum; de hac nos *cap. sequ.* œconomica instruit in ordine ad regimen vnius domus; & de hac dixi *quæst. 1. capite 5. numero* 5. Politica instruit hominem in ordine ad regimen plurium domorum; & de hac dico toto hoc libro, cum doceo modum regendi Regularium multitudinem. Et aduerte, quòd Politica præsupponit Ethicam; qoi enim sibi præesse nescit, non potest bene præesse aliis. *Pessimus est enim Princeps, qui sibi ipsi imperare nequit*, ait Stob. ser. 44. Prælati ergo, *qui*, vt ait Comin. hist. lib. 9. *ita se comparant, vt maximam temporis partem seriis occupationibus, reliquum autem liberalibus, & honestis oblectationibus impendant, magnam illi sane laudem merentur, & ô felicem populum cui talem contingit habere Pastorem.*

54. At inquies, com breuitas humanæ vitæ vix patiatur, vt vnam bene scientiam adipiscamur, qui fiat, vt vnus Prælatus tot scieotiis sit instructus; Respondeo animas regere difficillimom esse, vt dicitur *in cap. Cum sit ars artium, de at. & qual.* vnde non est mirandum, si in officio tam arduo, & laborioso rectè ministrando, tanta, & tam varia scientia requiratur. Et multo minus mirandum, si consideremus, eandem scientiarum collectionem requirere in suo Oratore Ciceronem, & in suo Architecto Vitruuium, vt dicit Duar. *de minist. Eccl. lib. 4. cap.* 2. Immò & in Coquo Athenæus, vt refert Rang. *in Reg. capite 9. vers.* 23. Non ergo mirum, si in Prælato tot scientias requiramus, cum præsertim non omnes in summo gradu postulemus, sed vnam in summo, cæteras non ignorare contenti, secundum mentem Arist. 8. pol. capite 2. *Sunt quædam ex liberalibus scientiis, quas vsque ad aliquid discere, honestum sit, penitus verè se illis tradere, ac ad extremum vsque prosequi velle*, noxium.

§. II.

Vtrum nobilitas suppleat defectum scientiæ.

55. IN hoc §. tria priùs nobis videnda sunt 1. an nobilitas per ingressum Religionis perdatur. 2. an nobilioribus dandæ sint Prælaturæ. 3. vnde attendenda sit vera nobilitas. Ex quorum elucidatione respondebitur ad quæsitum. Videatur ergo pro his D. Thom. *opusc. de erud. Princ. lib. 1. cap. 4. & 5.* & Sen. *epist.* 44. Tiraq. *de nob. cap. 4. per totum, & cap. 5. num. 9. & cap. 20. num. 1. & cap. 22. per totum, & cap. 26. per totum.* Menoch. *lib. 2. de arb. casu* 67. Rang. *in 1. Reg. cap. 1. vers. 30. verb. Erunt ignobiles.* Stob. *serm.* 84. Ant. & Max. *serm.* 139. Contz. 8. *pol. cap.* 20. P. Greg. *lib. 6. synt. cap. 4. num. 2. & 3.* Campanil. *in diuers. iur. rub 6. c. 3. num.* 29. 30. Grat. *in decis. March. decis. 40. in addit. num. 5. & 6.* Petrar. *de remed. vir. fort. lib. 1. dial.* 16. Cassan. *in cat. part. 8. consid. 28. & 36.* Grassius *decis. aur. part. 1. lib. 3. num. 94. cap. 5. & in addit. ad dict. loc. à num.* 1. Rom. *disc. 5. de nob.* Rebuff. *in prax. tit. de dispens. cum reg. num. 30. pag. mihi* 301. Sart. *in*

eius

ciue Reip. reg. consid. 158. Maiol. *dier. can tom. 4. colloq. 4. pag. mihi* 306. Sylu. *ver. Clericus* 2. *num.* 1. *dict.* 1. *fine*. Scrib. *lib.* 2. *pol. Christ. cap.* 10. *& lib.* 1. *cap.* 40. Rom. *sing.* 37. Plat. *tract. de nob.* Ioan. Trull. *in eluc can. reg. lib.* 4. *cap.* 5. *consid.* 2. Sigism. *de elect. dub.* 32. *num.* 4.

56. Circa 1. Dico primò nobilitas per ingressum Religionis non amittitur. Roman. *loc. cit. num.* 3. Tiraq. *cit. cap.* 26. *num.* 5. Graff. *in addit. cit. num.* 14. Grat. *cit. num.* 5. Addit. Panor. *ad cap. dudum, el* 1. *de elect. ad num.* 2. *lit. A.* Bald. *in cap. cum in magistrum, de elect. num.* 3. G. Bened. *in cap. Raynut.* §. *Et vxorem no. Adelas. num.* 210. Ludouic. Pont. *sing.* 58. Vech. *de nou. disp.* 13. *dub.* 1. *num.* 3. affirmans, id etiam censuisse Rotam Romanam. Rosel. *verb. Doctor, num.* 4. qui de alia Rotæ decis. testatur. Sanchez 7. *in decal. cap.* 12. *num.* 13. qui affirmat neque nobilitatem perdere, qui in seculo eam sibi comparasset. Probatur; tum quia nobilitas est quoddam ius sanguinis immutabile, *l. ius agnationis ff. de pactis; l. iura sanguinis, ff. de reg. iur.* Tum quia ex bono opere nemo lapidari debet. *arg. leg. siue hæreditaria, ff. de neg. gest.* Tum quia per ingressum Religionis non læduntur Religiosi in naturalibus; vt dixi *tom.* 1. *huius operis, quæst.* 1. *cap.* 9. *sub concl.* 3. *& cap.* 12. *notab.* 4. & testimonium ferunt *cap. Etsi Christus, de iur. iur.* Tum quia militans ad latus Principis efficitur nobilis; *l.* 1. *Cod. de præpos. labor. lib.* 12 Ergo multo magis militans Deo, arborem cum fructu ei dedicando. Tum quia Religiosus non desinit esse ciuis, vt dixi supra, *quæst.* 1. *cap.* 3. *num.* 12. Batt. *in l.* 1. *ff. ad municipia*, Guliel. *loco cit.* statum enim suum per professionem mutauit in melius. Tum quia ordo clericalis, ad quem dirigitur Religiosus choro destinatus, nobilitat, & dicitur dignitas, & honor, *cap. denique dist.* 4. *cap. Reperiuntur*, 1. *quæst.* 1. Genuen. *in praxi, cap.* 73. *num.* 2. vbi multos citat, & colligit ex hoc, quod Clericus pœnis plebeiorum non debet affici, sed tantum nobilium: ergo tantum abest, quod perdatur nobilitas per ingressum Religionis, quòd immò potius acquiritur, & augetur.

57. Dico 2. Licet nobilitas per ingressum Religionis non perdatur, ea tamen non attenditur; Tiraqu. *cap.* 26. *num.* 2. Grat. *loc. cit. num.* 6. Trul. *loc. cit. num.* 8. *vers. fin.* Abb. *in cap. dudum, el* 1. *de elect. num.* 2. Perez *reg. Sancti Bened. cap.* 2. *num.* 35. Tum quia Religiosis videtur dictum illud Deut 1. *Siue ciuis sit ille, siue peregrinus, nulla erit distantia personarum: ita paruum audietis, vt magnum: nec accipietis cuiusquam personam.* Tum quia Hier. ad Celan. ait. *Nulli te vnquam de generis nobilitate præponas, nec obscuriore quoque, aut humiliore loco natas inferiores putes. Nescit Religio nostra personas accipere, nec conditiones hominum, sed animos inspicit singulorum.* Tum quia S. Bened. in sua reg. cap. 2. ait: *Non præponatur ingenuus ex seruitio conuertenti, nisi alia rationabilis causa existat.* Tum quia omnes Religiosi sunt æquales tam in victu, quam in vestitu, ac pœnis subeundis, *cap. fin. de stat. Monach.* §. *Porrò*, vbi Gl. *ver. absque personarum.* Nec hic locum habet illud Ouid.

Curia pauperibus clausa est, dat census honores,
Census amicitias, pauper vbique iacet.

Verum quidem est, quod si esset aliquis nobilis delicatus, qui cibis communibus vesci non posset, posset Prælatus cum eo indulgenter dispensare, iuxta *c. Cum ad monasterium, de stat. monach.* §. *In refectorio.* Quod tamen intellige, postquam est professus; nam si tempore nouitiatus taliter delicatus probetur, quod non posset communibus vti expellendus esset; nisi aliter suaderet magna vel rei, vel nominis vtilitas. Pro quo facit Lamb. *de iur. patr. part.* 3. *lib.* 2. *quæst.* 5. *art.* 11. *num.* 3.

58. Dico 3. Religiosus per professionem perdit dignitates, quas habebat in sæculo, Ducatus, Marchionatus, &c. Tiraquel. *de nob. cap.* 26. *num.* 3. Guliel. Bened. *loco cit. num.* 212. Graff. *part.* 1. *decis. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 94. *Et add. ad dictum locum, num.* 10. Sanchez *loc. cit.* Probatur *ex cap. Scripsit, iuncta Gloss. ver. Dignitate*, 27. *quæst.* 2. *& ex cap. Præsens, iuncta Gloss. ver. Comite*, 20. *quæst.* 3. Nec solum perdit dignitates seculares, sed etiam Ecclesiasticas; *cap. Beneficium, de reg. in* 6.

59. Dico 4. Religiosus, qui gloriatur de sua nobilitate, videtur, quod peccet mortaliter. Ita Tost. *in c.* 19. *Math. quæst.* 209. Trull. *in elucid. sui Ordinis loc. cit.* Probatur; tum quia D. Thom. *in Boet. lib.* 3. *de consol. prosa* 6. *in fine*, ait. *Nota, quia gloriandum non est de nobilitate: quia dicit Seneca, si pulcher es lauda naturam; si nobilis, lauda parentes; si virtuosus, & sapiens laudate ipsum; si diues, lauda fortunam; si potens, expecta parumper, & nihil eris.* Et Basil. in ascet. ser. de abdic. rerum, col. 5. *Caue ne generis nobilitate subnitare, neue ob eam causam honores consectere.* Tum quia, cum iam contempseris mundum, & omnia, quæ in eo sunt, nobilitatem iactando, videtur velle mundum repetere. Sed qui, posita manu ad aratrum, retrò respicit, regno Dei aptus non est. Caueant igitur sibi isti gloriabunduli Religiosi; qui cum parum, aut nihil virtutis acquisierint in Religione, atauorum nobilitate prætendunt sustentari. In quos bene potest iactari dictum illud Herod. de quo Maiol. *canic. tom.* 4. *colloq.* 4. in quemdam valde de sua nobilitate tumentem. *Tu ergo in astragalis gestas nobilitatem*, est autem astragalus latinè talus: hinc nobilitatem in astragalis habere dicitur is, qui præstantia generis tumens, nulla ipse propria nititur virtute. Non esse tamen peccatum mortale, gloriari de nobilitate, etiam falso, asserit Petr. Nauarr. *lib.* 2. *de rest. cap.* 4. *num.* 359. à graui tamen veniali non excusat, maximè si mentiatur. Quod verum existimo; ventosi enim Religiosi sine virtute, cum ventrem plenum habeant, nec possint gloriari de concionibus, nec de lecturis, de auorum nobilitate gloriantur, absque eo quod nec retrocedere intendant, nec iniuriam aliquam Religioni irrogent.

60. Circa 2. an nobilioribus dandæ sint Prælaturæ. Dico 1. nobilitas sanguinis in dignitatibus conferendis in Religionibus non attenditur, sed virtus. Sequitur immediatè ex dictis *num.* 57. Et constat expresè, tum ex cap. Venerabilis, de præb. & cap. Nos, qui dist. 40. tum ex 1. ad Cor. 1. *Videte vocationem vestram, fratres; quia non multi sapientes secundum carnem, non multi nobiles.* Tum ex Patribus, Ambrosio lib. 5. in Lucam ad illud ex cap. 6. Elegit 12. ex eis. *Aduerte* ait, *cæleste consilium, non sapientes aliquos, non diuites, non nobiles, sed piscatores, & publicanos, quos dirigeret, &c.* Aug. ser. 59. de verb. Do. tom. 10. *Magna*, inquit, *artificis misericordia; sciebat enim, quod, si eligeret Senatorem, diceret Senator, Dignitas mea electa est; si eligeret diuitem, diceret diues Opulentia mea electa est: si Regem, diceret Rex, Potestas mea, &c.* Et Humb. in spec. relig. part. 2. lib. 5. cap. 6. *Qui Congregationi præest, nobilitatem animi nobilitati carnis præponere debet, cuius contrarium multum nocuit aliquibus monasteriis.* Et si dicatur, quod nobiles sunt aptiores ad defendenda bona Religionis, vt dicitur *in cap. Officij, de elect.* & acquirenda noua temporalia iura, vnde, etiamsi essent minus digni, quàm alij, propter nobilitatis prærogatiuam essent præferendi. Respondet Trott. *de perf. cler. lib.* 2. *part.* 1. *requis. vlt. fine*, quòd nulla vtilitas temporalis præponenda est spirituali, & Religiosus tanto noxior est, quanto nobilior, si est malus. Vnde Humb. loco cit. ait. *Et notandum, quod bonorum temporalium defensio videtur fuisse occasio, quod in monasteriis nobiles aliis præferantur: decepti tamen in hoc fuerunt*

runt Prælati ; plus enim nocent nobiles mali , & fatui , monasteriorum bona fatuè expendendo, quam prosint,ea defendendo ; plus enim grauant monasteria carnales eorum amici , quam facerent inimici. Vnde memini , risisse quendam è nostris senioribus, interrogatum à quodam viro nobili , an Prælatus conuentus esse nobilis, an Prælatus conueotus esset nobilis, an multos nobiles haberent in illo conuentu ? Quod cum aduertisset nobilis ille , dixit seni , Quare rides Pater qui respondit. *Fatuitatem mundanam rideo , existimantem , horum Religionem indigere , cum tamen non indigeat, neque nobilium, neque diuitum , neque potentum , sed solùm virtuosorum.*

61. Dico 2. cæteris patibus , nobiles secundum communem vsum loquendi , etiam in Religionibus , iuxta dicenda , sunt præferendi. Ita Titaq. *de nob. cap.* 20. *n.* 10. *&* 11. vbi multos citat vide etiam *num.* 1. *&* 2. *& cap.* 5. *num.* 6. Cassan. *in cap. part.* 8. *consid.* 36. Felin. *in cap. Cum adeo , de rescr. num.* 6. Bald. *in cap. Statutimus , de man. & ob. num.* 2. Lama *de iure patr. part.* 3. *lib.* 2. *quæst.* 5. *art.* 9. *num.* 1. Videtur etiam esse huius sententiæ D. Thom. *lect.* 2. *in cap.* 1. *epist. ad Hebr.* quatenus requirit in idoneitate ad digoitates , sapientiam generis nobilitatem , virtutem , seu potestatem. Ioan. de de Selua *de benef. part.* 3. *quæst.* 7. *num.* 20.

62. Probatur 1. *ex iur. can. cap. Considerenda , dist.* 86 *cap. Statuimus , iuxta gloss. verb. Potiorem , de ma. & ob. cap. Grandi , de suppl. negl. Prel. in* 6. *facit cap. De multa , §. fin. iuncta gloss. verb. Sublime , de preb. cap. Dudum. el* 1. *de elect. & est tex. clarus in l. Honor, ff. de mun. & honor.* & licet bic tex. loquatur de dignitatibus sæcularibus, in quibus magis attenditur nobilitas, quàm aliæ virtutes , & alij textus canonici loquantur de beneficiis, & dignitatibus Ecclesiasticis dandis presbyteris sæcularibus, in quibus nobilitas habetur in consideratione , vnde etiam aliqui Iuristæ voluere , quòd nobilitas suppleat aliqualem defectum scientiæ, vt videri potest apud Tiraquel. cit. *num.* 10 puto tamen , quod probent etiam io casu nostræ conclusionis , non ratione nobilitatis præcisè , sed ratione connexorum ; nobilitas enim secundum Boët. lib. 3. de consol. prosa 6. *est quædam veniens de meritis laus parentum* : Vnde necessitantur quodammodo nobiles non degenetare à parentum virtute. Quare Sophocl. apud Ant. ser. 64. fine ait. *Turpe viuere turpe est iis . qui honesto loco nati sunt.* Et Plato in Alcib. paulo med. *Consentaneum est , meliores esse naturas nobili in genere : quam ignobili, & necesse est, vt bene nati , si bene etiam educantur, ita demum ad virtutem perueniont.* Et Arist. 3. pol. cap. 8. ait , quòd *ex melioribus oriuntur meliores , & nobilitas virtus generis est.* Et Ber. epist. 113. ad Soph. ait. *Minimè quidem Deus est acceptor personarum ; nescio tamen , quo pacto virtus in nobili plus placet; an fortè quia plus claret ? siquidem ignobilis , cum caret gloria , non facilè liquet , vtrum quia nolit , an quia non possit habere. Laudo factam de necessitate virtutem , sed plus illam , quam eligit libertas, non indicit necessitas.* Et Steph , Episc. Tornac. in bibl. PP. tom. 3. epist. 150. ait : *Generis claritas , etsi sola non sufficit , cum aliis proficit , ad virtutem* : Necessitas autem illa in nobilibus imitandi parentum virtutes , & claritas illa , quæ in nobilibus virtuosis magis relucet , aliquid boni , vt docet Pen. *in l. Mulieres , col.* 4. *Cod. de dignit. lib.* 12. ergo etiam in Religionibus æstimanda sunt. Quarè *Deut.* 1. dicitur , *Tuli de Tribubus vestris viros sapientes , & nobiles , & constitui eos Principes , &c.* Et Eccl. 10. *Beata terra , cuius Rex nobilis est.*

63. 2. Probatur ; quia vbi nobiles in Religione per virtutem mortificationis , & humilitatis exuerint illud innatum superbiæ , & ambitionis vitium , de quo Aristoteles 2. *rhetoric. c.* 15. solent communiter esse magnaniniores, magnificentiores, dociliores, affabiliores aliis, sic Religionem per operas magnas , & arduas, quas, intentant, condecorant ; largius de bonis monasteriorum fratribus dispensant ; & cum sollicitius, & delicatius sint educati , solent esse perspicacioris ingenij , & flexibiliotis; vnde facile omnibus se ingeniis accõmodant; & cum sint assueti cum nobilibus , & honoratos viris conuersari, inde est, quòd sunt in conuersationibus dulciores, & vrbaniores , & subditos semper vrbanè , & cum respectu tractant , Non oego tamen per boc , quid non nascantur in alpestribus montibus , & ex parentibus rusticis viri , qui digni sunt mundum regere , & è contra in magnis , & opulentis ciuitatibus, ac ex nobilissimis parentibus alij, quibus nec gregis porcorum cura committi possit. Quæ si vis exemplis illustrare adi Fulgos. *memor. lib.* 3. *cap.* 4. & videbis plotimos fordido loco natos , qui ad primas mundi dignitates , regias , imperatorias , &c. conuolarunt : & multos etiam huiusmodi refert Maiol. *canic. tom.* 4. *colloq.* 4. *pag. mihi* 308. & P. Greg. *lib.* 6. *synt. cap.* 4. *num.* 5. Tiraq. *de nob. c.* 4. *n.* 6. & Scrib. *lib.* 2. *pol. christ. cap.* 10. & si curiosè scire desideras , qui ex claris parentibus sordidi fuere , & viles , adi eundem Fulgos. *loco cit.* 5. Nobiles itaque etiam in Religionibus anteponendi , cæteris paribus , & etiam quando illorum electio futura esset in vtilitatem Religionis , vel Ecclesiæ , vt tradit Sigism. *de elect. dub.* 32. *n.* 5. & habetur *in cap, Officij, de elect.* & tradit etiam D. Bened. *in sua reg. loco supracit. num.* 57.

64. Circa 3. vnde attendenda sit nobilitas. Dicendum est , nobilitatem in Religionibus solùm esse attendendam penes virtutem , ita vt ille sit nobilior , qui est virtuosior. Tiraq. *de nob. cap.* 4. *n.* 1 P. Greg. *lib* 6. *synt. c.* 4. *n.* 7. Platina *in opusc. de nob.* Maiol. *tom.* 4. *canic. colloq.* 4. *pag. mihi* 306. Cassan. *in cat. part.* 8. *consid* 28 Pen. *in l. Mulieres, Cod. de dign. col* 4. *lib* 12 Boët. *lib.* 3. *de consol. metro* 6. Menoch. *de arb. lib.* 2. *casu* 67. *n.* 2. Petrar. *de rem. vtr. fort. lib.* 1. *dial.* 16. Contz. 8. *pol. cap.* 10. §. 2. *&* 5. Rang. *in* 1. *Reg. cap.* 2. *vers.* 30. Seneca *epist.* 44. Scriban. *lib.* 2. *pol. christ. cap.* 10. Campanil. *in diuers. iur. rubr.* 6. *cap.* 3. *num.* 13. Trull. *in eluc. sui Ord. lib.* 4. *cap.* 5. *consid.* 2.

65. Probatur 1. ex Scrip. & PP. 1. Reg. 2. *Quicumque honorificauerit me , glorificabo eum ; qui autem contemnunt me , erunt ignobiles.* Sed contemnit Deum, qui virtutes non sequitur , ergo vitiosi ignobiles sunt , & consequenter virtuosi nobiles. Plura Scripturæ loca vide apud Bus. de stat. nob. cap. 2. in princ. Hier ad Cel *Summa apud Deum nobilitas est , clarum esse virtutibus* Chrysost. hom. 16. in cap. 9. epist. ad Rom. col. 9. fine. *Declaras , inquit , nobilitatem eam, quam caro affert , nihil prodesse, sed animæ virtutem quærendam esse* Naz. or. 11. num. 7. *Nobilitas est , quàm ratio , & virtus efficiunt, nec genere , sed moribus designatur.* D. Thom. in Boët. lib. 3. de consol. prosa 6. *Melius est à patre ignobili descendere , & morigeratum esse , quam à nobili, & per vitia degenerare.* Et Anselmus de contem. mun.

Nobilis est , animi quisquis virtute refulget.
Degener est solus , cui mala vita placet.

Nec genus , at mores veneratur curia cœli,
Et cœlum iustus, non generosus habet.

Plures PP. in hoc arg. refert, Busæ *loco cit.* Et Cresp. *in summ. verb. Nobilitas.*

66. 2. Probatur *ex iure can. & ciu. cap. Venerabilis, de preb. cap. Nos, qui præsumus; cap. Non loca ; cap. Illud autem, dist.* 40. *cap. Vndecumq. dist.* 56. *cap. Nunquam , dist. eadem; cap. Vilissimus ,* 1. *quæst.* 1. *ex l. ciuili,* plura citat. Tiraq. *loco cit. cap.* 4. *num.* 1.

67. 3. Probatur ex Philosophis , & Poëtis. Arist. 1. *pol. c.* 4. ait, quòd *nullo alio , quam virtute, & vitio differunt seruus , & liber, nobilis , & ignobilis.* Eurip. apud Stob. serm. 84. ait.

De

De nobilitate parum laudis prædicare possum;
Bonus enim vir mihi nobilis videtur.

Qui vero non iustus est, licet à patre meliore,
Quam Iupiter sit, genus deducat, ignobilis mihi censetur.

Phalar. apud eundem, *Ego*, inquit, *præter virtutem nullam agnosco nobilitatem; reliqua verò iuncta fortunam existimo.* Seneca loco cit. *Non facit nobile atrium plenum fumosis imaginibus; nemo in nostram gloriam vixit, nec quod ante nos fuit, nostrum est; animus facit nobilem*, &c. Et paulo ante refert dictum Plat. affirmantis. *Neminem Regem non ex seruis esse oriundum, neminem non seruum ex Regib.* Platioa in lib. de nob. *Nobilitas est splendor quidam non aliunde veniens, quam ex ipsa virtute.* Et Petrac. loco cit. *Claritas non nascendo quæritur, sed viuendo.* Ouid. 1. de Pon. ep. 10.

Si modò non census, nec clarum nomen auorum,
Sed probitas magnos, ingenuosque facit.

Et Iuuen. satyr. 8.

Tota licet veteres exornent vndique ceræ
Atria, nobilitas sola est, atque vnica virtus.

Plura huiusmodi vide apud Stob. *loc. cit.* & Anton. *serm.* 139. Tiraq; *cap.* 4. *num.* 4. *&* 5. Scrib. *loco cit.* Bus. *de stat. nob. c.* 3. Platin. Cassan. Contz. *loco cit.*

68. 4. Probatur ex eo, quod omnes homines ab vno principio descendunt, vt dicitur Malach. 2. *Nunquid non pater vnus omnium nostrum, nunquid non Deus vnus creauit nos?* Et Hier. ad Cel. *Ex vno omnes generati sumus.* Thes. apud Ant. ser. 139. *Maiorum nobilitate ne quis insolentius se efferat; omnes simul habent generis auctorem.* Et Petrar. loco cit. *Omnis propemodum sanguis est concolor, sicubi fortè alter altero clarior inuentus sit, non id nobilitas, sed sanitas*, & Eurip. apud Stob. ser. 84.

Peculiare nihil habemus, sed vna generis eadem origo
nobiles, ac ignobiles produxit.

Ansel. loco cit.

Tu Reges atauos memoras, magnosque parentes.
Et vana carnis nobilitate tumes.

Nescis cunctorum, quòd sit communis origo.
Nec secus emergant Dauus, herusque ferox.

Vide similia plura apud Boët. 3. *de consol. metr.* 6. Si ergo ex vno Adamo, & Eua ante diluuium, & post illud, ex vno Noë, & vxore, ac filiis eius omnes nati sumus, & hoc de fide credimus, vnde tantus nobilitatis rumor, vt pauperes, & ignobiles, filij terræ; diuites, ac nobiles, filij cœli vocentur? quasi ex differenti specie materia creati sint; vel, si eiusdem speciei, longe tamen nobilissima diuites, vt de cœli materia cum Aristotele disputant Philosophi. Sola itaque virtus nobiles ab ignobilibus discernat, vt in Religionibus sanctè obseruatur.

69. Ex his constat, quid dicendum sit ad titulum quæstionis. Si enim nobilitas in Religionibus non attenditur, sed ille solùm dicitur nobilior, qui est virtuosior, patet, quòd nobilitas defectum scientiæ non supplet, & in specie id docent Sylu. *verb. Clericus* 2. *num.* 1. *dicto* 1. *fine.* Camp. *in diuers. iur. rubr.* 6. *cap.* 2. *num.* 30. Tiraq. *loc. cit. cap.* 5. *num.* 9. *&* *cap.* 20. *num.* 16 & in Religionibus maxime attenditur doctrina Ouid. 13. *met.* dicta in persona Vlyssis, contendentis cum Aiace pro armis Achillis.

Sed neque materno quod sum generosior ortu,
Nec mihi quod pater est fraterni sanguinis insons,
Proposita arma peto; meritis expendite causam.

§. III.

Vtrum Prælatus fauere teneatur viris literatis.

70. VIdeatur Gonz. *ad reg.* 8. *cancell. Gloss.* 4. *à n.* 8. Mandos. *ad reg.* 33. *quæst.* 14. *n.* 20. Tor. *phil. mor. princ. libr.* 6. *cap.* 3. Contz. *lib.* 4. *pol. cap.* 9. *&* *cap.* 14. *&* 15. Patr. *de reg. lib.* 1. *tit.* 5. Pen. *in l. Omnes iudices, col.* 8. *Cod. de decur. lib.* 10.

71. Noto 1. quod homo naturaliter scire desiderat, vt docet Art. 1. *met. cap.* 1. & hoc propter tria, quæ ibi affert D. Thom. 1. quia vnaquæque res appetit perfectionem sui, vt materia formam: cum autem intellectus, à quo homo est omne id, quod est, sit secundum se consideratus, omnia in potentia, nec reducatur ad actum, nisi per scientiam, inde fit quod vnusquisque desiderat scientiam, sicut materia formam. 2. quia quælibet res naturalem inclinationem habet ad suam propriam operationem; sicut calidum ad calefaciendum; graue, vt moueatur deorsum; propria autem operatio hominis vt sic, est intelligere; per hoc enim ab aliis omnibus differt, vnde naturaliter desiderium illius inclinatur ad intelligendum, & consequenter ad sciendum. 3. quia vnicuique rei desiderabile est, quòd suo principio coniungatur, sic motus circularis est perfectissimus, quia finem coniungit initio; substantiis autem separatis, quæ vel per creationem, vt Deus, vel per illuminationem, vt Angeli, vel per motionem obiectiuam vt transcendentia, sunt principia intellectus humani, homo non coniungitur, nisi per intellectum, & cognitionem ideo naturaliter homo desiderat scientiam. Cum ergo sapientiam, & doctrinam stulti despiciant, *Prou.* 1. sequitur, quod ignorantes non sint homines, sed bestiæ; vnde illos Superiores, qui literas non fouent, sed persequuntur, non esse homines, sed bestias, secundum Ar. & D. Thom. sententiam dicendum est.

72. Noto 2. quod ignorantia est duplex, 1. est prauæ habituationis. 2. simplicis negationis. 1. est, quæ oritur ex voluptatibus corporalibus, vel pigritia, quando scilicet aliquis naturaliter bene dispositus ad discendum, per vitia tamen, voluptates, & pigritiam illam naturalem dispositionem peruertit, & remanet insipiens, & ex illis, qui scientiam præcipuè contemnunt, cum tanto erga literas odio, vt omnes insipientes esse propter. De his dicit Naz in vita Basil. *Multi vellent omnes esse ignorantes, vt illorum ignorantia in communi latens minimè deprehendi, aut ab aliis taxari possit* 2. verò ignorantia est, quæ oritur ex naturali impotentia ad discendum, vel à necessitatibus vitæ, vel status præsentis, quando scilicet aliquis ex mala organorum dispositione, vel occupatus in negotiis vel propter paupertatem non habet commoditatem studendi. Isti vt sic non solent esse iam literis infensi, nisi etiam ipsi per vitia contrahant malam illam habituationem.

73. Noto 3. quod ignorantium etiam sunt duo gradus: Vnus eorum, qui nesciunt, & se nescire sciunt: Alter eorum qui nesciunt, & putant scire, de quibus Aug. relat. *in cap. Quamvis, d.* 38. & Plato 9. *de leg.* vbi ait, *duas esse ignorantiæ species; simplicem, duplicemque Priorem, cum quod nescimus, non scire nos scimus: alteram, cum aliquis ignorat, non ignorantia solùm implicitus, sed sapientia opinione.* Primi ignorantes sunt tolerabiles, quia, ex quocunque capite ignorantia proueniat, cum non se æstiment plus, quàm valeant; sed ipsos cognoscant, non ignorantes dixerim, sed nescientes; vnde facile edoceri possunt, facileque acquiescunt doctorum dictis. Isti autem, qui se omnia scire existimant, verè ignorantes, & insulsi sunt: de quibus Ier. 10. *Stultus factus est omnis homo à scientia:* Et Apost. ad Ro. 1. *Dicentes enim se esse sapientes, facti sunt stulti.* Cum namque omnia scire se putent, studere, & ab aliis inquirere negligunt, & si quid

congregauerunt, amittunt, & stulti fiunt, vt dicitur in cap. Constantinop. d.22. Et Cassiod. in præf.lib.11. var. *Ægrescit profectò ingenium, nisi iugi lectione reparetur, citò expenduntur horrea, quæ assidua non fuerint adiectione fulcita: thesaurus ipse facilè profunditur, si nullis iterum pecuniis compleatur. Sic humanus sensus, cum alieno non sarcitur inuento, citò potest attenuare de proprio.* Et Sen. de tranq. cap. 1. *Puto multos potuisse ad sapientiam peruenire, nisi putassent se peruenisse.* Ad quem loc. refert Lips. dictum Quintil. *Magnos profectus frequenter perdit arrogans de se persuasio.* De his Mart.

Vis dicam quid sis? Magnus es Ardelio.

Et de vtrisque Chrysost. hom. 5. in ep. 1. ad Cor. *Qui plura sciunt, non sustinuerint, vt facilè discant; qui autem nihil sciunt, quæ dicuntur facilè admiserint: indocti, & imperiti magis persuadentur, quia non habent arrogantiam vt se putent esse sapientes.* Notentur versus apud Ar. 1. eth. cap. 4.

Optimus ille, potest qui ex se cognoscere cuncta
ille bonus, monitis qui aliorum obtemperat; at qui
Ex se nec nouit, nec quæ bene consulit alter,
Percipit, admittitque animo, est ignauus, inersque.

74. Dico 1. Prælati tenentur honorare viros literatos. Ita omnes DD. cit. *n.* 70. quibus adde Germ. *de sacr. imm. lib.2. cap. 4. n. 4.* Rem exemplis illustrant Patrit. & Tor. Probatur; tum quia *Sap.8.* dicitur, *Habeo propter hanc charitatem ad turbas, & honorem apud seniores, & facies Principum mirabuntur me.* Tum quia virtuti debetur honor, vt Ar. 4. *eth. cap. 3.* & D. Thom. *2.2. q.63. art. 3. corp. & q.144. art. 2. ad 2.* Tum quia, vt ait Sen. apud Tor. loc. cit. n. 7. *Philosophia etiam apud pessimos honor est, nunquam tantum conualescit nequitia, vt non Philosophiæ nomen venerabile, & sacrum maneat.* Sic Dionys. ille Syracusanorum tyrannus in magno pretio, & honore Philosophum Aristippum habuit, vt ait Patritius. Tum quia id non obscurè colligitur *ex l. Semper, §. Quibusdam, de iur. imm. & ex l. Per hanc, §. Quidquid insuper, Cod. de aduoc. diuer. iud.*

75. Sed aduerte, quòd iste honor consistit non solùm in extrinseca reuerentia, sed etiam in illis fouendo in quibusvis occasionibus, eis benefaciendo, & plus, & priùs, quam aliis, de bonis temporalibus monasterij, Religiose, & modestè retribuendo; ita tamen, vt alij non indigeant, merentibus enim conuenit virtutum merita tribuere; *cap. Non loca dist. 40. cap. vulterrana, 12. quæst. 2.* vbi Glossa *vers. Locum*; & qui magnos labores sustinet, magnis præmiis afficitur, vt multis probat Paris. *lib.5. de relig. quæst. 3. num. 222.* & Gonz. *ad reg. 8. cancell. gloss. 4. num. 24.* & patet manifestè *ex 1. ad Thes. 5.* vbi dicitur. *Rogamus vos, fratres, vt noueritis eos, qui laborant inter vos, & habeatis illos* (in summo honore) *abundantius in charitate propter opus illorum.* Sed viri literati in vinea Domini laborant *c. Super specula in fine de magist.* & benefacientibus benefacere lex naturæ docet. Vlteriùs literati viri, vltra beneficia honoris, &c. Quæ in Religiones conferunt, eas etiam augent in bonis temporalibus, non enim dubitari potest quin viri sæculares magis inclinent dare bona temporalia illis Religionibus, in quibus viri literati degunt quàm vbi non vt patet experientia, & exemplis probant Tor. & Patritius. Et constat ex illo Eccl.7. *Hoc autem plus habet eruditio, & sapientia, quòd vitam tribuunt possessori suo*, idest id, quo sustentatur vita. Ad quod facit Auth. *de her. & falcid. §. fin in fine.* Ex quibus credo moti fuere Patres nostri, quando statuerunt *in cap. Val. 4. num. 6.* sub merito sanctæ obedientiæ, & pœna priuationis officiorum, quòd Prouinciales studentibus nullam inferrent molestiam, sed in omnibus eos haberent immunes; multum enim interest Religionis studiorum fauores ampliare, vt habet Gloss. *in l. 1. Cod. de stud. lib. vrb. Ro. vers. Aueriat.* Quare, qui sapiunt, Superiores, amicitias virorum literatorum aucupantur, sic olim fecisse legimus multos Imperatores, & Reges, quos referunt Patritius, & Tor. *loco cit.* qui autem eos abiiciunt, statim ignorantissimos se esse protestantur, vnde certum prognosticum mali regiminis ego semper habui, cum vidi, ignorantes Prælatos sibi consimiles Socios asciscere.

76. Aduerte hic etiam, quòd viri literati, de quibus loquor, sunt illi, qui cum literis habent virtutem coniunctam: nam literæ sine virtute inflant, vt ait Apost. 1. *Cor.8.* cum charitate verò coniunctæ ædificant: quem locum explicans Aug. 9. de ciu. Dei cap. 20. ait, *Quod rectè aliter non intelligitur, nisi scientiam tunc prodesse, cum charitas inest; sine hac autem inflare, idest in superbiam inanissima quasi ventositatis extollere.* Et ex hoc colligit, dæmones ita malos esse, quasi sine charitate multam habent scientiam. Quod etiam experientia constat in hæresiarchis Luthero, Caluino, &c. isti quippè literati fuere; sed quia literas sine charitate habuere, euanuerunt in cogitationibus suis; & cum multum sibi fiderent, & piorum correctiones dedignarentur admittere, tot, tantaque malorum semina in Ecclesia Dei seminauere. Quare ait Chrysost. hom. 40. *Nihil impossibilius, quàm illum corrigere, qui omnia scit, & tamen contemnes bonum, diligit malum.* E contra verò de viro literato, qui cum literis charitatem habet, ait hom. 1. ad pop. Antioch. in fine. *Sufficit vnus homo fidei zelo succensus totum corrigere populum.* Vnde constat, quàm multum allucinentur ij, qui cum valde studeant, multasque congregent literas, populi auram in disputando de abstrusissimis Theologiæ scholasticæ quæstionibus obtineant, sibi deberi de iustitia putant omnem honorem, omnem fauorem, & omnem dignitatem, cum alioqui licentiosè, & irreligiosè viuant; tantum enim abest, vt illis hi debeantur gradus, vt existimem mortaliter peccare qui conferunt; isti enim sunt indomabiles, & incorrigibiles, vt dicebat Chrysost. vnde illis dignitates conferre, non est aliud, quam igni ligna addere, & furioso dare gladium, quo suos necet benefactores: non cognoscunt enim, quando sunt in dignitate, quanquam, omnia suis meritis attribuunt; Ego feci me ipsum, prædicant: ad quod aduertant electores; præstat enim, vt notat Lessius *lib. 2. de iust. cap. 34. dub. 21. num. 125.* eligere Superiorem minùs literatum, sed humilem, quàm magis literatum sed superbum, qui nolit intelligere, vt bene agat. *Vt enim non ij*, ait Laërt. in Ar. *qui plurimum comedunt, & exercentur, melius valent iis, qui medicè; ita non qui plurima, sed qui vtilissima legerint, docti censendi sunt, & studiosi*, & Salust. in Iug. *Parum mihi placent eæ literæ, quæ ad virtutem doctoribus nihil profuerunt.* Et Cic. 1. de off. *Quidam nimis magnum studium, atque operam in res obscuras, ac difficiles conferunt, easque non necessarias*: quæ autem, adde, necessaria sunt, vt humilitas cordis prætermittunt. Cum istis loquitur Aug. 10. de ciu. cap.29. *Videtis vtcumque etsi de longinquo, etsi acie caligante, patriam, in qua manendum est, sed viam, quâ eundem est, non tenetis.*

77. Ex dictis colligo, non esse ab his viris, qui literas sine pietate possident, dicendum; *Bonum est* enim *tibi*, vt dicitur Marc. 9. *luscum intrare in Regnum Dei, quàm duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis*: & scias, quòd solùm is, *qui fecerit voluntatem Patris mei, cognosces de doctrina mea*, Io. 7. Nec te demulceat suaui loquentia in dicendo, facilitas in docendo, subtilitas, & promptitudo in respondendo, claritas in explanando, si periculum sit, ne moribus peruersis, malisque exemplis inficieris; nam ne in aureo quidem poculo expedit venenum bibere. Et Apost ad Rom. 6. ait: *Per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium.* Et Prou. illud, *Disce, sed à doctis.* Et illud.

Inter cuncta leges, & percunctabere doctos.

Intellige de doctis, & piis. Et caneant bene Prælati, ne munus docendi tribuant, quibus cum literis non sit coniuncta pietas, vt etiam monuit *tom. 1. priu. in const. 2. Iul. II. n. 21.* quòd si alij non adsint, præstat habere subditos pios, & literarum inscios, quàm literatos, & vitiosos, in cœlum enim admitti sine doctrina possumus, sine pietate non possumus. Vnde Religiosè multum R. P. Ægidius Camart nostri Ordinis Generalis, dicebat *Maledictum studium, quod impedit deuotionis feruorem.* Digna tanto Patre sententia, aureis literis in quolibet studiorum conuentu describenda. At inquiunt aliqui, Rosam sumam, & cauebo spinam. Sed difficilè incantæ, & æstuanti iuuentuti: periculum, si adest, vitandum, perit qui amat. In Domino, aiunt, confido. Lætor, sed noli tentare. A vitiis, etiamsi aliquo inquiner, eum gratia Dei me liberare possum, at, si hanc perdo commoditatem studendi, eam amplius habere non potero. Hæ malorum Christianorum non Religiosorum sunt excusationes. Ergo non licebit tibi malum facere, vt literas addiscas? & quis te certificauit, quòd poteris à vitiis liberari? cum dicat Sapiens, *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea.* Et quo stipulante notario; se obligauit Deus, ad tibi pro tuo libito hanc, qua libereris, gratiam concedendam.

78. Colligo etiam, posse tuta conscientia, immò debere Prælatos regulares, quos nouerint subditos corruptissimæ indolis, à studiis amouere; cum ex eis vix aliud sint reportaturi, quàm ampliorem solertiam in excogitandis, perficiendisque nequitiis. Immò, inquies, isti sunt magis in studiis exercitandi; cum enim inclinentur ad malum, occupatione studiorum naturam emendabunt. Fateor, si pariter crescat in eis scientia, & pietas; seu saltem si quò plus scientiæ acquirunt, eò plus de malis moribus perdunt; sed, si hæc non appareant: omnino amouendos censeo; est enim in ignem insufflare, & folle omnium vitiorum ventos premere, & equo currenti calcaria addere, ac veluti si ebrietatem patienti generosum vinum potandum tribuas. Quod in nostro Ordine est expresè mandatum Prouincialibus *capitulo Paula; num. 18.*

79. Collige etiam, non esse à Prælatis ad studia admittendos, quos stolidos natura nouerint. Tum quia locum occupabunt magis vtilium. Tum quia tempus perdunt, & contra conscientiam fruuntur gratiis, & priuilegiis studentium: ait enim Salom. Prou. 27. *Si contuderis stultum in pila, quasi ptisanas, feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia eius,* & Petrar. de remed. &c. lib. 2. dial. 41. *Omnes, qui sunt, & qui erunt, aut fuerunt virtutibus clari, non posse vnum ingenium accendere, nisi aliqua intus in animo scintilla sint, quæ praeceptoris spiritu excitata, & adiuta, generosum disciplina fomitem arripiant, alioqui algidum in cinerem nequidquam flabis*, & Nazianz. in carm. ad Nicob.

Quid prodest asinis auri gestare talenta?
Auro namque, & nummis oneratus asellus,
Mere rudit tamen ipse suo.

Exercendi itaque hi sunt in aliis operibus manualibus, eos enim docere nihil est aliud, quàm Æthiopem lauare, asinum tondere, & in arena seminare. Nec hic valet illud Iob. 14. *Lapides excauant aquæ*: nec Damasc. parall. lib. 3. cap. 52. *Gutta continua lapidem excauat.* nec Ouid. 4. de Ponto., eleg. 10.

Gutta cauat lapidem, non vi, sed sæpe cadendo:
Gutta cauat lapidem, consumitur annulus vsu,
Et teritur pressa vomer aduncus humo.

Tum quia excauari non finit propter libertatem arbitrij. Tum quia, esto fineret, non præstat cum tanto Religionis incommodo, & aliorum studentium detrimento. Tum quia ait quidam Poëta.

Indocile ingenium si pergis velle docere,
Infelix operam perdes.
Desine, nam nunquam ars naturam vincet, equusque
Nusquam ex degenere fiet generosus asello;
Et nunquam ex stolido cordatus fiet in arte.

80. Dico 2. tenentur Prælati studentibus, Lectoribus, cæterisque literatis viris, qui pro bono publico student, & laborant, aliqua priuilegia Religiosa concedere, vt faciliùs, & commodiùs id facere possint. Hæc conclusio sequitur ex præcedenti; inter fauores enim numerantur priuilegia, & dixi *tom. 1. huius op. q. 1. c. 30. concl. 7.* Et Contz. 4. *pol. cap. 14. & 15.* refert ex Rebuffo 180. priuilegia concessa à summis Pontificibus, Imperatoribus, & Regibus, viris literatis. In Religionibus varia sunt, secundum vniuscuiusque viuendi modum. Quæ in ordine nostro, videre poteris *cap. Bonon. 1. num. 17.*

81. Dico 3. tenentur Superiores studiosis aliquas honestas recreationes concedere, immò renuentes cogere. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst. 168. art. 2.* Ant. Gabr. *comm. op. tom. 1. tit. de relig. & sumpt. num. 3. vers. Sunt etiam aliqui,* & Dixi *tom. 1. huius op. loco cit. vers. Quare debent:* Probatur: Tum quia cum humana mens limitatas, & finitas vires habeat, nisi quiesceret, frangeretur. Tum quia ait Apul. *lib. 1. de mag.* quòd *continuatio literati laboris omnem gratiam à corpore detergit habitudinem tenuat, succum exorbet, calorem oblitterat, vigorem debilitat, tristitiam parit,* quæ naturam corrumpit, vt ait Arist. 3. eth. cap. 12. Tum quia Arist. 4. ethic c. 8. ait. *Requies, & iocus in vita esse necessaria videntur.* & 10. eth. cap. 6. *Cum nequeant homines assiduè operari, requie indigent.* Et Aug. 2. de musica, cap. 12. *Volo tibi parcas, & apertum ire per auras animum permittas, nam sapientem interdum remittere mentis aciem rebus agendis decet intentam.* Hic congruit vetus illud. *Festina lentè.* Et illud, *Canis festinans cæcos parit catulos.* & Pythagoras in symb. *Cor ne edito*, idest curas abiice aliquando, & Ouid.

Quod Caret alterna requie, durabile non est.
Hæc reparat vires, fessaque membra leuat.

Et Cato.

Interpone tuis interdum gaudia curis.

De vtilitate, & necessitate harum recreationum fecit tractatum Nig. *in ascet.* quem videbis *cap. 1. 2. & 3.* & quomodo Prælatus in iis se gerere debeat, vide apud Scrib. *in Super. relig. lib. 5. cap. 16. & 17.* Si ergo Prælatus tenetur necessaria suis subditis tradere, & hæ recreationes sunt necessariæ, has dare debet.

82. Si quæras, quænam dicendæ sint honestæ recreationes, quas concedere tenetur Superior viris studiosis. Resp. Nemes. Episc. Emissen. *in bibl. PP. tom. 2. G. L. pag. mihi 516.* quòd simpliciter illæ honestæ esse voluptates putandæ sunt. *Quæ non sunt implicatæ dolori, neque pœnitendi causam afferunt, neque vllo alio detrimento afficiunt eos, qui perfruuntur, nec vltra modum progrediuntur; neque non multum à grauioribus negotiis abstrahunt; aut sibi seruire cogunt.* D. Thom. *loc. cit.* has recreationes iustificat cum tribus conditionibus. 1. quòd delectatio, quæ in his prætenditur, non quæratur in operationibus, vel verbis turpibus, aut nociuis. 2. quòd grauitas animæ totaliter non resoluatur. 3. quòd recreatio congruat personæ, tempori, & loco. Vt autem sciatur magis in particulari, quænam sint recreationes licitæ, sit.

§. IV.

Quanam sint recreationes, quas possunt & tenentur Prælati Regulares suis subditis, præsertim studiosis, concedere.

83. Nota, quod Religiosorum recreationes possumus considerare, vel in conuentibus, vel extra illos. In conuentibus sunt duo genera recreationum: 1. est recreationum ordinariarum, quæ fiunt quolibet die, hebdomada, vel mense. 2. extraordinariarum, quæ semel, vel bis ad summum in anno. Et similiter extra conuentus habent ordinarias, & extraordinarias. Recreationes ordinariæ, & quotidianæ in conuentibus, sunt Religiosa illa colloquia, quæ à prælatis conceduntur post quamlibet comestionem; ludi, quibus, in die intra singulas hebdomadas feriato, studentes, Superiore mandante, se dedunt: Extraordinariæ in conuentibus tempore vacationum brumalium sunt Religiosæ repræsentationes spirituales, aut morales: In vacationibus æstiuis fiunt hic Genuæ à singulis studentibus Theologiæ sermones. Extra conuentum concedi solent singulis quibusque mensibus, vel quindecim diebus, deambulationes per montes, & campos, & sunt recreationes ordinariæ: Extraordinariæ autem sunt, ter, aut quater in anno ire ad aliquam villam, vel conuentum vicinum primo mane, & non reuerti, nisi de sero; & aliquando in loco recreationis, si adest ibi conuentus, remanent duobus diebus, & has vocant nostri studentes recreationes magnas, quæ tamen raro concedi solent. Nunc de his singulis aliquid breui dicendum est. Sed priùs, monendum id, quod dicit Arist. 10. eth. c. 6. *Ludere vt serio agat quispiam, videtur rectè se habere; quippè cum ludus requiei similis sit.* Ad quem locum ait D. Thom. *Videtur rectè se habere, quod aliquis ludat ad horam ad hoc quod postea diligentius studeat. Quia in ludo est quodam relaxatio, & requies.* Itaque his recreationibus debent vti vt viatores, qui quiescunt, vt surgentes velociùs curraot; & vt portitores, qui onera deponunt, non vt deponant, sed vt facilius ferant. Ad quod facit illud Pythagoræ. *Onus simul tollito, non simul deponito*, quo docemur, onera studiorum non deponenda per recreationes, sed releuanda.

84. Primo ergo quotidiana illa colloquia post comestionem debent esse iucunda, sed Religiosa. Ait enim Arist. 8. pol. cap. 5. quòd *Iocus gratia requietis est, & requietem necesse est esse iucundam, est enim medicina molestia illius, qua per labores suscipitur; & ratio degendi non solùm honestatem habere debet, verùm etiam voluptatem.* Et Basil. in const. monast. c. 13. *Ceterum*, inquit, *si vsu etiam inciderit aliquando, vt remittenda aliquantulum tristitiæ causa, sermone ad hilaritatem excitemur: Enim verò danda omnino opera est, vt spirituali lepore referta sit oratio nostra, & Euangelico sale condita, vt rectè, qua interiùs sit sapientia, gratum ferat odorem aspiret, dupliciterque auditorem, & animi relaxatione, & intelligentia festiuitate delectet.* Absit in primis ab istis colloquiis de rebus Philosophicis, aut Theologicis, quæ in scholis tractantur, disceptatio, hæc enim grauat, non subleuat animum, tristitiam, non lætitiam gignit: absit etiam pertinax cuiuscumque rei contentio quæ clamores sine vtilitate excitat; sed *disceptatio*, si intercedat, *sit sine ira*; vt ait Ambr. 1. de off. cap. 22. *suauitas sine amaritudine, monitio sine asperitate, & hortatio sine offensione.* Sint itaque ista colloquia de dictis, & factis illustrium virorum nostri Ordinis, de Religionis progressu, de Deo, de Sanctis, de rebus diuinis, de obseruatione regulæ, de virtutibus acquirendis, vitiis extirpandis, de tentationibus superandis, de remediis adhibendis; his enim nutritur charitas, deprimitur superbia, custoditur humilitas, augetur deuotio, & bene operandi desiderium excitatur. Iucunda etiam erunt, si Religiosis salibus sint condita, v. g. dicenti aliquando quòd vita quadragesimalis vitam abbreuiabat, quia sal naturam corrodit, dixi, Immò sale condiuntur carnes, vt longiùs conseruentur. Et alteri interroganti, an in isto monasterio fratres conseruatentur sani. Equidem, respondi. Et quomodo, respondit ille, cum tanta vitæ asperitate? Electuario, dixi, quòd faciebat noster Corrector. Et cum iterum interrogasset, quodnam illud esset respondi, Dieta. Et cuidam grauibus tentationibus laboranti, & interroganti, quomodo non consentiret? Herbam me illi daturum promisi; quam dum secum ferret, consentire non posset, etiamsi vellet; anhelanti vt darem, dixi, Hæc verba timor Domini est. Et alteri interroganti, quid prandebitis, Pater, hoc mane? More Regum, respondi, mensam peto. Et replicanti, quisnam esset iste mos? dixi, Nunquam sciunt, quid sint comesturi. His, & similibus salibus condienda sunt claustralium colloquia; non salibus, sodalem præsentem, vel absentem mordentibus Contra quos Sen. de tranquil. cap. 4. *Quidam vrbanitatem aestiuos commere, ne periculosis abstinent salibus*: obliti illius Publij sententiæ, *Amicum lædere ne ioco quidem licet.* Et alterius.

Quare tolle iocos, non est iocus esse malignum;
Nunquam sunt grati, qui nocuere, sales.

Et Sen. ep. 15. de se ipso loquens, ait. *Aduersissimus ab illis sum: si quando fatuo delectari volo, non est mihi longè quærendus, me video.* Lege Iustin. lib. de discipl. mon. conuer. cap. 15. vbi ait, *In omni loco, & tempore adhibeant ori custodiam, & præcipuè cum humanitatis gratia simul congregantur, tunc nihil indiscussum proferant, sed quod edificet, loquantur.* Possunt tamen opportunè dici aliquando quædam verba ridiculosa, vt ait idem Iust. ibid. paulò infra. *Sunt tamen multa verba, quæ in se ridiculosa, & vana esse videntur, quæ interdum prudenter, & opportuno dicuntur tempore, vel pro propria subleuanda fragilitate, vel proximorum emouenda tristitia: Hæc nempe talia ab infirmis mentibus nequaquam redarguenda sunt, quia otiosa non sunt: plerumque huiusmodi magis fructificant, quàm spiritualia, & diuina. Non autem in consuetudinem deducenda sunt sub intentione subditoria, sed raro suo loco, & tempore pronuntianda.* Vt si non grauiter infirmo, in lecto tamen decumbenti, eum visitando, dicas. Et ego soleo aliquando sic ægrotare, vt visiter à sodalibus, & delicatiùs nutriar à Prælato: & tacto pulsu, dicas; Confide, non morieris hac infirmitate. Et sternutanti dicas, Surge citò, iam non es infirmus.

85. 2. In conuentibus studiorum solet vnaquaque hebdomada concedi studentibus dies recreationis, quem paripatericum dicunt. Illo die studentes ludis honestis, & Religiosis, aptis ad animum relaxandum intendunt. De his ait Cic. 1. de off. *Ludo, & ioco vti quidem licet, vt somno, & cæteris quietibus ita, si grauibus, seriisque rebus satisfecerimus.* Et Sen. de vi. be. c. 12. *Miscenda sunt recreationes vita, tanquam ludus, & iocus inter seria* Et nota, quòd ludus est sal, saccharum, & sol recreationum omnium. Sal, qui condit; saccharum, quod dulcorat; sol, qui illuminat: sine ludo enim insipidæ, amaræ sunt recreationes omnes. Quod accidit, tum propter naturæ inclinationem, auctam per consuetudinem ab ineunte ætate. Tum propter victoriam, quàm ex ludo speramus. Tum propter quietem quam animo affert. Qui autem ludi in particulari sint liciti, qui non dicam §. sequenti.

86. 3. In diebus vacationum brumalium dicebam posse fieri à studentibus Religiosas aliquas repræsentationes de vita alicuius Anachoretæ, de pœnis infirmi, de miseriis huius vitæ, seù de alia materia morali. Atque ita id docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 168. *art.* 3. *ad* 3.

& quæst. 167. *art.* 2. *ad* 2. Ricard. *in* 4. *dist.* 16. *art.* 3. *quæst.* 1. vbi Dur. *q.* 5. Argent. *quæst.* 1. *art.* 3. qui approbant non solùm repræsentationes de Sanctis, sed etiam indifferentes, quando sunt necessariæ pro animis pœnitentium Religiosorum relaxandis. Ang. *verb. Ludus*, *n.* 2. Coniz. 5. c.13.§.7. Raynaud. *de virt. lib.* 5. *cap.* 10. *num.* 204. §. *Non omne theatri.* Sunt enim hæ repræsentationes specula vitæ, & imagines veritatis. Præterea iuuenes hic memoriam exercent, dicere in publicum assuescunt, agilitant ad actionem membra, & sic illa dulcedine allecti; vacando, non vacant, & non studendo student. Nec hæ prohibentur in c. *Cum decorem de vita, & hon. cler.* vt Glossa ibi, *vers. Monstra larnarum*: & Gloss. *in cap. His igitur, dist.* 23. *vers. Non spectaculis.* Nec *in cap. Non oportet, el* 2. *de consecr. dist.* 5. Nec *in c. Presbyteri, dist.* 34. Nec in Trid. *sess.* 22. *de refor. cap.* 1. Nec de his loquuntur Ber. *ser. de conuer. ad cler. c.* 25. quando ait. *Cæterum vana spectacula, rogo, quid corpori præstant, quidvè animæ conferre videntur?* Nec Basil. serm. de leg. lib. gen. *Oportet nec oculos spectaculis, nec vanis præstigiatorum ostentaculis tradere, nec per aures corrumpitricem animarum melodiam audire*; Nec Chris. hom. de Dau. & Sau. tom. 1. Nec Clem. Alex. 3. pædag. cap. 11. *Probibeantur specula, & acroamata, quæ nequitia, verbisque obscœnis temerè profusis vana sunt.* Sed solum à sacris canonibus, & SS. PP. prohibentur Religiosi interesse vanis, obscœnis, & turpibus spectaculis, vt dicunt Glossæ in dictis locis, & manifestè constat *ex cap. Presbyteri, d.* 34. In iis enim solùm dicta spectacula vetantur, ergo honesta, & modesta approbantur; eo enim ipso, quòd negatur vnum, cætera conceduntur, *cap. Qualis, dist.* 25. Potest etiam eo tempore honestè saltari, absque motione turpi corporis, & modo sæculares absint; nulla enim in hoc videtur deformitas. Non in se; quia Dauid etiam Rex saltauit ad gloriam Dei, 2. *Reg.* 6. nec ab extrinseco, vt suppono. Et hoc concessum esse videtur in Concil. Senon. *c.* 25. apud Cres. in summ *verb. Ludus*, vbi dicitur, *Non se admisceant clerici choreis publicis, tripudiationibus, aut saltationibus*: Et eo ipso quòd publica vetatur saltatio, conceditur secreta, vt constat ex *dicto c. Qualis*; & docet expressè Ang. *verb. Ludus, n.* 2. *dicto* 4. Ant. Gabr. *com. op. tom.* 1. *tit.* 29. *de relig. & sumpt. fun. n.* 2. *vers. & hinc est.* Plus tamen laudandum videtur exercitium illud concionum, quod fit in vacationibus æstiuis; cum enim prædicare sit proprium Religiosorum mendicantium, vtilitati proximorum incumbentium, ibi prædicandi modum addiscunt, prædicare assuescunt, discunt etiam modum studendi Sacræ Scripturæ. Et propterea, cum plures sint studentes, vnusquisque habet, quòd reprehendat in socio, & emendet in se. Vnde vbi cursum theologicum consummauerint, tutò possunt mitti ad prædicandum populis iuxta talentum.

87. 4. Singulis quibusque 15. diebus, vel singulis quibusque mensibus conceduntur studentibus recreationes extra conuentum, in quibus omnes cum morum Magistro, vel alio ex senioribus conuentus procedunt statim à prandio per istos vicinos montes. Quæ quidem recreatio, & animis, & corporibus studentium maximè solet esse solatio; cum enim totis diebus, & noctibus occupentur, vel seruitio chori, vel in studiis, vel aliis domesticis exercitiis ad temporis mensuram, ita defatigantur, vt nisi his deambulationibus refocillentur, non dubitandum sit, quin breui oneri concedere cogendi sint. Quare etiam has deambulationes laudauere Summi Pontifices Clem. VIII. Paulus V. Greg. XV. Vrban. VIII. vt constat *ex constit.* 10. *Vrb. VIII. in tom.* 3. *nostr. priu.* §. 97. & esse Religiosi necessarias dixit Bonan. in quæst. circa reg. Frat. Min. quæst. 6. *Vt infirmi refocillentur, sani conseruentur, & lassi in spiritualibus studiis recreentur.* In his deambulationibus possunt de rebus variis loqui, honestis tamen, & Religiosis, & cum ad omnimodam solitudinem secesserint, ludendo honestis ludis & canendo psalmos, vel alios canticos spirituales, seu morales, se exercere; ludi etiam multum lætificant, vt iam dixi. Quòd verò multum etiam lætificet musica, & cantus, dicit Eccli. c. 40. *Vinum, & musica lætificant cor.* Et Arist. 8. pol. cap. 5. *Musicam omnes fatemur esse ex iucundissimis, siue nuda sit, siue cum modulatione. Inquit profectò, & Musæus, carmen dulcissimam rem esse mortalibus; quapropter, & ad cœtus familiarium, & ad vitam in otio degendam rationabiliter illam recipiunt, vt potentem lætitiam afferre.* De Musicæ vtilitate plurima Mersen. *in cap.* 4. *Gen. vers.* 21.

88. 5. Bis, aut ter in anno procedunt iuuenes in aliquem conuentum viciniorem, ibique permanent per duos, aut tres dies, seu ad aliquam villam recreationis, & discedunt summo mane, & reuertunt sero. In istis recreationibus colloquendum, ludendum, cantandum, saltandum, iuxta dicta. Sed monendus est Magister 1. vt non permittat, vllum extraneum ibi interesse; tum quia adimitur libertas, non enim potest modesta iuuentus, spectantibus extraneis, ea facere, quæ alioqui illi licita essent. Tum quia sæculares, qui putant, Religiosos non esse homines, sed angelos, solent in multis offendi: & quò magis spirituales, atque amiciores suos, eò magis secludendi, spirituales enim delicatiores habent aures, & oculos, facilioresque sunt ad offensionem; amiciores verò præbent interdum Religiosis ansam maioris libertatis. Et hoc omnino prohibetur in Concilio Senon. *cap.* 15. apud Cresp. *verb. Ludus*: & docet Host. *in sum. de excess. præl.* §. *Licet tamen.* 2. monendus est Magister, vt iuniores præsertim nunquam sinat sine sua, vel sui substituti, vel alterius senioris præsentia, qui vel aspectu, vel auctoritate eos contineat in officio. Ita Nigr. *in tract. de an. relax. cap.* 14. *n.* 84. 3. monendus est, vt primo mane ante omnia cum iuuenibus recitet diuinum officium vsque ad vesperas exclusiuè; deindè celebret, vel celebrari curet missam, cui omnes intersint; inde poterit ad deambulandum per villam cum illis procedere. Moneo etiam, vt semper pares in ætate cum paribus vniat, tum in deambulando, tum in ludendo, tum in canendo, tum in comedendo, &c. ætatis enim paritas pares parit mores; vnde quietiùs omnia succedunt. Moneo denique, quòd priùs monuit Clem. VIII. cit. *n.* 87. vt in his recreationibus notet Magister iuniorum mores, vt remediis curare possit, nam hic magis, quàm vnquam, se latentia bonorum, atque malorum semina prodont, & in amica sibi prono cursu, cum suæ relinquuntur naturæ, feruntur: cum enim nondum dissimulare didicerint, pecorum more in optata ptoruunt, vt Lyricus *de art. poet.*

Reddere qui voces iam scit puer, & pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere, & iram,
Colligit, ac ponit temere, & mutatur in horas.

§. V.

Qui ludi dicendi sunt honesti, & liciti, vt Religiosis concedi possunt.

89. Vide D. Th. 2. 2. *q.* 168. *art.* 3. & 4. Nigr. *loco cit. c.* 14. *n.* 86. P. Greg. *synt. iur. lib.* 39. *c.* 3. & 4. Patrit. *de reg. tit.* 9. 10. & 12. Ab. Alex. *lib.* 3. *gen. c.* 21. Vbi Tiraq. Vanc. *de disciplin. cler. lib.* 4. *tit. de lud.* Chauass. *de ver. prud. lib.* 4. *c.* 7. §. 5.

90. Dico 1. licitum est Religiosis ludere ludis honestis, modo tamen, & tempore congruo. Ita D. Thom. *loco cit. art.* 2. Durand. *in* 4. *d.* 16. *q.* 5. Vbi Ricard. *art.* 3. *q.* 1. Argen. *q.* 1. *art.* 3. Probatur, tum ex *Scrip. Eccl.* 3. vbi dicitur. *Tempus flendi, & tempus ridendi, tempus plangendi, & tempus saltandi*, non enim Scriptura approbaret post fletum, & planctum, id est post opera laboriosa,

tempus

tempus ridendi, & saltandi, idest moderatæ iucunditatis, atque recreationis, nisi in ludis huiusmodi posset esse aliqua virtus. Tum ex Arist. 4. *ethic. cap.* 8. vbi dicto modo ludere ait pertinere ad virtutem eutrapeliæ: & 1. *eth. cap.* 1. ait. *Nam ob qua oportet, & sicut oportet, latari, & dolere, ad virtutem spectat:* Et multa exempla sanctorum virorum, qui huiusmodi honestis ludis lusere, affert Iustin. *in Tob. cap.* 3. *vers.* 17. *docum.* 1.

91. Dixi, modo, & tempore congruo; quia si quis ludat etiam ludis licitis, pro aliquo tamen tempore prohibitis à Superiore, peccat, quia delectationem ludi proponit dilectioni diuinæ contrafaciendo præcepto Superioris. Ita D. Thom. *loco cit. art.* 3. *corp.* Quòd peccatum potest esse mortale, & veniale, iuxta modum, quo à Superiore probibitus est ludus; & iuxta ea, quæ ex tali ludo consequuntur. Siquis etiam vel plus ludat, vel maiori affectu, quàm recta ratio dicta, peccat venialiter; quia in his excedere, quæ à recta ratione diriguntur, peccatum est, vt docet D. Thom. *loco cit.* Similiter qui luderet tempore passionis dominicæ, vel in Ecclesia, vel in claustro, ita vt posset audiri, vel videri à sæcularibus, peccaret saltem venialiter, quia hæc contra rectam rationem sunt. De his circunstantiis vide Caiet. *ad locum cit.* D. Thom. *ad* 3. *dub.* qui notat *art.* 2. quòd peccant Prædicatores, qui inter prædicandum recreationis gratia dicunt aliquod verbum ridiculum; quod intellige, si passim id affectent, vt aliqui, qui magis histrionum, quàm Prædicatorum partes agunt.

92. Dico 2. potest Superior præcipere tempore recreationum subdito nolenti ludere, vt ludat, & nolenti stare ad videndum, vt stet. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 168. *art.* 4. *corp.* Probatur; quia non ludere modo, & tempore congruo, vitiosum est, cum sit contra rectam rationem, quòd aliquis se onerosum exhibeat, recreationem aliorum impediendo, nolendo ludere, vel videre, sed potest Prælatus omne vitiosum tollere; ergo.

93. Dico 3. non possunt Religiosi in dictis recreationibus ludere aleis, absque mortali, etiam ioco, propter scandalum, & periculum infectionis. ita Farinac. *tom.* 3. *prax. crim. q.* 109. *num.* 98. Per aleas intellige eos ludos, qui magis nituntur casu, & fortuna, quàm industria, & arte, vt ludus taxillorum, foliorum, seu chartarum. Ita Val. *tom.* 3. *disp* 5. *q.* 5. *col* 31. *vers. Ratione autem*; Nau. *in sum. cap.* 20. *num.* 6. P. Greg. *loco cit. cap.* 3. *num.* 14. Probatur tum ex *c. Episcopus, dist.* 35. & c. *Clerici.* 2. *de vit. & honest. cler.* vbi prohibentur Religiosi etiam dictis ludis interesse; quòd etiam præcipitur in concil. Senon. *cap.* 25. apud Cresp. *verb. Ludus.* Et in 6. Synod. Constant. *cap.* 50. iubentur lusores alearum excommunicati, vt refert P. Greg. *loco cit. num.* 11. quæ omnia confirmantur in Concil. Trid. *sess.* 22. *de reform. cap.* 1. Tum *ex lege, Solent, ff. de alea lus. & aleat. & auth. Alearum lusus, Cod. de relig. & sumpt. fun.* Tum quia ludentes huiusmodi ludis censentur infames, vt probat Mascard. *de prob. concl.* 998. Barbos. *de off. ep. p.* 2. *alleg.* 43. *num.* 11. & *cap. inter dilectos, de excess. prel. num.* 3. Mol. *tract.* 2. *de iust. disp.* 159. *fine* Menoch. *de arb. lib.* 2. *cas.* 399. *n.* 3. & constat *ex cap. Inter dilectos, de excess. Prel.* & de his vagatur versus.

Infamis semper, semper egenus erit.

94. Et si vis scire, quot, & quanta mala oriantur ex huiusmodi ludis, adi Speculum fatuor. *turba* 77. Raum *inuectiua* 20. & 21. Busæum *in pan. verb. Ludus alea.* A. de Gueuara. *lib.* 4. *ep. ad D. Garciam* Manriq. & Spelt. *lib.* 2. *fatuit. cap.* 9. & Passum *disc.* 7. *de hominum sordibus*; & Host. *in sum. de excess. Prel.* §. *Clericus, n.* 4. vbi 16. enumerat crimina, quibus inquinatur lusor, & Antonin. 2. *p. tit.* 1. *cap.* 25. §. 6. multa dicit contra lusores: & 1. quod non est aliud vitium, quod reddat homines ita infames, & abominabiles, sicut ludus, 2. quòd lusores christianitatem vituperant, 3. quòd lusores vituperamur ab hominibus propter multa scelera enormia, quæ reperiuntur in ludo, & ipse enumerat triginta vnum, 4. quòd lusores largiuntur ad præceptum taxilli, quod non largirentur ad præceptum Dei, 5. quòd tot sunt in taxillis scelera, vnum peius altero, quot puncta, 6. concludit sic. *Non debet ergo dici Christianus, qui deditus est ludo, cum vituperet nomen Christi.* Et Perald. *in sum. tom.* 2. *tit. de auar. c.* 5. enumerat 16. crimina, quæ in huiusmodi ludis interueniunt: & subdit, quòd in ludo potest accidere transgressio totius decalogi; & deinde enumerat 12. stultitias lusorum.

95. Et hoc vitium tam malignantis, & abominandæ naturæ, vt de nullo mihi vitio constet contra quòd tam actitet acuant linguas suas scriptores, sicut contra istud. Cyp. librum scripsit contra aleatores, in quo perpulchrè eorum delicta aperit. Inter alia; *Alea est, quam lex odit, alea est, quam sequitur crimen ignobile; alea est alueus mali, supplantatio amici; aleator, quicumque es, christianum te dicis, quod non es, nec amicus Christi potes esse, qui cum inimico Christi tenes amicitiam.* S. Ephrem de abrenunt. in bap. facta tom. 1. *Va alearum lusoribus, quandoquidem se à corpore, & sanguine Domini nostri IESV CHRISTI alienos reddunt.* Bern Senen. de Euang. æter. ser. 16. art. 3. c. 2. circa med. vt refert Ant. Gab. tom. 1. comm. op. lib. 3. tit. 29. de relig. & sump. n. 4. *Ludus nihil est aliud, nisi fames iniquitatis, & cupiditatis, domestica pradatio, vsuraria labes, mendaciorum, atque nugarum sedula mater, fons diuina negationis, crudelis blasphemia pater, corruptio populorum, scandalum proximorum, peruicax, inobedientia filius,* &c. Et Patritius de reg. tit. 10. ait, quòd apud Ægyptios, *Aleator omnibus accusare volentibus obnoxius erat. Qua quidem lege,* subdit, *declaratur, quàm suspecti sint omnibus mortalibus aleatores, quamque proni ad singula quaque flagitia, ac scelera.* Est enim lusor omni peccatorum genere spurcatus, deque eo quidquid mali dicitur, absque temeritate credi potest, & bene licet argumentari, Lusor est, ergo omnium vitiorum plenus. Et scriptura istorum amicitiam detestatur, Tobiæ 3. *Nunquam cum ludentibus miscui me.* Et Ier. 15. *Non sedi in concilio ludentium,* Vnde viris honoratis aleatorum amicitia tanquam pestis fugienda est.

96. Et aduerte, quòd habet hoc vitium illud particulare, vt insanabile sit; crescit enim cum ætate, & accipit à tempore vires; tamque altas iacit radices, vt, nisi igne comburas, semper virescat: alia vitia vel relinquunt, vel relinquuntur, at hoc neutrum; est veluti auaritia, de qua dicit Arist. 1. *eth. c.* 1. quòd *est incurabilis:* & veluti hedera semper virens, atque frondens, ad sitas irrepens arbores, quibus ita validè circumuoluitur, & adhæret, vt ne ramis quidem fatiscentibus, aut arefactis, recedat, nisi ferro, aut igne dissipetur. Vnde Cypr. loco cit. *Alea est diaboli venabulum, & delicti vulnus insanabile.* Quare concludo, quòd si qui sint istius canaliæ in Religionibus, sunt omnino ab eis absque misericordia exterminandi, tanquam de facto incorrigibiles; vituperant enim non solùm se ipsos, sed totam Religionem simul. Vnde intrat illud Plau. in Bacch. sec. 8.

Cura, & concastiga hominem probè,
Qui dedecorat te, me, amicosque alios flagitiis suis.

97. Dico 4. licitum est Religiosis ludere recreationum tempore trocho, pila minori, aut ad scapulum lapide rotato, aut globis ligneis, per annolum versatilem in terra defixum impellendis cum malleis ligneis oblongi manubrij, vel etiam sine istis, vbi quæ pars citiùs ter, quinquiesvè, prout inter ipsas conuenerit, in circulum coniecerit suos globos, victrix censetur. Ludere etiam possunt pyramidulis ligneis, pila pariter

lignea iaciendis. Hos ludos concessit suis Clericis S. Carolus Borromæus *act. Eccl. Medisl. part. 5. princ. p. 3. cap. 3.* Nigr. *tract. de an. relax. cap.* 14. *num.* 8 licèt ludum pilæ non probet vndequaque: sed pilam probant omnes, & est valetudini tuendæ valde salutaris, vt dicunt Medici Corn. Cels. *lib. 1. cap. 2.* Gal. *lib. de lu. part. pila, cap.* 4. & Ab. Alex. *gen. dier. lib. 3. cap. 21.* ait, quòd ludus pilæ apud antiquos fuit præcipuæ commeodationis, & magni studij, & Tiraquel. ibi dicit, quòd ludos pilæ res antiquissima est, & omni iure permissa. Et hunc ludum valde laudant Ant. Gab. *loc. cit. num.* 3. Et Patrit. *de reg. lib. 3. tit. 9.* & laborem pilæ studium ludendi fallit, & attenuat, vt ait Hor. lib. 2. sat. 2.

—— Seu pila velox,
Molliter austerum studio fallente laborem.

Probatur ergo nostra conclusio; quia isti ludi iucundissimi sunt, & valde animum subleuant, corpus præterea exercent, vnde mali humores desiccantur; cum enim partim sint ab industria, & partim à fortuna, prout ab euentu pendent, non turbant, prout ab ingenio, valde ludentem lætificant, tum nobilissima ingenij actione, tum victoria præstantiore, quæ acquiritur per industriam. Pilæ autem maioris, seu folis ludum semel in anno, si locus Religiosus adsit aptus, & ludo, & personis, non prohibeo: est enim maximæ recreationis, nec lassat, nec soluit nimis, si alternis vicibus ludatur, vt nostri faciunt, ita vt inspectores actores fiant, ludo finito. De hoc ludo Homer.

Ille pilam dextra missurus, ad extra reflectit
Terga retro, rursusque ad magnum prominus ictum
Consurgens, terram procumbit pronus ad imam.

98. Dico 5. Ludus tabularum cum tesseris, quem Sbaraglinum vocant Itali, qui materiam totam habet à fortuna, & formam ab ingenio, est quidem valde vsitatus in aulis Prælatorum Ecclesiasticorum, & etiam in aliquibus Religionibus, & communiter existimatur licitus, & honestus, si circunstantiæ eum non deturpent. Non concederem tamen in Religionibus reformatis iuuenibus. Tum quia contractare taxillos semper malè sonat apud personas spirituales. Tum quia excitat valde choleram, & quandoque vsque ad excandescentiam, cum enim toto ingenio, & arte non semel ludum ita disposueris, vt tibi infallibilem victoriam promittas, ecce rabidus canis, ita omnia commouet, vt nulla industria reparare possis; & sic ex victore aduersario cedere cogeris. Senioribus tamen, & ægris aliquibus quandoque posse permitti, existimat Caiet. 2. 2. *quæst.* 168. *art.* 3. *versus finem*; ludus enim in se cum vt plurimum pendeat à fortuna, licitus est, & valde delectabilis, & cholera vitatur plurimum, si nullum deponatur victori præmium, vt in omnibus Religiosis ludis conuenit, ita vt sola victoria sit victoris præmium.

99. Dico 6. ludus tabularum, quem Damam vocant, est omnino licitus, & Religiosus, & eo vti video omnes, quantumvis reformatos, Religiosos; est enim ludus totus ab industria, qui non fatigat intellectum multum, nec apparet in eo quidquam inconuenientiæ.

100. De ludo scacchorum, seu latrunculorum, an sit licitus, & Religiosis permissus, dubitant DD. Caiet. 2. 2. *quæst.* 68. *art. 3. ad dub.* 3. dicit, quòd ludus scacchorum pessimus est in ordine ad finem ludi, sed optimus ad fugandum otium, & somnum, propter industriæ diligentiam magnam in eo requisitam. Nauarr. *in man. cap.* 19. *num.* 3. *vers. Neque ex eo* ait, quòd ludus latrunculorum est ineptissimus ad animi relaxationem. Nigr. *de an. relax. cap.* 14. *num.* 87. vituperat, quantum potest, huiusmodi ludum; & ab eo tutius esse abstinendum docet Bus. *in Pan. verb. ludus alea, numero* 7. & affert contra hunc ludum auctoritatem Bern. *ad mil. temp. capite* 41. vbi eos laudat, quòd à ludo scacchorum, & alearum abhorreut. Richard. *in* 4. *dist.* 15. *art.* 5. *quæst.* 8. *versus finem* ait, quòd ludus scacchorum non est prohibitus, quia ibi exercetur humanum ingenium, nisi fortè cum homines agunt pœnitentiam, at Religiosi sunt in statu pœnitentiæ. Rosel. *verb. Ludus, §. vlt.* dicit hanc opinionem esse honestiorem, ne detur Religiosis materia relaxationis. Contra hunc ludum affertur auctoritas P. Dam. *lib.* 1. *ep.* 10. *Alex. II.* vbi reprehendit Episcopum Florentinum, eique grauem pœnitentiam imposuit, quòd huic ludo interfuisset. Quod factum refert etiam Bellouac. *in spec. hist. lib* 25. *cap.* 52.

101. E contra verò hunc ludum esse Religiosis permissum, docent Innocent. *in cap. Lator, de homic.* Archid. *in cap. Episcopus, d.* 35. *num.* 1. Panor. *in cap. Clerici, el 2. de vit. & hon. Cler. num.* 4. Ang. *verb. Ludus*, §. 2. *dict.* 4. Tab. *eod. num.* 6. Salon. 2. 2. *tract. de dom. rer. quæst.* 5. *art.* 6. *tit. An per ludum, &c. concl.* 1. Rebell. *de obl. inst. lib.* 12. *quæst.* 1. *numero* 9. Syln. *verb. Ludus, quæst.* 14. Anton. 2. *part. tit.* 1. *c.* 23. §. 7. Sayr. *in clau. reg. lib.* 11. *cap.* 12. *num.* 5. Palud. *in* 4. *d.* 15. *quæst.* 3. *art.* 5. *sub conclus.* 2. P. Greg. *lib.* 39. *synt. cap.* 4. *num.* 8. Anton. Gab. *comm. sp. tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 29. *de relig. & sumpt. num.* 3. Less. *lib.* 4. *cap.* 4. *dub.* 13. *num.* 98. Farin. 3. *part. prax. quæst.* 509. *n.* 116. Cui opinioni subscribo, ea tamen lege, vt nullo proposito præmio ludatur, horis solùm, & temporibus congruis, & absque arbitris extraneis, & modo cultus diuinus non omittatur, cum enim non sit iure aliquo prohibitus, immò concessus, cum industria nitatur, Religiosis, qui dicto modo vtuntur, non est denegandus. Ille Episcopus reprehensus est à Dam. quòd tempore officium diuinum recitandi, sæcularibus in pecunia eo ludo ludentibus, & altercantibus interfuisset, vt colligitur ex illis verbis, *Ego me presbyteri cella semoui, is autem in spatiosa domo cum commeantium turba resedit.* Bernar. non reprehendit illos monachos, sed laudat, sicut laudantur, qui vitam matrimonialem Religioso cælibatui postponunt.

102. Dico 6. possunt etiam Religiosi causa virtutis probandæ sponsiones facere. Ita Host. *in summ. tit. de de excess. Prel §. Licèt, n.* 5. v. g. quòd meliùs recitabo memoriter, vel vulgariter declarabo, quam alter, hymnum, *Ales diei Nuntius.* Nunquam tamen licuit Religiosis, siue viris, siue fœminis sponsiones facere hic Genuæ super extractione Senatorum, quia tales sponsiones solùm fiebant ob cupiditatem lucri, quæ omninò abesse debet à pectoribus Religiosorum. Atque ita Syluest. *verb. Negotium, q.* 4. *fine*; quòd verò sæcularibus permitti possit (licèt neget Sylu. *loco cit.* quia nullam affert Reipublicæ vtilitatem) docet Azor. 3. *p. lib.* 11. *tit. de spons. c.* 1. *dub.* 1. Dixi, nunquam licuisse, quia post decretum nouissimum Sereniss. Collegiorum *sub.* 22. *Aprilis* 1627. Certissimum est, non posse, neque clericos, neque moniales, neque regulares, neque sæculares sub mortali tali ludo ludere, ob grauissima, & enormia scandala, & delicta, quæ inde prouueniebant; & est casus reseruatus Illustriss. Archiepiscopo; & quòd Ecclesiastici teneantur obseruare leges ciuiles in communem vtilitatem indictas, dixi *tom.* 1. *nostr. priu. in const.* 2. *Iulij II. n.* 151. & DD. quos ibi ad id probandum adduxi, adde Salon. *tom. 2. de iust. contr.* 10. *q.* 77. *art.* 1. Sa *in aph. verb. Clericus, n.* 6. Med. 1. 2. *q.* 96. *art.* 5. *dub. vlt.* Sot. *lib. 1. de iust. q.* 6. *art.* 7. *concl.* 1. Suar. *de leg. lib.* 3. *c.* 34. *n.* 6. Sayr. *in cla. reg. lib. 3. cap.* 4 *n.* 17. & 18. & constat ex *cap. Intelleximus, de no. op. nunc.* & ex *c. Historia* 33. *q.* 2. ex quo ea ratio colligitur; quia si sunt prohibita sæcularibus, multo magis Ecclesiasticis.

103. Dico 7. non rectè ludi à Religiosis pias aliquas preces pro victore dicendas, vel pro animabus purgatorij. Ita Lop. 2. *part. instr. cap.* 32. *fine* Vega 1. *parte.*

summ.

summ. verb. Ludus, casu 14. contra Nauarr. *in summ. cap.* 20. *num.* 7. *vers. Dixi quo luditur.* Rebellum *de ab. iust. lib.* 12. *cap.* 1. *num.* 11. Salas *de contr. Ind. dub.* 20. Sed nostra conclusio probatur; Tum quia hoc est miscere sacra profanis, contra illud.

Publica priuatis secernere, sacra profanis.

Tum quia est grandis irreuerentia rerum sacrarum, vt iis vti velimus in ludis relaxationis gratia assumptis. Tum quia illæ preces communiter non dicuntur ea, quæ decet, deuotione, & reuerentia, præsertim à iunioribus. Tum quia si non licet vti rebus ad cultum diuinum dicatis, v. g. calicibus, planetis, &c, ad vsus profanos, multò minùs his precibus, quas Christus ipse docuit, vt illum deprecaremur. Tum quia Greg. *lib.* 6. *reg. epist.* 7. reprehendit quosdam clericos, qui in electione cuiusdam Episcopi clamauerunt. *Hac dies, quàm fecit Dominus*, &c. quod etiam vetuit. Trid. *sess*, 4. *de edit. sacr. lib. in fine*: At maior videtur irreuerentia preces ludere. Poterit ergo proponi aliquid temporale pro victore, v. g. quòd victus coram victore genuflexus, victum se ab eo ter fateatur, quòd victus vnico pede, alio suspenso, ad certam aliquam metam procedat; quòd victus victori portionem vini, aut pitantiæ tribuat; quòd victor ad libitum possit victo vnam ex dictis pœnis, vel simile iniungere, &c. quæ non minùs sunt Religiosa, quàm iucunda. Et tandem quomodò recreandus animus, vide apud Raynaud. *de virt. lib.* 6. *cap.* 10. *à num* 194.

104. Ad vltimum studiosi studentes notent hic præcepta D. Thom. qui interrogatus à quodam studendi studioso, quomodo posset salubriter scientiam acquirere? Respondit *opusc.* 68. 1. quòd esset tardiloquus, & tardè ad locutorium ascenderet, 2. quòd puritatem conscientiæ amplecteretur, orationi vacare non desineret, & cellam diligeret, 3. quòd omnibus se amabilem exhiberet, nihil penitus quæreret de factis aliorum, nemini se multùm familiarem ostenderet, & de verbis, seu factis sæcularium nullatenus se intromitteret, 4 quòd discursum super omnia fugeret, sanctorum, & bonorum Religiosorum vestigia imitari non desineret. & non respiceret à quo audiret, sed quidquid boni audiret, memoriæ commendaret, 5. vt illa, quæ ageret, & audiret, studeret intelligere, & de dubiis se certificaret, & quidquid posset in armariolo mentis reponeret diligenter.

CAPVT. III.

Quas virtutes debeat habere eligendus in Prælatum Religiosorum.

VIde Lips. *lib.* 1. *pol. à c.* 1. Contz. 3. *pol cap.* 1. *& lib.* 2. *c.* 10. Mir. *to.* 2. *man q.* 5 *art.* 2. Gonz. *ad reg.* 8. *cãcell. gloss.* 4. *n.* 109. *&* 110. Less. *lib.* 2. *de iust. cap.* 34. *dub.* 23. *num.* 125. Bell. *lib.* 1. *de off. princ. christ. cap.* 7. Bus. *de stat prel. c.* 3. Ægid. *de reg princ. par.* 2. *lib.* 1. *c.* 31. Lop. *de Rege, lib.* 1. *princ.* Scrib. *toto lib. de Super rel.*

2. Dicendum est, eligendum in Prælatum debere esse ornatum omnibus virtutibus, tum Theologalibus, tum Cardinalibus, cum illis annexis. Ita DD. cit. Probatur, ex Scriptura Sacra, Exod. 18. *Prouide de omni plebe viros timentes Deum, & constitue ex eis tribunos*, &c. *sed qui timet Deum faceret bona*, Eccles. 15. *& qui timet Deum, nihil negligit*, Eccl. 7. *& nihil* (virtutum) *deest timentibus eum*, Ps. 33. & Eccl. vlt. *Deum time, & mandata eius obserua, hoc est enim omnis homo.* Plura vide *Eccl.* 1. Ex quibus colligitur, quòd qui timet Deum, mandata illius obseruat, & iustus est, vnde de iusto Iob dicitur *cap.* 1. *sui lib.* quòd erat *simplex, & rectus, ac timens Deum*, & de Cornel. Act. 10. quòd *erat religiosus, ac timens Deum*, & de Simeone dicitur *Luc.* 2. quòd *erat iustus, ac timoratus.* Sed qui iustus est habet omnes virtutes, cum bonum ex integra causa constituatur, & quod timenti Deum nihil deficiat quoad perfectionem, Cassian. coll. 11. cap. 103. *Qui Dominum metuit, perfectioni eius certum est nihil deesse.* Cum ergo Scriptura in Prælato timorem Domini requirat, certum est, omnes virtutes requirere, & præterea Domini timorem in Prælato requirunt Canones, *cap. Omnis, qui, d.* 45. *c. Si quis Abbas*, 18. *q.* 2. vnde bene dixi Specul. *de Iud. deleg. lib.* 1. §. *vlt. n.* 17. quòd Prælatus potest tanquam iudex recusari ex hoc solùm, quòd Deum timeat, eumque præ oculis non habeat.

3. 2. Probatur ex sacris Can. *c. Cum in cunctis, cap. Innotuit, de elect.* in quibus requiritur in Prælato grauitas morum, vitæ virtus, & fama personæ. Et *in c. Vilissimus*, 1. *q.* 1. requiritur scientia, & sanctitas, sed sanctitas omnes virtutes includit, *c. Quærendum, de pœnit. d.* 2. & nomine virtutis omnes intelligo, cum indefinita vniuersali æquipolleat, sicut etiam nomine morum omnes virtutes, etiam intellectuales, & infusas posse intelligi, docet Val. *tom.* 2. *disp.* 5. *q.* 3 *p.* 1. *col.* 1. *vers. Iam si*, & Trid. *sess.* 24. *de reform. cap.* 18. requirit in Prælato prudentiam, quàm etiam requisierat Christus, Matth. 24. dicens. *Quis putas est fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.* Sed prudentia non potest esse sine omnibus reliquis virtutibus. Tum quia ad prudentiam spectat in omni materia, & in omni casu rectè statuere, quid sit agendum, vt suppono ex D. Thom. 2. 2. *quest.* 47. *art.* 7. *&* 8. & illum solum communiter existimamus prudentem, qui id præstare valet. Tum quia ex communissima omnium sententia virtutes sunt ita inter se connexæ, vt vna perfecta non possit esse sine aliis, de quo D. Th. 1. 2. *q.* 65. *art.* 1. Bellou. *in spec. mor. lib.* 1. *d.* 10. *p.* 3. *dub.* 1. Val. *to.* 2. *disp.* 5. *q.* 7. *p.* 2. Ægid. *de reg. lib.* 1. *p.* 2. *c.* 31. Contz. 3 *pol. cap.* 1. §. 2. Eustach. *in summ. phil. p.* 3. *tr.* 3. *q.* 5. Quod etiam docuerunt PP. Amb. 1. de off. cap. 27. *Liquet cognatas sibi esse virtutes*, & probat, vnam non posse esse sine alia, Aug. ep. 29. tom. 2 *Certè hinc persuadent, qui vnam virtutem habuerit, habere omnes, & omnes deesse cui vna defuerit, quod prudentia nec ignaua, nec iniusta, nec intemperans potest esse*, &c. Greg. 21. mor. c. 3. *Omnes quippè virtutes in conspectu conditoris vicaria ope se sublenant, & quia vna virtus sine alia, vel nulla est omninò, vel minima, vicissim sua coniunctione fulciantur.* Vide etiam lib. 22. c. 1. & Hier. ad Fab. de 42. mans. mansione 38. *Hærent sibi, & inter se connexæ sunt virtutes, vt qui vna caruerit, omnibus careat.* Philo lib. 1. de vita Mos. col. 2. *virtutibus dicitur, eum, qui vnam habet, habere omnes*, & Arist. 6. eth. c. 13. ait. *Fieri non posse, vt sine prudentia sit homo propriè bonus, & absque morum virtute prudens*, & c. 12. ait. *Quare patet, prudentem neminem esse posse, nisi sit bonus.* Cic. lib. 2. Tusc. quæst. *Virtutem si vnam amiseris, etsi amitti non potest virtus* (neque etiam per obliuionem directè, vt D. Thom. 2. 2. *q.* 48. *ar.* 16. potest tamen per passiones corrumpi, vt ibid. S. D.) *sed si vnam confessus fueris te non habere, nullam te esse habiturum.* Similia habet Sen. ep. 67. & Claud. in paneg. 2. Stilic.

Omnes proterea, puro quæ crimina pellunt
Ore, Deæ iunxere choros, vnoque recepta
Pectore, diuersos tecum cinguntur in vsus.

4. Si quæras, an virtutes morales possint esse sine charitate, Resp. cũ D. Th. 1. 2. *q.* 65. *art.* 2. *&* 2. 2. *q.* 23. *ar.* 7. Bell. *loc. cit. dub.* 2. quod, si considerentur in ordine ad finem naturalem, possunt quidem esse sine charitate, & aliis virtutibus Theologalibus, quo pacto fuerunt in multis gentilibus, at sic sunt solùm virtutes secundùm quid. Si verò considerentur in ordine ad finem super-

naturalem, non possunt esse sine charitate, quia nullus actus virtutis sine gratia potest vitam æternam mereri. Vnde ait Aug. 19. de ciu. Dei, cap. 10. *Sapientia non est vera sapientia, quæ intentionem suam in his, quæ prudenter discernit, gerit fortiter, cohibet temperanter, iusteque distribuit, non in illum dirigit finem, vbi erit Deus omnia in omnibus, æternitate certa, & pace perfecta*, Greg. 20. mor. cap. 9. *Virtus in manu est, magnitudo in operatione, sed virtus manuum hæreticorum sancta Ecclesia pro nihilo ducitur, quia nullius esse meriti conspicit, vera fide perdita, quidquid operantur.* Vide Ianuell. *tom. 2. suor. op. de phil. christ. par. 1. cap. 6.* vbi probat, Philosophos antiquos nullam habuisse veram, & perfectam virtutem, nec modò vllam haberi posse, nisi actus illarum referantur in Deum, tanquam finem; & *dub. 2.* probat, nullum posse dari perfectum actum moralem, nisi vltimatè fiat propter verum Deum. Cum ergo Prælatus debeat esse ornatus virtutibus in ordine ad finem supernaturalem, ad quem seipsum, & alios dirigere tenetur, sequitur quòd requirens Concilium in Prælato prudentiam, cæterarum omnium virtutum, tum moralium, tum theologalium requirat, nam prudentia non potest esse sine charitate, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 65. art. 2 corp. & charitas non potest esse sine aliis virtutibus, vt probat D. Thom. ibi, art. 3. & 4. & docet Greg. 1. moral. cap. 11. *Ex charitate virtutes oriuntur.* De his ergo omnibus nobis morali modo agendum est.

§. I.

De virtutum omnium diuisione.

5. DE virtutum diuisione tractat D. Thom. 1. 2. à q. 57. Bellou. *in specul. moral. lib. 1. part. 3. à dist. 3.* Ægid. *de reg. lib. 1. par. 2. c. 2. & 3.* Pen. *in l. vnic. Cod. de metrop.* Berito, *lib. 11.* Val. *tom 2. disp. 3. quæst. 3. part. 1.* Lessius *in princ. lib. 1. de virt.* Eustach. *in summ. phil. par. 3. tract. 3. quæst. 4.* Peral. *in sum. de vir. & vit. tom. 1. par. 2. & 3.* Azor. *tom. 1. lib. 3. c. 15. q. 1. & cap. 16. à quæst. 1.* Videatur Arist. *2. ethic. cap. 7.* Macrob. *lib. 1. in somn. Scip. cap. 8.* Cic. *lib. 2. de inuent, propè finem.* P. Greg. *lib. 4. synt. cap. 7.*

6. Dicendum est, 7. esse virtutes, tres Theologales, fidem, spem, charitatem, & quatuor cardinales, prudentiam, iustitiam, fortitudinem, & temperantiam: ad quas reducuntur omnes aliæ virtutes, vel tanquam partes integrales, vel subiectiuæ, vel potentiales. Ita D. Thom. *in prol.* 2. 2. & alij communiter.

7. Noto 1. vt hæc conclusio explicetur, quòd præter dictas virtutes, dantur etiam aliquæ virtutes intellectuales, & 5. enumerat Arist. 6. ethic. cap. 3. *Sunt autem*, inquiens, *ea, quibus anima, affirmando, vel negando, verum dicit, numero quinque. Hæc verò sunt ars, scientia, prudentia, sapientia, intellectus. Scientia est habitus demonstratiuus circa res necessarias, quæ non possunt aliter se habere.* Ars, vt idem Arist. ibi cap. 4. *est habitus cum ratione vera effectiuus, versans circa ea, quæ & esse, & non esse possunt, quorumque principium est in eo, qui facit, non in eo, quod efficitur. Prudentia*, vt idem Arist. cap. 5. *est habitus cum vera actione actiuus, circa ea, quæ & bona, & mala homini sunt*, & antea dixerat. *Prudentis viri esse proprium, posse consultare rectè de iis, quæ sibi ipsi bona sunt, atque vtilia, non ex parte, sed quæ ad bene viuendum in vniuersum.* Intellectus, vt idem cap. 6. *est habitus principiorum*, idest quo assentimur primis, & per se notis principiis scientiarum. *Sapientia*, vt idem cap. 7. *est quædam exactissima scientia, quæ non solùm sciuntur conclusiones deductæ ex principiis, sed etiam principia ipsa probantur, ac defenduntur contra impugnantes.* De istis scientiis agit Burid. 6. *eth. tract. 2.* D. Th. & Bellou. *loc. cit.* Val. *p. 2.* Sunt autem partim speculatiuæ, vt intellectus, scientia, sapientia, & de his non ago, & partim practicæ, vt ars, & prudentia, sed ars non pertinet ad scientiam moralem, quæ circa agibilia versatur, vt ait Diu. Thom. *in prol.* 2. 2. cum ars sit recta ratio factibilium. De prudentia autem, quatenus inter virtutes morales numeratur, agemus.

8. Noto 2. quòd in vnaquaque virtutum solent assignari 3. genera partium, vt ait D. Th. 2. 2. *q. 48. art. vn.* Aliæ enim dicuntur partes integrantes, aliæ subiectiuæ, aliæ potentiales. Integrantes appellantur, non quòd virtutem ipsam constituant, seu componant, sed quod ad perfectum ipsius virtutis actum desiderentur. Subiectiuæ verò sunt hæ, quæ sub illa virtute tanquam species sub genere subiiciuntur, quia scilicet virtus de illis tanquam de subiecto, prædicatur. Potentiales denique sunt, quæ virtute, & potestate in eadem præcipua virtute continentur, & in quas ipsius præcipuè, ac totalis virtutis vis, & potentia distribuitur.

9. Noto 3. quòd hic agere non intendo de fide virtute Theologica, indubitatum enim est, Prælatos Regulares non solùm debere esse Catholicos, & ex Catholicis ortos, iuxta ea, quæ dicam hic infra, *cap. 5. 6. 6. & 7.* sed etiam nunquam fuisse de dicta fide suspectos, ita vt qui fuerint vnquam ab Inquisitoribus pœnitentiati, non possint dictas Prælaturas obtinere, etiam post pœnitentias expletas, nisi fuerint à Rom. Pontifice habilitati, iuxta Decretum Congreg. S. Officij, quod affero *tom. 2. nostr. priu. in const. 9. Pauli V. num. 29.* Sed de fide, quatenus necessaria regnantibus sit, de qua D. Th. *de erud. princ. lib. 2. c. 2. & 3.* Neque agere intendo de spe virtute Theologica, certum namque etiam est, Prælatos Regulares debere omnes eorum actiones dirigere in æternam beatitudinem consequendam, non per diuitias, aut dotes corporis, vel fauores, aut humanas amicitias, sed per merita passionis Saluatoris nostri Christi, per vitam innocenter actam, per copiosam Dei misericordiam; cumque Subditos suos amare tanquam filios teneantur, debere eos etiam in dictam beatitudinem dirigere, eamque illis desiderare, iuxta doctrinam D. Thom. 2. 2. *q. 17. art. 3.* de ista spe D. Thom. *loc. cit. cap. 6.* Agam igitur solum morali modo de reliq.

10. Noto 4, quòd charitas 6. parit effectus, 3. interiores, qui sunt gaudium, pax, misericordia, & 3. exteriores, qui sunt beneficentia, eleemosyna, & correctio fraterna. De quibus D. Th. 2. 2. *à q. 28.* Peccatur autem contra charitatem multis modis, odio scilicet, accidia, inuidia, discordia, sed præcipuè ad nostrum propositum scandalo; de quibus D. Th. *loc. cit. à q. 34.* Prudentia 8. habet partes integrales, vt ait D. Th. *loc. cit. quæst. 48 art. vn.* quæ sunt memoria, intelligentia, docilitas, solertia, prouidentia, ratio, circumspectio, cautio. Et de his D. Thom. *q. 49.* Partes subiectæ prudentiæ sunt duæ: vna dicitur priuata, quæ vniuscuiusque mores moderatur; altera gubernatiua, quæ in 4. species diuiditur, nimirum in Regiam, politicam, œconomicam, militarem, de his D. Th. *q. 57.* Partes autem potentiales sunt 3. Ebuliæ, Synesis, & Gnomin. De his D. Thom. *q. 51.* Peccatur autem contra prudentiam 2. modis, per defectum, & per excessum. Per defectum 4. modis, præcipitatione, inconsideratione, inconstantia, & negligentia, de quibus D. Thom. *q. 53.* Per excessum, seu potiùs per quandam speciem, seu imaginem prudentiæ, 6. modis, prudentia carnis, astutia, dolo, fraude, sollicitudine temporalium, & sollicitudine futurorum, de quibus D. Thom. *quæst. 55.* Iustitiæ partes integrales sunt 2. declinare à malo, & facere bonum: de his Diu. Thom. *quæst. 79.* Partes verò subiectiuæ sunt iustitia commutatiua, & distributiua, de his D. Th. *à q. 61.* Partes potentiales sunt Religio, pietas, obseruantia, veritas, gratitudo, vindicatio, affabilitas, liberalitas, epicheia: & de his D. Th. *quæst. 80.* Peccatur autem contra iustitiam per vitia illi, & eius partibus potentialibus opposita:

de

de quibus omnibus exactissimè D. Thom. statim post tract. singulatum virtutum Fortitudinis partes integrales, si referántur ad propriam fortitudinis materiam, idest ad peticula mottis, sunt fiducia seu magnanimitas, magnificentia, patientia, ad quam spectat longanimitas, & perseuerantia, ad quam spectat constantia; si verò teferantur ad aliquas alias materias difficiles, sunt partes quasi potentiales, & de his agit D. Thom. *à q.* 129. Partes subiectiuas fortitudini assignate non possumus, quia ipsa est species specialissima, vt D. Thom. *quæst.* 128. Peccatur contra fortitudinem variis modis, provt sunt vitia opposita cuicumque virtuti, vt constabit ex dicendis, Temperantiæ partes integrales sunt 2. verecundia, & honestas: de quibus D. Thom. *à quæst.* 144. Partes subiectiuæ sunt 4. abstinentia, sobrietas, castitas, & pudicitia, de his D. Thom. *à quæst.* 146. Partes potentiales sunt 4. principales, continentia, mansuetudo, clementia, modestia, de quibus D. Th. *à quæst.* 155. Similiter contra temperantiam variis modis peccatot, provt varia sunt vitia opposita virtutibus. Et de his omnibus nobis breuiter agendum est.

§. II.

Quòd in Prælato Regulari maximè debet resplendere charitas, seu amor erga suos.

11. VIde Bell. *de off. priue. christ. lib.* 1. *c.* 7. Scrib. *in Super. Relig. cap.* 1. *& in pol. christ. lib.* 1. *cap.* 12. Contz. 3. *pol. c.* 25. Io. à S. M. *in pol. christ. cap.* 27. §. 2. & 3.

12. Nota 1. quòd charitas, de qua hic loquor, est non solùm amor honestus, quo gratuito Subditos suos prosequitur Prælatus, potens vicissim ab eis redamari, qualis est amor patris in filios, quomodo de charitate loquitur Cic. *lib. de amic.* cum ait, *Charitatem, quæ est inter parentes, & liberos, dirimi nisi detestabili scelere non posse.* Sed prætetea iste amor debet assumptus à Prælato propter Deum, vt scilicet Subditos non propter seipsos vltimatè diligat, sed propter Deum: sicut etiam ipse debet à Subditis diligi, & honorari propter Deum, abstrahendo à bonis fortunæ, & naturæ. De hac charitate dicit Paul. 1. ad Tim. 1. *Finis autem præcepti est charitas.* Quasi dicat, Charitas est perfectio, & consummatio omnium præceptorum. Vnde Prælatus, cui longa, vel difficilia videntur, quæ de eius munere perfectè implendo toto hoc libro dicimus, charitatem solam habeat, Subditos suos diligat, & sufficit illi; est enim charitas summum fidei Sacramentum, & fidei Christianæ thesaurus, est summus Dei cultus, omnia continet, præcipuum est hominis bonum, & tessera Christiani nominis, fundamentum est pacis, & vnitatis vinculum, sine qoo nec ipsæ virtutes placent, omnibus donis Dei præstantior, columna sanctitatis, paritet, & fastigium, mors criminum, vita virtutum. Hæc si adsit, non magna opus est arte: satis bene, & politicè regit, qui cum charitate regit; est enim hæc virtus regendis hominibus suaptè natura idonea. Hæc primum docuit omnem politicam scientiam. Vnde Aug. tract. 32. in Io. versùs finem *Charitatem habere*, inquit, *& cuncta habebũ*, & in Psal. 79. *Sit in te charitas, & necesse est plenitudo scientiæ consequatur. Quid enim nescit, qui charitatem scit?* & ser. 39. de temp. *Si ergo non vacat omnes paginas sanctas perscrutari, omnia inuolucra sermonum euoluere, omnia Scripturarum secreta penetrare, tene charitatem, vbi pendent omnia,* &c. & pausis interpositis, *Quapropter sectamini charitatem, dulce, ac salubre vinculum mentium, sine qua diues pauper est, & cum qua pauper diues est,* &c. vide etiam serm. 42. de tempor. & Chrysost. hom. 23. in epist. ad Rom. *Charitas est virtutum principium, & finis, ipsa est radix, fundamentum, & fastigium.* Et D. Th. 2. 2. *quæst.* 23. *art.* 6. *corp.* ait, quòd charitas, est excellentissima omnium virtutum, hinc Christus. Matt. 22. *Hoc est primum, & maximum mandatum*, & art. 8. ait, quod est veluti forma cæterarum virtutum. Vnde *ad Galat.* 5. dicitur, fidem operari per charitatem. Habeat itaque noster Prælatus charitatem, & nullum aliud ei imponimus præceptum, cum Ansel. enar. in cap. 14. Euang. Lucæ. *Quisquis charitate flagrat, non necesse est, vt ei præcipiatur, nisi vt faciat quidquid voluerit. Charitas*, enim, vt ait Apost. 1. Cor. 13. *patiens est, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Ac si dicat, Prælatus charitate flagrans, patienter tolerat subiectorum defectus, benignè patcit ipsum offendentibus, non æmulatur aliorum bona terrena, cum cœlestia solum meditetur, inuidet tamen piè aliorum virtutibus, & eas adipisci curat. Non inflatur, quia, cum præmium ætetnæ retributionem anxiè desideret, de bonis se exteriotibus non exaltat Non agit perperam: quia cum solum in Subditorum bonum propter Deum intendat, quidquid à rectitudine discrepat, ignorat. Non est ambitiosa: quia solùm, quæ Dei, & proximi sunt, quærit. Non quærit quæ sua sunt, qui cuncta, quæ possidet, tanquam aliena retinet, & nihil sibi esse proprium putat, nisi quod secum permanet. Non irritatur, quia iniuriis lacessitus, ad nullos se vltionis motus excitat, cum pro magnus laboribus maiora post præmia expectat. Non cogitat malum, quia in amore munditiæ mentem solidans, dum omne odium radicitùs eruit, versare in animo, quod inquinet, nescit. Non gaudet super iniquitate, quia, cum sola dilectione erga omnes inhiet, nec de perditione aduersantium exultat. Congaudet autem veritati, quia cum, vt se, cæteros diligat, per hoc quod rectum in aliis conspicit, quasi de augmento proprij profectus hilarescit; Hæc fere Greg. 10. *mor. cap.* 8.

13. Noto 2. quòd illa excellentissima virtus est omninò necessaria Prælato pacificè, & rectè gubernare volenti. De qua re Chrysost. hom. in epist. ad Rom. *Oportet autem, vt ante reliqua omnia charitatem habeat in se Pastor. Vnde Petro dicebat Christus, Pasce oues meas, Christum enim diligens, & gregem illius vtique diligit. Et Moysen, tùm primùm super populum Iudæorum posuit, quando quã esset in illum beneuolentiã, reipsa iam declarauerat. David autem simili modo inauguratus est*, seu regni gubernationem suscepit, *postquam apparuerat, quam amico esset in populum affectu. Ita quippè iuuenis adhuc, populi causa doluit, ac zelauit, vt animam suam exponeret, cum videlicet barbarum illum è medio tollebat. Et Samuël quoque benignus erat, & amator populi, vnde dicebat, Absit autem à me peccatum, vt cessem pro vobis orare Dominum. Ita & Paulus, imò non ita, sed multò plus omnibus ardebat erga Subditos, & Christus optimi Pastoris canonem ferens, dixit, Bonus Pastor animam suam ponit pro ouibus*, & Bonau. de sex al. Seraph. cap. 7. *Ad benignitatis partem plus decliuet, per quam reddatur Subditis magis amabilis, & ob quam ei libentius obtemperent, & audacius ad eum recurrant, in quibus indigent, & alacrius eum imitentur.* Et. Sen. de clem. cap. 19. *Vnum est inexpugnabile munimentum amor ciuium. Quid pulchrius est, quàm viuere optantibus cunctis?* Et Synes. lib. 3. de reg. col. 13. *Et quòd verò tutius imperium est, quàm illud, quod amore, & charitate munitur? Quisnam priuatus quantumuis mediocri conditione securior, aut ab insidiis tutior, quam Rex ille, quem non metuunt, sed cui metuunt Subditi?* Amet itaque Prælatus Subditos, ita vt redamentur ab ipsis, iuxta illud. *Amate diligentes, vt cum amatis ametmini:* Amabitur autem,

cum

cùm intelligent Subditi amari se à Prælato. *Nulla est*, ait Aug. de catech. rud. cap. 4. *maior ad amorem inuitatio, quàm præuenire amando*, licèt enim, vt ait Plin. in paneg. *possit Princeps odio esse nonnullis, etiamsi ipse non oderit, amari, nisi ipse amet, non potest*: cum autem amabitur, securè dormiat, nihil dubitans, dicebat enim M. Anton. Imper. apud Herod. *lib. 1. hist.* quòd *Neque pecuniæ vis, aut stipantium satellitum agmina tueri Principem possunt, nisi illi ipsi, quos regit, animum imperanti, beneuolentiamque accommodent.*

14 Sed quæ tandem, dices, debet esse charitas, qua Superior Subditos amare tenetur. Hanc delineat ad viuum Paul. 1. ad Tim. 1. *De corde puro conscientia bona, & fide non ficta.* Quem locum sic explicat Bern. de trib. ord. Eccl. *Necessaria est, & omninò necessaria nauis istu (charitas) Prælatis, tribus compacta lateribus, vt sit nimirum iuxta Pauli doctrinam charitas de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta. Puritatem quidem cordis in eo Prælatus habet, vt prodesse desideret, non præesse, vt scilicet proprium commodum, vel honorem sæculi, seu aliud quidpiam suum in Prælatione non quærat, præter solum beneplacitum Dei, & animarum salutem. Sed cum intentione pura irreprehensibilis quoque necessaria est conuersatio, vt forma factus gregis incipiat facere, & docere, vt ea, quæ arguit in discipulis, vitet summoperè in seipso. Ob hoc qualis est in conuersatione, talis sit, necesse est etiam in occulta cogitatione, ne videlicet foris humilis, intus elatus sit, in corde suo præsumens de sapientia seu virtute, aut sanctitate sua, quæ est sine dubio fides ficta.* Debet ergo charitas Prælati esse de corde puro, ita scilicet, vt Subditos propter solum Deum amet, non propter aliquod temporale, quod in eis insit; nam tunc charitas non est, sed concupiscentia, 1. Ioan. 2. *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo, quoniam omnia, quæ sunt in mundo, concupiscentia est*: concupiscentia autem ex cordis impuritate procedit. Debet etiam esse de conscientia bona, idest debet Prælatus habere non solùm bonum testimonium sui ipsius ad se, quòd secundùm Dei legem viuit, sed etiam suorum Subditorum, qui videntes illius opera bona, de eis, bene operando, bonum testimonium perhibeant, & hæc vitæ innocentia debet esse non ficta, non simulata, vt de quibusdam dicebat Iuuen. sat. 2. vers. 3.

Qui Curios simulant, & Bacchanalia viuunt.

Sed sincera, sed vera, ex corde puro, & conscientia bona procedens.

§. III.

De Effectibus charitatis.

15. DE his agit D. Thom. 2. 2. q. 28. Bellon. *in spec. mor. lib. 5. p. 3. dist. 30.* Iauell. *tom. 2. suor. op. part. 2. phil. christ. tract. 3. cap. 7.* Val. *tom. 3. disp. 3. q. 6.* & alij.

16. Dico 1. gaudium in proposito est actus amoris, seu charitatis, quo Superior diligens Subditos in ordine ad Deum, gaudet, videns eos ambulare in via Domini, speratque inde futurum, vt æterna beatitudine, ad quam eos dirigit, perfruantur, quod est in Domino gaudere iuxta illud Apost. ad Philip. 4. *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete.* Vbi nota, quòd gaudere in Domino, est mandata Domini obseruare, secundùm Basil. in reg. breu. q. 193. *In his, quæ secundùm mandatum Domini fiunt, gaudere, est in Domino gaudere, quocirca quandocumque mandata Dei exequimur, aut propter nomen Domini aliquid patimur, gaudere, & gratulari inter nos debemus.* Sic Prælatus in Domino gaudet, cum videt Subditos mandata Dei seruare, Deum timere, in Domino sperare, & de receptis donis gratias agere, sicut è contra tristatur, si eos contraria facere perspiciat: Gaudere autem in mundo, est gaudere de rebus mundanis, secundùm Chrysost. hom. 54. ad pop. *Non licet secundum mundum gaudentem, pariter & secundùm Deum gaudere, qui enim secundùm mundum gaudet, gaudet in diuitiis, in deliciis, in gloria, in potentiis, & elatione, qui verò secundùm Deum, in ignominia propter eum, in paupertate, in ieiunio, & modestia.* Sic Prælatus gaudet secundum mundum, quando videt Subditos opulentos, gloriosos, potentes secundùm sæculum. Non nego, quòd non possit, & debeat Prælatus aliquando gaudere de bonis temporalibus, vel sui Monasterij in communi, vel suorum Subditorum etiam in particulari, cum scriptum sit Eccl. 9. *Vade ergo, & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum.* Sed hoc debet ordinari primò ad gloriam Dei, vnde sequitur, *quia placent Deo opera tua.* Quare sanctè quidam ex nostris Senioribus audiens aliquid gloriosum secundùm sæculum, vel de Religione in communi, vel de aliquo fratre in particulari, semper dicebat: *Ad laudem, & gloriam Dei.*

17. Dico 2. pax est vnio plurium appetituum in aliquo bono possidendo, cum proposito repugnandi contrariis. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 29. *art.* 1. Est autem triplex, vt dixi *tom. 1. huius op. q. 4. cap. vlt.* 1. inter hominem, & Deum. 2. inter hominem, & proximum. 3. inter appetitum inferiorem, & Superiorem eiusdem hominis: & omnes istæ paces à charitate procedunt. Pax enim, quæ est inter Deum, & hominem, in eo consistit, quòd homo velit, quæ Deus vult; at hoc procedit ex amore hominum erga Deum; quo se vult illi omninò conformare, & omnia sua in eum referre. Pax verò, quæ est inter hominem, & hominem, procedit etiam ex charitate, ex qua proximum sicut nos diligimus: cum ergo ex hoc, quòd nos ipsos diligamus, sequatur, quòd nostras velimus implere voluntates, ex hoc etiam, quòd proximum diligimus, sequitur, quòd velimus similiter eius implere voluntates, & per consequens in idem velle conuenimus, quæ conuenientia pax est, vt dictum est. Et quòd tertia pax ex charitate procedat, sic declaratur; Homo hanc habet pacem, quando pars Superior inferiori dominatur, quando autem pars Superior ita dominatur, seruantur diuina mandata, quorum primum est charitas; ergo homo ex eo, quòd habet charitatem, habet pacem in seipso. Vnde sequitur, quòd beneficio pacis omnes in nobis conseruentur virtutes, diffluantque sine illo, quòd omnis aditus ad animam obstruatur diabolo, quòd denique ea certam nobis ad æternam fœlicitatem patemus viam.

18. De pace decies centena millia encomiorum dicunt Scripturæ Sacræ, & profanæ. Nobis pauca sufficient. Et 1. quòd pax est Christianorum finis, iuxta illud Psal. 147. *Qui posuit fines tuos pacem.* & 1. ad Tim. 6. *Fuge contentiones.* Et Christianorum hæreditas, iuxta illud Io. 14. *Pacem relinquo vobis*: vnde *pacifici filij Dei vocabuntur*, Matt. 5. & Aug. ser. 2. ad Fr. in ere. *Scire debetis, fratres, quòd quædam sunt bona, quæ non sunt iucunda, quædam iucunda; quæ non sunt bona, verbi gratia, bona sunt ieiunia, vigiliæ, macerationes, & similia; hæc enim bona sunt, sed non iucunda, quia caro in his non iucundatur, sed læditur. Iucunda quippè sunt comessationes, ebrietates, sed non sunt bona: O monache vix poteris inuenire in præsenti vnum, quòd sit bonum, & iucundum: Cupis tamen illud inuenire? Persequere pacem, & amplectere eam, hæc est enim sola virtus, quæ habet bonum, & iucundum: hæc est illa bonitas, quæ nos habitare facit vnius moris in domo, vt simul viuere, simulque mori semper optemus. O pax, tu mentis serenitas, animi tranquillitas, amoris vinculum, charitatis consortium: Hæc est illa summa fœlicitas, quæ bella compescit, iras comprimit, discordes sedat, inimicos concordat, cun-*

Ctis

tiis placet, à cunctis optatur: beatus, qui te habet: maledictus, qui te odit, & frangit inter homines, quoniam antichristus est, & filius perditionis. Vnde meritò odientes pacem dissipari optabat Dauid Psal. 67. dicens. *Dissipa gentes, quæ bella volunt.* Et Greg. 3. par. past. admon. 23. *Discordes namque admonendi sunt, vt certissimè sciant, quia quantislibet virtutibus polleant, spirituales fieri nullatenùs possunt, si vniri per concordiam proximis negligunt*: & Sil. lib. 15. de 2. bell. pun. verf. 609.

——————— Pax vna triumphis
Innumeris potior, pax custodire salutem,
Et ciues æquare potens.

Et Ant. Car. ser. 45. sic canit de pace.

Pax hominum genitrix, pax est custodia rerum;
Pax aperit iuris, iustitiæque forum.
Gloria pace minor, minor est victoria pace,
Atque aliquid peius pace triumphus habet.
Nulla quies hominum, nulla est sine pace voluptas.
Nullus amor, nullum Religionis opus.
Pax vrbes, pax regna ligat, pax congregat orbem.
Fiat vt ex multis vrbibus vna domus.
Secula pax renouat, pax aurea tempora portat,
Et mores prisca simplicitatis habet.

19. Quare deploranda est miseria illorum Conuentuum, Prouinciarum, seu Religionum, si quæ reperiantur, in quibus iuuenta illa dæmonum, factiones scilicet, reperiuntur, & vigent, in quibus nullum bonum potest reperiri, vt ait Greg. loc. cit. *Pensemus, quanta sint mala discordia, quæ nisi extincta funditùs fuerint, bonum subsequi non permittunt*: Et verè ita est, odio enim se inuicem habent factionarij, de se inuicem continuè murmurant, alter alterius notat actiones, inuestigat, socios interrogat, speculatur, in calendario scribit, ne obliuiscatur, & sociis nuntiet, vt suo tempore Superioribus propalet, interim diuulgat, curat adhibere testes, si non fuerint, nec desunt, qui se offerant, etiamsi nihil viderint, semper alter in alterum machinatur, irridet, subsannat, actiones, & quidquid à quocumque factionis contrariæ factum fuerit, culpat, maculat, & profitetur se aduersariis non credere, nisi cum dicunt, *Domine non sum dignus*. Suos vnumquodque factionis caput defendit, eorum occultat vitia, protegit, ne puniantur, imò fouet secundùm inclinationes, quas nouerit, ne ab eo resiliant, & ad aduersarium transeant, vnde ambitiosos spe dignitatum nutrit, superbos blandiendo inflat, incontinentes excusat, culpam in humanam fragilitatem proiiciendo, exemplo aliorum cooperiendo, auaros præsenti, & futura pecunia, expungenda ex officiis, quæ promittit, subleuat, iracundis obsecundat, phlegmaticos vrget, & tolerat, melancholicos irritat, scurras gratiosos vocat, obscœna loquentes, ciuiles; iracundos strenuos; auaros, prouidos, prodigos, liberales: iis autem, qui non sunt in aperto mali, vtitur tanquam scuto inexpugnabili, ad factionis sanctitatem defendendam, probando, quòd ea sit aggregata ex melioribus, & dignioribus, & quòd solùm sit congregata in bonum commune, ad resistendum aduersario, illud destruere conanti. Hinc Regularis disciplina eneruatur funditus destruitur, imò ne nominatur quidem: nouitios enim nondum habitum Religionis indutos conatur vnusquisque in suam factionem trahere, extraordinariis diligentiis tractos fouet, nutrit, nec sinit in eos inuehi magistrum, vnde ipsi facti insolentes, ruptis vinculis timoris Dei, & Superioris, omnia attentant, omnia audent, omnia præsumunt, istisque discordiis, nutriti, cum professi fuerint, sunt intolerabiles, vitiosi, & scandalosi, itavt nec Superiores, nec Deum, nec honorem proprium, nec Religionis ómeant; Hinc etiam fit, vt minùs, his immersis discordiis, studiis, quæ quietem requirunt, incumbant, solùm id fit, vt aduersariis resistant, hoc enim non desinunt inculcare factionum capita. Hinc Superiores, si quandoque occurrat, quòd ea aliqua factione non sint, non timentur, non æstimantur, suum exercere non possunt officium, nec malos castigare, nec bonos subleuare queunt: Si enim errantem Subditum secundùm Deum, & regulam punire voluerint, illicò accurrit caput, & vel errorem excusat, si potest, vel, si non, excusat fragilitate, iuuentute, gratiam petit, fide iubet de futura emendatione: Quod si Superiores resistant, profundiùs se humiliat, si casus ferat, si non, acrius alloquitur, minatur, quandoque tuba canit ad bellum, ita vt Superiores, his importunitatibus victi, ne quid peius succedat, obsecundare conentur: sic errans in errore permanet, & ad peiora patranda animatur, iuxta illud Pub. apud Marc. 2. *Satur. cap.* 7.

Veterem ferendo iniuriam, inuitas nouam.

Si verò subleuare voluerint, alterum factionis accurrit caput, & loquitur subleuandi plagas, mortuas exsuscitat, ignotas aperit, falsas fingit, testes ad omnia adhibet: si Superiores resistant, proponit articulos, iustitiam petit. Infinita prætereo, quæ præ cordis angustia enarrare non valeo, lugenda relinquo cogitationi, quæ nequeo exprimere calamo. Laxet se solùm vox in ea Ber. verba epist. 116. *O stulti filij Adam, qui contemnentes pacem, & gloriam appetentes, & pacem perdunt, & gloriam.* O factionum capita! ô incarnati dæmones! ô antichristi! Væ vobis, qui peccare facitis populum Dei: Væ vobis senes, scandala iuuenum, ô pueri centum annorum! ô senes fatui! Væ vobis, quia, vt vosmetipsos pascatis, fame perire facitis oues pretioso Christi sanguine redemptas. Væ vobis viri impij, qui dereliquistis legem Domini altissimi, quia retributió vestra dabitur vobis. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, ambitionis, superbiæ, & inuidiæ, quibus quasi loris astricti, plaustrum peccatorum trahitis. Væ qui dicitis malo, Bonus es, & bono. Malus es, vocantes tenebras lucem, & lucem tenebras, & ponentes amarum in dulci, & dulce in amaro. Væ vobis, qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes. Væ vobis, etiam filiis sceleratis, genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam. Væ vobis qui tales sectamini patres. Væ qui peccatum vestrum, talis esse capitis profitentes, quasi Sodoma prædicatis. Væ animabus vestris, quoniam reddita sunt eis mala. Caue frugi iouentus, nam qui te beatam dicunt, ipsi te decipiunt, & viam bene cœptam gressuum tuorum dissipant: duces tui infideles, & socij furum. Noone venisti, plangenda iuuentus, vt Iesu Christi esses, non Cephæ, neque Apollo, quare respicis retro misella? Quare non consummas cœptum cursum? fidem promissam seruas? bonû certamen certa, vt corona iustitiæ capiti tuo reponatur. Væ vobis omnibus, quia terra vestra desertabitur, Conuentus, & Prouincias vestras ignis odiorum, & discordiarum succendet, desolabitur, quantû est ex vobis, Regula, & Religio vestra, & extranei dominabuntur vobis. Heu miseri, non videtis quia sacrificia vestra non aspicit Deus, & holocausta vestra nauseat, calendas, & solemnitates vestras odit, nec vos respiciet, cum in extremis manus vestras extenderitis, & cum orationem multiplicaueritis, non exaudiet. Lauamini, quæso, lauamini, cum tempus habetis, auferte malum cogitationum vestrarum, quiescite iam agere peruersè, discite aliquando benefacere, vt conuertat Deus manum suam, & restituat vobis pristinam charitatem suam. Mementote, quòd non percussistis fœdus cum morte, & quòd cum inferno non fecistis pactum, vt cum flagellum inundans transierit, super vos venire non debeat.

20. Alioquin obtestor vos, Religionum capita, per sanguinem Iesu Christi Saluatoris nostri, vt capita talium

ralium factionum euellere non tardetis, eaque in malam crucem amandetis, vestum enim est, Subditis pacem facere; quòd non obscurè insinuauit Dauid Psal. 123. dicens: *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum, sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.* Ad quem locum ait Basil. *Quemadmodum à capite vsque ad barbam, & summitatem indumenti, sacrum vnguentum decurrens, Sacerdotem bona fragrantia replebat, ita, & à Principe vsque ad Subditos concordia vtilitas descendit:* Et Philo lib. de leg. ad Cai. col. 8. *Quid autem optari posse pace melius? pacem verò prouenire ex bene administrato imperio: id verò non posse verè administrari, nisi absque contentionibus Principum, quibus cessantibus, omnia manent in officio.* Vnde io iure, cuius custodes debent esse Superiores, habentur *tit. de pace seruanda inter Subditos, lib. 2. feud. tit. 53. & tit. 27. de pace tenenda, & eius viol. & in lib. 3. Cod. de seditiosis.* mulctâ grauissima, idest morte, mulctari iubentur, qui aduersus publicam disciplinam quemquam defendere tentauerint. Nec vos moueat personarum grauitas, nec canis debita reuerentia; nam ignobilissimi, & vilissimi sunt, qui legem Dei cum proximi scandalo pessundant, vt isti, & cani sunt sensus hominis, & ætas senectutis, vita immaculata, & sola virtus, & non elementa, æstimanda. Nec frangamini potentum precibus, ad quos tanquam ad asilum, vt se in ista tyrannide conseruent, semper confugiunt ista factionum capita, nam scriptum est Eccl. 7. *Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne extimescas faciem potentis, & ponas scandalum æquitate tua.* Nihil non facite, vt has in malo congregatas societates dissipetis, dispergatis, annihiletis, vt pacem veram, concordiam sanctam, charitatem perfectam vestris Religionibus restituatis.

21. Restituetis autem, quantum cupio, si, capitibus amputatis, tria vitia extirpare curabitis primò est inuidia, propter quam filij Iacob Ioseph fratri suo non poterant pacificè loqui. Hoc vitium licèt ferè insanabile sit, potest tamen aliquanto deliniri humilitate, fraterna charitate, contemptu terrenarum rerum, amore æternæ beatitudinis. Sed melius, si distribuantur honores secundùm merita, & pœnæ secundùm demerita. 2. est superbia, vnde Prou. 30. *Inter superbos erunt iurgia.* Hoc vitium falce solùm humilitatis præscinditur, & vilipendio personæ. *Loquimini plagas eius*, Isaï. 16. 3 est cupiditas habendi; vnde dici solet, quòd quietissimè viuerent homines, si hæc duo pronomina tollerentur, Meum, & Tuum. Hoc vitium tollitur per strictam obseruantiam voti paupertatis per æqualem distributionem bonorum Monasterij. Quibus extirpatis, redeunt saturnia regna, & bonis pacis perfruuntur omnes cum gaudio, canentes datoribus pacis.

Sint faciles semper Diui, sint mitia vobis.
Numina, qui paci contribuistis opem.
Viuite concordes tranquilla per otia pacis,
Ducite fœlices, mellifluosque dies.

22. Pax restituta non conseruatur dissimulatione peccatorum. Ait enim Greg. 3. par. past. adm. 23. *Admonendi sunt pacati, ne, dum nimis humanam pacem desiderant, prauos hominum mores nequaquam redarguant, & consentiendo peruersis, ab auctoris sui se pace disiungant.* Neque sunt peccata dissimulanda, ne amici perdantur; nam ait idem Greg. *Malorum cum incautè amicitiis iungimur, culpis ligamur, &c.* Neque etiam dissimulanda peccata, ne nos ipsos perturbamus; nam idem Greg. ibi, ait: *Admonendi sunt pacati, ne, si ad increpationis verba prosiliant, temporalem pacem sibi perturbari formident.* Sed sola iustitia, æquali ministrata lance, pax conseruatur: Quod dixit Isai. cap. 23. *Et erit opus iustitiæ pax, & requies vsque in sæculum*, vt ex Hebræo legitur. Et Menand. apud Stob. serm. 42.

Non omnino concedendum est malis:
Sed resistendum: sin minus, sursum, atque deorsum
Vita nostra inopinato tota peruertetur.

De pace tractant Bus. *in vit. verb. Pax*, & Lab. *in appar. tom. 1. vers. eod.* Stob. *serm. 42.* P. Greg. *de Rep. lib. 3. c. 2.* Pro pacis coronide hic nota dictum cuiusdam senioris ex nostris, loquentis de pace cum filiis, & fratribus suis, eosque ad illam adhortantis, *Filij omnia vestra iura cedite, vt pacis dulcedine perfruamini.* Et quòd ad Prælatos spectet, pacem Religionis procurare, conuincunt *cap. Dissidentes, cap. Studendum, cap. Placuit, cap. Præcipimus, dist. 90.* & probat Lod. Carbon. *de repacif. cap. 38. tom. 12. tract. Et quòd possint Prælati dissidentes censuris, mulctis, & pœnis ad pacificationem cogere*, idem Carb. *cap. 39.*

23. Dico 3. Misericordia est alienæ miseriæ in nostro corde compassio, qua vtique, si possimus, sobuenire compellimur. Ita Aug. *9 de ciu. cap. 5*, D. Thom. 2. 2. *q.* 30. *art.* 1. Val. *tom. 3. disp. 3. q. 7. p.* 1. Ex qua definitione habes, quòd ad miserendum requiritur malũ proximi à nobis saltem existimatum tale, cui, si possumus, remedium adhibere tenemur. Sicut enim ex charitate de bono proximi gaudemus, Ita ex eadem tristamur de malo illius: Malum autem potest proximo nostro accidere dupliciter. 1. ex propria voluntate eligente malum, vel in se, vel in causa, vt si eligat sibi mortem, vel aliquid, vnde ea sequatur, & hoc malo non excitamur ad miserendum, nisi fortè præcedat aliquis error in intellectu proximi. 2. si aliquid mali ei accidat præter, seu contra suam voluntatem, vt si contingat illi aliquod infortunium, de quo nunquam cogitauerat, vel accidat aliquid, quod toto posse euitare curauerat, & hoc malo excitamur ad miserendum. Vtrumque bene docet Arist. 2. rhet. cap. 8. dicens, *Mala illa miseranda sunt, quorum non propria voluntas, sed fortuna est causa.* Vt Regularium Prælati ad miserendum Subditis inducantur, sufficere posset, quòd isti sunt illorum filij, & fratres, vnde sicut fratribus, & filiis carnalibus, natura, compati tenemur, ita fratribus, & filiis spiritualibus. Colligitur ex illo Zach. 7. *Misericordiam, & miserationes facite vnusquisque cum fratre suo.* Sed dic etiam, quòd misereri tenentur, quia & ipsi misericordia egent apud Deum, & eam certò sciant, se non consecuturos, nisi vsi fuerint, quia *iudicium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam*, Iac. 2. Præterea est misericordia opus super omnia gratissimum Deo, ad illud Mich. 6. *Indicabo tibi, ô homo, quid bonum, & quid Dominus requirat à te, vtique facere iudicium, & diligere misericordiam.* Et Matt. 9. *Facere misericordiam, & iudicium, gratius est Domino, quàm victima*, & Naz. or. de paup. amor. col. 4. *Neque enim vllus omnino cultus Deo perinde gratus est, vt misericordia, quandoquidem nec aliud quidquam est, quod Deo magis conueniat.* Et ita gratum est Deo misericordiæ opus, vt actus illius ad vsuram accipiat. Prou. 15. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.*

24. Sit itaque misericors Prælatus, se cum illis, qui misericordia digni sunt. Qui autem isti sint, docet Eurip. apud Stob. serm. 44.

Misereri oportet iustorum hominum non improborũ.
Nemo malus est, qui peccauerit inuitus.
Misericordia digni sunt nõ malefici, sed probi homines
Malos homines castigare bonum est.
Quæ nunc à quibusdam benignitas nominatur
Vitam omnem remisit ad improbitatem.

Et Pythag. apud eundem Stob. ibi, *Qui de malis pœnas non sumunt, bonos affici volunt iniurijs.* Et Salust. in Iug. *Ignoscendo quidem malis, necessariò perdunt boni.* Et habetur *in cap. Est iniusta, 13. quæst. 4* Et qui sunt nequam propter spe veniæ, fiunt nequiores,

cap.

cap Vt fama, de sent. excom. Vide plura apud Ioan. Rediri. *de maiest. princ.* 6. *Ad clementiam pronum, à n.* 14. Iustis ergo per fragilitatem peccantibus sit Prælatus misericors; obstinatis autem, & scandalosis seuerus, seu, vt dicebat quidam senior è nostris, *Illis, qui habent animam, vel honorem, sit pius, sit misericors Prælatus, qui vero vtraque profuderunt, sit rigidus, sit seuerus,* iuxta illud Eurip. apud Stob. cit.

Iustis quidem aequus, & iustus, malis verò
Omnium maximus hostis in terra.

25. Dico 4. Beneficentia, quæ est primus effectus externus charitatis, in proposito est executio actus interni charitatis, qua benefacimus proximo nostro propter Deum amato voluntariè, decenter, & in gratiam ipsius, non nostri, absque etiam retributionis spe. Ita colligitur ex D. Thom. 2. 2. q. 31. *art.* 1. & 4. Iauell. *tom.* 2. *par.* 2. *tract.* 3. *de Christ. char. c.* 7. Val. *tom.* 2. *disp.* 3. *q.* 8. *par. vn.*

26. Noto 1. quod beneficentia, de qua hic, est executio quædam actus interni, eliciti à charitate erga alterum, nam actus internus charitatis est velle alteri bonum: huius autem actus executio est bonum alteri facere propter Deum.

27. Noto 2. quod ista beneficentia, ad hoc vt sit effectus charitatis, non debet esse coacta, sed voluntaria, non in actu 1. voluntatis, sed in actu 2. idest in affectu, ait enim Amb. 1. de off. c. 30. *Non satis est bene velle, sed etiam benefacere: Nec satis est verum benefacere, nisi id ex bono fonte, hoc ex bona voluntate, proficiscatur.* Et Sen lib. 1. de benef. cap. 5. *Nec aurum, nec argentum, nec quidquam eorum, quæ à proximis accipiuntur, beneficium est, sed ipsa tribuentis voluntas.* Et quod non satis sit ad actum beneficentiæ, velle bonum, seu promittere, si non actualiter detur, perbellè cecinit Matt. lib. 10. epig. 16.

Si donare vocas promittere, nec dare, Cai.
Vincam te donis, muneribusque meis.
Accipe Callaicis quidquid fodit Astur in aruis:
Aurea quidquid habet diuitis vnda Tagi, &c.

28. Noto 3. quod benefaciens animo benefaciendi benefacere debet, alioqui non est beneficium, ait enim Ambr. 1. de off. cap. 30. *Pulchrum est igitur bene velle, & eo largiri consilio, vt prosis, non vt noceas.* Et beneficium debet esse gratum illi, cui datur. Plaut. in trin. act. 3. sce. 2. *Nullum beneficium esse duco id, quod cui facias, non placet.* Faciendum item beneficium hilariter, 2. Cor. 9. *Hilarem enim datorem diligit Deus.* Et Eccl. 35. *In omni dato hilarem fac vultum tuum.* Et Naz. or. de paup. am. in fine. *Quod mœsto, vel coacto animo defertur, ingratum est, miniméque præclarum.* Arist. 4. eth. cap. 1. *Liberalis dabit in quibus oportet, & quod oportet, tam in paruis, quam etiam in magnis, atque cum voluptate.* Et Sen. 2. de benef. c. 1. *Sic demus beneficium, quomodo vellemus accipere, ante omnia libenter, citò, sine vlla dubitatione.*

29. Noto 4. quòd debet etiam beneficium celeriter dari. Prou. 3. *Ne dicas amico tuo, Vade, & reuertere, cras tibi dabo cum statim possis dare.* Naz. loc. cit. *beneficij gratia promptitudine, & celeritate conduplicatur,* & Publ. *Qui citò dat, bis dat,* & Auson. Epigr. 81.

Gratia, quæ tarda est, ingrata est, gratia namque,
Cum fieri properat, gratia grata magis.

Et Sen. 1. de benef. cap. 1. *Errat, si quis sperat, responsurum sibi, quem dilatione lassauis.* Et lib. 2. cap. 1. *Ingratum est beneficium, quòd diu inter manus dantis hæsit, quod quis ægrè dimittere visus est,* &c. 5. *Omnis benignitas properat, & proprium est libenter facientis citò dare, tardè velle nolentis est.* Et Matt. lib. 7. epist. 42.

Primum est, vt præstes, si quid te Cinna rogabo,
Illud deinde sequens, vt citò Cinna neges.
Diligo præstantem, non odi Cinna negantem:
Sed tu nec præstas, nec citò Cinna negas.

30. Noto 5. quòd beneficium potest esse vel in gratiam dantis, vel in gratiam recipientis, vel in gratiam vtriusque, 1. non magis est æstimandum, quam æstimarent boues saginationem, illis à Domino procuratam, vt carius vendantur: quare illud non vocatur beneficium, sed negotiatio, 2. habet veram rationem beneficij, quia procedit à charitate. Et similiter 3. si dans eo animo dat vt benefaciat, & non coactè quo ad personam, sed liberè. Omnia Sen. 6. de benef. cap. 12. *Multum interest, vtrum aliquis beneficium nobis det sua causa, an nostra, an sua, & nostra: ille, qui totus ad se spectat, & nobis prodest, quia aliter sibi prodesse non potest, eo loco mihi est, quo qui pecori suo hybernum, & æstiuum pabulum prospicit,* Et infra. *Rursus non sum tam iniquus, vt nihil ei debeam, qui cum mihi vtilis esset, fuit, & sibi.* Ex qua doctrina collige, 1. quod illi Prælati regulares, qui conferunt aliquod beneficium suis subditis eo fine solùm, vt eos adiuuent ad se conseruandum in dignitatibus, in quibus per se solos conseruare non possunt, non sunt vllo modo benefici, si alios non reperiant, qui eo fine velint sua beneficia recipere, quia id solùm sua causa faciunt: Si verò alios reperiant, & hos potiùs, quàm illos eligant, tunc sunt quidem aliquo modo benefici, sed illa beneficentia non procedit ex charitate, sed ex cupiditate. Vnde incautæ iuuentuti vitanda consulo huiusmodi beneficia, quæ potiùs insidiæ, quam beneficia sunt, iuxta illud Matt. lib. 4. epig. 56.

Qui potes insidias dona vocare tuas.

Et viscata beneficia ea vocat Sen. epist. 8. *Quisquis nostrum tutam agere vitam valet, quantum plurimum potest, ista viscata beneficia deuitet: In quibus hoc quoque miserrimi fallimur, habere nos putamus, & habemur,* Collige 2. quòd Prælatus, qui facit, quòd debet, non meretur nomen benefici, sed officiosi, beneficium enim venit à mera charitate, quæ non supponit vllum debitum iustitiæ: Et est dictum Sen. relatum in eius loc. comm. eth. verb. Beneficium. *Non est beneficium, sed officium, facere quod debeas.*

31. Noto 6. quòd dans beneficium non debet cogitare de retributione, vt eam ab illo accipiat, à quo omnis bona venit retributio, ait enim Christus Luc. 14. *Cum facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque cognatos neque vicinos diuites, ne fortè te, & ipsi reinuitent, & fiat tibi retributio: Sed, cum facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi, retribuetur enim in resurrectione iustorum.* Et Sen. 1. de benef. cap. 1. *Demus beneficia, non fœneremus, dignus est decipi, qui de recipiendo cogitauit, dum daret,* &c. 4. *Qui præstiterint, obliuiscatur, pertinax sit memoria debentium,* &c. 2. *Nunquam illa vir bonus cogitat, nisi admonitus à reddente, alioqui in formam crediti transeunt.* Et multò minùs dans beneficium post datum, debet illud habenti exprobare, lacerat namque animum, & premit frequens beneficiorum commemoratio, vnde plerumque beneficiarius ingratus redditur. Sen. 1. de benef. c. 1. *Multos experimur ingratos, plures facimus, quia graues exprobratores, exactoresque sumus.* Vnde Matt. lib. 7. epig. 53.

Crede mihi, quamvis ingentia, Posthume, dones,
Auctoris pereunt garrulitate sui.

Et Ambr. 1. de off. cap. 30. *Nec illa perfecta est liberalitas, si iactantiæ causa magis, quam misericordiæ, largiaris; perfecta autem est liberalitas, vbi silentio quis tegit opus suum, & necessitatibus singulorum occultè subuenit, quem laudat os pauperis, & non labia sua.*

32. Noto 7. quòd beneficentia multis modis exercetur, Sen. 1. de benef. cap. 2. *Alium fide, alium gratia, alium consilio, alium præceptis salubribus adiuua.* Plat. ex Later. apud Lips. ad dictum cap. 2. Sen. *Beneficentia quadrifariam exercetur, opibus, corporibus, disciplinis, sermonibus. Opibus, cum egenos pecuniis, aut alia re iuuamus. Corporibus, cum iniuria affectos tuemur, aut vindicamus. Disciplinis, cum docemus, medemur, aut arte aliqua ornamus: Sermonibus, cum in iudicio defendimus, solamur, aut tale.* Hæc sibi dicta putet noster Prælatus. Et per fidem in loco Sen. intelligat spem, qua subditos adiuuet, dando illis spem de benefaciendo in tempore, cum non possit de præsenti, quod est optimum medium ad continendos subditos in officio, secundùm illud Plutarch. de puer. educ. *Hæc duo perinde, ac virtutis elementa sunt, spes honoris, & formido pœnæ: nam cum illa ad egregia honestatis opera promptiores efficiat, hæc ad perpetranda vilissima segniores reddit.* Et per gratiam, intelligat comitatem, & affabilitatem, quibus multum recreantur subditi; seu vrbanitatem, & reuerentiam, quibuscum videant se affici à Superioribus, maximè subleuantur.

33. Noto 8. quòd ista beneficentia non est exercenda cum omnibus indistinctè, sed solùm habita ratione circunstantiarum, personæ, temporis, necessitatis, dignitatis, & ordinis, vt ait D. Thom. 2. 2. q. 31. art. 2. & Amb. 1. de off. c. 30. ait, *Officere illud est, non prodesse alteri, si largiaris ei, qui conspiret aduersùs patriam, qui congregare cupiat suo sumptu perditos, qui impugnet Ecclesiam. Non est hæc probabilis liberalitas, si adiuues eum, qui aduersùs viduam, & pupillos graui decernit iurgio, aut vi aliqua possessiones eorum eripere conatur.* Sit ergo beneficus Prælatus illis, qui beneficentia non sunt abusi, & qui per virtutes ea digni sunt; Immeritis autem solùm quantum necessitas naturæ patitur, ne crudelis appareat. Et sciat Prælatus, quòd *Qui largiuntur indignis*, vt ait Ant. ser. 58. ad Stob. *ea, quæ dignis conferri debebant, tria committunt absurda. Nam, & ipsi iacturam faciunt, & in bonos contumeliosi sunt, & malos roborant, materia vitiorum suppeditata.* Duo moneo Prælatum nostrum in subditis benefaciendo, 1. est vt consideret locum illum. Prou. 29. *Qui delicatè à pueritia nutrit seruum suum, posteà sentiet eum contumacem*, 2. vt consideret locum illum Tac. lib. 4. hist. vt referunt, *Beneficia eò vsque læta sunt, dum videntur exolui posse; vbi multùm anteuenere, pro gratia odium redditur.*

34. Noto 9. quòd beneficentia in homine est illa imago diuina, ad quam creatus est, vnde nunquam magis ad imaginem Dei esse creatum monstrat, quam quando beneficentiam exercet. Naz. or. de paup. amor. col. 18. *Fac calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando; nihil enim tam diuinum homo habes, quàm de aliis benemereri.* Chrys. relat. ab Ant. serm. 58. *Benefaciendo Deum imitari te puta.* Et interrogatus Demosthenes, vt refert idem Ant. quid homo simile Deo haberet? Dixit *Benefacere, & vera dicere.*

35. Noto 10. quòd plus accipit, qui beneficium dat, quàm qui recipit. Tum quia hominem sibi deuincit, & seruum reddit, ad illud Prou. 22. *Victoriam, & honorem acquiret, qui dat munera; animam autem aufert accipientium*, quia scilicet accipiens ita obstringitur danti, vt animæ potentiis in gratiam potius dantis, quam sui, vti cogatur. Tum quia si amore Dei dat, vsurariam ab eo potest prætendere retributionem. Audi Chrysost. *hom. 27. in Gen.* quem refert etiam Ant. ser. 58. *Ipsi sumus, qui beneficio fruimur, & multum lucri inde nobis conciliamus, nec putemus aliud, dum benefacimus, quam quod magnum beneficium apud Deum deponamus.* Et Thesb apud Ant. loc. cit. *Opes non absumuntur beneficentia, dando enim accipitur, & spargendo colligitur.*

36. Noto 11. quòd beneficus magis diligit suum beneficiarium, quam diligatur ab ipso. Ita Arist 9. *eth. c. 7.* D. Thom. 2. 2. *q. 26. art. 12.* Burid. 9. *ethicral. 2. c. 4.* Ioan. de Lign. *in tr. de amic. §. An benefactor magis amare debeat beneficiarium*, quàm è contra. Alex. Tass. *lib. 6 var. c. 23.* Probatur, tum quia omnis factor plus diligit opus suum, quàm diligatur ab ipso, etiamsi animatum sit. Tum quia benefactor beneficiarium diligit, quatenus in illo videt quoddam bonum honestum, quòd est suum, scilicet opus illud liberalitatis, beneficiarius autem benefactorem diligit propter bonum vtile, quod ab illo accepit; sed bonum honestum ex se magis mouet ad diligendum. Tum quia benefactor habet se vt agens; est autem proclinius agere, quam pati. Tum quia laboriosius est benefacere, quam beneficium accipere; solent autem ea magis diligi, in quibus magis laboramus. Vide Abul. *in 6. par. Matth. c. 22. q. 314.*

37. Noto denique 12. quòd naturaliter homines faciliùs beneficiorum, quàm iniuriarum obliuiscuntur, vt ait Sen. lib. 1. de benef. cap. 1. *Nam ita natura comparatum est, vt altiùs iniuria, quàm merita, descendant, & ista citò defluant, illa tenax memoria custodiat.* Et Herod. in or. Pertin. *Iniuriarum si quæ facta sunt*, inquit, *semper est memoria, & quidquid offendit, ægrè eximitur, aut obliteratur: At beneficiorum vnà cum ipso fructu, vsque memoria perit.* Et Petrar. lib. 1. de remed. dial. 93. *Est autem, nescio quidem vnde, firmior offensarum, quàm beneficiorum, tenaciorque memoria.* Huius rei rationem affert Tac 4. ann. *Proclinius est iniuria, quàm beneficij vicem exoluere, quia gratia oneri, vltio in quæstu habetur.* Et Dio Cass. lib. 46. *Non eodem modo aduersùs eos, qui benè, & qui malè fecerunt, afficiuntur homines: sed iræ, atque iniuria vel inuiti reminiscuntur, beneficij, & gratiæ vltrò obliuiscuntur. Atque illud quidem, quòd dedignantur videri beneficio affecti, tanquam minores. Illud autem, quòd ignauiæ suspicionem de se præbere videantur, nisi malum malefactoribus rependant.* Et Tull. in or. ad Quir. post red. *Etenim iniuriæ vlciscendæ facilior ratio est, quàm beneficij remunerandi, propterea quod superiorem esse contra improbos, minùs negotij est, quàm bonis exæquari.*

38. Ex his omnibus discet noster Prælatus omnibus benefacere, sciens præterea, quòd ex omnibus rebus creatis, nulla est efficacior ad sibi animos subditorum conciliandos, quàm beneficentia licèt negare non possim, quin multi ita exorbitent ab ista naturali inclinatione, vt, cum eis magis benefeceris, peiores fiant, & tibi semper sint magis infensi) Vide Philo lib. de præm. & pœn. col. 12. ait. *Hæc tria plurimùm faciunt ad constabiliendum imperium. Maiestas, grauitas, & beneficentia: nam maiestas parit reuerentiam, grauitas metum, beneficentia verò amorem. Quæ res quoties in vnum pectus conueniunt, egregiè continent subditos in officio.* Et omnibus prodesse, & nemini nocere, principantium est proprium, vt multis probat Iuan. Redin. *de maiest. princ. §. fin*

39. Dico 5. Eleemosyna est opus quo datur aliquid indigenti, quod illum subleuare possit, siue quò ad animum, siue quò ad corpus ex compassione, seu motiuo misericordiæ propter Deum. Ita D. Thom. 2. 2. *q. 32. art. 1.* Val. *tom. 3. disp. 3. q. 9. par. 1.* Est autem duplex genus eleemosynæ, corporalis scilicet, & spiritualis. Quod vtrumque etiam multiplex est, & memoriæ causa D. Thom. *art. 2.* & Nauar. *in summ. c. 24.* his versibus comprehendunt.

Visite,

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.
Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Et sic in vniuersum 14. sunt eleemosynæ, seu 14. opera misericordiæ; nam sub illa dictione, Consule, intellige etiam, Doce, in quibus se debet exercere Prælatus, sciens, quòd vt ait Chrysost. hom. 33. ad pop. Antioch. *Melius est hanc artem dandi eleemosynam scire, quàm esse Regem, & diademate coronari.* & hom. 36. ait: *Multò maius est, quàm in nomine IESV mortuos suscitare, esurientem pascere Christum. Nam hic quidem tu de Christo bene mereris: illic autem ipse de te.*

40. Dico 6. Correctio fraterna est actus charitatis, quo quis subuenit necessitati proximi delinquentis, cuius finis est ipsius emendatio, non per coactionem, sed per hortationem. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 33. *art.* 1. Val. *tom.* 2. *disp.* 3. *q.* 10. *par.* 1. Fraternam correctionem facere, ad Prælatos specialius, quàm ad alios, spectat; Dicit enim Paul. Tim. Prælato 2. ad Tim. 4. *Argue, obsecra, increpa, in omnia patientia, & doctrina*, & probat Ioseph de S. M. *in tribun. S. Relig. tr.* 1. *c.* 10. Vide *supra q.* 1. *c.* 7. *à n.* 19.

§. IV.

De bono exemplo, quod tenentur dare Prælati.

41. Vide Lab. *in appar. conc tom.* 1. *&* 2. *& in loc. com. verb. Exemplum.* Aluar. *de vi. relig. inst. lib.* 6. *c.* 20. Chauass. *de ver. prud. lib.* 2. *c.* 12. §. 1. Scrib. *in Super. relig. lib.* 2. *c.* 10. *& in pol. christ. lib.* 2. *c.* 5. 6. *&* 25. Bus. *de stat. Præl.* §. 2. & in Panormitan. *verb. exemplum*, Sart. *in ciue Reip reg. consid.* 61. Trull. *in eluc. lib.* 4. *c.* 25. *n.* 10. Titaq. *de pæn. temp. à num.* 96. Rang. *in* 1. *Reg. c.* 8. *vers.* 20. *tendens ad fin.* Tor. *phil. mor. Princ. par.* 1. *lib.* 1. *n.* 1. 2. *&* 3. *& lib.* 3. *c.* 14. *&* 15. Menoch. *lib.* 2. *inst. pol. c.* 10.

42. Dico 1. bonum exemplum Prælatorum, quod nihil est aliud secundum D. Thom. *quæst.* 8. *de ver. art.* 8. *ad* 1. quam id, ad cuius imitationem fit aliquid ex intentione agentis, multum iuuat ad introducendas virtutes in animos subditorum, sicut malum ad introducenda vitia.

43. 1. Pars prob. ex 1. ad Tim. 4. *Exemplum esto fidelium*, & ad Tit. 2. *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum.* Ad quæ loca vide Chrysost. Et Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, & videant opera vestra bona*, & ex his, tanquam ex luce, illuminentur ad bene operandum & ipsi. Et Prouerb. 24. *Exemplo didisci disciplinam*; idest, Exempla Prælatorum sunt magistri subditorum, eosque regularem docent disciplinam. Isai. 49. *Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ*, idest, Constitui te Prælatum, vt esses lux gentium tibi subditarum, & tua vita esset speculum illarum. Et Eccles. 10. *Secundùm iudicem populi, sic & ministri eius, & qualis rector est ciuitatis, tales, & habitantes in ea.* Et 1. Esdræ 9. *Cum audissem sermonem istum, scidi pallium meum, & tunicam, & euelli capillos capitis mei, & barbæ, & sedi mœrens*, &c. *conuenerunt autem ad me omnes, qui timebant verbum Dei Israël.* Ad quem locum dicit Glossa. *Nota, quantum exempla doctorum iuuant, nihil scribitur Esdra locutum esse, sed tantùm audisse scelera, lacrymasse, & turbam ad se fidelium, non vociferando, sed lacrymando traxisse.*

44. 2. Prob. ex PP. Chrysostom. *hom.* 10. explicans illud *ex c.* 3. 1. *ad Tim.* Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, ait, *Hoc vnico verbo genus omne virtutis expressit; eum quippe, qui regendos alios suscipit, tanta decet gloria virtutis excellere, vt instar Solis, cæteros, veluti stellarum igniculos, in suo fulgore obscures: debet huiusmodi vitam habere immaculatam, atque compositam, vt omnes in illum, & in eius vitam, veluti in exemplar aliquod excelleas, intueantur.* Ambr. 2. de off. c. 29. *Forma esse debemus cæteris, non solùm in opere, sed etiam in sermone, in castitate, in fide, Quales haberi volumus, tales simus, & qualem affectum habemus, talem aperiamus.* Hier. in ep. Nep. ad Heliod. *In te omnium oculi diriguntur, domus tua, & conuersatio quasi in specula constituta, magistra est publica disciplinæ. Quidquid feceris, id sibi homines faciendum putant. Caue, ne committas quod aut qui reprehendere volunt, dignè lacerasse videantur, aut qui imitari coguntur, delinquere*, Greg. 2. par. past. c. 3. *Sit rector operatione præcipuus, vt vita vitam subditis viuendo denuntiet; & grex, qui pastoris vocem, moresque sequitur, per exempla meliùs, quàm per verba gradiatur*, &c. & 3. p. past. c. vlt. *Plus actibus, quam vocibus, insonet, & bene viuendo vestigia sequacibus imprimat.* Chrysol. ser. 167. *Docenda faciens obedientem perficit auditorem.* Et in Trid. sess. 25. de reform. c. 1. *monet sancta Synodus Episcopos, vt factis, ac vitæ actionibus, quod est veluti perpetuum quoddam prædicandi genus, se muneri suo conformes ostendant: In primis verò ita mores suos omnes componant, vel reliqui ab eis frugalitatis*, &c. *exempla petere possint*, & sess. 5. c. 1. de reform. dicitur, quòd *Integritas Præsidentium salus est subditorum.* Quod idem habetur *in c. Miramur, dist.* 61.

45. 3. Prob. ex Philosophis, Arist. 1. œcon. c. 6. *Nisi quis bonum exemplum de se præbuerit, imitatorem diligentiæ habiturum non existimant, neque in re familiari, neque in aliis: Quoniam impossibile sit non diligentis domini diligentes esse vicarios.* Plat. 6. de leg. *Qui circa mores, actionesque seruorum nihil vnquam facit impiè, nihil iniquè, atque ita in his se seruat immaculatum, ad producendas virtutis fruges erit aptissimus.* Cic. de or. lib 3. *Duo illa nos maximè mouent, similitudo, & exemplum.* Sen. epist. 6. *Plus tibi, & viua vox, & conuictus, quàm oratio proderit: In rem præsentem venias oportet. Primum, quia homines ampliùs oculis, quàm auribus, credunt; deinde, quia longum iter est per præcepta breue, & efficax per exempla.* Vell. lib. 2. *Rectè facere Principe ciues suos faciendo docet.*

46. 2. Pars prob. 1. Isa. 52. *Dominatores eius iniquè agunt, & iugiter tota die nomen meum blasphematur. Sicut enim*, ait D. Thom. l. 4. in ep. ad Rom. *legis obseruantia in bonis operibus est occasio videntibus, vt honorent Deum, ita etiam transgressio legis per mala opera, occasio est videntibus blasphemandi*, & Leu. 4. *Si sacerdos, qui vnctus est, peccauerit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo*, &c. Quem locum explicans Pelus. lib. 2. epist. 121. vt ibi refert Lor. ait. *Tantum enim lex pro sacerdote peccante sacrificium offerri præcipit, quantum pro vniuersa plebe; quòd si par non esset peccatum, idem vtique sacrificium minimè indixisset. Maius porrò peccatum efficitur, non ob naturam, sed ob perpetrantis dignitatem; nam qui id sibi sumpsit, vt aliorum mores componat, ac mederetur, si ipse labatur, maius ob dignitatis suæ gradum peccatum reddit*, & 1. Paral. 14. narratur de Saüle, & armigero eius, *quòd cum vidisset armiger eius, videlicet mortuum esse Saul, irruit etiam ipse in gladium suum, & mortuus est*: quia mors animæ Prælati mortem causat animarum subditorum. Greg. 1. par. past. c. 2. *Scriptum est per Prophetam* (Oseam c. 9.) *Laqueus ruina populi mei sacerdotes mali. Hinc rursum de sacerdotibus malis per Prophetam* (Ezech. 44.) *Dominus dicit, Facti sunt domui Israël in offendiculum iniquitatis. Nemo quippe in Ecclesia ampliùs nocet, quam qui peruersè agens, nomen, vel ordinem sanctitatis habet: delinquentem namque hunc nemo redarguere præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur*, & 2. par. past. cap. 7. *Languente capite, incassum membra vigent; & in exploratione hostium frustra exercitus velociter sequitur, si ab ipso duce itineris erratur.* Et lib. 6. reg. epist. 7. *Mala actio præsidentis valdè nocet subditis.*

Vide D. Thom, 1. 2. quæst, 73. art. 10. Ioseph. lib. 8. antiq. cap. 10. *Cum moribus Principum corrumpitur conuersatio subiectorum; & cum viderint illorum luxurias, sua castitatis merita respuentes, quasi virtutem, eorum imitari annuntur illecebras; non enim opera Principum approbare videntur, nisi etiam similiter hæc agantur.* Et Philo lib. 1. de vi. Mos. *Si Princeps totum se dans voluptatibus, ad vitam delicatam deflectit, vniuersa propemodum subditorum multitudo ad voluptates proclinat.* Cic. lib. 3. de leg. *Peccare Principes tantum mali non est, quanquam est hoc malum per se ipsum magnum, quantum illud, quòd permulti imitatores Principum existunt.* & Iuuen. sat. 14. vers. 32.

Sic natura iubet; velocius, & citius nos
Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
Cum subeunt animos auctoribus.

Et huius rei rationem reddit Gregor. 21. mor. cap. 8. *Quia rationales nostri spiritus, dum in Prælatorum intentione defixi sunt, singulis quibusque actionibus permiscentur, vt tales fructus operum procreent, qualia exempla præcedentium in vocibus præceptorum vident.*

47. 2. Probatur ex iure can. cap. Magnæ, de vo. *Quod agitur à Prælatis, facilè trahitur à subditis in exemplum.* Colligitur ex cap. Qualiter, & Quando, el 1. de accus. & ex cap. Sicut, 2. quæst. 7. Habetur in cap. Ex merito, 6. quæst. 1. *Capite languescente, cætera corporis membra inficiuntur*, & in cap. Præcipuè, 11. quæst. 3. dicitur, *quòd tot mortibus digni sunt Prælati, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt.*

48. Dico 2. parum refert, quòd Prælatus multa dicat ad continendos subditos in officio, si quæ dicit, non facit, immò & contrarium facit. Vt ista conclusio explicetur, nota doctrinam Hug. de S. Victore *de clau. an. c. 12.* vbi distinguit 3. species Prælatorum negligentium. Quidam enim sunt, qui bene viuunt, & subiectos malè viuere permittunt. Alij qui malè viuunt, & subiectos bene viuere cogunt. Tertij, qui malè viuunt, & subiectos malè viuere volunt. Primi licet exemplo præcedant, quia tamen errantes non corrigunt, delinquunt, & similes Heli sunt, 1. Reg. 2. quia, vt ait Chrys. hom. 16. in Matth. *non sibi ipsi tantùm vnusquisque; vtilis esse debet, sed etiam cæteris.* Filiis autem Heli similes sunt illi tertij, siue potiùs Diabolo; qui non est contentus facere malum per se, sed etiam suggerit aliis, quantum potest. Secundi autem errantes quidem reuocant, sed fortes occidunt, reuocant verbis, occidunt exemplis, Religiosi videri student, quia Religiosos sub se habent; gloriantur de eorum patientia, non de sua: Quòd operari nolunt, imperant, operantur ipsi, quod alijs operari licitum esse non putant. Inter hos tamen negligētes Prælatos hos minùs malos censeo, quàm primos, & tertios; Nam licèt in exemplis vis magna sit ad introducendas virtutes, & vitia in animos subditorum, vt dictum est; id tamen frequentiùs accidit in subditis simplicioribus; ait enim Macrob. *lib. 7. Satur. c. 4.* quòd *plebeia ingenia magis exemplis, quàm ratione capiuntur*: nam in sapientioribus, & qui magis respiciunt in Prælato id, quòd deberet facere, quàm quòd facit, exempla nec attollunt multùm, nec deprimunt. Colligunt enim isti flores, & spinas cauent: &, vt dicit Chrys. hom. 43. op. imperf. *sicut aurum de terra eligitur, & terra relinquitur, sic & auditores doctrinam accipiant, & mores relinquant; frequenter enim de homine malo bona doctrina procedit.* Quod etiam dicitur Matth. 23 *Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite, secundùm opera eorum nolite facere.* Vnde PP. & DD. cit. & citandi licèt dicant, plus prodesse doctrinam factis comprobatam, solam tamen aliquid etiam prodesse non negant.

49. Prob. ergo conclusio. Quia Christus cœpit facere, & deinde, docere, Act. 6. & Ioann. 13. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Et Hier. ad Fab. *Multò plus intelligitur, quòd oculis videtur, quàm quòd aure percipitur.* Et Greg. hom. 38. in Euang. Matth. *Nonnunquam mentes audientium plus exempla fidelium, quàm docentium verba conuertunt.* Chrys. hom. 16. in Matth. *Qui docet absque operibus se ipsum condemnat.* S. Leo in ser. de S. Laur. *Facilis ad exhortandum sit ratio, efficax ad suadendum validiora tamen sunt exempla, quam verba, & plenius est opere docere, quàm voce.* Bernard. ser. 2. de resur. *Sermo viuus, & efficax est exemplum operis; facilè persuadet, quod intendimus, dum factibile esse probat, quod suademus.* D. Th. 2. 2. q. 34. art. 2. corp. *In operationibus, & passionibus humanis, in quibus experientia plurimùm valet, magis mouent exempla, quàm verba*, Bonau. de 6. al. Seraph. c. 6. *Doctrina verborum sine exemplis operum, est sicut cæmentum sine calce aridum, & inualidum.* Plutar. in opus. de puer. educ. in fine. *Ante omnia, debent parentes, nihil peccando, omniaque pro officij rationibus agendo, euidens sese liberis exemplum præbere, vt in istorum ij vitam tanquam in speculum intuentes, à turpibus dictis, factisque auertantur; etenim qui peccata filiorum increpantes, ipsi in eadem prolabuntur vitia, ij se non sentiunt sub illorum nomine semetipsos accusare.*

50. Dico 3. grauissimum est peccatum scandali in Prælato præsertim. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst. 43 art. 2.* vbi expositores. Val. *tom. 3. disp. 3. quæst. 18. par. 2.* Prob. 1. ex Scrip. Matth. 18. *Væ mundo à scandalis, væ homini illi, per quem scandalum venit; qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Vide c. 5. *eiusdem Matth.* & Petro suis sermonibus scandalum danti auditoribus (materialiter tamen solum propter ignorantiam) dixit Christus Matth. 16. *Vade post me Satana, scandalum es mihi*: vbi, vt apparet, Satanas vocatur scandalosus. Et *Ioann.* 8. vocatur filius Diaboli *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere, ille homicida erat ab initio*: homicida fuit Dæmon ab origine mundi, non armis, sed sermonibus, suadens Euæ transgressionem præcepti Dei: & homicidæ, & filij Diaboli sunt, qui dictis, aut factis præbent proximis occasionem ruinæ. Et hic nota, quòd plus peccat, qui suadet alteri malum, quam qui malum ipsum facit; quia non solùm consentit malo, sed etiam est causa, vt malum fiat. Et docuit Gloss. *in c. Deteriores, verb. Deteriores 6. q. 1.* Vnde Chrys. *hom. 25. in epist. ad Rom.* ait, *Serpens magis punitus est, quam mulier, sicut, & mulier plusquam vir; & Iezabel maiores pœnas dedit, quam Achab vineæ raptor, ipsa quippe negotium texuerat vniuersum, & Regi lapsus dederat occasionem, Igitur & tu, si reliquis perditionis causa fueris; grauiora patieris [illegible] quàm qui per te subuersi sunt.*

51. 2. Prob. ex PP. Chrys. ser. contra concub. tom. 5. *Quòd si etiam admirabile quiddam dicendum. Etiam si grauiter quis peccet, atque clam hoc faciat, & neminem scandalizet, minorem dabit pœnam, quàm qui leuiter peccauit, idque impudenter, & cum scandalo multorum.* Basil. in reg. breu. q. 64. *Sanè scandalizat aliquis, quandocunque dictis, factisvè legem violat, & exemplo suo ad legis violationem inducit, vt serpens Euam, & Eua Adam; vel quandocumque prohibet exequi voluntatem Dei, vt Petrus Dominum; vel quando ædificat animum imbecilli ad aliquid eorum, quæ vetita sunt.* Et infra. *Si in iis, quæ in potestate nostra sunt, res adeò formidabilis est fratrem scandalizare, quid de iis dicendum erit, qui rebus vetitis faciendis, loquendisvè scandalizant? maximè quando vel scientia maiore præditus videtur, vel in gradu aliquo consetur sacro, vt cæteris tanquam regula, exemplarvè propositus esse debent.*

52. 3. Prob.

52. 3. Probatur ea Iur. Can, vbi propter scandalum existimatus innocens punitur, *c. Ex literis*, el *c. de homic. c. De rectoribus*, *c. Tuanos, de cler. agr. c. Cum teneamur, de preb.* Et multa debent prætermitti, quæ sine scandalo fieri non possunt, *c. 2. de nou. op. nunc. c. Quoniam, de iure patr.* Nec permittitur aliquis eligi ad dignitatem, etiamsi bonus sit, & nullam det occasionem, propter scandalum vitandum. Fusè. *lib. 2. de visit. c. 28. numer. 6.* vbi multos testes, & DD. affert.

53. Ex dictis sequitur 1. quòd, cum scandalum sit dictum, aut factum, præbens alteri occasionem ruinæ, peccato scandali speciali distincto ab actu, peccat Prælatus, & quilibet alius quando facit aliquod malum, vel bonum, vel indifferens, sed secundùm speciem, & apparentiam malum, ea intentione in publico, vt aliis sit occasio peccandi, v.g. est Prælatus Minimorum licentiatus ad comedendas carnes, comedit eas in publico eo animo, vt fratres prouocet ad eas etiam comedendas; hic licet, opus faciat in se bonum, cum ipse sit legitimè licentiatus; quia tamen eo animo comedit, vt prohibiti comedere, alliciantur ad comedendum, peccat speciali peccato scandali. Similiter irridet Prælatus aliquem Religiosum, vel de eo publicè murmurat, vt alij eadem faciant, hic etiam peccat speciali peccato scandali. Atque ita docet D. Thom. 2. 2. q. 43. *art. 1. ad* 4. Imò addo, quòd Prælatus peccat speciali peccato scandali, quando facit aliquid publice, quòd potest inducere subditos ad peccatum, etiamsi ipse non habeat talem intentionem. Cum enim Prælatus sit exemplar, ad quod respiciunt omnes subditi, etiamsi intentionem non cendi non habeat, cum tamen auctoritate personæ actualiter noceat, culpam peccati scandali non euitat, Ita Nauarr. *in man. c. 6. num 19. vers. Vndecimo*, Viu. *in cand. tract. de confess. n.* 48 & alij multi, quos citat, licèt non sequatur, Fagund. *in 2 prac. Eccles. lib.* 4. *c. 4. n. 5.* Et huius sententiæ est sine dubio D. Thom. *loco cit.* vbi ait, quòd, *dictum, & factum alterius potest esse dupliciter alteri causa peccandi. Vno modo per se: alio modo per accidens. Per se quidem, quando aliquis suo malo, verbo, vel facto intendit alium ad peccandum inducere: vel etiamsi ipse hoc non intendat, & ipsum factum, est tale, quòd de sui ratione habet, quòd sit inductiuum ad peccandum.* Et hanc esse mentem D. Thom. docent Val. *tom. 3. disp. 3. q. 18. p. 2.* Sylu. *verb. Scandalum, q. 2. vers. Tertiam* Mald. 2. 2. *q. 43. dub. 2. art.* 1. & alij, qui vniuersaliter docent ad constituendum speciale peccatum scandali, non esse necesse, peccantem habere formalem intentionem ad peccatum inducendi. Quòd conuincitur; quia qui in loco sacro, vel cum persona sacra mœchatur, etiamsi solùm intendat suæ libidini satisfacere, tamen sacrilegus realiter est.

54. Sequitur 2. quòd Prælatus continuè, & publicè lineas deferens, vel nudus dormiens in Ordine nostro mortaliter peccat, etiamsi ista ex sui natura nullam inducant culpam. Quia suo malo exemplo alios ad idem faciendum inducit, & sic patitur graue detrimentum Regula; Ita Mont. *In Chron. Minim. lib. 1. cap. 1. reg.* §. 7. *pag. mihi* 273. quia hæc sunt etiam prohibita iure communi, *c. Cum ad monasterium, de stat. monach.* Et potest hoc confirmari ex illo Sap. 6. *Exiguo conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur.* Quasi dicat, In criminis patrare, subditorum, & pusillorum miserebitur Deus; Prælatorum autem, & potentium non miserebitur, sed isti maximè cruciabuntur, quòd eorum transgressiones multarum transgressionum sint causa; vnde iuxta delictorum mensuram erit plagarum modus. *Quidquid enim Prælati exemplo*, ait Abb. Bon. Spei epist. 13. *committere subditi non verentur, quidquid damnationis, prævalente huiusmodi commisso, promerentur: nimirum iustus iudex districtius exigit à Prælato, qui sic illos vel ad peccandum impulit, vel saltem non repulit à peccato.* Vide *sup. q. 1. c. 5. n.* 63.

55. Sequitur 3. quòd Prælatus turpia proferens verba, vel narrans publicè turpia gesta, peccat mortaliter, etiamsi ipsa verba de se aliàs tantùm venialem culpam inducerent, inficit enim suo malo exemplo simpliciores fratres, qui, & ipsi ad talia proferenda animatur, cum procliuiores simus ad imitanda vitia, quàm virtutes, vt ait Naz. or. 1. n. 23. *Nihil tam facile est, quàm malum fieri, etiamsi nemo ducem se nobis ad vitium præbeat: rara tamen, & ardua est virtutis adeptio, quamvis multa sint, quæ nos ad eam trahant, & inuitent.* Ad quem locum ait Elias Cret. *hanc virtutis esse naturam, vt eam homines non facili negotio consequi possint, contra ad vitium contrahendum homines maxime ex parte promptos, atque idoneos esse.* Præterea in hoc perdit Prælatus multum de odore bonæ famæ, tam illi necessariæ. Quæ enim libenter loquimur, libenter etiam facimus, & mores hominum lingua pandit, cum sit secretaria cordis; & sermo est vmbra actionis, vt aiebat Democr. apud Plutarch *de puer. educ.* Idem dic, si Prælatus audiat subditum turpia loquentem, seu detrahentem proximo, & non corrigat: ait enim Arist. 4. ethic. c. 8. *Quæ quisque audire patitur, eadem quoque facere videtur.* Idem dic, si ipse detrahat, vel murmuret. Quare ad hæc multùm debent Prælati aduertere, ne sint petra scandali suis subditis, præsertim simplicioribus. Vide quæ dico *sup. q. 1. c. 7. n.* 14.

§. V.

De Prudentia Regularium Prælatis necessaria.

56. DE prudentia agit D. Thom. cum suis 2. 2. *quæst.* 47. Val. *tom. 3. disp.* 4. Lauell. *tom. 2. par. 2 phil. christ. tract.* 4. B. Laurent. Iust. *in lig. vi. tract. de prud.* Raym. *in sum. lib. 3. tit. de qual. ord.* Eustach. 3. *p. sua eth. tr. 3. disp. 2. sect. 1.* Less. *lib. 1. de virt.* Stob. *serm.* 3. Ant. & Max. *serm.* 26. Ant. Car. *serm.* 4. Chanass. *de prud.* volumen edidit; vide in specie *lib. 2. c. 12. §. 1.* Rossig *de act. virt. lib. 2. c. 1. & de discipl. christ. pers. lib. 3. c. 9.* Bus. *in virid. verb. Prudentia. & specialius in casu nostro, de statu Episc.* §. 4. Bell. *de off. princ. lib 1. c.* 8. Tor. *phil. mor. princ. lib.* 8. Ægid. *de reg. Princ. par. 1. lib. 1. à c.* 6. Contz. 2. *pol. c.* 2. Menoch. *inst. pol. lib. 2. c.* 31. Trul. *in elucid. lib.* 4. *de reg. Pral. c.* 25. *consid.* 3. *n.* 8. P. Greg. *lib.* 10. *de rep. c.* 4. Lips. 1. *pol. à c.* 7. *& lib. 3. à c. 1. & in not. ad lib. 1. c. 9. & in exemp. pol. lib. 1. c.* 8. Sarr. *de rep. reg. consid.* 68. Ribald. *de Princ. christ. lib. 2. c.* 33. Patrit. *de reg. lib. 6. tit.* 8.

57. Nota, quòd prudentia est regina, ac ductrix omnium virtutum, earumque norma, ad quam omnes aliæ diriguntur. Chrys. hom. in psal. 13. *Prudentia est lucerna animæ, regina cogitationum, magistra eorum, quæ bona sunt, & honesta.* Et Greg. 2. mor. cap. 25. *Cæteræ virtutes, nisi ea quæ appetunt, prudenter agant, virtutes esse nequaquam possunt.* Et Bernar. serm. 49. in Cant. *Est ergo discretio non tam virtus, quam quædam moderatrix, & auriga virtutum, ordinatrixque affectuum, & morum doctrix: tolle hanc, & virtus vitium erit; ipsaque affectio naturalis in perturbationem magis conuertetur, exterminiumque naturæ.* Et in elem. *Pastoralis* §. *Verum, de re iud. & in c. Præsentium*, 1. q. 5. discretio, seu prudentia, vocatur mater virtutum. Nec solùm dirigit prudentia virtutes morales, sed etiam si spiritualis sit, & finem supernaturalem respiciat, prout de ea loquitur. D. Thom. 2. 2. q. 47. *art.* 14. dirigit virtutes Theologales. Quomodò enim credenda à non credendis discernas; quo incentiuo ad credendum mouearis, quid in actu credendi obserues, quando, & quomodò actum fidei elicias, quando, & quomodò fidem exteriùs profitearis, quando

quando sperare debeas, quomodò dimices aduersùs pusillanimitatem, & dispensationem; quomodò, & quo tempore sit diligendus Deus, & proximus, ad prudentiam spectat. De his latè Chauasl. *de ver. prud. lib. 1. à c. 5.* Rossig. *de act. virt. lib. 2. c. 2.*

58. Dicendum itaque est, quod prudentia, quæ secundum August. *lib. 1. de lib. arb. c. 13.* nihil est aliud, *quàm scientia rerum appetendarum, & fugiendarum*, est ita regnanti Prælato necessaria, vt alimentum viuenti. Prob. 1. ex Scrip. 1. Paral. 22. *Det tibi Dominus prudentiam, & sensum, vt regere possis Israël.* 3. Reg. 3. *Dabis seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit, & discernere* (quod est munus prudentiæ) *inter bonum, & malum*; quæ petitio quantùm placuerit Deo, vide in c. 4. Prou. 16. *Posside sapientiam, quia auro melior est, & acquire prudentiam, quia pretiosior est argento*, & Prou. 28. *Dux indigens prudentia multos per calumniam opprimet*, & 1. ad Tim. 3. *Oportet Episcopum esse prudentem.*

59. 2. Prob. ex PP. & Phil. Bern. epist. 42. ad Henric. Sen. *Quamobrem, & Petro curam ouium crediturus, prius eius studuit probare beneuolentiam, ter sciscitans, si se diligeret, probauit, & prudentiam, quando errantibus hominibus, & putantibus ipsum esse quempiam ex Prophetis, ille prudenter veritatem aduertens, Deum potiùs Prophetarum confessus est.* Synes. de reg. col. 7. *Nec enim ad felicitatem imperium sufficit, neque in potentia est à Deo constituta beatitudo, sed accedat prudentia, vel potiùs præcedat oportet, quanquam optimè potestatem exerceas.* B. Iust. in lig. vi. tr. de prud. c. 3. *Qui non habet prudentiam, licèt sit magna sanctitatis, similis est homini in altum respicienti, & vbi ponat pedem suum non videnti, qui de facili potest ruere.* Ægid. de reg. lib. 1. p. 3. c. 7. ttia ad hoc propositum dicit, & probat. 1. quòd sine prudentiâ Prælatus non est Prælatus secundum rei veritatem, sed nomine tantum. 2. quòd sine ea facilè Prælatus vertitur in tyrannum. 3. quòd sine prudentia non potest aliquis naturaliter dominari. Arist. 3. pol. cap. 3. in med. *Prudentia propria virtus est præsidentis. Nam cæteræ quidem virtutes videntur communes, tàm eorum, qui præsunt, quam eorum, qui subsunt; at prudentia non est virtus eius, qui subsit.* Plato epist. 17. ad Dionem, *Nulla ciuitas potest esse felix, nisi sub cum prudentia sub iustitia viuitur.* Ex Xenophon. de mag. equ. *Ac prudentem sanè quemuis esse conuenit, qui cum imperio sit.*

§. VI.

De partibus integralibus Prudentiæ.

60. PRo hoc §. vide D. Thom. 2. 2. *quæst. 49.* Val. *tom. 3. disp. 4. quæst. 3.* Contzen. 2. *pol. c. 2. à §. 4.* Iauell. *tom. 2. phil. christ. par 2. c. 4.* Patrit. *de reg. lib. 6. à tit. 9.* Less. *lib. 2. c. 2. dub. 2.* Ægid. *de reg. lib. 1. part. 2. c. 8.*

61. Suppono, quòd 2. præcipuè modis acquiritur prudentia. 1. experientia, quæ docet de similibus, aut dissimilibus similiter, aut dissimiliter iudicare; experientia autem temporis longitudine comparatur. Ita Arist. 6. *eth. c. 8.* vbi ait. *Particularium est prudentia, quæ ex experientia nobis innotescunt, experientiam autem temporis affert longitudo.* 2. erudiendo, & exemplo seniorum sapientum, qui, cum experimentati sint, supplent, si audiantur, experientiæ defectum: Vnde Arist. 6. eth. cap. 11. *Quare peritorum hominum, & seniorum, seu prudentum pronuntiationibus, & opinionibus absque demonstratione, non minus quàm demonstrationibus attendendum est: quia namque ex ipsa experientia visum habent, principia intuentur.* Et Eccl. 8. dicitur. *Non te prætereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt à patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum.*

62. Dicendum est, 8. esse partes integrales prudentiæ, memoriam, intelligentiam, docilitatem, solertiam, rationem, prouidentiam, circumspectionem, cautionem. Ita D. Thom. *loco cit. quæst. 48. & quæst. 49.* Ægid. & alij cit. Memoria est recordatio eorum, quæ legimus, audiuimus, vidimus, aut aliter experti sumus, prudentia enim versatur circa contingentia operabilia: & io his vt plurimum futura sunt præteritis similia. Vnde Arist. 1. reth. cap. 9. fine ait. *Ex præteritis futura conijcientes iudicamus.* Et Isoc. or. ad Nicocl. *Si præteritorum memineris, de futuris etiam rectiùs deliberabis.* Et Sen. ep. 83. *Consilium futuri ex præterito venit.* Et Dion. Halic. lib. 10. antiq. Rom. *Nec aliunde meliùs consilia petuntur, quæ in futurum prosint, quàm à præteritarum rerum exemplis.* Et Polyb. lib. 3. hist. *Præterita quippe res optima gerendarum rerum documenta sunt, facileque nobis ostendunt vnusciusque rationis, consilia, machinas, quid nobis gratiam, opem, beneficium parare possit, quid quenquam aduersùs nos mouere, quid ad misericordiam, quid ad indignationem, quid ad iustitiam, atque æquitatem impellere: quæ omnia publicè, & priuatim plurimum, in vita mortalium momenti habent.* Et Greg. 1. par. pastor. cap. 9. *Mentis oculos ad opera transacta reuocet, penset quisque, quid subiectus egerit, & repentè cognoscet, si Prælatus bona agere, quæ proposuerat, possit.* Præteritorum ergo memoria habere necesse est prudentia præditum, vt ex illis, quid in præsenti, vel futuro negotio agendum sit, iudicare possit. Et in primis studeat Prælatus regularis scire quidquid boni, vel mali egerit illius antecessor, quod gratum, vel ingratum subditis fuerit, vt illud amplecti, vel vitare possit. Notat autem Diu. Thom. *loco cit. quæst. 49. art. 1. ad 2.* quòd 4. valent ad corroborandam memoriam.

63. Intelligentia significat notitiam præsentium; vt enim prudenter iudices, necesse est, præsentem statum tei tibi probè esse perspectum. Potest etiam hoc nomine significari notitia principiorum moralium, vt scilicet sciat leges, & bonas consuetudines, quæ possunt esse principia, & regulæ agendorum, iuxta illud Eccl. 34. *Vir in multis expertus cogitabit multa, & qui multa didicit, enarrabit intellectum.*

64. Docilitas significat effectum, & promptitudinem ad discendum, cum enim nullus sit sufficiens ad excogitandum omnia, quæ possunt esse vtilia suo regimini, oportet quòd, qui prudentiam affectat, sit docilis, aliorum consilijs acquiescendo. Vnde dicitur Prou. 8. *Ego sapientia habito in consilio, & eruditis intersum cogitationibus*, & Prou. 11. *Salus, vbi multa consilia.* Et Iob. 4. *Consilium semper à sapiente exquire.* Qui verò consilia negligit, superbus, vel ignotans est. Vnde Prou. 12. dicitur. *Via stulti recta in oculis eius; qui autem sapiens est, audit consilia.* Et Liu. lib. 4. decad. 5. vt referunt, *enim, qui de suâ vnius scientia omnia gerat superbem magis, quàm sapientem iudicio*, Et Cai. 2. 2. quæst. 49. art. 3. ait, quòd *tam negligentia, quàm contemptus audiendi viuos, vel vita functos mater est imprudentiæ.* Ratio autem, quare sint proficua consilia, est. Tum quia non facilè potest humana mens regentis excogitare omnia, quæ possunt prodesse, vel obesse rei determinandæ, vident enim plus oc uli, quàm oculus, & plus duo sciunt, quàm vnus. Tum quia affectus, & passiones non sinunt discernere verum. Quare, si Prælatus sibi soli fidat, in multos, & graues errores dilabi necesse est, quos euitabit si veridicos, & fidos consiliarios adhibeat, qui rem diluidiùs intuentes verum à falso discernant: ait enim Naz. ep. 121. quòd *faciliùs est in alienis, quàm in proprijs philosophari.* Et Cic. 1. de off. *Fit, nescio quo pacto, vt magis in alienis cernamus, si quid delinquitur, quàm in nobis metipsis.* Et Quint. Curt. lib. 7. de vit. Alex. *Natura mortalium hoc quoque nomine praua, & sinistra dici potest, quòd in suo quisque hebe-*

tior

tier est, quàm in alieno. Quare ridendi sunt illi Superiores, seu potiùs illorum subditi lugendi, qui omnia per se posse autumant, sibi solos sufficere prædicant, auxilio egere, non concilio clamant. O animalia bruta, ò truculentas bestias? Audite Isa. c. 5. *Va vobis, qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.* Indigni, quibus grex porcorum credatur. Verè subditis vestris dictum illud Itali poëtæ concinit; *Misera mandra, à chi sei data in guida.*

65. Solertia est habitus, ex quo repentinè, & ex improuiso medium prouenit congruum in negotio agendo, vel vitando. Quare prudens debet multa scire, & inuestigare, vt possit in arduis, & intricatis negotiis medium inuenire ex improuiso congruum, quo ea extricentur, & definiantur. Ad quod multum iuuat naturalis viuacitas intellectus, adiuta multa lectione, & auditione.

66. Ratio est quædam promptitudo ratiocinandi, & vnum ex alio colligendi; quare impossibile est, hominem non bene ratiocinantem esse prudentem. Tum quia prudentia versatur circa res particulares, & minimè per se notas; vndè oportet eas per alias notiores cognosci, quod non nisi per discursum fieri potest. Tum quia necesse est, prudentem esse bene consiliatiuum, sed concilium fit per discursum, & inquisitionem, vt docet D. Tho. 2.2. *q.49. art.5.corp.*

67. Prouidentia est consideratio futurorum euentuum, qui possent sequi ex opere, applicatioque mediorum pro intento fine consequendo. Prouidus enim cum futura præuidet, ita præsentia disponit, vt facilè illa intelligantur, & cum præsentia intuetur, ea, quæ ventura sunt, iudicat; vnde cum videt futurum malum, abscondit se, & cum videt periculum, fugit: cum è contra simplex, & improuidus dispendia sustineat, & damna recipiat, vt dicitur Prou. 22. *Callidus vidit malum, & abscondit se; innocens pertransiit, & afflictus est damno.* De hoc locutus videtur Chrysost. *hom.51. in Math.* cum ait, *Prudentem autem dico, non scientem, & doctum, sed sensatum, & mente acutum, qui potest rerum ponderare naturas, & secundum quod potest, rationabiliter omnia agere.*

68. Circumspectio est accurata consideratio circumstantiarum. Cum enim prudentia, vt sæpè dictum est, circa singularia versetur, non sufficit prudenti rem ipsam bonam, vel malam esse, sed debet etiam attendere, an hic, & nunc illud, quod est deliberandum, sit bonum, vel malum, cum humanarum actionum bonitas, vel malitia ex circumstantiis maximè pendeat. Vnde bonum secundum se redditur malum ob circumstantias; vt patet in exemplo allato à D. Thom. *loco cit. art.* 7. ostendere enim alicui signa amoris per se est bonum ad conciliandam eius beneuolentiam: malum autem est ex circumstantiis, si ob id ille superbiat, aut suspicetur, se id facere adulandi gratia. De hac circumspectione ait August. de spir. & an. cap. 51. *Valde si quidem est necessaria nobis circumspectio examinationis; quatenus per experientiam eorum, quæ fecimus, ad ea, quæ agenda sunt, tutiores reddamur: Sæpè namque opus, quod bona intentione inchoari credimus, tanto citiùs in deceptionis laqueum nos præcipitat, quanto de intentionis nostræ principio securi, finem actionis non obseruamus: & imprudentes quasi via plana ad foueam currimus, quia videmus, quid facimus, sed quid finem nostrum sequi debeat, non attendimus.*

69. Cautio est animaduertentia, qua scit homo eligere bonum, & reprobare malum, & ne decipiatur in eligendo malum sub specie boni, aut ne refutet bonum; quia repræsentatur ei sub specie mali. De hac Seneca lib. 4. de benef. c. 34. *Multa interueniunt, per quæ, & malus pro bono subrepat & bonus pro malo displiceat: fallaces enim, sunt rerum species, quibus credimus, Hæc vt quam diligentissimè æstimem, operam dabo, ac citò illis assentiar.* Et Greg. 1. mor. cap. 23. *Nonnulla prouidens agere nititur? & sæpè dum cautus futura subtiliter præuidet, incautus damna præsentia nequaquam videt.*

§. VII.

De partibus subiectiuis Prudentiæ.

70. DE his D. Thom. 2.2. *quæst.* 50. Less. *lib. 1. de prud. cap. 2. dub. 1.* Iauell. *tom. 2. phil. christ. part. 2. tract. 4. cap. 2.* Val. *tom. 3. disp. 4. quæst. 3. part. 2.* Eustach. 3. *par. suæ eth. tract. 3. quæst. 6.*

71. Dicendum est, partes subiectiuas prudentiæ primarias esse 2. priuatam nimirum, & publicam. Hæc in quatuor species diuiditur, in regiam, politicam, œconomicam, & militarem. Priuata est, qua quis in singulis actionibus spectat, quid agere debeat, proprium intendens bonum, & hæc sola simpliciter, & absolutè vocatur prudentia, vt ait Arist. *6. eth. cap.* 8. quia is solus absolutè prudens est dicendus, qui sua præ cœteris omnibus curat, se ipsum omni virtute exornans. Regia est, qua quis idoneas condit leges in commune bonum gentium, quas regit, & circa hanc dicit Philo *1. de vit. Mos. col.* 2. quòd *quatuor sunt legislatori necessaria, charitas erga proximos, iustitia, amor virtutum, & vitiorum odium.* Politica est, qua ministri Regis rectè commonitatem administrant, Regisquè leges obseruari curant debitis, & proportionatis mediis. De hac dicitur 2. paral. 19. *Cum constituisset iudices in cunctis ciuitatibus munitis, monuit eos, dicens. Videte, quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium; sed Domini, & quodcumque iudicaueritis in vos redundabit.* Oeconomica est qua quis rectè gubernat familiam, eius bonum solùm spectans. De hac dixi supra, *quæst.* 1. *cap. 5. à num.* 5. Militaris est, qua militia rectè administratur. Et de hac dicit Val. *lib. 7. cap.* 2. quòd *Scipio Africanus turpe esse aiebat iure militari dicere. Non putaram. Et idem negabat, aliter cum hoste confligi debere, quàm aut si occasio obuenisset, aut necessitas incidisset, æquè prudenter. Nam & prosperam gerenda rei facultatem omittere, maxima dementia est, & in angustias vitæ pugnandi compulsum, abstinere se prælio, pestifera ignauia offert exitium.*

72. Sed quoniam prudentia priuata est fundamentum aliarum omnium prudentiarum; nullus enim prudenter populum, aut familiam reget, qui se, & sua imprudenter pertractet: qui namque sibi nequam est, aliis non potest esse bonus: Vnde Isocr. ad Demoniacum. *Cum quod de te ipso consilium ab aliquo es capturus, aduerte priùs quomodò in suo ipse se negotio gesserit; nam qui perperam suas res administrauerit, vix est, vt quidquam rectè consulet in alienis.* Quòd etiam habetur in *cap. Sicut ij, vers. Necesse est, d.* 47. Et inter primas partes, quas debet habere prudens, absolutè prima est cognitio sui ipsius, vt colligitur non obscurè ex illo 1. Tim. 4. *Attende tibi.* & ex illo Prou. 16. *Qui sapiens est corde, appellabitur prudens*, idest, qui se ipsum sapit prudentis nomen meretur. Vnde Eurip. relat. à Patrit. lib. 6. de reg. tit. 8. *Odio habeo sapientem, qui sibi ipsi non est sapiens.* Ideò pauca hic de sui cognitione mihi dicenda esse existimaui.

§. VIII.

Quod Prælatus Regularis debet ante omnia sui ipsius cognitioni studere.

73. VIde Basil. *hom. 3. ad pop.* ex variis in illa verb. *Attende tibi* Ephr. *tom. 2. in ead. ver. pag. mihi* 508. D. Thom. *de erud. princ. lib. 3. cap. 1. 2. & 6.* Bernard. *lib. 2. de consid. à cap. 3.* Abb. *bon. spei ep. 13. col. 9.*

col. 9. vers. ne ergo ; Ant. Catm. *ser. 5.* Buf. *in vir. verb. Cognitiasui.* Chauass. *de ver. grud. lib. 3. cap. 5. §. 2. & lib. 2. c. 1. §. 1.* Sart. *de ciuc Reip. reg. consid. 63.* Stobæum *serm. 21.*

74. Dico 1. cognitio sui ipsis est omnium cognitionum & disciplinarum pulcherrima. Prob. ex PP. Clem. Alex. lib. 3. pæd. *Est, vt videtur disciplinarum omnium pulcherrima, & maxima, se ipsum nosse; si quis enim se ipsum norit, Deum cognoscit.* Aug. 4. de Trin. cap. 1. *Scientiam calestium, & terrestrium rerum astimare solet genus humanum in quo perfecta meliores sunt, qui hic scientia praponunt nosse semetipsos. Laudabilior si quidem animus est, cui nota est miseria sua, quàm qui, ea non aspecta, vias syderum, & naturas rerum scrutatur.* Vide *cap. 51. de sp. & an.* Phil. *lib. de somn.* versus finem. *Est principium inasibilis sapientia non oblinisci sui ipsius; & habere semper pra oculis suas origines.* Et Iuuen. *sat. 11. vers. 28.* ait, è cœlo descendisse, *Nosce te ipsum.* & versu 35.

> *Noscenda est mensura sui, spectandaque rebus*
> *In summis, minimisque.*

Et verè è cœlo descendit; Deut. enim 4. dicitur, *Custodi temetipsum, & animam tuam sollicitè*, seu, vt ex Græco legunt, Attende tibi ipsi. Et Cant. 1. *Si ignorat te, ò pulcherrima inter mulieres.* Et Eccl. 11. *Ambula in vis cordis tui, & intuitu oculorum tuarum, & scito, quòd pro omnibus his uddacet te Deus in iudicium.* Quam sententiam sic vertit Anton. ser. 80. ad Stob. *Ambulato in viis cordis tui inculpatus, & nosce te ipsum, nam de omnibus istis Deus à te rationem postulabit.* Ex quibus locis Gentiles suffuratos fuisse celebrem illam sententiam, ante fores templi Apollinis Delphici aureis inscriptam literis, affirmat Orig. *hom. 1. in Cant.* Et Ambr. *in psal.* 118.

75. Dico 2. cognitio sui ipsius est omnium difficillima. Constat ex communi dictetio. *Quacumque pulchra, difficilia.* Et Basil. in const. mon. cap. 23. fine. *Illud firmissimè tenendum, rem omnium esse difficillimum se ipsum cognoscere, & curare, propterea quòd naturaliter seipsum quisque amat: & quilibet, propterea quòd in se ipsos propensi sunt, in veritatis iudicio falluntur.* & Greg. Niss. in or. de mor. col. 6. *At non est facile, vt is, qui verè, & ex animo cupit se ipsum cognoscere, id assequatur*, &c. Et Thales Miles. apud. Anton. ser. 80. *Difficile est se nosse, sed beatum, quòd hac sit secundum naturam vita.* Et Chilo apud Stob. *ser. 21.* interrogatus quid esset difficillimum omnium, *Se ipsum nosse*, respondit: quia vnusquisque ex cæco sui amore sibi attribuit. Et Arist. 2. magn. mor. cap. 18. *Quoniam igitur difficillimum est se cognoscere, & suauissimum; nam se nosse iucundum, ex nobis ipsis certè non possumus inspicere; id verà fit, aut quia beneuolumus bonis, aut propter affectum.*

76. Dico 3. cognitio sui est peculiariter necessaria Prælatis propter multa bona, quæ inde proueniunt. Constat ex PP. Gregor. Niss. loco cit. *Nos igitur ipsos, vt prouerbium iubet, cognascamus, hac enim cognitione, expiantur peccata, qua ab ignorantia proficiscuntur.* Ansel. de mensur. crucis, consid. 5. *Ad profundum humilitatis cogit nos primò propria cognitio, satis enim est homini ad humilitatem cognoscere se ipsum, maximè si recordamur iniquitatam nostrarum antiquarum*, & in lib. de simil cap. 100. *Primus gradus in monte humilitatis est cognitio sui*, & Basil. homil. 3. ex variis, in illo vers. Attende tibi, versùs finem. *Si attenderis tibi ipsi, incandescentem iram coercebis, linguam rursus cohibebis*, &c. Bern. ser. 36. in Cant. *Volo proinde animam primo omnium scire se ipsam, quòd id postulet ratio, & vtilitatis, & ordinis; & ordinis quidem, quoniam quod nos sumus, primum est nobis: vtilitatis verò; quia talis scientia non inflat, sed humiliat: porrò ad humiliandum nihil anima inuenire viuacius, seu accommodatius potest, quàm si se in veritate inuenerit.* Sen. ep. 83. in princ. *Obseruabo me protinus, & quod est vtilissimum, diem meum recognoscam. Hoc nos pessimos facit, quod nemo vitam suam respicit.* Et Socr. apud Stob. ser. 21. *Hoc quoque manifestum est, quòd propter suã scientiam, homines multorum bonorum, sicut propter ignarantiam, multorum malorum causa fiunt.* Et Plato apud eundem. *Se ipsam verò cognoscere, prudentiam esse concedimus prorsus: si autem nec nos ipsos cognosceremus nec prudentes essemus, nec possemus nostra, seu bona, seu mala nosse.* Et Xenoph. apud Ant. serm. 80. *Qui se ipsos nascunt, necessaria sibi norunt, & discernunt, & qua possint, & quo non possint.* Et Philemon apud eundem. *Cum sis homo, scito hoc, & semper eris homo.* Plura huiusmodi vide apud Stob. & Ant. loc. cit.

77. Dico 4. cognoscere se ipsum, est considerare primordia suæ originis, & finem, & media suæ peregrinationis. Constat ex PP. Amb. serm. 2. in Psalm. 118. *Quid est se noscere, nisi vt sciat vnusquisque hominem ad imaginem, & similitudinem Dei factum, rationis capacem, qui terram suam excolere tanquam bonus agricola debeat aratro quodam, & falce sapientia, vt vel dura findantur, vel luxuriantia resciadantur?* Chrys. hom. 26. in Mat. *Ille est maximè se ipsum sciens, qui se esse nihil existimat.* Aug. de spir. & an cap. 51. *Scito te ipsum, scito vnde venisti, aut quò vadis, quomodo viuis, quantum proficis, vel deficis, quam longè es à Deo, vel quam propè, non interuallis locorum, sed similitudine, aut dissimilitudine morum. Scito, quomodo homo es, cuius conceptio culpa, nasci miseria, viuere pœna, mori necesse. Certum est, quia morieris, sed incertum quomodo, vel quando, vel vbi, quoniam mors vbique te expectat, & tu, si sapiens fueris, vbique eam expectabis*, &c. Ber. de consid. lib. 2. cap 4. *Hac tua consideratio in tria quadam diuiditur, si consideres, quid, quis, & qualis sis. Quid in natura; quis in persona; qualis in moribus*, &c. vide etiam cap. 3. & cap. 5. Abb. bon. Spei. ep. 13. vers. Ne ergo. *Scit autem se ipsum, qui prudenter intelligit, quid & ad quid factus sit, in quo denique sit gradu, vel ordine constitutas, & eidem ordini quis modus viuendi lege obedientia attributus.* Menand. apud Stob. ser. 21. *Nosces te ipsum, si negotia inspexeris tua, & quid faciendum tibi.* Ex Xenoph. apud eundem. *Non ille se ipsum cognoscit, qui nomen suum solum nouit, sed qui se ipsum considerat, qualis nempe sit, quantumque in rebus humanis, aut, iussu earum valeat.* Philelph. in or. consol. ad Iac. Ant. Mart. hæc grauiter dicit. *Quam me delectant duo illa pracepta, quo vocantur Delphica, Cognosce te ipsum, & Ne quid nimis: hoc talia sunt, vt alterum manet ab altero, & inuicem se commutent, nam & qui se nouit, nihil nimis neque cogitat, neque facit: & qui nihil nimis aut dicit, aut vult, se ipsum nouit*, &c. Prælatus noster perfectam habebit sui ipsius cognitionem, si illa quatuor consideret, quæ consideranda proposuit Eugenio Bernar. *lib. 2. de cons. cap. 3.* scilicet. *Te; Qua sub te, Quo supra te.* Primum, *Te*, scilicet, si consideret ortum; & occasum suum. 2. *Quo sub te.* Quòd illius subditi homines sunt, qui voluntatie pro Dei amore illi manus dedere; *Qua circa te*; Quia illum circundant vndique angustæ labores, oculorum myriades ad illius actiones iudicandas. 4. *Qua supra te*; Quia supra se habet Deum, qui illius actiones etiam minutissimas iudicaturus est.

78. Dico 5. cognitio sui acquiritur frequenti meditatione miseriarum humanæ naturæ. Constat ex August. de sp. & in cap. 52. *Redeamus ergo ad nos, vt possimus ascendere ad nos. Tres siquidem ascensus sunt. In 1. ascendimus ab istis exterioribus, & inferioribus ad nos. In 2. ascendimus ad cor altum, quanta namque amplius proficimus, tanto ampliùs ascendimus: qui enim non ascendit, descendit, & qui non proficit, deficit, In 3. ascensa*

ascendimus ad Deum. 1. *ascensus fit consideratione mundi, & contemptu, considerando namque quam caduca, & transitoria sint ista terrena, contemnimus ea, & redimus ad nos.* 2. *ascensus fit cognitione, & contemptu nostri: cum enim cognoscimus, quam proni simus ad malum, & quam invalidi ad bonum, contemnimus, & ascendimus supra nos.* 3. *ascensus fit cognitione, & amore Dei, &c.*

79. Dico 6. ex cognitione sui oriuntur in piorum animis multi affectus, & motus, qui sunt actus humilitatis, & 1. oritur contemptus sui, per quem cognitor sui se quò ad ea, quæ ex se ipso habet, nihil æstimat. 2. reputat se omnibus viliorem, etiam absque falsitate, vt docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 161. *art.* 6. *ad* 1. considerando scilicet in se defectus proprios, & in aliis virtutes proprias, & dona Dei etiam occulta. 3. non cupit ab aliis æstimari, quia in se non recognoscit aliquid æstimatione dignum, sed si quid est, totum recognoscit à Deo, & illi tribuit gloriam. 4. desiderat etiam vilis haberi, & contemptu sui gaudet, & hoc solo superbos est, vt ait Bern. *serm.* 16. *in Cant.* quòd laudes contemnit. 5. dolet, si magni fieri, vel honorati vider. 6. subijcit se velut mancipium Deo, & ab eo se dirigi finit, quò ad sanitatem, mortem, & vitam, &c. 7. de rebus externis, & functionibus, quantum est in se, semper amplectitur, id, quòd est abiectius; sed quia Prælatos, humiliter decorem officij seruat. Beatus, qui se exercet in ista scientia. Beatus Prælatus, qui illi studet. Beati subditi, qui tali Prælato subduntur.

§. IX.

De partibus potentialibus Prudentiæ.

80. PRo isto §. vide D. Thom. 2. 2. *quæst.* 51. Eustach. 3. *part. eth. tract.* 3. *quæst.* 7. *diss.* 2. *sect.* 1. Less. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 3. Val. *tom.* 3. *disp.* 4. *quæst.* 3. *part.* 3.

81. Nota ex D. Thom. *loc. cit. quæst.* 47. *artic.* 8. quòd triplex est munus prudentiæ. 1. est bene consultare, seu inquirere media necessaria ad hoc vt opus fiat honestè, & secundum virtutem. 2. est rectè iudicare, seu ex inuentis mediis diligere, quænam sint aptiora. 3. est rectè imperare, idest præcipere, quòd, quæ inuenta sunt, & iudicata apta ad finem, sollicitè, & diligenter executioni mandentur. Ad consultandum, & iudicandum de mediis, magna eruditione opus est, vnde oportet, vt consiliarij in promptu habeant maximam copiam sententiarum virorum sapientum, & in primis, quæ in Prou. Salomonis, & Ecclesiæ continentur; quia ad omnem prudentiam in omni vita hominem informant. Ad executioni verò mandandum dicta media electa, requirit D. Thom. *quæst.* 47. *artic.* 9. sollicitudinem & diligentiam. Et Arist. 6. *eth. cap.* 9. ait, *Cito agenda esse, quæ consultaueris, tardè verò, ac diu consultandum.* Et Isocr. ad Demon. *Delibera tardè, perfice autem citò, quæ visa sunt.* Et Salust. in procem. Catil. *Priusquam incipias, consulito, vbi consulueris, maturè facti opus est.* Nocuit enim semper tardare paratis.

82. Dicendum est 3. esse partes potentiales prudentiæ, nimirum eubuliam, synesim, & gnomin. Ita D. Thom. *quæst.* 51. ad illam enim tria munera prudentiæ ritè, & rectè præstanda hos tres assignat D. Thom. habitus. Per eubuliam intelligit habitum præbentem facultatem rectè consultandi, seu media facilè inueniendi in rebus dubiis, & perplexis. Per synesim intelligit habitum rectè iudicandi de consultatis, id quæ ex consideratione communium principiorum practicorum, scilicet legum naturalium, & positiuarum. Per gnomin, intelligit habitum rectè iudicandi ex principiis quibusdam altioribus contra tenorem verborum legis, ad mentem tamen legislatoris. v. g. Lex dictat, reddendum esse depositum, si per synesim consultandum sit, depositum reddendum est; si autem depositum esset reddendum patriæ impugnatori, quo fortificaretur ad ciuitatem validiùs impugnandam, puta si depositum essent arma, vel puluis tormentaria, tunc adhibitus ad consultandum prudens per gnomin, iudicabit, iniquum esse depositum reddere, & hoc non per leges communes, quæ contrarium dictant, sed per altiora principia naturalia. Seu per gnomin intelligi potest habitus ad iudicandum de his, quæ non sunt lege aliqua determinata, & tamen in praxi veniunt; vnde oportet, quod tunc prudens per principia rationis ea iudicet. Quam doctrinam etiam docuit Sen. 4. de benef. cap. 9. *Depositum reddere per se res expetenda est, non tamen semper reddam, nec quolibet loco, nec quolibet tempore: aliquando nihil interest, vtrum inficior, an palam reddam, intuebor vtilitatem eius; cui redditurus sum, & nociturum illi depositum negabo,* Vide Burid. 6. eth. tract. 3. capite 4.

§. X.

Dantur quædam monita Prælatis, ex quorum obseruantia resultabit prudens subditorum regimen.

LIber hic totus huiusmodi præceptis plenus est hoc est enim, quod intendimus, bonum, & prudentem formare Prælatum: hic tamen affero quædam generalia monita ad prudentiam pertinentia.

83. Monitum 1. Nullum negotium aggrediendum, nisi omnibus, quæ illud circumstant, diligenter consideratis. *Qui enim festinus est pedibus offendet,* Prou. 19. & Greg. hom. 37. in Euang. *Omne, quod agimus, præuenire per studium considerationis debemus.* Et Plato in Cratyl. propè finem. *Debet quisque circa rei cuiusque principium statuendum differere multa, diligentissimeque considerare, vtrum rectè discernat, nec ne.* & Tac. 8. an. vt aiunt, *Omnes, qui magnarum rerum consilia suscipiunt, æstimare debent, an quod inchoatur Reipublicæ vtile, ipsis gloriosum, aut promptum effectu, aut certè non arduum.* Et notæ sunt illæ illustrium virorum sententiæ. *Festinas lentè*; & dictum Sophocl. *Periculosa est praepropera prudentia.* Et Menand. *Multis malorum causa festinatio est.* Et Liuij, *Omnia non properanti clara, certaque sunt, festinatio improuida, & cæca.* Hoc ab experto accipe, Prælate, Locum ingredere nullum, quin apertus tibi pateat exitus, nec aliquo eas, quin videas, vnde redeas.

84. Monitum 2. Consilium aliquando mutandum, si negotium exigat. Dicitur enim Esther. 16. *nec putare debetis, si diuersa iubeamus, ex animi nostri venire leuitate, sed pro qualitate, & necessitate temporum, vt Reipublicæ poscit vtilitas, ferre sententiam.* Sen. 4. de benef. cap. 34. *Non mutat sapiens consilium, omnibus his manentibus, quæ erant cum sumeret: cæterum ad omnia cum exceptione veniet, si nihil inciderit, quod impediat, &c.* Quare omnino imprudens existimandum est, & procul ab officiis arcendum illud hominum genus, qui quod semel apprehendunt, nunquam dimittunt. Quod si non cogniti dignitatem aliquam nacti fuerint, rogandus Deus, vt optima quæque primò apprehendant, nam si deteriora, nunquam amoueas, & vitam potiùs, quam opinionem deponent. Hos pertinaces, ineruditos, obstinatos, & rusticos vocat Arist. 7. eth. cap. 9. *Ac sunt quidem pertinaces, qui sue sunt sententia homines, & inerudits, & rustici.* Facilitate autem, & flexibilitate nihil est in homine melius, rationi patere, ratione flecti, ratione duci hominis sapientis est. Vnde Sen. epist. 27. *Vis tibi omnia subiicere, subiice te rationi*; Et Gregor. lib. 8. regist. epist. 11.

epist. 12. *Illa Præpositorum sollicitudo vtilis, in qua totum ratio agit.*

85. Monitum 3. Ingruenti necessitati parendum. Eccl. 20. *Homo sapiens tacebit vsque ad tempus.* Et Chrysol. ser. 35. *In desperatis causis est sæpè magistra necessitas, inuenit ipsa sibi passio medicinam.* Arist. 6. eth. cap. 1. *De ijs, quæ non possunt aliter se habere, consultat nemo.* & Sen. ep. 95. *Optimum est pati, quod emendare non possis*, & Q. Curt. lib. 8. *Rationem belli necessitas mutat.* Et Hispani.

Soffre, y calle por lo tiempo, en que me halle.

86. Monitum 4. Non facilè credendum. Est hic neruus, atque artus imperij. Eccl. 19. *Qui citò credit, leuis est corde*, & ibi. *Non omni verbo credas.* Bern. lib. 2. de consid. cap. vlt. *Est vitium, cuius si te immunem sentis, inter omnes, quos noui, ex his, qui cathedras ascenderunt, sedebis solitarius*, &c. *Facilitas credulitatis hæc est, cuius callidissima vulpeculæ magnorum neminem comperi satis cauisse versutias. Inde eis ipsis pro nihilo ira multa, inde innocentium frequens addictio, inde præiudicia in absentes.* Et Ouid. lib. 3. de ar. am.

Nec citò credideris, quantum citò credere lædat,
Exemplum vobis non leue Procris erit.

Et multò minùs credendum inimicis reconciliatis de nouo, iuxta illud Eccl. 12. *Non credas inimico tuo in æternum*, &c. quod intellige de iis, qui ex inimicitia formali amici recenter facti sunt, non de iis, qui ex intimis amicis inimici facti, deinde reconciliati sunt, illa enim inimicitia, seu rixa, est quasi renouatio amicitiæ, iuxta illud Teren. *Amantium ira amoris est redintegratio.* Quare caueat prudens Prælatus, ne facilè credat huiusmodi discordatis; nam, cum concordauerint, postea sibi inuicem referent, quidquid singuli ab eo audierint. Sed curabit Prælatus, vt dicti reconcilientur, sicque illis maximè gratus erit, cum nihil magis desiderent. Vide Menoch. *inst. pol. lib. 2. cap. 31. §. 4.*

87. Monitum 5. Nihil sine consilio faciendum. Eccl. 32. *Fili sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebit.* Et Prou. 1. *Audiens sapiens, sapientior erit.* Et Horat. lib. 3. ode 4. *Vis consilij expers mole ruit sua.* Vide plura hic *supra*, §. 6. *num.* 64. Vide etiam Ribad. *lib. 2. de princ. christ. cap. 24.*

88. Monitum 6. Consilia ab euentu non metienda. *Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ*, dicitur cap. 9. Sap. Et Liu. dec. 3. lib. 2. *Euentus stultorum magister est.* Et Sen. lib. 4. de benef. cap. 33. *Sequimur, quà ratio, non quà veritas trahit*, & Ouid. epist. 2.

Exitus, acta probat, careat successibus opto,
Quisquis ab euentu facta notanda putat.

Et sic prudens Prælatus spernet stultorum nugas, cum aliquid prudenter institutum, malum sortitum fuerit exitum, sunt enim vulgares, & plebei homines illius opinionis, vt ea consilia bona iudicent, etiamsi indiscreta fuerint, quæ bonum successum habuerunt, & è contra ea mala, licèt maximè discreta, quæ malum. De quo conqueritur Plin. lib. 5. ep. ad Ruf. epist. vlt. *Est omninò iniquum, sed vsu receptum, quoad honesta consilia, vel turpia, prout malè, aut prosperè cedunt, ita vel procedunt, vel reprehenduntur. Inde plerumque eadem facta modò libertatis, modò furoris nomen accipiunt.* Et Cic. lib. 9. ad Att. ep. 7. *Nedum hominum humilium, vt nos sumus, sed etiam amplissimorum virorum consilia ex euentu, non ex voluntate à plerisque probari solent.*

89. Monitum 7. A consiliario cauendum, Eccles. 37. *A consiliario serua animam tuam, priùs scito, quæ sit illius necessitas*, idest, Vide, ne cui temerè, re non satis considerata, fidas. Probanda priùs, & experienda fidelitas, tentanda sensim mens eius rebus adhuc integris. Vide quibus indigeat, an interesse ducatur, an consilio tibi dato, proprio, an tuo commodo studeat, nam tum eius verbis standum non est, iuxta illud Greg. lib. 1. regist. ind. 9. ep. 33. *Nullus tibi fidelior esse ad consilium potest, quàm qui non tua, sed te diligit.* Et Arist. 8. eth. cap. 4. *Qui sunt ob vtilitatem amici, hi simul cum vtilitate dissoluuntur, non enim hi sese mutuò, sed vtilitatem amabant.*

90. Et si cupis scire, quas conditiones debeat habere bonus consiliarius, lege Naz. in car. de vir. Iamb. 18.

Nam terna cum sint, vt vetus sensit cohors,
Pollere debet optimus monitor quibus.
Rerum vsus ingens charitas, os liberum.

Seu dic, quòd in primis debet esse senex, quocum creuerit pariter virtus, & ætas. Iob 12. *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia*, & Nazianz. in orat. 1. apol. *Senectus cum prudentia coniuncta, imperita iuuentuti anteponenda est, & consulta tarditas inconsultæ temeritati*, 2. debet esse probus. Prou. 12. *Cogitationes iustorum iudicia, & consilia impiorum fraudulenta.* Et Plato 4. de leg. *Qui se improbis immiscet, necesse est eadem pati, & agere, quæ tales agere, & loqui inter se consueuerunt*, 3. debet esse expertus in ea re, de qua ab eo petitur consilium. Eccles. 38. *Vnusquisque in arte sua sapiens est*, Et Cypr. in prol. ser. de Nat. Dom. *Non facilè de artibus rectè iudicat, qui artes ignorat*, & Art. 8. pol. cap. 6. *Impossibile est, vel certè admodum difficile, vt, qui opera ipsa non tractat, peritè valeat iudicare.*

91. Monitum 8. In quocumque negotio omnia, quæ possunt accidere, mala pensanda. Greg. 13. mor. cap. 8. *Infirmi dum ventura mala prouidere nesciunt, tantò eis grauiora sunt, quantò ab eis inopinato tolerantur, prouidis autem repente aduersa non veniunt.* Ambr. 1. de off. cap. 38. *Nisi explorentur aduersa, citò occupant, vt in bello improuisus hostis vis sustinetur, si & imparatos inuenias, facilè opprimit, ita animum mala inexplorata plus frangunt.* Sen. ep. 95. *Nemo non fortiùs ad id, cui se diu composuerat, accessit, & duris quoque, si præmeditata erant, obstitit*, Cic. philipp. 11. *Magna laus, meoque iudicio omnium maxima (est enim sapientis) quidquid homini accidere potest, id præmeditari.* Et Ter. in adelph. sce. 3. act. 3.

Istuc est sapere, non quod ante pedes modo est
Videre, sed etiam illa, quæ futura sunt, prospicere.

Semper itaque id, quòd deterius est, cogitandum, absit modo præiudicium tertij, & quia minus iacula feriunt, quæ præuidentur, & quia in quæstu est bonum, si quod accidat.

92. Monitum 9. Lingua cohibenda, verba enim Prælati notantur attentè, & circumferuntur velociter, & multam faciunt in animis Subditorum impressionem. Vnde Laur. Iust. in lig. vi. tr. de prud. cap. 4. *Qui moderatur labia sua, prudentissimus est. Diu igitur considerandum est, quid loquendum sit, & adhuc sæpè prouidendum, ne quid dixisse pœniteat*, &c. Nec alio cognoscitur ab imprudente prudens, quàm ab ore, vt idem Laur. ait. *Labia imprudentium stulta narrabunt, verba autem prudentium statera ponderabuntur.* Quod ita verum est, vt, si stultus tacere sciat, prudens iudicetur. Prou. 17. *Stultus quoque, si tacuerit, sapiens reputabitur, & si compresserit labia sua, intelligens.* Et Alciat. embl. 11.

Cum tacet, haud quiquam differt sapientibus amens.
Stultitia est index linguaque voxque sua.

93. Monitum

93. Monitum 10. delatationes non audiendi, Prouet. 4. *Remoue à te os prauum, & detrahentia labia sint procul à te.* Hier. ad Cel. ep. 14. col. 6. *Nihil tam inquietat animum, nihil est, quòd ita mobilem mentem, & leuem faciat, quàm facile totum credere, & obtrectatorum verba temeraria mentis assensu sequi; hinc enim crebra dissensiones, hinc odia iusta nascuntur, hoc est, quòd sæpè de amicissimis etiam inimicos facit, dum concordes quidem, sed credulas animas maligna lingua dissociat.* Ber. lib. 4. de consid. c. 6. *Clandestinas, & susurratas delationes non recipias, & hanc velim generalem tibi constituas regulam, vt omnem, qui palam veretur dicere, quòd in ore locutus est, suspectum habeas. Quòd si, te indicante dicendum coram, ille renuerit, delatorem indices, non accusatorem.* Et Tac. 4. an. *Sunt delatores genus hominum publico exitio repertum, pœnis quidem numquam satis coërcitum.* Per delatorem, intellige, qui falsis delationibus cum aliqua mixtione veritatis Superioris gratiam aucupatur, aures semper illius pulsans, de quibuscumque etiam minutissimis rebus mouens: nam eos, qui zelo charitatis ducti, de malefactis Superiorem monent, vt prouideat, esse audiendos nemo negat, quando id bono communi sit necessarium, cum omnia namque scire conueniat Superiorem, nec possit, vbique enim esse nequit, nisi moneatur, gregis infirmitates ignorans, eis remedium adhibere nequibit. His tamen, quantumuis grauibus, nolo Prælatum plenam adhibere fidem, nec iudicium firmare, sed solùm cautum reddi. Plura pro hoc monito, vide apud Scrib. *in Super. relig. lib. 1. cap.* 20. Menoch. *inst. pol. lib. 2. cap.* 30. Patr. *de relig. lib. 4. tit.* 4. Roseum *in princ. christ. cap.* 22.

94. Monitum 11. Subditorum nimia familiaritas vitanda; parit enim ea contemptum, vt habet tex. *in l. Obseruandum, ff. de off. præsid.* docet Glossa *in cap. Nulla,* 18. *q.* 2. Panor. *in cap. Dilectus, n.* 2. *de pœnis.* Et Apul. de Deo Soc. *Parit conuersatio contemptum, raritas conciliat ipsa rebus admirationem*; continuus enim aspectus minùs verendos homines ipsa societate facit. Et Tac. 1. ann. *Maiestati maior ex longinquo reuerentia.* Non debet itaq; Prælatus se contemni pati, vt dicit dicta *lex Obseruandum*, sed debet habere curam suæ dignitatis conseruandæ: *l.* 1. *ff. de postulat.* & scire, quòd omni familiaritati est dignitas præferenda, vt constat ex exemplis allatis à Val. Max. *lib.* 2. *cap.* 2. *exempl.* 4. vnde omnibus magistratibus secundùm ius potestatis suæ concessum est suam iurisdictionem defendere etiam pœnali iudicio; *l. vn. ff. si quis ius dic. non obtemp.* gloss. *cap. Quod super his; verb. Obedientia, de ma. & ob.* illi igitur grauitate vtendum, idest constantia, quatenus à leuitate contradistinguitur, ita vt non quacumque re leui moueatur ad ridendum, loquendum, murmurandum, currendum. Et de ista *in cap. Tua, de spons.* dicitur, quòd iudices magis mouentur ex grauitate personæ, quàm ex dictis leuioribus; & de hac loquitur Apostolus ad Titum 2. *In omnibus præbe te exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate.* Et de hac loquitur dictus tex. *in l. Obseruandum.* Vide Io. Redin. *de maiest. princ.* §. *Graue.*

95. Monitum 12. Liberalitas in subditos exercenda. Hæc enim amorem conciliat, corda rapit subditorum, defectus, si quos habet Prælatus, extinguit; hæc Prælatum firmat, & securum in statu tuetur: hæc inimicos amicos reddit; inuidos quietat, & seditiosos pacificat: hæc facit, vt Prælatus ametur à subditis, & grauitas, de qua in monito 11. facit, vt timeatur. Atque ita habet hic Prælatus duas regulas, quas si seruauerit, amabitur, & timebitur à subditis. Quod parum non est. De beneficientia, vide quæ dixi hic *supra* §. 3. *à num.* 25. Plura prudentiæ monita, & præcepta vide apud A. Lap. *in cap. 4. epist. Petr. vers.* 7.

§. XI.

Qua debeat vti prudentia Prælatus in ferendis subditorum murmuribus.

96. VIde D. Tho. 2. 2. *q.* 73 *art.* 4. Mald. *de iust. tr.* 7. *c.* 1. *dub.* 15. Val. *to.* 3. *disp.* 5. *q.* 17. *p.* 4. Salon 2. 2. *q.* 73. *art.* 4. Mol. *to.* 5. *tract.* 4. *de iust. disp.* 34. *num* 4. & 5. Rom. *sing.* 678. P. Nau. *lib.* 2. *de rest. c.* 4 *n.* 337. Nald. *in sum. verb. Superior num.* 18. Less. *lib.* 2. *de iust. c* 11. *dub* 23. Sot. *lib.* 5. *de iust. q.* 10. *art.* 4. Nau. *in sum. cap.* 18. *num.* 37. Trull. *in eluc. sui Ord. lib.* 2. *cap.* 34. Ammir. in Tac. *lib.* 3. *disc.* 7. Sart. *in ciue Reip. reg. consider.* 129. Bus. *in pan. verb. Detractio,* Menoch. *inst. pol. lib.* 2. *cap.* 19. §. 4. Scrib. *in Sup. relig. lib.* 1. *c.* 12. & *cap.* 21. De subditorum murmuribus satis dixi *tom.* 1. *huius op. q.* 1. *cap.* 28. *à* §. 1. Nunc agendum, quomodo debeat ea tolerare Prælatus.

97. Dico 1. maximæ prudentiæ signum est, si Prælatus patienter ferat subditorum murmurationes, easque studiosè ignoret, & spernat. Prob. 1. ex Scrip. Eccl. 28. *Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis.* Et Ps. 111. dicitur de iusto, quòd *Ab auditione mala non timebit.* Et Christus *Matth.* 15. flocci fecit murmurationes Iudæorum, dicens, *Sinite illos cæci sunt, & duces cæcorum.* Et Matth. 5. *Beati estis, cum maledixerint vobis,* &c. Et Lucæ 6. *Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos.* Et 1. Cor. 4. *Maledicimur, & benedicimus, blasphemamur, & obsecramus.* Et 2. Cor. 6. *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam.*

98. 2. ex PP. Greg. hom. 9. in Ezech. *Cum linguæ derogantium corrigi nequeunt, æquanimiter sunt per omnia toleranda nec obtrectationis sermo timendus est, ne, dum vituperatio peruersorum metuitur, via recti operis deseratur.* Ber. *ser.* 25. *in Cant.* explicans illud. *Nigra sum, sed formosa,* & laudans sponsam, quod exprobrantibus suam nigredinem, non sit succensa, sed eos patienter tulerit, ait, *Omnibus quidem optanda est ista perfectio; propriè autem optimorum forma est Prælatorum.* Et Nicol. Papa I. ep. ad Mich. Imp. vt refert Cresp. in sum. verb. Iniuria hil. an. *Et quidem nos iniurias nobis specialiter irrogatas, maximè pro iustitia laborantibus, & à iustitia impugnatoribus ingestas libenter ferimus: discipuli enim sumus illius, de quo Apostolorum Princeps ait. Qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabitur.*

99. 3. Ex Gentilibus, Suet. in Tib. c. 28. *Aduersùs conuitia, malosque rumores, & famosa de se, ac suis carmina, firmus, ac patiens; subinde iactabat, in ciuitate libera linguam, mentemque liberas esse debere.* Sen. 3. de ira, c. 23. *Contumeliarum patientia ingens instrumentum est ad tutelam regni.* Quo etiam c. & præced. exemplis Antigoni, Philippi Macedonis, & August. docet iniurias ferre. Et 2. de clem. c. 20. *Magni animi est, iniurias in summa potentia pati, nec quidquam est gloriosius Principe impunè læso.* Tac. 4. ann. *Conuitia, si irascare, agnita videntur, spreta exolescunt.* Et Philem. apud Stob. ser. 19. *Nihil est iucundius, & docto viro dignius, quam ferre posse conuitiantem, quoniam si ille, cui conuitium fit, dissimulauerit, in ipsum auctorem redundat.*

100. Sed qui fiet, vt delatas mihi iniustas detractiones feram, dicet aliquis, cum his iam naturaliter succenseat animus? quomodò spernam, cum possim vindicare cum mei maximo solatio, & in futurum securitate, quòd talibus non impetat? Punctus verè difficilis; Res ardua. Durum negotium, parum practicatum. Sed 4. accipe modos, quibus demulctus, conuitia

feres,

fetes, & spernes. 1. est, Si recordetis, te aliquando etiam alios consimilibus conuitiis affecisse, iuxta illud Eccl.7. *Sed & cunctis sermonibus, qui dicuntur, ne accommodes cor tuum, ne fortè audias seruum tuum, maledicentem tibi; scit enim conscientia tua, quia, & tu crebrò male dixisti aliis.* 2. Si considetes, in te teperiri maiora fortè mala, quàm illa, quæ tibi per calumniam imputantur. Vnde insignis ille Stoïcus Epictet. in enchir. c.44. ait. *Si quis de te deferat, ille de te maledicit, ne excusa quæ dicuntur, sed responde, ignorat ille, & alia, quæ mihi adsunt mala, alioquin non sola hoc diceret,* 3. Si considetes, opinionem esse vulgi, putare iniuriam esse, quando aliquis tibi maledicit. Quod idem Stoicus docet ca. 26. *Memento, non qui conuitiatur, iniuriam facere, sed opinionem de hoc veluti iniuriam facere. Cum te igitur quisque irritat, tua te opinione scito irritari,* 4. modum docuit Sen. lib. 3. de ira, cap. 24. *Ignouerunt multi hostibus, ego non ignoscam pigris, negligentibus, garrulis? Puerum ætas excuset, fœminam sexus, extraneum libertas, domesticum familiaritas. Nunc primum offendit? cogitemus quandiu placuerit. Sæpè, & aliàs offendit? feramus, quod diu tulimus. Amicus est? fecit quod noluit. Inimicus est? fecit, quod debuit. Prudentiori credamus, stultiori remittamus.* Adde etiam 5. modum; Nam vel verum est, vel falsum, quod dicitur: si verum, irasci non debes, quòd dicatur, sed quòd feceris, vndè in pœnam patienter ferendum. Occultum erat, propalauit; ô stulte nondum sciebas, quòd omnis homo mendax, & ideò nemini fidendum? Lue ergo tuæ iustitiæ pœnas. Si falsum est, quòd dicitur, ride, gaudens in serenitate tuæ conscientiæ. Quod tibi persuadet ius canonicum *cap. Sunt, cap. in cunctis, cum 3. sequ. 11. q. 3. & cap. Non vos. 2. q. 5.* in quibus cap. concluditur, quòd parum æstimandæ sunt murmurationes externæ, cum conscientia intùs non accusat.

101. Dico nihilominus 2. Prælatum audientem sibi detrahi in re graui, ex qua per malum exemplum subditi scandalizati, occasionem peccandi sumunt, non posse dictas detractiones, ex quibus deperditur illius fama, negligere, sed teneri sub mortali suam famam defendere. Ita D.Th. 2. 2. *q. 73. ar. 4. ad* 1. vbi ait. *Possunt tamen ad notitiam alicuius detractiones contra ipsum factæ, aliorum relationibus peruenire, & tunc sui arbitrij est, detrimentum suæ famæ pati; nisi hoc vergat in periculum aliorum.* Thrith. *grad.* 4. *homil. in cap.* 7. *reg. S. Bened.* quibus huius rei duas affert rationes, 1. vt audacia obloquentis reprimatur, 2. ne bonum audientis impediatur. Sotus *lib. 5. de inst. q.* 10 *ar. 2. sub assert.* 1. Val. *to. 3. disp. 5. q. 16. p. 3.* Mol. *to. 5. tr. 4. de inst. disp. 37. n. 6.* P. Nau. *lib. 2. de rest. cap. 4. n. 123.* Salon. 2. 2. *q. 73. ar. 1. contr. 3.* Less. *lib. 2 de inst. cap. 11. dub. 6. n. 31.* & habetur *in quodam tract. de honore à Relig. tuen.* qui est annexus Spec. rel. g. Humber. Probatur ex Script. Eccl. 41. *Curam habe de bono nomine*: & *Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ,* Prou. 22. Tum ex D. Greg. hom. 9. in Ezech. *Hi, quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentium sibi verba compescere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, & ita in prauis moribus remanentibus, bene viuere contemnant.* Tum ex iure can. cap. Non sunt audiendi, 11. q. 3. Tum ex Plau. In Must. *Et bonam famam mihi seruabo, sat diues ero.* Et Phileph. in Satyr.

Omnia si perdas, famam seruare memento,
Qua semel amissa, postea nullus eris.

Tum ratione; quia famam suam habet obstrictam regendis subditis, quibus dedecus est ex infamia Prælati. Denique Bald. *in l. 1. Cod. de confessis, num. 9.* ait, quòd *Bona fama est thesaurus hominis inæstimabilis, & iucundus, & sicut lilium dat suauitatem odoris.* Vnde sequitur, quod peccaret Prælatus remittens suis detractoribus restitutionem famæ, vt aduertit Mol. *loc. cit.* illi tamen non amplius tenentur restituere: quia fama verè Prælati est, licèt sit obstricta subditis. Addit etiam Mol. quòd, si Prælatus ex hac infamatione redderetur non idoneus suo muneri obeundo, teneretur Prælatiæ renuntiare, vel posset à Superioribus ea priuari. Puto tamen, quòd, si detractio solùm sit inter fratres, & non sit periculum, ne subditi inde occasionem peccandi sumant, possit Prælatus detractionem spernere, iuxta 1. conclusionem: quia fratres plus, minusuè se cognoscunt, & istæ murmurationes ex otiositate, & ventris plenitudine, atque calore vindictæ ob aliquam receptam correptionem proueniunt. Vnde multi sancti eas spreuerunt, vt dicam *infra, cap. 5. § 4. n. 52.*

102. Dico 3. Potest Prælatus punire iniuriam sibi vt Prælato illatam, vel per detractionem, vel aliàs, si detractio sit publica, & ipse sit communiter existimatus vir probus, & prudens, & non zelo vindictæ procedat, sed ad emendationem peccantis, vel eius cohibitionem, & quietem aliorum, & ad iustitiæ conseruationem, & Dei honorem. Ista conclusio habet 3. partes, Prima pars, quòd iniuria debet esse illata Prælato, vt Prælato est, Graff. 2. *p. decis. lib. 3. cap. 4. num. 6.* Gloss. *in cap. Si quis ab Episcopo, 2. q. 7.* Aldr. *de discip. relig. l. 2. c. 17. § 2. num. 15.* Abb. *in cap. Dilectus, n. 3. de pœnis.* Probatur *ex dicto c. Si quis; & cap. Romana, de pœnis in 6. cap. Guilisardus, 33. q. 3.* Iniuria autem dicitur illata Prælato, vt Prælato, quando illi non fuisset illata, si Prælatus non fuisset, vt declarat Graff. 1. *p. decis. lib. 2 c. 49. num. 55.* atq; ita iniuria infertur officio, non personæ, vt v.g. si quis dicat, Ad despectum Prouincialis hoc faciam; Prouincialis est latro, simoniacus, &c. iniuria censetur illata Prouinciali, vt sic. Si verò dicat, iste Prouincialis est filius rustici, literis non studuit, iniuria non est illata Officio, & sic eam punire non potest.

103. 2. Pars, quòd dicta detractio debet esse publica, est eorundem DD. Abb. Aldr. Graff. 1. *p. decis. cit. n. 4.* Iul. Clar. *in praxi crim. lib. 5. § fin. q. 55. n. 26.* Et constat *ex dicto cap. Romana,* vbi Glossa marg. habet, quòd secundum Host. & Arch. posset etiam Prælatus punire, si detractio est occulta, modò posset sufficienter probari.

104. 3. Pars, quòd debeat Prælatus esse communiter existimatus bonus, ita; vt non possit esse suspicio, quod zelo vindictæ puniat, &c. est D. Th. 2. 2. *q.* 108. *art.* 1. *corp. & ad* 4. Arag. 2. 2. *q. 72. ar. 3.* vbi ait, quod contumeliæ illatæ Prælatis vergunt in iniuriam Dei, & Ecclesiæ, & ideò possunt per ipsosmet Prælatos iniuriatos puniri. Est etiam Tiraq; *de pœnis temp. causa 51. num. 6.* vbi quamplurimos citat. Docet etiam Graff. *loc. cit.* sed solùm extra iudicium. Quam tamen limitationem non admitto; si enim Prælatus est talis qualitatis, vt non possit quis suspicari, quòd zelo vindictę sit punitutus reum, non est cur dicamus, eum non posse dictum reum iudicialiter punire; si autem non existimatur bonus, imò quòd debeat se vindicare, iam non potest punire, neque iudicialiter, neque extra; quòd si tentet, poterit vt suspectus recusari.

105. Sed quæres, an Prælatus possit punire subditum, qui non animo confitendi sua crimina, sed animo illi metum incutiendi, ad eum accedit fictæ confessionis causa; & cum ante illum est, facto signo crucis, querimonias, & iniurias in ipsum iactat, minaturque ei mortem, & percussionem dicendo. Nisi à me persequendo absistas, iuro te à me occidendum. Respondeo posse Prelatum hoc casu absque periculo frangendi confessionis sigillum, hoc factum propalare, & ea notitia vti in foro externo ad dictum subditum puniendum eo ipso modo, quo illum posset punire, si extra illum actum fictæ confessionis dicta verba in eum effudisset: hæc enim confessio non est, sed sacrilega inuentio. Ita Graff. 1. *p.*

decis.

decis. cap. 23. *n.* 18. *vers. Quod nota*; Fagund. *in* 2. *precept. Eccl. lib* 6. *c.*4. *n.*22.

106. Sed quamuis dicta procedant, vt dixi, quia tamen tantus est amor sui, vt quisque, etiam sanctissimus, cæcutiat in propriis, vt probat Tiraq. *de pæn. temp. causa* 51. *à n.* 82. consulendum est Prælatis regularibus, vt in dictis casibus causam remittant, vel Superiori suo, vel etiam ipsi committant suis Collegis, vel aliis iudicibus, etiam inferioribus, exemplo Christi, qui sponte se humano iudicio subdidit. Quod docet D. Th. 2. 2. *q.*67. *ar.* 1. *ad* 2. sic enim vitabunt, & nouas murmurationes, & occasionem vindictæ; vnde Ar. 3. *pol. cap.*6. ait, quod: *Qui de seipsis iudicant, vt plurimum non recti sunt iudices*: & ait ibi D. Th. quòd id prouenit ex nimia affectione, quàm homo habet ad se ipsum, quæ iudicium peruertit rationis. Vnde 2. 2. *q.*64. *art.*5. *ad* 2. ait, quòd nemo est iudex sui ipsius, & nemo iudex esse potest in causa propria; *l. Qui iurisdictioni, ff. de iurisd. omn. iud.* Plura huiusmodi, vide apud Scac. *de iud. c.* 1. *gloss.*4. *q.*7. *à n.*2.

107. Dico 4. Prælatus audiens aliquem detrahentem subdito suo, & non resistens, peccat mortaliter. Ita D. Th. 2. 2. *q.*73. *art.*4. *corp.* vbi Arag. Sot. *lib.* 5. *de iust. q.*10. *ar.*4. Sal. ad locum D. Tho. *tit. An Prælatus audiens, concl.* 2. Mol. *to.*5. *de iust. tr.*4. *disp.*34. *n.*5. Val. *tom.*3. *disp.*5. *q.*17. *p.*4. *vers. Secundo notandum*, P. Nau. *lib.*2. *de rest. cap.*4. *num.*337. Nald. *vers. Superior, num.*18. Mald. 2. 2. *tr.*7. *de suff. cap.*1. *dub.* 15. Constat tum *ex c.* 1. *ep. ad Rom.* vbi Paulus ait, quòd *Susurrones, & detractores digni sunt morte, & non solum, qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Tum ex PP. Ber. lib. 3. de consid. cap. 13. *Porro detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixerim*, & ser. 17. de mo. bene viu. *Qui detrahit, & qui detrahentem libenter audit, vterque peccat.* Chrys. hom. 3. ad pop. de detract. col. 6. to. 5. *Non solos autem maledicentes, sed, & aliis detrahi audientes, admoneo aures obstruere.* Hier. ad Neop. *Caue, ne aut linguam habeas, aut aures prurientes, ne aut ipse aliis detrahas, aut alios detrahentes audias.* Et in prouerbio dicitur, quòd Malæ aures faciunt malas linguas. Tum quia non obstans damno proximi, ad quòd tenetur ex officio, vt Prætor non resistens latroni furanti bona sui ciuis, peccat contra charitatem, & contra iustitiam, & tenetur restituere. Sed Prælatus tenetur ex officio curare bona temporalia, & spiritualia suorum subditorum, vt dictum est sup. Ergo, cum fama sit excellentissimum omnium bonorum temporalium, maximè necessarium ad conseruationem, & augmentum bonorum spiritualium, cum fama, amissa, protimpant homines facillimè in quæcumq; flagitia, ex debito iustitiæ tenebitur eam suo subdito defensare; & consequenter non defensans in re graui, mortaliter peccabit, & tenebitur restituere detracto famam, in casu, quo ipse detrahens non restitueret; qui enim vult finem, consequenter vult media non tam necessaria, quàm vtilia ad illum. Si ergo Prælatus vult salutem spiritualem subditi, consequenter debet velle illius famam, sine qua vix illam consequitur, vel cum qua faciliùs consequitur. Atque ita docent omnes DD. cit. præter Sot. & Mald. *c.* 2. *dub.* 2.

108. Dico 5. Tenetur Prælatus sub mortali, instante illo, cui ab alio detractum est, compellere detrahentem, vt detracto famam restituat. Ita Mol. *loc. cit.* Less. *loc. cit. n.*122. Constat, tum quia Superior tenetur ex officio iustitiam ministrare suis subditis, vt multis probant P. Gregor. *lib.* 6. *de rep. c.* 6. & Pen. *in l. Neminem, de suscept. & Archar. Cod. lib.* 10. Vnde Cic. lib. 2. de off. *Mihi quidem non apud Medos solum, vt ait Herodotus, sed apud maiores nostros iustitia fruendæ causa videntur olim bene morati Reges constitui.* Tum quia tenetur procurare bonum spirituale illorum; at quandiu detrahens non restituit, est in malo statu, ergo tenetur Prælatus illum ab eo liberare. Tum quia tenetur compellere furem, vt restituat, ergo multò magis famam, cum deteriores sint, qui famam nostram, quàm qui bona nostra tollunt; *cap. Deteriores*, 6. *q.* 1. Quòd si non faciat, tenetur ipse restituere, & dicunt Less. & Mol. *loc. cit.* quia tunc censetur causa moralis damni. Circa modum in Ordine nostro, vide *cap. Val.* 1. *n.* 6. Et notent Prælati documentum Soti *lib.* 5. *de iust q.*10. nimirum esse maximè necessarium ad pacem, & salutem religionis, vt Prælati detractoribus, vbique obuiam eant.

109. Ex his collige differentiam, quæ est inter famam, & alia bona temporalia. Nam Prælatus potest, inuito subdito, remittere restitutionem bonorum temporalium, ipsi sublatorum, quia dicta bona sunt subiecta illius dispositioni. At verò famam, inuito infamato, remittere non potest; quia subditus eam à se per professionem non abdicauit, sed sibi retinuit, sicut alia omnia dona, & Bona naturalia, vt dixi *to.* 1. *huius op. q.* 1. *cap.* 13. Licet contradicant P. Nau. *lib.* 2. *de rest. cap.*4. *n.* 392. Sayr. *in clau. reg. lib.* 11. *cap.*7. *n.*15. Portel. *in add. ad dub reg. verb. Religiosus, n.*2. existimantes, Prælatum infamiam remittere posse, etiam subdito non remittente. Sed vel audiendi non sunt, vel intelligendi, quòd possit Prælatus remittere subdito non contradicente, & quando id bono communi expedire Prælatus prudens iudicauerit. Nec est semper verum, quòd magis honoretur Religiosus ratione Religionis, quàm personæ; vnde licet pro ea parte, quæ Religionem tangit, possit Prælatus, cum expedire iudicauerit, remissionem facere; pro ea tamen, quæ Religiosum, nequit, ipso omnino contradicente, sed consulendum est subditis, vt voluntatem suam voluntati Prælati accommodent, præsertim si cum sæcularibus agendum sit. Videatur Less. 2. *de iust. c.* 11. *dub.* 24. n. 124. & 129.

110. Dico 6. Prælatus audiens subditum suum detrahentem alteri extraneo, peccat mortaliter contra charitatem, & iustitiam, & tenetur detractorem compellere ad restituendam famam detracto; Quòd si detractor non restituat, ipse restituere tenetur. Ita Sal. 2. 2. *q.*73. *art.*4. *tit. An Prælatus audiens, concl.* 2. Nald. *in sum. verb. Superior, n.*18. Mol. *tom.*5. *de iust. tract.*4. *disp.*34. *num.*5. licèt in hoc agnoscat peccatum mortale contra charitatem, non tamen agnoscit peccatum contra iustitiam, nec consequenter obligationem restituendi, si detrahens non restituat. Constat tamen conclusio. Tum quia tenetur Prælatus ex officio, & iustitia obstare, ne sibi subditi aliis noceant, ergo, si non obstat, est causa moralis damni, & consequenter resarcire tenetur. Sicut Prætor videns subditum suum furari aliquid ab extraneo, si cum impedire possit, non impedit, restituere tenetur. Tum quia iudex tenetur in territorio suo vnumquemque indemnem seruare. Tum quia omninò idem puto detrahere, & detrahentem cum gustu audire, iuxta illud S. Procli ep. 3. *Secundùm veram rationem non prohibere flagitia, agenti cognatum est.*

111. Sed quid in aliqua Religione est imposita detractoribus pœna excommunicationis ipso facto, audientes incurrent-ne? Negat P. Nau. *lib.* 2. *de rest. c.*4. *n.* 339. quia est pœna, quę non extenditur. Et nota etiam, quòd licet detractor non animo detrahendi detrahat, & ita protestetur, nihilominus tamen si in facto detrahat in re graui, mortaliter peccat, & restituere tenetur, vt ait dictus P. Nauar. *loc. cit.* & constat *ex c. Cui negligunt* 24. *qu.* 3. & quia restitutio attenditur ex damno dato, non ex intentione.

112. Dico 7. Illæ excusationes, quæ excusant subditos à mortali, si quandoque detrahenti non resistāt, puta timor, verecūdia, negligentia, dubium non proficiendi, non habent locum in Prælato. Ita D. Th 2. 2. *q.*73. *art.* 4 *corp.* Nald. *in sum. loc. cit.* quia nec timere, nec verecundari, nec negligere debet facere officium suum, nec etiam est periculum non proficiendi, cum vim

coërciuam habeat. Nec etiam potest Prælatus excusari à mortali ex eo, quod illum excusat Mol. *loc. cit.* nimirum adeò esset collapsa disciplina regularis in aliquo monasterio, vt meritò dubitaret Prælatus nihil proficere, si se detractoribus opponeret, immò inde esse secutura maiora mala. Quia hic casus, meo iudicio, est metaphysicus, ibi enim non esset Religio, sed confusio. Si tamen detur, posset excusari.

§. XII.

Quomodò peccatur contra Prudentiam.

Vide D. Thom. 2.2.*q.* 53.54.*&* 55. Less. *lib.* 2. *c.* 2. *tom.* 3. *disput.* 4. *quæst.* 5. Iauell. *tom.* 2. *part.* 2. *phil. christ. tract.* 4. *cap.* 5.

113. Dico 1. Duobus modis peccatur contra prudentiam, per defectum, & per excessum. Ita D. Thom. *q.* 53. Prob. quia omnis virtus consistit in medio, medium autem habet extrema, parum, & nimium, quæ semper vitiosa sunt. Vnde Ber. 3. de consid. c. 10. *In te consisto, non infra deiici, non attolli supra, non euadere in longius, non extendi in latius; tene medium, si non vis perdere modum: locus medius tutus est: medii sedes modi, & modus virtus, omnem extra modum mansionem sapiens exilium reputat.*

114. Dico 2. per defectum contra prudentiam peccatur quadrupliciter. Præcipitatione, inconsideratione, inconstantia, & negligentia, quæ comprehenduntur sub vnica ratione imprudentiæ. Ita D. Th. *loco cit. q.* 53. *art.* 2. Præcipitatio est impetuosus motus voluntatis, aut appetitus sensitiui, imperantis homini, quòd opus propositum aggrediatur, omisso consilio, & iudicio de mediis, est autem duplex. 1. si quis opus aggrediatur, nulla habita consideratione, vel discursu, & dicitur simpliciter præcipitatio. 2. quando licèt alicui proponatur medium, secundùm quod debet operari, ipse tamen spernit, & facit contrarium, & dicitur præcipitatio cum contemptu, & temeraria. Quam doctrinam monet esse aduertendam Caiet. 2. 2. *q.* 53. *art.* 3. ad sciendum, quando incurratur pœna alicuius legis, seu canonis, decreta in facientes aliquid temerè; non enim eam incurrunt facientes quomodocumque præcipitanter, sed solùm facientes temerè ex contemptu; quia, scilicet, licèt habeant notitiam talis præcepti, illud tamen nolunt obseruare. Aduertit etiam Sylues. *verbo Temeritas*, quem sequitur Val. *loco cit. part.* 1. *col.* 1. eos etiam censeri temerè facere, & incurrere talem pœnam, qui scienter sub prætextu aliquo fraudulento exercent actum à iure prohibitum, quod constat *ex cap. Per venerabilem*, §. *Videbatur*, *Qui filij sint legit.*

115. Inconsideratio est defectus recti iudicij intellectus de re agenda, & modo agendi, prouenìens ex eo, quòd quis negligit, aut contemnit ea obseruare, ex quibus rectum iudicium procedere potest. Ita D. Thom. *quæst.* 53. *art.* 4.

116. Inconstantia est recessus à priori bono proposito rectè consiliato, ac rectè rationis iudicio determinato, incipiens à virtute appetitiua, & cōsummatus per rationis defectum repudiantis bonum, quod priùs approbauerat, & iudicauerat agendum. Ita D. Thom. *art.* 5.

117. Negligentia est in proposito rationis tarditas inefficaciter imperando eo, quod est iam bene consultatum, & iudicatum D. Th. *q.* 54. *art.* 1. *&* 2. quæ negligentia vitanda prudenti omnino est. Nam ait Sen. epist. 1. *Turpissima iactura est, quæ per negligentiam fit. Et, si volueris attendere, magna pars vitæ elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.*

118. Circa hæc aduerte cum Less. *loc. cit. num.* 29. quòd præcipitatio, & inconsideratio non sunt peccatum mortale, nisi ratione periculi alicuius peccati mortiferi, cui se homo exponit præcipitanter, vel inconsideratè iudicando, vel agendo. Inconstantia nunquam est peccatum mortale, nisi quis ex voto, vel præcepto teneatur persistere in sententia, vel ob aliquam causam extrinsecam, vt ad vitandum scandalū. Negligentia non est peccatum mortale, nisi negligas id, ad quod sub mortali teneris, vel ita sis animo remisso ad ea, quæ salutis sunt, vt euidenti periculo aliquid tale negligendi te exponas.

119. Dico 3. Per excessum peccatur contra prudentiam sex modis, scilicet prudentia carnis, astutia, dolo, fraude, sollicitudine temporalium, & sollicitudine futurorum. Ita D. Th. 2. 2. *q.* 55. Prudentia carnis est machinatio rationis solers, accommodata ad consequendum aliquem finem, conformem deprauato appetitui carnali. Ita D. Thom. *loco cit. art.* 1. quem finem si sibi quis proponat vt simpliciter vltimum, huiusmodi prudentia erit peccatum mortale. Et de hac dicitur ad Rom. 8. *Prudentia carnis inimica est Deo.* Alias erit veniale.

120. Astutia est cogitatio mediorum, quæ ad finem aliquem, seu bonum, seu malum consequendum sint ita idonea, vt videantur quidem verè bona, sed re vera falsa sint, & simulata. Ita D. Thom. *art.* 3. *&* 4. Est autem peccatum mortale, vel veniale pro ratione falsorum, & simulatorum mediorum, quæ astutè ad finem aliquem ordinantur. Vide plura de astutia apud Contz. *lib.* 3. *pol. c.* 4. *&* §. 5. Dolus est quædam executio astutiæ, siue verbis, siue factis, D. Thom. *art.* 4. *&* 5. Et fraus est etiam executio astutiæ, sed determinata per facta D. Th. *ar.* 5. & maximè dedecet Prælatum, iuxta illud Thucyd. lib. 4. *Fraus cum omnibus fœda est, tum verò iis, qui maiori sunt dignitate prediti, fœdior est, quàm aperta violentia.* Sunt autem fraus, & dolus peccatum mortale, vel veniale pro ratione materiæ, vt ait Caiet. *in sum. verb. Fraus*: Val. *tom.* 3. *disp.* 4. *q.* 5. *part.* 2. *col.* 2. *vers. Fraus.*

121. Sollicitudo temporalium est studium immoderatum circa res temporales, vel acquirendas, vel conseruandas, prouenìens ex inordinato habendi amore, vel amittendi timore. Ita D. Thom. *artic.* 6. Sollicitudo futurorum est nimia occupatio circa futura intempestiua, maximè vt vitæ necessaria habeantur, coniuncta cum anxietate, & parua fiducia diuinæ prouidentiæ, vt cum quis plus, quàm par est, est sollicitus de victu, & vestitu, & aliis rebus necessariis in futurum annum, mensem, vel diem. Ita D. Th. *art.* 7. Istæ autem sollicitudines sunt peccatum mortale, quando constituitur vltimus finis in rebus temporalibus, & illis plus fiditur, quàm prouidentiæ diuinæ, & etiam quando propter temporalia violatur de facto vel in animi præparatione aliquod præceptum omissionis, vel commissionis; alias solum sunt peccatum veniale. Ita Less. *loc. cit. num.* 31. Val. *loco cit. verb. Sollicitudo.*

122. Vitandæ ergo sunt Prælatis regularibus immoderatæ sollicitudines, cum ortum habeant ex auaritia, vt ait D. Thom. art. 8. & auaritia, 1. ad Tim. 6. est *radix omnium malorum.* Et Christus has sollicitudines acriter damnat Mat. 6. *Nolite esse solliciti, dicentes. Quid manducabimus, &c. scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Et nolite solliciti esse in crastinum, crastinus enim dies sollicitus erit sibi: sufficit diei malitia sua.* Vnde ego esse in malo statu iudico eos Prælatos, qui plus ista temporalia, quam spiritualia, curant; & in pessimo, qui nihil spiritualia, & plurimum temporalia, etiamsi tēmporalia in vtilitatem monasteriorum conuertant. Et quid dicemus de pudenda illa cupiditate, qua premuntur quidam Superiores, qui fratres suos extra conuentus mittunt, quo vadant, non curantes, modo extra conuentus comedant? Et qui ad aduentum hospitis tremunt, mussitant, murmurant, frontem caperant, tristico, & toruo illum recipientes aspectu, & si possunt, ad cauponam mittunt? Quiq; omnes suos fratres ad quæstuandum ire iubent; & nunquam rident, nisi cum aliquid in penu intruditur, & semper mœrent, cum ex eo aliquid extrahitur, etiam necessarium pro fratrum sustentatione, atque ita quando accipiunt,

accipiunt, gaudent; quando reddunt, plorant? Quique fratribus infirmis etiam necessaria denegant, vt muros monasteriorum extollant? Hi, inquam, sunt in malo statu, tum propter nimiam rerum temporalium cupiditatem. Tum quia sunt causa multarum murmurationum, & maledictionum, quas maledictiones exaudit, quandoque Dominus, iuxta illud Eccl. 4. *Maledicentis tibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius.* Tum quia inde proueniunt peculia, proprietates, vagationes, non attenditur vitæ spirituali, immò hæc maximè relaxatur; ait enim Greg. lib. 2. regist. ind. 11. ep. 17. *Necessitatis occasio, aut desides facit, aut robur Religionis infringit.* Et semper ego existimaui, duo maximè Religiones destruere. Superiorum auaritiam, & subditorum ambitionem. Sed 1. fouet, auget, gignit istud secundum.

123. Aduerte tamen, quòd tempestiua, & moderata cura temporalium, & futurorum non est prohibita, sed commendata, Prou. 6. *Vade ad formicam, ò piger, & considera vias tuas, & disce sapientiam, quia, cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat.* Et Prou. 10. *Qui congregat in messe, filius sapiens est; qui autem stertit æstate, filius confusionis.* Et aduerte etiam, quòd permittit aliquando Deus, aliquos Superiores impensius temporalibus rebus attendere, vt cæteri quietiùs spiritualibus vacent. Quòd monuit Greg. 25. mor. c. 16. *Quia potestas regiminis ministrari non potest sine studio curæ temporalis, aliquando omnipotens Deus mira dispensatione pietatis, vt tenere spiritualium mentes à terrena curæ disiuncta sint, onus regiminis duris, ac laboriosis cordibus iniungit, vt tantò illa ab hoc mundo securiùs lateant, quantò hæ in terrenis sollicitudinibus valenter elaborant.* Potest tamen Prælatus manum temporalibus stringere soluenda monasterij debita; & tunc æquum est, vt omnes patientiam habeant, mandat enim sic iustitia.

§. XIII.

De iustitia Prælatis regularibus necessaria.

124. VIde Arist. 5. *eth. à c. 1.* Lact. *lib. 5. inst. c. 5.* D. Thom. 2. 2. q. 67. Less. *toto lib. 2. de iust.* Val. *tom. 3. disp. 5.* Iauell. *tom. 2. p. 2. phil. christ. tract. 5.* Ant. Carm *ser. 11.* Stob. *ser. 9.* Perald. *in sum vir. tom. 1. p. 3. princ. tract. 5.* Eustach. *in eth. p. 3. tract. 3. sect. 2. disp. 2.* Ægid. *lib. 1. de reg. part. 2. cap. 10.* Patr. *de reg. lib. 8. à tit. 1.* Sarr. *In ciue Reip. reg. à consid.* 30. Ribald. *de Princ. christ. lib. 2. cap. 5.* Io. Tot. 1. *part. phil mor. princ. lib. 7. à cap. 1.* F. Tor. *phil. mor. Eccl. lib. 3. c. 25. 26.* P. Greg. *lib. 10. de rep. cap. 2.* Bell. *de princ. christ. lib. 1. c. 9.* Menoch. *inst. pol. lib. 2. cap. 9.* Scrib. *in Sup. relig. lib. 1. cap. 15. & in pol. christ. lib. 2. cap. 9.* Contz. *lib. 3. pol. c. 6.* Lips. *lib. 2. ciu. doct. cap. 10.*

125. Dicendum est, iustitiam, quæ nihil est aliud, iuxta D. Thom. 2. 2. q. 58. *art. 1. & l. Iustitia ff. d. inst. & iur.* quàm Constans, & perpetua voluntas tribuendi vnicuique, quòd suum est, esse Prælatis regul. simpliciter necessariam. Ita Bell. *loc. cit.* Ægid. *loc. cit. c. 11. & 12.* Sarr. *consid.* 30. & alij communiter Constat 1. ex Scrip. Prou. 16. *Iustitia firmatur solium*, & cap. 20. *Misericordia, & veritas*, idest iustitia, *custodiunt Regem, & roboratur iustitia* (iuxta 70.) *thronus eius* Eccl. 10. *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos.* Sap. 1. *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram.* Psal. 98. *Honor Regis iudicium diligit*, idest honorabilem hoc Regem reddit, quòd iustitiam diligit, explicat Basil. & Pro. 16. *Iniustum via bona facere Iustitiam.*

126. 2. Constat ex PP. Aug. 2. de ciu. c. 21. ait, *Rempublicam Regi, aut stare non posse sine Iustitia.* & l. 5. c. 4. *Remota itaque iustitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia?* Greg. lib. 7. regist. ep. 122. & refertur in c. si sæculi, 12. q. 2. *Summum in Regibus bonum est, iustitiam colere, ac sua cuique iura seruare.* D. Thom. lib. 3. de reg. princ. c. 5. *Consonum videtur naturæ, vt dominium sit concessum pro pace, & iustitia conseruanda, & iurgiis, ac discordiis resecandis*, & in princ. cap. ait, ideò. Romanos dominium orbis terrarum fuisse consecutos, quia iustitiam zelabant. Ber. ser. ad Past. in synod. cong. *Sine iustitia non solùm Respublica, sed nec parua domus subsistere potest.* Quam propositionem latè probat Ægid. *loc. cit. cap. 11. & 12.*

127. 3. Constat ex Philosophis, Plat. lib. 1. de Rep. versùs finem. *Seditiones iniustitia, inimicitias, contentionesque paris. Iustitia vero concordiam, & amicitiam.* Xenoph. de exped. Cyri, lib. 7. *Ego verò nullam arbitror esse homini, ac præsertim qui cum imperio sit, possessionem vel pulchriorem, vel splendidiorē virtute, iustitia, generositate animi.* Cic. 2. de off. *Tanta huius* (iustitiæ) *vis est, vt ne ij quidem, qui scelere, aut maleficio pascuntur, possint sine vlla particula iustitia viuere.* Plut. ad princ. inerud. *Sicut autem in Cælo pulcherrimum posuit sui documentum* (Deus) *in quo tanquam speculo gnarus se cernendum præbet. Ita in ciuitatibus iustitia splendor quandam diuinæ sapientiæ imaginem reddit.* Ad quod etiam respexit Ar. 5. eth. c. 1. *Iustitia est virtutum præstantissima, & neque hesperus, neque lucifer sit adeò admirabilis.* Vbi aduerte, quòd hesperus, & lucifer sunt vna, & eadem stella, quæ propter suam pulchritudinem Venus dicitur: hæc semper cum Sole ambulat, aliquando tamen, idest manè, eum præcedit, & dicitur lucifer; aliquando subsequitur, idest sero, & dicitur hesperus. Puto itaque, quòd intentum Arist. fuerit dicere, quòd quia Prælatus est in Republica, velut Sol, vt dixit Christus Math. 5. *Vos estis lux mundi*, sicut Solem hunc comitatur semper splendidissimum illud sidus, Venus vocatum, ita Prælatum comitari semper debet iustitia: & sicut Venus aliquando præcedit, & exhilarat mundum, aliquando subsequitur, & contristatur. Ita eadem iustitia præcedit Prælatum; quando præmiat virtutes, virtuosos, vnde isti gaudent; subsequitur autem, quando punit vitiosos, qui lucem oderunt.

128. 4. Constat ratione. Tum quia Prælati debent esse regula agendorum. Tum quia iustitia est præclarissima virtus, quæ in se omnes continet virtutes. Tum quia iniustitia turpissima, & prudentissima res est. Quas rationes prosequitur Ægid. *loco cit.* Tum quia sicut sanitas in humano corpore consistit in debita humorum temperatura, ita Reipublicæ, & Religionis salus in debita Religiosorum contemperatione; ita vt in honoribus omnes pacificentur, quòd iustitia facit. Vnde Philo de princ. creat. col. 3. *Tali autem Principi legitime, ius æquabile honoranti, incorruptè iudicanti, semper meditanti iustitiam, longæuum principatum Propheta proponit loco præmij. Non quod annosam ætatem polliceatur rectè administrantibus Rempublicam, sed vt nos doceat, legitimum Principem victurum etiam post obitum, relicta post se immortali virtutis rerumque à se gestarum memoria.* Et Hesiod. *de op. & dieb. lib. 1.*

Verum vbi iustitiæ sancti seruantur honores;
Iudicioque pares & ciuis, & aduena pendent;
Vrbs viget, augetur soboles, pax læta vagatur;
Pax iuuenum nutrix. Nunquam his fatalia bella
Præparat Altitonans: Nullis in rebus egestas
Imminet.

§. XIV.

De partibus integralibus iustitiæ.

DE his D. Thom. 2. 2. q. 79. *art. 1.* Val. *tom. 3. disp. 5. q. 26. p. 1.* Eustach. 3. *p. eth. tract. 3. disp. 2. sect. 3. quæst. 2.*

129. Dicendum, partes integrales iustitiæ esse *a*. Declinare à malo, & facere bonum, iuxta illud psal. 33. *Declina à malo, & fac bonum*. Ad quod potest etiam adaptari illud Isa. 1. *Quiescite agere peruersè, discite bene facere*. Et illud Tertull. lib. 2. ad vx. cap. 3. *Recedit autem à malo, qui non facit, quod obest; facit bonum, qui addit insuper, quod prodest*, & Hilar. in ps. 144. *Solum malum non admittere, non habet laudem, nisi mali abstinentiam etiam gloria boni operis consequatur*. Sed cum iustitia sit ad alteram, vt ait Arist. 5. *eth. cap.* 1. istæ partes integrantes iustitiæ etiam in ordine ad alterum intelligendæ sunt, vt declinare à malo, idem sit, ac abstinere à faciendo malum proximo; & facere bonum, idem sit, ac facere proximo bonum debitum ex legali iustitia, ratione boni communis, seu ex iustitia commutatiua, ratione boni particularis. Vide Val. *loco cit.*

§. XV.

De partibus subiectiuis iustitiæ.

130. Vide D. Thom. *loco cit. q.* 61. Val. *q.* 5. Less. *lib. 2. de iust. cap. 1. dub.* 4. Eustach. *q.* 5. San *consid.* 31. Bell. *de princ. christ. lib.* 1. *c.* 10. Iauell. *tom.* 6. *part.* 2. *phil. christ. tract.* 5. *cap.* 3.

Noto 1. ex Arist. 5. *eth. cap.* 6. D. Thom. *loco cit. art.* 1. quod iustitia particularis (linquo illam generalem, seu legalem, quæ vel omnes in se continet virtutes, vel bonum pluribus commune considerat, vel leges condit, vel obseruat) habet 2. partes subiectiuas, nempe distributiuam, & commutatiuam. 1. tota posita est in distribuendis præmiis, honoribus, & aliis bonis communibus ad æqualitatem, attenta ratione meritorum, & non personarum. Commutatiua est duplex. Alia, quæ in commutationibus, emptionibus, venditionibus posita est, & de hac hic non loquor. Alia, quæ consistit in inflictione pœnarum. Quæ distinctio sumitur ex D. Thom. 2. 2. *q.* 108. *art.* 2. *ad* 1. & Bell. *de regim. lib.* 1. *cap.* 10. Alij distinguunt distributiuam iustitiam in remunerat iuam, quæ præmia distribuit, & in punitiuam, quæ delicta castigat. De quo duplici munere hic aliqua dicam, eo quod illud sit maximè Prælatis commendatum. Ier. 1. *Constitui te super gentes, & regna, vt euellas, & plantes, & ædifices, & disperdas*. Euellas scilicet, & disperdas vitia, Plantes, & ædifices per condignam retributionem virtutes.

131. Noto 2. quod iustitia distributiua tota posita est, vt euitetur acceptio personarum; de qua D. Thom *q* 63. vbi Arag. Sal. & Val. *quæst.* 7. & Less. *lib.* 2. *c.* 30. *dub.* 1. Acceptio autem personarum est vitium, quo Prælatus in distributione bonorum communium, quæ ex iustitia debentur, non considerat veram causam meritoriam, sed loco causæ considerat aliquam qualitatem, vt cognationem, patriam, amicitiam, vel aliquid aliud huiusmodi, quod ad rem non pertinet. Ita Bell. *loco cit.* Est autem acceptio personarum ex genere suo peccatum mortale; quia prohibetur in Script. Deuter. 1. *Nulla erit distantia personarum, nec accipietis cuiusquam personam*. & Iacob. 2. *Nolite in personarum acceptione habere fidem*. Cum ergo in Scrip. sacra non prohibeantur de ordinatio nisi sola peccata mortalia, vt ait Sal. *loc. cit. art.* 1. *concl.* 1. de fide est, acceptionem personarum esse peccatum mortale ex genere suo. Quod addo, quia ex leuitate materiæ, vt notant Arag. & Val. *p.* 1. *col.* 2. *vers. Ex hoc facile*, potest aliquando esse veniale, vt si quis amicum digniori præferat in electione ad aliquod officium parui momenti, vel etiam aliquid plus ex bonis communibus amico conferat, quàm aliis.

132. Aduerte autem, quod iustitia distributiua non exigit vt bona communia æqualiter omnibus dispensentur secũdum portionem arithmeticam, sed solum secundum geometricam, ita vt detur magis, & minus secundum exigentiam debiti, & meriti, vt notat Eustach. 3. *p. eth tract.* 3 *disp.* 2. *sect.* 6. *quæst.* 5. & dixi sup. plures.

133. Aduerte etiam, non accipere personam illum Prælatum, qui amicum, conciuem, &c. magis, & libentius ad honores, & dignitates anteponeret, quam alium æque dignum, si amicitia, &c. sit illum causa impulsiua, non principaliter motiua: si verò nominet amicos non idoneos, tum acceptor est personarum, & mortaliter peccat, quia non merita, sed amicitiam respicit, vt notat in specie Bell. *de princ. christ. lib.* 1. *c.* 10. Item si in nominatione præponat probandos probatis, vt aduertit Ber. lib. 4. de consid. c. 3. *Ad officia viros probatos oportet deligi, non probandos*. Non putarem tamen, peccare mortaliter, qui conuentibus paruis non probatum iuuenem præponeret, ad faciendum de eo experimentum, probato postposito. Tum quia nisi quis probetur, nunquam poterit dici probatus. Tum quia illæ Prælatiæ conuentuum minorum non requirunt Prælatum tam vndequaque rotundum, cum paucos habeant sub se subditos.

134. Aduerte etiam, quod non esset acceptor personarum ille Prælatus qui ex bonis suo vsui concessis donaret aliquid amico minus digno, & minus indigenti, quam alij, vt aduertit Val. *loc. cit. vers. Porrò*; quia illa bona non sunt bona communia formaliter, sed per assignationem facta sunt quodammodo particularia, nec distribuuntur ex iustitia, sed ex mera liberalitate; & in gratuitis non est acceptio personarum, vt aduertit D. Thom. 2. 2. *q.* 63. *art.* 1. *ad.* 3.

135. Aduerte etiam, quod potest Prælatus peccare peccato acceptionis personarum in exhibendis honoribus suis subditis, tam in publico, quam in priuato, v. g. si in capitulo debitum locum vnicuique non assignet, sed vnum alteri præferat, si titulum suum cuique non tribuat. Similiter in priuato, si non salutet quem debet, & eo modo, quo debet, sed in hoc respiciat, non merita, sed alias qualitates, quibus honor non debetur. Ita D. Th. Arag. Sal. *loc. cit. art.* 3. quod peccatum erit mortale, vel veniale, iuxta iniuriam, quam priuatus tali loco, vel titulo, vel honore sibi debito patitur. Ita Sal. *loc cit. controu.* 1. *concl.* 1.

136. Aduerte quoque, quod Prælatus etiam in his, quæ commissa sunt illius arbitrio, potest peccare peccato acceptionis personarum. Vt si vni remittat pœnitentiam, & nolit cum alio in pari causa. Si in iudiciis vni concedat copiam processus, alteri neget. Ita Sot. *lib.* 3. *de iust. q.* 6 *art.* 5. Arag. *loc. cit. art.* 4. Val. *tom.* 3. *disp.* 5. *q.* 7. *p.* 4. *col.* 3. *vers. Ad hanc dubitationem*, Sal. 2. 2. *q.* 63. *art.* 4. *controu.* 1. *col.* 2. Nam vsus potestatis, quem habet Prælatus, est in bonum publicum, & vtilitatem subditorum ordinatum, ergo ex iustitia distributiua tenetur illud dispensare, & applicare subditis secundum dignitatem vniuscuiusque. Et *Prou.* 18. dicitur, *Accipere personam in iudicio, non est bonum*, & *In iudicis non est habenda acceptio personarum*, per reg. 12. de reg. iur. in 6.

137. Circa iustitiam punitiuam. Dico 1. tenetur Prælatus delicta subditorum punire. Est communis cum D. Thom. 2. 2. *q* 67. *art.* 4. *corp* Menoch. *inst. pol. lib.* 2. *c.* 10. *n.* 1. Bell. *lib.* 1. *de princ. christ. c.* 10. Constat tum ex Scrip. Isa. 1. *Quærite iudicium, subuenite oppresso*, &c. Deuter. 13. interfici iubetur, qui persuadet Diis alienis seruire, *Nec parcat*, dicitur, *ei oculus tuus, vt miserearis, sed statim interficies*. Et de Homicida *Deut.* 19. dicitur. *Morietur, & non misereberis eius*. Et ad Ro. 13. *Non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit*. Tum quia Prælatus est custos iustitiæ, qui proinde ius suum vnicuique reddere debet. Tũ quia ad bonũ Religionis pertinet, quod malefactores puniãtur, & leges custodiãtur. Tũ *ex c. Nõ est credilũ, cũ* 4 *seq.* 23. *q.* 1. & *c. Non innocentia, cũ* 4 *seq. ead. cau.* & *q.* Facit etiam *c. Si ij, qui* 23. *q.* 4. *c. Legi Siromastem*, 23. *q.* 8. & *c.* 1. *cum* 6 *seq. d.* 86. Tum ex PP. Chrysost. *lib.* 3. *aduers. vitup. vi. mon.* loquens de Sacerdote Heli, ait.

Minus

Minas addere debueras, & à sua eos conspectu amonere, & verberibus afficere, multoque illis granius, & durius instare. Sed cum intempestinè illis parceres; & suam, & illorum salutem perdidis Et Bern. *ep.* 178. *ad Innoc. Papam*, conquerens quod non reperiatur Romæ iustitia in Prælatis Ecclesiasticis, ait. *Qui flagitiosi, & contentiosi de populo, sine de clera, nue etiam ex monasterio currunt ad vapulsant, redeuntes iactant, & gestiunt, se obtinere tutores, quos magis rectores sensisse debuerant. Proh pudor! quos cachinnos res ista monet Ecclesia inimicis?* & P. Dam. epist. 11. ad Gotif. lib. 7. *Illud etiam mihi non mediocriter displicet, quia in plectendis flagitiis, & temerariis iniquorum hominum ausibus coercendis, remissior cerneris esse, quam debeas, & dum peccatoribus parcis, augere peccata conuinceris, enernata quippe rigura iustitia, status euertitur disciplina: & dum vltoris seueritatis censura reprimitur, temeraria delinquendi licentia relaxatur, inordinata sunè pietas nutrit impietatem, & timida manus medici vulnus augeeagrati:* & ep. 12. eiusd. lib probat, quòd rigor iustitiæ vtilis est bonis, & malis.

138. Nota autem, quod propter 3 debent Prælati delinquentes punire. 1. quia id merentur; sicut enim nullum bonum impræmiatum, ita nullum malum debet esse impunitum. 2. vt corrigantur, *cap. Pradest*, 23. q. 5. 3. propter pacem & quietem Religionum, *c. Res omnes, ead. cau. & q.* Duas alias addit Gel. lib. 6. c. 14. *Puniendis peccatis tres esse debere causas, existimatum est, Vna est cum pœna adhibetur castigandi, atque emendandi gratia, vt is, qui deliquit, attentior fiat, correctiorque. 2. cum dignitas, auctoritasque eius, in quem peccatum est, tuenda est, ne pretermissa animaduersia contemptum eius pariat, & honorem leuet. 3. propter exemplum, vt cæteri similibus à peccatis, qua prohiberi publicitus interest, metu cognita pœna deterreantur.* Sed hæ duæ ad 3. illam nostram reduci possunt: & de ea Prou. 9. *Pestilente flagellato, stultus sapientior erit.* Et aduerte, quod non possunt Prælati pœnas à iure delictis inflictas excedere, vel minuere, absque causa legitima, *l. Si ita stipulata, ff. de verb. obl.* Red. *de maiest. Princ. vers. sed etiam per legitimos tramites, à n. 26. & à n.* 48. Causæ autem legitimæ sunt ætas, tempus, locus, rei conditio, criminum vniuersitas, peccatorum qualitas; Red. *n.* 77. Et multo minùs potest Prælatus veniam dare; *Sil. apparitor, in fine, Cod. de cohortal, lib.* 12. Hæc enim non datur delinquentibus nisi in casibus à iure expressis, iuxta notata *in l. Si quis legatum, §. Si patronus, in gloss. verb. Impetrata, ff. de fals.* Red. cit. §. *Ad clementiam pronum, num.* 14.

139. Ex his collige 1. quod Prælatus non condemnans reum ad soluendas pœnas à lege positas, sed illum absoluens, aut pœnas minuens, mortaliter peccat, & restituere tenetur communitati, vel parti læsæ damnum datum, præsertim in bonis temporalibus. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 67. *art.* 4. vbi Arag. & idem Aragon. *q* 62. *art.* 7. *col.* 16. ex eo enim quod peccatores manent impuniti, aut non debitè puniti, audaciores, & promptiores fiunt ad noua scelera patranda. Vnde Isa. cap. 26. *Misereamur impio, & non discet iustitiam.* Et quod Prælati restitutioni sint obnoxij, conuincitur ex 3. Reg. 20. *Quia dimisisti virum dignum morte, erit anima tua pro anima illius.* Et dictus Prælatus infamiæ pœnam incurrit; *l. Seruus, in fine, Cod. ad legem Iulium, de vi publ. Rom. sing* 77. qui addit præterea, dictum Prælatum puniendum esse pœna, qua puniendus erat reus. Ita Red. *loco cit. num.* 49. Limita tamen nisi locum habeat epichcia, vt Arag. *loco cit. quæst.* 67. *art.* 4. vel nisi magna perturbatio in Religione oriunda, suaderet ad tempus dilatandam esse peccatorum integram punitionem; *cap. Tolendi, c. Quid ergo; c. Quidam vero, cap. Cum quisque* 23. *q* 4. & docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 108. *art.* 1 *ad* 5. *fine.*

140 Collige 2. quàm malè faciant, qui precibus importunis conantur eripere reos è manibus Prælatorum ne pœnas debitas illis infligant, vt notat Val. *tom.* 3. *disp.* 5. *q.* 11 *part.* 4 *fine.* 1. enim sunt causa, quod Prælatus eorum precibus victus, iustitiam deserat cum aliorum scandalo, & animæ suæ detrimento. 2. priuant dictos reos vtilitate, quæ capitur ex punitione, vt dicitur *in cap. Serpens, de pœnit. dist.* 1. cum enim puniuntur in hac vita, non puniuntur in futura; *cap. fin.* §. *Sed etiam sic, de pœnit. dist.* 7. & docet Dam. lib. 7. ep. 12. *Vbi autem non est solutum vindicta peccatum, manet æternis ignibus extinguendum.* Et certum est, quod quo plus quia pœnitentiam differt, eo plus patientiam Dei prouocat ad seuerius vlciscendum; *c. Si ea*, 23. *q.* 4. Grauissimum itaque flagitium fauere iniquis; *cap. Qui consentit*, 11. *q.* 13. vbi dicitur, *Qui defendit delinquentem, maledictus erit apud Deum, & homines.* Nec valet, quod dicunt, misericordia se motos id facere: nam optimè Aug. relat. cap Si res, §. Illud verò, 14. quæst. 6. *Misericordiæ opem nostram talibus subtrahimus, quàm impendamus.* & Greg. 3. pat. past. admon. 17. & 16 mor. cap. 19: *Cum immoderatius custoditur virtus mansuetudinis, soluuntur iura regiminis, & fiunt in subditos grauiter impij; cum circa impios sunt sine discretione pij.*

141. Dico 2. Debet Prælatus in puniendo semper rigori miscere misericordiam. Ita Red. *de maiest. Princ. verb Seuerum, n.* 7. Trull. *in eluc. lib.* 3. *c.* 15 A. Caun. *ser.* 14. F. Tor. *phil. mor. Eccl. lib.* 3. *c.* 25. & 26. Menoch *inst. pol. lib.* 2. *c.* 12. §. 7. Bell. *de princ. christ. lib.* 1. *c.* 10. Scrib. *lib.* 2. *pol. christ c.* 9. Constat 1. ex Scrip. Eccl. 7. *Noli esse iustus multum, neq; plus sapias, quam necesse est.* Eccl. 4. *In iudicando esto pupillis misericors vt pater, & pro viro matri illorum, & eris tu velut filius Altissimi obediens, & miserebitur tui magis, quam mater* Qui locus de omnibus intelligitur; nihil enim aliud est reus sub iudice, quã pupillus, patre, & protectore destitutus, & psal. 84 *Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi, iustitia, & pax osculata sunt.* Iob. 29. *Cum sederem quasi Rex circumstante exercitu, eram tamen mærentium consolator.* Ad quem locum dicit Greg. *Disciplina enim, vel misericordia multùm destruitur, si vna sine altera teneatur.*

142. 2. Ex PP. Aug. *lib.* 5. *hom.* 4. explicans illud ps. 118. Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me: *Hæc est*, inquit, *oratio eorum, qui præsunt, vt doceat illos Deus bonitatem, qua faciat disciplinam, quàm exercent, amabilem; disciplinamque, quæ inculpabilem faciat, quam exercent, bonitatem Quia bonitas, idest benignitas, & facilitas sine disciplina, mater est vitiorum; disciplina sine bonitate, tristis quædam amaritudo viuendi. Scientia opus est, vt nouerint scienter, sapienterque distinguere, qui sint termini bonitatis, & quam disciplina debeat tenere mensuram, ne forte aut nimia remissione vitia bonitas inconsulta foueatur, aut disciplina durior ipsa seueritate crudelescat* Greg. 20. mor. cap. 8. *Hinc David ait, Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Virga etenim percutimur, & baculo sustentamur. Si ergo est districtio virga, quæ feriat sit & consolatio baculi, qua sustentet. Sit itaque amor, sed non emolliens; sit rigor, sed non exasperans; sit zelus, sed non immoderatè sæuiens; sit pietas, sed non plus, quàm expediat, parcens.* Basil. in procem. reg. fus. disp. *Animaduertis quanta cum discretione misericordia Dominus vtatur; siquidem neque citra iudicij discretionem clemens est: neque inclementer iudicat, misericors enim, & iustus Dominus est.*

143. 1. Constat ex sacris Can. Trid. sess. 13. de reform. cap. 1. *Sin autem*, ait, *ob delicti grauitatem virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate seueritas adhibenda est.* &c c. Ponderet, dist. 50. fine, cap. Omnis; & c. Vera, dist. 45 Et Cic. pro Clu. ait, *Sapientis iudicis est meminisse se hominem; cogitare sibi tantum à populo esse permissum, quantum commissum, & creditum sit. & non solum sibi potestatem datam, verum etiam fidem habitam esse*, & infra,

Sapientis iudicis est, habere in consilio legem, religionem, æquitatem. Et tandem veram existimo Aug. sententiam ser. 26. ad fr. in er. tom. 10. *Melius est, vt redarguamur de misericordia, quàm de crudelitate in die nouissimo, superexaltat enim misericordia iudicium,* Iac. c. 2. & Boët. lib. 4. de consol. met. 4. *Vis aptam meritis vicem referre? dilige iure bonos, & miserere malis.* Et quidam è nostris, dicebat, quod, *Rigidus Prælatus rigidos facit subditos;* duriores enim sunt in exequendis mandatis, & aliquando rebelles, cum animus generosus hominis non nisi amore trahatur.

144. Sed dices, quomodo poterit Prælatus esse misericors, cum dictum sit, quod tenetur delicta punire, nec potest pœnas relaxare, aut minuere? Ad hoc gloss. in c. Omnis, quid 45. *Ideo dicitur iudex seruare rigorem, & misericordiam, non quod simul exerceat eam circa aliquem, sed quia, si opus fuerit, & causa subest, debet esse misericors in dispensando: si causa non subest, debet esse rigidus in iudicando. Vel dic, quòd iudex semper habebit misericordiam, etiam occidendo hominem, etsi non per mitigationem pœnæ, saltem per compassionem, vt infra eodem cap. Vera. Item ex hoc facit misericordiam, cum facit, vt ille conteratur inter flagella, & ne fiat deterior. Vnde eo ipso quòd iudex punit aliquem, misericordiam facit vt dicitur in cap. Tria, eadem caus. & q.* vbi dicitur, quod delinquentes corrigere, eleemosyna est. Et qui facit finem peccato, misericors est, *c. fin. de pœnit. dist. 7. fine.* Vel denique dic, quod erit Prælatus iustus, & misericors, si æquitatem seruet: est enim æquitas *iustitia dulcore misericordiæ temperata*, vt ex Cypr. Panor. *in c. Magna de voto, n. 3.* & vir æquus secundùm Arist. 5. eth. c. 10. fine, est, *Qui non est exactus iuris executor in peiorem partem, sed imminuit potiùs,* & 2. mag. mor. c. 1. ait, *Est nimirum æquitas, & æquus, qui descripta legibus iusta diminuit, ac moderatur: nam quæ legislator particulatim examinare, & ad vnguem definire non potest, sed in vniuersum loquitur, hic in eisdem intercedens, deligit quæ legislator particulariter quidem definire volebat, verùm ei facere non licuit. Huiusmodi certè æquus, non omnino iusta diminuens, quandoquidem quæ natura, ac verè iusta sunt, non diminuit, sed ea dumtaxat, quæ legislator deseruit, cum explere non posset.* Si ergo Prælatus in fauorem rei semper leges interpretetur in dubiis, easque quantum illatum substantia patitur, minuat, iustus, & misericors erit. Quando verò pœna est expressa in iure, & circumstantia non minuit, cùm nec ipse minuere possit, ita se gerat, vt intelligat quilibet, inuitum illum ad ista descendere; iuxta illud Claud.

Sit piger ad pœnam Princeps, ad præmia velox
Et doleat quoties cogitur esse ferox.

145. Sed quomodo, inquis, persuadebit subditis, inuitum se ad pœnas descendere? Id persuadebit primò, si intelligant subditi, æqua se lance omnibus iustitiam ministrare solitum, *Nam statera dolosa, abominatio est apud Deum, & pondus æquum voluntas eius.* Prou. 11. ad quem locum ait Beda tom. 4. *Qui aliter causam pauperis, aliter causam potentis, aliter sodalis, aliter audit ignoti, statera vtique librat iniqua.* Et Amb. 2. de off. cap. 24. *Sed nec personam alterius accipiamus in iudicio, gratia absit, causam merita decernant. Nihil sic opinionem, imò fidem, grauat, quàm si in iudicando potentiori dones causam inferioris, vel pauperem innocentem arguas, & diuitem excuses reum culpæ.* 5. Si non iratus iudicet, Sap. 12. *Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas.* Licet enim impossibile sit, quod non irascatur Prælatus ad vitia subditorum, præsertim si in commune damnum vergant; vnde Dauid dicebat Psalm. 40. *Irascimini, & nolite peccare*, & Lact. lib. de ira, cap. 17. *Ira, quæ ad correctionem vitiorum pertinet, nec homini adimi debet, nec Deo potest; quia vtilis est rebus humanis, & necessaria.* Et Arist. 4. eth. cap. 6. *Qui non irascitur pro quibus oportet, & vt oportet, & in quos oportet, is procul dubio fatuus, & stupidus est.* Iratum tamen iudicare periculosum, cum furor, iraque mentem præcipitent, iuxta illud, *Impedit ira animum, ne possis cernere verum,* & Greg lib 8. reg. epist. 12. ind. 3. *Restringenda ergo sub ratione potestas est. Nec quidquam agendum priusquam concitata ad tranquillitatem mens redeat.* Et referunt Platonem dixisse, *Iracundos ad disciplinas discendas idoneos, ad regendam Rempublicam prorsus inutiles.* 3. Coret potius peccatum, quam peccatorem tollere, secundùm monitum Sen. 1. de ira, c. 16. *Nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur.* 4. Si occasiones peccandi tollat, & malum succidat, quando incipit pullulare, vt ait Hier. ad Eustoc. de cust. virg. *Dum paruus est hostis, interfice, nequitia, ne zizania crescat, elidatur in semine*, & Sen. ep. 86. *Vt initia morborum quamvis leuia serpunt: ita si vitia, & affectus vel leuissime semel admittas, crescunt, & augescunt,* & ibid. *Facilius est initia affectuum prohibere, quam impetum regere,* & Hor.

Principiis obsta, serò medicina paratur.
Cum mala per longas conualuere moras.

5. Si non sit nimium anxius in delictis subditorum conquirendis, nec quærit impietatem in domo iusti. Licet enim debeat esse vigilans, & curare pro posse, vt regula, & constitutiones seruentur, non tamen debet esse importunus quæstor, nec multò minùs occultus insidiator; immò præstat aliquando habere oculos, & non videre, aures, & non audire, Tac. *in Agric.* vt referunt, ait, quod Princeps *omnia scire debet, non omnia persequi, paruis peccatis veniam, magnis seueritatem accommodare; nec pœna semper, sed sæpius pœnitentia contentus esse.* Et Arist. 15. met. tex. 5. *Quædam melius est non videre, quam videre.* Quod obseruasse videtur Sapiens Prou. 7. *De fenestra domus meæ per cancellos prospexi, & video paruulos, considero vecordem iuuenem.* Ecce diligens Prælatus. Videt subditos aliqua minutiora committere, & tacet, seu tacitè monet; Non vt aliqui parum prudentes, imò maligni, & venenati Prælati, qui de quacumque etiam leuissima culpa processus formant, & si non formant, iàm venenatis verbis mordent, vt acerbam putent sibi subditi eam esse vitam. Isti sunt Prælati parum prudentes, minùs misericordes, multum maligni, in summo gradu superbi, & hypocritæ peruersi, à consortio hominum arcendi. Nam, vt sanctè Greg. lib. 8. reg. epist. 16. ind. 3. *Plerumque plus virium habet discreta in correctione remissio, quam in exequenda vltione districtia: adeo vt nonnunquam hæc fideliorem, atque subiectum, illa vero obstinatum faciat, & æmulum.* Quoniam vero solent Prælati solis verbis minutiora corrigere, ideò sequ. pono §.

§. XVI.

Vtrum liceat Prælatis verbis contumeliosis subditos redarguere.

146. Videri potest D. Thom. 2. 2. *quæst. 75. art. 2. corp.* vbi Cai. & Sal. *concl. 2.* Sot. *lib. 5. de iust. q. 9. art. 2.* Val. *tom. 3. disp. 5. q. 16. par. 2. col. 2.* Nau. *c. Inter verba, consl. 6. perf. num. 156. & in man. cap. 18. num. 12.* Turrecr. *in regula S Bened. tract. 12. c. 2.* Corrad. 1 *par. cas. quæst. 73. & qu. 97. in add.* Spat. *de mo. cor. reg. tract. 10. cap. 53.* Rodrig. *tom. 2. quæst. regul. quæst. 41.* Sylu. *verb. Contumelia, quæst. 3.* Thom. à Iesu *de vis. reg. tractat. 1. c. 50.* Mol. *tract. 4. de iust. disp. 38. a. 3.*

147. Dico 1. licitum est Superioribus regularibus conuitiis increpare subditos errantes. Ita D. Thom. cum aliis *loc. cit.* Rodrig. *art. 2.* Spat. *num. 3.* Constat.

Tum

Tum quia Christus discipulos suos vocauit stultos. *Luca* 14. & Paulus Galatas vocauit insensatos, ad eos c. 3. Tum quia si licet causa disciplinæ eos verberare, vel in rebus damnificare, ita etiam poterit eis conuitia dicere. Tum quia potest illos reprehendere. 2. ad Tim. 4. *Argue, increpa*, at reprehensio est medicamentum mordicans secundùm Basil. imò Paulum ad Tit. 1. *Increpa illos durè, vt sani sint in fide.* Tum quia Basil. in cap. 2. Isa. ver. Et arguet, ait, *Si quidem reprehensio omnis palam attingens eum, qui reprehenditur, ipsum animum per acri dolore excruciat, ob oculos ponens turpitudinem peccati.* Et Tull. *lib. 1. de off.* de obiurgationibus loquens, ait, *In quibus vtendum est fortasse, & vocis contentione maiore, & verborum grauitate acriore, vt ea facere non videamur irati, sed vt ad vrendum, & secandum medici*, & paulo post. *Atque etiam illud ipsum, quod acerbitatis habet obiurgatio, significandum est, ipsius causa, qui obiurgatur, susceptum esse.*

148. Notat autem Sal. quo ad hoc, vt dicta reprehensio contumeliosa fiat sine peccato, debent concurrere tria. 1. quòd contumeliæ dicantur solo animo corripiendi, non principaliter ex ira: nam si ex ira principaliter procederet contumeliosa reprehensio, ita scilicet quòd si Prælatus non esset iratus contra talem, eum non reprehenderet, esset peccatum mortale, vt aduertunt Nauat. *in man. c.* 18. *n.* 12. Sylu. *verb. Contumelia, quæst.* 3. Si vero ira non sit causa principalis, sed solum coadiuuans, tunc non erit peccatum, nisi excedat. 2. debet fieri dicta reprehensio cautè, modestè, & cum magna necessitate, quæ certò spectetur profectura. Quam conditionem ponit D. Thom. *loco cit. ad* 2. vnde omnino peccat mortaliter ille Prælatus, qui reprehendit suum subditum cum graui contomelia coram vel sæcularibus, vel extraneis, vel etiam nouitiis (nisi fortè coram dictis peccasset) ex qua reprehensus multùm grauatur apud illos, præsertim si dicti non satis animum Superioris agnoscentes, eum animo perturbato loqui existimarent; nihil enim cum scandalo faciendum est, *cap. Nihil, de præscrip.* 3. deberi iis verbis fieri, quibus intelligat subditus, non ex ira aut passione ea dici, sed solum ex animo, & desiderio illum corripiendi. 4. quod est complementum, seu epilogus omnium, ponit Nauat. *loco cit.* quod vt absque peccato dicta reprehensio fiat, solum debet significari vitium, cuius correctio prætenditur, non alia vitia iam correcta, & emendata, & iam ex hominum memoria elapsa, seu etiam nunquam patrata. Quod parum aduertunt aliqui Prælati, qui litaniam sibi vitiorum faciunt, quam propter quamcunque causam subditis in faciem cantant. Quam conditionem laudant valde Rodrig. *loc. cit. art.* 2. & Spor. etiam cit. *n.* 5.

149. Ex quibus collige, quod, cum tam difficile sit dicto modo sine peccato contumeliari, optima est doctrina Caiet. Sail. Spor. Cottadi *loco cit.* vt scilicet nunquam subditi cum contumeliis reprehendantur, nisi suggerente Spiritu Sancto. Quoniam, inquit Caiet. *repræsentatur subditis, quòd non ex charitate, sed ex passione procedant, fiuntque deteriores, non suscipientes disciplinam, leniusque verbera, quàm contumeliosa verba, suscipiunt.* Et Sot. lib. 5. de iust. quæst. 9. art. 2. *Consultissimè cuique etiam Prælatis, abstinendum est à conuitiis, qua humanos animos amarulentius, quàm corporalia vulnera exulcerant.* Quam doctrinam multis confirmat Nauat. *c. Inter verba, concl.* 6. *perf. à num.* 127. Nec ab ea abhorret Ambr. lib. 6. exam. cap. 3. *Verbera, & verba parum differunt, imò non differunt. Verbera enim flagellant corpus, & verba animam.* Vnde Trid. sess. 13. de reform. cap. 1. *Quos tamen si quid per humanam fragilitatem peccasse contigerit, illa Apostoli est ab eis seruanda præceptio, vt illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate, & patientia, cum sæpe plus erga corrigendos agat beneuolentia, quam austeritas, plus exhortatio, quam comminatio, plus charitas, quam potestas.*

150. Dico 2. licet Prælati regulates in corripiendo ira concitati excedant, non tenentur tamen petere veniam ab iis, quos læserunt. Ita Nauatr. *in cap. Inter verba, concl.* 6. *perf. n.* 129. *& com.* 4. *de reg. n.* 4. Sylu. *verb. Correctio, n.* 12. *& verb. Contumelia, quæst.* 4. Ang. *verb. Correctio Prælat.* §. 2. Sal. 2. 2. *quæst.* 72. *art.* 2. *concl.* 4. *sit. Contumelia, verf. illata*, Cottad. 1. *par. cas. quæst.* 73. Rodrig. *tom.* 2. *quæst. reg. quæst.* 41. *art.* 3. Constat. Tum *ex cap. Quando dist.* 86. quod est desumptum *ex cap.* 12. *reg.* Aug. vbi id habetur expressè. Tum ex Greg. *par.* 2. *past. cap.* 10. *versus finem*, vbi ait. *Dum ad increpationem se mens doctoris exasperat, difficile valde est, vt non aliquando, & ad aliquid, quod dicere non debet, erumpat. Vnde necesse est, vt exasperatus Auctor, cum subditorum mentem plus se, quam debuit, percussisse considerat, apud se semper ad pœnitentiam recurrat, vt per lamenta veniam in conspectu Veritatis obtineat, ex eo etiam quod per zeli eius studium peccat.* Tum quia periculum est, ne, dum nimia feruatur humilitas, regendi frangatur auctoritas; quando autem hoc non timeretur, tunc laude dignum, magnique meriti esset, veniam etiam à subditis petere, exemplo Saülis cum Dauid 1. Reg. 24. *Iustior, tu es, quam ego. Tu enim tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala.* Notant autem Gloss. *in dicto c. Quando, verf. Dura.* Ang. & Sylu. *loc. cit.* Quod, si Prælatus ex odio, vel malignitate excederet in dicta reprehensione contumeliosè peccaret, & teneretur veniam petere, ac restituere; quia tunc teneretur actione iniuriarum.

151. Dico 3. quando subditis subdito contumeliatur, tenetur Prælatus cogere contomeliantem, vt à contumeliato etiam genuflexus veniam petat, & honorem illi per contumeliá ablatum restituat. Sal. *loco cit.* Sylu. *verb. Contumelia, quæst.* 4. Cottad. *loco cit. quæst.* 73. *& add. ad quæst.* 97. Val. *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 16. *p.* 1. *col.* 3. *verf. Per se enim*: quam veniæ petitionem in Religiosis admittit etiam Caiet. 2. 2. *quæst.* 73. *art.* 3. licet in aliis neget, id esse necessarium, sed sufficere restitutionem, quomodocumque eam fieri contingat, Satisfactionis ratio fundatur in iustitia commutatiua, quæ obligat lædentem ad satisfaciendum. Contumelia autem aduersatur iustitiæ commutatiuæ, vt in specie docet Val. *loc. cit. col.* 2. *verf. Quarto sequitur.* Quod autem hæc satisfactio debeat hoc modo fieri, scilicet per petitionem veniæ, est communis DD. sententia, quam consuetudo approbauit; quæ tamen veniæ petitio solùm inter pares intelligitur, vt aduertunt Val. Cottad. *add. ad quæst.* 97. in disparibus sufficiet restitutio honoris quomodocumque. Cum ergo Prælatus teneatur suis subditis iustitiam ministrare, & consuetudines laudabiles seruare, sequitur, quod à contumeliatis, teneatur facere, vt contumeliantes veniam petant. Si autem duo subditi inuicem sibi iniurias dicant, seu vnus calumniam calumnia explodat, nulli danda est satisfactio; nec qui per calumniam à calumnia se defendit, etiamsi irritatus aliquantò excedat, non videtur ad restitutionem teneri, quia non videtur fraudem facere, qui fraudem excludit, *l. Cum pater*, §. *Titio fratri, in fine ff. de legat.* 2. Hipp. de Marf. *sing.* 177. *n.* 1. Glossa *in cap. Cupientes, verf. Malignantium, de elect. in* 6. Red. *de maiest. princ. verf. Sed etiam per legitimos tramites, n.* 143. Alij communiter dicunt, quod notatus infamia non potest per modum vindictæ vicissim infamare infamatorem. In iudicio tamen, si iniustè sit accusatus, potest occultum alterius crimen sine culpa prodere, ad se iustè tuendum, si talis criminis manifestatio ad hoc necessaria sit. Ita Bonac. *de rest disp.* 2. *q.* 4. *p. vlt. n.* 4. Addit. Toleti *ad c.* 70. *impress. Venet.* 1614.

Portel. *in dub. reg. verb. Correctio fratrum, n.* 30. Ego tamen primam sententiam puto veram, etiam in conscientia, ob rationes, quas doctè ad id adducit Ban. 2. 2. *q.* 70. *art.* 3. *dub.* 2. *concl.* 3. quem sequitur Vega 1. *p. sum. cap.* 108. *cas.* 2. Quare qui calumniam calumnia explodit, non ratione vindictæ, sed iustæ defensionis, non peccabit plus quam venialiter, ratione mendacij. Nec ad restitutionem vllam tenebitur, vt sentiunt Cruz *in direct. consc. p.* 1. *precep.* 8. *q.* 3. *dub.* 17. qui addit hanc doctrinam quo ad restitutionem esse veram, siue reus accusetur de crimine falso, siue de vero, sed occulto; Quod autem peccatum non sit plusquam veniale, docet etiam Ledesm. *in summa tom.* 2. *tract.* 8. *c.* 25. *concl.* 21. *dub.* 3. *pag. mihi* 557. qui etiam asserit id esse verum, quando, licet crimen obiectum est verum, sed iniustè obiicitur, quia occultum, & probari non potest.

152. Notat etiam Prælatis, quod non debet subdito peccanti exprobrare vitia, seu defectus naturales, aut originales, v.g. cocles frangit silentium, non debet statim illi conuitiari, dicendo, Si guercius bonus sit, inter miracula scribe, Quid luna cum cancris? quam connexionem habet esse coclitem cum fractione silentij? si vocaret illum loquacem garrolum, bene quidem: at coclitem, non puto posse sine peccato. Nec minùs potest illi exprobrare principia natiuitatis, hæc enim nullam habent vim ad fratrem corrigendum (nisi eo peccato peccaret, quo publicè, & iuridicè notati fuere sui antecessores, vt si ipsi titubassent in fide, & ipse titubaret) quia semper præsumuntur procedere ex odio, & malignitate, seu lubricitate linguæ, ad vituperandum proximum semper paratissimæ. Tantò magis, quod dicit Ar. 3. eth. cap. 5. quod: *Qui ex natura deformes sunt, eos reprehendit nemo, sed illos, qui per otium, & negligentiam tales euaserunt. Simili modo si turpitudo vel ex infirmitate, vel ex membri alicuius mutilatione contigerit: nullus enim ei, qui vel ex natura, vel ex morbo, vel ex vulnere factus sit cæcus, cæcitatem exprobrabit, sed miserebitur potius. At eum obiurgant omnes, qui ex temulentia, vel alia quapiam intemperantia excæcatus fuerit. Atque ita vitia corporis, quæ in nostra potestate sunt, vituperentur, quæ non sunt, minimè.* Ex quibus colliget Prælatus, quæ sibi liceant in similibus.

153. Nota etiam, quod sicut multi Prælati excedunt in reprehendendo, ita multi deficiunt, & vtrique male agunt, quia virtus in medio consistit. Illos iam satis, vt puto, temperauimus, istis fortè medebimur, si suam infirmitatem vsque ad radices discooperiamus. Sciant itaque Prælati, Prælatias non esse illis datas, ad impiguandum, ad deambulandum, spatiandum, & lætandum omnibus viis, & modis, sed solùm in bonum subditorum. Vnde tam peccant, si minùs quàm oportet reprehendant, quam si plus, cum custodes sint iustitiæ. Ex multis verò capitibus oritur iste defectus non reprehendendi subditorum vitia, vt notat Turrec. *tract.* 12. *in reg. S. Bened.* 1. ex pigritis, & negligentia, quæ est multùm vituperabilis in Prælato, cum neque dormitare permittatur, cum cura exigit Prælatiæ, iuxta illud, *Ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israël.* 2. ex verecundia, quia, cum ipsi reprehensibiliter viuant, sciantque carere omni vitio debere, qui paratus est in alium dicere, dubitant, ne sibi dicatur, Medice cura te ipsum. 3. ex superstitiosa humilitate, qua apud subditos auctoritatem amiserint, vnde sequitur reprehensionis contemptus. 4. quia toti sæcularibus curis intenti, nihil spiritualia curant. 5. ob timorem alicuius temporalis incommodi, verentes nimirum, ne in indignationem incurrant subditorum, à quibus deinde contra se prouocatis non possint obtinere suffragia ad se in Prælatiis conseruandum. 6. quia credunt, sic futurum, vt benigni existimentur, non curantes impij esse in Deum, vt sint crudeliter pij in malefactores. 7. ex cordis pusillanimitate, sed ista foueri debet charitate, aut Prælatia relinqui. 8. ex diffidentia proficiendi, & male se res habet, si est vera, non imaginaria, vt plerumque sic se exonerare curantes, reiecta in subditos culpa. 9. ex ignorantia, quia nimirum, culpas fratrum ignorant, & non curant scire, sed non excusatur pastor, si lupus oues rapit, & ipse nescit. 10. propter pacem propriam, quam nolunt turbare, immemores, quòd plus subditorum, quam sui ipsorum sunt. 11. ob defectum zeli. 12. ex insufficientia, quia scilicet, cum sint ignorantes, non audent reprehendere viros literatos, sed renuntiare tenentur.

§. XVII.

De partibus potentialibus iustitiæ.

154. De his agit in communi D. Thom. 2. 2. *quæst.* 80. *& in particulari à quæst.* 81. Val. *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 26. *part.* 2. Eustach. 3. *p. eth. tract.* 3. *disp.* 2. *sect.* 2. *quæst.* 6. Less. *lib.* 2. *c.* 47. Arag. 2. 2. *q.* 80. Iauell. *tom.* 2. *p.* 2. *phil. christ. tract.* 5. *c.* 4.

155. Dicendum est, quod 9. sunt partes potentiales, seu virtutes annexæ, iustitiæ nimirum religio, pietas, obseruantia, veritas, gratitudo, vindicatio, affabilitas, liberalitas, epicheia. Ita D. Thom. cum alijs *loc. cit.*

156. Religio itaque, de qua D. Thom. *quæst.* 81. est virtus quædam moralis, quæ hominem inclinat, vt Deo debitum cultum, & honorem exhibeat, vt Val. *loc. cit. disp.* 6. *quæst.* 1. *p.* 1. Actiones huius virtutis sunt quædam interiores, deuotio, & oratio, quædam exteriores, adoratio, sacrificium, votum, iuramentum, adiuratio, laus, seu cantus. Deuotio est actus voluntatis paratæ ad præstanda ea, quæ ad Dei cultum, & gloriam spectant. Oratio est petitio decentium à Deo. Adoratio est, qua non solùm mente, sed etiam externa corporis significatione Deo reuerentiam exhibemus. Sacrificium, est oblatio rei alicuius externæ, Deo religiosè facta, qua nos ipsius imperio subditos esse profitemur. Votum est promissio facta Deo de aliquo bono. Iuramentum est assumptio diuini nominis in alicuius rei testimonium. Adiuratio est inuocatio diuini nominis, qua quempiam deprecando, aut compellendo, ad aliquid faciendum, vel non faciendum inducimus. Laus est assumptio diuini nominis in vocali cantu. Ita Eust. & de his fusè D. Thom. cum aliis *à quæst.* 81. *cit.*

157. Sciat ergo Prælatus, ipsius esse colere non solum Deum interius in seipso, sed etiam exterius, & curare, vt omnes sui subditi eum debito modo, cum debitis cæremoniis colant. Quare debet satagere, vt in primis orationi mentali omnes vacent: hac enim mens subleuatur ad colloquendum cum Deo, & sine hac Religio vix nomen Religionis meretur, vt Scrib. *de Sup. relig. lib.* 2. *cap.* 11. Nam cum oratio id sit animæ, quod cibus corpori, facilè videas non posse diu animam stare alimento suo destitutam. Curare debet etiam Prælatus, vt diuinæ laudes in choro debitis horis cum proportionatis pausis, deuotè recitentur: vt missæ deuotè, & vniformiter celebrentur, & pro quibus stipendium receptum est, cum paramentis proportionatis, & mundis, iuxta morem Romanæ Ecclesiæ. Et denique vt omnia, quæ ad diuinum cultum pertinent, cum decore tractentur iuxta illud 1. Cor. 14. *Omnia honestè, & secundum ordinem fiant.* Et quod hoc sit Prælatorum munus speciale, ipsisque solis reseruatum, colligitur ex illo Exodi 18. *Esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, vt referas, quæ dicuntur, ad eum, ostendasque populo cæremonias, & ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant, & opus, quod facere debeant: Prouide autem de omni plebe,* &c.

Vnde

Vnde collige, quòd potest bene Prælatus administrationem politicam suæ Prælatiæ alteri committere, spiritualem autem, & quæ ad Deum colendum pertinet, per se ipsum exercere debet; alioqnin violatæ Religionis est reus.

158. Pietas, de qua D.Thom. 2. 2. *quæst.*101. *Est* Aug. lib.83. qq. q. 31. *per quam sanguine iunctis, patrisque beneuolis officium, & diligens tribuitur cultus.* Hæc virtus potiùs respicit subditos, quam Prælatos; quatenus autem respicit Prælatos, eos admonet, vt subditos tanquam filios diligant, eis alimenta, & vestimenta necessaria ministrent, senes honorent, iuuenes cohibeant, exaltent humiles, superbos deprimant, disciplinam regularem promoueant, studia foueant, Religionem ament. De hac Basil. lib.9. in exam. *Vos porro filij amate, & colite parentes: vos parentes nolite ad iracundiam filios prouocare: nunquid natura ea non dicit? nihil noui D. Paulus dicit, sed naturæ vincula, dicit, insuperque præstringit*, &c. Quod pietas regnantibus sit necessaria, quatenus misericordiam sonat, D. Thom. *lib.*1. *de erud. princ. c.*15. & plura videri possunt apud Scrib. *in Sup. relig. lib.* 1. *c.*8.

159. Obseruantia, de qua D. Thom. 2. 2. *q.* 102. *Est* Cic. lib. 2. de inuent. ante finem, *per quam homines aliqua dignitate antecedentes, cultu quodam, & honore dignamur.* Hæc similiter virtus subditos potius respicit, quàm Prælatos. Verùm quia viri literati, & probi per virtutem, & scientiam redduntur ad gubernandum apti, ideo etiam ipsi debent honorari per hanc virtutem, vt D.Thom. *loc. cit. art.*1. *ad* 2. Quare Prælati habentes sub se huiusmodi viros, tenentur eos honorare, & curare vt honorentur.

160. Gratitudo, de qua D.Thom. 2.2. q.106. *Est virtus, qua iis, qui de nobis benemeriti sunt gratias non solum habemus, & agimus, sed etiam, cum possumus, referimus.* Ita Eustach. *loc. cit. n.*154. Sunt autem gratitudinis officia quinque, de quibus Less. *lib.* 2. *cap.*47. *dub.*1. *n.*5. 1. est beneficij æstimatio, non ex ipso in se, sed ex animo dantis. Sen. 1. de benef. cap.9. *Beneficium non in eo, quod fit, aut datur, consistit, sed in ipso dantis, & facientis animo.* 2. benigna acceptatio, si enim repudies, vel absque iudicio, quo significes gratum esse, acceptes, videris contemnere, vel parui facere. Sen. lib. 2. de benef. cap.35. *Vis reddere beneficium? accipe benignè*, & cap.24. qui *gratè beneficium accipit, primam eius pensionem soluit*, 3. est gratiarum actio, de qua 1. ad Thes. 5. *In omnibus gratias agite.* 4. est grata beneficij commemoratio, occasione oblata. Sen. lib.3 cap.1. *Ingratissimus omnium est, qui beneficij oblitus est*, 5. est beneficij repensio; quæ tamen statim facienda non est, se opportunum tempus expectandum. Sen. 4. de benef. in fine. *Quidam, cum aliquod illis missum est munusculum, subinde aliud intempestiuè remittunt, & nihil se debere testantur. Qui festinat vtique reddere, non habet animum grati hominis, sed debitoris. Et breuiter dicam; Qui nimis citò cupit soluere, inuitus debet, qui inuitus debet, ingratus est.* Ista vero repensio non debet fieri ad æqualitatem rei receptæ, sed ad mentem benefacientis, & semper plus rependendum est, si facultas subsit, quàm sit acceptum, Cic. 1. de off. *In referenda gratia, si modò Hesiodo credimus, imitari debemus agros fertiles, qui plus multo afferunt, quàm acceperint.* Gratitudo tangit omnes, & præsertim Prælatum, qui si beneficiorum immemor, illa ingrata tegat obliuione, putans omnia sibi deberi, nullaque merita inferioris in superiorem esse, & à se animos suorum alienabit, & contemptui ipsis erit, & despectui. *Est* enim Ber. *ingratitudo* serm. 52. in Cant. *inimica animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio, ventus vrens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ.* Est ingratitudo duplex, formalis quando scilicet contemnitur beneficium, vel sinistrè interpretatur, eo quòd benefactoris est: & materialis, quando quis est ingratus, non ex contemptu, sed ex aliqua alia causa. Sed vide de his latius D. Thom. 2.2. *q.* 107. *art.*3. Less. *lib.*2 *c.*47. *dub.* 3. *à n.*15. Val. *tom.*3. *disp.*7. *q.*4. *p.*4.

161. Vindicatio, de qua D.Thom. *quæst.*108. *Est* Aug. lib.88. qq. q.31. *virtus, per quam vis, aut iniuria, & omnino omne, quod futurum est, defendendo, aut vlciscendo propulsatur.* De hac satis dixi hic *sup.* §.25. *à num.*137. Et nota, quòd ad hoc vt vindicatio sit recta, debet fieri per publicam potestatem, & seruatis omnibus iustitiæ modis, & terminis.

162. Veritas, de qua D.Thom. 2.2. quæst. 109. *Est virtus, qua quis verbis, & factis talem se demonstrat, qualis in se est.* Ita Eustach. *loco cit. num.*154. Nota 1. ex D.Thom. 1. *p. quæst.*107. *art.*1. *ad* 1. quod hominis interior conceptus duobus clauditur obstaculis, propter quæ ab alio videri, aut intelligi non potest. 1. quidem est ipsa voluntas, quæ conceptum intellectus potest interius retinere, & ad libitum exprimere. 2. est grossities, & corpulentia corporis; nam quamvis voluntas vellet conceptum mentis aliis fieri notum, non tamen statim cognoscitur ab ijs propter impedimentum corporis, sed oportet adiungere aliquod signum sensibile, puta verbum, seu aliquos alios nutus. Et hoc est, quod dicit Greg. 2. mor. cap. 4. in princ. *Alienis quippe oculis intra secretum mentis, quasi post parietem stamus, sed cum manifestare nosmetipsos cupimus, quasi per linguæ ianuam egredimur, vt quales sumus intrinsecus ostendamus.* Cum ergo homo sit animal sociabile; vt D.Thom. 2.2 *quæst.*109 *art.* 3. *ad* 1. & dixi *supra q.* 1. *c.* 1. *num.* 2. naturaliter vnus homo debet alteri id debito saltem morali, & honestatis, vt D.Thom. *loco cit. corp.* sine quo humana societas seruari non posset. Non possunt autem homines ad inuicem conuiuere, nisi sibi inuicem credant, propter multa negotia, quæ simul gerunt, & tractant: nec possunt sibi inuicem credere, nisi sibi inuicem verum dicant, ad quod etiam instituta sunt verba, vt ait Aug. relat. *in c. is autem*, 22. *q.*2. sequitur, quod homines naturaliter veritatem dicere debeant. Vnde Arist. 1. *rhet. c.*1. *post. med.* ait; quòd *homines satis ad veritatem nati sunt, & vt plurimum veritatem consequuntur.*

163. Sed quomodo potest esse, quòd homines natura ad veritatem inclinentur, cum veritas secundum Teren. *in Adr.* odium pariat? *Obsequium amicos, veritas odium parit.* Et Cic. *lib.* 1. *de amic.* vt referunt; *Molesta veritas est; siquidem ex ea nascitur odium; quod est venenum amicitiæ.* Et Hier. contra Iou. *Amara est veritas, & qui eam prædicant, replentur amaritudine.* Et ad Gal. 4. *Factus sum vobis inimicus, verum vobis dicens.* Ad hoc dicit Aug. 10. *confess. c.*23. quod homines amant veritatem lucentem, & oderunt eam redarguentem. Habet itaque veritas duos effectus scilicet illuminare, & redarguere. Quantum ad 1. omnes veritatem amant. 3. Esdræ c. 4. *Omnis terra veritatem inuocat, cœlum etiam ipsam benedicit, & omnia opera mouentur, & tremunt eam.* Et Ambr. 1. de off. c.26. *Omnibus hominibus inest secundùm naturam humanam verum inuestigare, quo ad studium cognitionis, & scientiæ trahit, & inquirendi infundit cupiditatem, in quo excellere vniuersis pulchrum videtur.* Quantum autem ad 2. mali veritatem oderunt, Ioann. 3. *Omnis, qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem vt non arguantur opera eius, qui autem facit veritatem, venit ad lucem*, &c. Oderunt autem veritatem propter 3. rationes, quas affert D.Thom. 1. 2. *q.*29. *art.*5. *corp.* 1. quia nollent illud esse verum quod verum est. 2. quia nollent cognoscere veritatem, vt liberius, & sine remorsu conscientiæ peccarent. 3. quia volentes iacere in peccato, oderunt, quod aliquis veritatem circa peccatum suum cognoscat.

164. Noto

164. Noto 2. quod quamvis veritas sit cunctis hominibus necessaria ad rectè, & pacificè conuiuendum, Prælatis tamen, & Superioribus regularibus est necessarissima. Cum enim quotidie cum subditis agant, si aliud ore, & verbis enuntient, & aliud corde premant, fallaces deceptores suorum erunt; quò si semel subditi olfecerint, iam fides illorum euanuit, indeque contemptus, inde etiam cautiones, quibus vnusquisque sibi cauet, inde etiam discordiæ, diffidentiæ, &c. Hæc ex Scrip. & DD. constant, Prou. 17. *Non decet Principem labium mentiens*, & cap. 29. *Princeps, qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habet impios.* Eccl. 41. *Erubescite à patre, & matre de fornicatione, & à præsidente, & à potente de mendacio.* D. Thom. lib. 1. de erud. princ c. 7. *Cauendum est Principi mendacium, vt venenum eo quod et multum noceat, Deo multum displiceat, & eum opprobrium hominum faciat. Cauere debet Princeps mendacium, non solùm, in his, quæ asserit cum iuramento, sed etiam verbo simplici*, & infra, *Princeps mendax est veluti denarius falsus respectu boni, & sicut centum falsi non valent vnum bonum, sic Princeps mendax parui valoris est.* Et Hier. ep. 37. ad Iul. *Antiquus sermo est, Mendaces faciunt, vt nec vera dicentibus credatur.* Basil. in procem. lib. de Spir. S. *Rerum omnium potentissima est veritas, & extrema malitia linea mendacium.* Et Orig. *tract.* 35. *in Matth.* Prælatos mendaces proditores vocat, & Pind. apud Stob. serm. 11. *Ingenui viri est vera dicere*, & Hom. apud eundem.

Ille mihi tam exosus est, quam inferni porta,
Qui aliud animo occulat, aliud ore profert.

Sit itaque Prælatus verax, & ita in aperto, vt ipsi potiùs iniurato, quàm iurato alteri credatur, & sciat, nullum esse vitium Prælato religioso indignius, quam mendacium, fallere socium, circumvenire, amicitiam mentiri, obsequia fallaci dextera deferre: virtutem, probitatem, benignitatem, mansuetudinem, præ te ferre, qua cares, viri non est. Pater non est, qui verbis in dolum compositis; filium in fraudem inducit: Non est mater, quæ pro vberibus scorpionem, aut lapidem porrigit, venenaque pro lacte propinat. Facit hoc Superior omnis, qui, pulso candore, animique sinceritate, aliud promittit ore, aliud mente destinat, aliud verbis loquitur, vultuque præfert, aliud animo versat; patrem fronte simulat, inimicum pectore fouet. Quæ vbi semel eruperint (vt diu latere simulatio non potest) hostiles exurgunt animi, nulla arte, aut armis ponendi, exultat fiducia omnis, & pro religiosa, simplicique ac non fucata sapientia, ingens diffidentia nascitur. Vnde Scot. *in 4. dist. 38. quæst. 1. art. 2.* ait, quod mendacium officiosum, & iocosum in Prælato, qui est in statu perfectionis exercendæ, est peccatum mortale, si sit continuatum, ex his enim diminuitur Prælati auctoritas, quod est communitati perniciosum. Plura pro veritate à Superioribus colenda, vide apud D. Thom. *loco cit. c. 7. & c. 13.* Tor. *phil. mor. princ. lib.* 44. Menoch. *inst. pol. lib. 2. c. 15.* Scrib. *in Sup. relig. lib. 5. c. 6. & 7.* Ægid. *lib. 1. de regim. par. 2. c. 29.* Sart. *in exerc. pol. ex loco Ezech. c. 17.* Arist. *4. eth. cap. 7.* Bus. *in vir. verb. Veritas*, Chauass. *de perf. prud. lib. 4. c. 5. & 6.* A. Carm. *serm. 18. 19. & 20.* Iauell. *4. eth. tract. 7.* Rossig. *de discip. christ. perf. lib. 4. cap. 26.*

166. Nota tamen 3. quod licet mentiri nunquam liceat, licet tamen aliquando veritatem occultare, quando scilicet illius manifestatione indignos se reddunt auditores, vel inde occasionem sumunt deteriora faciendi, vel veritatē ipsam sunt oppugnaturi, iuxta illud Matth. 7. *Nolite sanctum dare canibus, & ne projiciatis margaritas ante porcos.* Occultare etiam licet, quando ex vna parte nec ad Dei gloriam necessaria est, nec ad salutem proximi, ex altera incommodum magnum incursurus est, qui eam dixerit; ardua enim esset lex, quæ tunc obligaret; & cum veritatem fateri præceptum sit affirmatiuum, quod non obligat ad semper, certum est, in dictis casibus non obligare. Atque ita docent Mald. *de restr. ment. c. 10. reg. 6. & c. 12. verb. De verb. recto* Less. *lib. 2. de inst. c. 47. dub 6. num. 39.* Ant. Carm. *serm. 18. de vers.* Chauass. *loc. cit. c. 5. §. 3.* vnde Aug. in Psalm. 5. ait. *Verum autem occultauit, & Dominus, cum discipulis nondum idoneis dixit, Multa habeo vobis dicere, sed nunc non potestis portare illa.* Similiter dic, quod in dictis casibus, siue vltrò siue interpellatus loquatur Prælatus, vel alius quicumque potest vti vel verbis æquiuocis, vel mentali restrictione; extra vero illos casus semper tenetur loqui eo sensu, quo sonant simpliciter verba, & ad mentem audientis, alioquin peccat venialiter, vel mortaliter, iuxta leuem, vel grauem læsionem Dei, vel proximi. Dicitur enim Eccl. 37. *Qui sophisticè loquitur, odibilis est.* Sed de hac materia vide Mal. *loc. cit.*

167. Noto 4. ex *Doroth. serm. 9.* quod triplex est genus mendacij. *Quidam*, inquit, *animo mentiuntur, quidam verbo, alij vita ipsa mendaces sunt. Ille animo, & cogitatione mentitur, qui quascumque suspiciones facilè admittit: is enim cum aliquos fratres inter se colloquentes cernit, suspicatur illicò, & dicit, De me isti loquuntur, &c. Sermone mentitur aliquis, cum ob ignauiam ad matutinas vigilias assurgere detrectat, cunctaturque nec fateri vult turpedinem, & ignauiam suam, sed dicere non veretur, Febrem passus sum, & vertiginem, ideò assurgere nequiui*, &c. *Ille in suam ipsius vitam mentitur, qui cum intemperatus sit, ac incontinens, ac gula, luxuique deditus, continentiam tamen, & temperantiam simulat*, &c.

168. Peccatur contra veritatem 1. mendacio, quod nihil est aliud, quam contra mentem locutio, de quo D. Thom. 2. 2. *quæst.* 110. 2. simulatione, seu hypocrisi, quæ nihil est aliud, quam mendacium in actionibus vitæ, de qua D. Thom. *quæst.* 111. 3. iactantia, quæ est prædicatio propriarum rerum, maior, quàm verè sint, de qua D. Thom. *quæst.* 112. 4. ironia, quæ est negatio, vel diminutio propriarum laudum, de qua D. Thom *quæst.* 113. Mendacium, si est contra honorem Dei, vel proximi, peccatum mortale est ex genere suo; ex imperfectione actus, & paruitate materiæ est veniale; alias iocosum, & officiosum veniale tantùm. Hypocrisis ex se veniale est; transit tamen in mortale ratione finis, vt si quis sanctitatem fingat, vt aliquem decipiat, vel legem Dei sic contemnat. Iactantia ex se veniale est; fit autem mortale, quando quis se iactat cum iniuria Dei, vt si sibi attribuat, quod est Dei proprium, vel glorietur de donis Dei, tanquam sibi debitis, vel se iactet cum contemptu proximi, vel intentione illi nocendi, aut ab eo pecunias iniustè emungendi, vt cum dicit se præclarum Medicum, &c. Est etiam mortale, si quis sit ita affectus iactantiæ, vt sit paratus mortaliter peccare. Similiter mortale est, cum quis narrat peccatum suum, de illo vanè gloriando, secus si solùm enuntiatiuè ad ostendendam fortitudinem, dexteritatem, &c. Ironia de se veniale est; transire tamen in mortale, quando id fieret in infamiam sui, vel proximi, vt si Religiosus cum pusillis loquens, dicat, Ego sum peior quolibet infami sicario, vel semper fui malus Religiosus, & de Religioso nihil vnquam habui, nisi nomen, & vestem. Est etiam mortale, si voce loquatur quidem de se humili, corde autem intumescat, iuxta illud Eccl. 19. *Est qui nequiter humiliat se, & interiora eius plena sunt dolo.* Sed de his vide D. Thom. *loc. cit.* & Less. *lib. 2. de inst. cap. 47. dub. 6.*

169. Affabilitas, de qua D. Thom. 2. 2. quæst. 114.

Est

Eſt virtus, qua quis in communi conſuetudine mediocriter, & vti decet, ſe habet, ſtudetque quantum poteſt, omnibus benignè obſequi. Habet hæc virtus vim conciliandi amicos etiam ex inimicis; Eccleſ.6. *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos, & lingua eucharis* (gratioſa) *in bono homine abundat.* Ambroſ. 2. de off. cap.7. *Incredibile eſt quantum profuerit etiam in ipſis Regibus facilitas blanda affabilitatis.* Et Tull. 2. de off. *Difficile dictu eſt, quantoperè conciliet animos hominum comitas, affabilitaſque ſermonis.* Affabilitas regimina perpetuat, & maiora tribuit. Prou.16. *Qui dulcis eſt eloquio, maiora percipiet.* Hæc plus poteſt ad amicos conciliandos, quàm beneficentia. Eccleſ.18. *Nonne ardorem refrigerabit ros? ſic & verbum melius, quam datum.* Hæc ferinos inimicorum animos demulcet, amicos reddit. Eccl.45. *In verbis ſuis monſtra placauit.* Hæc ſola Prælatum præclarum reddit. Claud. *in conſul. Manl.* declinans ad finem.

Se iactent alij, ſtudeant feritate timeri,
Adductoque hominum cumulent æraria cenſu.
Lenè fluit Nilus, ſed cunctis amnibus extat
Vtilior.

Et paulo infra.

——Peragit tranquilla poteſtas,
Quod violenta nequit, mandataque fortiùs vrget
Imperioſa quies.

Et Ouid. lib.2. de ar. am.

Eſto procul lites, & amara prælia linguæ;
Dulcibus eſt verbis mollis alendus amor.

D. Thom. opuſc.71. de vit. & virt. *Quatuor,* ait, *ſunt, quæ ritè cuique regnanti conueniunt; ſcilicet paterno regimine ſubditos regere, meritis amicos acquirere, placabilem, atque affabilem ſe præbere quibuſcumque orantibus, & cum clementia iuſtitiam miniſtrare delinquentibus.*

170. Aduerte tamen, quòd huiuſmodi affabilitas debet eſſe ita temperata, vt grauitati religioſæ non officiat, & propterea prudentia maxima opus eſt in vtendo illa, vt ſcilicet Prælatus affabilem ſe exhibeat, non cum omnibus, nec in omnibus loco, vel tempore, ſed ſolum, vt notat Cai. 2. 2. *quæſt.*114. *art.* 1. conſiderata qualitate perſonarum; quibuſcum loquitur, negotiorum etiam, & temporum. Vnde malis, vel ſuperbis affabilem ſe præbere non debet Prælatus, niſi ad eorum emendationem, ij enim ex lenitate ſumunt audaciam, & fiunt deteriores, præterquam quòd offenduntur boni, & odio habent Prælatum; neceſſariò enim odio habetur à bonis, qui malis amicus eſſe intelligitur. Quare nihil minuet de affabilitate Prælatus, qui in aliquo negotio, & cum aliquo in aliquo loco ſeuerum ſe, ac triſtem exhibebit, vt habet Ariſt. 4. *eth. c.6.* Vnde Aug. relat. in cap. prodeſt 24. quæſt. 5. *Miniſterio ſeueritatis, noſtra quies adiuuatur.* Et Veget. *de re milit. lib.* 1. *c.* 1. ait, quod Romani tot bella vicere, *ſeuerè in deſides vindicando.* Vide pro hac virtute Ægid. *lib.* 1. *de reg. p.*2. *c.* 28. Contz. 3. *pol. cap.*11.

171. Aduerte etiam, quòd contra affabilitatem peccatur dupliciter; exceſſu nimirum delectandi, & defectu, ſeu blanditia, & moroſitate; quidam enim nimium ſtudent in conuictu eſſe blandi, & placidi, vnde in omnibus ſe omnibus accommodant, omnia laudant, omnia probant, qui ſi id faciant vtilitatis gratia, vocantur adulatores. Alij nimis parum curant placere, ſed vbique ſunt difficiles, vbique contradictores, nuſquam ſe accommodant; Hi vocantur moroſi. Blanditia eſt ex ſuo genere veniale; tranſit tamen in mortale, quando aliqui nimium blandi eſſe affectantes, omnibus ſe moribus, bonis, vel malis, ne cuiquam diſpliceant, accommodant, & ſic mentiuntur cum mendacibus, bibunt cum bibentibus, & peccant cum peccantibus, perperam interpretantes illud 1. Cor. 9. *Omnibus omnia factus ſum;* non conſiderantes expoſitionem Aug. *ep.*9. *&* 19. vbi ait, *non mentiendo, ſed compatiendo, non ſimulantis actu, ſed commiſerantis affectu, omnia omnibus factus eſt.* Adducunt etiam iſti illud ad Rom. 12. *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus:* non aduertentes locum iſtum intelligi de fraterna charitate, qua bonum, & malum fratris, vt proprium ſentimus. Adulatio etiam ex ſe veniale eſt, fit autem mortale tripliciter ſecundum D. Thom. 2. 2. *quæſt.*115. *art.* 2. Primò ratione materiæ, vt ſi laudes alicuius peccatum, 2. ratione intentionis, vt ſi laudes aliquem ad hoc vt fraudulenter ei noceas ſpiritualiter, vel corporaliter. 3. ratione affectus, vt quum per adulationem præbetur occaſio alicuius grauis peccati, etiam præter intentionem adulatoris. Et nota, quòd dicitur quis adulari tripliciter. 1. attribuendo alicui bonum, quod non habet: 2. nimium extollendo bonum, quod habet: 3. approbando malum, quod habet: 1. & 2. ſimpliciter venialia ſunt. 3. eſt mortale. Ita gloſſ. *in cap. Vnum orarium, verſ. Adulari, d.*25. Moroſitas ex ſe veniale eſt. Vide de hac materia D. Thom. *loc. cit.* Ariſt. 4. *eth. c.*6. Leſſ. 2. *de iuſt. c.*47. *dub.*7. Chauaſſ. *de verb. prud. lib.*4. *c.*7. Buſ. *in vir. verb. Affabilitas,* Menoch. *inſt. pol. lib.*2. *c.*14. Tor. *phil. mor. princ. lib.*23.

172. Liberalitas, de qua D. Thom. 2. 2. *quæſt.*117. eſt habitus, qui in quærendis, erogandiſque pecuniis, ſeu iis, quæ pecuniis comparantur, decorem ſeruat, vt Speuſippus apud Buſ. *in vir. verb. Liberalitas.* Hæc nomine benignitatis, & beneficentiæ quandoque appellatur à DD. Amb. *lib. de off. c.* 28. Cic. 1. *de off.* De hac dixi hic *ſupr.* §.3. *num.*25. Qui plura deſiderat, adeat D. Thom. *loco cit.* Tor. *lib.*22. Menoch. *c.*16. *Ar. c.*1. Ægid. *de reg. lib.*1. *p.*2. *c.*17. Contzen. 3. *pol. c.*9.

173. Contra liberalitatem peccatur auaritia, de qua D. Thom. *quæſt.*118. & prodigalitate, de qua idem D. Thom. *quæſt.*119. Auaritia, licet inter peccata capitalia ponatur, non eſt tamen ſemper mortale, ſed ſolum cum propter diuitias conſequendas, vel retinendas quis eſt paratus violare præceptum obligans ad mortalem. Hæc multum dedecet principantes, vt habetur *in* §.1. *verſ. Adminiſtratores, auth. vt iudi ſine quoquo ſuffragio, coll.*2. qui enim hoc morbo tanguntur omnia venalia habent, Prælatias vendunt. De hac ait Val. lib. 9. cap.4. *Auaritia latentium indagatrix lucrorum, manifeſtæ prædæ auidiſſima vorago, nec habendi fructu fœlix, & cupiditate quærendi miſerrima.* Vnde illud, *æris ſeruus eris, ſi te ſpes tenet æris.* Prodigalitas in Prælato regulari ſemper eſt peccatum mortale, cum enim hoc vitium conſiſtat in dando quibus non oportet, vt adulatoribus, hiſtrionibus, &c. vel in faciendis magnis expenſis, vbi paruæ ſufficerent, vel in eroganda pecunia in rebus friuolis, & Prælatus regularis non ſit dominus, ſed adminiſtrator illarum rerum, ſi ita expendat, abſque dubio mortaliter peccabit, ſi materiæ paruitas non excuſet. Poteſt etiam peccare lethaliter ex alio capite, eo quòd ſcilicet ſuperflua pauperibus non eroget ſecundum legem Euangelicam. Alios caſus, in quibus prodigalitas eſt peccatum mortale, vide apud Leſſ. *lib.*2. *c.*47. *dub.*8. *n.*62. Et aduerte, quod prodigus non poteſt in Prælatum eligi. Bald. *in c. Cum in cunctis, n.*16. *de elect.* De Baiſ. *in direct. elect. par.*2. *c.*32. *n.*1. pro quo facit *lex fin. Cod. de ſententiam paſſis, & reſtit.*

174. Æquitas, de qua D. Thom. 2. 2. *quæſt.*120. eſt iuſtitia dulcore miſericordiæ temperata, quæ definitio potius conuenit regulæ ipſam æquitatem dirigenti, quam æquitati ipſi, cuius munus eſt præciſè agere

contra

coërciuam habeat. Nec etiam potest Prælatus excusari à mortali ex eo, quod illum excusat Mol. *loc. cit.* nimirum adeò esset collapsa disciplina regularis in aliquo monasterio, vt meritò dubitaret Prælatus nihil proficere, si se detractoribus opponeret, immò inde esse secutura maiora mala. Quia hic casus, meo iudicio, est metaphysicus, ibi enim non esset Religio, sed confusio. Si tamen daretur, posset excusari.

§. XII.

Quomodò peccatur contra Prudentiam.

Vide D. Thom. 2.2.q. 53.54.& 55. Less. *lib.* 2.c.2. *tom.* 3. *disput.* 4.*quæst.* 5. Iauell. *tom.* 2.*part.* 2.*phil. christ. tract.* 4. *cap.* 5.

113. Dico 1. Duobus modis peccatur contra prudentiam, per defectum, & per excessum. Ita D. Thom. *q.* 55. Prob. quia omnis virtus consistit in medio, medium autem haber extrema, parum, & nimium, quæ semper vitiosa sunt. Vnde Ber. 3. de consid. c. 10. *In te consisto, non infra deiici, non attolli supra, non euadere in longius, non extendi in latius; tene medium, si non vis perdere modum: locus medius tutus est: mediū sedes modi, & modus virtus, omnem extra modum mansionem sapiens exilium reputat.*

114. Dico 2. per defectum contra prudentiam peccatur quadrupliciter, Præcipitatione, inconsideratione, inconstantia, & negligentia, quæ comprehenduntur sub vnica ratione imprudentiæ. Ita D.Th. *loco cit. q.* 53.*art.* 2. Præcipitatio est impetuosus motus voluntatis, aut appetitus sensitiui, imperantis homini, quòd opus propositum aggrediatur, omisso consilio, & iudicio de mediis, est autem duplex. 1. si quis opus aggrediatur, nulla habita consideratione, vel discursu, & dicitur simpliciter præcipitatio. 2. quando licèt alicui proponatur medium, secundùm quod debet operari, ipse tamen spernit, & facit contrarium, & dicitur præcipitatio cum contemptu, & temeraria. Quam doctrinam monet esse aduertendam Caiet. 2.2.q.53.*art.* 3. ad sciendum, quando incurratur pœna alicuius legis, seu canonis, decreta in facientes aliquid temerè: non enim eam incurrunt facientes quomodocumque præcipitanter, sed solùm facientes temerè ex contemptu; quia, scilicet, licèt habeant notitiam talis præcepti, illud tamen nolunt obseruare. Aduertit etiam Syluest. *verbo Temeritas*, quem sequitur Val. *loco cit. part.* 1.*col.* 1. eos etiam censeri temerè facere, & incurrere talem pœnam, qui scienter sub prætextu aliquo fraudulento excedunt à iure prohibitum, quod constat *ex cap. Per venerabilem*, §. *Videbatur*, *Qui filij sint legit.*

115. Inconsideratio est defectus recti iudicij intellectus de re agenda, & modo agendi, proueniens ex eo, quòd quis negligit, aut contemnit ea obseruare, ex quibus rectum iudicium procedere potest. Ita D. Thom. *quæst.* 53. *art.* 4.

116. Inconstantia est recessus à priori bono proposito rectè consiliato, ac rectè rationis iudicio determinato, incipiens à virtute appetitiua, & cōsummatus per rationis defectum repudiantis bonum, quod priùs approbauerat, & iudicauerat agendum. Ita D. Thom. *art.* 5.

117. Negligentia est in proposito rationis tarditas inefficaciter imperando eo, quod est iam bene consultatum, & iudicatum D.Th. *q.* 54. *art.* 1.& 2. atque negligentia vitanda prudenti omnino est. Nam ait Sen. epist. 1. *Turpissima iactura est, quæ per negligentiam fit. Et, si volueris attendere, magna pars vitæ elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.*

118. Circa hæc aduerte cum Less. *loc. cit. num.* 29. quòd præcipitatio, & inconsideratio non sunt peccatum mortale, nisi ratione periculi alicuius peccati mortiferi, cui se homo exponit præcipitanter, vel inconsideratè iudicando, vel agendo. Inconstantia nunquam est peccatum mortale, nisi quis ex voto, vel præcepto teneatur persistere in sententia, vel ob aliquam causam extrinsecam, vt ad vitandum scandalū. Negligentia non est peccatum mortale, nisi negligas id, ad quod sub mortali teneris, vel ita sis animo remisso ad ea, quæ salutis sunt, vt euidenti periculo aliquid tale negligendi te exponas.

119. Dico 3. Per excessum peccatur contra prudentiam sex modis, scilicet prudentia carnis, astutia, dolo, fraude, sollicitudine temporalium, & sollicitudine futurorum. Ita D.Th. 2.2.q.55. Prudentia carnis est machinatio rationis solers, accommodata ad consequendum aliquem finem, conformem depravato appetitui carnali. Ita D. Thom. *loco cit. art.* 1. quem finem si sibi quis proponat vt simpliciter vltimum, huiusmodi prudentia erit peccatum mortale. Et de hac dicitur ad Rom. 8. *Prudentia carnis inimica est Deo.* Alias erit veniale.

120. Astutia est cogitatio mediorum, quæ ad finem, aliquem, seu bonum, seu malum consequendum sint ita idonea, vt videantur quidem verè bona, sed re vera falsa sint, & simulata. Ita D. Thom. *art.* 3. & 4. Est autem peccatum mortale, vel veniale pro ratione falsorum, & simulatorum mediorum, quæ astutè ad finem aliquem ordinantur. Vide plura de astutia apud Contz. *lib.* 3.*pol. c.*4.*à* §.1. Dolus est quædam executio astutiæ, siue verbis, siue factis, D.Thom. *art.* 4. & 5. Et fraus est etiam executio astutiæ, sed determinata per facta D.Th. *ar.* 5.& maximè dedecet Prælatum, iuxta illud Thucyd. lib. 4. *Fraus enim omnibus fœda est, tum verò iis, qui maiori sunt dignitate præditi, fœdior est, quàm aperta violentia.* Sunt autem fraus, & dolus peccatum mortale, vel veniale pro ratione materiæ, vt ait Caiet. *in sum. verb. Fraus*: Val. *tom.* 3. *disp.* 4. *q.* 5. *part.* 2. *col.* 2. *vers. Fraus.*

121. Sollicitudo temporalium est studium immoderatum circa res temporales, vel acquirendas, vel conseruandas, proueniens ex inordinato habendi amore, vel amittendi timore. Ita D. Thom. *artic.* 6. Sollicitudo futurorum est nimia occupatio circa futura intempestiua, maximè vt vitæ necessaria habeantur, coniuncta cum anxietate, & parua fiducia diuinæ prouidentiæ, vt cum quis plus, quàm par est, est sollicitus de victu, & vestitu, & aliis rebus necessariis in futurum annum, mensem, vel diem. Ita D. Thom. *art.* 7. Istæ autem sollicitudines sunt peccatum mortale, quando constituitur vltimus finis in rebus temporalibus, & illis plus fiditur, quàm prouidentiæ diuinæ, & etiam quando propter temporalia violatur de facto vel in animi præparatione aliquod præceptum omissionis, vel commissionis; alias solum sunt peccatum veniale. Ita Less. *loc. cit. num.* 31. Val. *loco cit. verb. Sollicitudo.*

122. Vitandæ ergo sunt Prælatis regularibus immoderatæ sollicitudines, cum ortum habeant ex auaritia, vt ait D. Thom. art. 8. & auaritia, 1. ad Tim. 6. est *radix omnium malorum.* Et Christus has sollicitudines acriter damnat Mat. 6. *Nolite esse solliciti, dicentes: Quid manducabimus, &c. scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Et nolite solliciti esse in crastinum, crastinus enim dies sollicitus erit sibi: sufficit diei malitia sua.* Vnde ego esse in malo statu iudico eos Prælatos, qui plus ista temporalia, quam spiritualia, curant; & in pessimo, qui nihil spiritualia, & plurimum temporalia, etiamsi tēmporalia in vtilitatem monasteriorum conuertant. Et quid dicemus de pudenda illa cupiditate, qua premuntur quidam Superiores, qui fratres suos extra conuentus mittunt, quo vadant, non curantes, modo extra conuentus comedant: Et qui ad aduentum hospitis tremunt, mussitant, murmurant, frontem caperant, rustico, & toruo illum recipientes aspectu, & si possunt, ad cauponam mittunt? Quiq; omnes suos fratres ad quæstuandum ire iubent; & nunquam rident, nisi cum aliquid in penu intruditur, & semper mœrent, cum ex eo aliquid extrahitur, etiam necessarium pro fratrum sustentatione, atque ita quando accipiunt,

accipiunt, gaudent; quando reddunt, plorant? Quique fratribus infirmis etiam necessaria denegant, vt muros monasteriorum extollant? Hi, inquam, sunt in malo statu, tum propter nimiam rerum temporalium cupiditatem. Tum quia sunt causa multarum murmurationum, & maledictionum, quas maledictiones exaudit, quandoque Dominus, iuxta illud Eccl. 4. *Maledicentis tibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius.* Tum quia inde proueniunt peculia, proprietates, vagationes, non attenditur vitæ spirituali, immò hæc maximè relaxatur; ait enim Greg. lib. 2. regist. ind. 11. ep. 17. *Necessitatis occasio, aut desides facit, aut robur Religionis infringit.* Et semper ego existimaui, duo maximè Religiones destruere. Superiorum auaritiam, & subditorum ambitionem. Sed 1. fouet, auget, gignit istud secundum.

123. Aduerte tamen, quòd tempestiua, & moderata cura temporalium, & futurorum non est prohibita, sed commendata, Prou. 6. *Vade ad formicam, ò piger, & considera vias eius, & disce sapientiam; quia, cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat.* Et Prou. 10. *Qui congregat in messe, filius sapiens est; qui autem stertit æstate, filius confusionis.* Et aduerte etiam, quòd permittit aliquando Deus, aliquos Superiores impensius temporalibus rebus attendere, vt cæteri quietiùs spiritualibus vacent. Quòd monuit Greg. 25. mor. c. 16. *Quia potestas regiminis ministrari non potest sine studio curæ temporalis, aliquando omnipotens Deus miro dispensatione pietatis, vt tenere spiritualium mentes à terrena cura disiunctæ sint, onus regiminis duris, ac laboriosis cordibus iniungit, vt tantò illæ ab hoc mundo securiùs lateant, quantò hæ in terrenis sollicitudinibus violenter elaborant.* Potest tamen Prælatus manum temporalibus stringere soluenda monasterij debita; & tunc æquum est, vt omnes patientiam habeant, mandat enim sic iustitia.

§. XIII.

De iustitia Prælatis regularibus necessaria.

124. VIde Arist. 5. *eth. à c. 1.* Lact. *lib. 5. inst. c. 5.* D. Thom. 2. 2. *q. 67.* Less. *toto lib. 2. de iust.* Val. *tom. 3. disp. 5.* Iauell. *tom. 2. p. 2. phil. christ. tract. 5.* Ant. Carm *ser. 11.* Stob. *ser. 9.* Perald. *in sum vir. tom. 1. p. 3. princ. tract. 5.* Eustach. *in eth. p. 3. tract. 3. sect. 2. disp. 2.* Ægid. *lib. 1. de reg. part. 2. cap. 10.* Patr. *de reg. lib. 8. à tit. 1.* Sarr. *In ciue Reip. reg. à consid. 30.* Ribald. *de Princ. christ. lib. 2. cap. 5.* Io. Tor. 1. *part. phil mor. princ. lib. 7. à cap. 1.* F. Tor. *phil. mor. Eccl. lib. 3. c. 25. 26.* P. Greg. *lib. 10. de rep cap. 2.* Bell. *de princ. christ. lib. 1. c. 9.* Menoch. *inst. pol. lib. 2. cap. 9.* Scrib. *in Sup. relig. lib. 1. cap. 15. & in pol. christ. lib. 2. cap. 9.* Contz. *lib. 3. pol. c. 6.* Lips. *lib. 2. ciu. doct. cap. 10.*

125. Dicendum est, iustitiam, quæ nihil est aliud, iuxta D. Thom. 2. 2. *q. 58. art. 1. & l. Iustitia ff. d. inst. & iur.* quàm Constans, & perpetua voluntas tribuendi vnicuique, quòd suum est, esse Prælatis regul. simpliciter necessariam. Ita Bell. *loc. cit.* Ægid. *loc. cit. c. 11. & 12.* Sarr. *consid. 30.* & alij communiter Constat 1. ex Scrip. Prou. 16. *Iustitia firmatur solium*, & cap. 20. *Misericordia, & veritas*, idest iustitia, *custodiunt Regem, & roboratur iustitia* (iuxta 70.) *thronus eius* Eccl. 10. *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos.* Sap. 1. *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram.* Psal. 98. *Honor Regis iudicium diligit*, idest honorabilem hoc Regem reddit, quòd iustitiam diligit, explicat Basil. & Pro. 16. *Initium viæ bonæ facere Iustitiam.*

126. 2. Constat ex PP. Aug. 2. de ciu. c. 21. ait, *Rempublicam Regi, aut stare non posse sine iustitia.* & l. 5. c. 4. *Remota itaque iustitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia?* Greg. lib. 7. regist. ep. 122. & refertur in c. si sæculi, 12. q. 2. *Summum in Regibus bonum est, iustitiam colere, ac sua cuique iura seruare.* D. Thom. lib. 3. de reg. princ. c. 5. *Consonum videtur naturæ, vt dominium sit concessum pro pace, & iustitia conseruanda, & iurgiis, ac discordiis resecandis*, & in princ. cap. ait, ideò Romanos dominium orbis terrarum fuisse consecutos, quia iustitiam zelabant. Ber. ser. ad Past. in synod. cong. *Sine iustitia non solùm Respublica, sed nec parua domus subsistere potest.* Quam propositionem latè probat Ægid. *loc. cit. cap. 11. & 12.*

127. 3. Constat ex Philosophis, Plat. lib. 1. de Rep. versùs finem. *Seditiones iniustitia, inimicitias, contentionesque parit. Iustitia vero concordiam, & amicitiam.* Xenoph. de exped. Cyri, lib. 7. *Ego verò nullam arbitror esse homini, ac præsertim qui cum imperio sit, possessionem vel pulchriorem, vel splendidiorẽ virtute, iustitia, generositate animi.* Cic. 2. de off. *Tanta huius* (iustitiæ) *vis est, vt nec ij quidem, qui scelere, aut maleficio pascuntur, possint sine vlla particula iustitiæ viuere.* Plut. ad princ. inerud. *Sicut autem in Cœlo pulcherrimum posuit sui documentum* (Deus) *in quo tanquam speculo gnaris se cernendum præbet, ita in ciuitatibus iustitia splendor quandam diuinæ sapientiæ imaginem reddit.* Ad quod etiam respexit Ar. 5. eth. c. 1. *Iustitia est virtutum præstantissima, & neque hesperus, neque lucifer sit adeò admirabilis.* Vbi aduerte, quòd hesperus, & lucifer sunt vna, & eadem stella, quæ propter suam pulchritudinem Venus dicitur: hæc semper cum Sole ambulat, aliquando tamen, idest manè, eum præcedit, & dicitur lucifer, aliquando subsequitur, idest sero, & dicitur hesperus. Puto itaque, quòd intentum Arist. fuerit dicere, quòd quia Prælatus est in Republica, velut Sol, vt dixit Christus Math. 5. *Vos estis lux mundi*, sicut Solem hunc comitatur semper splendidissimum illud sidus, Venus vocatum, ita Prælatum comitari semper debet iustitia: & sicut Venus aliquando præcedit, & exhilarat mundum, aliquando subsequitur, & contristatur. Ita eadem iustitia præcedit Prælatum; quando præmiat virtutes, virtuosos, vnde illi gaudent; subsequitur autem, quando punit vitiosos, qui lucem oderunt.

128. 4. Constat ratione. Tum quia Prælati debent esse regula agendorum. Tum quia iustitia est præclarissima virtus, quæ in se omnes continet virtutes. Tum quia iniustitia turpissima, & prodentissima res est. Quas rationes prosequitur Ægid. *loco cit.* Tum quia sicut sanitas in humano corpore consistit in debita humorum temperatura, ita Reipublicæ, & Religionis salus in debita Religiosorum contemperatione; ita vt in honoribus omnes pacificentur, quòd iustitia facit. Vnde Philo de princ. creat. col. 3. *Tali autem Principi legitimo, ius æquabile honoranti, incorruptè iudicanti, semper meditanti iustitiam, longæuum principatum Propheta proponit loco præmij. Non quod annosam ætatem polliceatur rectè administrantibus Rempublicam, sed vt nos doceat, legitimum Principem victurum etiam post obitum, relicta post se immortali virtutis earumque à se gestarum memoria.* Et Hesiod. *de op. & dieb. lib. 1.*

Verum vbi iustitia sancti seruantur honores;
Iudicioque pares & ciuis, & aduena pendent,
Vrbs viget, augetur soboles, pax læta vagatur;
Pax iuuenum nutrix. Nunquam his facolla bella
Præparat Altitonans: Nullis in rebus egestas
Imminet.

§. XIV.

De partibus integralibus iustitiæ.

DE his D. Thom. 2. 2. q. 79. *art. 1.* Val. *tom. 3. disp. 5. q. 26. p. 1.* Eustach. 3. *p. eth. tract. 5. disp. 2. sect. 3. quæst. 1.*

129. Dicendum, partes integrales iustitiæ esse 2. Declinare à malo, & facere bonum, iuxta illud psal. 33. *Declina à malo, & fac bonum.* Ad quod potest etiam adaptari illud Isa. 1. *Quiescite agere peruersè, discite bene facere.* Et illud Tertull. lib. 1. ad vx. cap. 3. *Recedit autem à malo, qui non facit, quod obest; facit bonum, qui addit insuper, quod prodest*, & Hilar. in ps. 144. *Solum malum non admittere, non habet laudem, nisi mali abstinentiam etiam gloria boni operis consequatur.* Sed cum iustitia sit ad alteram, vt ait Arist. 5. *eth. cap.* 1. istæ partes integrantes iustitiæ etiam in ordine ad alterum intelligendæ sunt, vt declinare à malo, idem sit, ac abstinere à faciendo malum proximo; & facere bonum, idem sit, ac facere proximo bonum debitum ex legali iustitia, ratione boni communis, seu ex iustitia commutatiua, ratione boni particularis. Vide Val. *loco cit.*

§. XV.

De partibus subiectiuis iustitiæ.

130. Vide D. Thom. *loco cit. q.* 61. Val. *q.* 5. Less. *lib.* 2. *de iust. cap.* 1. *dub.* 4. Eustach. *q.* 3. San *consid.* 31. Bell. *de princ. christ. lib.* 1. *c.* 10. Iauell. *tom.* 2. *part.* 2. *phil. christ. tract.* 5. *cap.* 3.

Noto 1. ex Arist. 5. *eth. cap.* 2. D. Thom. *loco cit. art.* 1. quod iustitia particularis (linquo illam generalem, seu legalem, quæ vel omnes in se continet virtutes, vel bonum pluribus commune considerat, vel leges condit, vel obseruat) habet 2. partes subiectiuas, nempe distributiuam, & commutatiuam. 1. tota posita est in distribuendis præmiis, honoribus, & aliis bonis communibus ad æqualitatem, attenta ratione meritorum, & non personarum. Commutatiua est duplex. Alia, quæ in commutationibus, emptionibus, venditionibus posita est, & de hac hic non loquor. Alia, quæ consistit in inflictione pœnarum. Quæ distinctio sumitur ex D. Thom. 2. 2. *q.* 108. *art.* 2. *ad* 1. & Bell. *de regim. lib.* 1. *cap.* 10. Alij distinguunt distributiuam iustitiam in remuneratiuam, quæ præmia distribuit, & in punitiuam, quæ delicta castigat. De quo duplici munere hic aliqua dicam, eo quod illud sit maximè Prælatis commendatum. Ier. 1. *Constitui te super gentes, & regna, vt euellas, & plantes, & ædifices, & disperdas.* Euellas scilicet, & disperdas vitia; Plantes, & ædifices per condignam retributionem virtutes.

131. Noto 2. quod iustitia distributiua tota posita est, vt euitetur acceptio personarum; de qua D. Thom *q.* 63. vbi Arag. Sal. & Val. *quæst.* 7. & Less. *lib.* 2. *c.* 32. *dub.* 1. Acceptio autem personarum est vitium, quo Prælatus in distributione bonorum communium, quæ ex iustitia debentur, non considerat veram causam meritoriam, sed loco causæ considerat aliquam qualitatem, vt cognationem, patriam, amicitiam, vel aliquid aliud huiusmodi, quod ad rem non pertinet. Ita Bell. *loco cit.* Est autem acceptio personarum ex genere suo peccatum mortale; quia prohibetur in Script. Deuter. 1. *Nulla erit distantia personarum, nec accipietis cuiusquam personam.* & Iacob. 2. *Nolite in personarum acceptione habere fidem.* Cum ergo in Scrip. sacra non prohibeantur de ordinatio nisi sola peccata mortalia, vt ait Sal. *loc. cit. art.* 1. *concl.* 1. de fide est, acceptionem personarum esse peccatum mortale ex genere suo. Quod addo, quia ex leuitate materiæ, vt notant Arag. & Val. *p.* 1. *col.* 2. *vers. Ex hoc facile*, potest aliquando esse veniale, vt si quis amicum digniori præferat in electione ad aliquod officium parui momenti, vel etiam aliquid plus ex bonis communibus amico conferat, quàm aliis.

132. Aduerte autem, quod iustitia distributiua non exigit vt bona communia æqualiter omnibus dispensentur secūdum portionem arithmeticam, sed solum secundum geometricam, ita vt detur magis, & minus secundum exigentiam debiti, & meriti, vt notat Eustach. 3. *p. eth tract.* 3 *disp.* 2. *sect.* 2. *quæst.* 5. & dixi sup. pluries.

133. Aduerte etiam, non accipere personam illum Prælatum, qui amicum, conciuem, &c. magis, & libentiùs ad honores, & dignitates anteponeret, quam alium æque dignum, si amicitia, &c. sit solum causa impulsiua, non principaliter motiua; si verò nominet amicos non idoneos, tum acceptor est personarum, & mortaliter peccat, quia non merita, sed amicitiam respicit, vt notat in specie Bell. *de princ. christ. lib.* 1. *c.* 10. Item si in nominatione præponat probandos probatis, vt aduertit Ber. lib. 4. de consid. c. 3. *Ad officia viros probatos oportet deligi, non probandos.* Non putarem tamen, peccare mortaliter, qui conuentibus paruis non probatum iuuenem præponeret, ad faciendum de eo experimentum, probato postposito. Tum quia nisi quis probetur, nunquam poterit dici probatus. Tum quia illæ Prælatiæ cōuentuum minorum non requirunt Prælatum tam vndequaq; rotundum, cum paucos habeant sub se subditos.

134. Aduerte etiam, quod non esset acceptor personarum ille Prælatus qui ex bonis suo vsui concessis donaret aliquid amico minus digno, & minus indigenti, quam alij, vt aduertit Val. *loc. cit. vers. Porrò*; quia illa bona non sunt bona communia formaliter, sed per assignationem facta sunt quodammodo particularia, nec distribuuntur ex iustitia, sed ex mera liberalitate; & in gratuitis non est acceptio personarum, vt aduertit D. Thom. 2. 2. *q.* 63. *art.* 1. *ad.* 3.

135. Aduerte etiam, quod potest Prælatus peccare peccato acceptionis personarum in exhibendis honoribus suis subditis, tam in publico, quam in priuato, v.g. si in capitulo debitum locum vnicuiq; non assignet, sed vnum alteri præferat, si titulum suum cuiq; non tribuat. Similiter in priuato, si non salutet quem debet, & eo modo, quo debet, sed in hoc respiciat, non merita, sed alias qualitates, quibus honor non debetur. Ita D. Th. Arag. Sal. *loc. cit. art.* 3. quod peccatum erit mortale, vel veniale, iuxta iniuriam, quam priuatus tali loco, vel titulo, vel honore sibi debito patitur. Ita Sal. *loc cit. controu.* 1. *concl.* 1.

136. Aduerte quoque, quod Prælatus etiam in his, quæ commissa sunt illius arbitrio, potest peccare peccato acceptionis personarum. Vt si vni remittat pœnitentiam, & nolit cum alio in pari causa. Si in iudiciis vni concedat copiam processus, alteri neget. Ita Sot. *lib.* 3. *de iust. q.* 6. *art.* 5. Arag. *loc. cit. art.* 4. Val. *tom.* 3. *disp.* 5. *q.* 7. *p.* 4. *col.* 3. *vers. Ad hanc dubitationem*; Sal. 2. 2. *q.* 63. *art.* 4. *controu.* 1. *col.* 2. Nam vsus potestatis, quem habet Prælatus, est in bonum publicum, & vtilitatem subditorum ordinatum, ergo ex iustitia distributiua tenetur illud dispensare, & applicare subditis secundum dignitatem vniuscuiusque. Et *Prou.* 18. dicitur, *Accipere personam in iudicio, non est bonum,* & *In iudiciis non est habenda acceptio personarum*, per reg. 12. de reg. iur. in 6.

137. Circa iustitiam punitiuam. Dico 1. tenetur Prælatus delicta subditorum punire. Est communis cum D. Thom. 2. 2. *q.* 67. *art.* 4. *corp.* Menoch. *inst. pol. lib.* 2. *c.* 12. *n.* 1. Bell. *lib.* 1. *de princ. christ. c.* 10. Constat tum ex Scrip. Isa. 1. *Quærite iudicium, subuenite oppresso,* &c. Deuter. 13. interfici iubetur, qui persuadet Diis alienis seruire, *Nec parcat*, dicitur, *ei oculus tuus, vt miserearis, sed statim interficies.* Et de Homicida *Deut.* 19. dicitur. *Morietur, & non misereberis eius.* Et ad Ro. 13. *Non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.* Tum quia Prælatus est custos iustitiæ, qui proinde ius suum vnicuique reddere debet. Tū quia ad bonū Religionis pertinet, quod malefactores puniātur, & leges custodiātur. Tū ex c. *Nō est crudelis, cū* 4. *seq.* 23. *q.* 1. & c. *Non innocentia, cū* 4. *seq. ead. cau. & q.* Facit etiam c. *Si ii, qui* 23. *q.* 4. c. *Legi Siromastem,* 23. *q.* 8. & c. 1. *cum* 2. *seq. d.* 86. Tum ex PP. Chrysost. *lib.* 3. *aduers. vitup. vi. mon.* loquens de Sacerdote Heli, ait.

Minus

Minas addere debuerat, & à suo eos conspectu amouere, & verberibus afficere, multoque illos grauius, & durius tustare. Sed cum intempestiuè illis parceres; & suam, & illorum salutem perdidit Et Bern. *ep.* 178. *ad Innoc. Papam*, conquerens quod non reperiatur Romæ iustitia in Prælatis Ecclesiasticis, ait. *Quis flagitiosi, & contentiosi de populo, siue de clero, aut etiam ex monasterio currunt ad vos pulsati, redeuntes iactant, & gestiunt, se obtinere tutores, quos magis rectores sensisse debuerant. Proh pudor! quos cachinnos res isto mouet Ecclesiæ inimicis?* & P. Dam. epist. 11. ad Gotif. lib. 7. *Illud etiam mihi non mediocriter displicet, quia in plectendis flagitiis, & temeritatis iniquorum hominum ausibus coercendis, remissior cernaris esse, quam debeat, & dum peccatoribus parcis, augere peccata conuinceris, eneruato quippe rigore iustitia, status euertitur disciplina: & dum vltoris seueritatis censura reprimitur, temeraria delinquendi licentia relaxatur, inordinata sanè pietas nutrit impietatem, & timida manus medici vulnus auget ægroti:* & ep. 12. eiusd. lib. probat, quòd rigor iustitiæ vtilis est bonis, & malis.

138. Nota autem, quod propter 3 debent Prælati delinquentes punire. 1. quia id merentur; sicut enim nullum bonum irremuneratum, ita nullum malum debet esse impunitum. 2. vt corrigantur, *cap. Prodest*, 23. *q* 5. 3. propter pacem & quietem Religionum, *c. Res omnes, ead. cau. & q.* Duas alias addit Gel. lib. 6. *c.* 14. *Puniendis peccatis tres esse debere causas, existimatum est, Vna est cum pœna adhibetur castigandi, atque emendandi gratia, vt is, qui deliquit, attentior fiat, correctiorque. 2. cum dignitas, auctoritasque eius, in quem peccatum est, tuenda est, ne prætermissa animaduersio contemptum eius pariat, & honorem leuet. 3. propter exemplum, vt cæteri similibus à peccatis, quæ prohiberi publicitus interest, metu cognitæ pœnæ deterreantur.* Sed hæ duæ ad 3. illam nostram reduci possunt: & de ea Prou. 9. *Pestilente flagellato, stultus sapientior erit.* Et aduerte, quod non possunt Prælati pœnas à iure delictis inflictas excedere, vel minuere, absque causa legitima, *l. Si ita stipulatio, ff. de verb. obl.* Red. *de maiest. Princ. vers. sed etiam per legitimos tramites, à n.* 26. *& à n.* 48. Causæ autem legitimæ sunt ætas, tempus, locus, rei conditio, criminum vniuersitas, peccatorum qualitas; Red. *n.* 77. Et multo minùs potest Prælatus veniam dare; *Sil. appariter, in fine, Cod. de cohortal. lib.* 12. Hæc enim non datur delinquentibus nisi in casibus à iure expressis, iuxta notata *in l. Si quis legatum, §. Si patronus, in gloss. verb. Impetrata, ff. de fals.* Red. cit. §. *Ad clementiam pronum, num.* 14.

139. Ex his collige 1. quod Prælatus non condemnans reum ad soluendas pœnas à lege positas, sed illum absoluens, aut pœnas minuens, mortaliter peccat, & restituere tenetur communitati, vel parti læsæ damnum datum, præsertim in bonis temporalibus. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 67. *art.* 4. vbi Arag. & idem Aragon. *q* 62. *art.* 7. *col.* 16. ex eo enim quod peccatores manent impuniti, aut non debitè puniti, audaciores, & promptiores fiunt ad noua scelera patranda. Vnde Isa. cap. 26. *Misereamur impio, & non discet iustitiam.* Et quod Prælati restitutioni sint obnoxij, conuincitur ex 3. Reg. 20. *Quia dimisisti virum dignum morte, erit anima tua pro anima illius.* Et dictus Prælatus infamiæ pœnam incurrit; *l. Seruos, in fine, Cod. ad legem Iuliam, de vi publ. Rom. sing* 77. qui addit præterea, dictum Prælatum puniendum esse pœna, qua puniendus erat reus. Ita Red. *loco cit. num.* 49. Limita tamen nisi locum habeat epichæia, vt Arag. *loco cit. quæst.* 67. *art.* 4. vel nisi magna perturbatio in Religione oritura, suaderet ad tempus dilatandam esse peccatorum integram punitionem; *cap. Tolerandi, c. Quid ergo; c. Quidam vero. cap. Cum quisque* 23. *q* 4. & docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 108. *art.* 1. *ad* 5. *fine.*

140 Collige 2. quàm malè faciant, qui precibus importunis conantur eripere reos è manibus Prælatorum ne pœnas debitas illis infligant, vt notat Val. *tom.* 3. *disp.* 5. *q.* 11 *part.* 4 *fine.* 1. enim sunt causa, quod Prælatus eorum precibus victus, iustitiam deserat cum aliorum scandalo, & animæ suæ detrimento. 2. priuant dictos reos vtilitate, quæ capitur ex punitione, vt dicitur *in cap. Serpens, de pœnit. dist.* 1. cum enim puniuntur in hac vita, non puniuntur in futura; *cap. fin. §. Sed etiam sic, de pœnit. dist.* 7. & docet Dam. lib. 7. ep. 12. *Vbi autem non est solutum vindicta peccatum, manet æternis ignibus extinguendum.* Et certum est, quod quo plus quis pœnitentiam differt, eo plus patientiam Dei prouocat ad seuerius vlciscendum; *c. Si eo*, 23. *q* 4. Grauissimum itaque flagitium fauere iniquis; *cap. Qui consentit*, 11. *q.* 13. vbi dicitur, *Qui defendit delinquentem, maledictus erit apud Deum, & homines.* Nec valet, quod dicunt; misericordia se motos id facere: nam optimè Aug. relat. cap Si res, §. Illud verò, 14. quæst. 6. *Misericordius opem nostram talibus subtrahimus, quàm impendamus.* & Greg 3. pat. past. admon. 17 & 16 mor. cap. 19. *Cum immoderatius custoditur virtus mansuetudinis, soluuntur iura regiminis, & fiunt in subditos grauiter impij, cum circa impios sunt sine discretione pij.*

141. Dico 2. Debet Prælatus in puniendo semper rigori miscere misericordiam. Ita Red. *de maiest. Princ. verb Seuerum, n.* 7. Trull. *in eluc. lib.* 3. *c.* 15 A. Carm. *ser.* 14. F. Tor. *phil. mor. Eccl. lib.* 3. *c.* 25. *&* 26. Menoch *inst. pol. lib.* 2. *c.* 12. *§.* 7. Bell. *de princ. christ. lib.* 1 *c.* 10. Scrib. *lib.* 2. *pol. christ c.* 9. Constat 1. ex Scrip. Eccl. 7. *Noli esse iustus multum, neq; plus sapias, quam necesse est.* Eccl. 4. *In iudicando esto pupillis misericors vt pater, & pro viro matri illorum, & eris tu velut filius Altissimi obediens, & miserebitur tui magis, quam mater* Qui locus de omnibus intelligitur; nihil enim aliud est reus sub iudice, quàm pupillus, patre, & protectore destitutus, & psal. 84 *Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi, iustitia, & pax osculatæ sunt.* Iob. 29. *Cum sederem quasi Rex circumstante exercitu, eram tamen mærentium consolator.* Ad quem locum dicit Greg. *Disciplina enim, vel misericordia multùm destruitur, si vna sine altera teneatur.*

142. 2. Ex PP. Aug. *lib.* 5. *hom.* 4. explicans illud ps. 118. Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me: *Hæc est*, inquit, *oratio eorum, qui præsunt, vt doceat illos Deus bonitatem, qua faciat disciplinam, quam exercent, amabilem; disciplinamque, qua inculpabilem faciat, quam exercent, bonitatem. Quia bonitas, idest benignitas, & facilitas sine disciplina, mater est vitiorum; disciplina sine bonitate, tristis quædam amaritudo viuendi. Scientia opus est, vt nouerint scienter, sapienterque distinguere; qui sint termini bonitatis, & quam disciplina debeat tenere mensuram, ne forte aut nimia remissione vitio bonitas inconsultò fœdetur, aut disciplinæ durior ipsa seueritate crudeles sint* Greg. 20. mor. cap. 8. *Hinc Dauid ait, Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Virga etenim percutimur, & baculo sustentamur. Si ergo est districtio virgæ, quæ feriat sit & consolatio baculi, qua sustentet. Sit itaque amor, sed non emolliens; sit rigor, sed non exasperans; sit zelus, sed non immoderatè sæuiens; sit pietas, sed non plus, quàm expediat, parcens.* Basil. in proœm. reg. fus. disp. *Animaduertis quanta cum discretione misericordia Dominus vtatur; siquidem neque extra iudicij discretionem clemens est: neque inclementer iudicat, misericors enim, & iustus Dominus est.*

143. 1. Constat ex sacris Can. Trid. sess. 13. de reform. cap. 1. *Sin autem*, ait, *ob delicti grauitatem virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate seueritas adhibenda est.* &c c. Ponderet, dist. 50. fine, cap. Omnis; & c. Vera, dist. 45. Et Cic. pro Clu. ait, *Sapientis iudicis est meminisse se hominem; cogitare sibi tantum à populo esse permissum, quantum commissum, & creditum sit, & non solùm sibi potestatem datam, verum etiam fidem habitam esse*, & infra,

Sapientis iudicis est, habere in consilia legem, religionem, æquitatem. Et tandem veram existimo Aug. sententiam ser. 26. ad fr. in er. tom. 10. *Melius est, vt redarguamur de misericordia, quàm de crudelitate in die nouissimo, superexaltat enim misericordia iudicium,* Iac. c. 2. & Boët. lib. 4. de consol. met. 4. *Vis aptam meritis vicem referre? dilige iure bonos, & miserere malis.* Et quidam è nostris, dicebat, quod, *Rigidus Prælatus rigidos facit subditos*; duriores enim sunt in exequendis mandatis, & aliquando rebelles, cum animus generosus hominis non nisi amore trahatur.

144. Sed dices, quomodo poterit Prælatus esse misericors, cum dictum sit, quod tenetur delicta punire, nec potest pœnas relaxare, aut minuere? Ad hoc gloss. in c. Omnis, quid 45. *Ideo dicitur iudex seruare rigorem, & misericordiam, non quod simul exerceat eam circa aliquem, sed quia, si aptus fuerit, & causa subest, debet esse misericors in dispensando: si causa non subest, debet esse rigidus in iudicando. Vel dic, quòd iudex semper habebit misericordiam, etiam occidendo hominem, etsi non per mitigationem pœnæ, saltem per compassionem, vt infra eodem cap. Vera. Item ex hoc facit misericordiam, cum facit, vt ille conteratur inter flagella, & ne fiat deterior. Vnde eo ipso quòd iudex punit aliquem, misericordiam facit vt dicitur in cap. Tria, eadem caus. & q.* vbi dicitur, quod delinquentes corrigere, eleemosyna est. Et qui facit ●iem peccato, misericors est, *c. fin. de pœnit. dist. 7. fine.* Vel denique dic, quod erit Prælatus iustus, & misericors, si æquitatem seruet: est enim æquitas *iustitia dulcore misericordiæ temperata,* vt ex Cypr. Panor. *in c. Magna de voto, n. 3.* & vir æquus secundùm Arist. 5. eth. c. 10. fine, est, *Qui non est exactus iuris executor in peiorem partem, sed imminuit potius,* & 2. mag. mor. c. 1. ait, *Est nimirum æquitas, & æquus, qui descripta legibus iusta diminuit, ac moderatur: nam quæ legislator particulatim examinare, & ad vnguem definire non potest, sed in vniuersum loquitur, hic in eisdem intercedens, deligit quæ legislator particulariter quidem definire volebat, verùm et facere non licuit. Huiusmodi certè æquus, non omnino iusta diminuent, quandoquidem quæ natura, ac verè iusta sunt, non diminuit, sed ea dumtaxat, quæ legislator deseruit, cum explere non posset.* Si ergo Prælatus in fauorem rei semper leges interpretetur in dubiis, easque quantum illarum substantia patitur, minuat, iustus, & misericors erit. Quando verò pœna est expressa in iure, & circunstantia non minuit, cùm nec ipse minuere possit, ita se gerat, vt intelligat quilibet, inuitum illum ad ista descendere; iuxta illud Claud.

Sit piger ad pœnam Princeps, ad præmia velox
Et doleat quoties cogitur esse ferox.

145. Sed quomodo, inquis, persuadebit subditis, inuitum se ad pœnas descendere? Id persuadebit primò, si intelligant subditi, æqua se lance omnibus iustitiam ministrare solitum, *Nam statera dolosa, abominatio est apud Deum, & pondus æquum voluntas eius.* Prou. 11. ad quem locum ait Beda tom. 4. *Qui aliter causam pauperis, aliter causam potentis, aliter sodalis, aliter audit ignoti, statera vtique librat iniqua.* Et Amb. 2. de off. cap. 24. *Sed nec personam alterius accipiamus in iudicio, gratia absit, causam merita decernant. Nihil sic opinionem, imò fidem, grauat, quàm si in iudicando potentiori dones causam inferioris, vel pauperem innocentem arguas, & diuitem excuses reum culpa.* 2. Si non iratus iudicet, Sap. 12. *Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas.* Licet enim impossibile sit, quod non irascatur Prælatus ad vitia subditorum, præsertim si in commune damnum vergant; vnde Dauid dicebat Psalm. 40. *Irascimini, & nolite peccare,* & Lact. lib. de ira, cap. 17. *Ira, quæ ad correctionem vitiorum pertinet, nec homini adimi debet, nec Deo potest; quia vtilis est rebus humanis, & necessaria.* Et Arist. 4. eth. cap. 6. *Qui non irascitur pro quibus oportet, & vt oportet, & in quos oportet, is procul dubio fatuus, & stupidus est.* Iratum tamen iudicare periculosum, cum furor, iraque mentem præcipitent, iuxta illud, *Impedit ira animum, ne possis cernere verum,* & Greg lib 8. reg. epist. 12. ind. 3. *Restringenda erga sub ratione potestas est. Nec quidquam agendum priusquam concitata ad tranquillitatem mens redeat.* Et referunt Platonem dixisse, *Iracundos ad disciplinas discendas idoneos, ad regendam Rempublicam prorsus inutiles.* 3. Curet potius peccatum, quam peccatorem tollere, secundùm monitum Sen. 1. de ira, c. 16. *Nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur.* 4. Si occasiones peccandi tollat, & malum succidat, quando incipit pullulare, vt ait Hier. ad Eustoc. de cust. virg. *Dum paruus est hostis, interfice, nequitia, ne zizania crescat, elidatur in semine,* & Sen. ep. 86. *Vt initia morborum quamvis leuia serpunt: ita si vitia, & affectus vel leuissimo semel admittas, crescunt, & augescunt,* & ibid. *Facilius est initia affectuum prohibere, quam impetum regere,* & Hor.

Principiis obsta, serò medicina paratur.
Cum mala per longas conualuere moras.

5. Si non sit nimium anxius in delictis subditorum conquirendis, nec quærit impietatem in domo iusti. Licet enim debeat esse vigilans, & curare pro posse, vt regula, & constitutiones seruentur, non tamen debet esse importunus quæstor, nec multò minùs occultus insidiator; immò præstat aliquando habere oculos, & non videre, aures, & non audire, Tac. *in Agric.* vt referunt, ait, quod Princeps *omnia scire debet, non omnia persequi, paruis peccatis veniam, magnis seueritatem accommodare; nec pœna semper, sed sæpius pœnitentia contentus esse.* Et Arist. 12. met. tex. 5. *Quædam melius est non videre, quam videre.* Quod obseruasse videtur Sapiens Prou. 7. *De fenestra domus meæ per cancellos prospexi, & video paruulas, considero vecordem iuuenem.* Ecce diligens Prælatus. Videt subditos aliquos minutiora committere, & tacet, seu tacitè monet; Non vt aliqui parum prudentes, imò maligni, & venenati Prælati, qui de quacunque etiam leuissima culpa processus formant, & si non formant, iàm venenatis verbis mordent, vt acerbam putent sibi subditi eam esse vitam. Isti sunt Prælati parum prudentes, minùs misericordes, multùm maligni, in summo gradu superbi, & hypocritæ peruersi, à consortio hominum arcendi. Nam, vt sanctè Greg. lib. 8. reg. epist. 16. ind. 3. *Plerumque plus virium habet discreta in correctione remissio, quàm in exequenda vltione districtio: adeo vt nonnunquam hæc fideliorem, atque subiectum, illa vero obstinatum faciat, & æmulum.* Quoniam vero solent Prælati solis verbis minutiora corrigere, ideò sequ. pono §.

§. XVI.

Vtrum liceat Prælatis verbis contumeliosis subditos redarguere.

146. Videri potest D. Thom. 2. 2. *quæst. 72. art. 2. corp.* vbi Cai. & Sal. *concl. 2.* Sot. *lib. 5. de iust. q. 9. art. 2.* Val. *tom. 3. disp. 5. q. 16. par. 2. col. 2.* Nau. *c. Inter verba, concl. 6. porf. num. 126. & in man. cap. 18. num. 12.* Turrecr. *in regula S Bened. tract. 12. c. 2.* Corrad. r *par. cas. quæst. 73. & qu. 97. in add.* Spat. *de mo. cor. reg. tract. 10, cap. 23.* Rodrig. *tom. 2. quæst. regul. quæst. 42.* Sylu. *verb. Contumelia, quæst. 3.* Thom. à Iesu *de vis. reg. tractat. 1. c. 20* Mol. *tract. 4. de iust. disp. 38. n. 3.*

147. Dico 1. licitum est Superioribus regularibus conuitiis increpare subditos errantes. Ita D. Thom. cum aliis *loc. cit.* Rodrig. *art. 2.* Spat. *num. 3.* Constat.

Tum

Tum quia Christus discipulos suos vocauit stultos. *Luca* 14. & Paulus Galatas vocauit insensatos, ad eos *c.* 3. Tum quia si licet causa disciplinæ eos verberare, vel in rebus damnificare, ita etiam poterit eis conuitia dicere. Tum quia potest illos reprehendere. 2. ad Tim. 4. *Argue, increpa*, at reprehensio est medicamentum mordicans secundùm Basil. imò Paulum ad Tit. 1. *Increpa illos durè, vt sani sint in fide.* Tum quia Basil. in cap. 2. Isa. ver. Et arguet, ait. *Si quidem reprehensio omnes palam attingens eum, qui reprehenditur, ipsius animum peracri dolore excruciat, ob oculos ponens turpitudinem peccati.* Et Tull. *lib. 1. de off.* de obiurgationibus loquens, ait, *In quibus vtendum est fortasse, & vocis contentione maiore, & verborum grauitate acriore, vt ea facere non videamur irati, sed vt ad vrendum, & secandum medici*, & paulo post. *Atque etiam illud ipsum, quod acerbitatis habet obiurgatio, significandum est, ipsius causa, qui obiurgatur, susceptum esse.*

148. Notat autem Sal. quo ad hoc, vt dicta reprehensio contumeliosa fiat sine peccato, debent concurrere tria. 1. quòd contumeliæ dicantur solo animo corripiendi, non principaliter ex ira: nam si ex ira principaliter procederet contumeliosa reprehensio, ita scilicet quòd si Prælatus non esset iratus contra talem, eum non reprehenderet, esset peccatum mortale, vt aduertunt Nauar. *in man. c.* 18. *n.* 12. Sylu. *verb. Contumelia. quæst.* 3. Si vero ira non sit causa principalis, sed solum coadiuuans, tunc non erit peccatum, nisi excedat. 2. debet fieri dicta reprehensio cautè, modestè, & cum magna necessitate, quæ certò speretur profectura. Quam conditionem ponit D. Thom. *loco cit. ad* 2. vnde omnino peccat mortaliter ille Prælatus, qui reprehendit suum subditum cum graui contumelia coram vel sæcularibus, vel extraneis, vel etiam nouitiis (nisi fortè coram dictis peccasset) ex qua reprehensus multùm grauatur apud illos, præsertim si dicti non satis animum Superioris agnoscentes, eum animo perturbato loqui existimarent; nihil enim cum scandalo faciendum est, *cap. Nihil, de proscrip.* 3. debet iis verbis fieri, quibus intelligat subditus, non ex ira aut passione ea dici, sed solum ex animo, & desiderio illum corripiendi. 4. quod est complementum, seu epilogus omnium, ponit Nauar. *loco cit.* quod vt absque peccato dicta reprehensio fiat, solum debet significari vitium, cuius correctio prætenditur, non alia vitia iam correcta, & emendata, & iam ex hominum memoria elapsa, seu etiam nunquam patrata. Quod parum aduertunt aliqui Prælati, qui litaniam sibi vitiorum faciunt, quam propter quamcunque causam subditis in faciem cantant. Quam conditionem laudant valde Rodrig *loc. cit. art.* 2. & Spat. etiam cit. *n.* 5.

149. Ex quibus collige, quod, cum tam difficile sit dicto modo sine peccato contumeliari, optima est doctrina Caiet. Soti, Spat. Corradi *loco cit.* vt scilicet nunquam subditi cum contumeliis reprehendantur, nisi suggerente Spiritu Sancto. Quoniam, inquit Caiet. *repræsentatur subditis, quòd non ex charitate, sed ex passione procedant, fiuntque deteriores, non suscipientes disciplinam, leuiusque verbera, quàm contumeliosa verba, suscipiunt.* Et Sot. lib. 5. de iust. quæst. 9. art. 2. *Consultissimè enique etiam Prælatis, abstinendum est à conuitiis, quæ humanos animos amarulentius, quàm corporalia vulnera exulcerant.* Quam doctrinam multis confirmat Nauar. *c. Inter verba, concl. 6. perf. à num.* 127. Nec ab ea abhorret Ambr. lib. 6. exam. cap. 3. *Verbera, & verba parum differunt, imò non differunt. Verbera enim flagellant corpus, & verba animam.* Vnde Trid. sess. 13. de reform. cap. 1. *Quos tamen si quid per humanam fragilitatem peccasse contigerit, illa Apostoli est ab eis seruanda præceptio, vt illos arguant, obsecrent, increpent in omni benitate, & patientia, cum sæpe plus erga corrigendos agat beneuolentia, quam austeritas, plus exhortatio, quam comminatio, plus charitas, quam potestas.*

150. Dico 2. licet Prælati regulares in corripiendo ira concitati excedant, non tenentur tamen petere veniam ab iis, quos læserunt. Ita Nauarr. *in cap. Inter verba, concl. 6. perf. n.* 129. *& com.* 4. *de reg. n.* 4. Sylu. *verb. Correctio, n.* 12. *& verb. Contumelia, quæst.* 4. Ang. *verb. Correctio Prælat.* §. 2. Sal. 2. 2. *quæst.* 72. *art.* 2. *concl.* 4. *tit. Contumelia, vers. illata*, Corrad. 1. *par. cas. quæst.* 73. Rodrig. *tom.* 2. *quæst. reg. quæst.* 41. *art.* 3. Constat. Tum *ex cap. Quando dist.* 86. quod est desumptum *ex cap.* 12. *reg.* Aug. vbi id habetur expressè. Tum ex Greg. *par.* 2. *past. cap.* 10. *versùs finem*, vbi ait. *Dum ad increpationem se mens doctoris exasperat, difficile valde est, vt non aliquando, & ad aliquid, quod dicere non debet, erumpat. Vnde necesse est, vt exasperatus Auctor, cum subditorum mentem plus se, quam debuit, percussisse considerat, apud se semper ad pœnitentiam recurrat, vt per lamenta veniam in conspectu Veritatis obtineat, ex eo etiam quod per zeli eius studium peccat.* Tum quia periculum est, ne, dum nimia seruatur humilitas, regendi frangatur auctoritas; quando autem hoc non timeretur, tunc laude dignum, magnique meriti esset, veniam etiam à subditis petere, exemplo Saülis cum Dauid 1. Reg. 24. *Iustior, tu es, quam ego. Tu enim tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala.* Notant autem Gloss. *in dicto c. Quando, vers. Dura.* Ang. & Sylu. *loc. cit.* Quod, si Prælatus ex odio, vel malignitate excederet in dicta reprehensione mortaliter peccaret, & teneretur veniam petere, ac restituere; quia tunc teneretur actione iniuriarum.

151. Dico 3. quando subditis subdito contumeliatur, tenetur Prælatus cogere contumeliantem, vt à contumeliato etiam genuflexus veniam petat, & honorem illi per contumeliã ablatum restituat. Sal. *loco cit.* Sylu. *verb. Contumelia, quæst.* 4. Corrad. *loco cit. quæst.* 73. *& add. ad quæst.* 97. Val. *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 16. *p.* 1. *col.* 3. *vers. Per se enim*: quam veniæ petitionem in Religiosis admittit etiam Caiet. 2. 2. *quæst.* 73. *art.* 3. licet in aliis neget, id esse necessarium, sed sufficere restitutionem, quomodocumque eam fieri contingat, Satisfactionis ratio fundatur in iustitia commutatiua, quæ obligat lædentem ad satisfaciendum. Contumelia autem aduersatur iustitiæ commutatiuæ, vt in specie docet Val. *loc. cit. col.* 2. *vers. Quarto sequitur.* Quod autem hæc satisfactio debeat hoc modo fieri, scilicet per petitionem veniæ, est communis DD. sententia, quam consuetudo approbauit; quæ tamen veniæ petitio solùm inter pares intelligitur, vt aduertunt Val. Corrad. *add. ad quæst.* 97. in disparibus sufficiet restitutio honoris quomodocumque. Cum ergo Prælatus teneatur suis subditis iustitiam ministrare, & consuetudines laudabiles seruare, sequitur, quod à contumeliatis, teneatur facere, vt contumeliantes veniam petant. Si autem duo subditi inuicem sibi iniurias dicant, seu vnus calumniam calumnia explodat, nulli danda est satisfactio; nec qui per calumniam à calumnia se defendit, etiamsi irritatus aliquantò excedat, non videtur ad restitutionem teneri, quia non videtur fraudem facere, qui fraudem excludit, *l. Cum pater, §. Titio fratri, in fine ff. de legat.* 2. Hipp. de Mars. *sing.* 177. *n.* 1. Glossa *in cap. Cupientes, vers. Malignantium, de elect. in* 6. Red. *de maiest princ. vers. Sed etiam per legitimos tramites, n.* 143. Alij communiter dicunt, quod notatus infamia non potest per modum vindictæ vicissim infamare infamatorem. In iudicio tamen, si iniustè sit accusatos, potest occultum alterius crimen sine culpa prodere, ad se iustè tuendum, si talis criminis manifestatio ad hoc necessaria sit. Ita Bonac. *de rest. disp.* 2. *q.* 4. *p. vlt. n.* 4. Addit. Toleti *ad c.* 70 *impress. Venet.* 1614.

Pottel. *in dub. reg. verb. Correctio fratrum, n.* 30. Ego tamen primam sententiam puto veram, etiam in conscientia, ob rationes, quas doctè ad id adducit Ban. 2. 2. *q.* 70. *art.* 3. *dub.* 2. *concl.* 3. quem sequitur Vega 1. *p. sum. cap.* 101. *cas.* 2. Quare qui calumniam calumnia explodit, non ratione vindictæ, sed iustæ defensionis, non peccabit plus quam venialiter, ratione mendacij. Nec ad restitutionem vllam tenebitur, vt sentiunt Cruz *in direct. consc. p.* 1. *præcep.* 8. *q.* 3. *dub.* 17. qui addit hanc doctrinam quoad restitutionem esse veram, siue reus accusetur de crimine falso, siue de vero, sed occulto; Quod autem peccatum non sit plusquam veniale, docet etiam Ledesm. *in summa tom.* 2. *tract.* 8. *c.* 25. *concl.* 21. *dub.* 3. *pag. mihi* 557. qui etiam asserit id esse verum, quando, licet crimen obiectum est verum, sed iniustè obiicitur, quia occultum, & probari non potest.

152. Notat etiam Prælatus, quod non debet subdito peccanti exprobrare vitia, seu defectus naturales, aut originales, v. g. cocles frangit silentium, non debet statim illi conuiciari, dicendo, Si geetcius bonus sit, inter miracula scribe, Quid luna cum caneris? quam connexionem habet esse coclitem cum fractione silentij? si vocaret illum loquacem garrulum, bene quidem: at coclitem, non puto posse sine peccato. Nec minùs potest illi exprobrare principia natiuitatis, hæc enim nullam habent vim ad fratrem corrigendum (nisi eo peccato peccaret, quo publicè, & iuridicè notati fuere sui antecessores, vt si ipsi titubassent in fide, & ipse titubaret) quia semper præsumuntur procedere ex odio, & malignitate, seu lubricitate linguæ, ad vituperandum proximum semper paratissimæ. Tantò magis, quod dicit Ar. 3. eth. cap. 5. quod: *Qui ex natura deformes sunt, eos reprehendit nemo, sed illos, qui per otium, & negligentiam tales euaserunt. Simili modo si turpitudo vel ex infirmitate, vel ex membri alicuius mutilatione contigerit: nullus enim ei, qui vel ex natura, vel ex morbo, vel ex vulnere factus sit cecus, cecitatem exprobrabit, sed miserebitur potius. At eum obiurgant omnes, qui ex temulentia, vel alia quapiam intemperantia excecatus fuerit. Atque ita vitia corporis, quo in nostra potestate sunt, vituperentur, quo non sunt, minimè.* Ex quibus colliget Prælatus, quæ sibi liceant in similibus.

153. Nota etiam, quod sicut multi Prælati excedunt in reprehendendo, ita multi deficiunt, & vtrique male agunt, quia virtus in medio consistit. Illos iam satis, vt puto, temperauimus, istis fortè medebimur, si suam infirmitatem vsque ad radices discooperiamus. Sciant itaque Prælati, Prælatias non esse illis datas, ad impiguandum, ad deambulandum, spatiandum, & lætandum omnibus viis, & modis, sed solùm in bonum subditorum. Vnde tam peccant, si minùs quàm oportet reprehendant, quam si plus, cum custodes sint iustitiæ. Ex multis verò capitibus oritur iste defectus non reprehendendi subditorum vitia, vt notat Turrec. *tract.* 12. *in reg. S. Bened.* 1. ex pigritia, & negligentia, quæ est multùm vituperabilis in Prælato, cum neque dormitare permittatur, cum cura exigit Prælatiæ, iuxta illud, *Ecce nen dormitabit neque dormiet, qui custodit Israël.* 2. ex verecundia, quia, cum ipsi reprehensibiliter viuant, sciantque carere omni vitio debere, qui paratus est in alium dicere, dubitant, ne sibi dicatur, Medice cura te ipsum. 3. ex superstitiosa humilitate, qua apud subditos auctoritatem amiserint, vnde sequitur reprehensionis contemptus. 4. quia toti sæcularibus curis intenti, nihil spiritualia curant. 5. ob timorem alicuius temporalis incommodi, verentes nimirum, ne in indignationem incurrant subditorum, à quibus deinde contra se prouocatis non possint obtinere suffragia ad se in Prælatiis conseruandum. 6. quia credunt, sic futurum, vt benigni existimentur, non curantes impij esse in Deum, vt sint crudeliter pij in malefactores. 7. ex cordis pusillanimitate, sed ista foueri debet charitate, aut Prælatia relinqui. 8. ex diffidentia proficiendi, & male se rea habet, si est vera, non imaginaria, vt plerumque sic se exonerare curantes, reiecta in subditos culpa. 9. ex ignorantia, quia nimirum, culpas fratrum ignorant, & non curant scire, sed non excusatur pastor, si lupus oues rapit, & ipse nescit. 10. propter pacem propriam, quam nolunt turbare, immemores, quòd plus subditorum, quam sui ipsorum sunt. 11. ob defectum zeli. 12. ex insufficientia, quia scilicet, cum sint ignorantes, non audent reprehendere viros literatos, sed renuntiare tenentur.

§. XVII.

De partibus potentialibus iustitiæ.

154. DE his agit in communi D Thom 2. 2. *quæst.* 80. *& in particulari à quæst.* 81. Val. *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 26. *part.* 2. Eustach. 3. *p. eth. tract.* 3. *disp.* 2. *sect.* 2. *quæst.* 6. Less. *lib.* 2. c. 47. Arag. 2. 2. *q.* 80. Iauell. *tom.* 2. *p.* 2. *phil. christ. tract.* 5. *c.* 4.

155. Dicendum est, quod 9. sunt partes potentiales, seu virtutes annexæ, iustitiæ nimirum religio, pietas, obseruantia, veritas, gratitudo, vindicatio, affabilitas, liberalitas, epiebeia. Ita D. Thom. cum alijs *loc. cit.*

156. Religio itaque, de qua D. Thom. *quæst.* 81. est virtus quædam moralis, quæ hominem inclinat, vt Deo debitum cultum, & honorem exhibeat, vt Val. *loc. cit. disp.* 6. *quæst.* 1. *p.* 1. Actiones huius virtutis sunt quædam interiores, deuotio, & oratio, quædam exteriores, adoratio, sacrificium, votum, iuramentum, adiuratio, laus, seu cantus. Deuotio est actus voluntatis paratæ ad præstanda ea, quæ ad Dei cultum, & gloriam spectant. Oratio est petitio decentium à Deo. Adoratio est, qua non solùm mente, sed etiam externa corporis significatione Deo reuerentiam exhibemus. Sacrificium, est oblatio rei alicuius externæ, Deo religiosè facta, qua nos ipsius imperio subditos esse profitemur. Votum est promissio facta Deo de aliquo bono. Iuramentum est assumptio diuini nominis in alicuius rei testimonium. Adiuratio est inuocatio diuini nominis, qua quempiam deprecando, aut compellendo, ad aliquid faciendum, vel non faciendum inducimus. Laus est assumptio diuini nominis in vocali cantu. Ita Eust. & de his fusè D. Thom. cum aliis *à quæst.* 81. *cit.*

157. Sciat ergo Prælatus, ipsius esse colere non solum Deum interius in seipso, sed etiam exterius, & curare, vt omnes sui subditi eum debito modo, cum debitis cæremoniis colant. Quare debet satagere, vt in primis orationi mentali omnes vacent: hac enim mens subleuatur ad colloquendum cum Deo, & sine hac Religio vix nomen Religionis meretur, vt Scrib. *de Sup. relig. lib.* 2. *cap.* 11. Nam cum oratio id sit animæ, quod cibus corpori, facilè videas non posse diu animam stare alimento suo destitutam. Curare debet etiam Prælatus, vt diuinæ laudes in choro debitis horis cum proportionatis pausis, deuotè recitentur: vt missæ deuotè, & vniformiter celebrentur, & pro quibus stipendium receptum est, cum paramentis proportionatis, & mundis, iuxta morem Romanæ Ecclesiæ. Et denique vt omnia, quæ ad diuinum cultum pertinent, cum decore tractentur iuxta illud 1. Cor. 14. *Omnia honestè, & secundum ordinem fiant.* Et quod hoc sit Prælatorum munus speciale, ipsisque solis reseruatum, colligitur ex illo Exodi 18. *Esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, vt referas, quæ dicuntur, ad eum, ostendasque populo cæremonias, & ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant, & opus, quod facere debeant: Prouide autem de omni plebe,* &c.

Vnde

Vnde collige, quòd potest bene Prælatus admioistraticoem politicam suæ Prælatiæ alteri committere, spiritualem autem, & quæ ad Deum colendum pertinet, per se ipsum exercere debet; alioquin violatæ Religionis est reus.

158. Pietas, de qua D.Thom. 2. 2. *quæst.*101. *Est* Aug. lib.83. qq. q. 31. *per quam sanguine iunctis, patriæque beneuolu officium, & diligens tribuitur cultus.* Hæc virtus potiùs respicit subditos, quam Prælatos; quatenus autem respicit Prælatos, eos admonet, vt subditos tanquam filios diligant, eis alimenta, & vestimenta necessaria ministrent, senes honorent, iuuenes cohibeant, exaltent humiles, superbos deprimant, disciplinam regularem promoueant, studia foueant, Religionem ament. De hac Basil.lib.9. in exam. *Vos porro filij amate, & colite parentes: vos parentes nolite ad iracundiam filios prouocare: nunquid natura ea non dicit? nihil noui D. Paulus dicit, sed naturæ vincula, dicit, insuperque prastringit,* &c. Quod pietas regnantibus sit necessaria, quatenus misericordiam sonat, D. Thom. *lib.*1. *de erud. princ. c.*15. & plura videri possunt apud Serib. *in Sup. relig. lib.* 1. *c.*8.

159. Obseruantia, de qua D. Thom. 2. 2. *q.* 102. *Est* Cic. lib. 2. de inuent. ante finem, *per quam homines aliqua dignitate antecedentes, cultu quodam, & honore dignamur.* Hæc similiter virtus subditos potius respicit, quàm Prælatos. Verùm quia viri literati, & probi per virtutem, & scientiam redduntur ad gubernandum apti, ideo etiam ipsi debent honorari per hanc virtutem, vt D.Thom. *loc.cit. art.*1. *ad* 2. Quare Prælati habentes sub se huiusmodi viros, tenetur eos honorare, & curare vt honorentur.

160. Gratitudo, de qua D.Thom. 2.2. q.106. *Est virtus, qua iis, qui de nobis benemeriti sunt gratias non solum habemus, & agimus, sed etiam, cum possumus, referimus.* Ita Eustach. *loc. cit. n.*154. Sunt autem gratitudinis officia quinque, de quibus Less. *lib.* 2. *cap.*47. *dub.*1. *n.*5. 1. est beneficij æstimatio, non ex ipso in se, sed ex animo dantis. Sen. 1. de benef. cap.9. *Beneficium non in eo, quod fit, aut datur, consistit, sed in ipso dantis, & facientis animo.* 2. benigna acceptatio, si enim repudies, vel absque indicio, quo significes gratum esse, accepies, videris contemnere, vel parui facere. Sen. lib.2. de benef. cap.35. *Vis reddere beneficium? accipe benigne,* & cap.24. qui *gratè beneficium accipit, primam eius pensionem soluit*, 3. est gratiarum actio, de qua l. ad Thes. 5. *In omnibus gratias agite.* 4. est grata beneficij commemoratio, occasione oblata. Sen. lib.3 cap.1. *Ingratissimus omnium est, qui beneficij oblitus est*, 5. est beneficij repensio; quæ tamen statim facienda non est, se opportunum tempus expectandum. Sen. 4. de benef. in fine. *Quidam, cum aliquod illis missum est munusculum, subinde aliud intempestiuè remittunt, & nihil se debere testantur. Qui festinat vtique reddere, non habet animum grati hominis, sed debitoris. Et breuiter dicam; Qui nimis citò cupit soluere, inuitus debet, qui inuitus debet, ingratus est.* Ista vero repensio non debet fieri ad æqualitatem rei receptæ, sed ad mentem benefacientis, & semper plus rependendum est, si facultas subsit, quàm sit acceptum, Cic. 1. de off. *In referenda gratia, si modò Hesiodo credimus, imitari debemus agros fertiles, qui plus multo afferunt, quàm acceperint.* Gratitudo tangit omnes, & præsertim Prælatum, qui si beneficiorum immemor, illa ingrata tegat obliuione, putans omnia sibi deberi, nullaque merita inferioris in superiorem esse, & à se animos suorum alienabit, & contemptui ipsis erit, & despectui. *Est* enim Ber. *ingratitudo* serm. 51. in Cant. *inimica animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio, ventus vrens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ.* Est ingratitudo duplex, formalis quando scilicet contemnitur beneficium, vel sinistrè interpretatur, eo quòd benefactoris est: & materialis, quando quis est ingratus, non ex contemptu, sed ex aliqua alia causa. Sed vide de his latius D. Thom. 2.2. *q* 107. *art.* 3. Less. *lib.* 2. *c.* 47. *dub.* 3. *à n.* 15. Val. *tom.* 3. *disp.* 7. *q.* 4. *p.* 4.

161. Vindicatio, de qua D.Thom. *quæst.*108. *Est* Aug. lib.88. qq. q.31. *virtus, per quam vis, aut iniuria, & omnino omne, quod futurum est, defendendo, aut vlciscendo propulsatur.* De hac satis dixi hic *sup.* §. 25. *à num.*137. Et nota, quòd ad hoc vt vindicatio sit recta, debet fieri per publicam potestatem, & seruatis omnibus iustitiæ modis, & terminis.

162. Veritas, de qua D.Thom. 2.2. quæst. 109. *Est virtus, qua quis verbis, & factis talem se demonstrat, qualis in se est.* Ita Eustach. *loco cit. num.* 154. Nota 1. ex D.Thom. 1. *p. quæst.*107. *art.* 1. *ad* 1. quod hominis interiur conceptus duobus clauditur obstaculis, propter quæ ab alio videri, aut intelligi non potest. 1. quidem est ipsa voluntas, quæ conceptum intellectus potest interius retinere, & ad libitum exprimere. 2. est grossities, & corpulentia corporis; nam quamvis voluntas vellet conceptum mentis aliis fieri notum, non tamen statim cognoscitur ab ijs propter impedimentum corporis, sed oportet adiungere aliquod signum sensibile, puta verbum, seu aliquos alios nutus. Et hoc est, quod dicit Greg. 2. mor. cap. 4. in princ. *Alienis quippe oculis intra secretum mentis, quasi post parietem stamus, sed cum manifestare nosmetipsos cupimus, quasi per linguæ ianuam egredimur, vt quales sumus intrinsecus ostendamus.* Cum ergo homo sit animal sociabile; vt D.Thom. 2. 2 *quæst.*109 *art.* 3. *ad* 1. & dixi *supra q.* 1. *c.* 1. *num.* 2. naturaliter vnus homo debet alteri id debito saltem morali, & honestatis, vt D.Thom. *loco cit. corp.* sine quo humana societas seruari non posset. Non possunt autem homines ad inuicem conuiuere, nisi sibi inuicem credant, propter multa negotia, quæ simul gerunt, & tractant: nec possunt sibi inuicem credere, nisi sibi inuicem verum dicant, ad quod etiam instituta sunt verba, vt ait Aug. relat. *in c. is autem*, 22. *q.* 2. sequitur, quod homines naturaliter veritatem dicere debeant. Vnde Arist. 1. *rhet. c.* 1. *post. med.* ait; quòd *homines satis ad veritatem nati sunt, & vt plurimum veritatem consequantur.*

163. Sed quomodo potest esse, quòd homines natura ad veritatem inclinentur, cum veritas secundum Teren. *in Adr.* odium pariat? *Obsequium amicos, veritas odium parit.* Et Cic. *lib.* 1. *de amic.* vt referunt; *Molesta veritas est; siquidem ex ea nascitur odium, quod est venenum amicitiæ.* Et Hier. contra Iou. *Amara est veritas, & qui eam prædicant, replentur amaritudine.* Et ad Gal. 4. *Factus sum vobis inimicus, verum vobis dicens.* Ad hoc dicit Aug. 10. *confess. c.*23. quod homines amant veritatem lucentem, & oderunt eam redarguentem. Habet itaque veritas duos effectus scilicet illuminare, & redarguere. Quantum ad 1. omnes veritatem amant. 3. Esdræ c. 4. *Omnis terra veritatem inuocat, cælum etiam ipsam benedicit, & omnia opera mouentur, & tremunt eam.* Et Ambr. 1. de off. c.26. *Omnibus hominibus inest secundùm naturam humanam verum inuestigare, quo ad studium cognitionis, & scientiæ trahit, & inquirendi infundit cupiditatem, in quo excellere vniuersis pulchrum videtur.* Quantum autem ad 2. mali veritatem oderunt, Ioann. 3. *Omnis, qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem vt non arguantur opera eius, qui autem facit veritatem, venit ad lucem,* &c. Oderunt autem veritatem propter 3. rationes, quas affert D.Thom. 1. 2. *q.*29. *art.*5. *corp.* 1. quia nollent illud esse verum quod verum est. 2. quia nollent cognoscere veritatem, vt liberius, & sine remorsu conscientiæ peccarent. 3. quia volentes iacere in peccato, oderunt, quod aliquis veritatem circa peccatum suum cognoscat.

164. Noto

164. Noto 2. quod quamvis veritas sit cunctis hominibus necessaria ad rectè, & pacificè conuiuendum, Prælatis tamen, & Superioribus regularibus est necessarissima. Cum enim quotidie cum subditis agant, si aliud ore, & verbis enuntient, & aliud corde premant, fallaces deceptores suorum erunt; quòd si semel subditi olfecerint, iam fides illorum euanuit, indeque contemptus, inde etiam cautiones, quibus vnusquisque sibi caueat, inde etiam discordiæ, diffidentiæ, &c. Hæc ex Scrip. & DD. constant, Prou. 17. *Non decet Principem labium mentiens*, & cap. 29. *Princeps, qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habet impios.* Eccl. 41. *Erubescite à patre, & matre de fornicatione, & à præsidente, & à potente de mendacio.* D. Thom. lib. 1. de erud. princ. c. 7. *Cauendum est Principi mendacium, vt venenum eo quod ei multum noceat, Deo multum displiceat, & eum opprobrium hominum faciat. Cauere debet Princeps mendacium, non solùm, in his, quæ asserit cum iuramento, sed etiam verbo simplici*, & infra, *Princeps mendax est veluti denarius falsus respectu boni, & sicut centum falsi non valent vnum bonum, sic Princeps mendax parui valoris est.* Et Hier. ep. 37. ad Iul. *Antiquus sermo est, Mendaces faciunt, vt nec vera dicentibus credatur.* Basil. in procem. lib. de Spir. S. *Rerum omnium potentissima est veritas, & extrema malitia linea mendacium.* Et Ong. *tract.* 35. *in Matth.* Prælatos mendaces proditores vocat, & Pind. apud Stob. serm. 11. *Ingenui viri est vera dicere*, & Hom. apud eundem.

Ille mihi tam exosus est, quam inferni porta.
Qui aliud animo occultat, aliud ore profert.

Sit itaque Prælatus verax, & ita in aperto, vt ipsi potiùs iniurato, quàm iurato alteri credatur, & sciat, nullum esse vitium Prælato religioso indignius, quam mendacium, fallere socium, circumuenire, amicitiam mentiri, obsequia fallaci dextera deferre: virtutem, probitatem, benignitatem, mansuetudinem, præ te ferre, qua careas, viri non est. Pater non est, qui verbis in dolum compositis; filium in fraudem inducit: Non est mater, quæ pro vberibus scorpionem, aut lapidem porrigit, venenaque pro lacte propinat. Facit hoc Superior omnis, qui, pulso candore, animique sinceritate, aliud promittit ore, aliud mente destinat, aliud verbis loquitur, vultuque præfert, aliud animo versat; patrem fronte simulat, inimicum pectore souet. Quæ vbi semel eruperint (vt diu latere simulatio non potest) hostiles exurgunt animi, nulla arte, aut armis ponendi, exultat fiducia omnis, & pro religiosa, simplicique ac non fucata sapientia, ingens diffidentia nascitur. Vnde Scot. *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 1. *art.* 2. ait, quod mendacium officiosum, & iocosum in Prælato, qui est in statu perfectionis exercendæ, est peccatum mortale, si sit continuatum, ex his enim diminuitur Prælati auctoritas, quod est communitati perniciosum. Plura pro veritate à Superioribus colenda, vide apud D. Thom. *loco cit. c.* 7. *& c.* 13. Tor. *phil. mor. princ. lib.* 44. Menoch. *inst. pol. lib.* 2. *c.* 15. Scrib. *in Sup. relig. lib.* 1. *c.* 6. *&* 7. Ægid. *lib.* 1. *de regim. par.* 2. *c.* 19. Sart. *in exerc. pol. ex loco Exech. c.* 17. Arist. 4. *eth. cap.* 7. Bus. *in vir. verb. Veritas*, Chauass. *de perf. prud. lib.* 4. *c.* 5. *&* 6. A. Carm. *serm.* 18. 19. *&* 20. Iauell. 4. *eth. tract.* 7. Rossig. *de discip. christ. perf. lib.* 4. *cap.* 26.

166. Noto tamen 3. quod licet mentiri nunquam liceat, licet tamen aliquando veritatem occultare, quando scilicet illius manifestatione indignos se reddunt auditores, vel inde occasionem sumunt deteriora faciendi, vel veritatē ipsam sunt oppugnaturi, iuxta illud Matth. 7. *Nolite sanctum dare canibus, & ne proijciatis margaritas ante porcos.* Occultare etiam licet, quando ex vna parte nec ad Dei gloriam necessaria est, nec ad salutem proximi, ex altera incommodum magnum incursurus est, qui eam dixerit; ardua enim esset lex, quæ tunc obligaret; & cum veritatem fateri præceptum sit affirmatiuum, quod non obligat ad semper, certum est, in dictis casibus non obligare. Atque ita docent Mald. *de restr. ment. c.* 10. *reg.* 6. *& c.* 12. *verb. De verb. rest.* Less. *lib.* 2. *de iust. c.* 47. *dub* 6. *num.* 39. Ant. Carm. *serm.* 18. *de vers.* Chauass. *loc. cit. c.* 5. §. 3. vnde Aug. in Psalm. 5. ait, *Verum autem occultauit, & Dominus, cum discipulis nondum idoneis dixit, Multa habeo vobis dicere, sed nunc non potestis portare illa.* Similiter dic, quod in dictis casibus, siue vltrò siue interpellatus loquatur Prælatus, vel alius quicumque potest vti vel verbis æquiuocis, vel mentali restrictione; extra vero illos casus semper tenetur loqui eo sensu, quo sonant simpliciter verba, & ad mentem audientis, alioquin peccat venialiter, vel mortaliter, iuxta leuem, vel grauem læsionem Dei, vel proximi. Dicitur enim Eccl. 37. *Qui sophisticè loquitur, odibilis est.* Sed de hac materia vide Mal. *loc. cit.*

167. Noto 4. *ex Doroth. serm.* 9. quod triplex est genus mendacij. *Quidam*, inquit, *animo mentiuntur, quidam verbo, alij vita ipsa mendaces sunt. Ille animo, & cogitatione mentitur, qui quascumque suspiciones facilè admittit: is enim cum aliquos fratres inter se colloquentes cernit, suspicatur illicò, & dicit, De me isti loquuntur, &c. Sermone mentitur aliquis, cum ob ignauiam ad matutinas vigilias assurgere detrectat, cunctaturque nec fateri vult turpedinem, & ignauiam suam, sed dicere non veretur, Febrem passus sum, & vertiginem, ideò assurgere nequiui*, &c. *Ille in suam ipsius vitam mentitur, qui cum intemperatus sit, ac incontinens, ac gula, luxuque deditus, continentiam tamen, & temperantiam simulat*, &c.

168. Peccatur contra veritatem 1. mendacio, quod nihil est aliud, quam contra mentem locutio, de quo D. Thom. 2. 2. *quæst.* 110. 2. simulatione, seu hypocrisi, quæ nihil est aliud, quam mendacium in actionibus vitæ, de qua D. Thom. *quæst.* 111. 3. iactantia, quæ est prædicatio propriarum rerum, maior, quàm verè sint, de qua D. Thom. *quæst.* 112. 4. ironia, quæ est negatio, vel diminutio propriarum laudum, de qua D. Thom *quæst.* 113. Mendacium, si est contra honorem Dei, vel proximi, peccatum mortale est ex genere suo; ex imperfectione actus, & paruitate materiæ est veniale; alias iocosum, & officiosum veniale tantùm. Hypocrisis ex se veniale est; transit tamen in mortale ratione finis, vt si quis sanctitatem fingat, vt aliquem decipiat, vel legem Dei sic contemnat. Iactantia ex se veniale est; fit autem mortale, quando quis se iactat cum iniuria Dei, vt si sibi atribuat, quod est Dei proprium, vel glorietur de donis Dei, tanquam sibi debitis, vel se iactet cum contemptu proximi, vel intentione illi nocendi, aut ab eo pecunias iniustè emungendi, vt cum dicit se præclarum Medicum, &c. Est etiam mortale, si quis sit ita affectus iactantiæ, vt sit paratus mortaliter peccare. Similiter mortale est, cum quis narrat peccatum suum, de illo vanè gloriando, secus si solùm enuntiatiuè ad ostendendam fortitudinem, dexteritatem, &c. Ironia de se veniale est; transire tamen in mortale, quando id fieret in infamiam sui, vel proximi, vt si Religiosus cum pusillis loquens, dicat, Ego sum peior quolibet infami sicario, vel semper fui malus Religiosus, & de Religioso nihil vnquam habui, nisi nomen, & vestem. Est etiam mortale, si voce loquatur quidem de se humili, corde autem intumescat, iuxta illud Eccl. 19. *Est qui nequiter humiliat se, & interiora eius plena sunt dolo.* Sed de his vide D. Thom. *loc. cit.* & Less. *lib.* 2. *de iust. cap.* 47. *dub.* 6.

169. Affabilitas, de qua D. Thom. 2. 2. quæst. 114.

Est

Est virtus, qua quis in communi consuetudine mediocriter, & vti decet, se habet, studetque quantum potest, omnibus benignè obsequi. Habet hæc virtus vim conciliandi amicos etiam ex inimicis; Ecclesf.6. *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos, & lingua eucharis* (gratiosa) *in bono homine abundat.* Ambrof. 2. de off. cap.7. *Incredibile est quantum profuerit etiam in ipsis Regibus facilitas blanda affabilitatis.* Et Tull. 2. de off. *Difficile dictu est, quantoperè conciliet animos hominum comitas, affabilitasque sermonis.* Affabilitas regimina perpetuat, & maiora tribuit. Prou.16. *Qui dulcis est eloquio, maiora percipiet.* Hæc plus potest ad amicos conciliandos, quàm beneficentia. Ecclef.18. *Nonne ardorem refrigerabit ros? sic & verbum melius, quam datum.* Hæc ferioos inimicorum animos demulcet, amicos reddit. Eccl.45. *In verbis suis monstra placauit.* Hæc sola Prælatum præclarum reddit. Claud. *in consul. Manl.* declinans ad finem.

Si iactent alij, studeant feritate timeri,
Adductaque hominum cumulent æraria censu,
Lenè fluit Nilus, sed cunctis amnibus extat
Vtilior.

Et paulo infra.

——Peragit tranquilla potestas,
Quod violenta nequit, mandataque fortiùs vrget
Imperiosa quies.

Et Ouid. lib.2. de ar. am.

Este procul lites, & amara prælia linguæ;
Dulcibus est verbis mollis alendus amor.

D. Thom. opusc.71. de vit. & virt. *Quatuor, ait, sunt, quæ ritè cuique regnanti conueniunt; scilicet paterno regimine subditos regere, meritis amicos acquirere, placabilem, atque affabilem se præbere quibuscumque erantibus, & cum clementia iustitiam ministrare delinquentibus.*

170. Aduerte tamen, quòd huiusmodi affabilitas debet esse ita temperata, vt grauitati religiosæ non officiat, & propterea prudentia maxima opus est in vtendo illa, vt scilicet Prælatus affabilem se exhibeat, non cum omnibus, nec in omnibus loco, vel tempore, sed solum, vt notat Cai. 2. 2. *quæst.*114. *art.* 1. considerata qualitate personarum; quibuscum loquitur, negotiorum etiam, & temporum. Vnde malis, vel superbis affabilem se præbere non debet Prælatus, nisi ad eorum emendationem, ij enim ex lenitate sumunt audaciam, & fiunt deteriores, præterquam quòd offenduntur boni, & odio habent Prælatum; necessariò enim odio habetur à bonis, qui malis amicus esse intelligitur. Quare nihil minuet de affabilitate Prælatus, qui in aliquo negotio, & cum aliquo in aliquo loco seuerum se, ac tristem exhibebit, vt habet Arist. 4. *eth. c.*6. Vnde Aug. relat. in cap. prodest 24. quæst. 5. *Ministerio seueritatis, nostra quies adiuuatur.* Et Veget. *de re milit. lib.* 1. *c.* 1. ait, quod Romani rot bella vicere, *seuerè in desides vindicando.* Vide pro hac virtute Ægid. *lib.* 1. *de reg. p.* 2. *c.* 28. Contz. 3. *pol. cap* 11.

171. Aduerte etiam, quòd contra affabilitatem peccatur dupliciter; excessu nimirum delectandi, & defectu, seu blanditia, & morositate; quidam enim nimium student in conuictu esse blandi, & placidi, vndè in omnibus se omnibus accommodant, omnia laudant, omnia probant, qui si id faciant vtilitatis gratia, vocantur adulatores. Alij nimis parum curant placere, sed vbique sunt difficiles, vbique contradictores, nusquam se accommodant; Hi vocantur morosi. Blanditia est ex suo genere veniale; potest tamen in mortale, quando aliqui nimium blandi esse affectantes, omnibus se moribus, bonis, vel malis, necuiquam displiceant, accommodant, & sic mentiuntur cum mendacibus, bibunt cum bibentibus, & peccant cum peccantibus, perperam interpretantes illud 1. Cor. 9. *Omnibus omnia factus sum*; non considerantes expositioonem Aug. *ep.*9. & 19. vbi ait, *non mentiendo, sed compatiendo, non simulantis actu, sed commiserantis affectu, omnia omnibus factus est.* Adducunt etiam isti illud ad Rom. 12. *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus*: non aduertentes locum istum intelligi de fraterna charitate, qua bonum, & malum fratris, vt proprium sentimus. Adulatio etiam ex se veniale est, fit autem mortale tripliciter secundum D. Thom. 2. 2. *quæst.*115. *art.* 2. Primò ratione materiæ, vt si laudes alicuius peccarum, 2. ratione intentionis, vt si laudes aliquem ad hoc vt fraudulenter ei noceas spiritualiter, vel corporaliter. 3. ratione affectus, vt quum per adulationem præbetur occasio alicuius grauis peccati, etiam præter intentionem adulatoris. Et nota, quòd dicitur quis adulati tripliciter. 1. attribuendo alicui bonum, quod non habet; 2. nimium extollendo bonum, quod habet; 3. approbando malum, quod habet: 1. & 2. simpliciter venialia sunt. 3. est mortale. Ita gloss. *in cap. Vnum orarium, verf. Adulari, d.*25. Morositas ex se veniale est. Vide de hac materia D. Thom. *loc. cit.* Arist. 4. *eth. c.* 6. Less. 2. *de iust. c.*47. *dub.*7. Chauass. *de verb. prud. lib.*4. *c.*7. Buf. *in vir. verb. Affabilitas*, Menoch. *inst. pol. lib.*2. *c.*14. Tor. *phil. mor. princ. lib.*23.

172. Liberalitas, de qua D. Thom. 2. 2. *quæst.*117. est habitus, qui in quærendis, erogandisque pecuniis, seu iis, quæ pecuniis comparantur, decorem seruat; vt Speusippus apud Buf. *in vir. verb. Liberalitas*. Hæc nomine benignitatis, & beneficentiæ quandoque appellatur à DD. Amb. *lib. de off. c.* 28. Cic. 1. *de off.* De hac dixi hic *supr.* §.3. *num.*25. Qui plura desiderat, adeat D. Thom. *loco cit.* Tor. *lib.*22. Menoch. *c.*16. *Ar. c.*1. Ægid. *de reg. lib.*1. *p.*2. *c.*17. Contzen. 3. *pol. c.*9.

173. Contra liberalitatem peccatur auaritia, de qua D. Thom. *quæst.*118. & prodigalitate, de qua idem D. Thom. *quæst.*119. Auaritia, licet inter peccata capitalia ponatur, non est tamen semper mortale, sed solum cum propter diuitias consequendas, vel retinendas quis est paratus violare præceptum obligans ad mortalem. Hæc multum dedecet principantes, vt habetur *in* §.1. *verf. Administratores, auth. vt Indi sine quoquo suffragio, coll.*2. qui enim hoc morbo tanguntur omnia venialia habent, Prælatias veodunt. De hac ait Val. lib. 9. cap.4. *Auaritia latentium indagatrix lucrorum, manifestæ prædæ auidissima vorago, nec habendi fructu fælix, & cupiditate quærendi miserrima.* Vnde illud, *aris ferunt oris, fi te spes tenet aris.* Prodigalitas in Prælato regulari semper est peccatum mortale, cum enim hoc vitium consistat in dando quibus non oportet, vt adulatoribus, histrionibus, &c. vel in faciendis magnis expensis, vbi paruæ sufficerent, vel in eroganda pecunia in rebus friuolis, & Prælatus regulatis non sit dominus, sed administtator illarum rerum, si ita expendat, absque dubio mortaliter peccabit, si materiæ paruitas non excuset. Potest etiam peccare lethaliter ex alio capite, eo quòd scilicet superflua pauperibus non eroget secundum legem Euangelicam. Alios casus, in quibus prodigalitas est peccatum mortale, vide apud Less. *lib.*2. *c.*47. *dub.*8. *n.*62. Et aduerte, quod prodigus non potest in Prælatum eligi. Bald. *in c. Cum in cunctis, n.*16. *de elect.* De Baif. *in direct. elect. par.* 2. *c.*32. *n.*1. pro quo facit *lex fin. Cod. de sententiam passis, & restit.*

174. Æquitas, de qua D. Thom. 2. 2. *quæst.*120. est iustitia dulcore misericordiæ temperata, quæ definitio potius conuenit regulæ ipsam æquitatem dirigenti, quam æquitati ipsi, cuius munus est præcisè agere contra

contra verba legis, quando bonum commune, vel ratio virtutis id postulat. Cum enim leges vniuersaliter proponantur, & regulæ vniuersales multas patiantur exceptiones sæpe casus incidunt, in quibus malum esset verba legis sequi. Sed tunc Prælatus non secundum suum cerebrum, sed secundum rationem iure fundatam, procedere debet, si æquitatem vult seruare. Ita Red. *loco citato*, §. *Omnibus aequum, num.9.* Vide quæ de gnomi, quæ hanc virtutem dirigit, hic sup. dico §. 9. *num.* 8a. Vide etiam Arist. 5. *eth. cap.* 10. vbi Burid. *quæst.* 1. Less. *dub.9.* Arag. 2. 2. *quæst.* 58. *art.5. col. ante penult.*

§. XVIII.

De fortitudine Prælatis Regularium necessaria.

175. VIde D. Ambros. 1. *de off. à c.35.* D. Thom. 2.2.*q* 123. Ar.3.*eth.à c.6.* Stob. *ser.7.* Ant. & Max *ser.39.* Æg. *de reb. princ. lib.1.p.2.c.13.* Iauell. *tom. 2.p.2.phil. christ. tract.6.* Part. *de reg. lib.7. à tit. 1.* Val. *tom 3. disp.8.q.1.* Less. *lib.3.cap.10.dub.1. & c.2. per totum.* Tor. *phil. mor. princ. lib.9.* Contz. 3. *pol. cap 17.* Eustach. 3. *p. eth disp.2. tract.3. sect.3.* Ant. Carm. *serm. 23.* Rossig. *de act. vir. l. 2. c.11.* Ribald. *lib.2. de princ. c. 34.* Bell. *de off. princ. lib.1.c.11.* Bus *in vir. verb. Fortitudo.* Setib. *in Sup. relig. lib.1.c.12.* Chauass. *de vera prud. lib.3. cap 5.* Menoch. *inst. pol. lib.2. c.19.* Sart. *in ciuc reip. reg. consid.117.*

176. Noto 1. quòd duæ communiter circumferuntur fortitudinis definitiones, in idem omninò recidentes. Vna D. Aug. *lib.83. qq. quæst. 31.* quæ sic habet. *Fortitudo est considerata periculorum susceptio, & laborum perpessio.* Altera est Arist. 3. eth. cap.6. *Fortitudo est mediocritas circa metum, & audaciam.* Quibus adde tertiam. Sen. 2. de benef. cap. 34. *Fortitudo est virtus, pericula iusta contemnens, aut scientia periculorum repellendorum, excipiendorum, prouocandorum.* Ex quibus constat, quòd duo sunt maximè fortitudinis munia, Sustinere molesta, & Aggredi fortia, vt insinuatur 1. Reg. 17. *Non vales resistere Philisteo isti, nec pugnare aduersus eum, quia puer es.* Ex quibus, vt ait Ar. 3. *eth. c.9.* Amb. 1. *de off. c.41.* D. Thom. *loc. cit. art.6.* primum est principalius, quia fortitudo versatur circa difficilia, & difficilius est bene sustinere, quàm aggredi; nam aggrediens videt malum vt futurum, & aggreditur debiliorem se, ac subitò; Sustinens autem videt vt præsens, & sustinet à fortiori se, & diuturniùs, vt D. Thom. *loc. cit. ad* 1. Ægid. *c.13.* Bus. *c.6. §.6.* & Chauass. *loc. cit. §.5.*

177. Noto 2. quòd licet Arist. 3. *eth. c. 6.* & D. Thom. *loc. cit. art. 4.* videantur docere, fortitudinem propriè solum versari circa rem omnium terribilissimam, quam dicunt esse mortem, id tamen non ita intelligitur, quasi fortitudo non versetur etiam circa alia terribilia; sed solum quòd versetur circa mortem primariò, quia qui mortem sustinere potest, potest etiam alia inferiora terribilia contemnere, licet non è contra. Vnde qui hæc inferiora intrepidè sustinet, non potest verè fortis dici, nisi sit ita animo paratus, vt possit contemnere mortem in rebus præclaris: Atque ita declarant Valentia *loc. cit. p.2.* Less. *dub.1.n.9.* Contz §.7. Quare ad fortitudinem etiam spectabit sustinere infamias, orbitates, exulationes, inuidias, irrisiones, contemptus, odia, calumnias, infestationes dæmonum, atque etiam concupiscentiæ motus, morti comparatus ad Rom.7. *Infælix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius.* Hæc autem omnia, vt virtutem fortitudinis induant, non quomodocunque sustinenda sunt, sed propter finem aliquem honestum, puta pro salute religionis, vel proximi, aut pro honore Dei, vel defensione virtutis, aut etiam pro corporali salute amici egregij. Quæ omnia docet Arist. 3. eth. c.7. *Fortis vir erit interritus, timebit tamen etiam ipse huiusmodi mala, sed vt oportet tamen, & vt ratio præscribit, honestatis causa sustinebit, ac feret.* Vnde collige cum Iosepho *lib. 3. de bell. Iud. cap.14.* quod se ipsum occidere, timidissimi hominis est, non enim confidit posse sustinere superstantia mala. *Timidus est habendus, qui mori non vult cum opus est, & qui vult cum non oportet, non viri est fortis semetipsum occidere, immò verò ignauissimi, nam & gubernatorem timidissimum puto, qui tempestatem metuens, antè vix turbidis nauem sponte submergit.*

178. Noto 3. quod licet, vt dictum est, duo sint actus fortitudinis, Sustinere, & Aggredi, tertius tamen, immò primus, & principalior est, seipsum vincere, ac passiones suas domare. Vnde Amb. 1. de off. cap.36. *Est ergo fortis, qui se in dolore aliquo consolatur. Et re vera iure ea fortitudo vocatur, quando vnusquisque se ipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur, atque inflectitur, non aduersis perturbatur, non extollitur secundis, &c.* Greg. in Psalm. 2. pœnit. *Quid enim fortiùs, quam omnes animi sui motus rationi subiicere, omnia carnalia desideria spiritus feruore frænare proprias voluntates obiicere?* D. Prosp. lib.3. de vit. contemp. c.20. *Animi fortitudo ea debet intelligi, quæ non solum diuersis pulsata molestiis, inconcussa permanet, sed etiam nullis voluptatum illecebris resoluta succumbat.* Lact. lib. 1. instit. cap. 9. *Animum vincere, iracundia cobibere fortissimi viri est,* & Prou.16. *Melior est patiens viro forti* (idest iracundo) *& qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium,* ad quem locum dicit Greg. hom.35. in Euang. *Minor est ergo victoria vrbes expugnare, quia extra sunt, quæ vincuntur. Maius autem est, quod per patientiam vincitur. quia ipse à se animus separatur, & semetipsum sibimetipsi subiicit quando cum patientia in humilitate tolerantia sternit.* Vnde Ant. Carm. ser.24.

Dignior est qui se, quàm qui fortissima vincit
Oppida, nec virtus altiùs ire potest.

Et ratio ista esse potest. Tum quia homo vincit omnia, iuxta illud Iac. 3. *Omnis anima bestiarum, & volucrum, & serpentium, & cæterorum animalium domantur, & domita sunt à natura humana.* Sed nulla est maior fortitudo, & potentia, quàm vincere illum, qui vincit omnia; tum quia fortitudo circa difficilia versatur, quò ergo est victoria difficilior, eò est fortitudo vincens gloriosior. Sed victoria sui ipsius est omnium victoriarum difficilior, vt constat ex Chrysologo serm.41. de ieiunio, & eleemos. *Bella gentium legimus superasse quamplurimos, quos tamen carnis pugnas legimus non vicisse, & audiuimus eos dedisse deliciis pectora, qui dorsa hostibus non dederunt.* Et Senec. 5. de benef. cap.7. *Facilius est gentes barbaras, impatientesque alieni arbitrij regere, quam animum suum continere, & tradere sibi.* Et ep. 113. fin. *Imperare sibi maximum imperium est.* Et Plin. in Paneg. *Nec verò laudauerim ego magnopere duritiem corporis, ac lacertorum, sed si is validior toto corpore animus imperitet.*

179. Dicendum est, quod animi fortitudo est maximè, & omninò necessaria Prælatis regularium: Ita Scrib. Sart. *loco citato.* Contz. à §. 4. Chauass. §. 3. Menoch. §. 1. Red. *de maiest. princ. verb. in aduersis firmam*: Constat, tum quia fortitudo est necessaria ad extirpanda vitia, quod proprium Prælati est: Dicitur enim Eccles. 7. *Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.* Et 1. ad Timoth. 5. *Peccantes coram omnibus argue vt & cæteris timorem habeant.* Et Ambros. 1. de off. cap. 39. *Fortitudo inexpiabili prælio aduersus omnia vitia decertat,*

certat, inuicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior aduersus voluptates, & dura aduersus illecebras. Tum quia fortitudo omnes virtutes, quæ in Prælato esse debent, defendit, & custodit. Ambr. loco cit. *Non est igitur mediocris, nec discreta à cæteris animi fortitudo, quæ bellum cum virtutibus gerat, sed quæ sola defendat ornamenta virtutum omnium, & iudicia custodiat.* Et Aug. ser. 3. ad fr. in er. *O monache nihil valet cursus tui brachij, nihil tua operatio, nisi columna fortitudinis roboretur, nihil valet ædificium boni operis, nisi columnā fortitudinis amplexeris.* Tum quia ait Sen. ep. 113. quòd *fortitudo est munimentum humanæ imbecillitatis inexpugnabile, quod qui circumdedit sibi, securus in hac vita obsidione perdurat.* Tum quia Prælatum fortem timent insidiantium turbæ, leporum exercitus, inuidentium, detrahentium, mala imprecantium, molientium (quæ tanquam famulæ dignitates sequuntur, honoribusque ita annexæ sunt, vt illorum proprietates dicas quarto modo) myriades; *In omni enim conflictu*, ait Veget. 1. de re mil. c. 8. *non tam prodest multitudo, quam virtus.* Timent etiam fortem Prælatum leonum legiones; si enim fortis impingat in fortem, ambo cadent: & qui aggreditur prosternere inimicum prætendit, non prosterni; & nihil est tam durum, quod duriori cedere non cogatur, & Prælatus vltra vires proprias, quas sibi suis virtutibus quæsiuit, habet etiam vires Prælaturæ, vnde durior, si virtuosus sit, communiter est, quam quilibet durus subditus, imò quàm multi duri subditi. Hic vnum monitos, velim nostros Prælatos, vt in ferendis calumniis, quibus singulis momentis impetuntur à subditis, non conturbentur, non plangāt, non suspirent, non signa doloris monstrent, ne causam lætitiæ aduersariis tribuant (licet hæc agere ipsos aliquando posse non negem, cum scilicet agitur de damno graui communitatis vt probat Menoch. *lib. 2. inst. pol. c.* 19. §. 3. ex Greg. 2. *mor. cap.* 16.) quod monuit Hier. *ad Pammac.* dicens. *Prima Monachi virtus est contemnere hominum iudicia, & semper Apostoli recordari, dicentis: Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Et Tull. 1. de off. *Nam & ea, quæ eximia plerisque & præclara videntur, parua ducere, eaque ratione stabili firmaque contemnere, fortis animi, magnique dicendum est. Et ea, quæ videntur acerba, quæ multa, & varia in hominum vita, fortunaque versantur, ita ferre, vt nihil à statu naturæ discedas, nihil à dignitate sapientis robusti animi, magnaque constantia.*

180. Quod si quæras, quomodo poterit noster Prælatus hanc sibi fortitudinis virtutem comparare? Respōdeo videndos esse Bus. *in vit. verb. Fortitudo, c.* 4. Menoch. *inst. pol. lib.* 2. *c.* 19. §. 6. Chauass. *de vera prud. lib.* 3. *c.* 5. §. 4. Conz. 3 *pol. c.* 17. *à* §. 9. In primis illam petendam esse à Domino existimo, iuxta illud Isa. 12. *Fortitudo mea, & laus mea Dominus, factus est mihi in salutem.* Ad quod facit precatio illa, cuiusdam senis è nostris. *Precor, Domine, infinitam bonitatem tuam, vt me regi non permittas, nisi à Prælato prudenti, & discreto, quod si aliter propter peccata mea, vel alias tibi notas causas iudicaueris, mihi Domine precor fortitudinem ad illum tolerandum concedere non dedigneris.* Deinde cogitanda iugiter, & mente voluenda omnia aduersa, quæ euenire possunt ex iis, quæ antecessoribus, vel simili dignitate præditis euenere, & tanquam præsentia toleranda, vt cum deinde verè præsentia fuerint, minus sentiantur, & valentiùs sufferantur. Quod remedium consuluit Cassian. *coll.* 19. *c.* 16. Et illo vsus est Dauid Psal. 26. *Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum*, quia iam sæpe ea præuidi in mente mea. Et Sen. epist. 107. *Contemnet, si sæpe cogitaueris, & futura præsumpseris: nemo non fortius ad id, cui se diu composuerat, accessit, & duris quoque si præmeditata erant, obstitit.* Cic. 1. de off. *Magni ingenij est præcipere cogitatione futura, & aliquando ante constituere quod accidere possit in vtramq; partem, & quid agendū sit.* Et Virgil. Æn. 6.

Nulla mihi noua nunc facies, inopinavè surgit,
Omnia præcepi, atque animo mecum ante peregi.

Vide Amb. 1. *de off. cap.* 38. Iuuat etiam multum ad virtutem fortitudinis adipiscendam facta fortia maiorum considerare. De quo Amb. *loco cit. c.* 40. & dixit Virg. 12. Æneid.

Sis memor, & te animo repetentem exempla tuorum:
Et pater Æneas, & auunculus excitet Hector.

181. Peccatur contra fortitudinem 3. modis. Primo timore, de quo D. Thom. *quæst.* 125. secundo intimiditate, de qua *quæst.* 126. & audacia, seu temeritate, de qua *quæst.* 127. Timiditas seu ignauia est vitium in timendo excedens, quando scilicet quis timet, quod non oportet, vel quando non oportet, vel plusquam oportet, vt sunt aliqui, qui laruas, vmbras, atque ipsasmet cogitationes, & phantasiæ suæ simulachra timent. Quod vitium nunquam mortale est, nisi retrahat ab eo, quod est de necessitate præcepti, vel disponat ad faciendum aliquid, quod sit mortale. Intimiditas est vitium in timendo deficiens, quando scilicet quis non timet, quod timendum, vel quomodo timendum, vel quando timendum est. Quomodo faciunt aliqui stulti ventosi in lingua, manibusque fugaces. Hoc vitium est mortale, vel veniale, ratione mali, vel periculi proprij, vel alieni quod quis incurrit propter ipsum. Audacia, seu temeritas, est vitium oppositum fortitudini per excessum, quando scilicet quis temere audet, & aggreditur, quod non debet, aut sicut non debet, aut quando non debet. Et potest esse peccatum mortale, vel veniale, pro ratione materiæ, magis, vel minus grauis, & periculosæ, quam quis re ipsa temerè aggreditur. Audaces vt plurimum timidi sunt, vt ait Arist. 3. eth. cap. 7. *Audaces quidam præcipites sunt, voluntque ante ipsa pericula periclitari, in ipsis verò constituti absistunt, sed fortes in operibus ipsis acres, ac celeres antea quieti sunt.* Vide D. Thom. 2. 2. *q.* 125. *art.* 3. & *q.* 126. *art.* 1. & *q.* 127. *art* 1. Val. *tom.* 3. *disp.* 8. *q.* 3. *par.* 2. Less. *lib.* 3. *c.* 1. *dub.* 6.

§. XIX.

De partibus fortitudinis.

182. DE partibus fortitudinis in communi agit D. Thom. 2. 2. *quæst.* 128. *in particulari, à quæst.* 129. Lessius *lib.* 3. *cap.* 2. *dub.* 5. Val. *tom.* 3. *disp.* 8. *quæst.* 3. *par.* 1. Iauell. *tom.* 2. *par.* 2. *phil christ. tract.* 6. *c.* 6. Eustach. 3. *p. sua eth. disp.* 2. *tract.* 3. *sect.* 3. *q.* 3.

183. Dicendum est, quod partes fortitudinis integrales, seu partiales diuersimodè consideratæ, vt dictum est supra hoc *cap.* §. 2. *num.* 10. sunt magnanimitas, ad quam fiducia, vt D. Thom. *quæst.* 129. *art.* 6. quia non potest quis magna aggredi generosè, nisi multùm confidat se posse conficere. Magnificentia, patientia, ad quam spectat longanimitas, vt D. Thom. *quæst* 136. *art.* 5. quia sine anxietate expectare, quæ diu differuntur, quod est proprium longanimitatis ad patientiam pertinet: & perseuerantia ad quam spectat constantia, vt D. Thom. *quæst.* 137. *art.* 3. quia, non obstantibus difficilibus prouenientibus, in proposito stare, quod est proprium constantiæ, ad perseuerantiam spectat: Ita D. Thom. *q.* 128. *ex Cic. lib.* 2. *de inuen.*

184. Magnanimitas est virtus, ad opera magna, & heroïca in omni virtutum genere inclinans: Ita Arist. 4. eth. c. 3. vbi ait: *Videtur igitur magnanimitas*

quasi ornamentum quoddam esse virtutum; nam & maiores ipsas reddit, & sine ipsis esse non potest, ac propterea reuera esse magnanimum difficile est, cum id existere sine integritate nullo modo queat: Hæc virtus maximè reperitur in religiosis, vt ait Less. *loc. cit. dub. 2. num.* 12. Magnitudo enim animi, quam dicit magnanimitas, in 2. potissimum consistit: In contemptu scilicet earum rerum, quæ maximè vulgo æstimantur, vt sunt diuitiæ, voluptates, & honores; & in conatu ad ea, quæ sunt maximè ardua, & honore cœlesti digna, vt sunt consilia Domini, quæ obseruare profitentur Religiosi: Et quia, vt ait Patr. lib. 7. de reg. tit. 8. *Magnanimitas ea est virtus, sine qua Reges, ac Principes nequaquam rectè imperare possunt.* Et Sen. lib. 1. de clem. c. 5. *Decet magnanimitas quemlibet mortalem, etiam illum, infra quem nihil est, quid enim maius, aut fortius, quam malam fortunam retundere? Hæc tamen magnanimitas in bona fortuna latiorem locum habet, melius que in tribunali, quam in plano conspicitur.* Colligitur *ex cap. Grandi, de suppl. negl. præl. in 6.* ibi *Magnanimitate.* Ideò hic ad nostrum Prælatum instruendum, insinuabimus eas conditiones, quas de magnanimo docet Arist. *loc. cit.* de quibus Less. *loc. cit. n.* 14. Iauel. 4. *eth. tract.* 3. *c.* 3. Vbi Bur. *tract.* 3. Ægid. *de reg. lib.* 1 *p.* 2. *c.* 23. Contz. 3. *pol. c.* 20.

185. Primò itaque magnanimus, nec pro paruis rebus, nec frequenter adit pericula, quando autem adit, id constantissimè facit, non parcens vitæ suæ, quasi non sit dignum viuere, vbi salus Religionis, & patriæ periclitatur. 2. Libenter confert beneficia, non libenter suscipit, quia illud superioris, istud inferioris, vbi autem beneficia acceperit, largissimus retributor existit. Data autem beneficia commemorari libenter audit, licet ipse in se eorum non ampliùs recordetur. Neminem item nisi difficulter precatur, promptè tamen precantibus obsequitur. 3. Cum præclaris viris magnum se præbet, cum honesto tamen decore, non adulatione, cum mediocribus mediocrem. Item magnanimus honores non venatur, nec vltrò se offert, vt honoretur, sed expectat, vt sibi vltrò deferantur, & æquo animo fert, vel potius despicit, si ei non exhibeantur, animi magnitudine ductus. 4. Non mouetur pro quacumque re leui, sed solùm pro rebus maximis. Vnde dedignatur se in rebus parui momenti ingerere, ad eaque vocari. 5. Manifestè amat, & odit, quæ amore, vel odio digna sunt; turpe enim putat quemquam decipere, bonus amicus, & bonus inimicus existit. Vnde etiam magis æstimat veritatem, quàm opinionem. 1. magis æstimat esse bonum quàm videri, & veritatem, quando dicenda est, apertè dicit absque timore, suamque voluntatem intrepidè fatetur, voluntas enim aut non est, aut libera dicenda est; scit tamen etiã prudenter celare, quando opus est, non enim decet omnibus omnia patere. Vnde etiam sequitur, quòd nõ potest ad alienum viuere arbitrium, nisi fortè amici, cuius sit idem velle, & nolle, à quo etiam libertate dicta accipit non grauata, iuxta illud Naz. ep. 169. *Est hominis animi magnitudine præditi, amicorum potius libertatem, quam inimicorum blanditias amplecti.* 6. Non est admiratiuus, quia nihil existimat magnum in rebus istis humanis, caducis, & externis; admiratur tamen magnam Dei potentiam, & bonitatem, magnique facit, & admiratur virum summis virtutibus præditum. 7. Non est memor iniuriarum, quia parui pendit iniurias sibi non digno illatas. Quare viles sunt Aristoteli, qui iniurias priuatas sine fine persequuntur, immò omnino bestias vocat tales Muson. apud Stob. ser. 19. *Sanè animo cogitare, qua via in eam, qui memordit, morsum retorqueat, & retalies iniuriam auctori, ferarum, quam hominũ, magis proprium existimo.* 8. Non multum loquitur de hominibus, aut laudando, aut vituperando, nec etiam de seipso, quia non curat, vt laudetur, neque vt alij vituperentur. Contumeliis autem in seipsum collatis moderatè respondet, si sine scandalo id fieri potest. 9. Non queritur, si illi necessaria, vel parua desint, nec est facilis ad ea postulanda, quia hæc illi minus sunt cordi. 10 Potius vult possidere res præclaras, & infructuosas, quam viles, & fructiferas. 11. Magnanimi motus, & incessus est tardus, vox grauis, oratio stabilis, & sedata, vnde nõ est festinus in loquendo, nec contentiosus nec vehemens.

186. Peccatur contra magnanimitatem dupliciter, vt ait D. Thom. 2. 2. *q.* 130. 1. per excessum, 2. per defectum. Per excessum 3. modis. 1. præsumptione, de qua D. Thom. *loc. cit.* 2. ambitione, de qua idem *q.* 131. 3 inani gloria, de qua idem *q.* 132. per defectum peccatur pusillanimitate, de qua D. Thom. *q.* 133. præsumptio est nimia suarum virium confidentia, qua fit vt quis aggrediatur aliquid, vel sit paratus aggredi, quod est supra suas vires. Est autem peccatum mortale, vel veniale, pro ratione materiæ, magis, vel minus grauis, aut etiam pro ratione nocumenti proprij, vel alieni, quod inde sequitur. Mortale erit sine dubio, si quis absque debita peritia suscipiat officium Confessoris, vel Parochi, aut Lectoris, vel Superioris, tunc enim violatur ius naturæ, quod docet, neminem debere assumere sibi facienda, quæ illius capacitatem superant. Ambitio est appetitus inordinatus honoris. Tripliciter autem potest inordinatè appeti honor, vt ait D. Thom. *q.* 131. *art.* 1. primò quando appetitur honor, qui appeti non debet, quia est supra dignitatem propriæ personæ. Vt si quis velit honorari ob gradum, quem non habet. 2. si appetatur honor eo modo, quo non debet, vt si quis ita honorem amet, vt paratus sit propter ipsum Deum offendere. 3. si appetatur honor inutiliter, non referendo scilicet illum ad vtilitatem aliquam propriam, vel alienam. In 1. casu est peccatum veniale tantum, nisi fiat iniuria proximo. In 2. est mortale, vel veniale pro ratione mediorum, quibus vtitur, vel paratus est vti. In 3. est veniale. Si autem appetitus honoris sit vndequaque moderatus, nullum erit peccatum, vt ait D. Thom. *q.* 131. *art.* 1. *ad* 3. cum honor sit virtutis imago. Vnde Arist. 4. eth. c. 3. ait. *Imò neque honore quidem erit dignus, si sit malus: quippe cum virtutis præmium sit honor, bonisq; tribuatur.* Vana gloria est inordinatus appetitus gloriæ vanæ, & inutilis. Potest autem tripliciter iste appetitus gloriæ vanæ esse inordinatus, vt D. Thom. *q.* 132. *art.* 1. Primò si de simulata excellentia quæratur opinio, vel fama, vt illi, qui se fingunt esse peritos, vel eadem quæratur de re fragili, & caduca, vt iactabundi faciunt. 2. si quæratur apud eos, qui de rebus non possunt rectè iudicare, vt si quis disputaret apud imperitos. 3. si quis ponat in ea vltimum finem, quia scilicet paratus sit peccare mortaliter. In 1. casu, si cum detrimento aliorum vtatur, erit mortale, vel veniale, ratione detrimenti, magis, vel minus grauis. In 2. si non habeat aliquem effectum mortalem, est solùm veniale. In 3. est mortale, vel veniale, pro ratione peccatorum, quæ paratus est agere propter vanam gloriam assequendam. Pusillanimitas est vitium, quo quis diffidens de suis viribus refugit officia, ad quæ est idoneus, & detrectat facere bona opera aliquid difficultatis habentia, quæ alioquin facilè præstare posset. Est autem mortale, vel veniale, pro ratione rerum, quas detrectat facere, vt si id, quod detrectat, tale sit quod ad id sub mortali suscipiendum teneatur, mortale erit, si autem teneatur sub veniali, veniale. Videatur Val. *tom.* 2. *disp.* 8. *q.* 3. *par.* 2. Less. *lib.* 3 *c.* 2. *dub.* 3. Contz. 3. *pol. cap.* 20. §. 4. Iauell. 4. *eth. tract.* 3. *c.* 4. & ante omnes D. Th. *loc. cit. q.* 130. 131. 132. *&* 133. *semper art.* 1.

187. Magnificentia, de qua D. Thom. 2. 2. *q.* 134 Est Aug. lib. 83. qq. q. 31. *rerum magnarum, atque excelsarum cum ampla quadam, & splendida propositione cogitatio, atque administratio.* Et Ar. 4. eth. c. 2. *Nam etiam ipsa esse quadam virtus videtur, quæ circa pecunias versatur, non in omnes tamen, quæ ad pecunias spectant, actiones, sicut liberalitas diffunditur, sed in sumptuosas tantum.* Officium huius virtutis primarium est

res

res magnas, ad quas magno sumptu opus est, efficere, quando ratio id postulat, vel suadet. Sex autem proprietates magnifici assignat. Arist. *loc. cit.* 1. quòd magnificus scienti assimilatur, quia scilicet circa materiam suam scit inuenire qoid decet, & sumptos conuenientes rebus accommodare. 2. quòd honesti causa (quod omnibus virtutibus commune est) magnos sumptus faciat. 3. eos facit cum voluptate. 4. dictos sumptus facit sine parsimonia. 5. non curat quanti constet opus, modò pulcherrimum sit, & maximè decens. 6. magnificus semper est liberalis, & ex æquali sumptu facit opus magis præclarum, quàm liberalis.

188. Sed inquies, hanc virtutem non posse conuenire Prælatis regularibus, qui votum paupertatis fecere, quod & insinuauit Arist. *loc. cit.* dicens. *Propter quod inops quidem non vtique erit magnificus, non enim sunt ei à quibus magnu consumit decenter, sentans autem insipiens.* Respondeo, ad hoc D. Th. *q. 134. art. 3. ad* 4. quod licet pauper quò ad actum exteriorem huius virtutis, qui non potest exerceri nisi per magnam pecuniarum quantitatem, tanquam per iostrumentum necessarium, magnificus esse non possit, potest tamen esse magnificus quò ad actum interiorem, qui est priocipalis virtutis actus, idest quò ad electionem magnorum sumptuum circa opera admiratiooe digna, in honorem, & ornamentum Dei, vel communitatis, vel familiæ, actu ponenda, si facultas adesset. Seu potest esse magnificus, odiendo viria huic virtuti opposita. Seu potest etiam pauper esse magnificus, non in iis, quæ sunt magna simpliciter, sed solum in iis, quę sunt magna per cōparationem ad aliquod opus: quod licet in se paruum sit, tamen potest magnificè fieri secundum proportionem illius generis, v. g. fabricario coquinæ, seu latrinarum potest fieri magnificè in suo genere. Vnde etiam Aristoteles loc. citato, ait. *Propter quod est magnificus in quo vtique faciat genere, magnificè facere.* Vide Burid. 4. *eth. tract. 2. c. 3. q. 1. dub. 3. in resp. ad arg.*

189. Sed hic oota, quòd puto, istam virtutem esse non minus Prælatis Regularium necessariam, quàm alias. Tum propter connexionem, quam inter se virtutes habent. Tum propter splendorem, & ornamentum. Tum quod huius virtutis duo præcipuè sunt actus ad meum propositum secundùm Aristotelem loco citato. Vnus circa res diuinas, alter circa humanas. Circa res diuinas, ad magnificum spectat templa ædificare, reparare, ornamenta necessaria Ecclesiis munda, & magnifica contribuere, & omnia, quæ ad Dei cultum pertinent cum decore, & iuxta facultates, quas possidet, vel mioistrat, præparare. Circa res humanas, tenetur magnificus iuxta easdem suas facultates splendidè eleemosynas pauperibus erogare, hospites lætè recipere, & largè, ac magnificè tractare, benemeritos remunerari, suis magnifica conuiuia facere. Hæc omnia tenetur etiam Prælatus regularia facere, tum quæ ad cultum Dei, tum quæ ad hospites, tum quæ ad pauperes, tum quæ ad beoemeritos. Quo ad conuiuia tenetur Prælatus Superiores suos aduenientes magnificè tractare. Quod videtur insinuari in nostro Correctorio *num. 61*. Et tenetur etiam suis fratribus bis, ter, aut quater in anno in Refectorio splendidius mensam præparare. Quod in Ordine nostro est in vsu diebus reconciliationum. Tenetur etiam totidem vicibus suis Religiosis religiosas recreationes concedere, & inibi abundantiùs refocillare. Hæc tamen intellige, saluis semper paupertate religiosa, & facultatibus monasterij. Quod etiam Aristoteles docet loco citato, cum dicit. *In omnibus autem, sicut dictum est, ad agentem quoque haberi relatio debet, quisnam, & ex quibus facultatibus agat, digni enim hu esse sumptus debent, & non solum operi, verum etiam facienti decenter esse accommodati.* Et Patritius lib. 7. de reg. tit. 11. *Idcircò magnificus quivis esse poterit secundum opes, ac potentiam suam, dummodò animum ex virtute promptum ad benignitatem, beneficentiamque habeat*, Vide D. Thom. Aristot. & Patritium *loco citat.* Buridan. 4. *eth. tract. 2.* Iaoellum 4. *ethic. tract. 2.* Chauass. *de vera prud. lib. 4. cap. 3. §. 3.* Menoch. *inst. pol. lib. 2. cap. 21. & 22.* Lessium *lib. 3. cap. 2. dub. 4.* Ægid. *de reg. lib. 1. par. 2. cap. 19.* Ribald. *lib. 7. de princ. christ. cap. 20.*

190. Peccatur autem contra hanc virtutem duobus modis, nimirum profusione, & paruificentia, vt Diu. Thom. 2. 2. *quæst. 135. art. 1. ad 2.* Profusio est, cum plures sumptus fiunt, quam requirat opus. Paruificentia est, cum minores sumptus fiunt, quam opus institutum exigat. Profusio si sit in detrimentum graue alicuius, peccatum mortale est, sit minus, veniale. Paruificentia peccatum veniale est: poterit tamen esse mortale, si ex voto, vel testamento quis ad opus teneatur. Vel etiam, si operis perfectio necessariò exigat aliquos sumptus, alioquin ruitura. Vel etiam, si io opere conficiendo non reponantur omnia necessaria, ad hoc vt stabile, & durabile sit, videatur Val. *tom. 3. disp. 8. quæst. 3. par. 2.* Less. *loc. cit. num. 35. & 36.* Iauell. *loc. cit. cap. 4.*

191. Patientia, de qua D. Thom. 2. 2. *q. 136.* est Aug. l. 83. qq. q. 31. *Voluntaria; ac diuturna perpessio rerum arduarum, ac difficilium, honestatis, aut vtilitatis causa.* Hæc est virtus dulcissima, quam de Cœlo misit Dominus in refrigerium, imò in conseruationem generis humani. Hæc est omnibus hominibus omninò necessaria. Hæc debet esse oostris Prælatis charissima: hæc ab ipsis amplexari, nec vnquam dimitti debet, quia sine ipsa impossibile est Prælatos subditos regere. Hæc est index, quo Prælatorum sufficientia probatur. De hac dicit Aug. *in lib. de pat. c. 1.* quod est *tam magnum Dei donum, vt etiam ipsius, qui nobis eam largitur patientia prædicetur.* Et Cyp. de bon. pat. *Patientia est, quæ nos Deo, & commendat, & seruat; ipsa est, quæ iram temperat, quæ linguam frænat, quæ mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium simultatis extinguit, coërcet potentiam diuitum, inopiam pauperum refouet*, &c. P. Dam. lib. 6. epist. 30. vers. fin. *Inter omnia, quæ diuinu nobis sunt lege mandata, nihil est Monacho propensius enitendum, quam vt patientiam in omnibus habeat, quâ videlicet alienæ prauitatis iniuriam æquanimiter ferat. Hæc planè virtus ad perfectionis culmen monachum prouehit, & terribilem in Dei hostibus unmum dimicantem facit*, &c. Et ibid. ep. 31. in princip. vocat patientiam reginam virtutum, & illam doceri ait in tota sacra Script. Chrys. hom. 15. in epist. ad Tim. *Est enim Prælatus linguis innumeris propositus ad lacerandum. Alius culpat, alius laudat, alius detrahit, alius compositionem in ius trahit, magnaque illi patientia, & constantia ad ista toleranda opus.* Et Prou. 14. *Qui patiens est, multa gubernatur prudentia; qui autem impatiens est exaltat stultitiam suam*, Et 2. Cor. 6. *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia.* Et ad Hebr. 10. *Patientia vobis necessaria est*: Et quidam senior è nostris. *Patientia est bonorum, & malorum solamen, illos enim probat, istos purgat*: ad illud Hier. ad Bres. *Aut sancta es, & probaris, aut peccatrix, & iniustè quereris, minora sustinens, quam merearis.* Plura apud Cas. *coll. 18. c. 16.* Ant. Carm. *ser. 25. 26. & 27.* Chauass. *de vera prud. lib. 3. c. 6.* Trull. *lib. 4. cap. 25. consid. 3.* Rossig. *de discipl. christ. perf. lib. 4. c. 31. & de act. virt. lib. 2. c. 12.* Patr. *de reg. lib 7. tit. 14.* vbi ait. *Qui varios hominum mores nequit tolerare, aut nimis delicatus est, uni a communi mortalium consortio se extrudit.* Peccatur contra patientiam insensibilitate, quando scilicet quis non tangitur, neque propriis, neque alienis malis, & veniale est, & tarò potest esse mortale. Peccatur etiam impatiētia, quando scilicet quis nimiùm dolet, aut ex dolore à recto discedit, & veniale est; potest tamen esse morta-

le, vel ratione scandali, vel ratione mali, quod quis ex impatientia facit. Vide Less. *lib. 3. c. 2. dub. 5. n. 41.*

192. Perseuerantia, de qua D. Thom. 2. 2. q. 137. *Est* Aug. lib. 83. qq. quæst. 31. *in ratione bene considerata stabilis, & perpetua permansio* : De hac Eccl. 27. *Homo sanctus in sapientia manet, sicut sol, stultus autem sicut luna mutatur.* Aug. ser. 8. ad fr. in er. *O fratres mei non tædeat incipere magna, nec fastidiat tenere inchoata, scientes quod perseuerantia informat meritum, colorat bonum propositum, remunerat currentem, coronat pugnantem, ducit ad brauium, conducit omnes ad portum.* Bern. ep. 129. ad Gen. *Prorsus absque perseuerantia neque qui pugnat, victoriam, neque palmam victor consequitur. Vigor virium virtutum consummatio est, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium, soror est patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, vnanimitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis: Tolle perseuerantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo.* Sen. ep. 22. *Turpe est cedere oneri, luctare cum officio, quod semel recepisti.* Et ep. 35. *Ante omnia hoc cura, vt constes tibi.* Et ep. 20. *Maximum hoc est, & officium sapientiæ, & indicium, vt verbis opera concordent, & vt ipse vbique par sibi, idemque sit.* Et paucis interpositis. *Vnam semel, ad quam viuas, regulam prebende, & ad hunc omnem vitam tuam exæqua.* Et infra. *Quid est sapientia? semper idem velle, atque idem nolle.* Sciat itaque Prælatus, magnam rem esse, & magni decoris apud Deum, & homines, vnum virum agere, idest semper stabilem, atque firmum, vt monuit Hieron. *in princ. lib. Iob.* E contra verò muliebris, atque puerilis animi, instabilem, & inconstantem esse, & nihil esse regnantibus opprobriosius, quam mentis inconstantiam: denotat enim stultitiam, & stoliditatem, vt ait Sen. loc. cit. ep. 120. *Maximum indicium malæ mentis, fluctuatio.* Et *turpius nihil iudicio, Impar sibi est.* Vnde maximè Prælatis dicta inconstantia cauenda est, & corrigenda natura, alioquin in contemptum venient subditorum, reuerentiamque perdent, qua maximè manutenentur regimina. Non est tamen contra perseuerantiæ virtutem, à cognito errore recedere. Sen. 4. de benef. c. 38. *Non est leuitas, à cognito, & damnato errore discedere, & ingenuè fatendum est, Aliud putaui, deceptus sum. Hæc verò superba stultitia perseuerantia est, quod semel dixi, qualecumque est, fixum, ratumque sit. Non est turpe cum re mutare consilium.* Vide Patr. *de reg. lib. 7. tit. 12.* Menoch. *inst. pol. lib. 2. c. 20.*

193. Peccatur autem contra perseuerantiam duobus modis. 1. animi mollitie, siue inconstantia, de qua D. Thom. *q. 138.* 2. pertinacia, de quo idem *q. 109.* inconstantia est, cum quis ob occurrentes difficultates, maximè ob tristitiã, desistit à bono opere incepto; & est peccatum mortale, si ad illud opus tenebaris ex voto, vel præcepto, & materia est grauis; si leuis erit tantum veniale. Si nullo modo tenearis, non erit peccatum mutare propositum, & relinquere prius exercitium. Pertinacia est, cum quis perseuerat in proposito firmo, siue sentiendi, siue agendi, vbi non oportet, vel plusquam oportet; estque veniale, vel mortale, pro grauitate materiæ, vt si Prælatus nolit obstinatè mutare legem, quam vsus probauit perniciosam. Vide Less. *lib. 3. c. 2. dub. 6. n. 49.* Val. *tom. 3. disp. 8. q. 3. par. 2.*

194. Monendi hic sunt Prælati de duobus. 1. vt semel datam fidem constanter seruent. Nihil est enim quòd vehementiùs subditos contineat quàm fides, quæ si semel violetur, seditiones parit, euersionesque regiminum: patientius enim sustinent subditi, sibi, quod petũt, denegari, vel sibi non dari, quod non quærunt, quàm à promissis cadere, & datam sibi fidem violari, nam in hoc contemni se maximè credunt. Vnde referunt, solitum fuisse dicere Franciscum I. Galliarum Regem, quod si fides toto orbe terrarum exularet, in Superioribus tamen seruanda asset. Et Xenoph. in or. Agesil. *Magna, & pulchra res est, cum aliis omnibus, tum verò principi fidem seruare, & se talem esse cognosci.* Et Cic. pro Q. Rosc. *perfidiosum, & nefarium est, fidem frangere, quæ continet vitam:* Et Thucyd. lib. 4. in or. Brasidæ. *Fraus cum in omnibus fœda est, tum verò in his, qui maiori dignitate sunt præditi fœdior est, quam aperta violentia.* Et Arist. 1. reth. c. 15. *Infirmatis, violatisque pactis, tollitur inter homines commerciorum vsus.* Et Sil. Ital. lib. 4. Superiores alloquens.

——Neu rumpite fœdera pacis:
Nec regnis post ferte fidem.

Et Aug. ep. ad Bon. *Fides quando promittitur, etiam hosti seruanda est, contra quem bellum geritur, quanto magis amico, pro quo pugnatur?* Vnde Deut. 23. *Si nolueris polliceri absque peccato eris, quod autem semel egressum est de labiis tuis obseruabis, & facies sicut promisisti.* Et omnia promissa debita esse, statuitur *in l. vlt. C. ad leg. Falc.*

Cauenda tamen hic sunt multum Prælatis tria domestica mala, quæ honorato prudentiæ, seu sagacitatis nomine vestiunt aliqui barbari superiores. 1. est cum promiserunt, occasiones quærere non seruandi, reiecta causa in promissarium. 2. non habuisse voluntatem se obligandi, 3. more aulicorum promisisse. Hæc fraudulentium, & barbarorum Superiorum sunt. Hæc indigna sunt viro vtcumque non Superiore religioso. Hic technis magis rumpitur, quam in aperto, fides; magis contristatur frater, cui facta est promissio, frangitur enim illi non solùm fides, sed & illuditur. Quid interest inter frangere fidem, & occasionem frangendi quærere? Quippe nil. Nisi quod ad insidentiam perfidia additur, & fraudulentia. Vnde Liu. lib 9 hist. *Et perfidos nunquam causa deficiet cur pacto non stent, semperque aliquam fraudi speciem iuris imponens.* Et quid interest inter fidem non seruare, & in mente æquiuocare? Quippe nil. Nisi quòd ad fallentiam fidei additur dolus, & irrisio: Quis enim cogit, vt promittas? Ergo si promittis, eo teneris sensu verba proferre, quo ea percipit promissarius, qui Deus non est, vt mentem tuam scrutari possit. *Quis enim hominum scit,* 1. Cor. 2. *Quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* Et si roges, an possint Prælati suadere reis, vt veritatem fateantur in iudicio, promittendo eis impunitatem, quam concedere nec volunt, nec possunt. Respondeo negatiuè, quidquid aliqui iniquè dicant, vel faciant, nam graue est fidem fallere, *l. 1. in fine princ. ff. de const. pecun.* Ita Red. *de maiest. princ. vers. Sed etiam per legitimos tramites, n. 13.* Et cõcludit Dec. *in l. Ea est natura cumllat. ff de reg. iur. n. 7.* & ante ipsum. Imol. *consil. 109.* quòd ex ea confessione per dolum sic à iudice extorta, reus condemnari non potest. Ita etiam Hipp. de Mars. *sing. 201. num 4.* Ang. *in sum. verb. Fides:* & Addit. Decij plura cumulat ad dictum locum. Et licet sciam, iam multò ante exulasse ad pœnam capitis fidem à curiis, ita vt non intret vnquam regium limen, eamque seruantes ibi in egestate viuere, è contra autem violantes ditari; impiissimum tamen est, nefandos istos mores tam Republicæ perniciosos velle in religiones introducere, in quibus omnia tam dicta, quam facta, Prælatorum præsertim, decet esse sacrosancta; sciantque qui talia intentant, quod luent perfidiæ suæ pœnas, ad illum Hom. lib. 4. Iliad.

Etsi periuros violato fœdere Troas
Iuppiter è Cœlis præsenti haud puniat ira.
At tandem grandes magno cum fœnore pœnas,
Hi cum coniugibus, & tota stirpe rependent.

Nolo tamen Prælatum tam promissorum tenacem, vt si ea iniusta sint, obseruet; In malis enim promissis fidem non expedit obseruare, *reg. 69. in malis de reg. iur. in 6.* & Amb. 1. de off. c. 50. *Est etiam contra officium nonnunquam soluere promissum sacramentum custodire.* Vide plura huiusmodi causa 22. q. 4. & refertur dictum Agesilai. *Si iustum est, quod petis, promisi, sin minus, non promisi.*

promisi. Et Tull. 1. *de off.* aliquos casus refert, quibus non tenemur seruare promissum. *Nec promissa igitur seruanda sunt ea, quæ sint iis, quibus promiseris, inutilia; nec, si tibi plus ea noceant, quàm illi prosint, cui quidem promiseris: contra officium est, maius damnum anteponi minori,* Et paucis interpositis. *Iam, illis promissis non standum esse, quis non videt, quæ coactus quis metu, aut deceptus dolo promiserit?* Vide Chauass. *de vers. prud. l. 4. cap. 1. §. 3.* Scrib. *in Sup. relig. lib. 1. cap. 9. & in pol. christ. lib. 1. cap. 15.* Sen. 4. *de benef. cap. 34. & 35.* Ribad. *de princ. christ. lib. 2. cap. 15.* Lips. *lib. 2. ciu. doctr. cap. 14.*

195. 2. Quod moneo, est, commissa sibi secreta fide seruet prælatus custodia. Est tanti momenti monitum istud, vt quid illud seruare nesciat, nesciat regnare. In hoc consistit summa magnarum rerum: primaque regula bene, prudenterque regnandi est secretorum obseruatio: vnde Prou. 11. *Vir prudens tacebit, qui reuelat secretum, ambulat fraudulenter; qui autem fidelis est, celat amici commissum.* Et Prou. 20. *Ei qui reuelat mysteria, & ambulat fraudulenter, & dilatat labia sua, ne commisceearis.* Et vna ex causis, quare iustè possit amicus dimitti, est reuelatio secreti: Eccl. 22. *In reuelatione mysterij effugiet amicus.* Et Eccl. 28. *Quod si denudaueris absconsa illius, non persequeris post eum.* Vnde Sen. ep. 88. *Vre, cædo, occide, non prodam, sed quo magis secreta quæret dolor, hoc illa altius condam.* Et lib. 5. de benef. cap. 21. *Querar cum eo, qui arcanum sermonem non continuerit, & fidem datam, nec seruatam indignabor.* Tacendum ergo prælato, nam lubrica lingua facilè mysteria pandit. Vide plura apud Scrib. *in pol. Christ. lib. 1. cap. 16. & in Sup. Relig. l. 1. cap. 10.*

§. XX.

De temperantia, Prælatis Regularium necessaria.

196. Vide D. Amb. *lib. 1. de off. cap. 43.* D. Thom. *2. 2. quæst. 141.* Ar. *3. eth. cap. 10. & 1. mag. mor. cap. 20.* Patr. *lib 6. de reg. tit. 18.* Iau. *3. eth. tract. 3. & part. 2. phil. christ. tract. 7.* Val. *tom. 3. disp. 9. quæst. 1.* Less. *lib. 4. capite 1.* Ægid. *de reg. lib. 1. part. 2. à cap. 15.* Perald. *in sum. de virt. tom. 1. part. 3. princ. tract. 3.* A. Carm. *ser. 28.* Io. Tor. *mor. phil. princ. lib. 10. 11. 12. 13. &c.* Contz. *3. pol. cap. 12.* Scrib. *lib. 1. pol. christ. cap. 11. & in Sup. Relig. l. 1. cap. 16.* Ribad. *l. 2. de princ. christ. c. 21. & 22.* Bell. *l. 1. princ. christ. c. 12.* Eust. *in sua eth. 3. p. disp. 2. tract. 3. sect. 4.* Menoch. *inst. pol. l. 2. c. 24.* Rossig. *de discip. christ. perf. l. 4. c. 33.* Sarr. *in ciu. reip. reg. consid. 135.* Stob. *ser. 5.* Ant. & Max. *ser. 64.*

197. Noto 1. quod temperantia est *affectio coërcens, & cohibens appetitum ab iis rebus, quæ turpiter appetuntur.* Ita Aug. l. 1. de lib. arb. cap. 13. & lib. 83. qq. q. 35. *Temperantia est rationis in libidinem, atque adeò non rectos impetus, firma, & moderata dominatio.* Ber. ho. in Dom. 10. post Pont. de vill. iniq. *Temperantia est refrenatio cupiditatis aduersus ea, quæ carnaliter delectant.* Arist. l. 1. magn. mor. cap. 5. & 3. eth. cap. 10 *Temperantia est medietas circa voluptates, gustus, & tactus.* Quam definitionem approbat D. Thom. *loc. cit. art. 4.* Et ex his collige, quòd primarium, & proprium officium temperantiæ est moderari voluptates versantes circa tactum, & gustum, & licet etiam videatur versari circa moderationem voluptatum in aliis sensibus occurrentium, vt visu, auditu, olfactu, id tamen non est per se, nisi quatenus ordinantur tanquam ad finem vltimum ad dictos sensus, gustus, & tactus, vt omnes cum D. Thom. & Arist. *loc. cit.* Aduertit autem D. Th. *art. 2.* quòd temperantia sumitur dupliciter. 1. pro moderatione, quam ratio actionibus, & affectionibus humanis imponit, & sic virtus Generalis est; & de temperantia hoc modo loquuntur plurimi PP. & DD. 2. pro virtute, quæ refrænat appetitum in his, quæ maximè alliciũt, vt sunt gustus, & tactus, & sic est specialis virtus.

198. Noto 2. quòd temperantia est multum celebrata, tam à Scrip. sacra, & PP. quàm à DD. prof. Eccl. 31. *Vtere quasi homo frugi his, quæ tibi apponuntur, vt non cum manducas multum odio habearis.* & cap. 37. *Noli auidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam, in multis enim escis erit infirmitas.* Ber. de ord. vit. post med. *Sed inter has temperantia semper amplexanda est, est enim modus vitæ in omni verbo, vel opere. Hæc humilitatis regulam custodit: tranquillitatem animi seruat, continentiam, & castitatem diligit: fouet decus, & honestatem: restringit ratione appetitum, iram contemnit, nec rependit contumeliam* Ephr. de tim. Dei, *Temperantiam sanitas sequitur, & sobrietas, atque vigilantia.* Sen. epist. 88. *Temperantia voluptatibus imperat, alias odit, atque abigit, alias dispensat, & ad sanum modum redigit, nec vnquam ad illas propter ipsas venit. Scit optimum esse modum cupitorum, non quantum velis, sed quantum debeas sumere.* Iambl. apud Stob. ser. 5. *Fundamentum virtutis est, vt Socrates aiebat, continentia, & moderatio voluptatis; ornamentum verò bonorum omnium temperantia spectatur, vt Plato asseruit; munimentum denique honestissimarum animi affectionum, vt ego dico.*

199. Dicendum est, temperantiam esse simpliciter necessariam Prælatis Regularium. Ita Scrib. *in Sup. Relig. lib. 1. cap. 16.* Menoch. *lib. 2. inst. pol. cap. 24.* Ægid. *de reg. lib. 1. part. 2. c. 16.* Bell. Ribad Sarr. Patr. *loco cit.* Constat. 1. ex Scrip. 2. ad Tim. 1. *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis;* vbi per sobrietatem datam Apostolis primariis Ecclesiæ Prælatis, intelligitur temperantia, vt notant ibi A Lap. & Magal. & 1. ad Tim. 3. *Oportet Episcopum sobrium esse.* 2. ex PP. Ber. ep. 26. ad Guid. Ep. *Postremo temperantia opus est, ne qui aliis prædicas, ipse, quod absit, reprobus fiat.* Et Hier. relat. *in cap. Ecclesia, d. 35.* reprendens Ecclesiæ Primates, qui deliciis, & impudicitiis, vacant *An non confusio, & ignominia est, IESVM Crucifixum, magistrum pauperem, atque esurientem fartis prædicare corporibus, ieiuniorumque doctrinam rubentes buccas, tumentiaque ora proferre?* &c. 3. ratione tum quia intemperantia est vitium maximè bestiale, vt ait Arist. 3. *eth. cap.* 12. his enim solùm duobus sensibus delectantur bestiæ, ergo maximè dedecet Superiores. Tum quia intemperantia est vitium puerile, vt ait ibidem Arist. quia intemperati vt pueri, impetu, absque discursu feruntur in ea, quæ oblectant. *Væ autem terra, cuius Rex puer est;* Eccl. 10. Tum quia intemperantia vitium maximè turpe est, vt Arist. *ibid.* Fit enim per eam quis mancipium ventris, & gulæ, ergo Prælatis maximè vitanda, ne suo malo exemplo alios ad similiter viuendum alliciant. Et obserua hic vnum, quod ego attentè obseruaui, quòd omnes, & quotquot Prælati Prælatiis priuati vnquam fuere, id illis propter hoc vitium euenit, nauseam enim generat, & maximum contemptum, intemperatum habere Prælatum, & dedignantur subditi tali bruto animali subdi, cum alia vitia tolerabiliùs sufferant, & patientiùs. *Curabunt* itaque Prælati, vt bene Patr. lib. 6. de reg. tit. 18. *vt hac virtute in primis fulgeant, quæ eorum vita, moresque castigatiores omnino erunt, & eorum exemplo cunctos ciues emendatiores reddent.*

200. Peccatur contra temperantiam 2. modis; stupore, seu insensibilitate, de qua D. Thom, 2. 2. *q.* 142. *art.* 1. & intemperantia, de qua *ibid. art.* 2. Stupor est, cum quis ita aduersatur, & fugit delectationes tactus, & gustus, vt nolit eis vti, quando, vel vbi, vel quantum secundum rectam rationem oportet. Intemperantia est excessus in concupiscendis, vel fruendis delectationibus gustus, vel tactus, vt cum appetuntur, vel vsurpantur, quando vel vbi non oportet, vel plus quam oportet, vel non eo

modo, quo oportet, vel quas non oportet. Insensibilitas est peccatum mortale, vel veniale, ratione materiæ, quam repudiat: Nam si repudiet delectabiles operationes necessarias ad conseruationem vitæ, vel in specie, vel in indiuiduo, vt D.Th. *ar.5.* peccatum mortale erit. Si verò repudiet delectationes necessarias tantùm sub veniali, veniale erit. Intemperantia est peccatum mortale, vel veniale, pro ratione materiæ, in qua versatur. Vide Val. *tom. 3. disp. 9. quæst. 3. par. 1.* Less. *lib.4. cap.1. dub.3.* Ianel. *to.2. par.2. phil. christ. tr.7. cap.3.*

§. XXI.

De partibus integralibus temperantiæ.

201. VIde D. Thom. 2. 2. *q.* 143. 144. *&* 145. Ianel. *loc.cit. cap.4.* Eustach. *eth. p. 3. disp. 2. tr. 3. sect.4. q.2.* Val. *to.3. disp.9. q.1. p. 2.* Less. *lib.4. cap.1. dub.4.*

202. Dicendum est, 2. esse partes integrales temperantiæ, verecundiam, per quam refugitur turpitudo temperantiæ contraria, & honestatem, per quam temperantiæ pulchritudo amatur. Ita D.Th. *q.143.* & alij. Est igitur verecundia non virtus propriè, sed quædam laudabilis passio, qua turpia fugimus, & ea quæ probro digna sunt, vitamus, qualia maximè sunt peccata intemperantiæ; & hac ratione iuuat virtutem temperantiæ, vt D.Th. ar.1. & Arist. 2. eth. c. 7. *Et est* Damasc. lib.2. de fide orth. c.15. *Passio timoris de turpi actu.* Et Arist. 4. eth. c.9. *Est timor dedecoris siue verè, siue existimatè.* 2. & rhet. c.6. *Verecundia est dolor quidam, atque perturbatio ex malis, aut præsentibus, aut præteritis, aut futuris, quæ infamiam inferant.* Dicitur autem quandoque virtus à SS. PP. quatenus, vt D. Th. *loc. cit.* communiter virtus dicitur omne id, quod est bonum, & laudabile in humanis actibus, & passionibus. Est verò duplex. Vna de bono, quatenus scilicet quis erubescit bonum facere, vt cum Religiosi erubescunt prædicare euangelium, mendicare, pauperem vitam agere. Altera de malo, vt cum erubescimus de malo aliquo perpetrato. 1. mala est 2. bona. De his Greg. hom. 10. in Ezech. *Sicut verecundia laudabilis est in malo, ita reprehensibilis est in bono, erubescere enim malum sapientia est: bonum verò erubescere, fatuitatis.*

203. Nota 1. quòd verecundia, & timor sunt corporei affectus, vnde non fiunt sine corporis mutatione; contrario tamen modo; nam in verecundia fit motus à corde ad partes extrinsecas, quasi à centro ad circumferentiam; in timore verò ab externis partibus ad internas. Et id prouenit, quia natura semper transmittit spiritus, vbi sentit defectum, vt deficienti subueniat. Et quoniam in corde est fons vitæ, inde est, quòd quando timetur periculum, & maximè periculum vitæ, spiritus, & sanguis ad cor confluunt, relictis partibus externis sine colore, qui ex sanguine oritur, vnde ex timore pallescunt homines. Et quoniam honor, & confusio stant in exterioribus, & non in corde, ideò, quando homo confusionem, & inhonorationem timet, spiritus, & sanguis ad exteriora, & præcipuè ad faciem, currunt, & sic homo rubescit in facie, quæ erubescentia verecundia dicitur. De qua cum certum sit quòd in facie sedem habeat, in qua tamen parte, dubitatur. Aug. *ser.8. de ver. Apost.* eam in fronte collocat; *In fronte illam* (crucem) *figat, vbi sedes pudoris est.* Amb. de ob. Imp. Val. in genis. *Ista sunt, in quibus solet nitere verecundia.* Abul. *cap.20. in Gen. q. vlt.* in fronte, & oculis. *Verecundia apparet in fronte, & in oculis ideò homines verecundiam patientes, oculos deprimunt.*

204. Nota 2. quòd verecundia magis apparet in iouenibus, quia plus habent caloris, & pellis sunt tenerioris. In mulieribus autem magis apparet, quàm in viris, quia habent & pellem teneriorem, & sanguinem subtiliorem. Cur autem improbi non erubescant, docet D. Thom. 2. 2. *qu.* 144 *art.4.* quia, cum sint in malis profundati, non apprehendunt turpia, vt turpia, sed potius de his gloriantur.

205. Dubitabis, an huiusmodi laudabilem passionem in Prælatis reperiri necesse sit: cum Arist. 4. *ethic. c.9.* dicat in senioribus verecundiam non reperiri, quia nihil pudore dignum agunt: nec similiter in virtuosis; at Prælatos seniores esse decet, & virtuosos, Respondeo quòd licet senes, & virtuosi, quandiu operantur vt senes quorum est omnia cum maturitate agere, & vt virtuosi, quorum est nihil non honestum patrare, verecundari non habeant, quia tamen vt homines cadere possunt in aliquo, vel verbo, vel facto, vel gestu, vel nutu minus honesto ideo docet eos tunc verecundari. Quod docet D. Thom. *loco cit.* cum ait, quòd licet senes, & virtuosi verecundia careant, quatenus eam non sibi facilem apprehendunt, sunt tamen sic dispositi, vt si in eis esset aliquid turpe, de hoc verecundarentur. Quo pacto intelligendum est ait Ar. *loc. cit.* verecundantur autem Prælati 3. de causis, 1. ex aliqua turpitudine commissa ab aliquo suo subdito, quam refundi in propriam personam existimant. 2. ex specie, vel opinione alicuius turpis, ad virtuosum enim virum spectat non solum vitare turpia, sed etiam omnem similitudinem, & apparentiam turpitudinis 1. ad Thes. 5. *Abstinete vos ab omni specie mali* 3. ex infamatione sibi falsò data, nam turpe putant, quòd de se tale quid suspicentur homines. Et alioquin quod etiam senioribus verecundia conueniat, docet Amb. 1. de off. cap.19. *Quæ cum sit omnibus ætatibus, personis, temporibus, & locis apta, tamen adolescentes, iuuenilesque annos maximè decet.* Et Sen. ep.11. *Inter hæc, & ruborem esse scio, qui grauissimis quoque viris subitus offunditur; magis quidem in iuuenibus apparet, quibus plus caloris est, & tenera frons, nihilominus veteranos, & senes tangit.*

206. Nota 3. quòd verecundia debet seruari in voce, in modo loquendi, & canendi, in oculis, in oratione ipsa, in motu, in gestu, in incessu, in habitu, de quibus Amb. *lib. 1. de off. cap.* 18. Ber. *de ord. vi.* Humb. *in spec. Relig. lib.2. p.2.* Hugo de S. Vict. *t. 2. de instit. nou.* Meritò itaque ait Patr. *lib.6. de reg. tit.* 20. quòd *verecundia est artifex, effectrixq; diligentiæ: non enim tantùm ne quis peccet cauet, sed vt honestè, decorèq; agat, omni studio, omniq; diligentia nititur,* & paulò infrà. *Negligenda nō est verecundia haud parua virtus, quæ emendatrix omnium actionum nostrarum, & expultrix improbitatis, ac temeritatis esse cernitur.* Et Tull. in part. or. ait, *Verecundiam esse virtutem omnium custodem, dedecus fugientem, & laudem maximè consequentem.* Plura videri possunt apud Arist. *4. eth c.9. 2. rhet. c 6.* Amb. Patr. D. Th. *loc. cit.* Bus. *in vir. verb. verecundia,* Ianel. *4. ethic. tr.9. & phil. christ. p.2. tr.7. cap.4. tit. De verecundia* Stob *ser.31.* Torres *phil. mor princ. lib.1. c.12.* Huic passioni contraria non assignat D. Th. ea tamen assignat Ar. *2. eth. c.7. fine*; nimirum pauiditatem, quando quis in omnibus verecundatur. Et impudentiam, quando quis in nihil omnino verecundatur.

207. Honestas de qua D. Th. 2. 2. *q.145.* est animi electio firma, & stabilis ea omnia agendi cum decore, & venustate, quæ secundum virtutem sunt. Ita Patr. *lib.6. de reg. tit.23.* Quæ definitio colligitur ex Arist. *lib. reth. ad Alex. c.1.* vbi ait. *Honesta sunt; ex quibus splendor aliquis, atque illustris honos in eos, qui aliquid gesserint, emanaturus sit.* Eadem habet 7. *mor. eundem, c.19.* & D. Th. *loc. cit. ar.1.* probat, quòd honestum idem est cum virtute; art.2. quòd idem est cum decore, & Amb. 1. de off. c.45. *Non mediocre est, rebus in singulis modum seruare, atque impartiri ordinem, in quo verè prælucet illud, quod decorum dicitur, quod ita cum honesto iungitur, vt separari*

non

non queat. Et est tantæ polchritudinis honestas, *vt, si oculis cerneretur*, ait Cic.lib.1. de off. *mirabiles amores excitaret sapientia.* Et Sen.4. de benef.n.22. *Est magna in ipso opere merces rei, & ad alliciendas mentes hominum ingens honesti potentia, cuius pulchritudo animos circumfundit, & delinitos admiratione luminis, ac fulgoris sui rapit.*

208. Dupliciter autem sumitur honestas 1. prout significat vniuscuiusque virtutis rectitudinem, atque adeo ipsum bonum honestum in materia cuiuslibet virtutis, vnde qui in cunctis studiis suis, & verbis, & gestis, & scriptis nihil indecorè, aut irreprehensibiliter agit, honestus, dicitur; & qui in contractibus, ac negotiis se tractabilem, atque facilem exhibet, siue emendo; siue vendendo, seu alio quocumque modo, honestus similiter dicitur 1. Cor. 14. *Omnia honestè, & secundùm ordinem fiant in vobis.* 2. sumitur specialiter pro eo, in quo elucet decor temperantiæ. Vnde qui comedit, bibit, coit quando, quantum, vbi & quocum debet, honestus dicitur. Et hoc pacto honestas est pars temperantiæ. Quæ distinctio sumitur ex Amb. 1. off. cap.46. *Est igitur decorum, quod praeminet, cuius diuisio gemina est. Nam est decorum quasi Generale, quod per vniuersitatem funditur honestatis, & quasi toto spectatur corpore. Est etiam speciale, quod in parte aliqua enitet.* Assignatur autem honestas pars potius integralis temperantiæ, quam aliarum virtutum, quia opera temperantiæ faciliùs, & communiùs fœdantur, & dehonestantur, quàm opera aliarum virtutum.

209. Cum itaque Prælatus sit lucerna ardens in mente suæ Religionis, ad quam respiciunt omnes, & quotquot sunt subditorum mentes, atque oculi, conuenit, ipsum non solùm recta agere, sed rectè, debito scilicet ordine, debito, & conuenienti modo, tempore, cum debitis, & opportunis circunstantiis; & id in omnium virtutum materia, sed præsertim in temperantia, quatenus nutritionem dicit indiuidualem; nam, quatenus dicit generis humani conseruationem, eam exercere non potest. Quod si fecerit, sciat se maximè sibi deuincturum subditorum animos; ait enim Patr. loc. cit. *Sola honestas est, cuius opus, & artifex simul probatur, & adeò ad se homines allicit, vt imitator eius, & auctor vnusquisque esse desideret.* Vide Bus. *in vir. verb. Honestum.* Iauel *p.2. phil. christ. tract. 7.c 4. tit. De honestate*; Less. *lib. 4. cap. 1. dub.* 1. Chauass. *de vera prud. lib. 1. cap* 3. §. 3.

§. XXII.

De partibus subiectiuis temperantiæ.

210. Vide D. Thom. 2. 2. *quæst.* 146. Eustach. 3. *p. eth. tract. 3. sect.4. quæst.2.* Less. *lib.4.c.1. dub.4.* Val. *tom.3. disp.9. quæst.1 p.* 2. Dicendum est, partes subiectiuas temperantiæ esse 4. abstinentiam, sobrietatem, castitatem, & pudicitiam. D. Thom. *loc. cit. quæst.* 143. *art. vn.* Eustach. & alij. Abstinentia, de qua D. Thom. *q.* 146. est virtus, qua homo à cibis abstinet prout oportet, pro congruentia hominum, cum quibus viuit, & personæ suæ, & pro valetudinis suæ necessitate. D. Thom. *art. 1. corp.*

211. Nota 1. quòd natura paucis contenta est. Nam Eccl. 29. *Initium vitæ hominis panis, & aqua, & vestimentum, & domus protegens turpitudinem.* Et 1. ad Tim. 6. *Habentes alimenta, & quibus tegamur his contenti simus.* Sen. ep. 17. *Natura minimum petit.* & ep. 21. *Venter præcepta non audit, poscit, appellat; non est tamen molestus creditor, paruo dimittitur, si modò das illi quod debes, non quod potes.* & ep. 16. *Si ad naturam viues, nunquam eris pauper: si ad opiniones, nunquam eris diues: exiguum natura desiderat, opinio immensum.* Et Luc. lib. 4.

Discite, quàm paruo liceat producere vitam,
Et quantum natura petat.

212. Nota 2. quòd ex crapula multæ prouenlunt infirmitates. Eccl. 37. *Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est adiiciet vitam.* Et Luc. 21. *Attendite ne fortè grauentur corpora vestra crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ, & superueniat in vos repentina dies illa.* Et huius rei rationem reddit Chrysol. ser. 41. *Nam quoties ciborum cruditas vitalia deiicit, infirmat stomachum, corrumpit sanguinem, vitiat humores, succendit choleram, extremam febris gignit incendium, toties æger mentem perdit, amittit sensum, fertur desideriis, contrariis vrgetur, salutaria respuit, quæris noxia, fugit curam, & tandem vitam perdit, & mortem inuenit.* Basil. hom. 1. de laud. ieiun. *Siquidem habitudo corporis extremè bona sensim mutatur; & in diuersum recidit, nimirum succumbente natura, nec valente corpulentiæ pondus sustinere.* Philo lib. de mun. opif. *Immoderata ciborum congestio est lethifera naturaliter.* Vnde Iuuen. sat. 1.

Hinc subitæ mortes, atque intestata senectus:
It noua, nec tristis, per cunctas fabula cœnas,

Hinc etiam videmus, quamplurimos Prælatos, qui cum subditi essent, sanissimi erant, grauibus torqueri infirmitatibus, & citiùs fortè decedere, quàm decessissent, si fuissent subditi, licèt hoc multi tribuant, & non immeritò, grauibus animorum curis, quibus premuntur; sed in his habet etiam suam crapula partem: E contra verò abstinentes longissimè vitam producunt, vt de Essenis testatur Ioseph lib. 2. de bel. Iud. cap.7. *Viuunt quàm longissimè, ita vt plurimi eorum vsque ad centenariam proferantur ætatem, propter simplicitatem victus, vt equidem puto, & intentionem bene in omnibus ordinatam.* Isti Esseni vitam quadragesimalem, magis tamen seuerè, quàm nos Minimi, obseruabant, vt constat ex Ioseph. *loco cit.* & Phil. *lib. Quòd om. prob. sit lib.* vnde ridiculum est; quod dicunt aliqui, abstinentiam nostram vitam abbreuiare. Cum ergo nullæ diuitiæ meliores sint sanitate corporis, vt Eccl. 30. *& summum bonum sit hominibus viuere, mors autem calamitas,* vt Ioseph. *loc. cit. lib. 7. cap.* 28. & frustra quæratur amissa, vt Greg. 3. p.past. adm.13. *Salus corporis quando ad bene operandum accepta despicitur, quanti sit muneris, amissa sentitur, & infructuosè ad vltimum quæritur, quo congrua concessa tempore vtiliter non habebatur.* Debet noster Prælatus abstinentiæ, ex qua, & sanitas tantum illi necessaria, & vitæ prorogatio prouenit, multum studere. Non erit tamen contra abstinentiæ virtutem aliquando plus comedere, temporum attenta diuersitate, modò temperantiæ regula non excedatur, Eccl. 10. *Beata terra, cuius Principes comedunt in tempore suo ad reficiendum, & non ad luxuriam?* Quod denotat illa particula, *In tempore suo.* Hippocr. enim *aphor. 17. lib. 1. sect.1.* dicit. *Dandum aliquid est tempori, regioni, ætati, & consuetudini.* Et aphor. 15. *Ventres hyeme, & vere natura calidissimi sunt, & somni longissimi; quapropter in his temporibus alimenta plura exhibenda sunt.* Et Arist. sect.1. probl. 40. *Hinc etiam cibus parcus, potio liberalis per æstatem admittitur.* Et infra. *Parcimonia cibi communis temperam omnium est, sed magis æstati conuenit, ne ob habitum temporis feruentem, corpus cibo immodico pressum exæstuet.* Vide Rossig. *de disciplin. christ. perf. lib.4. cap.*34. Charass. *de perf. prud. lib.3. cap.*2. Menoch. *inst. pol. lib.2.c.24. à* §. 20. Bus. *in vir. verb. Ieiun.* Iauel. *phil. christ. p. 2. tract. 7. cap.4. tit. De abstinentia*; Tot. *phil. mor. princ. lib.11. à cap.1.*

213. Peccatur contra abstinentiam per gulam, de

qua D. Thom. 2. 2. *quæst.* 148. quatenus accipitur nomen gulæ vt contradictum ab ebrietate. Est autem gula tunc peccatum mortale, cum quis ita immoderatè experit, aut vsurpat cibos, vt illorum causa paratus sit violare leges obligantes ad mortale; aliàs tantùm est veniale vt D. Thom. *loco cit. art.* 2. nisi fortè afferat aliquod nocumentum graue, quòd gulosus potuerit, & debuerit præcauere, vt Val. *tom.* 3. *disp.* 9. *q.* 3. *p.* 1. Gulæ peccatum in 5. species diuiditur, de quibus D. Thom. *art.* 4. & explicantur isto versiculo.

Præproperè, lautè, nimis, ardenter, studiosè.

Qui modi desumpti sunt ex Greg. 30. *mor. cap.* 27. Cum ergo quis ex his quinque modis ita peccat, vt paratus sit transgredi leges ad mortale obligantes, speciale peccatum mortale gulæ committit. Vide Val. *loco cit.* Less. *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 1.

214. Sobrietas, de qua D. Thom. 2. 2. *quæst.* 149. est virtus moderatiua potus, valentis sua fumositate caput conturbare, & inebriare: Ita D. Thom. *loco cit. art.* 1. & 2. Hanc virtutem specialiter requirit in Prælatis, docet D. Thom. *art.* 4. quia, cùm ipsorum sit vacare orationi, sacræ lectioni, subditorum eruditioni, debent habere mentem puram, serenam, ac vigilantem. Vnde 1. *ad Tim.* 3. & 2. *ad Tim.* 1. ea requiritur in Prælatis Eccl. Et Prou. 31. *Noli Regibus dare vinum.* Et verè ebrietas est vnum ex illis vitiis, quod quam maximè est in Prælatis abominabile, & quod eos maximè reddit contemptibiles. Hinc Plato lib. 3. de Rep. *Ab ebrietate itaque ipsis diximus abstinendum: Vnicuique enim magis conceditur, quàm custodi, vt ebrietate grauatus, vbi terrarum sit nesciat: Nempe ridiculum esset, custode indigere custodem.* quare inter leges à Solon datas Lacedemonis, (vt Laër. *in eius vit.*) hæc erat *Princeps, si deprehendatur ebrius, morte mulctetur*: Et refert Alex. ab Alex. *lib.* 3. *cap.* 11. apud Indos lege cautum esse, vt concubina, vel alia quælibet mulier, Regem temulentum occidens, hoc donaretur munere, vt successori nuberet; Et *lib.* 4. *cap.* 6. ait, quod Carthaginensibus, ne insolescerent magistratus, toto imperij tempore vinum interdicebatur. Et *lib.* 3. *cap.* 11. de Romanis ait, quòd vino dediti à muneribus publicis arcebantur. Id autem fiebat ob damna, quæ secum affert ebrietas, de quibus latè Niss. *hom.* 3. *in Eccl. col.* 5. Et Amb. de Helia, & Ieiun. cap. 16. *Ebrietas fomentum libidinis; ebrietas incentiuum insania, ebrietas venenum sapientiæ: Hac sensus hominum mutat, & formas, & per hanc fiunt ex hominibus equi adhinnientes*: Chrysost. *ser.* 26. ait, quòd vinum est, *Dæmon blandus, inuitatus hostis, illecebra honestatis, & pudoris iniuria.* Hier in *cap.* 1. *ep. ad Tit. in illud.* Non violentum: *Longum est, ire per singula, & insanias, quas ebrietas suggerit, explicare: Videas aliquos pocula intela vertentes, scyphum in faciem iacere conuiuæ; alios, scissis vestibus, in vulnera aliena proruere; alios clamare, alios dormitare; qui plus biberit, fortior computatur.* Et infra: *Nunquam ego ebrium castum putabo.* Quare bene 1. Cor. 6. *Ebriosi regnum Dei non possidebunt.*

215. Cum ergo ebrietas sit tam abominabilis, torque tantorumque malorum causa, certissimum est, quod sobrietas illi contraria, est nostris Prælatis omnino necessaria. Ego quippe existimo, hoc ebrietatis morbo laborantem non posse tuta conscientia Prælatum recipere, nec retinere receptam; nec posse à confessariis absolui, nisi firmiter proponat, vel Prælaturæ renuntiare, vel abstemius omnino euadere. Pro ebrietate vide *tom.* 1. *huius op. q.* 1. *cap.* 17. §. *vn.* Ianel. *phil. christ. p.* 2. *tract.* 7. *cap.* 4. *tit. De sobriet.* Contz. 3. *pol. cap.* 14. Menoch. *inst. pol. lib.* 2. *cap.* 24. §. 5. Tor. *phil. mor. princ. lib.* 11. *capite* 9. Ant. & Max. *ser.* 68. Diaz *in pract. cap. im. cap.* 80. Tiraquel. *de nob. cap.* 21. *à n.* 174. P. Greg. *lib.* 39. *synt. cap.* 8. Camp. *in diuers. iur. rub.* 4. *à num.* 3. Guttier. *can. qq. lib.* 2. *cap.* 4. Vide etiam totam d. 35.

216. Peccatur contra sobrietatem ebrietate, de qua Diu. Thom. 2. 2. *quæst.* 150. Ebrietas autem est immoderata vini potatio causa voluptatis, priuans potatorem rationis vsu: Qui ergo ita inebriatur, vt vsu careat rationis, peccat sine dubio mortaliter, vt D. Thom. *loco cit. art.* 2. & Val. *tom.* 3. *disp.* 9. *quæst.* 3. *p.* 2. quia priuat se vsu rationis, & exponit se mille periculis peccandi, & hoc licèt intentionem formalem non habeat se inebriandi: sufficit enim quòd potuerit ebrietatem vitare: Censetur autem quis potuisse ebrietatem vitare, quando præuidit, vel potuit præuidere imbecillitatem sui cerebri, facilitatem inebriandi, fumositatem vini faciliter inebriatiui, quantitatem, quæ facillimè eum inebriare poterat: Vnde si quis iam aliquoties sit expertus inebriari se ex tali, vel simili potu quòad quantitatem, qualitatem, &c. meritò censetur potuisse præuidere ebrietatem secuturam; atque adeò mortaliter peccasse se inebriando. Cognoscetur autem, quem in talem ebrietatem incurrisse, 1. quando postridie non meminerit, quid tum dixerit, egerit, quomodo domum aut cubitum ierit, à quo ductus 2. si ea dixerit, vel fecerit, quæ non solet, vt Regin. *lib.* 22. *num.* 57. Si autem quis non ita inebrietur, vt vsum perdat rationis, licet sciat quod facit, si tamen sit aliquanto hilarior solitò, & aliquantulum perturbetur illius phantasia, ita vt videantur ei, quòd domus gyretur, & homines habeant duo capita, putat Val. *loco citato col.* 3. *vers. Item diximus, quod non sit mortale.* Melius tamen Sylu. *verb. Ebrietas, quæst.* 1. contrarium censet, si scienter id egerit, & sine aliqua causa, tractus solùm delectatione vini; quia notabiliter lædit vsum rationis sine causa, & cum periculo peccandi: Prælatos autem in hoc secundo casu nulla ratione puto posse excusari à mortali, quia positi in exemplum subditorum, & huiusmodi ebrietas deturpat plurimum Prælaturam, vnde perditur respectus, & subditi licentiosiores fiunt, & minùs obedientes. Et videtur docere Turrect. *in cap. fin. d.* 35. *num.* 4. quando ait, quòd ebrietas est maius peccatum in Prælatis, quam in subditis, ob id 1. *ad Timot.* 3. quod Prælatus non debet esse violentus: Videatur Val. *loc. cit.* Less. *lib.* 4. *c.* 3. *dub.* 3. Cnmit. *lib.* 5. *q.* 5. Reg *loc. cit. à num.* 55. Fatin. *t. par fragm. crim lit. C. num.* 255. Abb *in cap. A crapula, de vit. & hon. cler. num,* 2. P. Greg. *loco cit. num.* 2.

217. Castitas, de qua D. Thom. 2. 2. *quæst.* 151. est virtus moderatiua affectuum, & actuum venereorum. Et est triplex, virginalis, vidualis, & matrimonialis, vt docent Sanctorum PP. Cypr. *de bono pudic.* Ambr. *de virg. lib.* 3. & *in lib. de vid.* Hier. *in cap.* 13. *Matth.* in illud de fructu feminis, cuius aliud centesimum, &c. Aug. *de virg. cap.* 45. vbi præter dictam triplicem castitatem, agnoscit alios castitatis gradus, scilicet Monachorum, & Clericorum, quiad virginalem referri non possunt. Pudicitia, vel est idem cum castitate, vt D. Thom. *loc. cit. art.* 4. *corp.* vel est moderatiua actuum circumstantium ipsum actum venereum, vt sunt aspectus, oscula amplexus, vt idem D. Thom *ibid.* Quid sit castitas, quomodo conseruetur, de laudibus ipsius, vide *tom.* 1. *huius op. q.* 3. Quàm hæc virtus sit Prælatis necessaria, clarius est, quam vt probatione indigeat, cum eam omnes voueant. Caueant ergo sibi ab aspectibus, osculis, amplexibus, cogitationibus, &c. deturpant enim hæc non minùs, quàm actus ipsi, & plurimum subditos scandalizant. Nec solùm caueant ab his, sed omnem etiam horum suspicionem tollant; ait enim Chrys. hom. 4. in ep. ad Tim. *Non modò obscœni congressus vitium caue, verùm omnem suspicionis, vel etiam obscura, aditum claude.* Sciantque nostri Prælati, luxuriam talis esse naturæ, vt quo semel ingreditur, nisi citò expellatur, ita serpat, vt totum occupet, & si radices

figat,

figat, necet virtutum omnium femina, nec eas fecum patiatur. Audiant Greg. 3. Reg. cap. 11. *Salomon quippe immoderatu vsu, atque assiduitate mulierum ad hoc vsque perductus est, vt templum idolis fabricaret, & qui prius templum construxerat Deo, assiduitate libidinis, & perfidia subtractus, idolis templa construere non timuit.* Et venerem maximè obstare studiosis, docet D. Thom. 2.2. *quæst. 15. art. 3. corp.* quia, inquit, per luxuriam *intentio hominis maximè applicatur ad corporalia, & per consequens debilitatur operatio hominis circa intelligibilia.* Et subdit. *Et ideò ex luxuria oritur cæcitas mentis quæ quasi totaliter spiritualium bonorum cognitionem excludit.* Et Anton. 2. *p. tit. 5. cap. 1. §. 1. vers. Quartò consumit*; relato dicto Senecæ, quòd nihil est iam mortiferum ingeniis, quàm luxuria, ait. *Siquidem rationem perturbat, intellectum hebetat, memoriam enervat, oblivionem immittit, errorem infundit, ignorantiam inducit, & hominem quasi bestiam facit*, (Quod vltimum etiam docet Ar. 7. *eth. cap. 11.*) De hoc Probus *in cap. 1. de vir. & hon. cler. num. 7.* quæ ex se transcripsisse testatur Tiraquel. *in l. 15. connub. gloss. 1. p. 15. n. 66.* quem vide *num.* 53. Et quòd voluptates venereæ multo sint impedimento prudentiæ, quæ est regiminum anima, docet Ar. loc. cit. *Voluptates etiam prudentia sunt impedimento, atque eò magis, quò quis magis oblectatur, vt in venereorum voluptate contingit, in qua constitutus nemo intelligere quidpiam potest.* Et tandem voluptatibus dediti contemptibiles fiunt (quòd super omnia vitandum Prælatis, vt Chrysost. hom. 14. in ep. ad Tim. *Oportet eum, qui doctoris officium suscipit, ita se agere, vt despici, contemnique non possit*) vt docet Arist. 5. pol. cap. 10. versùs finem. *In voluptatibus enim viventes efficiuntur facilè contemnendi, ac multas prabent occasiones opprimendi sui.* Vnde 2. *eth. cap. 9.* præcipit omnibus, vt à voluptate caueant. *In omnibus autem à iucunditate, & voluptate maximè cauendum est.* Et cap. 3. ait, hominem voluptatibus deditum, malum sine iniuria prædicari posse.

218. Quod si à morbis animæ ad morbos corporis transire velimus, tot, tantorumque morborum est libido causa, vt ex ea omnes ferè morbos gigni putent cum Philosophis, & Theologis accurati Medici. Boët. lib. 3. de consol. prosa 7. ait. *Quid autem de corporis voluptatibus loquar, quarum appetentia quidem plena est anxietatis, satietas verò pœnitentia? Quantos illa morbos, quàm intolerabiles dolores, quasi quendam fructum nequitiæ fruentium solent referre corporibus? quorum motus quid habeat iucunditatis ignoro.* Et Propert. lib. 3. eleg. 11.

Certa quidem tantis causa est manifesta ruinis,
Luxuria nimium libera facta vita.

Et in particulari nihil est, quòd magis vires corporis debilitet, quam luxuria, vt patet experientia. Et ratio est, quam affert Arist. sect. 4. prob. 6. & probl. 22. Quia *semen omni ex parte corporis secretio est* Quam propositionem probat 1. *de gener. an. cap. 17. & 18. & 7. de hist. an cap. 1.* ait, Quod *senescunt celeriùs mares salaces, & mulieres, quæ frequentiùs pariunt.* Et Auic. lib. 3. de an. cap. vlt. ait, *Hominem ex coitu vsque adeò debilitari, ac discolorari, vt si quadragies tantum sanguinis emitteret, non tantum pallesceret, atque tabesceret*: Et Ant. *loc. cit. versu Tertià*, ait, vnam ex rationibus, quare antiqui Patres tantum viuebant, & robusti, nunc autem tam paruo tempore, & pleni debilitate, hanc esse, quòd erant magis continentes. Nocet inter cætera membra præcipuè coïtus stomacho, vt docet Gal. *lib. 3. epid.* Hippocr. *comm.* 1. Nocet etiam cerebro, vt Gal. *ibi. ad fin. dict. lib.* Vnde etiam aliqui putarunt, semen ex cerebro per genitales vias in infima voluptate defluere, vt loquitur Aug. *lib. de ve. relig. cap.* 40. Ex quo etiam fit, quòd spadones calui effici nequeunt; vt docet Ar. sect. 10. probl. 56. *Quia rem veneream non agunt, semen enim labi per spinam è cerebro videtur; nec non & mulieres, & pueri cur calui non sint, eadem ratio esse creditur.* Neruis quoque nocet venus, vt Gal. *ad fin. lib. 3. comm. apher.* Hipp. Oculis etiam nocet luxuria, vt Arist. *sect. 4. probl. 2. & 3.* Vnde non exactè videre conspiciunt eos, qui venerem sectantur. Nocet similiter renibus, & eorum infirmitatibus secundùm eundem Arist. *loco cit. sect. 4. cap. 2.* vbi ait: *Sunt autem, & oculi, & renes omnium pingues, atque obest: ergo quod partes hæ rem veneream efficacius adiuuant, caloris participes sunt, eius tabifica vt extenuantur multumque sui succi ad semen externi patiuntur.* Ex libidine oritur podagra, & orta augetur, & exacerbatur; oriuntur pariter chiragra, & omnes iuncturarum ægritudines. Ita Cor. Cels. *lib. 1. cap. 9.* vbi ait, *Si cui verò dolere nerui solent, quod in podagra, chiragrave esse consuevit, huic venus semper inimica est.* Idem docet *lib. 4. cap. 24.* vbi addit, quosdam cum toto anno sibi à vino, & venere temperassent, hoc malum euasisse: Et memini, me aliquando legisse Hier. dicentem; multos proscriptione bonorum dolore pedum conualuisse. Medici dicunt communiter, podagram prouenire ex otio, crapula, & coïtu. Sed multa exempla Sanctorum, præsertim Greg. Magni, qui hoc morbo grauiter afflictabatur, vt de se ipso multis in locis scribit, quos refert Bus. *in Pan. vers. Impatientia in podagra* id prohibent credere esse vniuersaliter verum, cum eos temperatissimos sciamus, simulque vigilantissimos. Vnde bene ait Maiol. *lib. 2. de irreg. cap. 21. in fine*, quòd hic morbus non semper est signum intemperantiæ, nam sæpè nos inuadit ex paterno sanguine & ideò quodammodo hæreditarius morbus dicitur, vt docet Demetrius Pepagomenus *in lib. de pod. cap. 6.* quo laborauit S. Iulianus Matr. Alexan, eodem quoque laborauit S. Mauritius Carthaginensium Episc. Et Greg. Naz. vt refert Maiol. Vnde Alchimistæ, qui tantum tribuunt suæ illi chimeræ, quam lapidem Philosophorum vocant, vt velint eum valere ad omnes morbos depellendos, contra hæreditariam podagram nihil valere fatentur. Causat item venus morbum comitialem, vt Gal. *lib. 6. mer. pop.* Hipp *comm. 6.* Causat item epidimiam, seu morbum contagiosum Cels. *lib. 1. cap. vlt.* Item tabem, Cels. *lib. 3. cap. 12. in fine.* Item hydropem, Cels. *lib. 3. cap. 21. fine.* Item distillationem, & grauedinem, Cels. *lib. 4. cap. 2.* Item apoplexiam, atque paralysim. Cels. *lib. 3. cap. vlt.* Item lepram. Quod probat *cap. Ex parte, de corp. vit.* vbi Panorm. Alopeciam quoque Cæl. Aurel. *lib. 5. chron. c. 4.* vbi rationem reddit. Quoniam venus trahit secum totius corporis vexationem. Et tandem infinita morborum genera ex venere prouenire, docent passim Medici, Et ideò Arist. vt refert, Tiraquel. *in l. 15. connub. Glos. 1. p. 15. num. 50. in lib. arcan. ad Alex.* ait, *Coitum esse destructorem virtutum, legis transgressorem, morborumque sæuissimorum generatiuum.* Vide Tor. *phil. mor. princ. lib. 13.* Iauel. *phil. christ. p. 2. tract. 7. cap. 4. tit. De castitate.* Contz. 3. *pol. cap. 12.* Perald. *in sum. virt. tom. 1. p. 3. de temper à cap. 10.* Pauit. *lib. 6. d. reg. tit. 22.* Ant. & Max. *serm* 64. Chauass. *de perfect. pruden lib. 3. cap. 4.* Menoch. *instit. pol. lib. 2. à cap. 25.* A Castro. *serm. 29. de cælibatu sacerdotum*, vide Capeg. *in opus. de hac re*

219. Peccatur contra castitatem luxuria, de qua D. Thom 2.2. *quæst. 193.* quæ, si deliberata sit semper est peccatum mortale contra 7. præcep. decal quod est negatiuum. Nec in ea potest assignari minimum quia actus voluntatis eo ipso, quòd deliberati sunt, habent totum suum complementum. Luxuriæ species sex assignat. D. Thom. *loc. cit. q. 154. art. 10.* Vide Val. *tom. 3. disp. 9. quæst. 3. p. 3.* Less. *lib. 4 cap. 3. dub. 5.*

§. XXIII. De

§. XXIII.

De partibus potentialibus temperantiæ.

220. DE his in genere agit D. Tho. 2. 2. *q.* 143. *ar. vn. In speciali à q.* 155. Val. *tom.* 3. *disp.* 9. *quæst.* 1. *p.* 2. Less. *lib.* 4 *cap.* 4. Iauel. *par.* 2. *phil. christ. tr.* 7. *c.* 4. *tit. de continentia*, Eustach. *in eth. par.* 3. *disp.* 2. *tract.* 3. *sect.* 4. *q.* 2. Dicendum, partes potentiales principales temperantiæ esse 4. continentiam, mansuetudinem, clementiam, modestiam. Ita D. Tho. & alij *loc. cit.*

221. Continentia hic est firmum animi propositum, quo quis se continet in bono rationis contra impulsus concupiscentiæ, quibus ad voluptates tactus, & præsertim venereas, impellitur. Ita Less. *loc. cit. dub.* 1. *de ista continentia*; D. Tho. *q.* 155. *& art.* 1. docet, nomen continentiæ dupliciter sumi, 1. perfectè, pro ea virtute, qua quis se ab omni delectatione venerea cohibet, quomodo de ea loquitur Scrip. Eccl. 26. *Omnis ponderatio non est digna continentis animæ.* Et Hier. 1. contra Iou. *Omnes virtutes spiritus quasi solidissimum fundamentum, & sublime culmen continentia sustentat, & protegit*, 2. sumitur pro ea dispositione, qua quis firmiter continet voluntatem, ne à motibus sensualibus insurgentibus vineatur. Illa 1. continentia idem est cum castitate. Ista est potiùs dispositio, quàm virtus, vt Arist. 4. ethic. cap. 9. fine; *Sed neque continentia virtus est, sed quoddam aliud mixtum*: Licèt largiùs virtus etiam dici possit, quatenus est principium operum laudabilium, vt D. Thom. *loc. cit.* De continentia hoc 2. modo agit Arist. 7. *eth. à cap.* 1. D. Thom. & Less. *loco cit.* Oppositum huius virtutis est incontinentia, quando scilicet passio vincit rationem; de qua D. Tho. *q.* 156. *& art.* 2. probat, quod sit peccatum: Tum quia turpe est, rationem vinci à passione. Tum quia voluntas trahitur ad infimas delectationes, quæ homini cum brutis sunt communes. Est autem hoc peccatum mortale, vel veniale, ratione materiæ. Vide Less. *loco cit.*

222. Mansuetudo, de qua D. Tho. 2. 2. *q.* 157. promiscuè agit cum clementia, est virtus moderatiua passionum iracundiæ, vt ait Arist. 4. *eth. cap.* 5. *Mansuetus est, qui perturbatione vacat, & ab affectu minimè ducitur, sed quemadmodum ratio ipsa statuerit, ita & ob id, & tamdiu succenset.* Glos. in cap. 5. Matt. in illud Beati mites, ait. *Mansuetudo est dulcedo animi, quam non vincit amaritudo.* De hac Basil. in Psal. 33. *Maxima omnium virtutum mansuetudo, eaque in beatitudinum numerum relata est.* Et Eph. de vit. & vit. *Beatus, ac felicissimus verò est vir ille, qui mansuetus est.* Chrys. hom. 33. in Gen. *Tantum est mansuetudinis robur, vt sola hæc virtus sufficiat se colentem diligenter ineffabilibus laudibus dignum reddere, imò omni hominum generi præferre.* Sen. ep. 95. *Magna laus est, si homo mansuetus homini est*: Vnde constat, quam sit huiusmodi virtus Prælatis necessaria, cum eam illis inesse Scriptura requirat, & leges, & canones, *l. Hac nostra mansuetudinis, l Sancimus, Cod. de præpos. sacri cubicul. lib.* 11. *l. Hi qui fisco, Cod. de commercien. fisci, debitori, lib.* 10. *c. Recedis, dist.* 45. Et verè beatissimus est Prælatus, qui mansuetus est, cum internis creat seditionibus, quæ sapientem quandoque vel inuitum perturbare solent. Et beatissimi sunt etiam illi, qui ei subduntur; eum certi sint, subditos se non passioni, sed rationi esse. Et notat ex Arist. *loco cit.* quòd non definit quis esse mansuetus ex eo quod irascatur in his, in quibus oportet. Ait enim: *Qui igitur ob quæ oportet, & quibus oportet irascitur, adde etiam quemodo, & quando, & quousque debet, laudatur, esseque hic mansuetus potest.* Imò ibi stolidum vocat, qui non irascitur, quando, & quicumque oportet.: Plura apud Iauel. *p.* 2. *phil. christ. tr.* 7. *c.* 4. *tit. De mansuet.* Io. Red. *de Maiest. princip.* §. *Mansuetum*, Rossig. *de disc. christ. pers. lib.* 4. *c.* 36. *& de att. vir lib.* 2. *c.* 13. Less. *lib* 4. *c.* 4 *dub.* 3. Ægid *lib.* 1. *de reg. par.* 1. *c.* 27.

223. Peccatur contra mansuetudinem ira, & lentitudine, seu stupore: Et nota, quòd ita est per se quid indifferens, quo bene, & malè vti possumus. Et bene vtimur ad ardua facta post diligentem consultationem exequenda. Et licitè appetimus, vt secundum rationis ordinem vindicta fiat, vt D. Th. 2. 2. *q.* 185. *ar.* 2. *corp. & ar.* 1. ait, quòd irasci secundum rectam rationem laudabile est. Vnde Nemes. *lib. de nat. hom. c.* 31. vt referunt, iram vocat rationis satellitium; si tamen modum à ratione præscriptum non seruat, peccatum est. Quod dupliciter contingit, vt D. Th. *loco cit. ar.* 3. 1. ex parte obiecti, vt si quis appetat puniri eum, qui non meretur, vel vltra quam meretur, vel non secundùm legitimum ordinem, vel non propter debitum finem, qui est conseruatio iustitiæ, & correctio culpæ, vt D. Th. *ar.* 2. Ita hoc pacto peccatum mortale est ex genere suo, quia contra charitatem, & iustitiam: Potest tamen fieri veniale ob imperfectionem actus, vt cum motus iræ perfectum rationis iudicium præuertit: vel cum quis modicam vindictam appetit, 2. potest esse peccatum ex parte ipsius motus, vt quum quis nimis ardenter irascitur interiùs, vel si nimis exterius signa iræ manifestet. Quo pacto ira secundùm se non habet de suo genere rationem peccati mortalis, potest tamen contingere quòd sit peccatum mortale, vt si quis ex vehementia iræ excidat à dilectione Dei, eum blasphemando, & proximi, eum maledicendo, vel non succurrendo in necessitate, potest etiam esse peccatum mortale talis iræ ratione scandali in Prælato, vt notat Less. *lib.* 4. *cit. num.* 25. Vide Val. *tom.* 3. *disp.* 3. *q.* 3. *p.* 1.

224. Nota quòd Arist. 4. *eth. c.* 5. D. Thom. *loc. cit. art.* 5. ponunt 3. species iracundorum: Quidam enim sunt excandescentes, siue acuti: & sunt illi, qui prædominati cholera, subitò ebulliunt; citò tamen desistunt, nec patiuntur solem occidere super iracundiam suam. Et reddit rationem huius rei Arist. quia tales iram interiùs non retinent, sed eam statim exteriùs manifestant. Secundò dicuntur amari, & sunt illi, qui fuluabili abundantes, quæ viscosa est, & non facilè resolubilis, difficulter iram deponunt, nisi vindicentur; post vindictam tamen quiescunt: Et hi, ait Philosoph. *sunt tum sibi ipsi molestissimi; tum iis, qui maximè ipsis sunt amici*: Tertij dicuntur difficiles, seu infesti; & sunt illi, qui atra bili, seu melancolia abundantes, quæ est frigida, & sicca, & materia grossa, ac difficillimæ dissolutionis, nunquam iram deponunt, nisi post vindictam, & sic in ea perseuerant, vsque ad mortem. Hi ab amaris differunt, quòd illi etsi difficiles sint, tempore tamen sanantur, insensi autem nunquam, nisi vindicentur. Vnde de his ait Ar. quòd placari sine vltione non possunt. Vide Iauel. *loc. cit.* & Bur. *ad cap.* 5. 4. *eth.* & Less. *loco cit. n.* 29.

225. Iram esse fugiendam Prælatis, multis probat Red. *de maiest. princ.* §. *ad iracundiam tardum, à n.* 3. vt quæ eos maximè iustitiam rectam exequi impediat; eamque vt fugiant hortor, vt quæ eos maximè dehonestet, eorumque virtutes deturpet. Compatiendum quidem iracundis subitis, est, vt potè qui naturaliter ad id impellantur: Sed negari non potest, quod multum obscurentur virtutes illius, qui tali se sinit passione trahi: Vnde etiam consulo, vt qui difficilè ira abstinent, à Prælatis etiam abstineant, nam hæ homines requirunt maximè phlegmaticos, & patientes: Præterquam quòd Prælati sine amicis viuere nequeunt, & iracundo non committeri præcipitur, Prou. 22. *Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso.* Remedia contra iram afferunt Buf. in Pan. *verb. Ira*, Tor. *phil. mor. princ. lib.* 7. *c.* 11. & Less. *loco cit. n.* 33. Maximum, & principale est iræ dilatio: Ouid.

Vt fragilis glacies interit ira mora.

Et notent etiam consiliarij, & amici Prælati, quòd non debent statim exequi mandata Prælati irati, sed debent expectare quovsque cesset illius ira vsque ad 30. dies, si negotium patiatur; pro quo est textus mirabilis in *l. Si vindicari, C. de pœnis*: Et notent vlterius quòd mandatum Prælati quod de se est generatiuum scandali, & exequendum non est, sub quacumque pœna; & verbis fiat; *cap. Si quando, de rescr.* vbi Pan. & Fel. Stupore autem peccat Prælatus quando defectu iræ, & animositatis prætermittit aliquod officium iustitiæ, vel charitatis, ad quæ est obligatus: vt monere, corripere, castigare, contumaces retundere, malis occurrere. Non habet tamen stupor distinctam maliriam ab ea, quæ est in omissione officij debiti, cuius est causa; vt Less. *loc. cit. num. 35.*

226. Clementia, de qua D. Thom. 2.2. *quæst.* 157. agit promiscuè cum mansuetudine, est secundum Sen. 2. de clem. cap. 3. *Temperantia animi in potestate vlciscendi. Vel est leuitas Superioris aduersùs inferiorem in constituendis pœnis. Seu est inclinatio animi ad lenitatem in pœna exigenda. Vel clementia est moderatio aliquid ex merita, & debita pœna remittens. Et denique clementia est, quæ se flectit citra id, quod meritò constitui posset.* Ex quo loco collige 1. quòd hæc virtus est solùm propria Superiorum, qui solùm habent potestatem puniendi delict. 1. Collige 2. quòd ad clementiam pertinet mitiorem irrogare pœnam, quàm lex præscribat; intellige de lege ab ipso Superiore lata. Nam circa leges latas à regula, vel Superiorum maiorum, tunc inferior, auctoritatem non habet, nisi arbitrium inferioris admittant, nam tunc clementia vti potest, mitiùs leges interpretando. Collige 3. debere id facere Superiores ex animi lenitate, non ex aliquo interesse rerum, vel sanguinis; nam tunc non est actus clementiæ, nisi materialiter. Clementia roborat, & confortat Prælatorum officium. Vnde Prou. 20. *Misericordia, & veritas custodiunt Regem, & roboratur clementia thronus eius.* Et Salust. ad Cæs. vt referunt, *Qui benignitate, ac clementia imperium temperauere, his candida, & læta omnia fuisse; etiam hostes æquiores, quàm alij ciues.* Et Sen. 1. de clem. cap. 5. *Est ergo clementia omnibus quidem hominibus, secundum naturam, maximè tamen decora Imperatoribus. Clementia in quamcumque domum peruenerit, eam felicem, tranquillamque præstabit; sed in regia quò rarior, eò mirabilior*, & cap. 11. *Clementia non tantum honestiores, sed tutiores præstat, ornamentumque imperiorum est* & cap. 19. *Excogitare nemo quidquam poterit, quod magis decorum regenti sit, quàm clementia; quocumque modo, & quocumque iure præpositus cæteris erit.* Et infra. *Non est opus instruere in altum editas arces, nec in ascensum arduos colles emunire, nec latera montium abscindere, multiplicibus se muris, turribusque sepire. Saluum Regem in aperto clementia præstabit. Vnum est inexpugnabile munimentum, amor ciuium.*

Plura apud Red. *loco cit. §. Ad clementiam pronum.* Menoc. *inst. pol. lib. 2. cap.* 13. Scrib. *in pol. christ. lib. 1. cap. 2. & in Sup. Relig. lib. 1. cap.* 4 Ant. & Max. *serm.* 98. Contz. 3. *pol. cap.* 16. Lips. *lib. 2. ciu. doct. cap.* 12. *&* 13. Roseum *in princ. christ. cap.* 23. De mediis ad acquirendam clementiam Peral. *in sum. virt. tract. de temper. cap.* 6. Less. *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 40. Notet hic noster Prælatus Thucyd. dictum lib. 3. *Nati omnes peccare, & labi sunt, quàm priuatim, quam publicè, neque lex est, quæ satis valide vetet aut capiat modum.*

227. Aduertit tamen Less. *loco cit. num.* 41. quòd in quibusdam casibus magis expedit vti seueritate, quæ est inflexibilis animi rigor, nihil de merita, vel statuta pœna remittens, quàm clementia. v. g. si subditi sint maligni, & refractarij, qui aliter in officio contineri non possint. Item quando crimen ex pura malitia commissum est: Item quando pluries remissè punitus est delinquens. Item si delictum sit publicum, & scandalosum, præsertim apud sæculares. Denique seueritate vtendum, quando id magis inducatur expediens, vel ad emendationem delinquentis, vel ad publicam disciplinam faciendam, qui est punitionis finis, ac proinde ab eo mensura vindictæ sumenda est. Et constat *ex l. Si hominem ff. depositi. l. Eleganter §. Idem Labeo ff. de dolo l. Obseruandum ff. de off præsid c. 2. in fine, de maled. cap. Est iniusta, 13. quæst. 4.*

228. Opponitur clementiæ per excessum crudelitas, de qua D. Thom. quæst. 159. quæ secundùm Senecam. 2. de clem. cap. 4. *Nihil est aliud, quàm atrocitas animi in exigendis pœnis.* Et infra. *Illos crudeles vocabo, qui puniendi causam habent, modum non habent.* Per defectum opponitur ei nimia lenitas, quæ non minùs est rebus publicis perniciosa, quàm crudelitas; nam ex ea criminosi, & perturbatores pacis conualescunt. Crudelitas peccatum mortale est, quia notabiliter lædit proximum, excedendo regulam rectæ rationis, & iustitiæ, vt Val. *tom. 3. disp. 9. quæst. 3. part. 1. col.* 6. grauitas nimiæ lenitatis pensanda est ex magnitudine officij, quod omittitur, & ex damnis inde communitatis secutis. Vide Less. *loco cit. num.* 44. Fugienda nostris Prælatis crudelitas, & mente semper tenendum dictum Aug. ad fr. in er. ser. 26. *Melius est, vt redarguamur de misericordia, quam de crudelitate*, & dictum Cassiod. lib. 1. var. epist. 3. *Benigni quippe Principis est, non tam delicta velle punire, quàm tollere, ne aut, acriter vindicando, æstimetur nimius, aut leuiter agendo, putetur improuidus*, & sumendum consilium Ber. lib. 3. de consid. cap. 3. *Tene medium, si non vis perdere modum*; alioquin recordor illis sententia Sallu. ad Cæs. *E quidem ego cuncta imperia crudelia magis acerba, quàm diuturna arbitror, neque quenquam à multis metuendum esse, quin ad eum ex multis formido recidat.*

229. Modestia, de qua D. Thom. 2.2. quæst. 160. *est quadam animi moderatio, atque compositio, à qua ad exteriora procedit in dictis siue ioco, siue serio, & actus, & corporis gestibus laudabilis decentia atque ornatus.* Ita Lauell. phil. christ. part. 2. tract. 7. cap. 4. tit. De modestia. Ber. epist. 113. *Disciplina* (modestia) *mentem, & corpus componit, ceruicem submittit, ponit supercilia, componit vultum; ligat oculos, cachinnos cohibet; moderatur linguam, gulam frænat, iram sedat, format incessum. Modestia*, inquit Basil. apud Ant. serm. 34. *est modestè sentire, alterum conuiciantem ferre, agnoscere peccatum, accusationes pati.* Cic. 1. de off. ait, quòd modestia, *est scientia earum rerum, quæ aguntur, aut dicuntur, loco suo collocandarum.* Seu est virtus, externos motus, & gestus corporis ex præscripto rectæ rationis temperans. Hanc esse Prælatis regularibus in primis necessariam suadetur. Tum quia Prælatus debet esse paratus reddere rationem omni poscenti 1. Petri 3. *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem*, &c. Sed hæc ratio debet reddi cum modestia, vt ibi subditur, *sed cum modestia.* Tum quia Sap. 6. dicitur. *Si delectamini sedibus, & sceptris, ò Reges populi, diligite sapientiam, vt in perpetuum regnetis.* Sed Iac. 3. *Quæ de sursum est sapientia, pacifica est, modesta*, &c. Tum quia Prælati lux mundi, & subditorum sunt Math. 5. *Vos estis lux mundi: sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.* Ergo Prælatorum opera debent esse modesta; ad Philip. 4. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Tum quia Prælati debent habere apud subditos opinionem virorum proborum, ad Philipp. cit. *Oportet autem illum* (Prælatum) *testimonium habere bonum*; hanc autem habere non potest, nisi exteriùs præbeat exempla,

pla, & signa modestiæ, vt Amb. 1. de off. cap. 18. *Habitus enim mentis in corporis statu cernitur; hinc homo cordis nostri absconditus aut leuior, aut iactantior, aut turbidior, aut contra grauior, & constantior, & purior, & maturior æstimatur.* Et Eccl. 19. *Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enunciant de illo.* Et Greg. 3. part. past. adm. 24. *Interior est custodia, quæ ordinata seruat exterius membra. Qui ergo statum mentis perdidit, subsequenter foras inconstantia motionis fluit, atque exteriori mobilitate indicat, quòd nulla interius radice stabilitatis subsistat.* Tum quia Basil. in reg. fus. disp. quæst. 22. ait. *Quæ vitæ genus ab omni parte absolutum profitetur, hunc, si vel latum vnguem ab officio suo recedere visus sit, omnes confestim obseruant, ipsique probri loco illud obiiciunt, & faciunt, quòd in Euangelio scriptum est, Conuersi disrumpent vos.* Ergo debet Prælatus viuere non solùm honestè quò ad essentiam, sed etiam modestè, quò ad modum. Adde, quòd debet Prælatus obnixè curare, vt ei placeat, cui se probauit; at nihil est acceptius Deo modestia, vt Ter. de vir. vel. cap. 16. *Disciplina quid magis Deo ratum sit, ostendit. Nihil est illi charius humilitate, nihil acceptius modestia, nihil perosius gloria, & studio hominibus placendi.* Adde quòd Cic. phil 8. ait, *Persona Principis non solum animis, sed etiam oculis seruire debet ciuium.* Et Tac. 15. an. *Modestia famam neque summis mortalium aspernendam.* Et Patr. 6. de reg. tit. 19. *In principiis quidem vultu eam modestiam laudant, quæ grauitatem præseferat, non autem tristitiam, & eam hilaritatem, quæ grati animi index sit, non autem leuitatis.*

230. Ego modestiam omnibus Religiosis, & Superioribus præsertim, censeo esse maximè necessariam; ita vt vitiosas putem omnes eorum actiones, quæ modestia carent. Vnde soleo modestiam comparare saccharo, quod dapes non vitiat; sali, qui omnia condit; & Soli, qui omnia illuminat. Quare amaras censeo eas Religiosorum actiones, quæ saccharo modestiæ non dulcorantur; insipidas, quæ sale modestiæ non condiuntur; obscuras, quæ Sole modestiæ non illuminantur. Est virtus modestia, quæ Prælatum venerandum reddit, amabilem facit, virtuosum ostendit, humilem prædicat, charitatiuum designat. Est virtus modestia, quæ hominum animos attrahit, vincit, subiectat: est virtus apud Deum diues, apud quem nemo diues; & diues est, quia portio Dei est, vt ait Amb. 1. *de off. cap.* 18. Est virtus modestia, quæ nulli insidias machinatur, læsa non irascitur, de nullo sinistrum suspicatur, vt ait Bern. *de ord. vitæ.* Studeat ergo Prælatus hanc virtutem acquirere. Acquiret autem, si æstimet, hominem se esse mortalem hominibusque præesse. Si cogitet in hoc exerceri Deum, vt exaltet humiles, vt superbos deprimat, vt dicebat Chilon apud Laërt. *in eius vit.* Si recordetur fortunæ instabilitatis, vnde qui hodie magnus est, cras esse potest paruus, vel nullus. Plura apud Peral. *in sum. virt. tract. de templ. capite* 7. Chauass. *de vera prud. lib.* 3. *capite* 11. Ant. & Max. *ser.* 34. Rossig. *de discipl. christ. perf. lib.* 4. *cap.* 37. Musch. *de perfect. Relig. lib.* 4. *à cap.* 29. In casu nostro quòd sit Superioribus necessaria, vide Patr. *loc. cit.* Lipsius *lib.* 2. *ciu. doctr. cap.* 15. *& in not. ad hunc locum* Scrib. *in Super. Relig. lib.* 1. *cap.* 3. Menoch. *inst. pol. lib.* 2. *cap.* 29.

§. XXIV.

De speciebus modestiæ.

231. VIde D. Thom. 2. 2. *quæst.* 160. *art.* 2. Val. *tom.* 4. *disput.* 9. *quæst.* 1. *part.* 2. *col.* 4. Less. *lib.* 4. *cap.* 4. *dub.* 6. Dicendum est, species modestiæ esse 4. humilitatem, studiositatem, modestiam motuum exteriorum, ad quam eutrapelia, & modestiam externi apparatus, quæ parcitas, seu simplicitas, & moderatio dicitur. Ita D. Thom. cum aliis. *loc. cit.*

232. Humilitas, de qua D. Thom. quæst. 161. *Est depositio vani sensus, qui ab elatione vana de se existimationis proficiscitur;* vt Basil. in cap. 2. Isa. & in reg. breu. *Humilitas est, cum quis cæteros omnes se ipso superiores existimat.* Bernar. epist. 48. *Humilitas est contemptus propriæ excellentiæ;* & de gradu humil. *Humilitas est virtus, qua homo verissima sui agnitione sibi ipsi vilescit.* D. Thom. loc. cit. art. 1. ad 1. *Humilitas est virtus, qua quis defectum suum considerans, se in infimis secundum modum suum continet.* Ex quibus collige, quòd humilitas sui datur in cognitione sui, quæ, vt sit perfecta, postulat etiam cognitionem Dei; vnde fit vt coniunctissimæ sint humilitas, & charitas; hæc enim ex cognitione Dei prouenit, illa ex cognitione sui. Vnde Aug. in lib. de vit. bea. *Nouerim te, nouerim me, vt amem te, vt contemnam me.* De hac virtute mira dicunt PP. & in primis, quòd est fundamentum omnium virtutum. Ber. *lib.* 5. *de consid. in fin.* Chrysost. hom. 30. in Act. Ap. *Nihil conferendum humilitatis virtuti; ipsa enim mater est, ac radix, & alumna, & fulcimentum, & vinculum bonorum,* & hom. 55. in Gen. *Virtus non est, nisi coniunctam habeat humilitatem.* Est autem humilitas duplex. Vna interna; alia externa; hæc, si illa desit, vitium est, non virtus. Vnde Hier. ad Cel. *Humilitatem sequere, non quæ ostenditur, aut simulatur gestu corporis, aut fracta voce verborum, sed quæ puro cordis affectu exprimitur; aliud enim est virtutem habere, aliud virtutis similitudinem.* Quòd hæc virtus sit nostris Prælatis necessaria, constat tum ex Math. 11. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* & Math. 23. *Qui maior est vestrum, erit minister vester* & Eccl. 32. *Rectorem te posuerunt, noli extolli, sed esto in illis quasi vnus ex ipsis,* & Eccl. 3. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Tum quòd humilitas est fundamentum virtutum, vt dictum est, & Prælatus eas omnes habere debet. Vnde Gregor. lib. 2. regist. epist. 54. ad Io. Ep. Rauen. *Nihil splendidius fulget in Episcopali ceruice, quam humilitas.* Tum quòd Chrysost. homil. 3. in Math. ait, quòd *nihil sic est amicum Deo, quàm si quis minimis se annumeret.* Minimus ergo esse debet Prælatus, qui cupit esse amicus Dei. Tum deñique quia superbia, quæ est vitium oppositum humilitati, est maximè Deo odibilis, & hominibus; Ecclesiast. 10. *Odibilis coram Deo est, & hominibus superbia.* Vide circa hoc Ægid. *de regimin. lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 26. Et de humilitate Chauass. *de vera pruden. lib.* 3. *cap.* 9. Perald. *in summ. virt. tom.* 1. *tit. de beatit. à cap.* 1. Rossig. *de act. virt. lib.* 2. *cap.* 14. *& de discip. christ. perf. lib* 4. *c.* 38. Ianell. *phil. christ. p.* 2. *tract.* 7 *cap.* 4. *tit. de humil.* Menoch. *inst. pol. lib.* 2. *c.* 29. Scrib. *in pol. christ. lib.* 1. *cap.* 9.

233. Peccatur contra humilitatem superbia, & nimia sui abiectione. De 1. D. Thom 2. 2. *quæst.* 162. Est autem superbia, August. lib. 14. de ciuit. Dei, cap. 3. *appetitus peruersæ celsitudinis.* Et species superbiæ secundum Gregor. 23. *moral. cap.* 4. & D. Thom. *art.* 4. 4. sunt, de quibus sic Gregor. *Quatuor quippè sunt species, quibus omnis tumor arrogantium demonstratur; cum bonum aut à semetipsis habere se æstimant: aut, si sibi datum desuper credunt, pro suis se hoc accepisse meritis putant; aut certè cum iactant se habere, quod non habent; aut, despectis cæteris, singulariter videri appetunt habere, quod habent.* Superbia ex suo genere mortale peccatum est, vt Diu. Thom. *art.* 5. *& art.* 6. dicit quòd est grauissimum peccatum; quòd intellige de superbia perfecta, quæ excludit omnem subiectionem Deo, immò Deum ipsum contemnit. Superbia autem imperfecta, quæ scilicet subiectionem erga Deum non excludit, tunc solùm est mortale, quando quis ita appetit propriam excellentiam, vt sit paratus potiùs legem

diuinas

diuinam, aut humanam, vel præceptum Superioris transgredi, quam à sua excellentia cadere; vel etiam est mortale, quando ita se amat, vt proximum contemnat, infamet grauiter, vel alia iniutia eum afficiat, quæ sit peccatum mortale. In aliis casibus est solum veniale. Vide Less. *lib.4.cap.4. dub.9. num.68.* Tolet. *de 7. pecc.mor.c.4. de superb.num.2.* Val. *tom.3. disp. 9. q.3. part. 1.col.* 6. Fugienda regulatium Prælatis superbia, tanquam vitium à suo statu omnino abhorrens; audiantque Bernat. *hom.* 4. super Missus est. *Video post spretam sæculi pompam nonnullos in schola humilitatis superbiam magis addiscere; quodque magis peruersum est, plerique in domo Dei non patiuntur haberi contemptui, qui in sua non nisi contemptibiles esse potuerunt, vt saltem ibi honorabiles videantur, vbi ab omnibus honores contemnuntur.* O quàm indecens, & ridiculum est, videre in Religionibus Prælatum superbum, & fastuosum, sibi in omnibus blandientem, & complacentem, mirantem sese, erecta incedentem ceruice, & passu obliquo, ansatumque quandoque quasi aureum funiculum de cœlo demissum, & alterius speciei indiuiduum, intraque se dicentem, Quis vt ego? non sum sicut cæteri hominum? Hic amicos non habet, nisi adulantes.

234. Alterum vitium est inordinata sui abiectio. Licèt enim humilitas ad sui abiectionem inclinet, id tamen fieri debet cum debitis circunstantiis, ne scilicet abiectio redundet in iniuriam status, vel officij. Quare cauendum est Prælato, ne prætextu humilitatis suæ debitos dignitati honores recuset; potest tamen non indignari, nec exigere, si ex negligentia, vel rusticitate non offerantur; secus autem si ex fastu, vel malitia. Hoc autem peccatum erit mortale, aut veniale, vel ratione iniuriæ, quæ fit statui, vt si v. g. Prouincialis proponat sibi aliquem fratrem simplicem, aut nolit, vt occurrentes eum salutent. Vel ratione incommodi, quod sequitur ex recusatione officiorum sibi debitorum, vt si v. g. nolit, quòd fratres exeuntes flexis genibus benedictionem sumant, & similiter suam culpam dicant. In his casibus, & similibus, quia Prælatus recusat id, quòd suæ dignitati debetur, & quia ex his sequitur magnum in Religione incommodum, scandali omitum, & relaxationis disciplinæ, puto quod mortale esset. Si autem id, quod detrectat, tale sit, vt ad illud suscipiendum non teneatur, vel solùm sub veniali, nullum, vel veniale peccatum erit. Vide Less. *loco cit. numero 64.*

235. Studiositas de qua D. Thom. 2. 2. *quæst.166.* est D. Thom. *loc. cit. art.2. corp.* virtus temperans humanum appetitum sciendi, vt quis non velit plura, aut altiora scire, quàm ipsius conditioni, & capacitati conueniat: nec pluris faciat scientiam, quàm oportet, illam scilicet præponendo iis, quæ sunt necessaria ad salutem. 2. moderari ipsam acquisitionem, & vsum studij, vt scilicet quis studeat ea diligentia, qua oportet, eo fine, quo oportet, illis rebus, quibus oportet, & illis locis, & temporibus, quibus oportet. Denique huius virtutis est, animum propter laborem annexum studia refugientem, vel in iis languidè, & remissè se habentem impellere, & calefacere. Ita Less. *lib.4. cit.dub.11.n.78.* vide *tom. 1.huius op. cap.* 30. & Suar. *tom. 4. de relig. tract. 3. de societ. lib.* 5. Circa sanitatem tuendam viris studiosis, vitamque producendam, vide Marsil. Ficin. *in opusc. de hac re, lib.1. & 2.* & quæ obstent viris studiosis, vide *lib.1.c.7.* & qua hora si inchoandum studium, vide *cap.* 8.

236. Contra studiositatem peccatur curiositate, & negligentia. De 1. Thom. *loco cit. quæst.* 167. & consistit in desiderio quodam, seu studio immoderato cognoscendi plusquam expedit, aut sicut non expedit, consideratis circunstantiis rei, personæ, & Officij, & per se est solùm peccatum veniale, quia non est magna inordinatio, quòd homo appetat scire quæ ad se non pertinent; potest tamen fieri mortale. 1. ratione prohibitionis, vt si quis legat libros prohibitos, vel spectet duella, vel ludos spectari vetitos in publico (non tamen si in occulto, nam spectatores communiter dicuntur, qui in publica spectant) Si Religiosus exeat è monasterio ad studendum medicinæ, vel legibus; secùs tamen si priuatim in bonum finem iis studeat, vt bene Less. *loco cit. num.* 83. 2. ratione materiæ, vt si sit per se illicita, vt magia; vel periculosa, vt libri amatorij; vel improportionata intellectui, vt si quis velit de misteriis fidei iudicium ferre. 3. ratione mediorum, vt si quis scire, vel videre velit aliqua Dæmonis arte. Item si velit scire arcanum, quod alter sine mortali patefacere non potest. 4. ratione praui finis, vt si scire velit intentione nocendi, vt faciunt illi, qui quærunt alienos defectus, non vt eos corrigant, ad illud Hebr. 10. *Considerate vos inuicem in prouocationem charitatis.* Sed cum intentione despiciendi, detrahendi, vel oblectandi, contra illud Prou. 24. *Ne insidieris, & quæras impietatem in domo iusti.* Quæ sanè curiositas odiosissima est, & humanæ societati perniciosissima: nec, tam curiositas, quàm malignitas dici meretur; vnde de ea dicitur: Curiosus nemo est, quin sit maleuolus, & nemo prudens curiosus. 5. denique potest esse curiositas mortale peccatum ratione incommodi connexi, vt si quis studio minùs vtili incumbat, & prætermittat discere vel exequi, quæ ad salutem necessaria sunt, quo pacto non possunt excusari à mortali Prælati illi, qui semper student scire quid noui in mundo, vel in ciuitate fiat, ab omnibusque id diligenter inuestigant, vt aliis referre possint, & per hoc relicto choro, cui necessario deberent interesse, vel relictis studiis sacrarum literarum, cursitant per ciuitates, & domus, & id aliquando etiam cum scandalo deuotorum sæcularium qui scandalizantur videri in Religiosis tam ardens desiderium sciendi ea, quæ illorum status sunt omnino inutilia, officium enim Religiosorum est contemplationi vacare, mysteriis diuinis insistere, proximorum saluti incumbere: Ad hoc autem impertinens est scire, quid in Belgio agatur, quid Romæ sit actum, quid in ciuitatibus singulis horis occurrat. Negligentia etiam peccatur contra studiositatem mortaliter, vel venialiter, ratione materiæ, cui studere teneris sub mortali, vel veniali. Vnde dixi *tom.* 1. *huius op. loco cit. concl.* 4. quòd Religiosi scholares, ad studendum deputati, si sunt notabiliter in studendo negligentes, peccant mortaliter. Quòd etiam docent Bann. 2.2. *q.33.art.3.dub.3.concl.3.* Reginald. *in prax. lib.2.n.55.* & Lambert. *de iur.patr.lib.2. part.2.quæst.9. artic.24. num.6.*

237. Modestia in motibus exterioribus, de qua D. Thom. 2.2. *quæst.168. art.* 1. est virtus decorem in externis motibus, & gestibus seruans, cuius officium est ordinare externos motus, quales sunt incessus, statio, sessio, motus capitis, contractio, & explanatio vultus, membrorum iactatio, vox, risus, aspectus secundum conuenientiam personæ propriæ, & secundùm conuenientiam personarum, cum quibus, vel coram quibus agitur, & loci, & temporis, & negotiorum, de quibus agitur. Vnde Amb. 1. de off. cap. 19. *Hoc est pulchritudinem viuendi tenere, conuenientia cuique sexui, & personæ reddere. Hic ordo gestorum optimus, hic ornatus ad omnem actionem accommodus.* Quæ eadem habet Bernar. lib. de ord. vitæ. Et Cic. 1. de off. *Tanta vis est temporis, & loci, vt si quis, cum causam sit acturus, in itinere, aut in ambulatione secum ipse meditetur, non reprehendatur: At, hoc idem si in conuiuio fiat, inhumanus videatur.* Quòd ad modestiam in gestu, ait Bonau. in spec. discipl. ad nou. part. 1. cap. 19. quòd *duplex in eo custodia est adhibenda, 1. vt vnum membrorum alterius officium non vsurpet, aut eius ministerium*

sui admixtione confundat. Si eos loquitur, caput non agitetur, manus non moueatur, &c. aut, si operatius illi necessariaesse cognoscitur ad operandum, ordinatè moueatur, 2. vt quodlibet membrum in eo, quod facit, debitum modum teneat, nec temperantia limitem, aut honestatis formam excedat, hoc est, vt in paucis exemplis probemus, ridere sine apertione dentium, videre sine defixione oculorum, loqui sine extensione manuum, sine contorsione labiorum, sine agitatione capitis, sine eleuatione superciliorum, incedere sine modulatione gessuum, sine ventilatione brachiorum, sine gesticulatione scapularum, iacere sine deiectione membrorum, sedere sine alterutra superiectione pedum, & sine alterutra accubatione laterum, sine diuaricatione, seu dilatatione crurium, sine extensione, vel agitatione tibiarum. In particulari quò ad vocem ait Amb. *loco cit.* quod esse debet *non remissa, non fractu, nihil fœmineum sonans, qualem multi grauitatis specie simulare consueuerunt, sed formam quamdam, & regulum, ac succum virilem referuans.* Et Plutarc. de tuen. val. *Animis commotis vociferationibus, & iurgiosis clamoribus est temperandum, si quidem inequales illa spiritus intensiones, & impetus rupturas, spasmos solent inducere.* Quò ad risum Basil. in reg. fus. disp. q. 17. *Vsque ad hilarem risum animalætitiam detegere, non indecorum est, vt iudicetur solùm id quod scriptum est, Cordis læti facies floret. Verùm cachinnari voce, & ebullire corpore, non est eius, qui animam sedatam habet; neque eius, qui sui ipsius potens est. Confirmat autem hunc sermonem Salomon, dum ait. Stultus risu exultat vocem suam; vir autem sapiens vix quietè ridebit.* Et Trithem. in cap. 4. reg. Sancti Benedicti inst. 55. *Risus excussus leuitatem, & dissolutionem mentis indicat, nec tantum animæ, sed; & corpori nocet. In risu enim sanguis recedit à corde, & ex valido risu homines sæpè suffocantur.* Quò ad modestiam in gressu, Amb. 1. *de off. cap* 18. & Bern. *de ord. vita* dicunt iisdem verbis. *Est gressus probabilis, in quo sit species auctoritatis, grauitatisque pondus, tranquillitatis vestigium; ita tamen si studium desit, atque affectatio sed motus sit purus, ac simplex nihil enim fucatum placet.* Sed de his dicam pleniùs, si Deus dabit, cum de disciplina claustralium. Interim videatur Bonau. *in spec. discipl. ad nouit. part.* 1. Amb. 1. *de off. cap.* 18. & 19. Bern. *de ord. vita*, Hugo *tom.* 2. *de inst. nouit.* Humb *in spec. relig. lib.* 2. *part.* 3. *à cap.* 3. Contra hanc virtutem peccatur per excessum, petulantia, seu insolentia, quando scilicet motus externi, vel gressus communem modum excedunt; vel quando non assumitur modus congruens, vt si Religiosus moribus vtatur aulicorum, vel quando ficto animo modestia vtimur. Per defectum peccatur rusticitate. Petulantia ex se peccatum veniale est, potest tamen esse mortale ratione praui finis, vel scandali, aut alterius grauis nocumenti. Rusticitas ex se etiam est veniale; potest tamen esse mortale ob scandalum, vel quando quis sic se putaret contemni. Ita Less. *lib.* 4. *cap.* 4. *dub.* 12. *num.* 92.

238. Eutrapelia, quæ est species modestiæ. de qua D. Thom. 2. 2. *quæst.* 168 *art.* 2. est virtus, quæ ludis, & iocis rationis modum imponit, seu quæ in ludicris decorem seruat. Ita Less. *loco cit. dub.* 13. De decore in iocis, & ludis seruando, satis hic *sup. cap.* 2. §. 4. *numero* 83. & vide Less. *loco cit.* Nigron. de his facit tractatum, quem vocat, *De animi relaxatione*, videbis præsertim *à cap.* 9. vide etiam Amb. 1. *de off. cap.* 23. vbi omnes iocos Religiosis, & Ecclesiasticis vetare videtur. Ait enim. *Nam licèt interdum honesta ioca, & suauia sint, tamen ab Ecclesiastica abhorrent regula.* Et infra. *Non solùm profusos, sed omnes etiam iocos declinandos arbitror.* Sed loquitur Amb. *de iocis*, in quibus interueniunt obscœna, vel in quibus contristatur proximus. Nam alioquin subdit, *Plenum tamen suauitatis & gratiæ sermonem esse non indecorum.* Quod nos iocos Religiosos vocamus. Et quòd hæc virtus sit Prælatis necessaria, probat Ægid. *lib.* 1. *part.* 2. *de regim. cap.* 30. Interponenda enim sunt gaudia curis Et per istos iocos quiescimus, vt velociùs, & ardentiùs curis insistamus.

239. contra hanc virtutem peccatur per excessum, cum quis amplius sibi in istis indulget, quàm recta ratio permittat. Per defectum, cum minùs. Per excessum dupliciter, vt D. Thom. *loco cit. art.* 3. 1. ex actione ipsa, vt cum quis causa ludi vtitur verbis, vel factis quæ de se sint peccata mortalia, vt si quis verba obscœna cum scandalo audientium, etiam per iocum, diceret, & turpia facta narraret animo ad libidinem prouocandi; seu fraudibus in nocumentum graue colludentium vteretur. 2. potest esse excessus etiam mortalis propter vehementiam affectus ad ludum ex circunstantiis, scilicet personæ, vt si Religiosus alea ludat; loci, vt si ludatur in loco sacro, cum scandalo, & impedimento diuinorum; temporis, vt si propter ludum, quis in die festo missam non audiat; finis, vt si quis ludat animo ad malum pertrahendi. Per defectum peccatur, quando quis eget animi relaxatione, & eam admittere non vult; quando sua rusticitate aliis molestum se exhibet; & in his casibus est peccatum de se solùm veniale; nisi grauiter offendat ex hoc familiarem propriam, vel socios Vide Val. *tom.* 3. *disp.* 9. *quæst.* 3. *part.* 1. Less *lib.* 4. *cap* 4. *dub.* 13. *à num* 97. Caiet. 2. 2. *q.* 168. *art.* 3.

240. Et aduerte, quòd qui peccant in iocis per excessum primo modo, scurræ dicuntur. Qui per defectum, agrestes, & rustici; vt Arist. 4. eth cap. 8. *Qui in ridiculis excedunt, scurræ esse, atque importuni videntur, qui ridicula potiùs affectant adeò, vt studeant potiùs risum mouere, quàm honestè loqui*, &c. *Qui autem neque ipsi quidquam ridiculi dicunt, neque alios dicentes æquo animo patiuntur, rustici & duri sunt.* Hinc scurrilitatem ablegandam esse à republica regulari, & consequenter à Prælato principaliùs, docet Clem. Alex. *lib.* 2. *pædag. cap.* 5. dicens, *Si ergo qui risum mouent, sunt exterminandi à nostra republica, longè abest, vt nobis permittant risum mouere: absurdum enim esset, quorum auditores esse prohibitum est, eorum imitatores inueniri; multò autem est absurdius studere, vt ipse sis ridiculus* Et Basil. in const. monast. cap. 13. *Vitanda omnes omninò in sermone facetia, & scurrilis dicacitas sunt.* Nec solùm scurrilitate prohibitum est vti, sed etiam scurriles audire. Ait enim Arist. loco cit. *Quæ quisque audire patitur, eadem quoque facere videtur.* Et Epict. in enchir. c. 49. *Cum igitur tale quidpiam inciderit, aut si feret opportunitas, obiurgabis eum, qui sermonem illum iniecerit, aut taciturnitate sultem, & rubore, vultuque ostendens, eam orationem tibi displicuisse.* Vide plura apud. Nigr. *loco cit. cap.* 13. Videatur pro ista virtute Raynaud. *de virt. lib.* 6. *sect.* 2. *cap.* 10.

241. *Modestia*, seu parcitas corporis inornatu, de qua D. Thom. 2. 2. quæst. 169. *est virtus, quæ decorem in cultu corporis, & alio rerum externarum apparatu seruat.* Ita Less. *lib.* 4. *cap.* 14. *dub.* 14. *num.* 100. Officium huius virtutis est ex affectu honestatis moderari corporis ornatum, & domus, seu cellæ, habita ratione personæ, consuetudinis, temporis, loci negotij præsentis, &c. Qualem deceat esse Religiosorum habitum docet Hugo *instit. nouit. capite* 11. Nimirum quòd *in habitu quinque modis disciplina custoditur. In genere, ne scilicet vestimenta nostra sint nimis pretiosa. In qualitate, ne nimis sint subtilia, vel mollia. In colore, ne nimis sint nitida, siue quolibet alio modo supra quàm proposito Religiosæ conuersationis expetit, fuscata. In formatione, vt sint decenter, & Religiosè composita, & humilitatis signum habentia, idest non nimis magna, aut dependentia, aut flaxa, nec nimis stricta. siue quolibet alio modo secundùm sæculi vanitatem detorta In comptatione; comptatio autem ad modum portandi pertinet;*

eam

nam sunt quidam stulti, qui stulus placere cupientes, quodam artificio vestimenta sua circa se componunt Alij verè maiori scurrilitate ridiculosè transfuertunt: alij autē, vt pompam de se faciant explicant ea, & quantum possunt, latius distendunt alij temere corrugata in vnum colligunt: alij cōtorquentes, & complectentes inuoluunt, &c. *Alij incedentes sinnoso syrmate, terram verrunt, & limbis dependentibus, immò retrò consequentibus caudis, in similitudinem vulpium vestigia sua obducunt.* Et contra vanos Monachos ait Ber. ser. 1. super missus est. *Quid de ipso habitu dicam? In quo non iam calor, sed color, requiritur, magisque cultus vestium quam virtutum, insistitur. Pudet dicere. Vincuntur in suo studio muliercula, quando à Monachis pretium affectatur in vestibus. Non splendeat itaque toga, nec sordeat*, vt ait Sen. epist. 5. Immò Hier. epist. a. ad Nep. *Ornatus, vt sordes parimodo fugienda sunt quia alterum delicias, alterum gloriam redolet.* Vide Bonau. *in spec. disc. ad Nouit. c. 25. & tom. 1. huius op. quast. 2. cap. 3. versu Quò ad vestium.* Quod hæc virtus sit Prælatis necessaria, constat. Tum quia si ipsi non sunt in hoc modesti, multò minus erunt in eo subditi, nam à boue maiori discit arare minor. Tum quia dicit Basil. apud Anton. serm. 34. quòd *est hominis ciuilis officium, vt omnia faciat, & dicat, ex quibus ab aliis gloriam consequatur.* At ex vestium vanitate non gloria, sed vituperium reportatur.

242. Peccatur contra istam virtutem per excessum, & per defectum. Per excessum dupliciter. 1. quia ornatus fit contra receptam consuetudinem, & contra id, quod faciunt sibi pares Religiosè viuentes; turpis enim est pars, quæ non congruit suo toti, vt D. Thom. 2. 2. *quast. 169. art. 1. corp.* Vnde ex hoc puto, mortaliter peccare eos Prælatos, qui gerunt habitus ex pannis pretiosis, v. g. Segobiensibus, vel Ciuitatensibus in partibus Italiæ, & præsertim hic Genuæ, vbi panni fabricantur, ex quibus omnes alij fratres vestiuntur, adest enim tunc scandalum Religiosorum, & sæcularium. Hinc Cassian. lib. 1. instit. cap. 3. ait; *Sint vestimenta ita vilia, vt nulla coloris, vel habitus nouitate inter cæteros huius propositi viros habeantur insignia; ita à studiosis accurationibus aliena, vt nullis rursum sint affectatis per incuriam sordibus decolora.* Idem dic de iis Prælatis, qui ornamenta cellæ habent extraordinaria, & sumptuosa. 2. peccatur contra istam virtutem per excessum, ex nimio, & inordinato affectu vtentis. Quod tripliciter contingit; vel enim ex hoc ornatu quærit quis vanam gloriam apud homines, vel quærit apud se delitias, quatenus ornatus vestium ordinatur ad fomentum carnis; ad quod pertinet, si per talem ornatum intendat pellicere ad impuros amores, vel 3. quia sollicitiùs, & diutiùs, quàm par est, quis in se ornando occupetur, etiamsi ex nullo malo fine id faciat. In istis casibus, si absit scandalum, & propter ornatum non omittatur, quæ sub mortali fieri debent, non puto peccatum mortale interuenire, nisi quando intendit pellicere ad amores impuros. Per defectum peccatur contra istam virtutem dupliciter. 1. ex negligentia, quando qui in se ornando est negligentior, quàm recta ratio dictet, aut consuetudo, vel conuersatio illorum, quibuscum viuit, patitur. Et exemplificat Arist. 7. eth. cap 7 *Si quis pallium trahe, ne si, ipsum tollat, dolorem sibi laborando creet.* Et communiter est veniale, nisi ex tali negligentia generetur scandalum, vel aliquod notabile damnum proprium, vel alienum. 2. per defectum ex malo fine, vt si quis ex ista vtilitate cultus vanam gloriam quærat; & hoc pertinet ad hypocrisim. Vnde Aug. lib. 2. de serm. Dom. in mon. cap. 19. *In hoc capitulo maximè aduertendum est, non in solo rerum corpore earum nitore, atque pompa, sed etiam in ipsis sordibus luctuosis esse posse iactantiam, & eò periculosiorem, quò sub nomine seruitutis Dei decipit* Vide Iauel. *phil. christ. part. 2. tract. 7 capite 4. tit. de parc.* Valent. *tom. 3. disp. 9. quast. 3. part. 1. fine.* Less. *lib. 4. capite 4. dub. 14. à num. 102.* Regin. *in prax. lib. 22. à numero 63.*

CAPVT IV.

De corporali habilitate, quæ requiritur in eligendo ad Prælatias regulares.

1. VIde D. Thom. 3. *part. quast. 82. art. 10. & addit. ad 3. part. quast. 39. art. 6.* Garc. *de benef. p. 7. cap. 12.* Suarez *tom. 5. in 3. p. disp. 51. sect. 2.* Henriquez *lib. 14. cap. 8.* Sayr. *lib. 6. de cens. à cap. 7.* Lamb. *de iur. patr. part. 1. lib. 2. quast. 7. art. 12.* Couarr. *in clem. Si furiosus, 1. p. init. num. 4.* Tiraquel. *in l. 2. connub. glos. 1. part. 2. num. 59.* Menoch. *de arb. lib. 2. cas. 216.* Paris. *de resign. lib. 5. quast. 3. à num. 13. & quast. 6. à num. 5.* P. Greg. *lib. 47. synt. cap. 9. à num. 3. & cap. 10. à num. 19. & tom. 2. decr. de elect. cap. 11. num. 10.* Borgas. *de irreg. p. 5. tit. de corp. vit. pag. 108.* Ant. *3. part. tit. 28. cap. 5.* Maiol. *de irreg. lib. 1. à c. 13.* Diaz. *in pract. crim. cap. 17.* Rebuff. *in prax. tit. de disp. cum corp. vit.* Auil. *de cens. part. 7. disp. 3.* Less. *lib. 2. cap. 34. dub. 25.* Regin. *in praxi lib. 30. tract. 2. à num. 44.* Mol. *tract. 3. de iust. disp. 70.* Val. *tom. 4. disp. 7. quast. 19. tit. de irreg. ex def. corp.* Sal. *2. 2. quast. 65. art. 1. contr. 4.* Arag. *2. 2. cit.* Sot. *lib. 5. de iust. quast. 2. art. 1.* Mendos. *de sign. grat. tit. de disp. cum corp. vit.* Host. *in sum. tit. de corp. vit.* Nauar. *in man. cap. 27. à n. 198. & lib. 1. cons. tit. de corp. vit.* Campanil. *de diuers. iur. rubr. 11. cap. 17.* Sigism. *de elect. part. 2. dub. 88. 89.* Duar. *lib. 4. de benef. cap. 3. & 4.* Barbos. *de off. ep. p. 2. alleg. 44.*

2. Dicendum est, eam habilitatem corporalem *de iur. nat.* requiri in eligendo ad Prælatias regulares, quæ est necessaria ad decenter exercendum munus Prælatiæ, ad quod eligitur, ita vt, si hæc desit, electio nihilominus secuta sit nulla. Ita cit. DD. & in specie Less. *loco cit.* Garc. *p. 7. cit. num. 3.* Panorm. *in cap. 2. de cler. agrot. num. 2.* & dixi *tom. 1. huius op. quast. 4. cap. 6. quasito 14.* Constat 1. ex Scrip. Leu. 21. *Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo. Nec accedat ad ministerium eius, si cæcus fuerit, si claudus, si paruo, vel grandi, vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si iugem scabiem*, &c. 2. ex cap. Nisi cum pridem, §. Alia verò de renunc. ibi, *Per quam impotens redditur ad exequendum officium Pastoris.* Et ex *cap. 2. de cler. agr. & ex cap. Exposuisti de corp. vit. & ex cap. Thomas monach. eod. tit.* & ex multis cap. quæ habentur *in dist. 55.* & ex Concil. Trid. *sess. 22. cap. 4. de refor. in fine.* vbi ait. *Nec aliis in posterum fiat prouisio, nisi iis, qui iam ætatem, & cæteras habilitates integrè habere dignoscantur, aliter irrita sit prouisio.* Qui autem impotens est ad decenter exercendum officium, ad quod assumitur, non habet omnes habilitates requisitas. Et Concilium ibi loquitur non solùm de dignitatibus, & beneficiis cathedralium, & collegiatarum, sed etiam de dignitatibus, & personatibus Regularium, vt Comit. *lib. 6. resp. mor. quast. 64. num. 2.* Et confirmatur ex decr. Clem. VIII. confirm. à Paulo V. Greg. XV. & Vrb. VIII. pro reform. Reg. *tom. 2. nostr. priu. in const. 10. Vrb. VIII. §. 53.* vbi sic. *Ad officia, gradus, & Prælaturas illi præcipuè eligantur, qui possint, & consueuerint regulas Ordinis, & constitutiones obseruare.*

3. Ex his colligitur 1. valetudinarios (qui scilicet malo corporis habitu, & affectu sæpè malè valent, atque ita frequenter ægrotant, vt declarat Menoch. *lib. 2. de arb. cas. 6. numero 5.* & qui valetudinarij dicantur in regula Minim. dixi *tom. 1. huius op. loco cit.* Et habetur

etiam *in capite Val. 5. numero 16.*) non posse eligi ad Prælatiaa; quia muneri sibi iniuncto satisfacere non possunt; cum enim Prælati munus sit vigilare super sibi commisso grege, & isti languentes vix sibi inuigilent, sunt omnino inepti ad dignitates recipiendas; & cum in multis sint priuilegiati, vt Menoc. *loco cit. numero* 1. & Paris. *de resig. lib. 5. quæst.* 3. *à numero* 29. & in Regula nostra Correct. *num.* 56. Prælati autem debeant esse forma gregis, isti nullo modo poterunt suo muneri satisfacere. Vnde erunt ineligibiles, & si eligantur, electio erit nulla iuxta *cap. fin. de resc. in 6.* & electi tenentur renunciare in conscientia, nec aliter possunt absolui. Nauarr. *in man. capite 25. num.* 133. Paris. *loco cit. quæst. 6. num.* 9. Suar. *tom. 5. in 3. part. disp. 51. sect. 2. numero* 17. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 4 Quo loco vnum notat Cai, quod hic etiam pro toto hoc cap. notandum est, nimirùm, quòd illæ causæ, quæ obligant Prælatum ad renuntiandum Prælatiis (de quibus ibi D. Thom. *ex capite Nisi cum pridem, de renunc.*) obligant multo magis ad non suscipiendum, etiam spontè oblatas; atque etiam obligant electores ad non offerendas, cum causa notoria est. Et aduerte, quòd semel reprobatus ab aliqua dignitate propter infirmitatem, vt eam iterum possit habere, debet probare se sanum; Gloss. *capite Inter canonicos, verb. Recusatus, de elect.* vbi Io. And. & Panorm. P. de Baisio *indirect. elect. p. 2. c. 5. num.* 5.

4 Notandum tamen hic est, quòd si detur aliqua dignitas, quæ compatibilis sit cum infirmitate, etiam perpetua, ad illam talis infirmus assumi poterit. Solùm enim prohibent Canones, eos infirmos assumi, qui ex infirmitate impotentes redduntur ad exequendum officium suum, vt docet Glossa *in cap. Nisi cum pridem cit. verb. Impotens* Paris. *lib. 5. de resign. quæst.* 3. *num.* 18. Quod etiam est verum in Ordine nostro; licet statutum Val. 5. cit. videatur dictos inhabilitare ad omnia officia, cum tamen se referat ad statutum Barch. 1. *numero* 19. vbi hi inhabiles solùm declarantur ad officia superioratus exercenda, dicendum est, quod etiam in Ordine nostro currit *dicta reg. tur. comm.* scilicet, quòd valetudinarij non possunt habere ea officia quæ non possunt exercere. Quod etiam innuit dictum statutum Val. dum ait. *Declaramus eos inhabiles ad officia quæcumque etiam Generalatus.* Puto itaque posse aliquem Patrem benemeritum, licèt infirmum, in Collegam Prouincialis assumi: hic enim consiliis iuuando Prouincialem, munus suum secundum *Regulam numero* 40. implebit, ad tex. *in l. vlt. cum ibi not. Cod. Qui morb. lib.* 10. Nec obstat, quod Collegæ debeant visitare Prouincias cum Prouincialibus secundum determinationem Clem. VIII. *tom 2. nostr. priu. in eius const.* 2. §. 9. Cum enim Prouinciæ in Ordine nostro communiter non sint tam amplæ, & magnæ, quid impedit, quòd qui per sex menses comedit carnes, eo tempore, quo non comedit, non possit cum Prouinciali visitare? Adde, quod secundum determinationes Capitulorum generalium, quibus fortè non derogant dicta decreta, saltem parte non instante, potest Prouincialis cum duobus solis Collegis Prouinciam visitare. Quod etiam consuetudo approbare videtur. Et quod dixi de Collegis Prouincialis, intellige de Senioribus, de Scribis Capitulorum, de Discretis ad Capitulum Prouinciale; & de Definitoribus; non tamen de Collegis Generalis, quia isti sunt in continuo motu, & debent esse valdè sani, & mente, & corpore. Atque ita videtur docere Suar. *loco cit. num.* 18. An autem debiles sint ineligibiles ad dignitates, distingue: Si debilitas prouenit ex mala corporis dispositione, & temperie, ineligibiles sunt; est enim idem cum infirmitate; alias non. Ita Menoch. *lib. 2. de arb. cas. 6. num.* 14. Paris. *loco cit. quæst. 3. num.* 26. Idem dic de præpinguibus: Hi pigri, & desides communiter esse solent, somnoque atque gulæ multum dediti, vnde inhabiles sunt ad regimen animarum, cum vix ventrem gubernare possunt. Ita Camp. *in diuers. iur. rubr. 11. cap. 17. num.* 114. Qui tamen limitat; nisi carnositas naturaliter cuiquam aduenerit, præsertim si in toto corpore æqualiter adsit, nam tunc sunt satis habiles ad dignitates sustinendas.

5. Colligitur 2. esse ineligibiles eos senes, qui sunt inhabiles ad munus, ad quod assumuntur, exequendum. Habetur *in cap Nisi cum pridem, §. Alia verò, de renunc.* Docet D. Thom. 2. 2. *quæst* 185. *art.* 4. Paris. *lib 5. de resign. quæst. 3. num.* 51. Qui autem dicantur hi senes, licèt non possit certò determinari, cum non omnes homines vnius sint complexionis, & temperamenti, nec sub eodē climate viuant; vnde prouenit, quod aliqui in quadragesimo, alij in sexagesimo, alij in septuagesimo, alij in octogesimo anno consenescant; & hoc dicunt Menoch. *lib 2. de arb. cas. 59. n. 3.* & Paris. *loc. cit. q 6. n. 7.* esse relinquendum prudentis arbitrio. Puto tamen quòd in Ordine nostro senes septuagenarij sint ineligibiles: quod etiam censuit Abb. *in cap. Quoniam frequenter, num. 18. vt lit. non contest.* Moueor, nam licèt hic Genuæ ob aëris puritatem homines diu viuant, vnde bàiuli septuagenarij ex sudore viuunt vultuum suorum; in Ordine tamen nostro, ob asperam pœnitentiam ab eo tempore languescere incipiunt; quare censeo, eos esse absoluendos ab oneribus Prælaturatum. Non nego tamen, quòd si reperiantur aliqui senes septuagenarij robusti, & fortes, vt multos cognoui, & cognosco adhuc viuentes, robustiores me, qui nec à longè quinquagesimum attingo, eligi non possint; immo aliis iunioribus sunt præferendi; quia in eis viget & vigor ætatis, & deuotionis, iuxta *cap. 1. de renunt.* vbi Abb. *num. 6.* præsumuntur etiam prudentiores iunioribus, vtpote qui vsu rerum docti, prudentiam sibi comparare potuerunt; *l. Si vt certo loco, §. Custodiam, ff. commod* Pen. *l. 1. Cod. de consul. lib.* 10. vnde sunt etiam maioris auctoritatis, *cap. Domino sancto, dist.* 50.

6. Colligitur 3. leprosum esse ineligibilem. Constat *ex Leuit. cap. 13. cap. Tua nos, de cler. agr.* vbi leprosus reiicitur propter scandalum, & abominationem; Atque ita D. Thom. *part. 3. quæst.* 82 *art. 10. ad 3. & in 4. dist. 9. art. 4. la 3.* Sayr. *lib. 6. de cens. cap. 9. num.* 7. Camp. *loc. cit. à num* 153. Maiol. *de irreg. lib. 2. cap. 18. num.* 1. Paris. *loc. cit quæst. 6. num.* 55. Borgas. *de irreg. p. 5. tit. De cler. agr. num.* 5. Addunt autem Maiol. *num.* 3. & Camp. *num.* 163. scabiosum non esse facilè admittendum, quia est valdè suspectus de luxuria, vt Greg. *1. p. past. cap.* 11. Et refertur *in cap. Hinc etiam, d.* 49. Non puto tamen, laborantem scabie, etiam hercolea (quæ scilicèt ex atra bile, sicut lepra, ortum ducit, & illi affinis admodum est, & difficilè executitur) si alias sit idoneus, & periculum sit, ne, eo neglecto, minùs dignus assumatur, esse arcendum; nam scabies nec impotentem reddit, nec multùm abominabilem. Fauet Sayr. *loc. cit. num.* 9.

7. Colligitur 4. laborantem morbo gallico notoriè esse ineligibilem. Sunt enim hi abominabiles valdè, & prætetea conflictantur assiduè meritis doloribus, & tanquam publice concubinarij omnino arcendi, *per cap. Sacerdotes, dist.* 50. Atque ita Maiol. *loc. cit. cap. 19. num.* 1. Borgas. *loc. cit. num.* 1. Sayr. *cit. num.* 5. Paris. *de resig. cit. num.* 28. Regin. *in prax. lib. 30. num.* 56. Auila *de cens. part. 7. disp. 3. dub. 4. concl.* 1. Henriq. *lib. 14. c. 8. n. 8.* & hoc licet vlcera non appareant foras, modò notorium sit crimen. Quod notat Sayr. sunt enim isti infames ex notoria libidine. In Ordine nostro hoc non habet difficultatem, propter statutum *cap. Ferial.* 1. *n.* 3. Aduerte tamen, quòd morbus gallicus quandoque prouenit solùm ex aëris corruptione; quandoque ex solo tactu, & osculis, vt aduertit Io. Almenar. *in suo tract. de mor. gall. c. 2.* Quare, nisi præcedant libidinis indicia,

poterit

poterit quandoque excusari Religiosus eo labutans. Ita Camp. *loco cit. num.* 168.

8. Colligitur 5. eum esse ineligibilem, cui ex nimia venere ceciderunt barba, & capilli; sunt enim publici peccatores, & notorie infames; vnde omninò attendi; *per dict. cap. Sacerdotes, dist.* 50. Secus autem, si ei ceciderint propter aliam causam, & humorem falsum, & notabilem non inducant deformitatem, ita vt ridiculum hominem omnino non faciant. Ita Maiol. *lib.* 2. *de irreg. cap.* 19. *num.* 4. Sayr. *loc. cit. num.* 6. Regin. *cit. num.* 49.

9. Colligitur 6. phthisi laborantes, seu tabidos, esse omninò ineligibiles, extenuat enim hic morbus totum corpus, & contagiosus est Medicis, & incurabilis; licèt aliqui dicant Cardano talem non fuisse. Constat ex *c. Ex parte tua, de cler. ægr.* vbi morbo incurabili laborantes, præsertim si contagiosus sit, ineligibiles sunt. Ita Maiol. *loc. cit cap.* 20. *num.* 10. Henriq. *loc. cit.* Sayr. *cit. num.* 53.

10. Colligitur 7. podagrosos continuos, vel quasi continuos esse ineligibiles. Et quia morbus incurabilis est, iuxta *illud Ouid.* 2. *de Pon.*

Tollere nodosam nescit medicina podagram.

Vnde militat tex. *in cap. penul. de cler. ægr.* Et quia Prælati debent omninò esse expediti ad prospiciendum, & prouidendum necessitatibus subditorum, iuxta illud Zacch. 3. *Dabo tibi ambulantes, de his, qui nunc hic assistunt.* Vbi pro Ambulantes, legit Remig. Altisiodor. Ministros. Et notat Hugo *in cap.* 20. *Io.* quòd quinquies apparuit Dominus in illo die Resurrectionis, vt necessitatibus discipulorum prouideret, ad denotandam Prælatorum diligentiam: Podagra autem reddit omnino impotentem. Ita ex D. Thom. 3. *par. q.* 82. *art.* 10. *ad* 3. Expressè Maiol. *loc. cit. cap.* 21. *num.* 1. Sayr. *lib.* 6. *de censur. cap.* 9. *num.* 4. Parif. *lib.* 5. *de resignat. q.* 6. *num.* 3. Reginal. *in prax. lib.* 30. *num.* 57. *vers. Tertius morbus.* Campan. *in diuers. iur. rubr.* 11. *cap.* 17. *num.* 137. Si autem podagra non sit continua, sed intermediet, non impedit. Parif. *quæst.* 3. *num.* 4. Campan. cit. Facit Abb. *in cap. Cum inter canonicos, de elect. num.* 7. cum non præbeat impedimentum perpetuum, non est cur perpetuò à dignitatibus arceat.

11. Colligitur 8. paralysi, & apoplexia laborantes esse ineligibiles. Habetur *in cap. vlt. de cler. ægr.* & istæ infirmitates impediunt vsum, vel totius corporis, vel aliquorum membrorum, & abominationem faciunt; vnde generant impotentiam, & indecentiam. Ita Maiol. *lib.* 2. *de irreg. cap.* 24. *num.* 1. Sayr. *loco cit. num.* 10. Parif. cit. *quæst.* 6. *num.* 22. 23. Campanil. *num.* 164. Qui autem solùm habent manus tremulas, aut caput, aut linguam, si tremor non sit ita magnus, vt decentem dictorum membrorum vsum impediat, & abominationem, & risum non moueat, non puto esse ineligibiles.

12. Colligitur 9. morbo comitiali, seu caduco, laborantes esse ineligibiles, etiamsi semel tantùm hoc modo vexati sint. Tum quòd is morbus vix sanabilis sit; & currit tex. *in cap. penul. de cler. ægr.* Tum quod horrorem gignit, & stomachum, timoremque videntibus incutit. Et expressè prohibetur, hos assumi ad dignitates *cap. Communiter, d.* 33. Ita Maiol. *loc. cit. cap.* 16. *num.* 1. & 2. Sayr. *de censi. lib.* 6. *cap* 9. *num.* 21. Parif. *lib.* 5. *de resignat. quæst.* 6. *num.* 105. Val. *tom.* 4. *disput.* 7. *quæst.* 9. *par.* 3. *de* 2. *specie irreg.* Nauar. *in man. cap.* 27. *num.* 203. Sanctarell. *var. resol. par.* 1. *quæst.* 78. *num.* 1. Campanil. *in diuers. iur. rubr.* 11. *cap.* 27. *num.* 172. Idem dic de furiosis, & lunaticis, qui lucida interualla patiuntur; quia militat eadem ratio, vt Maiol. *loc. cit. n.* 1. *c.* 14. & P. Gregor. *lib.* 47. *in synt. cap.* 9. *num.* 12. & 14. & Molin. *tract.* 3. *de iust. disp.* 70. *num.* 12. Campan. *n.* 179. qui *num.* 182. ait, electionem de istis furiosis, &c. factam, esse ipso iure nullam; quod etiam dicit Sigismon. *de elect. dub.* 89. *num.* 4. Idem dic de dæmoniacis; quod probat tex. *in cap. Communiter, cum* 2. *sequ. dist.* 33. & docent Maiol. *loc. cit. cap.* 15. *num.* 2. Sayr. *num.* 14. Borgas. *de irreg. par.* 5. *tit. de corp. vit. num.* 15. Parif. *loc. cit. num.* 94. Campanil. *loc. cit. à n.* 188. & de his omnibus D. Th. 3. *par. quæst.* 82. *art.* 10. *ad* 3. Anton. 3. *par. tit.* 28. *cap.* 5. *versus finem.* Henriq. *lib.* 14. *cap.* 8. *num.* 8. & 9. Aduerte autem, quòd qui patiuntur lucida interualla, vel non laborant perpetua amentia, vel furia, licèt eligi non possint, possunt tamen extra tempus amentiæ eligere, iuxta *cap. Quamuis,* 7. *q.* 1. Sigismun. *de elect. loco cit. num.* 6. quod idem dicit *de dæmoniacis, n.* 11.

13. Colligitur 10. stultos, fatuos, stolidos, seu simplices, & cæteros huiusmodi farinæ homines esse omninò ineligibiles; hi enim omnes inepti sunt ad regimen animarum, nec illud exequi possunt, nec rectè, nec decenter; qui enim alios regit, debet esse illis eminentior, & ab illis differre tanquam Pastor ab ouibus; & non est homo, qui dominatur, sed ratio. Et probatur *ex cap. Petrus, dist.* 39. & *dist.* 36. *in princip.* stultus autem est secundùm D. Thom. 2. 2. *q.* 46. *art.* 1. *corp.* qui propter stupotem non mouetur iniuria, & differt à fatuo, quia stultus dicit hebetudinem cordis, & obtusionem sensuum; fatuus verò dicit totalem spiritualis sensus priuationem. Fatuus ergo caret sensu indicandi; stultus autem habet sensum, sed hebetatum. Vnde Archid. *in cap. de Constantinopol.* refert Affranij cuiusdam dictum. *Ego me esse stultum existimo, fatuum esse non opinor.* Vel dic secundum eumdem, Archidiac. *ibidem,* quod stultus est quasi extultus, ab extollo, quia se extollit: vel stultus, quasi statim vltus dicitur ab vlciscor; quia stultus statim vltionem expetit, nec deliberat. Fatuus autem secundùm eundem *in cap. Legimus dist.* 93. *num.* 2. dicitur à fatis, vel fate, fatur, quia imperitiam suam ostendit, fando quidquid latet in animo, vel respondendo ad interrogata: Et ideò dicitur fatuus à fando, quia nec quod ipse fatur, nec quod alij dicunt, intelligit. Vel dicitur fatuus, quasi infulsus, idest sine sale, & sine condimento discretionis. Atque ita de his omnibus secundùm dictas significationes asserit Maiol. *lib.* 2. *de irregul. cap.* 13. *num.* 6. Henriquez *lib.* 14. 8. *num* 9. & *de amentibus* Azor. *tom.* 2. *lib.* 6. *c.* 2. *quæst.* 4. *De fatuis* P. Gregor. *tract. de elect. cap.* 11. *n.* 9. Et si cupis scire, quot sint dementiæ species, adi P. Greg. *lib.* 13. *syntag. cap.* 5. *à num.* 1. *ad* 22. Et si etiam cupis scire signa, quibus homines insanire incipiunt, lege Maiol. *loc. cit. à num.* 2.

14. Colligitur 11. eos esse ineligibiles, qui sunt à communi hominum statura, & habitu, siue excedant in magnitudine, siue in paruitate, ita alieni, vt cæteris contemptibiles, & ridiculi habeantur; hi enim non possunt decenter muneta exequi. Et constat *ex cap.* 2. & *cap.* 21. *Leuit.* & *cap.* 15. *Deuteron.* quorum verba repetuntur *cap. Hunc etenim, dist.* 49. Probatur etiam *ex capite* 2. *de cler. ægr.* vbi Glossa *verb. Deformitatem;* & *capite fin. de corp. vitiat.* vbi Glossa. Ita Innoc. *in capite, Ex parte, eodem tit.* Tiraquel. *in l.* 2. *connub. gloss.* 1. *part.* 2. *numero* 59. Abb. *in capite* 2. *de cler. ægr. numero* 2. & 3. Et deformem puto, qui habet cicatricem in facie. Maiol. *lib.* 1. *de irregul. capite* 21. *numero* 1. Salon. 2. 2. *quæst.* 65. *art.* 1. *controuer.* 4. *conclus.* 1. Regin. *in prax. lib.* 30. *numero* 51. *vers. Postremo.* Campanil. *in diuers. iur. rubr.* 11. *capite* 17. *numero* 47. nisi propter defensionem fidei, vel alterius virtutis eam recepisset. Similiter illum ineligibilem existimo, qui faciem ita haberet abhorrentem à consuetis, vt risum moueret: vt etiam Campanil. *loc. cit.*

15. Colligitur 12. eum esse ineligibilem, qui caret manibus, aut digitis. Tum propter impotentiam exequendi officium; Prælatus enim multa scribere de-

ber ad absentes subditos, signare literas Patentes, &c. Tum propter deformitatem, quæ in carentibus digitis, & manibus consideratur; *cap. fin. de corp. vit. & in cap. 2. de cler. agr.* & habetur *in cap. Qui in aliene* 51. ibi. *Aut decisione aliquid minus*, &c. & *in c. Pœnitentes, dist.* 55. Ita D. Thom. 3. *part. q.* 82. *art.* 10. *ad* 3. Maiol. *lib.* 1. *cit. capite* 14. *num.* 1. Borgas. *de irreg. part.* 5. *tit. de corp. vir. num.* 4. Sayr. *lib.* 6. *de cens. cap.* 8. *num.* 18. Reginald. *in prax lib.* 30. *numero* 53. Campanil. *in divers. iur. rubr.* 11. *cap.* 10. *à num.* 104.

16. Colligitur 13. claudos non esse ineligibiles, quia nec magnam abominationem generant etiamsi valgi, & varij sint, quorum scilicet crura sint in diuersum acta, quia turpitudo illa habitus longitudine cooperitur, & sunt habiles ad munus exequendum. Ita *in cap. Si quis infirmitate, dist.* 55. Maiol. *cit. cap.* 18. *num.* 2. Sayr. *cit. num.* 22. Si autem sint ita claudi, vt pedibus stare non possint, nec sine sustentaculis ambulare, vel non nisi ridiculè, sunt ineligibiles, propter impotentiam decenter exequendi, vt dicunt Maiol. & Sayr. & prætetea Anton. 3. *part. tit.* 28. *cap.* 5. *vers. Notà quòd,* Regin. *cit. num.* 54. Campanil. *cit. num.* 117. & Plato *dialog.* 7. *de Rep. col.* 14. mouet, claudos Philosophiæ sacris non initiandos, nec Reipub. præficiendos, quia requisitorum laborum tolerantes non sunt.

17. Colligitur 14. eos gibbosos esse ineligibiles, qui curui omnino sunt, nec oculos in cœlum sine magna difficultate eleuare possunt. Constat *ex cap. Hinc etenim, dist.* 49. *verb. Gibbosus.* Eos verò posse eligi, quibus dorsum tumore magno creuit, corpore recto. Docet Maiol. *lib.* 1. *de irreg. cap.* 19. *num.* 1. Anton. *loc. cit.* Campanil. *cit. num.* 103. & vidi ex huiusmodi gibbosis multos Prælatos. Sed ego nunquam illis mendarem suffragium, non enim sine quare signati sunt, supposito, quòd id illis naturaliter euenerit: Neminem enim naturam velle decipere credendum est.

18. Colligitur 15. cæcum esse ineligibilem *cap. Hinc etenim, §. Cecus, dist.* 49. Ita D. Thom. 3. *part. quæst.* 82. *art.* 10. *ad* 3. Campanil. *In divers. iur. cit. num.* 55. Maiol. *cit. cap.* 20. *num.* 1. Sayr. *de cens. lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 5. Garc. *de benef. part.* 7. *cap.* 12. *num.* 21. P. Greg. *lib.* 47. *syntag. cap.* 10. *num.* 19 & 20. Reginald. *cit. n.* 40. Paris. *lib.* 5. *de resignat. quæst.* 6. *numero* 36. Et ratio est, quia est impossibile, vt cæcos Prælatiæ munus, quæ hominem oculatum ante, & retrò requirit, rectè exequatur. Vnde benequidam è nostris Poëtis.

Chi piglia il cieco in guida, mal consigliasi.

Cæteri autem patientes defectum in oculis, vt lusci, strabones, lippi, si in eis non sit tanta deformitas, quæ scandalum, & risum moueat, non sunt ineligibiles, vt Sayr. *loc. cit. à num.* 8. Moneo tamen semper electores, vt à signatis caueant.

19. Colligitur 16. Carentes naso esse ineligibiles, ob deformitatem. Ita Maiol. *cit. cap* 22. *lib.* 1. Sayr. *cit. n.* 14. Mol. *tract.* 3. *de inst. disp.* 70. *num.* 7. Regin. *cit. num.* 50. Campan. *num.* 84. Cæteri autem, qui sunt distorto, paruo, grandi, simo, aut contuso naso, non sunt ineligibiles, nisi eius magnitudo, vel paruitas, &c. deformitatem pariat. Campan. *num.* 87.

20. Colligitur 17. surdum non posse esse Prælatum, siue sit surdus naturaliter, siue casualiter, durante surditate. Cum enim debet audire subditos auxilium implorantes, huic muneri non potest satisfacere. Ita P. Gregor. *loco cit. cap.* 9. *num.* 3. Maiol. *lib.* 1. *cap.* 25. *n.* 1. Sayr. *de cens. lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 17. Reginald. *cit. n.* 50. Paris. *lib.* 5. *cit. quæst.* 3. *num.* 25. Campanil. *num.* 39. Idem dic de iis, quibus propter delictum abscissæ essent aures; quia carere auribus maximè propter delictum plurimam deformitatem dicit. Auila *de cens. part.* 7. *disp.* 3. *dub.* 1. *Corol.* 2. Campanil. *num.* 4. Surdastri autem non censentur ineligibiles. Maiol. *numero* 5. Sayr. *loc. cit.* Nauarr. *lib.* 1. *cons. de corp. vit. cons.* 7. *num.* 3.

21. Colligitur 18. mutos esse ineligibiles. Cum enim habeant subditos monere, corrigere, & docere, ea præstare non possunt. D. Thom. *p. loc. cit.* P. Greg. *lib.* 47. *synt. cap.* 9. *n.* 10. Maiol. *de irreg. lib.* 1. *cap.* 26. *num.* 2. Sayr. *loc. cit. n.* 1. Balbutientes autem non censentur communiter ineligibiles. Ita iidem DD. nisi talis esset defectus, vt via possent verbum integrum efformare. Reg. *in prax. lib.* 30. *tract.* 2. *n.* 51. *vers.* 7. Campanil. *loc. cit. num.* 90.

22. Colligitur. 19. quod hermaphroditus non potest eligi; quòd si in eo magis vigeat, aut pariter vigeat sexus fœmineus iure diuino ineligibilis est: si magis in eo vigeat virilis, iure canonico; cum hi hoc iure habeantur tanquam infames; *cap. Si testes*, 4. *quæst.* 4. §. *Hermaphroditus.* Ita Azor. *part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 2. *quæst.* 3. Suar. *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 51. *sect.* 2. *num.* 1. Auila *de cens. part.* 7. *disp.* 3. *dub.* 5. An autem dicto eius standum sit, quinam sexus in eo prænaleat, affirmatiuè respondet Alb. Trot. *lib.* 2. *de perfect. cler. part.* 1. *requis.* 2. *num.* 10.

23. Ad vltimum nota, quòd licet multa cap. cit. & DD. loquantur de inhabilitate ad ordines, nos tamen ea reduximus ad inhabilitates ad Prælatias, quia qui prohibetur ordinari, & ordinatus suspenditur, prohibetur etiam eligi & electus deponitur, argum. *cap. accepimus, de ætat. & qualit. ordin.* Docet Lambert. *de iur patron. part.* 1. *lib.* 2. *quæst.* 7. *artic.* 11. *num.* 4. Insinuat Suar. *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 51. *sect.* 2. *num.* 18. Et ratio est; quia Prælatus debet esse Sacerdos, quare si non potest Sacerdotio fungi, neque etiam Prælatia. Verum quidem est, quod si quis post acceptam Prælatiam, in vnam ex dictis infirmitatibus incideret, non per hoc esset inuitus remouendus, nec renuntiare cogendus; sed ei deberet dari coadiutor, iuxta *cap. penult. & vlt. de cler. agr. & cap. scripsit mihi*, & *cap. quamvis triste*, 7. *quæst.* 1. Docet P. Greg. *lib.* 47. *sync. cap.* 9. *num.* 9.

24. Aduerte tandem, quòd declarare, quinam sint corpore vitiati, vt possint ordines recipere, vel non, pertinet ad Prælatos admissiones concedentes, quicquid alij dicant. Habent enim dicti Prælati auctoritatem quasi Episcopalem. Ita Angel. *vers. Corp. vit.* §. 5. Suar. *loc. cit. num.* 16. *fin.* P. de Bais. *in direct. elect. part.* 2. *capite* 19. *numero* 2.

CAPVT V.

Quòd eligendus ad Prælatias regulares nulla debet esse censura, vel pœna Ecclesiastica ligatus.

1. VIde pro hoc cap. P. Greg. *tom.* 2. *in decr. tract. de elect. cap.* 7. *num* 8. & *cap.* 9. *num.* 18. Lambert. *de iur. patr. part.* 1. *lib.* 2. *quæst.* 9. *art.* 1. Sayr. *de cens. lib.* 2. *cap.* 5. 6. & 22. Ricciul. *de iur. pers. lib.* 4. *cap.* 6. Azor. *tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 7. *quæst.* 2. Paris. *de resign. lib.* 5. *quæst* 6. *à num.* 67. & *lib* 4. *quæst.* 3. *à num.* 44. Couarr. *in cap. Alma mater, de sent. ex. part.* 1. §. 7. *num.* 1. Garc. *de benef. part.* 7. *cap.* 13. Camp. *in div. iur. rubr.* 11. *cap.* 15. *à num.* 11. Mirand. *tom.* 2. *man. quæst.* 23. *art.* 11. *conclus.* 5. Regin. *in prax. lib.* 32. *tract.* 1. *à num.* 43. & *num.* 143. Suarez *tom.* 5 *in* 3. *part. disp.* 13. *sect.* 1. & *disp.* 24. *sect.* 2. *à num.* 13. Henriq. *l.* 13. *c.* 3 §. 3. & *c.* 13. §. 1. Less. *lib.* 2. *de iust. c.* 34. *dub.* 22. *num.* 116. Barb. *in cap. Postulasti, de cler. exc. à num.* 2. Sigismund. *de elect. dub.* 65. & 66. Auil. *de cens. part.* 2. *c.* 6. *disp.* 5. *dub.* 2. Comit. *resp. mor. lib.* 6. *q.* 28. *num.* 4. & *quæst.* 64. *num.* 1. & 2. Nauarr. *in man. c.* 25. *num.* 134.

num. 134. & c. 27. n. 21. & num. 273. Sa in aph. verb. Beneficium, num. 29. & verb. Excommunicatio, n. 18. Ricc. 1. part. prax. dec. 183. & 184. à num. 161. & 2. part. resol. 314 & 3. part. resol. 119. & 4. p. decis. 343. num. 2. Borgas. de irreg. part. 6. tit. An. excom. ab vno Ep. perd. & c num. 2. pag. 337. Tol. in sum. lib. 1. c. 13. num. 2. & 4. Filliuc. tract. 12. c. 5. à num. 113. & tract. 13. cap. 2. à num. 28. tom. 1. Castel. de elect. c. 11. num. 1. & c. 5. num. 23. Palud. in 4. decis. 18. quæst. 4. Bonac. de cens. disp. 2. quæst. à. part. 4. Sot. in 4. dist. 22. q. 1. art. 4. sub concl. 2. Antonin. 3. part. tit 24. cap. 76. vers. Octauò excom. Rebuff. in prax. tit. Forma, & declar. nouæ prouis. pag. mihi 145. Vasquez tom. 4. in 3. part. tract. de exc. dub. 6. Rodriq. in sum. part. 1. c. 29. à n. 5. P. de Baïs. in direct. elect. part. 1. cap. 9.

2. Dico 1. Excommunicatus maiori excommunicatione non potest eligi ad dignitatem Ecclesiasticam; quòd si eligatur, electio est ipso iure nulla. Ita omnes cit. Ricciul. num. 23. Barbos. num. 13. Suar. disp. 13. num. 10. Garc. num 14. Probatur 1. ex cap. Constitutus de appell. & cap. Nos in hominem. 9. quæst. 2. & cap. Postulastis, de cler. exc. & c. 1. de rescr. in 6. Secundo; quia cum beneficium detur propter officium cap. Cum secundum, de præb. cap. vlt. de rescr. in 6. & excommunicatus sit ipso iure suspensus ab officij executione, cap. 1. §. fin. cap. Is, cui, de sent. exc. in 6. cap. 1. de sent. & re iud. eod. lib. non potest ei dari Ecclesiasticum beneficium.

3. Nota 1. quòd iota omnia, quæ loquuntur de collatione, intelliguntur etiam de electione; quia vtrobique currit eadem ratio. Ric. tom. 1. prax. decis. 183. num. 164. Sigism. de elect. dub. 66. n. 2. Suar. tom. 5 in 3. part. disp. 13 sect. 1. num. 10. Filliuc. tom. 1. trat. 10. c. 5. num. 120. Sayr. de cens. lib. 2. cap. 5. n. 35. Less. lib. 2. de iust. cap. 34. dub. 22. n. 116. vers. Notandum 1. Azor. p. 2. lib. 6 cap. 7. quæst. 8.

4. Nota 2. quòd dicta conclusio intelligitur, siue ex communicatio sit à iure, siue ab homine, siue per sententiam generalem, siue specialem, siue sit publica, siue occulta, siue sciatur ab excommunicato, & electoribus, siue ignoretur ab vtrisque, siue excommunicatus, sit denuntiatus, siue non. Quia iura vniuersaliter loquuntur, & vniuersaliter inhabilitant ad dictas dignitates excommunicatum; vnde vniuersaliter intelligenda sunt, absque vlla exceptione. Atque ita Suarez loco cit. num. 3. Couar. in cap. Alma mater part. 1. §. 7. num. 1. & 2. Ricciul. de iur. pers. lib. 4. cap. 6. à num. 9. vbi quamplures DD. cit. pro singulis punctis, Barb. in cap. Postulastis, à num. 3. Vasquez tom. 4. in 3. part. tract. de excom. dub. 6. num. 6. Auil. de cens. p. 2. cap. 6. disp. 5. dub. 2. Reginald. lib. 32. tract. 1. num. 44. Sigismund. loco cit. num. 3. Putant tamen aliqui, quòd electio facta in persona excommunicati, ignorantis probabiliter talem excommunicationem, sit valida, & quòd post absolutionem potest retinere. Ita Nauar. in cap. Fratres, de pœnit. dist. 5. Ric. tom. 1, prax. decis. 184. num. 173. & tom. 3. resol. 110. num. 2. Sà in aphor. vers. excommunic. num. 28. probabilem putat. Less. licèt contrariam censeat veriorem, loc. cit. num. 117. Sed verè hæc sententia sustineri non potest. Nam licèt ignorantia inuincibilis excuset à culpa, & aliquando etiam à pœna, non tamen validat actum ab Ecclesia irritatum, nec habilitat inhabilem, vt Couar. loc. cit. num. 3. vers. Decimò. Suar. loc. cit. num. 2. Sayr. cit. cap. 5. num. 7.

5. Noto 3. quòd non solùm excommunicatus est inhabilis ad recipiendas dignitates Ecclesiasticas habentes curam animarum; sed etiamsi curam animarum non habeant; Couar. loc. cit. num. 2. vers. Nonò, idem in pens. Regin. cit. num. 45. Ricciul. cit. num. 29. Barb. num. 17. Filliuc. num. 117. Et ratio desumitur ex cap. Postulastis, de cler. excom. quia excommunicatus est extra omnem Ecclesiasticam communionem; assumptio autem ad quamlibet Ecclesiasticam dignitatem est magna communicatio Ecclesiastica, vt Henriq. lib. 13. cap. 13. num. 1. & Panorm. in dicto cap. postulastis num. 1. ergo illius est incapax excommunicatus. Quæ ratio militat in omni munere Ecclesiastico. Quare excommunicatus erit incapax non solum Generalatus; Prouincialatus, Correctoriatus, sed etiam Collegatus; Definitoriatus, Discretatus &c.

6. Noto 4. quòd non potest aliquis licitè retinere dignitatem obtentam in excommunicatione, etiam post absolutionem, sed debet ei illa dignitas de nouo dari, vel super ea cum illo legitimè dispensari. Ita Suarez tom. 5. in 3. p. disp. 13. sect. 1. num. 2. Ricc. lib. 4. c. 6. num. 32. Garc. de benef. p. 7. c. 13. num. 8. Sayr. loco cit. num. 7. Regin. in prax. lib. 32. tract. 1. num. 44. vers. Quartò vt procedat; Barb. loco cit. num. 10. Et ratio est, quia cum electio ex eo sit nulla, quòd electus, quando fuit facta, erat incapax, non validatur per subsequentem absolutionem, per reg. 18. Non firmatur, de reg. iur. in 6. Quæ doctrina procedit etiam in foro conscientiæ, vt in specie Barb. loco cit. num. 5. Ricciul. num. 31. Sayr. num. 21. Panorm. in cap. Postulastis, de cler. excom. num. 2. Quia non acquirit titulum, neque etiam coloratum, vt Ricciul. num. 20. Vnde licèt certum sit, quòd acta ab excommunicato non valent, cum desit intrinsecum principium illorum, si tamen ille defectus publicè ignoretur, & officium publica auctoritate possideatur, propter bonum commune auctoritate Ecclesiæ talis defectus suppletur. Auila de cens. 2. part. cap. 6. disp. 6. dub. 7. Sà in aphor. verb. Excomm. num. 30. Suarez loco cit. num. 31. qui dubitat, an excommunicatus occultus, si eligatur, teneatur se prodere, si non possit aliter se excusare ne acceptet. Et respondet, quòd si excommunicatio talis sit, vt eius manifestatione non oreetur scandalum, vel infamia, tenetur se prodere, si aliter excusare non potest. At verò ad se infamandum nonquam tenetur, & ideò potest tunc acceptare, & quam primùm dispensationem procurare. Quòd vltimum docuerunt etiam Regin. in praxi, lib. 32. n. 49. Garc. de benef. p. 7. cap. 13. num. 71. Vide Henriquez lib. 13. c. 14 §. 1. Azor. part. 2. lib. 6. cap. 7. q. 2. vers. Si quæras.

7. Quæres, à quonam erit petenda dispensatio, si excommunicatus eligatur in Prouincialem v. g. vel Generalem? Respondeo ab eo, qui habet potestatem conferendi talem dignitatem absque aliqua electione, quia talis dispensatio est virtualis Prælaturæ collatio; vnde, ex secuta, nulla alia requiritur electio. Hic autem, qui talem potestatem habet, videtur esse solùm Summus Pontifex, quia nullus Superior, præsertim in Ordine nostro, potest per se solus vllam ex prædictis dignitatibus conferre. Atque ita Suarez tom. 5. cit. numero 34. Barbos. in cap. Postulastis, num. 27. Ricciul. lib. 4. cap. 12. num. 3. licèt alij teneant, quòd obtenta absolutione ab eo, qui potest dare, etiamsi hic sit solus Papa, possit deindè super retentione beneficij dispensari à proprio Episcopo. Ex qua doctrina inferri potest, quòd etiam in Regularibus nulliter electus proper excommunicationem, secuta absolutione, possit dispensari super retentione à proprio Prælato. Et probant ex illa regula, quam tradit Innoc. in cap. Dilectus de temp. ord. quòd scilicet omnis dispensatio, quæ non reseruatur Papæ, possit concedi ab Episcopo. Cum ergo in dicto cap. Postulastis dispensatio non sit Papæ reseruata, sequitur, quòd eam dare possit proprius Prælatus. Quam sententiam vt communem nobis tradunt Reginald. loco cit. num. 50. Couarr. in cap. Alma mater, part. 1. § 7. num. 8. Ricciul. cit. num. Garc. cit. num. 74. Sayrus lib. 2. de cens. cap. 5. num. 21. Ita tamen limitant, vt videantur non posse habere locum in electionibus Regularium, nisi in casu, quo electio excommunicati nulla

deuolueretur ad ipsum Prælatum regularem, per se ipsum solum tunc facienda. Quod in Ordine nostro non puto posse euenire, nisi in electione Vicatiorum, quorum electio ad ipsum solùm Prælatum spectat. Quo casu dictam doctrinam posse tueri puto, etiamsi Prælatus eligens sciret, electum esse excommunicatum, sed tunc erit potiùs noua electio, quàm dispensatio. Vide Suarez *tom.5. in 3. par. disp.13. sect.1. n.36.* Ponel. *in dub. reg. vers. Officia Ordinis, n.7.*

8. Noto 5. quòd electio ad aliquam dignitatem facta in persona illius, qui tempore electionis erat habilis, si posteà dictam electionem acceptet tempore, quo est excommunicatus, validè acceptat. Ita Azor. *par. 2. lib 6. c.7. quæst.9.* Vasq. *tom.4. in 3. par. de excom. dub.6. num.9.* Filliuc. *tom. 1. tract. 12. c.5. num.121.* Garcia *de benef. par.7. c.13. à n. 35.* Riceiul. *lib. 4. c. 10.* Suar. cit. *à n. 15.* Henriq. *lib. 13. c.13. §. 8.* Auila *de cens. par.2. c. 6. disp.5. dub.6.* Campanil. *in diuer. iur. rubr. 11. c.15. n.19.* Et ratio est, quia id nullo iure vetitum reperimus; vnde, cum simus in pœnalibus, non est cur iura de collatione, & electione loquentia, ad acceptationem extendamus. Qua ratione fuit difficultas, quàm mouent, licèt communem opinionem sequantur, Couarr. *loco cit. n.4. & lib.3. var. c.16. n.4.* Suarez *cit. n.15.* Less. *lib.2. c.34. dub.21. n.118.* quòd scilicet acceptatio electionis sit quoddam ius spirituale, cuius assecutione priuatur excommunicatus, Respondeo enim negando, dari aliquod ius prohibens excommunicatum non posse acceptare collatam sibi dignitatem. Verum quidem est, quod non potest talis excommunicatus possessionem collatæ sibi dignitatis acquirere, quin priùs absoluatur, cum hæc possessio sine communicatione fieri nequeat; quæ est illi prohibita *c. Cum excommunicatio, 11. quæst. 3.* nisi necessitetur, ne perdat, & per ipsum non stet quin absoluatur, vt Filiuc. *tom.1. tract. 12. c. 6. n.162.* Si tamen tempore excommunicationis possessionem accipiat, validè accipit, quia ista possessionis receptio in facto, non iure, consistit. Ita Azor. *loco cit. quæst. 10.* An autem dictus excommunicatus acceptans dignitatem, peccet; dic, quòd non, nisi habeat animum exercendi officium absque absolutione. Ita Henriq. *lib. 13. cap. 13. §. 3.* Garc. *cit. n.46.* Sayr. *cit. c.5. n. 11. fine.* Suar. *loco cit. n.22.* qui nec in hoc veniale peccatum agnoscit, nam non acceptat pro illo statim, in quo est excommunicatus, sed pro illo, in quo erit absolutus.

9. Noto 6. quòd electio ad aliquam dignitatem, facta in persona excommunicati, est nulla, etiamsi fiat motu proprio à Papa. Quia licèt motu proprio plurimum operetur ad tollendam subreptionem, non tamen inducit dispensationem aliquam, nec tollit impedimentum personæ. Ita Rieiul. *de iur. pers. lib. 4. c. 6. n.6.* Barbos. *in c. Postulastis, de cler. excomm. n.6.* Verum quidem est, quòd si Papa sciret, aliquem esse excommunicatum, &c. & nihilominùs ei conferret aliquam dignitatem, censeretur saltem quò ad illum effectum tacitè eum absoluere, vel dispensare. Ita Sayrus, & Henriq. *loco cit.* Couat. *in c. Alma mater, par.1. §.7. n.2.* Auila *de cens. par.2. c.6. disp.5. dub.2. vers. Quinto nota*, quamvis contrarium sentiant Paris. *de resign. lib.4. q.3. n.63.* Et aduerte, quòd hodie solet Papa in quacumque gratia, vel iustitia concedenda, vel in beneficio conferendo, ad ambiguitates tollendas, apponere clausulam, Teque absoluentes, &c. vt dicunt præfati Couar. Auil. Sayr. Rie. *in praxi, par. 3. resol. 119. n. 4.* Nauarr. *in man. c.27. n. 273.* Garc. *loco cit. à n.59.* Ad cuius imitationem in Ordine nostro ante quamcumque canonicam electionem, fit absolutio à censoris, ad effectum, &c. sub forma tradita *in nostro Rituali par.1. c.14.* Circa quam aduerte 1. quòd dicta forma non absoluit nisi à censuris, non autem dispensat super irregularitate, Vnde, si quis aliqua irregularitate teneretur, nihil illi iuuaret dicta absolutio, sed electio de illo facta, esset ipso iure nulla, vt dicam hic *infra §. 3. n.44.* Quare consultum esset, si dictæ formæ addetur, Dispensoque vobiscum super omni irregularitate, &c. vt fit in generali absolutione tempore reconciliationum. 2. aduerte, quòd, si aliquis esset ligatus aliqua censura, cuius absolutio non esset commissa Superiori præsidenti Capitulo, ille non frueretur beneficio absolutionis; neque posset in dicta electione eligi, vt benè Garc. *de benef. par.7. c. 13. n 68. & 71.* Nauarr. *tom.4. in c. Ita quorundam, de ind. gloss. vlt. n.18.* Ric. *de iur. pers. lib.4. c.9. num. 9.* Quod etiam insinuatur in forma dictæ absolutionis, quæ fit in Ordine nostro, per illam claus. *In quantum se extendunt priuilegia, & gratia Ordini nostro concessa.* 3. aduerte, quòd illa absolutio non prodest ei, qui absens eligeretur. Nam licèt absolutio ab excommunicatione absenti per literas dari possit, vt Nauarr. *in man. c.26. n.14.* Sylu. *verb. Absolutio 3. n. 9.* Henriq. *lib.13. c.19. §. 1.* Hæc tamen solùm in præsentes fertur.

10. Noto 7. quòd valet electio facta in persona nulliter excommunicati, vel licèt validè excommunicati, possessoris tamen triennalis; vel excommunicati post interpositam validam appellationem. Ita Ric. *lib.4. de iur. pers. c.13.* Barbos. *loc. cit. n.19. 20. & 23.* Suarez *tom.5. in 3. par. disp.13. sect. 1. n.32. & 33.* Sayr. *de cens. lib.2. c.5. n.10.* Regin. *in praxi lib. 32. n.47.* Garc. *de benef. par.7. c.13. n.13.*

11. Noto 8. quòd habens aliquam dignitatem, ad quam legitimè electus fuit, si deinde aliquam excommunicationem incurrat, non per hoc est ipso facto priuatus ipsa dignitate, quia nulla talis priuatio in iure reperitur, immò in eo contrarium supponitur, vt benè probat, adductis tex. Suar. *loco cit. num. 1.* Garc. *cit. num. 90.*

12. Dico 2. electio facta ab excommunicato, est ipso iure nulla. Ita Castel. *de elect. c.5. num.16.* Sayr. *loco cit. c.6. n.4.* Sigismund. *de elect. dub.66. n.5.* Ric. *lib.4. cit. c.3. n.9.* Auila *de cens. disp.5. par.2. c.6. dub. 1.* Filliuc. *tom.1. tract.12. c.6. à n.150.* Cou. *in c. Alma mater, par.1. §.7. n.9. vers. Duodecimus excom.* Suar. *tom.5. in 3. par. disp.14. sect.2. n.6.* Prob. 1. *ex c. Consitiutis, al 1. de appell. c. Tanta, de excess. Prel. c. 1. Ne sede vac. in 6. c. Pastoralis, §. fin. de appell.* Secundò, quia excommunicatus est suspensus non solùm ab officio, *c. Clerici, & c. Latores, de cler. excom. minist.* sed etiam à beneficio, *c. Audiuimus, 24. quæst. 1. c.1. de off. vic. in 6. in cap. Si is, cui, de off. deleg. eod. lib. c. 1. de suppl. negl. Prel. eod. lib.* Probant Suarez *loco cit. n.1.* Sayrus cit. *n.1.* Ergo nihil eorum agere valet, quæ ratione officij, aut beneficij illi conueniunt, quorum vnum est eligere.

13. Nota 1. quòd conclusio intelligitur solùm de excommunicato non tolerato, scilicet aut nominatim denuntiato, aut publico clerici percussore. Mandag. *de elect. par.2. c.6.* Ric. *loco cit. n.14.* Suar. cit. *n. 3. & 18.* Filliuc. *n.151. vers. Sextò prædictis.* Cou. *vers. Quid autem.* Saytus *n. 4. & 6.* Sigismund. & alij *locis cit.* Et probatur *ex extrau. Ad euitanda*, quam refert Sotus *in 4. dist.22. quæst.1. artic. 4.* Nao. *in man. cap.27. n.35.* de qua Antonin. *3. par. tit.25. c.3.* & Sigismund. *loco cit. n.1.* Ex qua, vt commùniter receptū est, constat quòd solum tenemur vitare excommunicatum non toleratum. Vnde sequitur, quòd, si excommunicatus toleratus eligat, electio valida est, vt Auila *loc. cit. disp. 6. dub. 3. vers. Ex dictis sequitur 1.* Sigismund. *loco cit. n.10.* Suarez, & alij modò cit. Quia licèt *dicta extrau. Ad euitanda*, nullum intendat fauorem impartire excommunicatis, hoc tamen, quod est eligere, non est in fauorem eligentis, sed electi, & Ecclesiæ, ad quam eligunt. Et hoc intellige, etiamsi electus à dicto excommunicato tolerato habeat cognitionem dictæ excom

excommunicationis, vt Sayr. lib. 2. de cens. cap. 6. n. 6. Sigismund loco cit. Couarr. loco cit. verb. Quid autem, Suar. cit. num. 3. qui addit, validam esse dictam electionem, etiamsi dictus excommunicatus sit publicus, modò non sit nominatim denuntiatus, vel publicus clerici percussor, & num. 4. addit, quòd, si excommunicatus huiusmodi conferat beneficium, vel dignitatem solùm ad petitionem alterius, & in illius fauorem, non peccat; quia alioquin illa concessio vel esset frustra; vel scandalum potiùs, & occasionem peccandi daret. Secus autem, si spontè se ad eligendum cum aliis intromittat, nam tunc peccat, exercendo actus, à quibus est suspensus; &, cum simus in re graui, mortaliter: Hi autem, qui cum eo electionem, etiam voluntariè, celebrant, non peccant, quia non tenentur eum vitare. Suarez loco cit. num. 18. & tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. cap. 4. num. 9.

14. Noto 2. quòd, si excommunicatus non toleratus, scienter, & voluntariè admittatur ad eligendum cum aliis, qui sunt habiles, electio secuta est ipso facto nulla, in odium excommunicationis; vt constat ex cap. Ad probandam, de sent. & re iudic. capit. vlt. de procur. Secus autem, si ignoranter, & per vim. Atque ita docet, hanc esse opinionem communem, Suar. de cens. disp. 14. sect. 2. n. 17. Auila de cens. disp. 5. dub. 1. concl. 3. par. 2. Sayr. lib. 2. de cens. c. 6. n. 5. & 6. Nauarr. lib. 1. consil. de elect. consil. 1. Sigism. de elect. dub. 66. num. 5.

15. Ex quo sequitur, quòd licèt in capitulo esset aliquis excommunicatus toleratus, & cæteri capitulares id scirent, & tolerarent voluntariè, non per hoc electio secuta esset inualida; tales enim non tenemur vitare, vt dictum est n. 13. Et in his terminis docent Sigism. loco cit. num. 10. Suar. loco cit. num. 18. Peccaret tamen mortaliter, qui dictum excommunicatum eligeret. Tum quia actionem moralem efficere tali modo, vt irrita, & inanis sit, illicitum est; & in materia graui, graue peccatum. Tum quia eligere personam inhabilem, & incapacem, est intrinsecè malum. Ita Suarez loco cit. disp. 13. sect. 1. num. 26.

16. Si quæras, an electio in illo casu sit valida, posito quòd dicto excommunicato tolerato ab aliquo electore talis exceptio obiiciatur. Respondeo ante electionem posse quemlibet de capitulo taliter excommunicato suam excommunicationem obiicere, & eum à capitulo repellere. Tum quia dicta Extrauag. nullum fauorem fecit excommunicatis, nec vllum ius eis contulit. Tum quia licet permittat aliis communicationem cum excommunicato, neminem tamen ad hoc obligauit; vnde quilibet de capitulo potest eum repellere, nec ipse habet ius aliquod, quo se tueatur. Si verò post electionem fiat dicta exceptio, valida nihilominus est electio, & suffragium excommunicati computatur in numero eligentium, tanquam si excommunicatus non esset, quia licèt quò ad se sit priuatus iurisdictione, quandiu tamen non repellitur, sed toleratur, Ecclesia iurisdictionem supplet: Ita Sigism. loco cit. n. 11. Suar. de cens. disp. 14. sect. 2. n. 18.

17. Sed quid, si vnus, aut duo de capitulo tantùm se opponant, vt talis excommunicatus repellatur, cæteri autem nolint eum repellere, electio nihilominùs secuta erit-ne valida? Dico, quod talis electio erit irritanda, nam in ea admissus est aliquis, qui admittendus non erat contra voluntatem vnius, qui primo cogi non potuit communicare cum excommunicato. 2. quia ius eligendi spectat ad singulos de capitulo pro parte sua; vnde singulorum interest, ne admittantur extranei. Pro quo cito Panorm. in cap. Scriptum, de elect. num. 3. Passarell. in schol. ex Anen. de elect. dub. 6. Vide quæ dico tom. 1. huius op. q. 1. c. 31. §. 8. concl. 9. vide etiam Sigis. loco cit.

18. Sed quid, si aliquis electorum occultè, & solus sciat, aliquem esse excommunicatum, poterit-ne illum eligere? Respondeo si hoc sciat per sacramentalem confessionem, quid possit, & debeat facere, dixi tom. 1. huius op. cit. c. 2. quæsita 1. Si autem extra Sacramentalem confessionem id sciat, distinguendum est. Si enim occultè dentur suffragia, nullo modo eum debet eligere; quia quamvis actus eligendi sit ex publica potestate, quatenus tamen occultè fit, regulatur per scientiam occultam, & personalem: vnde ad quemlibet electorum pertinet informare se de persona eligenda, vt docet Sayrus lib. 1. de cens. cap. 5. num. 34. Si verò electio fiat publicè, & nulla sit alia publica causa sufficiens ad negandum suffragium, denegare non potest. Quia vel cogetur infamare peccatorem occultum, vel scandalum præbere, denegando suffragium ei, cui publicè debetur. Ita Suarez tom. 5. in 3. par. disp. 13. sect. 1. numer. 31. Bonacina de cens. disp. 2. quæst. 2. §. 1. num. 13.

19. Noto 3. quòd qui scienter excommunicato suffragatus fuerit, non solum mortaliter peccat, vt dixi, & docet etiam Sayr. loco cit. num. 33. sed etiam tandiu debet voce actiua priuari, donec veniam consequi mereatur à suo Superiore, vt puniatur in eo, in quo delinquere præsumpsit. Ita in cap. Postulastis, de cler. excom. In capit. verò Cum in cunctis, §. fin. & in c. Cum Vintoniensis, de elect. tales eligentes scienter excommunicatum, seu aliàs indignum, sunt ipso facto priuati pro illa vice potestate eligendi, & per triennium suspensi ab officiis, qui autem ignoranter, nullam pœnam incurrunt, vt Panorm. in dicto cap. Postulastis, numer. 3. Suar. loco cit. num. 34. & num. 27. putat, quòd pœna dicti cap. Postulastis, post Extrau. Ad euitanda, incurri non possit, nisi ab eo, qui scienter eligeret excommunicatum denuntiatum, vel publicum clerici percussorem. Pœna autem capit. Cum in cunctis, est in suo vigore; quia non fertur magis in eligentem scienter excommunicatum, quam in quemcunque alium indignum.

20. Aduerte tamen; quòd ista pœna cap. Cum in cunctis, non habet modò ampliùs locum in electione Superiorum regularium, per cap. Si compromissarius, §. Huiusmodi, de elect. in 6. & docet Glossa in summ. illius c. & Glossa in cap. Quanquam, vers. Secùs, eod. tit. & lib. & Sigismund. de elect. dub. 67. num. 4. Vide Suarez loco cit. disp. 27. sect. 1. num. 35. Barb. in c. cum in cunctis, §. Clerici, n. 35. Alter. tom. 2. disp. 13. c. 1. vers. Dubitatur secundò.

21. Dico 3. Ligatus excom. minori non potest eligi ad dignitates. Ita Suar. tom. 5. in 3. par. disp. 24. sect. 2. num 13. Henriq. lib. 13. cap. 3. §. 3. Sigismund. dub. 65. num. 1. Filiuc. tom. 1. tract. 13. cap. 2. num. 27. Cou. in cap. Alma mater, 1. par. §. 8. num. 3. Less. lib. 2. de iust. cap. 34. dub. 22. num. 116. Azor. instit. mor. par. 2. lib. 6. cap. 7. quæst. 7. Garc. de benef. par. 7. cap. 13 num. 27. Ric. 1. par. prax. decis. 184. num. 169. Lamb. de iur. patr. lib. 2. par. 1. quæst. 9. artic. 1. num. 2. Sayr. lib. 2. de cens. cap 22. numer. 22. Reginald. in prax. lib. 32. tract. 2. num. 143. Constat ex cap. Si celebrat, de cler. excomm. vbi dicitur. Si tamen scienter talis electus fuerit, eius electio est irritanda, pro eo quòd ad susceptionem eorum eligitur, à quorum perceptione à SS. PP. est priuatus.

22. Noto 1. quòd electio excommunicati minori excommunicatione, non est ipso iure irrita, sed irritanda, vt loquitur tex. Atque ita Reginald. loco cit. Barbos. in add. ad dictum cap. Si celebrat. Auila de cens. par. 2. cap. 6. disp. 12. dub. 4. concl. 2. Filiuc. loco cit. n. 31. Suar. cit. num. 21. Vasq. tom. 4. in 3 par. tr. de excomm. dub. 6. num. 12. Less. loco cit. Sayr num. 23.

23. Noto 2. quod talis electio ignoranter facta, siue ignorantia se teneat ex parte electorum, siue ex parte

electi,

electi, siue ex parte vtrorumque ita valida est, vt neq e etiam possit irritari. Constat clarè ex eodem tex. qui dicit, tunc electionem esse irritandam, quando est facta scienter. Vnde colligitur apenè, quòd, si sit facta ignoranter inuincibiliter, neque etiam erit irritanda. Ita Gabriel.*in 4.distinct.* 18. *quast.* 3. *artic.*1. Hostiensis *in summ. lib.* 5. *tit.de cler.excomm.min.* §. *Qualiter puniuntur*, *ad fin. vers. Quid ergo si ignoranter*,& ibi. Quid si alter scit, alter ignorat. Syluest. *verb.Excommunicatio* 4. *num.*4.Vasquez *loco cit.num.*13.Auila *loco cit.concl.*4.Bonac. *de censf.disp.*2.*q.*3.*num.*7. Sigismund. *dub* 65.*in fine*. Pet. Sot. *lect.* 4. *de excom. verf. Restat vt de min.*Sà *verb. Excommunicatio*,*num.*33.Tol. *in sum.lib.*1.*cap.*18 *num.*2. Barbos.*loco cit.vers.Verùm contraria*. Henriquez *in summ. lib.*13.*cap.* 3. §. 3. *& in comm. lit.V.*

24 Noto 3. quòd scienter eligentes excommunicatum minori excom. peccant mortaliter, similiter ipse electus, si se eligi permittat. Ita Pet. Sot.*loco cit.* Auil. *concl.*1. Tol. Henriquez *loc. cit.* Filliuc. *num.* 35. Suar. *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 24. *sect.* 2. *num.* 31. Constat Tum quia æquè priuatur sic excommunicatus sacramentorum susceptione, atque passiua electione, suscipiens autem illa peccat mortaliter, absque difficultate, ergo. Tum quia contrauenire sacris Caonibus in materia graui, peccatum mortale est; & hic sumus in materia graui, vt constat ex eo, quòd talis electio scienter facta, irritanda dicitur. Tum quia facere actionem moralem, quæ iudicanda sit irrita, & ioanis, peccatum est, & graue.

25. Noto 4. quòd excommunicatus minori, non est priuatus, iure eligendi; *dicto cap. Si celebrat*, vbi, *Nec eligere prohibetur, vel ea, quæ ratione iurisdictionis sibi competunt, exercere.* Et hoc est sine controuersia, vt videri potest apud DD. Couar. *in cap. Alma mater, part.* 1. §. 8. *num.* 3. Vasquez *loc.cit.dub.*6. *num.* 11. *vers. De minori.* Sayr.*loc.cit.* Regnald. *num.* 144. Filliuc. *tom.* 1.*tract.* 13.*cap.*1. *num.* 33. vnde eligendo, secundum aliquos nec peccat etiam venialiter,quia nullibi prohibetur. Ita Filliuc. *num.* 34. Henriquez *lib.* 3. *cap.*3.§.1.vbi *in comm.lit.I.*multos citat Nauar.*in man. cap.*27. *num* 24.

26. Noto 5. quòd eligentes scienter excommunicatum minori, secundum Suar. *tom.* 5. *de censf. disp.* 24. *sect* 2. *num.* 22. Auil. *de censf. part.* 2. *cap.* 6. *disp.* 12. *dub.* 4. *concl.* 4. Panorm. *in cap. Si celebrat*, *num.* 8. nullam incurrunt pœnam suspensionis vocis actiuæ. Sed glossa *in cap. Si celebrat*, *num.* 8. nullam incurrunt pœnam suspensionis vocis actiuæ. Sed glossa *in cap. Si celebrat*, *vers. scienter*, sentit incurrere pœnam *cap. Cum iniunctu* §. *Clerici*, de qua dixi *num.* 19. Quod dictum glossæ puto verum, quia illa pœna est Generalis contra omnes eligentes indignum in dignitate canonica. Quod si præfati DD. velint, eam non extendi vltra casus specificatos, dico, quòd ista indignitas clarè reducitur ad illum casum. *Qui etiam vita commendabilis demonstretur*;non enim est vita commendabilis, qui præcepta Ecclesiastica non obseruat. Opinio tamen Panorm. est communior.

§. I.

An suspensus possit eligi ad Prælaturas regulares.

27. Vide Lambert. *de iur. patr. lib.* 1. *part.*1.*quast.* 9. *art.*2. *quast.*2. *art.*3. Castell. *de elect. c.* 5. *num.*15. *&* 55. Less. *lib.*2. *de iust. cap.*34. *dub.*22.*num.* 116. Tol. *in sum. lib.*1. *cap.*45. *num.*8.Rebuff. *in prax. tit. For.& decl. noua prouis. vers. Seq; absoluentes, &c. num.*5. *pag. mihi* 145. Pet. de Baisio *in direct.elect.part.* 1.*cap.*7. Maiol. *de irreg.lib.*3. *cap.*39. *num.*10.Comit. *in resp. mor. lib.*6.*quast.*64. Auil. *de censf.p.*3. *disp.* 2. *dub.* 1. *concl.* 5. Nauarr. *in man. cap.*25.*num.* 134. *& cap.*27.*n.*163.*Vers. Sextò infertur.* Bonac.*de censf.disp.* 3. *quast.* 6. *part.*2. *num.* 11. Sà *in aphor. verb. Beneficium*, *num.*29. *& verb. Suspensio*, *num.* 10. Ricc. *in prax. part.* 1. *decis.* 183.*& part.* 4. *decis.* 343. *num.*2. Rieciul. *de iur. pers.lib.*4.*cap.*3.*num.*9. *& cap.*6.*n.*38. Filliuc.*tom.*1.*tract.* 17.*cap.*2.*num.* 16.25.45.*&* 46.*& tom.*3.*tract. de benef. cap.* 5.*num.* 17. Paris. *de resig. lib.*4. *quast.*3. *à num.*59. *& lib.* 5. *quast.* 6. *à num.* 67. Campanil.*in diuers.iur. rubr.* 11.*cap.*16.*num.*11.*&* 16. Barbos.*in cap. Cum dilectus*, *de consuet. num.*12.Azor. 2.*part.lib.*6.*cap.*7. *quast.*2. Miranda *tom.*2. *man.q.* 25. *art.* 11. *concl.* 5. Sigismund. *de elect. part.* 2. *dub.* 67. Garc. *de benef. part.* 7.*cap.*14. Sayr.*lib.*4. *de censf. c.*6. *num.*4.*&* 7. Pet. Greg. *in decr. tom.* 2. *de elect. cap.* 7. *num.* 7. *& cap.* 9. *num.*20. Suar. *tom.* 5. *in* 3. *par. disp.* 26. *sect.*3. *num.*9. *& sect.*4. *num.*5. *& disp.* 27. *sect.* 1. *num.* 34.

28. Notandum, quod suspensionis varias afferunt diuisiones DD. quarum vnaquæque suum particularem producit effectum, vt videri potest apud Suarez *cit. disp.* 25. *sect.* 1. *num.* 1. Sayr. *lib.* 4. *de censf. cap.* 1. *num.*4. Filliuc. *tom.*1. *tract.*17. *cap.*1. *à num.* 6. Auil. *de censf.par.* 3. *disp.* 1. *dub.* 3. Hic ad meum propositum diuido suspensionem secundum mentem D. Thom. *in* 4. *dist.* 18.*q.*2.*art.*2.*quast* 3.*in addit.ad* 3.*p. q.*22.*art.* 3. *corp.* quòd alia est suspensio ab ordine tantùm, & non à iurisdictione,alia à iurisdictione,& non ab ordine, alia ab vtroque. Suspensio indefinita ab ordine priuat omni vsu ordinum, tum minorum, tum sacrorum, quia æquipollet vniuersali, ac si diceretur; Ab omnibus ordinibus, vt Filliuc. *loco cit. num.* 23. Sylu.*verb.Suspensio*, *quast.* 5. Suarez *loc. cit. disp.*26. *num.*2. Henriquez *lib.*13. *cap.* 32. *num.* 2. Priuat etiam iis actibus, qui sunt necessario connexi cum ordine, vt absoluere in foro pœnitentiali, extremam vnctionem conferre, baptismum solemniter ministrare, solemnem aliquam benedictionem, aut consecrationem efficere? Henriquez *cit. num* 4. *vers. Tertiò*, qui *in com. lit. F.* multos citat Prohibito enim vno, consequenter prohibetur,& illud, quod est connexum cum illo; Glossa in *cap. Studeat*, *d.* 50. *vers. Vt tale.* Non tamen priuat iis actibus, qui sunt iurisdictionis, & non sunt connexi cum ordine, vt censuras ferre, ab iis absoluere, beneficia conferre, iudicare, &c. Suar. *loc. cit. num* 8. Nau. *in man. cap.*27. *num.* 160. Suspensio à iurisdictione indefinitè priuat vsu omnium actuum spiritualis iurisdictionis, vt excommunicare, corrigere, confirmare, beneficia conferre, eligere, iudicare, &c. Ita Filliuc. *loc. cit.num.* 30. Suar. *num.* 16 Suspensio verò ab vtroque priuat omnibus dictis actibus quam suspensionem ait Suar. *disp.* 25 *sect.* 2. *num.*14.esse idem cum suspensione ab officio, de qua *in cap. Sanè*, 2. *de off. deleg. & in cap. Quia pontificali*, *eod. tit. lu* 6. atque ita suspensionem à beneficio, quæ est in iure frequentissima, vt *in cap. Nihil de elect. & in clem.* 2. *de vita, & hon. cler.* non includi in officio. Sed si iurisdictionem subdiuidamus in temporalem,& spiritualem, vt sic posse diuidi constat *ex capit.* 2. *de solut. & ex extrau. Ambitiosa*, *de reb. Eccl. non alien.* vbi dicitur, *A regimine, & administratione suæ Ecclesiæ, seu monasterij,cui præsidet,in téporalibus,& spiritualibus sit eo ipso suspensus*, certum est, quòd temporalis iurisdictionis suspensio nihil est aliud, quàm suspensio à beneficio; Nomine enim suspensionis à beneficio intelligit Suarez *loco cit. num.*11. *& disp.* 27.*sect.*1. *num.* 2. prohibitionem ad percipiendum emolumentum temporalem, seu temporales fructus ad beneficium pertinentes, vt sunt redditus ipsius beneficij, cuiuscumque conditionis sint, siue per modum decimarum, aut oblationum, siue prouentus ex fundis, &c. de quibus Filliuc. *loco cit. n.*44. Apud Regulares dicta suspensio à beneficio priuabit suspensum

suspensum administratione bonorum temporalium, pertinentium ad conuentum, seu Prouinciam, vel Religionem, in qua talis erit Prælatus, siue per modum redituum perpetuorum, siue per modum eleemosynarum, siue per quemcumque alium titulum priuabit etiam prouisionibus, quæ debentur ipsis Prælatis aliquo iusto titulo, vt ratis in Ordine nostro, in quo aluntur; Glossa *in cap. Pastoris, de appel. verb. Subtrahuntur*; Et non solum istis actibus priuat dicta suspensio, sed etiam omnibus aliis cum istis connexis, vt sunt domuum, & prædiorum locationes, fructuum venditiones, debitorum exactiones, rerum temporalium permutationes, contractuum formationes, &c. vt Filliuc. *loco cit. n. 45.* & colligitur *ex cap. 1. §. vlt. de elect. in 6* & docet Suarez *de cens. disp. 27. sect. 1. num. 31. & Tol. in sum. lib. 1. cap. 45. num. 9.* Et ratio desumitur *ex cap. Si celebrat, de cler. excom.* vbi ponitur illa Generalis regula. Cui aliquid vetitum est, etiam illa sunt prohibita, quæ ad illud ordinantur.

29. Dico 1. suspensus siue ab ordine solùm, siue à sola iurisdictione, tam temporali, quam spirituali, siue ab vtrisque est inhabilis ad recipiendas Ecclesiasticas dignitates; quod si per electionem conferantur, electio est ipso iure nulla, & hoc siue suspensio sit à iure, siue ab homine. Ita Filliuc. *tract. 17. cap. 2. num. 16. & tract. 41. cap. 5. num. 15. tom. 3.* Paris. *de relig. lib. 4. quæst. 3. à num. 59. & lib. 5. quæst. 6. num. 82.* Pet. Greg. *de elect. cap. 9. num. 20* Lamb. & alij cit. *num. 27* Constat tum *ex cap. Cum dilectus, de consuet. §. Quia nobis, c. Cum inter R. § fin. de elect. c. Cum bone, de ætate, & qualitate.* Tum quia suspensus non potest exercere vllam dignitatem, seu Prælatiam regularem, quia hæ, vt constat requirunt exercitium ordinum, iurisdictionis temporalis, & spiritualis: ergo ad nullam eligi potest, cum dignitates dentur propter seruitium, seu propter officium, vt dicitur *in cap. Cum secundùm de preb.*

30. Noto 1. quod de suspensione proportionaliter loquendum est, sicut de excommunicatione, vt Paris. *lib. 4. de relig. quæst. 3. num. 61.* & Suarez *tom. 5. de cens. disp. 26. sect. 1. num. 8.* vnde 1. suspensus ineligibilis est, etiamsi sit occultus, & minimè denuntiatus. Ita in specie Aula *de cens. part. 3. disp. 2. dub. 1. concl. 5. vers. Ex his sequitur.* Henriquez *lib. 13. cap. 32. n. 3.* 2. saluatur electio suspensi præsentia, si ante illam fiat absolutio à censuris; Paris. *cit. num. 62.* 3. mortaliter peccat suspensus dignitatem recipiens; Borg. *de irreg. part. 6. tit. de sent. susp. num. 8.* Ric. *tom. 1. prax decis. 183. num. 166.* Nauar. *in man. cap. 27. num. 163.*

31. Aduerte hic, quod in Ordine nostro sacerdotes per ignorantiam non celebrantes, sunt suspensi, seu priuati voce passiua quò ad officia curam animarum habentia; in cæteris autem habiles sunt. Ita definitum est *in cap. Genuen. 5. num. 12.* & declarat Passarell. *in schol. ex Genuen.* Et aduerte, quod per officia curam animarum habentia, intelligo etiam officium Collegatus, & Definitoriatus, nam Collegæ sunt comparticipes officij cum suis Prælatis, & habent decidere multas, & graues causas, immò omnes causas Prouinciæ, si sint Collegæ Prouincialia, & omnes causas conuentus, si sint Seniores. Vnde hæc licèt directè, & primariò non sint officia curam animarum habentia, sunt tamen indirectè, & secundariò, Et hic militat eadem ratio prohibitionis.

32. Dico 2. suspensus, siue à iure, siue ab homine, non potest eligere, & si eligat, electio est nulla. Ita P. Greg. *loc. cit. cap. 7. num. 7.* Barbos. *in cap. Cum dilectus, de consuet. n. 12. & in cap. Quia diuersitatem, de concess. preb. num. 3. & in cap. Cum. inter R. de elect. num. 4.* Riccinl. *de iur. pers. lib. 4. cap. 3. num. 9* Castell. *de elect. cap. 5. num. 15.* Lamber. *de iur. patr. lib. 2. part. 1. quæst. 2. art. 3. num. 2.* Prob. *ex cap. Cum dilectus, §. Quia nobis, de consuet.* vbi Glossa *verb. Cassauimus*, declarat, idest Cassam denuntiauimus; *cap. Cum inter R. seniorem, de elect. cap. Quia diuersitatem, de concess. preb.*

33. Noto 1. quòd hæc conclusio intelligitur de suspenso denuntiato nominatim Filliuc. *tom. 1. tract. 17. capite 3. num. 45.* Henriquez *lib. 13. cap. 33. num. 2.* Suarez *tom. 5. in 3. part. disp. 26. sect. 2. num. 2.* Bonac. *de cens. disp. 3. quæst. 6. part. 4. numero 7.* Sà *in aphor. verb. Suspensio, numero 14.* In occultis enim suspensis, seu toleratis, & non denuntiatis supplet Ecclesia pro bono communi hunc defectum, & *extrau. Ad euitanda*, etiam in hac censura locum habet, vt ibid. Suarez.

34. Noto 2. quòd suspensus toleratus licèt validè eligat, peccat tamen, quia ingerit se actibus, à quibus est suspensus; & cum sit in materia graui, peccatum erit mortale. Suarez *loco cit. num. 1.* Henriquez cit. *num. 1.* Bonacina *cit. num. 1.*

35. Noto 3. quòd conclusio intelligitur de suspenso à iurisdictione spirituali, seu, vt dicunt alij, de suspenso ab officio ratione spiritualis iurisdictionis; nam eligere communiter ad spiritualem iurisdictionem spectat, non ad ordinem; vnde etiam moniales eligunt, *cap. Indemnitatibus de elect. in 6.* & tamen ordinis incapaces sunt. Vnde si sit solum suspensus ab ordine, idest ab exercitio ordinum, seu vt alij dicunt, à diuinis, bene eligere poterit, etiamsi denuntiatus sit. Atque ita Filliuc. *loco cit. cap. 2. num. 25.* Pet. Greg. cit. Henriquez *loco cit. cap. 32. num 4.* Sayr. *lib. 4 de cens. cap. 6. n. 7.* Suarez *de cens. disp. 26. sect. 4. num. 5.* Glossa *in cap. Presbyterum, vers. Habere, dist. 28.* Glossa *in cap. Cum victoniensis, vers. Admiserant, de elect.* & declarauit sacra Congregatio Concilij *Anno 1628. die 22. Augusti* instante Adm. R. P. F. Deodato Lomelino Zeloso Ord. Minim. his verbis. *Quæritur à D.D. VV. Illustr. & Reuer. An Religiosus regularis suspensus à diuinis per annum, possit infra illud tempus habere votum actiuum in electionibus canonicis Superiorum faciendis, cum in sua suspensione non exprimatur illa priuatio voti. Sacra Congregatio Cardinalium Concilij interpretum respondit. Regularem suspensum ad tempus à diuinis, absque expressione priuationis voti, infra illud tempus voce actiua non priuari, ideoque posse votum dare in electionibus Superiorum faciendis. A. Cardinalis Vbaldinus, Franciscus Paulutius Sacr. Congr. Secr.*

36. Noto 4. quod si aliquis sit suspensus à iurisdictione temporali, seu, vt alij dicunt, à beneficio, potest nihilominùs eligere, & interesse illis electionibus, quæ illi competunt ratione iurisdictionis spiritualis, seu officij, à qua non est suspensus; non tamen poterit eligere, seu interesse illis electionibus, quæ illi competunt ratione dictæ iurisdictionis temporalis beneficij v. g. in ordine nostro nullus potest eligere, nisi sit sacerdos, per Reg. *num. 39.* quod est conforme Trid. *sess. 22. cap. 4. de reform.* vbi ordinem sacrum requirit in eo, cui conferendus est actus eligendi, *& clem. Ne in agro, §. Cæterum, de stat. mon.* Vnde constat, quòd ius eligendi nobis Minimis competit ratione ordinis sacerdotalis. Si quis ergo suspendatur ab executione ordinum, est eo ipso suspensus, per *Regul. iure eligendi tam actiuè, quàm passiuè.* Vnde bene puto statuisse Patres *cap. Barch. 1. num. 11.* quando suspensos ab officio sacerdotali per ignorantiam priuauerunt voce actiua, licèt deinde hæc illis fuerit restituta *in cap. Genuen. 5.* vt dixi hic *sup. num. 31.* & solùm nunc sunt priuati voce passiua, quòd quomodò cohæreat Regulæ, nolo hic subtiliter discutere. Nec similiter quomodò præfata declaratio Congregationis nobis Minimis possit adaptari. Solùm moneo, vt hæc saluentur, posse responderi *ad tex. Reg. & Trid.* quòd requirat ordinem sacerdo-

talem

talem io electore, & eligendo, non qoia dictus ordo sit principium talis actus, sed vt electio fiat à persona digniori, & sacerdotali dignitate insignita, alioquin sequeretur, quòd summus Pootifex, vel consuetudo non possent dare ius eligendi oullum sacrum ordinem habenti; quod esse falsum, constat ez declaratione Pij V. quam refert Sigismund. de elect. dub. 91. num. 2. In qoia clerici etiam non subdiaconi, & laïci ad electiones admittuntur in Ordine Minorum; & Fratres Io. Dei, qui laïci sunt, suas electiones faciunt, canonicas. Corrector ergo in Ordine nostro, vt veriùs censeo, sospensus à diuinis, non poterit habere vocem in electione Correctoris, quæ fit die 15. Septembris, quia hoc ius illi competit ratione ordinis sacerdotalis secundum Regulam; bene tamen poterit habere vocem in capitulo prouinciali, quia tale ius illi non competit ratione ordinis, sed ratione dignitatis. (Nisi etiam contendas hoc ius illi competere etiam ratione sacerdotij, saltem remotè) è contra verò si sit suspensus à iurisdictione temporali, seu ab exercitio Correctoriatus, habebit quidem vocem in electione dicti Correctoris, quæ illi competit ratione ordinis sacerdotalis, à quo suspensus non est, non tamen habebit vocẽ in capitulo prouinciali quia hoc ius illi competit solùm ratione Correctoriatus, à quo suspensus est. Atque ita docet in specie Sigismund. de elect. dub. 67. num. 2 Et colligitur apertè ex Suarez loco citat. disp. 27. sect. 1. num. 34. Sayr. lib. 4. de cens. cap 6. num. 7. Henriquez lib. 13. cap. 32. num 4 Nauarr. in man cap. 27. num. 163. vers. Sextò. Tolet. in sum. cap. 45. num. 7. lib. 1.

§. II.

An interdictus possit eligi ad Prælaturas Regularium.

37. VIde Less. lib. 2. de inst. capit. 24. dub. 21. numero 116. Castell. de elect. cap. 5. num. 55. Azor. part. 2. lib. 6. capit. 7. quæst. 2. Garc. de benef. part. 7 cap. 14. n. 5. Lambert. de iur. patr. part. 1. lib. 2. quæst. 9. art. 3. Filliuc. tom. 3. tract. 41. cap. 5. num. 15. P. Greg. de elect. cap. 7. num. 9. & cap. 9. num. 19. Mir. tom. 2. man. quæst. 23. art. 11. concl. 5 Borgas. de irreg. part. 6. tit. de sent. sup. num. 52. Sigism. de elect. dub. 68. Paris. de resign. lib. 5. quæst. 6. num. 85. Comit. in resp. mor. lib. 6. quæst. 64. Rebuff. in prax. tit. Forma, & decl. non. prou. vers. Teque absoluentes, num. 7. Nauarr. in man. capite 25. numero 134. Henriquez lib. 13. cap. 46. num. 3. Pisan. verb. Interdictum 1. §. In quo conueniunt.

38. Dico 1. singulariter interdictus non potest eligi ad dignitates Regularium; quòd si eligatur, electio est ipso iure nulla. Ita P. G. cap. 9. cit. num. 19. & omnes cit. Prob. ex cap. Inter R. de elect. cap. 1. de post. præl. cap. fin. de excess. præl.

39 Dico 2. personaliter interdictus eligere non potest. P. Greg. loco cit. cap. 7. num. 9. Nau. Azor. Less. Mir. Filliuc. Lamb. Pisan. loco cit. Sà in aphor. verb. Interdictum, num. 18. Host. in sum. tit. de elect. §. Quis possit eligere, P. de Baïs. in direct. elect. part. 1. cap. 19. num. 1. Prob. ex dicto c. Cum inter R. & ex cap. Tanta, de excess. Præl.

40. Dico 3. neque etiam eligere, aut eligi potest, qui in loco interdicto scienter celebrauit Pet. Greg. loc. cit. Sigis. loco cit. num. 2. Syl. verb. Elect. 1. num. 15. Tab. eod. §. 16. Lam. loc. cit. num. 1. Castel. de elect. cap. 11. num 10. Pet. de Bais. cit. c. 20. vbi aduertit, quòd sola fama facit in hoc casu probationem sufficientem, vt interdictum Superioris seruetur. Prob. ex cap. 1. de post. Præl. §. Nos igitur, vbi Glossa verb. Personam, c. Is, qui de sent. excom in 6. & ex Glossa fin. in cap. Per inquisitionem, de elect.

41. Dico 4. electio facta in loco interdicto, & tempore interdicti à seruantibus interdictum, valet. Ang. verb. Electio, num. 12. Lamb. loco cit. num. 9. Sigism. de elect. dub. 16. num. 5. de Baïsio cap. 19. cit. num. 2. Prob. Tum quia electio est quidam contractus, qui non prohibetur celebrari in loco interdicto, vt constat ex cap. fin. de sent. excomm. in 6. Tum quia conceditur interdictis celebrare diuina officia, quod est maius, ergo etiam illis concedetur celebrare electionem, quod est minus.

42. Nota tamen, quòd dicta de interdicto procedunt quando interdictum est denuntiatum, vt dictum est de excommunicatione, & suspensione; per sæpè dictam extrau. Ad euitanda. Sà in aphor. verb. Interdictum, num. 3.

§. III.

An irregularis possit eligi ad Prælaturas Regularium.

43. VIde Nauarr. in cap. Si quando, de rescr. n. 10. excep. 10. & lib. 2. cons. de homic. cons. 44. num. 3. & in man. cap. 27. num. 251. & cap. 25. num. 134. Mol. tract. 3. de iust. disp. 78. num. 2. Lambert. de iure patr. lib. 2. p. 1. quæst. 9. art. 4. num. 5. Less. lib. 2. de iust. cap. 34. dub. 22. num. 120. Couarr. in cap. Alma mater, part. 1. §. 7. num. 1. & in reg. Peccatum, 2. part. §. 8. num. 6. vers. Ad idem tendit. Paris. de resign. lib. 4. quæst. 3. num. 32. Azor. p 2. lib. 6. cap. 7. quæst. 2. Riccius in prax. part. 2. resol. 404. num. 1. & 2. & part. 1. decis. 185. Comit. in resp. mor. lib. 6. quest. 64. Sà in aphoris. verb. Beneficium, num. 29. & verb. Irregularitas, num. 4. Suarez tom. 5. in 3. part. disp. 40. sect. 2. à num. 24. Sigismund. de elect. dub. 70. Garc. de benef. p. 7. cap 11. num 2. Petrus Greg. de elect. cap. 9. n. 11. Castellinus de elect. cap. 11. num. 19. Henriquez lib. 14. cap. 2. num. 5. Sayr. de cens. lib. 6. cap. 2. num. 21. & 22. Auila de cens. part. 7. disp. 2. dub. 6. concl. 3. Bonacina de cens. disp. 7. quæst. 1. p. 3. num. 6.

44. Dico 1. irregularis est ineligibilis ad dignitates Ecclesiasticas; quòd si eligatur, electio est ipso iure nulla, Suarez de cens. cit. num. 36. & tom. 4. de relig. num. 24. Sayrus num. 25. Sigismund. num. 2. Bonacina loco cit. & alij omnes. Probatur 1. ex cap. Si eo tempore, de rescr. in 6. & in cap. Is, qui de sent. excom. eod. lib. cap. 2. de cler. pugn. in duel. cap. Studeat, dist. 50. cap. Dudum, el. 1. §. Cum autem, de elect. ibi, Pateretur, vel in ordinibus. Trid. sess. 22. de ref. cap. 4. Inter cæteras enim habilitates canonicas, quæ ibi requiruntur, comprehenditor, quòd non sit irregularis. 2. quia irregularis est suspensus ab officio, cuius causa datur beneficium; cap fin. de rescrip. in 6.

45. Noto 1. quòd dicta conclusio procedit etiam in ignorante suam irregularitatem, vt sup. dixi de excommunicato. Ita Comit. loc. cit. num. 1. Riccius 1. part. prax. decis. 185. num. 174. Auila loco cit. dub. 7. concl. 3. Bonacina de cens. disp. 7. quæst. 1. part. 3. num. 6. Citatur etiam Nauarr. in sum. cap. 25. num. 134. sed ipse loqoitur de ignorante suam irregularitatem per ignorantiam crassam, vt se declarat c. 27. n. 244. Nos autem per probabilem; hoiusmodi enim ignorantia non reddit subiecta capax.

46. Noto 2. quòd dictus irregularis eligi non valet, etiamsi præcedat absolutio à censuris per clausulam Teque absoluentes; quia debet fieri expressa mentio de irregularitate secundum Nauarr. in sum. cap. 27. num. 254. Paris. de resign. lib. 4. quæst. 3. à num. 40. in dicta autem clausula non fit nisi tacitè mentio de irregularitate, per illa verba A pœnis. Sed tu dic, quòd sufficit ad tollendam irregolaritatem ad effectum electionis, quòd præcedat absolutio, siue facta sit à Papa, siue ab

alio

alio quocumque babente auctoritatem dispensandi super irregularitatibus, cum clausula, *A censuris, & pœnis*; Nam eadem, & expressi eadem est ratio. Et Nauat. non loquitur in istu casu, immò ait Suarez *tom. 5. in 3. par. disp. 40. sect. 2. numero 34.* quòd Summus Pontifex sciens aliquem esse irregularem, si ei nihilominùs dignitatem conferat, censetur ipso facto dispensare.

47. Noto 3. non esse morandum in eo, quòd Prælaturæ regulares non sint propriè beneficia Ecclesiastica, & iura, & DD. cit. de dictis beneficiis loquantur. Nam, vt bene Suar. *tom. 4. de relig. cit. num. 24.* esto quòd Prælatio regularis non sit propriè beneficium quò ad temporalem annexum, & tamen quò ad ius spirituale circa curam animarum, & in omni rigore est dignitas, vt *in cap. 1. de fil. presb.*

48. Dico 2. irregularem non posse eligere. Lambert. *loco cit. num. 6.* Sylu. *verb. Electio 1. quæst. 4. fin.* Io. Andr. *in cap. Ne pro defectu, de elect. num. 23.* Monach. *in cap. Is, qui, num. 4. de sent. excom. in 6.* vbi glossa *fin.* Probant *ex dicto cap. Is, qui,* vbi dicitur, *Is, qui scienter in loco celebrat supposito interdicto, irregularitatem incurrit, a qua nequit per alium, quam per Romanum Pontificem, liberari; & adeò efficitur ineligibilis, quod nec ad eligendum cum aliis debebit admitti.* Alij autem, vt Suarez *tom. 5. de cens. cit. num. 27.* Filliuc. *tom. 1. tract. 19. cap. 3. n. 75.* Bonac. *de cens. disp. 7. quæst. 1. par. 3. num. 18.* Sigism. *de elect. dub. 70. num. 8.* Nauarr. *in man. cap. 27. num. 244.* dicunt, quòd irregularis non est priuatus iure eligendi. Probant, quia irregularis non priuatur iurisdictione, ad quam pertinet ius eligendi. Tum quia irregularitas solum priuat ordinum receptione; *c. Curandum, dist. 34.* aut vsu iam receptorum; *cap. vlt. de temp. ord.* & est communis opinio, vt Suar. *loco citato n. 1. & 4.* Filliuc. *num. 59.* & 62. Tum quia irregularitas non priuat ipso facto dignitate obtenta; *c. Ex literis, de excess. Prælat. c. Fraternitati de cler. exc.* Suarez *loco citato, num. 15.* Filliuc. *num. 68.* Auila *de cens. par. 7. disp. 2. dub. 6. concl. 4.* Tum quia non priuat administratione dignitatis in iis, in quibus non est annexum exercitium ordinis, nec iurisdictione fori contentiosi, ea beneficio proueniente, vt *c. In cunctis, de excess. Prel.* Suar. *loco citato, n. 23. & 24.* Filliuc. *n. 73. & 74.* ergo neque iure, quod ad ordines nullo modo spectat. Verum ista doctrina mihi placere non potest, propter tex. *clarum in dicto c. Is, qui.* Vnum hic aduerto, quòd ad hoc vt irregularis à capitulo excludatur, debet esse denuntiatus, vt supra dixi de aliis censuris, propter *dictam extrau. Ad euitanda*, quam puto etiam habere locum in irregularitate per illa verba, *Suspensionis, aut interdicti, & ibi, inhibitionis à iure, vel ab homine.*

§. IV.

Vtrum infames possint eligi ad Prælaturas regulares.

49. Vide Sanchez 5. *in decis. cap. 5. num.* 24 Pen. *in l. Infamia, Cod. de decur. lib. 10. & in l. 2. Cod. de dign. lib. 12.* Syluest. *verb. infamia, quæst. 3* Lambertin *de iur. patr. lib. 2. par 1. quæst. 9. artic. 16.* Castell. *de elect. capit. 11. num. 58.* Maiol. *de irregul. lib. 3. cap. 1. num. 2.* Riccius *tom. 1. prax. decis. 676 numero 4.* Bonacina *de cens. disp. 7. q. 3. p. 1. num. 11.* Azor. *par. 2. lib. 6. cap. 7. quæst. 5.* Duar. *lib. 4. de benef. cap. 1.* P. Greg. *de elect. c. 9. a num. 13.* Paris. *de resign. lib. 4. quæst. 3. n. 43.* Garc. *de benef. par. 7. cap. 8. à num. 38.* Sigismund. *de elect. dub. 86.* Filliuc. *tr. 41. cap. 5. num. 14. tom. 4.* Suarez *tom. 5. in 3. p. disp. 48 sect 1. num. 16. & sect. 2. num. 2.* Borgas. *de irreg. par. 6. tit. de infamibus, num. 1. & 3.* Barb. *de off. ep. par. 2. alleg. 42. num. 19* Auil. *de cens. par. 7. disp. 4. dub. 7. conc. 4. vers. Ex dictis collig.* Titaq; *de nob. cap. 28. n. 2.* Grat. *discep. for. tom. 2. c. 284. num. 23.* Tab. *verb. Infamia, num. 11.* Tol. *in sum. lib. 1. cap. 62. à num. 1. fine,* Camp. *in diu. iur. rubr. 11. c. 18.*

50 Noto 1. quòd duplex est infamia. Alia iuris, alia facti. Infamia iuris incurritur per delictum, cui à iure, siue ciuili, siue canonico, imposita est infamiæ pœna, & incurritur quando delictum est declaratum per sententiam definitiuam iudicis procedentis, siue per modum accusationis, siue per modum inquisitionis, aut per confessionem ipsius rei, in legitimo iudicio, non extra illud, factam: *cap. Testimonium, de test.* Ita Suarez *disp. 48. cit. n. 6.* Filliuc. *tract. 19. cap. 8. num. 204. vers. Tertia diuisio* Sayr. *de cens. lib. 7. cap. 11. num. 3.* Barbosa *loco cit. n. 19.* Sigismund. *loco citato, n. 2.* Bonac. *cit. n. 2.* Sylu. *verb. infamia; quæst. 5. num. 8.* Auil. *loco cit. dub. 5. in princ.* Si verò delictum est occultum, & ius apponat pœnam ipso facto incurrendam, dubitant DD. an dicta pœna incurratur ante iudicis sententiam: Couar. *lib. 3. var. cap. 3. num. 1. verb. scribit tamen*: Henriquez, *lib. 14. cap. 5. n. 3.* Auil. *loco cit.* Salz ad Diaz, *cap. 73. lit. D.* Nauarr. *in man. cap. 27. num. 248.* contra multos, quos refert, & sequitur Sigismund. *loco cit. n. 3.* dicunt quòd non incurritur, sed quod requiritur omninò notorietas, qua posita, statim incurritur dicta infamia, absque alia declaratione iudicis, quia, aiunt, sicut fama oritur ex publica bonorum operum notitia, ita & infamia oriri debet ex publica perpetrati criminis notitia; Ego his DD. assentior, quatenus dicunt; quòd infamia non incurritur per delictum occultum; dissentio tamen, quatenus dicunt, quòd data notorietate, statim incurritur ante iudicis sententiam: Existimo enim, quòd infamia iuris nunquam contrahatur, nisi post iuridicam declarationem criminis, quòd si crimen sit notorium, iam non est ampliùs infamia iuris, sed facti, vnde parit effectus infamiæ facti non iuris: atque ita Azor *tom. 1. lib. 8. c. 13. q. 8. vers. Sed verius est*; Sanc. *lib. 2. in dec. c. 26. n. 1.* Farin. *tr. de her. q. 189. n. 56.* Sa *verb. Infamia, num. 2.* Zerol. *in prax. par. 1. verb. Priuatio, in princ. & ad 5.* Arag. 2 2. *quæst. 11. art. 3. col. antep. vers. secunda*, & alij penè innumeri, quos cumulat Garc. *de benef. par. 11. c. 10. n. 8.* licèt ipse non sequatur *num. 18.* Infamia facti est, cum quis committit delictum ita manifestè, & notoriè, vt apud graues, & honestos viros reputetur infamis. Et aduerte, quòd si delictum ita manifestè commissum non habet iure annexam infamiam, quantumvis publicum, & manifestum sit, illam non generat, vt Suar. *loco cit. num. 11.* Filliuc. *n. 204.* Coninck *disp. 18. de irreg. dub. 7. num. 57.* Sigismund. *loco cit. num. 4.* & latè prosequitur Sayr. *de cens. lib. 7. cap. 11. num. 14.* Ratio desumitur *ex cap. Is, qui, de sent. exc. in 6.* vbi definitur, quod nulla irregularitas incurritur, quæ non sit determinata in iure; & probat Garc. *de benef. part. 7. c. 8. n. 64.* ergo à simili, nec vlla infamia, quæ iure non fulciatur.

51. Si autem quæras, quænam crimina iure ciuili, vel canonico annexam habeant infamiam? adi Maiolum, *de irregul. lib. 3. cap. 1. à n. 4.* Azor. *tom 2. lib. 6. cap. 7. quæst. 3. vers. Sed quinam.* Borg. *de irreg. p. 6. tit de infamibus, n. 5.* Bonac. *de cens. disp. 7. quæst. 3. par. 1. num. 2.* Coninch. *loco cit. num 56.* Adi etiam *cap. Infames, 6. quæst. 1.* Breuiter dic, quòd infames dicuntur periuri in iudicio, simoniaci, sodomitæ, vsurarij, sacrilegi, duellantes, hæretici, eorumque fautores, raptores mulierum, apostatæ à fide, lenones, maledici, venefici, adulteri, qui fratres calumniantur, & non probant, vel qui contra innocentes Principum animos ad iracundiam prouocant, &c. Vide Sayr. *loc. cit. num. 10.* & P. Greg. *de elect. cap. 9. n. 13.*

52. Si etiam quæras, quodnam reputetur delictum sufficienter publicum ad inferendam infamiam iuridicam facti? Respondetur à Suar. *loco citato, num. 19.* & Filliuc. *num. 211.* tria requiri, 1. quòd personæ habentes notitiam delicti, non sint leues, fatuæ, & malæ opinionis, sed sint viri cordati, prudentes, & bonæ opinionis; non enim sufficit ad istam infamiam inducendam, quòd maleuoli, inimici, inuidi, etiam si plures sint, vanos rumores spar-

gant contra famam virorum honoratorum, nam tunc parum nocent. *L. 1 § Præterea ff. de quæst. cap. Accusatoribus*, 3. *quæst*. 5. Isti enim nec Christo Saluatori nostro pepercerunt, vocantes eum aliquando voracem. *Io*. 9. aliquando dæmoniacum. *Io*. 7. Apostolos vocauerunt ebrios, insanos, *Act*. 2. *&* Paulus 2. *Cor* 6 in prædicatione euangelij se per bonam, & malam famam currere asseuerabat. Vnde *in capit. Sunt plurimi*, 6. *quæst*. 1. dicitur, quòd aliquando etiam viri probi hac infamia laborarunt, quod Deus permittit ad purgandam aliquam culpam, quam hi fortè contraxerunt, audientes ex ore hominum suæ sanctitatis laudes, vel aliam quamcumque, quod contigit Paphnutio, qui furti falsò accusatus fuit. Item, & Ephræm; & Marinæ, ac Theodoræ, quæ fornicationis, & sacrilegij falsò insimulatæ sunt. Item Sancto Romualdo, qui infamis sodomiæ scelere in senectute decrepita accusatus fuit, vt refertur *in tract annexo spec. Relig. Humb.* in quo agitur, vbi, & quando suum honorem tueri Religiosus debeat. Quam doctrinam sequuntur Sigismund. *de elect. dub*. 86. *num*. 6 *verb. Ex hac conclus.* Barbosa cum multis, *de pot. episc. par. 2. alleg*. 43. *num*. 17. P. Greg. *tract. de elect. cap. 9. num*. 14. Diaz *in pract. cap*. 151. *num* 8. Sà *in aphor. ver. infamia, num* 1. Et notat Diaz. *loco cit*. quòd quando infamia ortum habuit ab infamibus, & maleuolis, nec pro ea abolenda indicenda est purgatio canonica, nisi sit in casu, quo scandalum gigneret: ita *num*. 9. Cum vero ista purgatio canonica modò in vsu ampliùs non sit, nec ob humanam malitiam tutum sit ea ampliùs vti, vt notat Salz. *ad dictum cap. Diaz in fine*, isto casu putarem, quòd in Religionibus, ad consulendum communitati, & indemnitati infamati prospiciendum, Prælatus coram suis fratribus declararet, sparsum rumorem contra famam talis fratris fuisse, & esse falsum, & sparsum ab inuidis, & maleuolis; & hoc puto sufficere ad infirmandam infamiam facti ex hoc capite. Facit pro hoc puncto Lambert. *de iur. patr. lib. 2. par. 1. quæst. 9. art. 16. num*. 5. qui addit, ad id etiam teneri Prælatum, quando infamia à maleuolis orta est, vel dubitatur, cum ignoretur auctor. Secundum, quod requiritur, est, quod delictum sit publicum, vel in tota communitate, vel in maiori eius parte, ad quam spectet talis cognitio. Communitas autem, vt delictum possit dici publicum, debet constare ex decem saltem personis, vt Nauarr. *in sum. cap. 27. num*. 255. Angel. *verb. Notorium, n*. 1. Sylu. *eod. q*. 4. Ita Suar. *n*. 20 Tertium, quòd necessariò requiritur ad inducendam infamiam facti, est notorietas. Ita Auil. *de cens. par. 7. disp. 4. dub. 5. ante 1. concl.* Et ratio est: Quia sicut bona fama fundatur in vera, & reali euidentia bonorum operum; ita & mala debet fundari in reali, & vera euidentia malorum. Pro quo nota, quòd Nauar. *in sum. c. 17. num*. 255. ait, quòd publicum est triplex, scilicet notorium, quòd nititur scientia totius, vel maioris partis communitatis. Manifestum, quod nititur fama maioris partis communitatis, orta à scientibus. Et famosum, quod nititur fama maioris partis, orta ex vno sciente, vel indiciis, vel præsumptionibus illi æquipollentibus: Dico itaque, quòd ad hoc vt aliquis debeat dici infamis infamia facti, & pati ea, quæ dicta infamia patit, crimen ab eo commissum debet esse notorium modo dicto, ita vt tota, vel maior pars communitatis tale delictum viderit, vel singulariter, vel vniuersaliter, iuxta dicta per Mascard. *de probat. concl*. 896. *num*. 3. & Farin. *par. 1. prax. tract. de indict. & tort. q. 47. num*. 304. Aut saltem debet esse manifestum: Nec enim adduci possum, vt credam, quòd dictum vnius viri, quantumuis existimati probi, possit sufficere ad infamandum aliquem infamia facti. Tum quia potest hic existimatus probus, interiùs esse malus, & inimicus infamati, iuxta illud, *Veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*: Tum quia si esset probus, delictum occultum fratris non manifestaret, nisi seruata forma euangelij. Tum quia sicut ad aliquem puniendum non sufficit dictum vnius testis, quantumuis grauissimi, vt dixi *tom. 2. prin. in const. 3. Greg. XV. à num*. 3. iuxta illud: *In ore duorum, vel trium stat omne verbum*. Ita non video, quare ad arcendum aliquem à Prælaturis debeat sufficere dictum vnius viri, quantumuis grauissimi, receptum à multis, ex quo resultet infamia facti. Nisi forte dicatur, quòd ista non sit grauissima pœna viris honoratis? Quare in præsenti saltem materia non assentio opinioni illorum, qui dicunt ad inducendam infamiam facti satis esse, delictum esse famosum; præsertim in Religionibus, & specialissimè quando agitur de aliquo eligendo in Prælatum.

53. Si quæras, quomodo probetur ista infamia tam iuris, quàm facti? Respondetur quòd ad probandam infamiam iuris, non sufficit ipsius criminis probatio, sed requiritur proprij oris delinquentis confessio, in iudicio facta, vel iudicis sententia; quia non habetur quis pro tali, nisi fuerit pronunciatum eum esse talem. Ita Farin. 1. *par. prax. de delict. & pœn. quæst*. 23. *num*. 33. Et dum prætenditur, aliquem incurrisse hanc infamiam, non sufficit testibus probare, latam fuisse contra eum à tali iudice, tali tempore infamiæ sententiam, sed debet de illa sententia omninò constare. Ita Campanil *in diuer. iur. rubr*. 11. *cap*. 18. *num*. 8. Barbosa *de off. Ep. par. 2. alleg*. 43. *num*. 16. vbi addit, non probari dictam infamiam, etiamsi probetur, aliquem ductum esse ad furcas, nisi producatur ipsa sententia: Infamia verò facti probatur per duos testes habiles, etiam singulares, qui sint contestes in specie irrogatæ infamiæ; & debent dilucidè probare factum, ex quo infamia orta est. *cap. Præsentium*, §. *Testes, de test. in 6. c. Vt circa, de elect. in* 6. Nec sufficit dicere, quòd de hoc sit fama publica in tota communitate, quia de voce populi curandum non est, *leg. Decurionum, Cod. de pœn. cap. Ossius, de elect.* Sed debet reddere rationem sui dicti, & nominare auctores à quibus id audierunt: Ita Farin. *par. 1. prax. tract. de ind. & tort. quæst*. 47. *à numero* 302. Mascar. *de prob. concl*. 396. *per totam*. Hi autem nominati debent examinari, & interrogari, à quo tempore orta fuerit hæc fama, & qua de causa, vt notat Ghisiler. *de ind. reg. c*. 16. *num*. 93.

54. Dico 1. infamis tam infamia iuris, quàm facti, est ineligibilis ad Prælaturas regulares; quod si eligatur, electio est ipso iure nulla: Ita Auila *de cens. par. 7. disp. 4. dub. 7. concl. 4. verb. Ex dictis sequitur*: Sylu. *verb. Infamia, quæst. 10. numero 15. & quæst. 3. numero 4.* Angel. *eodem, numero 3. & 9.* Fab. *eodem numero* 11. P. Greg. *de elect. cap. 9. numero 13. & tract. de benef. cap. 37. numero* 9. Archid. *in cap. Testes, num*. 82. *quæst* 7. Abb. *in cap. Querelam, de iur. num*. 3. vbi Felin. *num. eodem*. Rom. *sing*. 510. Penna *in l. Infamia, col. 2. Cod. de decur. lib*. 10. Lambertinus *de iur. patr. lib. 2. par. 1. quæst. 9. art. 16. num*. 3. Suarez *tom. 2. de religion tract. 5. lib. 3. cap. 20. num*. 17. Sigismund. *de elect. dub. 86. num*. 5. Castel. *de elect. cap. 11. num*. 38. Campanil. *in diuer. iur. rub. 11. cap. 18 num* 2. Iac. A S. Gior. *in l. Testium fides*, §. *in lege Iulia, num. 35. ff. de test.* Henriq. *lib. 14. c. 5. num*. 3. Constat 1. *ex reg. 86. Infamibus, de reg. iur. in 6.* vbi dicitur. Infamibus portæ non pateant dignitatum, *cap. Infames, 6. quæst. 1. cap. Cum in Cunctis, de elect. cap. Laici, dist. 33. cap. vltim. iuncta glossa, verb. infamia, de furtis; cap. Qui in aliquo, iuncta glossa, verb. infamia, distinct. 51. leg. 2. Cod. de dignitat. lib. 12. & l. Infamia, Cod. de decur. lib*. 10. Constat 2. quia infamia facit irregularem; Garc. *de benef. p. 7. cap. 8. n*. 44. vnde nec possunt ordines suscipere, Campanil. *loco citato, n*. 1. Barbosa *de potest. Episc. alleg*. 43. *num*. 29. neque in susceptis ministrare; Campanil. *num. 7. vers. Hac autem, & num*. 21. Sylu. citat. *quæst. 3. numero* 6. Aug. *cit*. §. 3. *&* 8. Tab. §. 4. Specul. *lib. 1. tit. de disp*. §. 4. *num*. 18. Sed collatio beneficij facta irregulari est nulla, vt dictum est §. 3. *num*. 44. 3. quia infamatus infamia

iuris

iuris modo declarato *num.* 50. est ipso facto priuatus dignitatibus, vt Sylu. *verb. infamia. quæst.* 10. *num* 15. Ang *eodem num.* 9. Tab. §. 4. Garc. *loco citato, num.* 33. Barbosa *num.* 19.

55. Dico 2. infames tam iuris, quàm facti, modis supradictis, non possunt eligere. Ita Suar. *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 48. *sect.* 3. *num.* 2. *fine*; Sigismund. *loco cit. n.* 7. Glossa *in cap. Vt circa vers. Eligentium, de elect. in* 6. Probatur ratione dictæ glossæ, quia infamibus sunt interdicti actus legitimi; *l. Actus, ff. de reg. iur. c. Sciscitatus, de rescript. cap. Infamis*, 3. *quæst.* 7. Pen. *l.* 2. *in fine, Cod. de dig. lib.* 12. sed eligere est actus legitimus, *cap. Solet, de sent. excom. in* 6. *fine.* Contrarium tamen censet Lambert. *loco citato.* Sed intellige, quando infamia non fouetur iure, vt declarat Sigismund. *loco citato, num.* 8.

§. V.

Vtrum aleatores, & ebrij sint eligibiles ad Prælaturas Regularium.

56. Dico 1. publicus aleator est ineligibilis ad Prælaturas regulares; quòd si eligatur, electio est ipso iure nulla: Ita *Ric.* 2. *part. prax. resol.* 119. *num.* 2. Pasis. *de resig. lib.* 4. *q.* 3. *num.* 67. Panor. *in cap. Inter dilectos, de excess. Præl. num.* 6. Tab. *verb. Ludus, num.* 7. Castel. *de elect. cap.* 4. *num.* 58. P. Greg. *de elect. cap.* 12. *num.* 4. *& cap.* 9. *num.* 22 *& lib* 39. *synt. cap.* 3. *num.* 14. Farin. *in prax. part.* 3. *quæst.* 109. *num.* 96. Menoch. *de arb. lib.* 2. *casu* 399. *num.* 3. Barb. *de pot. ep. part.* 2. *alleg.* 43. *num.* 11. Maiol. *de irreg. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 7. Diaz *in pract. cap.* 72. *num.* 2. Campanil. *in diu. iur. rubr.* 4. *num.* 32. Medic. *in sum. pec. cap. tit.* 7. *de gula, quæst.* 13. Prob. 1. *ex c. Inter dilectos, de excess. Præl. iuncta glossa verb. Aleatorum, & ex cap. Clerici, de vit. & hon. cler. elect.* 2. *& ex cap. Episcopus, dist.* 35. qui canones innouantur in Concil. Trid. *sess.* 22. *de refor. cap.* 1. vbi; *vt quæ aliàs*, & *sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.* ibi, *ab illicitis*, 2. Prob. quia tales publici lusores reputantur infames, vt dixi *supra hac quæst. cap.* 2 §. 5. *num.* 93. & vt tales priuantur sacra communione, Menoch. *loco cit. n.* 6. Henriquez *lib.* 8. *capite* 56. *numero* 4. & quòd priuati sacra communione sint infames, Duaren. *lib.* 4. *de beneficio cap.* 1. *fine.*

57. Dixi, Publicus aleator, 1. ad significandum, quòd conclusio intelligitur de eo, qui consuetus est ludere, non de eo, qui vna, aut aliquibus vicibus lusisset, vt colligitur ex illis verbis *cap. Episcopus cit. deseruiens, & desinat*, nec dicitur publicus aleator, nisi sit consuetus ludere; Abbas *in cap. Clerici, elect.* 2. *cit. num.* 11. Menoch. *loco cit. num* 19. Farin. *cit. n.* 102. 2. quia electio secreti aleatoris non est ipso facto nulla, potest tamen irritari, si monitus non resipiscat, vt dicunt omnes DD. cit. & probat *c. Episcopus, dist.* 33. & docet etiam P. Damian. lib. 1. ep. 10. ad Alexan. II. *Præsertim cum canonica decernat auctoritas, vt aleatores Episcopi deponantur*: Quod dictum intellige, vel de secreto aleatore, vel de eo, qui habens beneficium, aleis etiam publicè ludit; nam non est priuatus ipso facto, sed priùs monendus est, vt Abbas *loco citato*, & Lambert. *de iure patr. lib.* 2. *quæst.* 2. *art.* 9. *num.* 10. *part.* 1. Farin. *loco citato*, vbi plures. Et quòd pœnæ contra aleatores inflictæ, multò magis habeant locum in Religiosis, Farin. *loco citato num.* 98.

58. Dico 2. vino deditus, & inebriare se consuetus, ineligibilis est ad Prælaturas regulariũ, quòd si eligatur, electio est ipso iure nulla. Cened. *collect.* 33. *ad decretum, num* 4. Aldret *de discipl. tuend. lib.* 2. *cap.* 15. *n.* 40. Barb. *de off. ep. part.* 2. *alleg.* 28. *num.* 11. *& in cap. A crapula, de vi. & hon. cler. num.* 1. Menoch. *de arb. lib.* 2. *casu* 104. *n* 4. Salz ad Diaz, *cap.* 81. *vers. Vndè consuetus.* Rebuf. *in praxi, tit. de cler. ad sac. ord. mal. prom. gloss.* 4. *n.* 5. Host *in sum. lib.* 1. *tit. de temp. ord. num.* 17. Sayr. *de cens. lib.* 5. *c.* 31. *num.* 12. Tabien. *verb. Ebrietas*, §. 4. Maiol. *de irreg. lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 1. Specul. *lib.* 1. *tit. de dispens.* § 4. *n.* 6. P. Greg. *de elect. cap.* 12. *n.* 3. *& lib.* 39. *synt. c.* 8. Sigismun. *de elect. dub.* 89. *num* 8. Medic. *in sum pec. cap. tit.* 7. *de gula, q.* 13. Gutier. *can. q. lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 65.

59. Prob. 1. *ex cap. A crapula, de vi. & honest. cler. & cap. Episcopus, distin.* 35. Qui canones innouantur in Concil. Trid. *sess* 22. *de refor cap.* 1. *& sess.* 24. *cap.* 12. *eod. tit.* Quibus cap. licèt solùm dicatur, quòd clericus ebrietati deditus, nisi monitus destiterit, officio, vel beneficio priuetur; quia tamen magis est, aliquem officio priuare, quàm ad illud non assumere, iuxta illam *reg. Facilius abdicatur à nobis ius quærendum, quàm ius quæsitum, l. Si sponsus, §. Si maritus, ff. de donat. inte. vir. & vxor.* Quam regulam ad hoc probat Abbas *in cap. Super eo, de elect. num.* 2. Campanil. *in diu. rubr.* 11. *cap.* 17. *num.* 172. Lambertin. *de iur. patr. part.* 1. *lib.* 2. *q.* 9. *art.* 16. *n.* 3. *& art.* 15. *num.* 4. *& art.* 23. *num.* 3. qui ad id etiam adducit illud *ex cap. Quemadmodum, de iur. iur.* Turpiùs eijcitur, quam non admittitur hospes. Ideò dixi, quòd non potest ebrius ad dignitates assumi. Et quia per easdem regulas facilius est assumptum ante confirmationem deijcere, quam post; ideò etiam dixi, quòd electio ex illo cap. est ipso iure nulla.

60. 2. Prob. quia pari passu currunt ebrius, & aleator; vt constat *ex cap. Episcopus, d.* 35. vbi æquiparatur clericus ebrius clerico lusori; ergo eodem modo de vtrisque dicendum est, sed de lusoribus diximus, quòd ineligibiles sunt, & electio nulla; ergo etiam de his.

61. 3. Prob. quia ebrius est irregularis, Gutier. *can. quæs. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 80 Spec. *lib.* 1. *tit. de dispen.* §. 4. *n* 6. Burg. *de irreg. part.* 1. *quæst.* 7. *num.* 18 Rebuff *in prax. tit. de cler. ad sac. ord. malè prom. glos.* 4. *num.* 8. Barbosa *loco cit.* Contz *lib.* 6. *pol. cap.* 10. §. 7. Et prob *ex cap. Episcopus, iuncta glossa in sum. dist.* 35. Quod cap. fuit desumptum ex canonibus Apostolorum, *can.* 42 *&* 43.

62. 4. Prob. *ex cap. Inter dilectos, de excess. Præl.* in quo dicitur, quòd personis vilibus portæ patere non debent dignitatum. At ebrij personæ viles sunt, vt constat. Tùm quia reputantur infames, vt dicit Mol. *tract.* 2. *de iust. disp.* 159. *vers. Nihilominus*; vndè etiam excluduntur à testimonio ferendo. Farin. *lib.* 2. *cons. cons.* 141. *n.* 4. Mascar. *de prob. concl.* 580. A. Gabriel. *comm. op. lib.* 4. *tit.* 10. *de test. num.* 154. Gutier. *loco citato, num.* 109. Tum quia ebriosi omni vitiorum genere sunt conspurcati, vt *in cap. Ante omnia, dist.* 35. Tradit Campanil. *in diuers. iur. rub.* 4. *num.* 7. Et valet consequentia, Ebriosus est. Ergo luxuriosus, *cap. Luxuriam, dist.* 35. *cap. Venter*; *cap. Luxuriosa, d. ead.* vnde 1. *Cor.* 5. vetatur cum his, tanquam infamibus, vilibus, & scandalosis, cibum sumere; & habetur *in cap. Ad mensam* 11. *quæst.* 3.

63. 5. Prob. ex 1. ad Tim. 3. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum, sobrium, pudicum, prudentem, ornatum, hospitalem, doctorem, non violentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, sed suæ domus bene præpositum, non neophytum*, Quas conditiones sic conclusit Host. in sum. lib. 1. de temp. ord. §. Et cui, num. 7.

Primum præcipitur, quod sit sine crimine Præsul.
Monogamus, sobrius, prudens, ornatus, & hospes.
Casta decens, non percussor, non litigiosus.
Non cupidus bene dispositus, non neophytusvà.
Talis apostolica quodprasit regula iussit.

Quas ipse conditiones sigillatim prosequitur, & Barb. *p.* 1. *de off. ep. tit.* 2 *à gloss.* 3. *vsque ad finem.* Contz 6. *pol. c.* 10. *à* §. 4. Maiol. *de irreg. lib.* 5. *à cap.* 2. Raym. *in sum. lib.* 3. *de qual. ord. à* §. 2.

64. 6. Prob. *ex l. Omne delictum §. Per vnum, ff. de re mil.* vbi miles terrestris militiæ ebriosus exauctoratur, & militia priuatur. Ergo multò magis miles cælestis mili-

tiæ ebriosus eligi non potest ; & si eligatur, stat in est deponendus. Hanc l. ad hoc propositum afferunt Petr. Greg. *lib.* 39. *synt. cap.* 8. *num.* 3. Abb. *in cap. A crapula, de vi & hon. cler. num.* 3. Gutierrez *lib.* 2. *can. quæst. cap.* 4. *num* 61. Menoch. *de arb. lib.* 2. *casu* 404. *num.* 5. quem adi *casu* 405. si cupis scire, qua pœna puniendus sit, qui ob ebrietatem sacram Eucharistiam euomit. Et vide etiam *casu* 406. si optas scire, qua pœna puniendus veniat, qui ante dormitionem missam celebrauit. Et denique, si scire desideras, qua pœna puniatur sacerdos celebrans non jeiunus, adi Guttierrez *loco citato à num.* 75.

65. Noto 1. quòd dixi in conclusione, *Se inebriare consuetus*; Ad excludendos eos, qui semel, aut aliquibus vicibus inebriantur. Quod significat nomen *Vinolentum*, vt declarat Grat. *in princ. dist.* 35. Quare pœnæ inflictæ in Ordine nostro contra vinolentos in Correct. *n.* 55. non habent locum, nisi in vinolentia consuetudinaria, & affectata, vt extitit declaratum *per const.* 17. *Iuly II.* §. 10. *tom.* 1. *nostr. priu.*

66. Noto 2. quòd Prælatus habens dignitatem ante ebrietatem acquisitam, si se inebriet, non potest statim ea dignitate priuari, sed debet prius moneri bis, aut ter coram fratribus, vt se abstineat. Quòd si dictis monitionibus peractis, adhuc perseuerauerit, poterit, & debebit Prælatura priuari. Ita *in cap. Sacerdos, dist.* 35. *& in cap. A crapula, de vit. & hon. cler.* vbi Abb. *num.* 3. Host. *in summ. loco citato n.* 17. Tab. *verb. Ebrietas*, §. 5. Petr. Gregor. *loco citato num.* 3. Gutierrez *cit. num* 65. *& 66.* Et in nostro Ordine id expressis verbis statuitur *dicto num.* 55. Et aduerte quòd debet constare de dicta monitione super vinolentia, ad hoc vt possit Prælatus deinde, non secuta correctione, iuridicè procedere contra dictum vinolentum. Et hic modus procedendi in casu vinolentiæ seruandus est tam contra Superiores, quàm contra subditos. Aduerte etiam, quòd dicta admonitio debet fieri, etiamsi Religiosus sit solitus inebriari, vt Archid. *in cap. Episcopus, dist.* 35. *num.* 1. & constat ex nostro Correct. *loco citato*, Si dicas, quomodo potest esse, quòd electio ebrij sit ipso iure nulla, & quòd debeat bis, aut ter moneri post adeptam dignitatem? Respondeo à Lambert. *de iure patr. p.* 1. *lib.* 2. *q.* 9. *artic.* 15. *num.* 4. quod id est, quia faciliùs abdicatur à nobis ius quærendum, quam ius quæsitum, vt dictum est.

67. Si quæras quomodo probari possit ebrietas ad aliquem de ea condemnandum? Respondeo, quòd videndus est de hoc Gutier. *loco cit. num.* 113. Rodriq. *tom.* 2. *quæst. reg. quæst.* 37. *art.* 2. Mascar. *de prob. tom.* 1. *concl.* 579. Pen. *in l.* 1. *Cod. de erog. mil. ann. lib.* 12. *col.* 3. qui omnes concludunt, quòd difficilè probari potest ebrietas ; & quòd testis super ebrietate deponens, etiam non interrogatus, debet reddere rationem sui dicti. Afferunt tamen aliqua signa, ex quibus cognoscitur ebrius, 1. est ex facie rubea inflammata vltra solitum, ex qua, ait Mascar. quòd Romani Imperatores ebriosos milites cognoscebant, & ex oculis scintillantibus, & lachrymantibus aliquando, 2. ex locutione, vt si plus solito, & insolita, & inordinata loquatur. Item si arcana reserat; si balbutiendo, & cum difficultate loquatur, 3. si cassabundus incedat, 4. si nimium bibere solitus sit, & vltra consuetudinem biberit. 5. si stupeat, vel nimium rideat, absque causa, vel in furiam vertatur, vel mingat inuoluntariè. Videatur Barbos. *par.* 1. *de pot. Ep. tit.* 1. *gloss.* 11. *num.* 6. Alia ebrietatis signa ponit Arist. *sect.* 3. *probl. n.* 9. quòd omnia ebriis circumferri videantur, & quòd ea, quæ procul sunt, enumerare nequeant, *num.* 20. quòd vna res plures esse videatur, *n.* 10. quòd tremunt, *n.* 25. & solis calore gaudeant, *n.* 28. quòd sunt ad lachrymandum propensiores, *n.* 23. & alia, quæ Arist. *tota illa sect.* 3. Gal. *lib.* 2. *de motu muscul. cap.* 4. *tom.* 1. dicit, quòd ebriosi signa sunt, si supinus dormiat, hiet, stertat, & *lib.* 10. *de simpl. med. facult. tit.* Cobel. *fel. tom.* 5. dicit, quòd ebriis vrina albida est.

68. Et si cupis curiosè scire, quid ab ebrietate præseruet, vide Arist. *sect.* 3. *prob. eit in fine*, vbi ait, quod oleum sorbitum ab ebrietate præseruat, & valet ad vinolentiam arcendā. Gal. *lib.* 2. *de comp. med. secund. loc. post med. tit. Arebigenis, de iis tom.* 5. dicit, quòd Amethista ab ebrietate præseruat ; & *lib* 3. *de med. facilè par. c.* 108. dicit, quòd si quis tutus vult esse ab ebrietate, edat folia rutæ, quorum esus etiam valet ad arcendum dolorem capitis, ex nimia vini potatione prouenientem. Et subdit, quòd ebrietate non tentatur, qui priùs aut septem, aut nouem, aut vndecim amaras amygdalas ederit. Et qui pulmonem ouis eluxum jeiunus ederit, quantumuis bibat, ebrietatem non sentiet. Et Cato *lib. de re rustic.* 156. ait, quod *si voles in conuiuio multum bibere, cœnareque libenter, ante cœnam esto crudam* (brassicam) *quantum voles ex aceto. Et item, vbi cœnaueris, comesto aliqua folia, reddent te quasi nihil ederis, biberisque, bibesque, quantum voles.*

69. Si quæras etiam, an lusores, & ebrij habeant vocem actiuam in electionibus? Respondetur cum constet per supra dicta, quod dicti sint irregulares, & existimentur infames, philosophandum de iis est, sicut de irregularibus, & infamibus. Vnde puto, quod lusores non possint habere vocem actiuam, quia talis infamia videtur esse expressa *in c. Inter dilectos, de excess. Præl.* quatenus vocantur Prælaturis indigni, & personæ viles. Et videtur posse argui ab indignitate passiua ad actiuam; quid enim boni sperari potest à tam indigna, & vili creatura? Et qui sibi nequam est, quomodo curabit ea per boni Prælati electionem, quæ ad Ecclesiam Dei spectant? Quod verò spectat ad ebrios : verè isti non videntur priuari secundum ius commune à voce actiua præstanda tempore sobrietatis; *per c. Quamvis* 7. *quæst.* 1. Quod caput licet loquatur de furiosis, & patientibus lucida interualla, intelligitur tamen etiam de ebriis, qui furiosis æquiparantur secundùm communem DD. Et colligitur *ex cap. Venter, d.* 35. Vnde hos posse eligere extra tempus ebrietatis, docet Sigism. *de elect. dub.* 89. *num.* 8. Sed in Ordine nostro aliter dicendum est; nam eo ipso quòd quia iuridicè damnatus est de ebrietate, est perpetuò priuatus voce capitulari, vt constat *ex Correct. n.* 55. Per vocem autem capitularem intelligitur vox actiua, & passiua, vt declaratum est *in c. Genuen.* 5. *n.* 17. Et firmat Passar. *in schol. ex d. cap. dict. n.* 17. Et aduerte, quòd non possunt rehabilitari per vllum capitulum, etiam generale, nam super perpetuis priuationibus non habent capitula generalia auctoritatē.

70. Ad vltimum nota, quòd pro morientibus in ebrietate Ecclesia non orat, si erat assidua, quia existimatur culpa mortalis; *c.* 1. *de reliq. & ven. SS. c. Pro abeuntibus* 13. *q.* 2. dicit P. Greg. *lib.* 39 *synt. c.* 8. *n.* 2. Et 1. Cor. 6. *Ebrij regnum Dei non possidebunt.*

§. VI.

Vtrum circa fidem maculati possint eligi ad Prælaturas Regularium.

71. VIde Sigismund. *de elect. dub.* 82. *&* 83. Mirand. *com.* 2. *man. q.* 1. Rodriq. *tom* 1. *q. reg. q.* 14. Portel. *in dub. reg. verb. Electio, n.* 11. *& in add. verb. Nouitius, à n.* 19. Campanil. *in diuers. iur. rub.* 11. *c.* 26 *à n.* 5. Garc. *de beneficio par.* 11. *c.* 10. *à n.* 59. Lambert. *de iur. patr. par.* 1. *lib.* 2 *q.* 9. *art.* 6. Sanch. *lib.* 2. *in dec. c.* 26. *&* 27. Patis. *de resig. lib.* 4 *q.* 3. *à n.* 14. Passat. *in schol. ex Gennen. n.* 31. *& in not. priu. c.* 29. Bonac. *de cens. disp.* 7. *q.* 3. *part.* 7. *à num.* 1. Auil. *de cens. par.* 7 *disp.* 4. *dub.* 2. *à concl.* 2 Diaz *in pract. c.* 116. vbi Salz, Majol. *de irreg lib.* 5. *c.* 46. Farin. *de her. q.* 189 §. 6. *à n.* 70. *& q.* 191. §. 2. *à n.* 44. Suar. *to.* 5. *in* 3. *par. disp.* 43. *sect.* 1. 2. *&* 3. Pegn *in direct. in q. com.* 162. 163. *&* 164. P. Greg. *de ben. c.* 26 *n* 5. Sanct *de har c.* 33. *& c.* 34. *dub.* 1. *&* 2. Ricc. *de iur. pers. lib.* 5. *c.* 19. Barb. *in c. ad abolend.* de

de har. num. 5. & 6. Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 13. qu. 8. Sayr. in clau. reg. lib. 3. cap. 9. num. 30. verſ. Sic etiam, Nauarr. lib. 5. conſ. conſ. 23. de har.

72. Dico 1. hæreticus ineligibilis eſt ad Prælaturas regularium, quòd ſi eligatur, electio eſt ipſo iure nulla. Nec ſolum ipſe hæreticus eſt ita ineligibilis, ſed etiam eius receptatores, fautores, defenſores. Sanch. cit. cap. 26. num. 4. Pegna citat. com. 162. verb. Adhac, Farin. citat. quaſt. 189. num. 71. 73. & 74. P. Greg. & Sayr. loco cit. Lambert. num. 7. Sanctar. cit. cap. 33. dub. vn. n. 4 Prob. 1. ex tex. claro in cap. Quicunque §. Haretici, de har. in 6. & ex cap. Statutum el 2. eodem cit. & lib. Tum quia 2. hæretici ſunt excommunicati; c. Nouerit, de ſenten. exc. cap. Achatius, c. Audiuimus, 24. q. 1. cap. Ad abolendam, cap. Excommunicauimus, 1. & 2. de heret. quorum abſolutio eſt reſeruata Papæ in bulla cœna. Plura Farin. de har. quaſt. 92. §. 1. num. 1. Sanctar. de har. cap. 3. num. 1. Tum quia ſunt extra Eccleſiam, cap. Excommunicauimus, elect. 2. cap. Vergentis, de har. vnde non admittuntur ad acquirendas dignitates Eccleſiaſticas; non enim debent aliquid Eccleſiæ catholicæ poſſidere, qui extra illam ſunt; cap. Quo iure, §. Legantur, d. 8. c. 1. & 2. 23. quaſt. 7. & de his, qui foris ſunt, nihil ad nos; Tum quia ſunt infames, cap. Infames, 6. queſt. 1. cap. Alieni, 2. quaſt. 7. Probant Sanctar. loc. cit. cap. 25. dub. 2. num. 10. Ricciul. de iur. perſ. lib. 5. cap. 20. per totum: Farin. cit. quaſt. 189. §. 4. à num. 40. Sanch. 2. In decal. cap. 26. num. 1. Tum quia ſunt irregulares; cap. Saluberrimum, cap. Conuenientibus, 1. quaſt. 7. cap. Nos conſuetudinem, d. 12. Probant Suar. de cenſ. diſp. 43. ſect. 1. num. 2. Auil. de cenſ. p. 7. diſp. 4. dub. 2. concl. 2. Sanctar. cit. cap. 25. dub. 1. num. 1. & 2. Campanil. in diu. iur. rubr. 11. cap. 26. num. 1. Sanch. cit. cap. 25. num. 2. Bonac. de cenſ. diſp. 7. q. 3. p. 7. num. 1. Farin. cit. num. 43. verſ. Et hinc, & quaſt. 192. §. 5. n. 67. Garc. de benef. part. 11. cap. 10. num. 81. Tum quia ſunt ipſo facto priuati dignitatibus, quas poſſident, quocumque tempore obtentis; cap. Vt cum ipſi, verb. Priuandi, de har. in 6. Ergo multò magis obtinendis, per dicta, num. 59. Sanch. cit. cap. 26. num. 6. Ricciul. num. 8. Sanctar. cap. 33. num. 1. & 2. Farin. quaſt. 189. num. 69. Camp. num. 6. Barb. in cap. Ad abolendam, de har. num. 5. & 6.

73. Noto 1. quòd concluſio intelligitur tam de hæreticis manifeſtis, quàm de occultis, iuxta dicta ſup. de excommunicatis: Docet Farin. loc. cit. num. 72. Sanch. cit. cap. 25. n. 2. & 15. Bonac. loc. cit. num. 3. Suar. de cenſ. diſp. 43. ſect. 1. num. 4. Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 13. queſt. 7. Sanctar. cap. 3. num. 7. & 8. Dixi, occultis, non mentalibus, hos enim non puto eſſe excommunicatos, niſi ſignum aliquod exterius interioris hæreſis natura ſua manifeſtatiuũ, exprimant. Vide pro hoc Farinac. de har. quaſt. 192. §. 1. à num. 4. Garc. de benef. part. 11. cap. 10. à n. 91.

74. Noto 2. quòd concluſio intelligitur etiam poſt publicam hæretici emendam. Suar. loco cit. n. 2. Sanch. 2. in dec. c. 25. n. 2. Maiol. de irreg. lib. 5. c. 46. n. 1. Campan. in diu. iur. rubr. 11. cap. 26. n. 3. Spec. lib. 1. tit. diſpen. n. 16. verſ. Sextò. Garc. loc. cit. n. 81. Ricciul. lib. 5. c. 18. n. 1. Trot. de perf. cler. 2. par. 1. requiſ. 15. n. 79. Conſt. ex cap. Conuenientibus, §. Ex hac auctoritate, 1. q. 7. cap. nos conſuetudinem, d. 12. Qui DD. & tex. concludunt etiam de ordinibus, ita vt qui lapſus eſt formaliter in hæreſim, ſiue occultè, ſiue manifeſtè, etiam poſt abſolutionem remaneat Irregularis, non ſolùm quoad recipiendas dignitates, ſed etiam quoad recipiendos ordines, & etiam quoad exercendum eos ipſos, quos habet. Vide Bonac. de cenſ. diſp. 7. quaſt. 3. par. 7 à num. 6. Et nota quod anno 1626. 1. Octobr. exiit decretum, quod refero tomo 1. priu. in conſt. 9. Pauli V. num. 29. de mandato Vrban. VIII. quo cauetur, Regulares pœnitentiatos à S. Inquiſitionis officio, inhabiles eſſe ad dignitates, etiamſi pœnitentias compleuerint, & rehabilitatio reſeruatur Papæ, vel Congregationi coram eo habendæ. Quòd priùs in Ordine noſtro fuit decretum in cap. Val. 4. num. 45. & confirmatum Anen. 1. num. 18. & innouatum Genu. 5. num. 29. Et propterea aduertunt Pegna in direct. inquiſ. part. 2. comm. 65. col. 3. verſ. Illud, hoc loco Farin. de har. quaſt. 193. n. 69. Vecch. de nonit. diſp. 3. dub. 16. num. 1. quòd pœnitentes hæretici, ſine diſpenſatione Papæ Religionem intrare non poſſunt. Quod probant ex Concil. Narbon. c. 18. vbi ea redditur ratio: Ne per tales religiones ſimplicitas corrumpatur: Quod tamen limitat Vech. Niſi ante ſententiam tacti dolore cordis, Religionem petant, nam tunc diſpenſatione non egent: Et aduerte quod hæc procedunt in conſcientia, etiamſi nihil exterius ſciatur, vt ex dictis DD. colligitur, & tenet Portel. add. ad dub. reg. verb. Nouitius, num. 2.

75. Dico 2. Filij hæreticorum, fautorum, receptatorum, & defenſorum vſque ad 2. generationem per lineam paternam, & vſque ad primam, per lineam maternam, ſunt ineligibiles ad Prælaturas Regularium. Quod ſi nihilominus eligantur, electio eſt ipſo iure nulla. Quod eſt dicere, quòd quando ſola mater eſt hæretica, ſoli filij non nepotes, ſunt ineligibiles, ſi autem pater ſit hæreticus, non ſolùm filij, ſed & nepotes ineligibiles ſunt, nepotes, inquam, ex filio, non ex filia, quia patris conditionem ſequuntur, vt declarat Sanch. in dec. cap. 17. num. 2. Ita Farin. de heret. quaſt. 191. §. 2. à num. 48. Azor. tom. 1. lib. 8 c. 13. q. 8. verſ. Quod autem dicitur. Pegna in direct. Inquiſ. par. comm 163. & comm. 164. in princ. Auil. de cenſ. p. 7. diſp. 4. dub. 3. concl. 1 Sanctar. de har. cap. 34. dub. 2. n. 12. Suar. de cenſ. diſp. 43. ſect. 3. n. 1. Garc. de benef. p. 11. c. 10. à n. 72. Maiol. de irreg. lib 5. c. 46. num. 5. Campanil. in diu. iur. rub. 11 c. 26. n. 7. & 8. Ricciul. de iur. perſ. lib. 5. c. 29. n. 2. Bona. de cenſ. diſp. 7. q. 3. p. 7. n. 9. Lãbert. de iur. patr. p. 1. lib 2. q 9. art. 6. fine: Gomez. var. tom. 3. c. 2. n. 4. Leſſ. lib. 2. de iuſt. c. 34. n. 123. Nau. in man. c. 27. n. 206. Conſtat ex c. Quicunque, §. Haretici; ex cap. Statutum, el 2. & ex cap. Vt enim ipſi, de har. in 6. vbi ad literam noſtra concluſio.

76. Noto 1. quòd concluſio intelligitur, tam de filiis legitimis, quàm illegitimis, vbi enim lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus Farin. loc. cit. n. 54. Sanch. cit. n. 1. Gloſſa in cap. Statutum, el 2. verſ. Volemus, de har. in 6. Pegna loc. cit. com. 163. col. 2. verſ. In hac queſt. vbi eam reddit rationem; Quia alias melior eſſet conditio illegitimorum, quam legitimorum, & maius priuilegium haberet luxuria, quam caſtitas. Ita etiam Couarr. lib. 2. var. cap. 8. num. 3. Auil. loc. cit. verb. Preterea, Ricciul. cit. cap. 30 num. 1. Azor tom. 1 lib. 6. cap. 4. q. 4. verſ. Si quaras. Campanil. cit. num. 11.

77. Noto 2 quòd filij eorum, qui ſunt reconciliati Eccleſiæ, & in tali reconciliatione receſſerunt, non comprehenduntur in noſtra concl. Ita in cap. Statutum, el 2. de har. in 6. Et declarauit Honor. IV. in ſua 2. conſt. Exhibita, apud Cherub. tom. 1. bull. pag. mihi 125. Atque ita Farin. loc. cit. n. 64. Leſſ. n. 124. Suar. cit. Sanch. cit. n. 21. Garc. cit. n. 72. Auil loc cit. verb. Nihilominus. Eos tamen reconciliatos ad hunc effectum non dicas, qui catholici licèt obeant, traduntur tamen brachio ſæculari comburendi, eo quòd relapſi ſunt; Nam hi præſumuntur decedere in eadem hæreſi, & ſolùm fictè ad fugiendum viuæ combuſtionis pœnam illi abiuraſſe. Ita Sanch. loc. cit. n. 24. Azor. loc cit. verb. Si roges: & tom. 2. lib. 6. cap. 4. q. 3. verſ. Dubia etiam queſt. eſt: Sigiſmund. de elect. dub. 82. n. 7. Auil. loc. cit. Farin. loco cit n. 65. Sanctar. de har. cap. 34. dub. 2. num. 16. Suar. cit. ſect. 3. num. 4. Pegna cit. comm. 164. col. 2. verſ. Oppoſitam, Gloſſa in cap. Statutum, el 2. de har. in 6.

78. Et ſi cupis ſcire, quis ſit hæreticus relapſus, vide c. Ad abolendam, §. illos quoque, & cap. Excommunicauimus, 1. §. Adijcimus, de har. vide etiam Eymer. 3. par. direct. num. 150. vbi Pegna comm. 63. col. 3. Salz. ad Diaz. cap. 116. verſ. De qua abiu. Et ex his conclude,

quòd hæreticus relapsus est, qui hæresim de vehementi abiurauit, & deinde ad eandem, vel aliam ha resim reuersus est. Seu qui de hæresi grauiter infamatus, coactus fuit de ea se purgare, tanquam vehementer suspectus, si postea deprehendatur, in eandem hæresim, de qua se purgauit, incid isse, est verè relapsus. Si autem in aliam hæresim, de qua non se purgauit, inciderit, relapsus non est.

79. Noto 3. grauissimam esse quæstionem inter DD. an filij nati ante paternam hæresim, comprehendantur in nostra conclusione, quam difficultatem fusissimè tractat Sanch. 2. *in decal. cap.* 27. *à num.* 6. Breuiter puto comprehendi. Tum propter illud Exodi 20. *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, & zelotes, visitans iniquitatem* (hæresis) *patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem eorum*: Tum quia *in cap. Statutum, el 2. de hær.* dicitur, quòd filij hæreticorum, quorum parentes hæretici decesserunt, afficiantur dictis pœnis, ergo ad eos incurrendas satis est, quòd patet hæreticus decessisse, & cum non distinguat de natis ante, vel post hæresim, nec nos distinguere debemus; *l. 2. ff. de off. presid* præsertim in fauorem fidei. Tum quia filij sunt quid patris, vnde magis cruciantur patres pœna filiorū, quàm propria, vt expressè dicitur *l. Isti quidem, ff. de eo quod met. cauf.* Tum quia filij paternos mores imitari solent, vt probant illi versus Naz. ad Nicob. tom. 2.

Gloria namque patri natorum fama, decusque
Vt rursus natis est gloria fama parentum:
Gratia communis, labes communis vtrisque.

Et constat *ex l. Quisquis, §. Filij, Cod. Ad legem Iuliam maiest.* Tum quia hoc videntur meritò insistise legislatores ob atrocitatem delicti in hæreticorum modum, vt colligitur *ex eadem l* Atque ita hanc sententiam defendunt Farin. *loc.cit. n.* 52. & 57. Suar. *de cens. disp.* 43. *sect.* 3. *n.*2. Couarr. *lib* 2 *var. c.* 8. *n.* 5, *vers. Tertio*, Gom. *tom.* 3. *var. cap* 2. *n.* 16 *vers Sed his non.* Riccioil. *de iur pers. lib* 5. *c.* 3 *n.* 28, Azor. *tam.* 1. *lib.* 8. *cap.* 13. *quæst.* 8 *vers Octaua pœna, & tam.* 2. *lib* 6. *cap.* 4 *quæst.* 3. *versu Dubia quæst. est.* Pegna *in direct. par.* 3. *comm.* 163. *col.* 2. *vers Omisit tamen.* Sigismund. *de elect. dub.* 82. *num.* 3. Gare. *de benef. par.* 11. *c* 10. *à n.* 77. Et aduerte, quòd dicti filij hæreticorum nati ante, vel post paternam hæresim, sunt ipso facto priuati dignitatibus, quas possident, vt tenent Farin. Couarr. Ricciol. Garcia, Gomez *loco cit.* licet negent Pegna *cit.* 3. *vers. In hac quæst.* Azor. *vers. Si rages*, Suarez. Tum quia Ecclesia maximè odit talem progeniem. Tum quod ita *in cap. Quicumque, §. Hæretici, & in c. Statutum, el 2. de hær. in* 6 eodem modo loquuntur quantum ad pœnas de hæreticis, ac de filiis eorum, sed hæreticos diximus esse ipso facto priuatos, (post tamen sententiam declaratoriam delicti, vt Farin. *de hær. quæst.* 189. *num.* 80 Sanch. 1. *in decal. cap.* 16. *n.* 7, quos videbis pro effectibus, quos parit priuatio ipso facto, & priuatio post sententiam declaratoriam delicti, Farin. quidem *n.* 79. Sanch. vero *n.* 9.) Tum quod id mihi videtur expressum *in cap. vt commissi, de hær. in* 6. ibi *priuandi, vel priuatos nuntiandi*, licèt huius cap. vim enerare conetur, Campanil. *in diuer. iur. rubr.* 11. *cap.* 16. *n.* 21. sed ex hoc loco omnes DD. communiter concludunt, hæreticos esse ipso facto priuatos dignitatibus; id enim insinuat illa particula, *vel priuatos nuntiandi*: Ergo cum hoc cap. eodem modo loquatur de hæreticis, ac de ipsorum filiis, eodem planè modo intelligendum est quoad vtrosque; Nec propter pietatem à pio iure gratis est recedendum, velle enim videri pium cum detrimento pietatis, pium est. Pietas enim summa est, quòd sancta mater Ecclesia suorum rebellium filios solùm dignitatibus priuet, ad quod facit *c. Vergentis, de hær. fine*; & quæ habet Salz. ad Diaz. *cap* 22. *n. eodem.*

80. Noto 4. quòd adhoc, vt filij hæreticorum dictis pœnis afficiantur, necesse est, quòd eorum parentes in iudicio fuerint conuicti, vel confessi, vel saltem vt res sit satis publica, & omnibus probata: Ita Suar. *de cens. disp.* 43. *sect.* 3 *n.* 2. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *c.* 13. *quæst.* 8. *vers. Deinde queres.* Farin. *de hær. q.* 191. *n.* 69. Less. *lib.* 2. *de iust. c* 34. *n.* 124. Sanch. 2. *in decal. cap.* 27. *n.* 28 Q od satis probat illa clausula posita *in cap. Statutum, el 2. de hær. in* 6. [Qui tales esse, vel tales etiam decessisse probantur.] Vnde filij hæreticorum occultorū, & qui nullo ex prædictis modis probati sunt hæretici, non incurrunt dictas pœnas, licet Azor. *tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 4. *q.* 3. videatur dicere, quod etiam filius occulti hæretici, etiāsi ante mortem resipuerit, non possit dignitates obtinere. Sed nullo nititur solido fundamento. Puto tamen, ineurrere filios eorum, qui condemnati sunt in contumacia, & quorum statuæ combustæ sunt. Tum qua tales iudicio Ecclesiæ habentur tanquam pertinaces. Tum quia contumax habetur pro conuicto; Gloss. *in cap. Cum contumacia, de hær. in* 6. Atque ita Pegna *in direct. par.* 3. *com.* 164. *col.* 3. *vers At in casu nostro*, Sanctar. *de hær. cap.* 14. *dub.* 2. *num.* 19. Ricciul. *lib.* 5. *cap* 3. *num* 45. Farin *de hær. quæst.* 191. *n.* 55 Sanch. cit *num* 19. At auctore idem dicendum sit de filiis eorum, qui ob tete suspecti de hæresi, affirmat Azot *loc. vltimò cit. vers Si roges.* Quod durum videtur Sanch *loc. cit. c.* 27 *n* 19 Quod non est dutum, si de tali suspicione fuerint condemnati, scandalum enim, quod dant propter talem suspicionem, hanc pœnam meretur. Sed æquius transeo in opinionem Sanch, licèt enim remaneat infamia; non remanet quoad effectus, ob benignitatem canonum. Atque ita sentit etiam Ricciul. *loc. cit. cap.* 19. *num.* 26. Sanctar. *cap.* 33. *dub. vn. num.* 6.

81. Noto 5. quod filij hæreticorum sunt irregulares, atque ita non possunt ordinari absque dispensatione Papæ, quia ordines ad dignitates Ecclesiasticas sunt instituti, & habetur *in cap. Quicumque de hær in* 6. §. *Hæretici.* Vnde in Trid. *sess.* 7. *cap.* 23. *de reform* innouando *cap. Quando, d.* 24. præcipitur, vt Episcopi generis promouendorum ad ordines inquirant, idest, an promouendus sit ex filiis, aut nepotibus hæreticorum, fautorum, &c. vt exponunt Sanch. 2. *in decal. cap.* 28. *num.* 15. Auil. *de cens. part.* 7. *disp.* 4 *dub.* 4 *concl* 3. Henriq. *l.* 10. *c.* 17. *num.* 2. *in comm. lit. G.* Campanil. *rub.* 11. *cap.* 16. *n.* 7. Atque ita Sanch. *cit. num* 7. Auil. *dub concl.* 1. Suar. *de cens. disp.* 43 *sect.* 3. *n.* 1. Salz. ad Diaz, *cap.* 22. *num.* 21. An autem filij hæreticorum sint infames, negat Sanchez *loco cit. num.* 5. Affirmat Couatr. 2. *var. cap.* 8. *num* 3. quia filij læsæ Maiestatis humanæ reputantur infames, *l. Quisquis, §. Filij verò, Cod. ad legem Iuliam maiestat.* Ergo multò magis filij læsæ Maiestatis diuinæ.

82. Dico 3. Neophiti sunt ineligibiles ad Prælatutas Regularium, Ita Trott. *de perf. cler. lib.* 2. *part.* 1. *req.* 8. *n.* 32 Suar *loc. cit. n.* 5. Sayr. *de cens. lib.* 6. *cap.* 13. *num.* 10. Barb. *de potest. Episcop. par.* 1. *tit.* 2. *glossa* 17. *n.* 5 Sigism. *de elect. dub.* 84. *n.* 2, P. Greg. *de elect cap.* 12. *n.* 2. Auil. *loc. citat. conclus.* 1. Nauarr. *in man. cap.* 27. *num.* 206. Paris. *libro quarta, de resig. quæst.* 4. *num.* 20. Azor. *tom.* 2. *lib.* 6. *capite secundo, quæst. secunda*, Bonac. *de cens. disput.* 7. *quæst. secunda, part. prim. num. quinta*, Salz ad Diaz, *cap.* 22. *num. secundo*, Couatr. *in Clement. Si furiosus, parte* 1. §. 2. *num.* 2. Maiol. *de irregul. lib.* 1. *cap* 31. *num.* 1. Ricciul. *de neoph. capite secundo, numera quarto*, Romanus *sing.* 679. Speculator *parte prima, titul. de disp.* §. *iuxta num.* 13. Lambert. *de iur. patr. lib parte prima, quæstione septima, art.* 14. *numera secundo*; Henriq. *libro* 14. *capite quarta*, § *septimo*, Campanil. *rubr.* 11. *capite septimo, num. tertio*, Hostiens. *in summ. tit. de temp. ord. num.* 11. Rodr. *tom.* 1. *q. reg. q.* 14. *art.* 5. probat *ex c. Quoniam, cap. Sicut neophitus, d.* 48. cuius prohibitionis rationes reddit Gratian *princ. dist. d.* dicens: *Prohibetur neophytis in Episcopos ordinari, vt qui heri erat cathecumenus, hodie non fiat Episcopus. Qui heri erat in theatro, hodie non sedeat in Ecclesia. Qui vespere erat in circo, hodie non ministret altaris.*

Qui

Qui dudum fuerat fautor histrionum, hodie non sit consecrator virginum. Causa autem huius prohibitionis est secundum Apostolum 1. ad Tim. 3. ne elatus in superbiam, tanquam Religio Christiana plurimum eius egeret, incidat in ruinam diaboli. Momentaneus namque sacerdos nescit habere humilitatem, obseruare modos personarum, vel contemnere. Non ieiunauit, non fleuit, non se correxit, non pauperibus erogauit; In arrogantiam, quæ est ruina diaboli incidunt, qui puncto horæ, nec dum discipuli, fiunt magistri, &c. vbi, vt apparet, quæ assignantur rationes huius prohibitionis. 1. ne incidant in superbiam, putantes, fidem Christianam ipsorum indigere. 2. quia inexperti non poterunt obseruare ea, quæ ratione personarum, locorum, & temporum sunt Prælatis obseruanda.

83. Noto 1. quòd per neophytum intelligo illum, qui ex Iudaïca lege, aut mahumetica, vel ethnica de recenti Christianæ militiæ nomen dedit. Dico de recenti, nam qui à multo tempore v. g. decennio, vt placet Nauar. *loc. cit.* Suar. *n.* 6. Companil. *n.* 4. Sayr. *n.* 11. Bonac. cit. vel à natiuitate, etiamsi à parentibus reprobatæ Religionis descendat, baptismum suscepit, neophytus dicendus non est: Et multò minùs neophytus dicendus est, qui à patre conuerso natus est; immò nec neophytus dicendus est, qui à natiuitate baptizatus est, etiamsi pater eius adhuc in infidelitate persistat. Ita DD. communiter, in specie Sanch 2. *in decal. cap.* 28. *n.* 11. Ricciul. *loco cit. cap.* 1. *n.* 2. *&* 3. Couarr. *cit. n.* 7. *vers.* 1. *conclusio.* Salz. *n.* 8. vndè excludendus non est à sacris ordinibus, nec ab Ecclesiasticis dignitatibus, qui à patre infideli descendens, ab infantia, vel saltem à decennio baptizatus est. Ita Couarr. *loco citato, & num* 8. *vers.* 6. *conclusio.* Suarez *loco citato, n.* 8. Salz ad Diaz, *cap.* 22. *n.* 11. Campanil. *n.* 6. Cæteri autem omnes excludendi, v. g. adulti à nouennio baptizati. Quod tamen adhuc limitandum est, nisi essent sanctæ, & approbatæ vitæ, vt de Sancto Ambrosio factum est. Ita statuitur *in cap. neophytus, d.* 61. & docent Lambert. *loc. cit. n.* 7. Ricciull. *cit. cap.* 2. *n.* 13. Maiol. *de irreg. lib.* 1. *cap.* 31. *n.* 4. Barb. *de pot. Episcop. p.* 1. *tit.* 2 *gloss.* 17. *n.* 7. iudicare autem, an aliquis sit humilis, & sanctæ vitæ, ad Papam pertinet, vt colligitur ex præfatis DD. concludentibus, quòd dispensare super neophyto; ad Papam spectat, Vide Campanil. *rub.* 11. *cap.* 7. *num* 4.

84. Noto 2. quod valdè controuersum est apud Doctores an valeant statuta, quibus infideles ad fidem conuersi, & descendentes ab eis, etiamsi ab infantia sint Christiani, repelluntur ab honoribus, & dignitatibus publicis Pro quo vide Petrum Nauarr. *lib.* 2. *de rest. cap.* 4. *num.* 450. *&* 451. Sanchez 2. *in decal. cap.* 28. *num.* 14. *&* 7. *de matr. disp.* 37 *num.* 30. Suarez *tom.* 4. *de relig. tract.* 3. *lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 6. *& tom.* 5. *de cens. disp.* 43. *sect.* 3. *n.* 8. Sigismund. *de elect. dub.* 85. *n.* 4. Sorb. *in com. priu. mendic. verb. Nouitius, tit. de recept. non. ad hab. fine, pag. mihi* 452. Passar. *in prin. not.* 29. *& in schol. ex Geanen. n.* 31. Auil. *de cens. p.* 7. *disp.* 4. *dub.* 4. *concl* 5. *vers. Sed nota;* Barb. *de pot. Ep. part.* 1. *tit.* 2. *gloss.* 17. *n.* 20. Sayr. *de cens. lib.* 6. *c.* 13. *n.* 12. Rodriquez, *tom.* 1. *q. reg. quæst.* 14. *art.* 1. *& quæst.* 10. *art* 3. Nauarrum, *lib.* 3. *cons. de reg. cons.* 26. Cord. *in q. theol. lib.* 1. *q.* 54. Salz ad Diaz. *c.* 22. *à n.* 11. Ricciul. *de neoph. c* 6. qui omnes concludunt, neminem inferiorem Papa posse talia statuta condere, præter Suarez, qui licèt *tom.* 4. *de religione,* concedat *num.* 6. non posse talia statuta fieri quò ad dignitates consequendas sine licentia Papæ; negat tamen *num.* 4. non valere etiam sine licentia Papæ, quò ad receptionem ad Religionem. Et ratio est, quia nemo inferior Papa potest statuta condere contra ius commune, *cap. Quad super his, de ma. & ob.* Sed hoc esset contra ius commune; *c. Eam te, de rescr.* & latè id probant in specie pro Religione nostra Nauarrus, & Passarell. *loco cit.* Quare multa statuta in Ordine nostro facta ad excludendos dictos descendentes, non habent vim, nisi quatenus fuerunt confirmata à Papa. Vndè.

85. Dico 4 in Ordine Minim. non possunt excludi ab ordine, neque à dignitatibus in eo consequendis descendentes ex genere Iudæorum, vel Mahumetanorum; neque filij, & descendentes hæreticorum conuersorum, & Ecclesiæ vnitati restitutorum. Prob. *ex const.* 3. *Greg. XIII. tom.* 2. *nostrorum priu.* in cuius §. 1. habetur. *Volentes, quod iis, qui ex Iudeorum, vel Mahumetanorum genere descendunt, cum post susceptum ab ei baptisma, Græci, & Iudæi distinctio esse non debeat, nullatenus defectus generis huiusmodi, quominùs in Ordinem prædictum recipiantur, & ad consequendas in dicto Ordine dignitates, gradus, & officia Religionis nocere possit, vel debeat; Quantum verò attinet ad filios, & descendentes hæreticorum, præcipimus, vt filiis, & descendentibus talium conuersorum, & Ecclesiæ vnitati restitutorum pariter minime circa præmissa quidquam obstet.* Similem etiam constitution. Pij V. habent Fratres Minores, publicatam in *capitulo generali Romæ anno* 1571. vt refert Sorb. *locò citato pag mihi* 431.

86. Noto, quod licèt in præfata const. Greg. non fiat mentio de descendentibus ex Gentilibus, non ideò hi possunt excludi ab ordine, & dignitatibus; iuxta *c. Cum sit nimis de iud.* Nam ideò missi sunt, quia casus erat minus dubitabilis, & in maiori includitur minus, & cum simus in fauorabilibus, potest fieri extensio de casu magis dubitabili ad casum minus dubitabilem: Et dicti ex gentilitate conuersi, seu illorum descendentes, non comprehenduntur in const. pro Ordine Minorum factis à Paulo IV. & confirmatis à Greg. XIII. (licet, has non esse amplius in vsu, affirmet Auila *de cens. p.* 7. *disp* 4. *dub.* 3. *in fine;* Sanchez, 1. *in decal. c.* 27. *n.* 3.) de quibus Rodriquez, *tom.* 1. *q* 14. *art.* 1. Mir. *tom.* 2. *man. q.* 1. *art.* 1, Portel. *in dub. reg. verb. Electio, n.* 11. quibus cauetur, quod descendentes ex Iudæis, seu hæreticis, vel Mauris vsque ad 4. generationem, ad eorum Religionem, & dignitates in ea non admittantur. Vndè bene in ea possunt recipi præfati ex gentilitate conuersi, vt dicunt Rodriquez, cit. *art.* 5. *vers Secundò est,* ad Mir. *art* 5. cum istæ sint constitutiones pœnales, quę vltra casus expressos non extenduntur. Quo casu loquitur *dictum cap. Cum sit nimis.* In casu ergo nostro, cum simus in gratiosis; dicendum est, quòd dicti gentiles conuersi ex gentilitate in præfata constitut. Gregorij comprehenduntur, adde, quòd ratio, qua mouetur Papa ad id statuendum, quæ est desumpta ex epist. ad Rom. cap. 10. *Non est distinctio Iudæi, & Græci, nam idem Dominus omnium diues in omnes, qui inuocant illum,* militat tam in Gentilibus, quam in Mauris, & hæreticis.

87. Dico 5. Descendentes per lineam paternam, vel maternam vsque ad quartam generationem inclusiuè, ex Iudæis, Mahumetanis, & hæreticis relapsis, & per sententiam in foro Ecclesiastico latam damnatis, viuis, vel defunctis, vel quorum ossa, vel statuæ combustæ sunt, ad Ordinem minimum, neque in Conuersos, neque in Clericos, nec ad vllas in eo dignitates consequendas admitti possunt. Prob. *ex eadem const. Greg. XIII.* vbi §. 3. dicitur: *Quò verò ad illos, qui ex Iudæis, ex eo quod post baptisma ab eis susceptum iterum à fide Catholica recesserint, per sententiam in foro Ecclesiastico latam damnatis; Mahumetanis item, & hæreticis similiter damnatis, viuis, vel defunctis, vel quorum ossa, vel statuæ combustæ sunt, originem ducunt per lineam paternam, vel maternam, vsque ad 4 generationem inclusiuè, in ordinem ipsum recipi, & admitti non posse, & idem in iis professoribus eiusdem Ordinis, qui ad sacros, etiam presbyteratus ordines admittuntur, seruari decernimus.*

88. Noto 1. quòd in istis pœnis non includuntur filij eorum, qui damnati de hæresis suspicione perierunt; nam hi non sunt verè, & formaliter hæretici, *in cap. Accusatus, in princ. de hær. in* 6. & quòd statutum loquens

de hæreticis, non habeat locum in suspectis de hæresi, docuit Abb. *in cap. Inter sollicitudines, de purg. can. n.6.* Et in particulari de statuto Ecclesiæ Hispalensis, huic nostro simili, decidit Puteus *lib. 2. dec. 400.* quòd non habeat locum in descendentibus ab iis, qui fuerunt de hæresi suspecti.

89. Noto 2. quòd nostra conclusio non habet locum in collateralibus. Vndè ille, cuius frater, seu patruus ex parte patris, vel auunculus ex parte matris fuerunt condemnati in tribunali Ecclesiastico, vel eorum imagines, seu ossa combusta, poterit ad Religionem admitti, & dignitates in ea consequi, cum dicta constitutio solùm, & aperte loquatur de descendentibus per lineam paternam, & maternam, nullamque mentionem faciat de collateralibus, solùm de linea recta, non collaterali intelligenda est, secundum naturam legis pœnalis, quæ ad casum etiam similem non extenditur. Atque ita Rodriquez *tom. 1. quest. reg. quæst. 14. artic. 6.* Miranda *tom. 1. man. quæst. 1. artic. 1. concl. 4. in fine.*

90. Noto 3. quòd Papa in exclusione istorum ab ordine nostro, eos non excludit à dignitatibus casu, quo recipiantur ignoranter, vel scienter, nec annullat electiones, si de his fierent. Vnde videntur, quòd possint eas tali casu consequi, & retinere. Sed non fuit necesse, quòd excluderet; cum enim exclusisset ab Ordine, non erat necesse excludere à dignitatibus illius ordinis, ad quem admitti non poterant; vnde si in aliquo casu propter ignorantiam recipientium, quis istorum profiteretur in Ordine nostro non posset dignitates accipere, nec retinere, quia statuta Ordinis nostri, quæ eo casu relicta sunt in suo vigore, id vetant, vt constat *ex cap. Rom. 3. num. 20.* Vbi si quis tales per ignorantiam, aut inaduertentiam sint in Ordine nostro recepti, sunt perpetuò priuati, voce actiua, & passiua. Quare qui sciret, se ex illa linea prohibita descendere, non posset oblatas dignitates accipere, nec receptas in conscientia retinere. Quod tamen limitatem. Nisi ex renuntiatione posset diuulgari eius inhabilitas; nam pro sui honoris deffensa posset recipere, & retinere. Ita Miranda *tom. 2. man. quæst. 1. artic. 5. concl. 2. & 3.* Rodriquez *tom. 1. quæst. reg. quæst. 14. artic. 8.* Qui tamen aduertit, quod hoc casu dictus tenetur dispensationem petere, quàm citiùs fuerit possibile. Et vlteriùs notat, quòd qui non sunt in possessione dignitatum, si ad eas per electionem, vel alio modo admittantur, tenentur omnibus modis possibilibus iis renuntiare. Neque excusantur, quod fortè ex tali renuntiatione possit oriri aliqua suspicio generis maculati; nam multa mouent homines ad dictas renuntiationes faciendas. Et similiter, cum Papa non apponat pœnam Superioribus tales recipientibus, relinquit nostra statuta in suo vigore, vnde debent officiis priuari, per statutum *in cap. Forlin. 1. num. 14.*

§. VII.

An qui abjurauit in S. Inquisitionis officio, possit eligi ad dignitates Regularium.

91. NOta quòd abjurare est recedere ab aliqua re cũ iuramẽto de non redeundo ad illam. Ita Nauar. *lib 5. cons. de her. cons. 18. n. 1. & cons. 19. n. 1. ex cap. Accepta, & cap. Audita, de rest. spol. & ex cap. Super hoc, de renunt. & ex cap. Ad abolendam, de her.* Abjuratio autem est quadruplex secundùm Peg. *in direct. 3. par. com. 40. col. 2. vers. Abiurationem. 1. est de leui, 2. de vehementi, 3. de violenta suspicione, & 4. de hæresi formali*; licèt secundùm vsum supremi tribunalis S. Inquisitionis de Vrbe, vt aduertit Masio. *in pract. S. Officij,* abjuratio de violenta suspicione non sit in vsu, & secundùm modum procedendi dicti tribunalis, idem sit cum abjuratione de vehementi. Indicitur autem ab illo tribunali abjuratio ob triplicem suspicionem de hæresi, quæ reperitur in iure, secundùm Eymer. *2. p. direct. inquis. quæst. 46.* vbi Pegna *comm. 80. col. 1. vers. Ad hanc*, leuem scilicet, vehementem, & violentam. Quas suspiciones explicat egregiè Ioseph Sessa tertij ordinis Minimorum professus, & Conuentus de Fresneda in Prouincia Aragonensi Fundator Illustrissimus, in album Fundatorum receptus magno capitulantium applausu *in cap. gener. dicti Ordinis Barch. 3. celebrato tom. 4. suarum decis. decis. 450. 451. & 452.* Leuis suspicio, sic dicta, quia ex leuibus oritur conjecturis, est animi applicatio, hominem mouens ad aliquid credendum non determinatè, & fixè, sed cum magna ambiguitate, & oritur ex signis exterioribus operum, aut verborum, ex quibus capitur conjectura, qua concludi potest, non frequenter, sed rarò, sensu, quod talia dicens, seu faciens sit hæreticus. Vt si quis v. g. dejeret frequenter, si occulta faciat conuenticula, si vita, & moribus à communi fidelium conuersatione deuiet, vel si Sacerdos in confessione sollicitet; vnde ad se purgandum ei indicitur abjuratio de leui. Suspicio vehemens, sic dicta, quia ex vehementibus oritur indiciis, est probabilis conjectura ex certo signo proueniens, quæ contrario non adducto, pro veritate habetur, & oritur ex signis exterioribus operum, aut verborum, ex quibus capitur argumentum concludens frequenter, & vt in pluribus, quòd qui talia dicit, vel facit, est hæreticus, vt si quis hæreticum occultet, fauorem ei impendat, associet, visitet, defendat, munera offerat, recipiat, si diebus prohibitis, absque necessitate, & Superioris facultate carnibus vescatur, aut dicat propositiones fidei contrarias his, quæ explicitè scire debet, vel citatus in re fidei non compareat contumaciter, vel impeditoribus præstet auxilium, vel instruat citatum propter hæresim, ne dicat veritatem vel exprimat falsitatem. Item si non reuelet hæreticos propriis iudicibus, vel si in iudicio interrogatus eos scienter celet; istis autem sic vehementer suspectis indicitur abjuratio de vehementi. Suspicio violenta, sic dicta, quia violentat, & cogit iudicem ad credendum, nec defensatione repellitur qualicumque & oritur ex violentis conuincentibus conjecturis, est quædam legis dispositio aliquid præsumentis, & super præsumpto tanquam sibi comperto, & noto statuentis, & nascitur ex signis exterioribus operum, aut verborum, ex quibus concludi solet efficaciter, & ferè semper, quòd talia dicens, vel faciens est hæreticus; vt si quis hæreticos adoret, vel eis reuerentiam suo more exhibeat, consolationem in casu mortis, vel communionem ab eis recipiat, vel ad Iudæorum ritus transeat, vel in excommunicatione in causa fidei per annum obstinatè perduret; aliter autem suspectus cõdemnatur tanquam hæreticus conuictus. Ita Sessa *loco citato, decis. 452. num. 8.* Eymer. *in direct. part. 2. quæst. 46. num 7. & num 16.* Vbi Pegna *comm. 8. col. vlt. vers. violenta.* Huic si violenter suspecto indicitur, si velit resipiscere, abjuratio de hæresi. Pro hic dictis vide D. Thom. *2. 2. quæst. 60. artic. 3.* Menochium *lib. 1. de præsumpt. quæst. 7. à n. 41. & lib. 6. cons. cons 518. à num. 19.* Sanctar. *de her. cap. 41. dub. 3. n. 7. & 8.* Delrium *mag. disp. lib. 5. sect. 12.* Farin. *tract. de her. q. 194. n. 1. & q. 187. q. a 3.* Salz. ad Diaz. *cap. 116. ver. De qua abjuratione.*

91. Dico 1. abjurans de leui, vel vehementi non est ineligibilis ad dignitates Regularium, ex hoc solùm, quòd ita abjurauerit, abstrahendo à pœnitentiis impositis, quæ seruandæ sunt, & propter quas, si non sint salutares, inhabilitatur summum decr. Vrb. VIII. de quo §. *præced. n. 74* Ita Nauarrus *lib. 5. cons. 18. n. 3. & cons. 19. num. 1.* Ric. *tom. 1. decis. 676. num 6.* Ricciul. *lib. 5. de iur. pers. cap. 56. num. 1.* Patis. *lib 4. de resig. quæst. 3. num. 17.* Sanctarel. *cit. cap. 33. num 6.* Sa. *verb. Heresis. num 5.* Et ratio est, quia ita suspectus de hæresi non est hæreticus. Eymer. *in direct. part. 2. quæst. 55. num. 9.*

&

& 11. vbi Pegna *com.* 80. *col.* 2. *verſ. Et ob hanc*, Seſſa *tom.* 4. *deciſ. deciſ.* 451. *num.* 4. & nullibi reperitur, quod poſſit vt hæreticus damnari, nec quod tales abjurantes ſint ineligibiles, vt ait Nauarr. *conſ.* 18. *cit. num.* 5.

93. Dico 2. qui abjurat hæreſim, vel probatam, vel confeſſam, iurando ſe ad eam nunquam redditurum, cum ſit iam formaliter hæreticus, certum eſt, quòd ineligibilis eſt. Et hoc eſt, quòd voluit Nauarr. *loco cit. n.* 6. quem ſequitur Sanchez *loco cit.* quando dixit quòd duplex eſt abjuratio; Altera, quam cogitur facere hæreticus pœnitens de hæreſi à ſe admiſſa iam confeſſa, vel probata, ad hoc vt miſericordiam conſequatur. Altera, qua ſuſpectus de hæreſi ſe purgat, & monſtrat innocentem, iurando, quòd illam hæreſim non incurrit, nec incurret vnquam, vnde illi nulla propter hæreſim imponitur pœnitentia, ſed quia propter geſta, vel dicta ab eo, maxima orta eſt ſuſpicio de hæreſi, ideò cogitur abjurare de vehementi, vel leui.

94. Nota hic, quòd ad impediendum, ne aliquis elegatur ad aliquam dignitatem propter hæreſim, vel originem iudaïcam, &c. ſufficit ſemiplena probatio, ad deijciendum autem aliquem iam electum, & confirmatum, requiritur plena probatio. Ita Nauarrus *lib.* 5. *conſ. de her. conſ.* 22. *num.* 6. quam doctrinam ſequuntur Mirand. *tom.* 1. *man. quæſt.* 1. *art.* 6. Portell. *in dub. reg. verb. Elect. num.* 9. Impugnat autem meam Rodriq. *tom.* 1. *quæſt. reg. quæſt.* 14 *art.* 3 *fine*; Quia vbi agitur de honore Religioſi, & ipſius familiæ, non debet ſufficere ſemiplena probatio. Sed magis placet opinio Nauar. quia, cum facilius deijciatur quis à iure quærendo, quam quæſito, cum ad deijciendum aliquem ab hoc plena requiratur probatio, ab illo ſufficere debet ſemiplena. Deinde ad impediendum, ne aliquis eligatur, ſufficit mala fama, etiam non probata, *cap. Omnipotens, Deus de accuſ.*

95. Ad impediendum autem eos, qui abjurauerunt, oportet diligenter inſpicere formas abſolutorias, quas ſolent concedere Inquiſitores taliter abiurantibus, in quibus, ſi ſit appoſitum, quòd talis abjurauit talem, vel talem hæreſim, de qua fuit conuictus, vel quam fuit confeſſus, etiam ſponte, vt faciunt illi, qui timore ne accuſentur, ſe Inquiſitoribus præſentant, confitentes ſuas hæreſes, quas licèt ſecretò, abjurare coguntur, vt notat Barboſa *in cap. Ad abolendam, de her. num.* 12. (quem etiam vide *num.* 21. vbi ait, quòd illi dicuntur ſponte comparere, qui indiciis non præuenti comparent, ſecùs autem, ſi compareant timore ne accuſentur, nam tunc non dicuntur ſponte comparere, ſed metu) Tunc illi ineligibiles ſunt, quia hæreticus etiam occultus, & poſt emendam irregularis eſt, vt dictum eſt, *§. præced. num.* 74. Si verò appoſitum ſit, quòd, hæreſi, de qua fuit accuſatus, vel denuntiatus, non probata, propter ſuſpiciones coactus eſt de leui, vel de vehementi abjurare, tunc eligibilis eſt.

96. Ex dictis collige, quid iuris de electione actiua iſtorum; hæretici enim eligere non poſſunt, quia excommunicati, infames, irregulares, extra Eccleſiam, ſimiliter nec eorum filij, quia irregulares, infames. Item nec eligere poſſunt neophyti, quia inexperti. Item nec filij Iudæorum, Mahumetanorum, & Hæreticorum relapſorum condemnatorum, vel quorum oſſa ſeu ſtatuæ combuſtæ fuêre, vſque ad quartam generationem; quia ſi non poſſunt recipi ad Religionem, multò minùs poſſunt admitti ad eligendum; quòd ſi aliqui de gratia, vel per ignorantiam, ſeu etiam malitiam fuerint admiſſi, ſunt priuati voce actiua, & paſſiua in perpetuum, *per cap. Rom.* 3. *n.* 20. An autem alij electores poſſint hos ſecum ad eligendum admittere, dic quòd non, ſi ſint denuntiati tales, alias ſic, etiam ſi ſciantur, poſt extrau. *Ad euitanda*; qua non tenemur eos vitare, iuxta dicta ſup. de excommunicatis non denuntiatis, & in ſpecie de hæreticis id docent Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 13. *quæſt.* 7. Nauarrus *lib.* 5. *conſ. de hæretic. conſ.* 21. *num.* 3.

§. VIII.

Vtrum bigamus ſit eligibilis ad Prælaturas Regularium.

97. VIde D. Thom. *addit. ad.* 3. *part. quæſt.* 66. *art.* 5. *corp.* Sanch. *lib.* 7. *de matrim. à diſp.* 83. Garciam *de benef. part.* 7. *cap.* 6. Raymund. *in ſumm. de qual. ord. l.* 3. *§.* 3. Trott. *de perf. cleric. lib.* 2. *par.* 1. *requiſ.* 7. *à n.* 28. Lambert. *de iur. patr. par.* 1. *lib.* 2. *quæſt.* 7. *art.* 13. *num.* 7. *&* 18. Couarr. *in clem. ſi furioſus, par.* 2. *§.* 2. *n.* 1. Sayr. *lib.* 6. *de cenſ. cap.* 5. *à num.* 5. Campanil. *in diu. iur. rubr.* 11. *cap.* 6. *à num.* 29. Azor. *tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 4. *quæſt.* 6. *&* 10. Petr. Greg. *de elect. cap.* 10. *num.* 1. Henriq. *lib.* 12. *cap.* 6. *num.* 9. *&* 11. Pariſ. *de reſig. lib.* 4. *q.* 4. *num.* 17. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *par. diſp.* 49. *ſect.* 6. *num.* 16. Diaz *in pract. cap.* 16. *num.* 2. vbi Salz, Hoſt. *in ſumm. lib.* 1. *tit. de temp. ord. num.* 15. *& tit. de big. num.* 5. Majol. *de irreg. lib.* 1. *cap.* 33. *num.* 1. Barboſ. *par.* 1. *de poteſt Epiſcop. tit.* 2. *gloſ.* 4. Nauarr. *lib.* 1. *conſ. tit. de big. conſ.* 3. *&* 4. *& in man. cap.* 27. *n.* 195. Auilam *de cenſur. par.* 7. *diſp.* 8. *dub.* 1. Bonacin. *de cenſ. diſp.* 7. *quæſt.* 2. *par.* 5. *num.* 3.

98. Dicendum eſt, bigamum eſſe ineligibilem ad Prælaturas Regularium. Ita DD. cit. Prob. 1. *ex cap.* 1. *&* 2. *d.* 33. *& cap.* 1. 2. *&* 3. *de big.* & ex Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 17. *de refor.* Plura Concilia, & PP. noſtram concluſioné probantes, vide apud Creſp. *in ſum. verb. Bigamus.* Prob. 2. *ex* 1. *ad Tim.* 3. vbi dicitur, quòd eligendus in Prælatum, vel debeat eſſe cœlebs, vel vnam tantum habuiſſe vxorem. Rationes autem, quare bigami arceantur à dignitatibus Eccleſiaſticis, & ſacris ordinibus, ponit Hoſt. *in ſumm. de big. §* 5. Barboſ. & alij communiter. Duas accipe breuiter. 1. quia qui duas contraxit nuptias, non poteſt aptè ſignificare vnionem Chriſti cum Eccleſia vnica eius ſponſa. 2. quia eſt ſignum incontinentiæ; vnde non poterit efficaciter alij perſuadere caſtitatem; & hic quadrat illud Ennij. *Qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri commonſtrant viam.*

99. Nota. 1. quòd bigamus eſt, qui duas duxit vxores, vel vnam viduam. Quotuplex ſit bigamia, dixi *tom.* 1. *noſtr. prin. in conſt.* 2. *Iul. I I. num.* 120. vbi etiam dixi, quòd Prælati regulares poſſunt diſpenſare ſuper bigamia ſimilitudinaria, quando ſcilicet quis poſt votũ ſolemne caſtitatis emiſſum, vel in profeſſione Religionis, vel in ſuſceptione ſacrorum ordinum, vxorem duxit. Et DD. ibi ad hoc adductis adde Auilam *loc. cit. dub.* 4. *concl.* 5. Bonac. *num.* 15. Circa verò bigamiam veram, quando, ſcilicet quis duas duxit vxores, & interpretatiuam, quando duxit viduam, vel alias corruptam, aut etiam vxorem adulteram ſcienter, vel ignoranter cognouit, dixi, quòd non poterant Prælati Regularium diſpenſare; Inuenio tamen Auilam *loco citato, concluſion.* 8. & Henriquez *lib.* 12. *cap.* 6. *num.* 11. dicentes, quod etiam in his bigamiis diſpenſat prælatus regularis cum ſuo profeſſo per multa priuilegia, quæ ibi affert Henriquez *in commentariis litera Z*, cui ſententiæ fauet multum doctrina D. Thom. *loco citato*, quem ſequitur Armilla, *verb. Bigam. num.* 9. Fauet etiam illud priuilegium Martini V. relatũ à Suar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 1. *l.* 2. *cap.* 25. *num.* 1. quo conceditur, poſſe abſoluere, & diſpenſare ab omnibus, & ſuper omnibus, quantumvis grauibus cenſuris, & pœnis, etiamſi talia forent, propter quæ ſedes Apoſtolica eſſet conſulenda, vel quæ Summus Pont. reſeruare conſueuit. Quo caſo dicunt Palud. *in* 4 *d.* 27. *quæſt.* 4. *art.* 5. *concl.* 5. Tab. *verb. Bigam. §.* 7. Sayr. *lib.* 6. *de cenſ. cap.* 6. *num.* 14. quod poſſent Prælati regulares cum ſuis ſubditis diſpenſare. Aduertunt tamen Palud. & Sayrus quòd licet poſſent dicti Prælati diſpenſare cum dictis

bigamis

bigamis quò ad ordines, non possent tamen dispensare quò ad dignitates suscipiendas, nisi etiam ad id priuilegium haberent; non enim sequitur, ait Palud. Dispensat quò ad majores ordines, ergo quò ad dignitates; nam videmus, quòd illegitimus per ingressum Religionis dispensatus quò ad ordines, non tamen dispensatur quoad dignitates, vt constabit ex §. sequenti num. 133. Et ratio est, quia dispensatio est stricti iuris; cap. 1. in fine, de fil. presb. in 6. cap. Non potest, de presb. eodem lib. Vnde non extenditur vltra casum expressum; & sic vides, quòd illegitimus dispensatus ad dignitates inferiores, non intelligitur dispensatus ad superiores. Addit tamen ibi Palud, quod sic dispensatus ad ordines poterit habere officia manualia Religionis.

100. Nota 2. quòd bigami non sunt prohibiti Religionem ingredi, & profiteri. Vech. de non. disp. 5. dub 3. num. 2 Nauarr. lib. 3. cons. de conuers. coniug. num. 2. cons. 8. Lamb. de iur. patr. lib. 2. p. 1. quæst. 7. art. 13. num. 7. Borgas. de irreg. p. 5. num 62. tit. de bigam. Non debent tamen admitti ad statum clericorum, quia ordinari non possunt per eius iura, & per Religionis ingressum non habilitantur. Ita Camp. in riu. iur. rubr. 11. cap. 6. num. 32. Suar. tom. 5. in 3 p. disp. 49 sect. 6. n. 16. Azor. p 2. lib. 6. cap 4. q. 10. Couarr. in clem. Si furiosus, p. 2. §. 2. num. 6. Sanch. 7. de matr. disp. 86 num. 4. licet habilitari dicant Anton. in cap. fin. num. 9. de bigam. & Abb. num. 1. Henriquez & Auila per prælatos habilitari posse putent. Quam sententiam non puto tutam in praxi, saltem quò ad forum externum: Posset tamen etiam admitti ad statum clericorum bigamus nobilis, & virtuosus, & à prælato dispensari, vt posset ordines minores suscipere, & sic choro, & Ecclesiæ tanquam clericus inseruire, & alia minora officia exercere, iuxta opinionem, quam tenui tom. 1. priuil. cit. quòd scilicet possint prælati regulares dispensare cum bigamis, quoad tonsuram, & minores ordines, pro qua sententia citat Garcia de benef. p. 7. cap. 6. num. 13. quam plurimos Doctores præsertim Diu. Thom. in 4. distinct. 27. quæst. 3. art. 3. & probabilem, ac in praxi posse seruari, putat Campanil. rubr. 11. cit. num. 29. Sanchez loco citato num. 11. & videtur probari euidenter ex capit. Lector, dist. 33. imò expressum videtur in cap. 2. de bigam.

101. Sed pone casum. Vxoratus post adulterium vxoris, eam nihilominus cognouit, moritur adultera, ingreditur Religionem superuiuens maritus, admittitur ad ordines, Fit sacerdos, ingreditur electiones Superiorum, fit Superior. Quæritur, an hic, & quomodo peccauerit? Respondetur quod hic erat bigamus, per cap. Si cuius vxorem, cap. Si laici, cap. Si quis viduam, d. 34. vnde peccauit mortaliter, sumens ordines sacros, & interessens electionibus, accipiensque dignitates, quarum incapax erat, poterit tamen excusari per ignorantiam inuincibilem, qua depulsa est in malo statu, nisi dispensationem petat à Pontifice secundùm communem, vel etiam à suo prælato, secundùm opinionem Auilæ, & Henriquez, immò in hoc casu posse prælatum talem dispensationem largiri, concedit Turrecremata in cap. Lector, d. 34. art. 2. n. 11. conclus. 5. & Reginald. in prax. lib. 30. tract. 2. num. 29 in fine. Atque ita adhunc casum Respondetur à Nauarr. lib. 3. cons. de conuer. coniug. cons. 8 num. 4.

102. Sed quid? In illo interim, quo iste petit dispensationem, antequam acquirat, accedit tempus electionis, ad quam ingreditur, & cum duæ in illo capitulo faciendæ essent electiones, in vna ipse fuit electus, & in altera elegit; & qui electus est; sciebat talem electorem inhabilitatum. Respondetur, iste talis tenetur abstinere ab electione actiua, & passiua in illo interim, quo disponitur sua habilitatio, vnde, si se ingerat, mortaliter peccat. Majolus de irreg. lib. 1. cap 7. num. 2. & quò ad electionem passiuam constat, quòd ipsa est nulla, propter incapacitatem personæ, vnde, si habilitationem non obtineat, quæ sit noua collatio dignitatis, tenetur ei renuntiare. Pro quo facit doctrina Nauarri lib 1. cons. de fil. presb. cons. 3. num 1. Quo verò ad electionem actiuam etiam mortaliter peccat, quia immiscet se actibus, in quibus nullum ius habet. Electus verò, qui scit inhabilitatem huiusmodi, etiamsi sciat, se ratione illius dignitatem obtinuisse, validè tamen, & licitè dignitatem retinet, quia licet ille esset inhabilis re ipsa, & quò ad se, nihilominus erat toleratus, vnde eius acta tenent, supplente pro bono communi defectum Ecclesia, iuxta reg. l. Barbarius ff. de off. Prat. & habet hic locum extrau. Ad euitanda. Ita Suarez lib. 5. de leg. c. 9 n. 6. & 7.

§. IX.

Vtrum illegitimi sint eligibiles ad Prælaturas Regularium.

103 Vide Campanil. in diu. iur. rubr. 11. c. 13. Suar. de cens. disp. 50. Sigism. de elect. à dub. 72. Azor. p. 2 lib 6. cap. 3. Petrum Gregor. de elect. cap. 11. n. 1. & lib. 10. synt. cap 3. & lib. 2. patr. iur. can. tit. 3. cap. 2. Paris. de resig. lib. 4. quæst 4. à num. 8. Couarr. de matr. p. 2. cap 8 à §. 1 Guillel. Bened. in cap. Raynutius, vers. eod. à num. 22. Cassan. in cat. par. 11. consid. 15. Coninck de cens. disp. 18. dub. 12. Tiraq. de perf. cler. lib. 2. par. 1. req. 1. Garciam de benef. p. 7. cap. 2. Sayr de cens. lib. 6. cap. 10. Lamb de iur. pat. par. 1. lib. 2. q. 7. art 11. Passarell in not. priu. cap 24. Lup. de illeg. & nat. cost. Tiraq. de nob. cap. 15 à num 10. Sanctarel. var. resol. à quæst 20. vsq. ad 46. Rebuff. in prax. tit. de dispens. super def. nat. Auil. de cens. par. 7 disp. 5. dub. 6 Majol. de irreg. lib. 1. à cap. 4. Diaz in practic. cap. 14. Bonac. de cens. disp 7. quæst. 2. par. 3. Barb. de pot. Ep. par. 3. & alleg. 72. num. 83. & par. 2. alleg 45. & cap. 1. 2. & 3. de fil. presb Nauarr. in man. cap. 25 n. 117. & lib. 1. cons. de fil. presb. cons. 6. & cons. 2. de reg. num. 60. Rodriq. tom. 1. q reg. quæst. 13. Mirandam tom. 2. man. quæst. 2. Less. lib. 2. de iust. cap. 34. dub. 18. num. 86. Sanch. l. 5. in dec. cap 5. à num. 9. & l. 3. de matr. à disp. 42. Vechiom de non. disp. 23. dub. 6. Reginald. in praxi lib. 30. tract. 2. à num. 67. Duar. de benef. lib. 4 cap. 5. Host. in sum. lib. 1. tit. de fil. presb. Silu. & alios Summistas, vers. Illegitimus, Henr. lib. 14. cap. 8. n. 10. Filiuc. tom. 1 tract. 19 c. 5. Anton. 3. p. tit. 28. cap. 4. Specul. l. 1 tit de dispens. §. 5. à num 31. Goff. in sum. tit. de fil. presb. Mol. tract. 2. de iust. disp. 165. Cened. ad decr. coll. 68. A. Gabr. com. op. tom. 3. tit. de illeg. Menoch. de arb. lib. 2. casu 201. n. 35. Vide etiam quæ dixi tom. 1. nostr. priu. in const. 2. Iul II. à n. 89. Paleot. de noth. tom. 8. tract. par. 2. Ant. de Rosellis tract. de legit. præsertim lib. 1. in loco citato tract.

104. Noto 1. quod illi filij censentur, & sunt legitimi, qui nati sunt ex matrimonio vero, 1. Corinth. 7. cap. Quod nobis qui fil. sint legit. siue ab initio, siue ex post facto, cap. Conquestus, cap. Tanta, eod. tit. vel putatiuo, saltem ex parte vnius conjugis in facie Ecclesiæ, celebrato, esto alias nullo propter occultum crimen, cap. Ex tenore, cap. Referente qui fil. sint legit. Ita Rodriq. loc. cit. art. 1. Mirand. tom. 1. man. quæst. 19. art. 3. Petr. Greg. lib. 2. part. iur. can. cap 1. num. 1. Filiuc. tom. 1 tract. 19. cap. 3. num. 131. Suar. de cens. disp. 50. sect. 1. num. 1. 2. & 6. Molin. tract. 2. de iust. disp. 165. in princ.

105. Ex qua doctrina colligitur 1. quòd quando mulier, habita notitia de morte sui coniugis, alteri bona fide nubit, proles ex hoc secundo matrimonio suscepta legitima est, priori marito verè viuente, ignorantia probabili ab illegitimitate excusante. Ita Majol. de irreg. lib 2. c. 5. n. 8 Sayrus de cens. lib. 6. cap. 10 n. 32. Sanctarell. var. quæst. 20. n. 3.

106. Colli

106. Colligitur 2. quòd filij nati ex matrimonio nullo, ob aliquod impedimentum dirimens, legitimi sunt, non solùm quando vterque coniux ignorat impedimentum, sed etiam solùm vnus ignoret, & alter sciat. Ita Barbosa *cap. Cum inter, qui filij sint legitimi, num. 9.* Filiucius *tract. 41. cap. 4. num. 5. fin.* Molina *loco citato*, Majolus *loco citato, num. 1.* Azor. *par. 2. lib. 6. cap. 4. quæst. 22.* Suarez *cit. num. 6.* Sayt. *n. 31.* Sanctat. *n. 4.* Couarr. *par. 2. de matr. c. 8. §. 1. n. 2.* Henriquez *lib. 11. c. 20. n. 1.* Habetur *in c. Ex tenore, c. Cum inter, c. Peruenit, qui fil. sint legit.* Et aduertit Couarr. *loco cit. n. 4* quòd semper præsumitur, dictos parentes tale matrimonium ignoranter, & bona fide contraxisse, dum non probatur, eos in mala fide fuisse.

107. Colligitur 3. quòd filij nati ex parentibus, qui in facie Ecclesiæ matrimonium contraxerunt, postea verò declaratur, matrimonium fuisse nullum, cum tamen ignoretur, an bona, vel mala fide contraxerint, legitimi censendi sunt. Suarez citat. *sect. 4. num. 10.* Sanctatell. *num. 6.* colligitur *ex cap. Peruenit, qui fil. sint legit.* Idem dic, si quis habens votum simplex castitatis, matrimonium contrahat cum fœmina sibi conjuncta in aliquo gradu consanguinitatis, vel affinitatis, matrimonium dirimente, quod tamen impedimentum omninò ignoret, licèt peccet contra votum castitatis, proles tamen suscepta legitima est. Sanct. *num 7.*

108. Colligitur 4. quòd legitimi sunt ij filij, qui procreantur ex matrimonio, clandestino valido. Menoch. *cons. 199. num. 57.* Sanct. *num. 8.* constat. *ex cap. 2. de cland. de spons.* Item, si matrimonium clandestinum sit inualidum ob aliquod impedimentum, filij ex eo concepti antequam detegatur impedimentum, sunt legitimi, licet nati sint tanquam tale matrimonium esset approbatum ab Ecclesia, modò postea approbetur, Sylu. *verb. Filij, quæst. 8. num. 10.* Sanctat. *num. 9.* nam in pœnis benignior est interpretatio semper facienda, per *reg. 49 in pœnis de reg. iur. in 6.* Item filius illegitimus per subsequens matrimonium clandestinum validum legitimatur. Sanchez *lib. 3. de matrim. dispu. 44. num. 2.* Garc. *de benef. par. 7. cap. 2. num. 32.* Illegitimi verò sunt filij nati ex matrimonio clandestino bona fide inito, quando tale matrimonium ob occultum aliquod impedimentum, quodcumque illud sit, inualidum est, non enim præsumitur bona fides, vbi omittuntur ea, quæ sunt necessaria ad veritatem assequendam, *c. penult. in fine cap. fin. dist. 37. cap fin. §. Si quis verò, de clandest. de spons.* Secus autem esset, si tale matrimonium postea ab Ecclesia approbaretur. Sanctat. *num. 10. & 11.* Et nomine matrimonij clandestini intellige illud, quod quamvis celebratum sit coram Parocho, & testibus, fuerunt tamen absque causa, & auctoritate omissæ denuntiationes. Auil. *de cens. par. 7. disp. 3. dub. 6. in princ.* Henriquez *lib 11. cap. 5. n. 1.* Sanch. *3. de matr. disp. 1. num. 7.* Barb. *in cap. cum inter, qui fil. sint leg. num. 20.*

109. Colligitur 5. quod filius natus ex matrimonio nullo censetur legitimus, quovsque à iudice feratur sententia de nullitate. Majolus *de irreg. lib. 1. cap. 5. num. 7.* Sayt. *de cens. lib. 6 cap. 10. num. 33.* Couarr. *loco citato, num. 6.* constat *ex cap. cum inter, qui fil. sint legit.* vbi Barb. *n. 13.* immò est etiam legitimus post datam sententiam de nullitate matrimonij, interposita appellatione legitima, vt dicunt iidem DD. habetur *in cap. Venientes, de iur. iur. cap. non solum, de appellat. in 6.* & addit Couarruuias *num. 7.* quod natus pendente termino decem dierum, dato à iure ad appellandum, est legitimus, immò ait Sayrus *num. 34.* quod etiam proles est legitima, quando coniuges separantur quoad torum ante declarationem inualiditatis matrimonij, etiamsi prohibita sit copula sub pœna excommunicationis; quod etiam docet Majol. *loco citato num 5.* constat *ex cap. 1. & 2. de matrim. contr. contra interd. eccles.*

110. Colligitur 6. quòd filij nati ex parentibus, qui de validitate matrimonij dubij erant, sunt legitimi, & censentur esse in bona fide, per *reg. in cap. Si virgo 34. quæst. 22.* vbi ait August. bonæ fidei possessorem dici, qui se possidere ignorat alienum; malæ verò fidei, cum sciuerit, alienam rem esse, quam possidet. Vnde constat, quòd ad malam fidem inducendam requiritur; quòd positiuè sciatur vitium possessionis, seu impedimentum existens. Ad bonam verò fidem sufficit ignorantia vitij, seu impedimenti per negationem scientiæ; quæ ignorantia, & negatio reperitur in dubitante, non enim positiuè scit impedimentum, & consequenter ignorat. Atque ita Barbosa *in capit. cum inter, qui fil. sint legit. num. 18.* Glossa *in cap. vlt. de prescript. vers. nulla temporis*; Abb. *dicto cap. vlt. num. 40.*

111. Colligitur 7. quod filij nati ex parentibus, qui votum simplicis castitatis ex mutuo consensu emiserunt; sunt legitimi nullo iure vetante, & odia restringi debent; *cap. odia de reg. iur. in 6.* Less. *lib. 2. de iust. cap. 19. dub. 6. num. 57.* Sanctat. *var. quæst. 21. n. 1.*

112. Colligitur 8. quòd filij progeniti ex parentibus legitimo matrimonio inter se coniunctis, sunt legitimi, quamvis vir ex consensu vxoris sacros ordines susceperit, & post susceptos ordines carnaliter se cognoscentes; istos filios genuerint. Suar. *de cens. disp. 50. sect. 1. num. 4.* Maiol. *de irreg. lib. 1. cap. 4. n. 9.* Sylu. *verb. Illegitimus, q. 4. num. 6.* Sanctat. *loco citato, num. 2.* Re enim vera nati sunt de legitimo matrimonio, & nullo iure vetante.

113. Colligitur 9. quod si quis contrahat matrimonium, cum aliqua, & postea sine consensu illius ordines sacros suscipiat, si vxorem suam cognoscat, proles suscepta erit legitima. Maiol. *loco citato*, Host. *in summa lib. 1. tit. de fil. presb. numero 8.* Suarez *loco citato, numero 3.* Sayr. *lib. 6. cap. 10. numero 40. de cens.* Sanctat. *n. 6.* Proles enim non est sacrilega ex parte vxoris, sed licita. Contrarium tamen sentit Goffredus *in summ. tit. de fil. presb.* Item sunt legitimi filij nati ex parentibus legitimo matrimonio vnitis, quamuis alter coniux ingrediatur Religionem, altero coniuge ignorante, vel sciente quidem, sed contradicente, & in ea etiam professionem emiserit, si post professionem Religiosus suam coniugem carnaliter cognoscat, non enim potest talis professio præiudicare vxori, *cap. Quidam, cap. Placet, de conuers. coniug.* Sanctat. *loco citato num. 8.* quod est verum, etiamsi ambo coniuges ex mutuo consensu emiserint solemnem professionem in Religione, & post eam filios genuerint. Sanctatellus *quæst. 21. num. 9.* quia matrimonium validum est, & nullum ius vetat in hoc casu. Contrarium tamen tenet Rebuff. *in prax. tit. de dispens. sup. def. nat. num. 40.* Item, si, vno coniuge profitente Religionem, alter in sæculo remaneat, si hic continere non possit, potest coniugem iam professum repetere quamvis professionem emiserit de consensu illius, & filius ex illis genitus erit legitimus. Sayr. *lib. 6. cap. 10. num. 41.* Sanctat. *var. quæst. 21. num. 10.* & supponitur *in cap. 1. de conuers. coniug. iuncta glossa verb. Reuocari.*

114. Colligitur 10. quòd filius illegitimus legitimatur per subsequens matrim. *cap. Conquestus, cap. Tanta, qui filij sint leg. l. cum quisque & l. Nuper, cod. de nat. lib. §. vltim.* Suar. *de cens. dis. 50. sect. 1. num. 2.* Garc. *de benef. part. 7. c. 2. n. 28.* modo tamen tempore conceptionis, vel natiuitatis parentes essent habiles secundum naturam, & canones ad contrahendum, vt *in dicto c. Tanta.* Et legitimatur etiamsi parens dicto tempore esset in minoribus ordinibus constitutus. Ludouicus de Sardis *quæst. 4. num. 18. de nat. lib. §. De legit.*

per

per verum matrim. imò etiamsi beneficium haberet Ecclesiasticum; quia cum his non est prohibitum matrimonium contrahere. Sayr. lib. 6. cap. 10. num. 17. Lup. de illeg. comm. 4. §. 3. num. 1. Campanil. in diu. rubr. 11. cap. 13. num. 125. & 116. Majol. lib. 1. de irreg. cap. 4. num. 15. Couarr. de matrim. par. 2. cap. 8. §. 2. num. 5. Item genitus ex religioso, vel religiosa intra annum probationis fit legitimus per sequens matrimonium; Majol. loco citato: Sayr. num. 18. Couarr. loco cit. n. 5. vers. Quarto ex his. Molina tract. 2. de iust. disp. 172. Cened. ad decretales, collect. 68. num. 5. quia eo tempore parentes inter se legitimè contrahere poterant. Item legitimatur illegitimus per subsequens matrimonium, inter quod aliud matrimonium mediauit. Vt v.g. si duo se cognoscant, & prole suscepta, vel nata, vnus eorum, v. g. pater contrahat cum alia fœmina, qua mortua, contrahit secundum matrimonium cum illa, ex qua filium habuit. Ita Sayrus loc. citato num. 19. Majol. num. 16. Hostiensis in summ. lib. 1. tit. de fil. presbyt. num. 6. Sylu. verb. Illegitimus, quæst. 3. num. 5. Cened. num. 4 Campanil. cit. num. 131. quia eo tempore parentes erant habiles ad contrahendum. Item legitimatur, etiam si parentes contrahendo consentirent de non legitimando filio nato. Couar. loco cit. num. 12. Sayr. de cens. lib. 6. cap. 10. num. 23. Molin. tract. 2. de iust. disp. 172. col 2. vers. Vt naturales: quia huic matrimonij fauori parentes renuntiare non possunt. Et aduerte, quòd ad legitimandam prolem per subsequens matrimonium, sufficit, quod matrimonium sit ratum, licèt non confirmatum. Sayr. lib 6. de cens. cap. 10. num. 28. Henriquez lib. 11. cap. 20. §. 1. quia matrimonium ratum est verum matrimonium, & canones absolutè dicunt, quod proles legitimatur per subsequens matrimonium.

115. Colligitur 11. quòd filius illegitimus habitus ex incestu, vel alio impedimento irritante, legitimatur per subsequens matrimonium celebratum cum dispensatione Papæ, cum clausula, prolem susceptam, si qua est, & suscipiendam exinde legitimam decernendo. Ita Garcia de benef. par. 7. cap. 2. num. 40 Sanctar. var. quæst. 22. n. 11. Farin. par. 1. decis. 166. num. 5. Barbosa in cap. Tanta, qui fil. sint leg. num. 38. colligunt ex dicto cap. Tanta, & cap. Per venerabilem, qui fil. sint legit. Et addit Barbosa num. 39. hoc etiam habere verum, quando, obtenta dispensatione super celebratione matrimonij, & legitimatione prolis, illud per superuenientem mortem vnius conjugis, non potuit effectuari.

116. Colligitur 12. quòd filius illegitimus legitimatur per subsequens matrimonium contractum ab infirmo propè mortem, vel sene decrepito. Lud. de Sard. loco citato q. 1. Couar. de matrimonio par. 2. cap. 8. §. 2. num. 20. Henriquez loco citato, Campanil. in diuers. iur. rubr. 12. c. 13. num. 137. Sanctarell. var. quæst 25. num. 3. Molin. loco cit. col. 5. vers. Dubium præterea est. Cened. coll. 68. ad decret n. 2. Sayr. de cens. lib. 6. c. 10. n. 21. quia tale matrimonium est verum, vt probant dicti Doctores ergo debet prolem legitimare, iuxta cap. Tanta, qui fil. sint legit.

117. Colligitur 13. quod filij spurij (de quibus dicam infra num. 121.) per subsequens matrimonium non legitimantur, etiamsi spureitatis causa ab altero, vel ambobus coniugibus ignoretur. Ita Garcia de benef. par. 7. cap. 2. num. 33. Molin. de inst. tract. 2. disp. 172. vers. Per subsequens. Suarez de cens. disp. 50. sect. 1. num. 5. Sanctar. var. quæst. 22. num. 14. Henriquez lib. 11. cap. 20. § 3. Couarr. part. 2. de matrimonio cap. 8. §. 2. à n. 16. Petr. Greg. synt. iur. lib. 10. cap. 4. num. 4. Prob. ex cap. Tanta, qui fil. sint leg. Et quia danti operam rei illicitæ imputatur quidquid interuenit, etiam præter eius intentionem; cap. Continebatur, cap. Tua, de homic. nec id est contra illud, quod dictum est num. 106. nam ibi bona fides versatur circa consummationem matrimonij, hic autem solùm circa maius, vel minus, peccatum. Verùm contraria sententia, quòd scilicet filij spurij per subsequens matrimonium legitimentur, quando spureitatis causa ab ambobus, vel altero coniugum ignorabatur, non est improbabilis, quam tenet Glossa in cap. Tanta, vers. Aliam; Innocentius in cap. Ex tenore, qui fil. sint legit. A. Gabriel. op. tom. 3. lib. 6. conclus. 2. num. 5. tit. de legitim. Glossa in cap. Non omnis, 32. quæst. 2. vers. Constituente. Cassad. decis. vn. de spons. Et tunc ad dictum cap. Tanta dic, quod habet locum in casu, quando mala fides adest in vtroque: Imò Cassad. Gabriel, & glossa in cap non omnis, & glossa in cap. Innotuit, verb. coniugata, de elect. & P. de Bais. in direct. elect. par. 2. cap. 1. num. 6. videntur docere, quòd legitimentur dicti spurij per subsequens matrimonium, etiamsi ab ambobus sciatur dicta spureitatis causa. Et dicit dicta glossa, cap Non omnis, quod sufficit, quòd contrahentes sint habiles tempore matrimonij, etiamsi inter ipsos extiterit aliquod impedimentum irritans tempore procreationis prolis, quia sequens matrimonium omnia præcedentia purgat. Sed hoc non admitto, propter textum dicti cap. Tanta; Nisi fortè ad illud respondeas, habere solum locum in casu, de quo loquitur, & cum simus in pœnalibus, non posse ad alia impedimenta etiam cognita extendi. Vel nisi velis dicere, quòd loquatur dictum cap. Tanta, quando se inuicem cognoscentes habent notitiam non solum majoris culpæ in dicto actu, stante impedimento, sed etiam cognitionem expressam dicti impedimenti, & consecutionum ipsius. Cui dicto fauet cap. Si virgo, 34 q. 2.

118. Colligitur 14. quòd ad discernendum, quando illegitimus legitimetur per subsequens matrimonium, considerandum est tempus conceptionis, vel natiuitatis, prout magis fuerit proli conueniens. Vnde si quis conceptus fuit tempore, quo inter virum, & fœminam non poterat esse matrimonium, quia vir vxoratus erat, si tempore natiuitatis vxor viri mortua sit, tunc proles nata non potest dici spuria, & consequenter, si isti contrahant deinde, absque difficultate legitimatur, tanquam naturalis, per subsequens matrimonium. Ita Sanchez 8. de matr. disp. 7. num. 19. Molina tract. 2. de iust. disput. 172. vers. Filius naturalis, Sayr. lib. 6. de cens. cap. 10. num. 29. Sanctar. var. quæst. 23. num. 1. Ledesma par. 1. summ. de sacr. matr. cap. 34. diff. 3. vers. A esta duda se responde. Couarr. de matrim. par. 2 cap. 8. §. 2. num 2. Sigismund. de elect. dub. 74. à num. 3. Colligitur, ex § Sufficit, inst. de ingen. & ex l. nuper. Cod. de nat. lib. Et ratio esse potest. Nam proles in ventre matris, cum adhuc lucem humanam non aspexit, non debet humanis legibus puniri, vt fieret, si tempus conceptionis, non natiuitatis, esset inspiciendum, ad iudicandum de prole spuria, vel naturali, pro consequenda legitimatione ex matrimonio subsequente.

119. Et aduerte, quòd sic legitimans per subsequens matrimonium, intelligitur legitimatus, quò ad omnia, ac si à principio legitimus natus fuisset. Couarr. loc. citato. num. 21. Molina tract. 2. de iust. disp. 172. col. 2. vers. Denique, Vnde poterit absque vlla dispensatione ordines suscipere, & ad dignitates quascunque assumi, etiam ad Episcopatum. Couarr. loco citato num 24. Sayr. cit. num. 13. Henriquez lib. 11. cap. 20. §. 2. Sanctarell. var. quæst. 42. num. 19 Glossa in cap. Tanta, verb. Legitimi, qui fil. sint legit. Et Glossa in cap. Ex tenore, verb. Legitima, eod. tit. & Glossa in cap. Innotuit, de elect. verb. coniugata. Suarez tom. 5. de cens. disp. 50. sect. 2. num. 2. & 6. & sect. 5. num. 10. patet ex cap. Tanta, & cap. Conquestus, qui fil. sint legit.

120. Colligitur 15. quòd illegitimus, qui Religionem ingressus suscepit dignitates absque dispensatione, licèt mortaliter peccauerit, dispensatione tamen

men non eget ad eas retinendas, ſi eius parentes legitimè poſtea contrahant, quia cum proles per ſubſequens matrimonium legitimetur, & nullibi reperiatur, quòd hic caſus non comprehendatur in dicta generali regula, comprehendi dicendum eſt. Sanctat. *var. quaſtion.* 42. *num.* 21. Sayr. *loc. cit. num.* 30. Bonac. *de cenſ. diſp.* 7. *quaſt.* 2. *part.* 3. *num.* 8. Filliuc. *tract.* 41. *cap.* 4. *num.* 5. *verſ. Quod ſi ante*, *tom.* 3. probabilem putat Sigiſmund. *dub.* 73. *num.* 3. Contrarium ſentit Campanil. *rubr.* 11. *cap.* 13. *num.* 156. Azot. *tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 4. *q.* 21. *verſ. Secundò*, Rodrig. *tom. primo, quaſt. regul.* 13. *art.* 8.

121. Noto 2. Quod illegitimi ſunt illi omnes, qui legitimi non ſunt. *Et* ſunt in duplici differentia, quantum facit ad meum propoſitum. Alij enim ſunt naturales, alij ſpurij. Naturales ſunt, qui naſcuntur ex iis inter quos tempore natiuitatis, vel conceptionis non poterat eſſe matrimonium, eo quod parentes erant, vel conſanguinei, vel affines in gradibus irritantibus, vel voto ſolemni caſtitatis aſtricti, vel vinculo matrimonij ligati. Ita Suar. *loc. cit. ſect.* 2. *num.* 1. & 2. Sanctarell. *var. quaſt.* 24. *num.* 2. & 3. Molin. *tract.* 2. *de iuſtit. diſp.* 165. *verſ. Illud verò.* Leſſ. *lib.* 2. *de iuſtit. c.* 19. *dub.* 6. *num.* 55. & 56. Ludouicus de Sardis *de nat. l.* §. *De ſpuriorum appell.* Palcot. *de noth. cap.* 16. colligitur *ex c. Innotuit*, §. *cuius electionem, de elect.* & *ex cap. Tanta, qui fil. ſint legit.* Sub hac tamen diuiſione comprehenduntur varia illegitimorum genera, quæ conſultò omitto, quia ad rem, de qua agimus, nihil faciunt. Videri poſſunt apud. Sayr. *loc. cit. à num.* 6. Scot. *in ſelect. bull. theor.* 371. Campanil. *diu. rubr.* 11. *capite* 13. *à num.* 2. Palcot. *loco cit.* & *cap. ſeq.*

122. Ex quo colligitur 1. quod quando poſt matrimonium ritè contractum ante conſummationem, vterque coniux, vel alter eorum tranſit ad Religionem & profitetur in ea, ſi iſti poſt profeſſionem ſe cognoſcant, filius tali copula progenitus, eſt ſpurius. Quia cùm matrimonium per profeſſionem ſit diſſolutum, *cap. Deſponſatam*, 27. *quaſt.* 2. *cap. Decreta legalia*, 28. §. 2. *c. ex publico, de conuerſ. coniug.* Trid. *ſeſſ.* 24. *de matrim. can.* 6. nec poſſit inter eos ampliùs matrimonium iniri, neceſſariò ſequitur, illum ex tali coitu progenitum, eſſe ſpurium. Ita Maiol. *de irreg. lib.* 1. *capite* 4. *num.* 4. Sayr. *loc. cit. num.* 40. Sanctatell. *var. quaſt.* 24. *numero quinto.*

123. Colligitur 2. Quòd in dubio, an aliquis ſit naturalis, vel ſpurius, ad effectum legitimationis per ſubſequens matrimonium, debet potiùs æſtimari naturalis, quam ſpurius. Tum quia ſemper debet capi præſumptio, quæ excludat delictum, *l. Merito*, *ff. pro ſocio.* Tum quia magis præſumendum eſt honeſtum poſſibile, quàm inhoneſtum & turpe; *cap. Eſtote de reg. iur* Tum quia illud eſt magis præſumendum, quòd filio eſt magis fauorabile, *l. Miles*, §. *Defuncto*, *ff. de adult.* Ita Bald. *tomo* 1. *conſ. conſ.* 448. *num.* 4. Sanctat. *var. q.* 24. *num.* 20. Item dic, quòd in dubio, an filius ſit legitimus, vel illegitimus potiùs exiſtimandus eſt legitimus, quàm illegitimus, *l. Milee*, §. *Defuncto*, cit. Menoch. *conſ.* 18. *num* 15. & 16. Sanch. *lib.* 3. *de matrim. diſp.* 44. *num.* 2. *fin.* Pirrens *lib.* 3. *decif.* 2. Sanctat. cit. *num.* 21. Palcot. *de noth. cap.* 20. *à num.* 3.

124. Noto 3. Quòd homini honeſtè, & ſecundùm virtutem viuenti parentum delicta imputari non poſſunt; *capite Vndecunque e. Sponſus*, *d.* 56. *l. Crimen*, *ff. de pœn.* cum propria, non aliena culpa, infligenda pœna ſit attendenda, *capite Satis peruerſum*, *ad ead.* Vnde, cum naſci de adulterio, ſeu alio illicito coitu, non ſit culpa eius, qui naſcitur, ſed illius, qui generat, *capite Naſci*, *d.* 56. non debemus de illegitimitate, ſeu alio quocunque parentum noſtrorum vitio, vel defectu erubeſcere, modò, eorum vitiis improbatis, virtutem ſequamur, *capite Nunquam*, *d. ead.* Neque ea nobis vitio verti debent, cum præſertim multos ſciamus ex illicito progenitos coitu, in magnos, & egregios viros euaſiſſe, quorum plures numerantur à Tiraquel. *de nob. capite vigeſimoprimo à numero trigeſimoprimo*, & quamplurimi *in theſaur. princ. parte tertia, tit. Quomodo illegitimi preterea*, *pag. mihi* 491. & 515. & *in theſaur. vit. hum. vol. tertio*, *lib.* 11. *fol.* 1059. lege tamen cautè. Et multos illegitimos plures legitimè natos, moribus, & virtute antecelluiſſe, dicit Diaz. *in pract. cap.* 14. *num.* 1. & confirmat ibi Salz. lit. B. & conſtat ex illo Stat.

Vidi ego, tranſertos in alieno robore ramos.
Altius ire ſuis.

Et Eurip. in Andr.

Licet nothus ſit ſæpenumero arida ſatio, fertile, &
pingue vincit ſolum:
Multique ſpurij præſtant legitimis.

Quare videtur poſſe approbari dictum Sophocl. apud Stobæum ſer. 75.

Nothus tantundem valet, quantum legitimus.
Omne, quod bonum eſt, genuinam, & legitimam
habet naturam.
Nothum genus nomen habet culpabile, natura verò
æqualis eſt.

125. Noto 1. Quòd licèt hic modò dicta ſint aliquando vera, & in aliquibus, quia tamen vna hirundo non facit ver, & quæ rarò accidunt, non æſtimantur, *l. Iura*, *ff. de legib.* & vitia parentum ſolent ad filios transfundi, *capite, Si gens Anglorum*, *d. quinquageſimaſexta*, & ſæpè ſolet filius ſimilis eſſe patri. Vnde verſus.

Qui viret in foliis, venit à radicibus humor.
Et patrum in natos abeunt cum ſemine mores.

Ideò illegitimos abominatur Eccleſia, & communis Chriſtianorum ſenſus paruipendit, & acuerunt contra eos Doctores linguas ſuas; Imò Script. Deuter. 23. *Non ingredietur manſer, hoc eſt de ſcorto natus, in Eccleſiam Domini vſque ad decimam generationem*, id eſt perpetuò, & Sap. 3. *Filij autem adulterorum in conſummatione erunt.* Quem locum ſic vertit Vatab. *Liberi verò adulterorum à ſacris arcebuntur.* Vnde Tiraquel. *de nob. capite decimoquinto*, *numero vndecimo*, dicit, quòd de iure communi illegitimi non gaudent nobilitate parentum: & *numero duodecimo*, quòd non ſunt de parentum familia, & *numero decimotertio*, quòd non poſſunt ferre inſignia parentum, & *numero decimoquarto*, quòd ſunt infames, etiam legitimati, *numero decimo-octauo*, quia manet cicatrix & litura, quod tamen limitat *numero vigeſimoprimo*, niſi ſint legitimati per ſubſequens matrimonium. Bald. *in capite Cum in Eccleſiarum de conſt. numero* 86. vocat illegitimos inhoneſtos, & ſordidos; & *in capite primo. de conſtit. numero ſexageſimoprimo*, ait: quod baſtardus legitimatus eſt ſimilis alchimiæ, quæ facit apparere illud, quod non eſt, tranſmutare tamen vnam ſpeciem in alterã, non poteſt, ſicut legitimatus figuram legitimi gerit, ſed non habet eandem ſubſtantiam, quia debet proficiſci à rerum natura; quæ diuina, & immurabilis eſt. Caſſan. *in catalog. par.* 11. *conſideratio.* 15. ait: quod legitimi plebeij proferuntur etiam nobilibus baſtardis, & quòd baſtardi deturpant familiam, nec ſuccedunt, quia ſordidi ſunt, & quòd legitimus plebeius poteſt dicere baſtardo nobili; Sum magis honoratus, quàm tu. G. Bened. *in c. Raynut. ver. eodem num.* 27. vocat illegitimos indecoros, & ideò ait eſſe inhabiles ad ea, quæ in decore conſiſtunt, & quod non poſſunt eſſe conſiliarij principum, & *num.* 28. ait: quod non poſſunt eſſe teſtes, nec doctorari, & *num.* 30. quòd inter illuſtres baſtardi pro nihilo reputantur.

Franc. Curtius *conf.* 26. *col.* 6. ait: totum mundum abhorrere, & detestari bastardos. Et quòd pater non possit instituere in persona bastardi maioratum, dicit Henriq. *lib.* 14. *cap.* 8. *num.* 10. *in comm. lit. S. & in cap. Si gens Anglorum, d.* 56. dicitur, quod ista gens degener est, neque in bello fortis, neque in fide stabilis, neque honorabilis hominibus, neque Deo amabilis. Lupus *de illegitimat. comm.* 1. §. 3. *num.* 40. & Palæot. *de noth. cap.* 64. *num.* 9. dicunt, quod nomen bastardi turpe reputatur, & sonat infamiam in tantum, quòd si contumeliæ, aut conuicij causa in aliquem proferatur, etiam quòd dicatur verum, actione iniuriarum nihilominus proferens tenebitur. Tum quia iniuriam ex maleuolo animo magis, quam ex euentu metimur, *l. Eum, qui*, § *fin. de iniur.* Tum quia hic quid factum sit, non attendimus, sed quo animo, *cap.* 1. *in fine* 15. *quæst.* 6. Tum quia errata nostra ab aliis publicè detegi, & diuulgari, valde inhumanum, & illiberale videtur, *l.* 2. *Cod. quando, & quibus quar. pars, lib.* 10. ex quo multa contra ipsos infert Lupus, & Euriph. in Phæn.

> *Non enim quod per se non est honestum, poterit*
> *dici honestum,*
> *Neq; liberè illegitimi honesti matribus, sed & patri*
> *Scelus, & piaculum.*

Plura alia ignominiosa dicta contra bastardos, vide apud citatos Doctores. Et in eorum fauorem vide 3. *par. thes. prire ferè à princ.* & Tiraquel. *loc. cit. num.* 30. Hoc vnum in bastardis notaui, quod à nemine notatum vidi, eos scilicet aut rudes, aut ignaros rursus esse, ac obstinatos ita, & indociles, vt animalia bruta potiùs, quàm homines videantur, aut verò contra subtilissimos, optimi ingenij, & facillimos, vt nihil queat desiderari amplius. Quod accidere puto, quia, cum ex peccato nascantur, mediocritatem, in qua resplendet virtus ab ortu etiam natura eorum abhorreat. In omnibus semper quandam morum eruditatem cognoscas, quàm vel ex natura ipsa fallere non assueta, vt in signatis, vel à peccati turpitudine, tanquam infecta radice, vel à negligenti educatione parentum, vel à permissione Dei in detestationem talis flagitij, prouenire dicas. Et audiui quondam, quod non sciret aliquem bastardum vnquam in catalogum Sanctorum ab Ecclesia adscriptum, sed inuenio *in thesauro princ. part.* 3. *pag. mihi* 515. S. Albanum Martyrem, fuisse bastardum, ex incestu patris cum filia natum.

126. Dico 1. illegitimè natus est ineligibilis ad dignitates regularium. Ita D. Thom. *addit. ad* 3 *p. q.* 39. *art.* 5. Garc. *de benef. p.* 7. *cap.* 2. *num.* 1. Cassan. *in catal. p.* 11. *consid.* 13 *col.* 4. *vers. Illegitimi ergo* Duar. *l.* 4. *de benef. c.* 5. *col.* 3. Tiraq. *de nob. cap.* 15. *num.* 16. Lambert. *de iur. patr. lib.* 2. *par.* 1. *quæst.* 7. *art.* 11. *num.* 3. Paris. *de resig. lib.* 4. *quæst.* 4. *num.* 11 P. Greg. *tract. de elect. cap.* 11. *num.* 1. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 8. *num.* 10. Barb. *in cap.* 1. *de fil. Presb. num* 3. *& part.* 3. *de pot. Episc. alleg.* 72. *num.* 83. Menoch. *de arb. lib.* 2. *casu* 201. *num.* 35. Maiol. *de irreg. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 1. Campan. *in diu. iur. rubr.* 11. *cap.* 13. *num.* 1. Suar. *de cens. disp.* 50. *sect.* 3. *num.* 1. Prob. *ex capite cum in cunctis, cap. Innotuit, de elect. cap.* 1. *& fin. de fil. Presb. cap.* 1. *&* 2. *eod. tit. in* 6. *cap.* 1. *d.* 56. *cap. per venerabilem, qui fil. sint legit. cap. consuluit, iuncta glossa de ser. non ord. cap. nisi cum pridem*, §. *persona, de renunt.* Habetur in Trid. *sess.* 23. *cap.* 5. *de reform.* ibi: *de ipsarum ordinandorum natalibus, &c.* 7. ibi: *ordinandorum genus.*

127. Noto 1. Quod Ecclesia probibuit illegitimos ordinari, & beneficiari. Tum quia plerumque sunt pleni vitiis: relinquuntur enim à parentibus in suis sordibus, & negligenter educantur, & ab eis odio vt plurimum habentur, vt qui semper parentibus propria exprobrant delicta. Tum quia sunt ignominiosi, quasi ea turpitudine nati, vnde dehonestaretur honor clericalis. Tum quia id fit in honorem matrimonij. Tum quia timetur, ne paterna scelera sequantur. Vide Campanil. *loc. cit. num* 62. Tron. *de perf. cler. lib.* 2. *par.* 1. *reg.* 1. *num.* 1. Hostiens. *in summ. lib.* 1. *tit. de fil. Presbyt.* §. *Quæ est causa, num.* 6. Palæot. *de noth. cap.* 63. Azor. *tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 4. *quæst.* 19. Filliuc. *tract.* 19. *cap.* 5. *num.* 138. *tom.* 1. Rebuff. *in praxi, tit. de disp. sup. def. nat. à num.* 3. Sayr. *de cens. lib.* 6. *cap.* 10. *à num.* 2. Graff. *part.* 1. *decis. lib.* 4. *cap.* 27. *num.* 55. Anton. 3. *p. tit.* 28. *cap.* 4. *in princ.* Et addertit Lambert. *loc. citat. num* 3. quod illegitimi prohibiti sunt iure diuino beneficiari, & probat *ex c. Per venerabilem, qui fil. sint leg.* ibi: *testante Domino.*

128. Noto 2. Quod nostra conclusio intelligitur etiam de illegitimo occulto. Ita Sanctar. *var. quæstione* 42. *num.* 2. Salz. ad Diaz, *cap.* 14. *vers. Prohibensque*, Auil. *de cens. part.* 7. *disp.* 3. *dub.* 6. *concl.* 1. Bonac. *de cens. disp.* 7. *quæst.* 2. *p.* 3. *num.* 2 Nauarr. *in man. cap.* 27. *num.* 201. *& cap.* 25. *num.* 69. Sayr. *de cens. lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 36. Henriq. *lib.* 4. *cap.* 8. § 10. Azor. *parp.* 2. *lib.* 6. *cap.* 3. *quæst.* 23. Sigism. *de elect. dub.* 72. *num.* 1. Portel. *in dub. reg. verb. Illegitimus, num.* 8. Filliuc. *tom.* 3. *tract.* 41. *cap.* 4. *num.* 5. Mirand. *tom.* 2. *man quæst.* 2 *art.* 6 Constat *ex cap. Nisi cum pridem*, §. *Persona, de renunt.* Limitat tamen Rodrig. *tom.* 1. *quæst. reg. quæst.* 13. *art.* 5. *fin.* Quod si illegitimus occultus cogatur Prælationem acceptare, & sine sua, & suorum infamia non possit petere dispensationem, potest dictam Prælationem acceptare, & retinere.

129. Noto 3. Quod filius non tenetur credere matri asseueranti, etiam cum iuramento, etiam in casu mortis, se esse illegitimum. Ita Henriq. *lib.* 11. *capite* 21. §. 2. Sanctar. *var. quæst.* 42. *num.* 12. Sayr. *loc. cit. num.* 37. *vers. Quartò licet*, Sot. *lib.* 4. *de iust. quæst.* 7. *art.* 2. *ad* 2. Comit. *lib.* 7. *resp. mor. quæst.* 16. *n.* 13. Regin. *in prax. lib.* 30 *tract.* 2. *num.* 78. Bonac. *de cens. loc. cit. num.* 5. Salz. *loc. cit.* Nauarr. *capite* 27. *cit. & cons.* 1. *de fil. Presb. num.* 5. Maiol. *de irreg. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 3. Filliuc. *tract.* 19. *cap.* 5. *num.* 144. Suar. *de cens. disp.* 50. *sect.* 4. *num.* 5. Prob. *ex l. Neque professio, Cod. de testam. l.* 1. §. *Mulier, ff. de prob. l. Filius, ff. Qui sunt sui, vel al. iur.* Potest enim imaginari, matrem, vel ex odio, vel ex leuitate, vel etiam ex falsa imaginatione talia dicere. Vnde licet ex dicto matris credere possit, eam fuisse adulteram, per hoc tamen tenetur credere, se ex adulterio progenitum, cum filius præsumatur natus ex marito, etiamsi eodem tempore vxor cum alio adulterium commiserit, *l. Miles*, §. *Defuncto, ff. de adul.* A. Gabr. *comm. op. tom.* 3. *de præsumpt. concl.* 14. *n.* 1. Verum quidem est, quod si filius vel ex vehementibus coniecturis, vel ex animi leuitate, vel ex ignorantia se illegitimum credat, tenebitur se gerere tanquam irregularem, & sic ordinari non poterit ante dispensationem. Henriq. *loc. cit.* Sayr. *loc. cit. vers. Tertio qui*, Suar. *cit n.* 7. Sanctar. *num.* 11. Qui enim contra conscientiam agit, ædificat ad gehennam, *c. fin. de præscr.* poterit tamen hoc casu dubium, & conscientiam deponere, si sola mater affirmet, Suar. *loco cit.* Sanct. *n.* 15. Nau. *lib.* 1. *cons. de fil. Presb. cons.* 1. *n.* 5. etiamsi pater id asserat, non enim ita facile credendum in sui præiudiciū; potest enim existimare, ex aliquo interesse id parentes asserere; Et vniuersaliter censeo, non teneri illegitimū credere neq; rumori, neque infamiæ publicæ, quæ dicat se illegitimū, nisi sibi constet sufficienter tēpore suæ conceptionis eius matrē non fuisse cognitam à proprio marito. Ad quod adduco tex. *in c. Trāsmissa, qui fil. sint legit.* quod cap. ad id probandū adduxit Abb. *in c. Per tuas, de prob. num.* 4. & Glossa *in dicto cap. Transmissa, verb. Indiciis*, atq; quod filius, non obstante quocunq; dicto parentum,

sufficienter

sufficientes probat suam legitimitatem, si parentes eum tenebant pro filio, & ipse tenebat eos pro parentibus. Vide Suarez *loco cit. num. 6. & 7.* Filliuc. *num.* 145. & 146. Et similiter dic, non teneri filium credere parentibus dicentibus, procreationis tempore inter ipsos fuisse impedimentum dirimens, ab ipsis non ignoratum. Vide Suar. *loc. cit. num.* 10. Et si cupis scire, quomodo probetur, quem non esse filium, ad Lud. de Sard. *in tr. de natur. lib. 5. de filiat. prob. q.* 7. Et si vis scire, quomodo quis se filium probet, ad Paleot. *de noth. capite* 22.

130. Et si petas, an qui natus est post septem, decem, vndecim, aut duodecim menses à morte patris debeat se illegitimum tenere? Respondeo, de septimestribus non est difficultas, quod eo tempore nati superuiuere possint, cum multos sciamus huiusmodi robustos, & senes. Atque id docent Hippocr. *de septim. par.* Galen *clas. 1. in lib. isag. de fin. med. pag. mihi.* 49. *lit. G. & eod. tom. in fine, opusc. de septim. p. & clas. 7. in lib. spur. de hist. phil. tit. Cur. septim. infan. viu. pag. mihi* 11. *& ibid. de anat. vir. tit. De anatom. matr. in fine, pag. mihi* 53. Cæl. *lect. antiq. lib.* 11. *cap.* 12. *col.* 2. Bonaciol. *in enead. muliebr. c. 8. non longè à princ.* Dandinus *lib. 2. de an. com. 59. digress.* 28. *col.* 5. Plin. *lib. 7. cap.* 5. Gell. *lib* 3. *c.* 16. Arist. 7. *de hist. an. cap. 4. & de gen. an. c. 4. & sect. 10. probl.* 40. Quia eo tempore fœtus perfectus est. Sed, an idem dicendum sit de octimestribus, est difficultas Arist. *in probl. cit.* ait, quod homo septimo, octano, & decimo mense venire potest in lucem, & 7. *de hist. an.* cit. ait, quod: *Omnibus animalibus statutum est vnum pariendi tempus; homini verò multiplex datum est, nam & septimo mense, & octauo, & non parere potest, & quod plurimum, decimo, nonnulla etiam vndecimum tangunt.* Et aliquibus interpositis, ait: *Qui autem mense octauo nascuntur, viuere, & adolescere in terra Ægypti possunt, & quibusdam aliis in locis, vbi mulieres fertiliores sunt.* Et 4. de gen. an. cit. iisdem repetitis, subdit. *Qui enim mense octauo nascuntur, & si minus, tamen viuere possunt.* Plin, loco cit. ait: *Ante septimum mensem haud vnquam vitalis est, septimo nonnisi pridie, posterovè plenilunij die, aut interlunio concepti nascuntur. Translatitium in Ægypto est, & octano gigni. Iam quidem in Italia tales partus esse vitales, contra priscorum opiniones.* Quam doctrinam etiam amplectitur. Cœl. *loc. citat.* & sentiebant Diocles, & Empiricus apud Gal. cit. *de hist. phil.* Hippocrates vero, Galenus, Bonaciolus, Dand. octauo mense natum viuere non posse autumant; & rationes multas affert Dandinus, quare septimo mense nati viuant, & non octauo. Optima est illa. Fœtus septimo mense perfectus est, quo tempore, si robustus sit, exire quærit, si præualere non potest, cum ex colluctatione, & conatu facto in procurando exitu, remaneat imbecillis, si eundem exitum deinde euret octauo mense, viribus nondum satis refectis, non ferens duas afflictiones, sibi statim succedentes planè prosternitur, & si in lucem veniat, ita fractus, & debilitatus venit, vt viuere minimè possit, si nonum, aut decimum expectet mensem renouatis viribus, robustus prodit, ac viuit. De nono mense natis non est difficultas, cum res communis sit; de decimo est etiam res communis, vnde Ouid. 3. fast.

Annus erat, decimum cum Luna receperat orbem;
Hic numerus magno tunc in honore fuit.
Seu quia tot digiti, per quos numerare solemus;
Seu quia bis quino fœmina mense parit.

Quod nasci possint, & viuere homines vndecimo mense, docet Arist. 7 *de hist. an. cit.* Plin. *loco cit.* Hippocr. *de oct. par. num.* 6. Bonaciol. *loc. cit.* Gell. *loc. cit.* vbi ait: *Præterea ego de partu humano, præter quàm quo scripta sunt in libris legi, hoc quoque venisse vsu Romæ comperi, fœminam bonis atque honestis moribus, non ambigua pudicitia, in vndecimo mense post mariti mortem peperisse.* Et cum versum esset in dubium, an is filius legitimus posset esse, Adrianus Imperator, requisitis Philosophorum, & Medicorum sententiis, declarauit, in vndecimo mense posse partum edi. Ita Gell. Quod etiam tenuit Vlp. apud Petr. Greg. *lib.* 10. *synt. cap.* 4. *num. 29. & lib. 9 cap. 22. & 23,* & habetur in Auth. *de rest. ea, qua par. in vnd. mense.* §. Vnum siquidem. Quod verò possint nasci, & viuere homines duodecimo mense, imò & tertiodecimo, dicit Plin. *loc. cit.* Gell. *loc. cit.* Vlp. & P. Greg. *loc. cit.* & Timoth. apud Gal. cit. *de hist. phil.* omnes homines duodecimo mense nasci credebat, nouem tamen mensibus eos interdum existimari natos, interdum septem, quia non semper statim à conceptione menstrua supprimantur. Et Homer. *odiss.* 11. duodecim præscribit menses in vtero soboli Neptuni, & D. Ambros. 5. *in exam. cap.* 10. ex Varrone probat, fuisse puerum, qui anno integro maternis visceribus gestaretur. Censet itaque P. Greg. *lib.* 10. *cap.* 4. *synt.* filios natos septimo, octauo, nono, vndecimo, duodecimo, tertiodecimo mense post mortem patris, legitimos censeri posse, si de pudicitia matris non dubitetur. Ita etiam Maiol. *de irregul. libro* 2. *cap. 7. fine,* & Poza *in eluc. Deip. lib. 3. tract. 2. cap.* 7. ait: quod sæpè ex natura accidit, vt fœmina duodecimo, aut decimoquarto mense à conceptione exoneretur. Et huius rei ratio potest afferri ex Arist. *sect.* 10. *probl.* 64. vbi ait: *Quomodo ager sitiens haud citò suos stirpes enutrit, sic durior vulua in formando, nutricandóque suo fœtu remeratur.* Et D. Bern. *vi. Sanct. Malach.* qua in med. ait: quod venit aliquando ad Sanctam Malachiam mulier grauida, quæ partum retinebat iam 15. mensibus & diebus 20. quæ ad orationem serui Dei Malachiæ statim peperit.

131. Noto 4. Quod qui credit se esse legitimum, & bona fide Prælatutas Religionis suscipit, excusatur à peccato; sed recedente bona fide, per certam notitiam habitam de sua illegitimitate, tenetur vel renunciare, vel dispensationem petere. Ita Auil. *de cens. part. 7. disp. 3. dub. 6. ver. Sextò not.* Sayr. *lib. 6. de cens. cap. 10. num. 37. ver. Primò si fit.* Abb. *in cap. Nisi enim pridem, §. Persona, de ren. num.* 16. Maiol. *de irregul. libro 1. cap. 7. num.* 1. Anton. 3. *part. tit.* 28, *cap.* 4. *in princ. ver. Item dum quis.* Azor. *p. 2. lib. 6 capite* 4. *q.* 25. Colligitur *ex cap. Nisi cum pridem, loco cit.*

132. Noto 5. Quod electio facta in persona illegitimi est ipso iure nulla. Ita Pallar. *in prin. not. 24. vers. Vnde si.* Nauarr. *lib. 1. cons. de fil. Presb. cons. 4. num. 4. & in man. cap. 25. num.* 117. Campanil. *in diu. iur. rubr. 11. cap. 13. num.* 63. Put. *lib. 1. decis.* 247. Paris. *lib. 4. de resign. q. 4. n.* 13. Et constat *ex c. fin. de fil. Presb. & cap. 1. eod. cit.* ibi: *Nullatenus habeant,* quæ dictio, *Nullatenus,* reddit actum gestum nullum, & inualidum ipso iure, *l. vlt. ff. de lib. & post. l. Si fideiussor, ff. de neg. gest.* Bart. *in l. penul. §. Ad crimen, in fine, ff. de publ. iud.* Grat. *discept. for. tom. 1. c. 159. n.* 18. Sanch. *lib. 6. de matr. disp. 32. num. 7. & 5. in decal. cap. 5. num.* 17.

133. Dico 2. illegitimus quicunque per professionem factam in Religione approbata, legitimatur quoad ordines recipiendos. Anton. 3. *part. tit. 1. cap.* 27. §. 3. Suar. *de cens. disp. 50. sect. 5. n* 12. Maiol. *de irregul lib. 1. cap. 10. n.* 2. Sot. *in 4. d. 25. q. 1. art. 3. parum à princ* Sayr. *de cens. lib. 6. cap.* 11. *n.* 3. Filliuc. *tr. 19. c. 5. num.* 153. Sanctar. *var. q. 39. n.* 2. Auila *de cens. par. 7. disp. 3. dub. 6. conclus. 2. vers. Quintò not. ost.* Salz. ad Diaz, *cap.* 14. *vers. Si tamen illegitimus.* Bonac. *de cens. disput. 7. q. 2. parte tertia, num. 14. vers. Secundò per professionem.* Nauarr. *in man. cap. 27. num. 201. ver. Decimo dico.* Sigism. *de elect. dub. 72. num.* 2. Sanch. 5. *in decalog. capite quinto, num. duodecimo.* Campanil. *in diu. iur. rubr. vndecim. capite decimotertio, numero* 115. Vech. *de nou. disputat. decimatertia, dub. 6. num.* 2. Azor. *part. 2. lib. 6. cap. 3. quæst. 1.* Tror. *de perf. cler. lib. 2. seq.*

seq. 1. *num.* 5. *part.* 1. Prob. *ex cap.* 1. *de fil. Presbyt.* & *cap.* 1. *d.* 56. vbi id expresśè habetur.

134. Noto 1. Quod dicta professio non solum tollit irregularitatem quoad ordines suscipiendos, sed etiam quoad vsum ordinum susceptorum. Quare si illegitimus ante Religionis ingressum absque dispensatione ordines sacros sumat, si postea in Religione profiteatur, poterit non solum ad alios ordines promoveri, sed etiã in susceptis, absque alia dispensatione, ministrare. Ita Sanctar. *var. quæst.* 39. *num.* 8. Sanch. 5. *in decal. cap.* 5. *num.* 10. Vech. *de nou. disp.* 13. *dub.* 6. *num* 3. Et ratio est. Quia, cum dicta iura dicant illegitimum per ingressum Religionis habilitari ad ordines, nec distinguant de suscipiendis, vel susceptis, nec nos distinguere debemus, sed in fauorem Religionis ad vtrosque extendi, declarare tenemur; iuxta doctrinam Sanch. 8. *de matrim. disp.* 1. *n.* 13. & Suar. 8. *de leg. capite* 7. *n.* 7.

135. Noto 2. Quod licet illegitimus per professionem legitimetur quoad ordines, non tamen legitimatur quoad Prælaturas, intra Religionem, vel extra eam obtinendas. Goffr. *in summ. tit. de fil. Presb.* Barbos. *eod. tit. cap.* 1. *num.* 3. Passar. *in p. in. not.* 24. *in princ.* Lambert. *de iur. patr. part.* 1. *lib.* 2. *quæst.* 7. *art.* 11. *num.* 14. Miranda *tom.* 2 *man. quæst.* 2. *art.* 1. Anton. *loco cit.* & *tit.* 28. *cap.* 4. §. 2. Maiol. *cit. num.* 3. Sayr. *loc. cit.* Rebuff. *in prax. tit. de disp. sup. def. nat. num.* 67. Sanctar. *var. quæst.* 40. *num.* 1. Constat manifestè *ex cap.* 1. *de fil. Presb.* Possunt tamen illegitimi habere absque dispensatione officia manualia, quæ scilicet dantur absque electione canonica, & ordinaria iurisdictione, & possunt ad nutum Superioris auferri, vt dicit *com.* 1. *priu. in const.* 2. *Iul. II.* §. 29. *num.* 91. & DD. ibi cit. adde Sayr. *loco cit. num.* 3. Petr. Greg. *de benef. cap.* 11. *num.* 12. *tom.* 2. *decr.* Quare poterit bastardus esse Vicarius Correctoris è Conuentu exeuntis. Poterit esse Magister nouitiorum, Quintenarius, & habere clauem capsæ, vt declarauit sacra Congreg. *anno Domini* 1590. *die* 16. *Ianuar.* vt refert Lambert. *in append. suæ summ.* § 14. *in fine.* Poterit etiam esse confessor Monialium, & etiam sæcularium personarum, vt Campanil. *in diu. iur. rub.* 11. *cap.* 13. *num.* 117. Item poterit esse Sacrista, Procurator, &c. quia hæc officia non fiunt per electionem canonicam, & sunt amouibilia ad nutum Superioris. Non poterit tamen esse Parochus Ecclesiæ Regularis, *cap.* 1. *cap. Proposuit, de fil. Presb.* Rebuff. *in prax. loc. citat. num.* 68. Campan. *loc. cit.* Nauarr. *lib.* 1. *conf. de fil. Presb. conf.* 6. *num.* 6. *vers. Quartò,* & *num.* 7. licet non fiat per electionem, & sit ad nutum amouibilis, quia dicit quandam dignitatem, & habet ordinariam potestatem. Item licèt Regularis possit esse Vicarius Episcopi, vt docet Glossa *in cap. Si quis, d.* 8. Fusc. *de visit. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 100. Sbroz. *de off. vic. lib.* 1. *quæst.* 38. tamen illegitimus non potest esse Vicarius Episcopi, etiamsi fuerit legitimatus in Religione ad habendas dignitates. Ita Rodrig. *tom.* 1. *quæst. reg. q.* 13. *art.* 13. Campanil. *loc. cit. num.* 118. habet enim officium Vicarij præeminentiam, & ordinariam iurisdictionem, & est extra Religionem. Item illegitimi non possunt esse Discreti; *loc. citat. art.* 19. Cum enim careant voce passiua, non conuenit habere actiuam, vbi omnes de capitulo vtramque habent. Adde, quod Discretatus personatum dicit, quem gradum habere non possunt illegitimi per *c. vlt. de fil. Presb.* quod etiam docet Mir. *tom.* 2. *man. q.* 2. *art.* 8. *concl.* 1. Nec item potest esse Vicarius Conuentus, præ paupertate Correctorem sustinere non valentis: Quia licet per solum Prælatum eligatur, & ad illius nutum amoueatur, habet tamen potestatem ordinariam, Portel. *in dub. reg. vers. Illegitimus, n.* 8. Mir. *loc. cit.* An autem dicti illegitimi possint esse Definitores absque dispensatione, contendit posse Sigism. *de elect. dub* 72. *n.* 3. contra Rodrig. *loc. cit. art.* 18. cuius sententiæ adhæreo, quia Definitoriatus personatum dicit. Vide Portel, Mir. *loc. cit.*

136. Dico 3. expositi censendi sunt legitimi, atque ita absque vlla dispensatione, si fiant Religiosi, possunt ad omnia Religionis officia admitti. Ita Menoch. *de arb. lib.* 2. *casu* 396. *num.* 15. & 16. Salz. ad Diaz, *c.* 14. *vers. Sed huic loco.* Grat. *discep. for. tom.* 1. *c.* 135. *n.* 33. & *tom.* 2. *c.* 267. *n.* 22. Barb. *com.* 3. *de pot. Episc. alleg.* 51. *n.* 150. Rodrig. *tom.* 1. *q. reg. q.* 13. *art.* 1 & *q.* 14. *art.* 3. Salas 1. 2. *tr.* 8. *disp. vn. sect.* 24. *n.* 246. Camp. *in diu. iur. rubr.* 11. *c.* 13. *n.* 157. Sayr. *lib.* 6. *de cens. cap.* 30. *n.* 19. Henriq. *lib* 14. *c.* 8. §. 10. Suar. *de cens. disp.* 50. *sect.* 4. *n.* 4. vbi etiam probabilem contrariam sententiam censet. Et constat. Tum quia nemo dicendus est irregularis, nisi id sit iure expressum, *c. si quis, de sen. exc. in* 6. at hoc iure expressum non est. Tum quia satius est impunitum relinquere nocentem; quàm innocentem condemnare; *l. Absentem,* §. *Sed nec, ff. de pœn.* vnde parcitur nocenti matri saltem ad tempus, propter innocentem fœtum, quem gestat in vtero. Sed ex expositis multi sunt legitimi, illuc propter parentum pauperiem proiecti, vt ex facto suppono. Ergo, ne isti damnentur, etiam nocentibus parcendum est, & omnes ab hac pœna absoluendi, & refert Henriq. *loc. cit. in com. lit. K.* ita fuisse declaratum à Greg. XIV. *anno* 1591.

137. Dico 4. filius illegitimus non potest dispensari etiam à Prouinciali cum toto capitulo definitorio, vel Prouinciali, cui alias id iuris competit, ad habendas Prælaturas in ea Religione, in qua eius pater Prælatus fuit. Ita Sigismund. *de elect. dub.* 75. Mir. *tom.* 1. *man. q.* 2. *art.* 10 Prob. Tum quia id habetur expresśè *in const.* 30. *Clem. VII.* apud Chirub. *tom.* 1 *bull.* §. 2 & *in const.* 3 *Greg. XIV. tom.* 2. *dicti bull.* §. 3 *fine.* vbi expresśè mandatur, quod filius illegitimus, viuente patre, nullo modo admittatur ad Religionem, in qua eius pater professus fuit, etiamsi habeat merita, quæ eius natiuitatis suppleant defectum (si tamen de facto admittatur, eius professionem validam esse, docet Rodrig *tom.* 3 *q. reg. q.* 10. *art.* 5. Cruz *de sta. relig. lib.* 1. *cap.* 1.) vnde, si admitti non potest, multò minus præfici, quidquid dicat Rodrig. *loc. cit. q.* 13. *art.* 7. Tum quia id etiam vetatur *in cap. Præsentium, cap. Cum decorem, cap. Ad abolendam, de fil. Presb* & in Trid. *sess.* 25. *c.* 15. *de reform.* Et licet dict. cap. & Trid. loquantur solum de filiis Clericorum, non de filiis Regularium, & in pœnalibus nomine Clerici non veniat Monachus, nihilominus tamen vtrobique eædem militant rationes, malum scilicet exemplum paternæ incontinentiæ, indecorum domus Dei, detestatio paterni criminis, vt colligitur ex dictis capitibus imò fortius militant in Regularibus, quam in Clericis; cum enim laxius communiter viuant, non cedit id in tam graue scandalum, quam cederet in filiis Regularium, vnde optimè nomine Clericorum, in fauorem præsertim Religionis, Monachos intelligimus. Dicta verò cap. & Concilium forte erubuerunt tale quid de Religiosis suspicare; Quare, cum quæ rarissimè accidunt, & ferè nunquam, non sint in consideratione, eos præterierunt.

138. Noto 1. Quod dicta procedunt de filiis genitis post emissum professionis votum. Ita Rodrig & Mirand. *loc. cit.* nam geniti antea non pariunt tantam indecentiam. Sigism. tamen cit. *num.* 2. asserit, id etiam procedere in filiis illegitimis natis ante dictum votum, & affert ad id declarationem sacræ Congreg. declarantis, decretum Concil. habere locum in filiis naturalibus procreatis tempore, quo parentes eorum nondum erant effecti Clerici. Quæ declaratio, si est vera, multo magis habet locum in filiis Regularium, cum horum statum maior deceat puritas.

139. Noto 2. Quod non solum habet locum nostra conclusio in filio illegitimo, sed etiam in nepote illegitimo respectiuè. Rebuff. *in praxi, tit. de disp. sup. def. nat. num.* 25. Campan. *in diu. iur. rub.* 11. *cap.* 13. *num.*

num. 75. Sigismund. *loco cit. num.* 4. Garc. *de benef. part.* 7. *cap.* 3. *num.* 27. qui refert ad id declarationem sacræ Congreg. Et ratio est, quia, cum filius personam repræsentet patris, semper resticabit memoriam delicti auiti; & filiorum nomine ocpotes continentur. *l. Liberorum*, §. *Sed & Papyrus ff. de verb. sig.* & insinuatur in Trid. *loc. cit.* ibi: *Longissimè arceatur.* Et licet dictus Garc. ibi referat aliam sacræ Congreg. declarationem, cui standum esse dicit, in qua declaratur, quod in Concilij decreto non comprehenduntur dicti filij illegitimi ex patre illegitimo; id tamen, si est vera dicta declaratio, verum habet, auo mortuo; Imò dictus Garc. *num.* 24. ait: declarasse sacram Congreg. filium legitimum ex filio, seu filia illegitima non posse habere dignitatem, quam habuit auus, ipso auo viuente, & sentit Rebuff. *loc. cit. num.* 27. & 28. Licet contrarium teneat Nauarr. *lib.* 1. *consf. de fil. Presb. consf.* 9. & 10. Sayr. *de consf. cap.* 10. *num.* 46. In Religionibus tamen probabilius puto quod dixi, propter puritatem, quam requirit ille status, & ad arcendam materiam scandali, & loquacitatis, quæ fratres otiosos valde occupat.

140. Noto 3. Quod dicta nostra conclusio intelligitur non solum in eodem Conuentu, & Monasterio, in quo pater habuit dignitatem, vt censent Rodriguez *tom.* 1. *quæst. reg. quæst.* 13. *art.* 7. & Sigismund. *dub.* 75. *num.* 5. sed etiam in eadem Prouincia, ita vt filius non possit esse Corrector, verbi gratia, non solum in eodem Conuentu, in quo fuit pater, sed neque etiam in alio Conuentu eiusdem Prouinciæ, cum enim Prouinciæ non sint adeo magnæ, omnésque Fratres illarum se se bene norint, tollenda est materia dicacitatis, & pruritus incontinentiæ. In aliena Prouincia eiusdem Religionis non puto habere locum. In quo dissentio à Mirand. *tom.* 2. *man. quæst.* 2. *art.* 10. *fine.* Poterit tamen filius illegitimus esse Sactista, vel Procurator in illo Conuentu, seu Prouincia, in qua pater fuit Corrector, nullo tamen modo ipso patre fungente. Ita Sigismund. *loc. cit. num.* 6. Garc. *num.* 71. qui ad id refert declarationem sacræ Congreg.

141. Noto 4. Quod non prohibetur illegitimus permanere in eodem Conuentu, in quo pater est, vel fuit Superior. Sigism. *num.* 8. Garc. *num.* 74. vbi refert pro hoc declarationem Congreg. Nec similiter prohibetur pater Religiosus habere illam Prælaturam in eo Conuentu, vel Prouincia, in qua illam habuit filius. Tum quia id nullibi reperitur prohibitum. Tum quia non militant rationes, propter quas id prohibitum est filiis, nam per filium repræsentatur magis incontinentia paterna, quàm per patrem ipsum, vnde, cum sit odiosum, restringendum est. *l. Cum quidam*, *ff. de lib. & post.* Atque ita Rebuff. *loc. cit. num.* 29. Garc. *de benef. par.* 7. *cap.* 3. *num.* 28.

142. Noto 5. Quod filius legitimus non prohibetur habere Prælaturam in eo Conuentu, vel Prouincia, in qua eius pater habuit, modo illi immediatè non succedat. Ita Rebuff. *in prax. cit. num.* 22. Duar. *de benef. lib.* 4. *cap.* 5. & 10. Campanil. *in diu. iur. rubr.* 11. *cap.* 13. *num.* 74. Maiol. *de irreg. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 10. Less. *lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 90. Sayr. *loc. citat. num.* 45. Constat *ex cap. Ad extirpandas*, *cap. Ad hæc*; *c. Ex transmissa*, *cap. Conquerente*, *de fil. Presb.*

143. Ad vltimum hic nota, quod *tom.* 1. *nostr. prin. 80 consf.* 2. *Iul. II. num.* 96. dixi, quod super illegitimitate poterant Superiores Regulares per se solos, absque capitulis, dispensare, quod multis probat Sigism. *de elect. dub.* 76. *num* 6. Et Clemens VIII. concessit Clericis Regul. de Somas. per suam const. *Decet*, 22. apud Cherub. *tom.* 3. *bull.* quod Generalis cum suis Collegis possit dispensare cum illegitimis ad recipiendum, retinendum, & exercendum administrationes, officia, & dignitates. Si verò illegitimitas sit occulta, minor difficultas est secundum aliquos; nam vigore Bullæ Pij V. quam refero *tom.* 2. *prin. in consf.* 10. *Pij V.* §. 3. habent Prælati Regulares candem authoritatem in suos subditos, quam habent Episcopi in suos. Vnde, cum in tali casu eam facultatem habeant Episcopi, vt docet Auil. *de cens. p.* 7. *dub.* 7. *disp.* 3. quia huiusmodi irregularitas, cum ex delictis parentum proueniat, ad irregularitates ex delicto reducitur. Quod etiam videtur constare *ex cap. Nisi cum pridem*, § *persona*, *de ren.* ibi: *Si tamen & culpa latet*, & quia licèt dispensatio in particulari concessa sit stricti iuris, facultas tamen dispensandi, cum sit beneficium principis, nulli nociuum, est latè interpretanda, iuxta *c. Olim*, *de verb. sig.* & docent Sylu. *verb. Dispensatio*, *q.* 5. Nauarr. *tom.* 4. *de reg. num.* 15. *in fine*, dicendum est, eandem habere Prælatos Regulares. Addit verò Rodrig. *q.* 13. *art.* 23. & 24. quod possunt dicti Prælati etiam extra capitulum dispensare in illegitimitate ad habendum, & retinendum beneficium simplex cum suis familiaribus, & seruitoribus, qui actualiter seruiunt.

144. Sed, sine dispensandi huiusmodi potestas resideat penes Prælatum solum, siue penes ipsum cum capitulo, difficultas est, an prælatus, seu capitulum, eligendo illegitimum ad aliquam dignitatem, eo ipso censeatur cum illo dispensare. Respondeo negatiuè, cum Nauarr. *in man. cap.* 25. *num.* 74. & *lib.* 4. *consf. qui fil. sint leg. consf.* 1. *num.* 4. & *lib.* 1. *consf. de fil. Presb. consf.* 3. *num.* 2. Auil. *de cens. p.* 7. *disp.* 10. *dub.* 6. *conclus.* 1. *not.* 3. Rodrig. *tom.* 1. *quæst. reg. quæst.* 13. *art.* 16. Mirand. *tom.* 2. *man. quæst.* 2. *art.* 14. Sylvest. *verb. Dispensatio*, *quæst.* 15. *num.* 21. Abb. *in cap. Cum in cunctis*, §. *Inferiora*, *num.* 8. & *in cap. Diuersis fallaciis*, *de cler. coniug. num.* 4. & *in cap. Quisquis*; *de elect. num.* 3. Gloss. *in cap. vn. verb. Dispensare*, *de at. & qual. ord.* Spec. *lib.* 1. *tit. de dispensat.* § 9. *Qualiter*, *num.* 4. Gloss. *in cap. Qui in aliquo*, *verb. Qui concubinas*, *d.* 51. Rebuff. *in prax. tit. de disp. sup. def. nat. num.* 9. & plures alij videri possunt apud Sanch. *lib.* 8. *de matr. disp.* 4. *num.* 15. qui tamen contrarium sentit *num.* 17. cum aliis quos citat: quibus adde Suarez *tom.* 5. *de cens. disp.* 41. *sect.* 3. *num.* 5. & Sigism. *de elect. dub.* 81. *num.* 2. Sed nostra opinio communior est. Et prob. 1. quia hoc modo dispensare ad summum Pastorem pertinet, qui absque causæ cognitione potest talem dispensationem facere. At inferiores Papæ, cum sine causæ cognitione dispensare non possint, neque etiam possunt dignitatem conferre, quin priùs discutiant, an aliqua ratio suadeat, illegitimum ad eam habilitare. 2. arg. *dicti cap. Qui in aliquo*, ibi: *Qui concubinas.* Cum enim ibi puniatur Episcopus promouens concubinarium, cum quo potest dispensare, si promouendo, ipso facto dispensaret, non deberet puniri, 3. arg. *cap. Ex tua*, *de fil. Presb.* §. *Super quo*, vbi, cum Episcopus authoritate Papæ cum aliquibus filiis Presbyterorum dispensasset ad habendum beneficiũ, quod patres eorum immediatè habuerunt, ij admittuntur à Papa ad beneficia retinenda. Ergo à contrario, si cum iis non dispensasset expressè, licèt beneficia contulisset, non possent dicta beneficia retinere.

145. Aduertant hic etiam Prælati Regulares, quod sine legitima causa non possunt cum illegitimis dispensare ad dignitates. Campanil. *in diu. iur. rubr.* 11. *cap.* 13. *num.* 103. Rodrig. *tom.* 1. *quæst. regul. quæst.* 13. *artic.* 14. Pottel. *in dub. reg. verb. Illegitimus*, *num.* 9. Sigismund. *de elect. dub.* 78. *num.* 1. quod si nihilominus dispensent, dispensatus non est in conscientia tutus, Sigism. *n.* 3. non enim censendus est Pontifex velle concedere aliis, quod ipse sine culpa facere non potest. Licet enim dispensatio ab ipso facta sine causa valeat, ipse tamen culpa non vacat, vt, D. Thom. 1. 2. *q.* 97. *art.* 4. Iustæ causæ communiter sunt vtilitas, scandalum, literarum scientia, morum honestas, vitæ virtus, fama personæ, & aliæ, quas enumerat Campanil. *loco cit. num.* 104.

Sigismund. *num.* 4 Rodrig. *cit. art.* 15. Constat *ex cap. Innotuit, de elect.* Aduerte etiam cùm D. Thom. *addit. ad* 3. *p. quaest.* 19 *art.* 5. quod tanto difficiliùs concedenda est illegitimis dispensatio, quanto turpiùs fuerint procreati. Quod etiam notarunt Aula *ac cens. part.* 7. *disp.* 3. *dub.* 6. *concl.* 2. *not.* 1. & Campan. *loco citato, num.* 79. Notat tamen Rodrig. *loc. citat. art.* 17. quod in Religionibus non est necesse explicare omnes qualitates illegitimitatis in petenda dispensatione, verbi gratia, quod si natus ex adulteris, incestuosis, &c. sed sufficit proponere in genere illegitimitatem. Quia, inquit, verisimiliter creduntur Prælati regulares velle cum suis subditis dispensare in illegitimitate, quacumque qualitate interueniente. Hanc tamen doctrinam non admittunt Mirand. *tom.* 2. *man. quaest.* 1. *art.* 13. & Sigism. *de elect. dub.* 79 *num.* 7. & verè admittenda non est, cum sit præsertim contra doctrinam D. Thom.

146. Aduerte etiam, quod *tom.* 1. *nostr. prin. loc. cit. num.* 99. dixi, quod dispensatus ad dignitatem inferiorem, non censebatur dispensatus ad Superiorem, nisi de hac facta fuerit expressa mentio, & DD. ibi ad hoc adducti: is adde Goffr. *in summ. tit. de fil. Presb. verf. finem.* Hostiens. *in summ. lib.* 1. *eodem tit. num.* 8. Azor. *part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 3. *quaest.* 8. & 9 Barb. *de pot. Episc. p.* 2. *alleg.* 45. *num.* 5. Bonac. *de cens. disp.* 7. *quaest.* 2. *part.* 3 *num.* 14. *vers. Aduertendum est.* Rodrig. *loco citato art.* 10. *verf. Ex supradictis colligitur.* Si vero est dispensatus in maiori, intelligitur etiam dispensatus in minori. Quia dignitates inferiores in Regularibus continentur eminenter in Superioribus. Ad quod facit illa reg. iuris. *De maiori ad minus licita est extensio. l. Non debet, ff. de reg. iur. regula, Cui licet,* 53. *de reg. iur. in* 6.

147. Aduerte etiam, quod illegitimus dispensatus in sæculo ad beneficium curatum, si Religionem ingrediatur, non potest in ea obtinere dignitates. Mirand. *tit. cit. art.* 5. Sigism. *de elect. dub.* 80. *num.* 7. Portel. *in dub. reg. verb. Illegitimus, num.* 6. Nauarr. *lib.* 4 *cons. cons. num.* 1. *qui fil. sint leg.* Sayr. *lib.* 6. *de cens. c.* 11. *num.* 4. *fine.* Quia dispensatio est strictè iuris, vnde dispensatus ad habenda beneficia sæcularia, non potest habere regularia. Quod tamen limita, nisi dispensatio facta ab habente potestatem, fuisset generalis ad habenda quæcumque beneficia Ecclesiastica cuiuscumque qualitatis, tam sæcularia, quàm regularia, vt Rebuff. *in praxi, tit. de disp. sup. def. nat. num.* 74. & 75. quæ dispensatio generalis potiùs legitimatio dicenda est, quam dispensatio.

148. Aduerte etiam, quod Religiosus dispensatus ad obtinendas dignitates in sua Religione, si ab ea eiiciatur, vel ad aliam transeat, non potest, neque in sæculo, neque in Religione, ad quam transiit, dignitates obtinere, absque noua dispensatione, nam Prælatorum iurisdictio non extenditur ad habilitandum nisi in sua Religione. Ita Rodrig. *loc. cit. art.* 10. *fine.* Mirand. *art.* 4. *fine.* Sigism. *cit. n.* 6. Sanch. 5. *in decal. cap.* 5. *num.* 6. Barb. *in cap.* 1. *de fil. Presb. num.* 6. Camp. *in diu. iur. rubr.* 11. *cap.* 13. *num.* 119.

149. Aduerte item, quod si illegitimi professio nulla declaretur legitima auctoritate, potest nihilominus in susceptis ordinibus ministrare, & ad alios ascendere. Quia hoc est priuilegium iure communi concessum, in fauorem Religionis, quod, effectu obtento, non retractabitur, cum nullibi cautum reperiatur. Ita Sanch. *loc. cit. n.* 14. Contrarium tenent Ricciul. 2. *par. prax. resol.* 311. quem sequitur Barb. *in cap.* 1. *de fil. Presb. num.* 9. quia, cum per illam professionem nullam non fiat verus Religiosus, non debet priuilegiis solis verè Religiosis concessis frui. Verum tamen habet opinio Sanch. in eo, qui propter delicta expelleretur ab Ordine in perpetuum; quia non per hoc desineret esse Religiosus.

150. Sed pone casum, quod illegitimus legitimatus ad habendas dignitates Ordinis, concurrat cum aliquo nato legitimo ad aliquam dignitatem, quisnam ex illis erit præferendus etiam in conscientia? Respondeo, Quod cæteris paribus, legitimus præferendus est, arg *l. Generaliter, §. Spurios, ff. de decur.* Tron. *de perf. eler. lib.* 2. *part.* 2. *req.* 1. *num.* 2. dixi, Cæteris paribus; nam si illegitimus esset doctior, & sanctior, præferendus esset; ex hoc enim quod illegitimus, si est probus, spernendus non est; *cap. Nasci d.* 56.

151. Sed an illegitimi, dum non sunt habilitati ad vocem passiuam, gaudeant actiua? Dic, quod non; arg. *c. fin. de fil. presb.* Est enim quædam prærogatiua, & personatus in Religionibus vox actiua.

152. Tandem aduerte, quod Monialis illegitima non potest esse Abbatissa, neque Correctrix sine dispensatione: Ita Suar. *tom.* 5. *de cens. disp.* 50. *sect.* 5. *num.* 15. & *tom.* 4. *de relig. tr.* 1. *lib.* 2. *cap.* 6 *num.* 14. Nauarr. *com.* 2. *de reg. n.* 6. & *in summ. c.* 27. *num.* 201. *vers. Decima dico,* Sayr. *lib.* 6. *de cens. cap.* 11. *num.* 3. Maiol. *de irreg lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 5 Sanctar. *var. q.* 41. *n.* 7. militant enim in ea eædem omnino rationes, quæ in viris. Quo casu probat Dec. *in l. Femina, ff. de reg. iur. num.* 110. legem pœnalem loquentem de masculis, extendi etiam ad fœminas. Dispensare autem cum dictis Monialibus ad habendas dignitates, pertinet ad Prælatum Regularem, cuius Ordini sunt, qui Prælatus pot se solus potest hanc dispensationem concedere, vt dictum est *num.* 141. etiam stando in rigore Bullæ Greg. XIV. contra illegitimos, de qua *tom.* 1. *nostr. prin. in consit.* 2. *Ind. II. num.* 94. secundum Rodrig. *tom.* 1. *q. reg. quaest.* 13. *art.* 22. qui etiam censet *art.* 21. quod Moniales dicta dispensatione non egeant.

CAPUT VI.

De fidei professione, quam tenentur facere Prælati Regulares.

1. Vide Ledes. *tom.* 2. *sum. tract.* 1. *cap.* 4. *conclus.* 10. Sayr. *in decis. tit. de summ. trin. à decis.* 1. F. Leon. *in thes. for. Eccl. part.* 1. *cap.* 3. *num.* 16. & *par.* 2. *cap.* 10. *à num.* 20. Fusc. *de vis. lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 15. & *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 4. Sà *in aph. verb. Fides, num.* 6. Rodrig. *tom.* 2. *quaest. reg. quaest.* 72. & *in sum. tom.* 1. *cap.* 119. *num.* 7. Pasil. *de resig. lib.* 8. *quaest.* 9. *num.* 121, & *lib.* 10. *quaest.* 11. Ricciul. *in collect. part.* 3. *collect.* 579. & *p.* 1. *prax. decis.* 681. & 3. *part. prax. à resol.* 191. & 4. *p. prax. decis.* 83. Camp. *in diu. iur. rubr.* 8. *c.* 3. *à n.* 17. Sanch. *lib.* 2. *in decal. cap.* 5. Azor. *par.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. Scot. *in select. bull. opt.* 83. *theor.* 206. & *sp.* 84. *theor.* 207. Filliuc. *tom.* 3. *tract.* 41. *cap.* 6. *à num.* 5. & *tom.* 2. *tract.* 22. *cap.* 3. *à num.* 93. Barb. *de pot. Episc. p.* 3. *alleg.* 61. Sigism. *de elect. dub.* 50. Garc. *de benef. part.* 3. *cap.* 3. Portel. *in dub. reg. verb. Professio fidei.* Sotb. *in com. eod. verb.* Zer. *eod. part.* 2. *prax.* Piasec. *in prax. part.* 2. *cap.* 5. *num.* 27. Quat. *in sum. verb. profess.* Nald. *eod.* Vgol. *de pot. Episc. cap.* 50. §. 16. Less. *lib.* 2. *de iust. cap.* 34. *dub.* 29. *num.* 165. Nauarr. *lib.* 2. *cons. de iur. iur. à cons.* 7.

2. Dico 1. Prælati Regulares, siue perpetui, siue temporales, tenentur facere professionem fidei, iuxta formam præscriptam à Pio IV. intra duos menses computandos à die electionis, si dicti Prælati sint præsentes in suis Conuentibus, & Prouinciis; si autem sint absentes, dicti duo menses debent computari à die obtentæ possessionis dictarum Prælaturarum: & debet fieri talis professio coram capitulo in manibus Superioris præteriti, vel alterius à capitulo, vel Prælato deputandi. Ita Nauarr. *loco cit. cons.* 10. Ledes. *concl.* 11. Sà

num.

num. 6. Rodrig. *quæst. reg.* cit. *art.* 1. & *in summ. loc. cit. vers. Quinto aduertendum.* Barb. *num.* 7. Portel. *num.* 1. & alij cit. Constat *ex cap.* 12. *Conc. Trid. sess.* 24. *de refor.* & licèt Concilium de Regul. non loquatur; quia tamen ratio motiua dictæ professionis faciendæ etiam in dictis Regularibus militat, vt scilicet Ecclesiasticarum personarum fides pura, & constans in obedientia S. R. E. perseueret, ideo, cum sit in fauorem Religionis, posset ad dictos Regulares secundùm iura communia extendi, nisi iam fuisset ad eos extensa per const. Pij IV. *Iniunctum, tom.* 2. *Bull. Cherub. in const.* 89. *illius.*

3. Noto 1. quod teneotur dicti Prælati dictam professionem facere dicto tempore sub mortali, id enim denotat verbum illud, *Teneantur*, positum in Concilio, vt dicit Garc. *loco cit. num.* 64. eo quod præceptum, & obligatio sit de re graui. Atque ita Sanch. 2. *in dec. cap.* 5. *num.* 1. Rodrig. *in summ. loc. cit.* Ledesm. cit. *concl.* 10. Filliuc. *tom.* 3. *cit. num.* 6. & *tom.* 2. *num.* 94. Posset tamen quis excusari à mortali, si ex ignorantia inculpabili in foro animæ, vel ex inaduertentia talem professionem omisisset; Nauarr. *loc. cit conf.* 7. *n.* 3. & *conf.* 12. *num.* 1. Filliuc. *tom.* 3. *tr.* 41. *cap.* 6. *num.* 11. Azor. *loc. cit. quæst.* 2. Garc. *num.* 68. Patis. cit. *lib.* 10. *q.* 11. *num.* 10. Sanch. cit. *num.* 13 Rodrig. cit. *art.* 2. Vgol. *loc. cit. num.* 5. Sorb. *not.* 2. Ricciol. 3. *p. prax. resol.* 195. *num.* 6. Barb. *num.* 29. Et ratio est, quia iuxta D. Thom. 1. 2. *quæst.* 76. *art.* 3. & 4. ignorantia excusat à mortali. Dixi, In foro animæ, nam in foro fori non excusabitur, vt dicunt præfati DD. Patis. *num.* 8. Garc. *num.* 67. quia ignorantia iuris clari non excusat in hoc foro, per reg. 13. *Ignorantia, de reg. iur. in* 6. poterit tamen etiam in hoc foro excusare, si probetur. Filliuc. *loc. cit. cap. Innotuit,* §. *Habito*, vbi Panorm. *num.* 9. Sed difficilè euitabit pœnas, cum Prælatis per ignorantiam delinquentibus non facilè sit indulgendum, *cap. Scriptura, de consecr. d.* 2. *cap. vlt. d.* 37.

4. Noto 2. quod per transactionem termini duorum mensium non deobligatur Prælatus à professione fidei facienda, si intra dictum terminum non fecit; Nauarr. *lib.* 2. *cons. de iur. iur. cons.* 11. *num.* 1. Rodrig. *in sum. tom.* 1. *cap.* 119. *num.* 7. *vers. Quartò, uet.* Ledesm. *loc. cit. dub.* 3. *concl.* 9 Garc. *num.* 29. Filliuc. *num.* 101 Azor. *q.* 5. Scor. cit. *ep.* 8. *theor.* 207. *vers. Quaremi: n* Sigism. *loc. cit. n* 6. Vgol. *n.* 1. Patis. *num.* 12. *quæst.* 11. Sanch. *num.* 5. quia non in temporis honorem assignatio adhibita est, sed solùm vt terminus obligationis implendæ, in quo casu, transacto termino, non cessat obligatio, *l. Celsus, ff. de recept. arb. c. Cum dilecti, de dolo, & cont.* §. *Praterea.*

5. Noto 3. Quod Prælatus tenetur dictam fidei professionem facere toties quoties ad dicta, vel similem, aut aliam Prælaturam assumitur, verbi gratia, qui 2. vice in Correctorem eligitur, tenetur hac 2. vice fidei professionem facere, quamvis eam 1. vice fecerit. Azor. *par* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *quæst.* 8. Sigismund. *de elect. dub.* 50. *num.* 4. Ricciul. 4. *par. prax. decis.* 83. *fine*, & 3. *p. prax. resol.* 192. *num* 3. Campan. *in diu. iur. rubr.* 8. *cap.* 3. *num.* 20. Filliuc. *tom.* 3. *tract.* 41. *cap.* 6. *n.* 10. Garc. *loc. cit. num.* 18. qui ad id refert declarationem Concilij, Barb. *de pot Episcop. p.* 3. *alleg.* 61. *num.* 8. & 9. Contrarium sentit Sanch. 2. *in decal. c.* 5. *num.* 6. Irresolutè loquitur Scor. cit. Ergo à primis non discedo. Quia verba generalia generaliter intelligenda sunt; arg. *cap. Si proponente, de rescript.* & arg. *l.* 1. §. *Et generaliter, ff. de leg. præst.* Concilium autem generaliter loquitur *sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.* & duodecim sunt horæ diei.

6. Noto 4. Quod Collegæ Generalis, & Collegæ Prouincialis tenentur fidei professionem facere. Quia & ipsi curam habent animarum saltem mediatè, & immediatè in rebus grauibus, quia sunt comparticipes officij cum suis Prælatis, & eorum officia personatum dicunt, & æquitantur, imò præsunt Correctoribus, licèt sine præeminentia, & iurisdictione sint. Fauet Garc. *de benef. p.* 3. *cap.* 3. *num.* 15. & 16. & declaratio Congreg. quam affert *dicto num.* 16. Filliuc. *loc. citat. num.* 7. Vgol. *de pot. Episc. c.* 50. §. 16. *num.* 3. Zerol. *in prax. part.* 1. *verb. Beneficium*, §. 5. *dicto* 4. Idem videtur dicendum de Vicariis paruorum Conuentuum; quia curam animarum habent, & includi videntur in Trident. *loc. cit.* Et idem dicendum videtur de Visitatoribus tam generalibus, quam Prouincialibus, quia & dignitatem, & curam animarum habent. Sed de his non inueoio DD. loquentes. Facit tamen Trid. *sess.* 25. *de reform. cap.* 2. vbi, *Cæteri vero omnes Ecclesiastica beneficia, &c.* Ergo, cum dicta officia ad modum Ecclesiastici beneficij se habeant, tenebuntur ea obtinentes ad fidei professionem.

7. Noto 5. graue dubium esse apud DD. an dicta fidei professio fieri possit per procuratorem. Negant Filliuc. *loc. cit. n* 9. Ricciul. 3. *p. prax. resol.* 196 Garc. *à num.* 72. Vgol. *loc. cit. num.* 1. Zerol. *in prax. part.* 2. *hoc verb.* Grat. *discept. forens. tom.* 1. *cap.* 166. *n.* 21. Sigismund. *loc. cit. num.* 3. Apostilla Nauarr. *ad cons.* 11. *de iur. iur.* refert ita censuisse sacram Congreg. Quia; inquiunt, iuramentum vbi iure faciendum est personaliter est faciendum, ex gloss. *cap. Vt circa, verb. Corporali, de elect. in* 6. & innuunt verba illa in forma dictæ professionis apposita, *Sic me Deus adiuuet*, &c. Affirmant Nauarr. *loco citat. num.* 2. Sanch. 2. *in dec. cap.* 5. *num* 7. Ledesm. *tom.* 2. *sum. cap.* 4. *tr.* 1. *dub.* 6. Flau. Cherub. *ad const.* 88. *Pij IV. schol.* 1. Nald. *in sum. hoc vers. num.* 5. Azor. *p.* 2. *lib.* 7. *cap.* 1. *quæst.* 6. Campan. *in diu. iur. rubr.* 8. *c.* 3. *num.* 19. & testatur se in praxi id vidisse seruari in capitulo Neapolitano, Barb. *loc. cit. num.* 20. Ricciul. 4. *p. prax. decis.* 84. vbi retractans, quod dixerat 3. *part.* hanc opinionem multis probat, & ad eam affert *decis. Rotæ* Scort. *in select. bull. theor.* 207. *vers. Quid si, in fine.* Probabilem putat Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 22. *cap.* 3. *num.* 96. Et constat; Tum quia potest quis per alium, quod potest facere per seipsum, per *reg.* 68. *Potest, de reg. iur. in* 6. *l.* 1. *ff. de procur.* præsertim quando contrarium non reperitur dispositum, vt hic. Nullum est enim verbum in concilio; vel const. Pij IV. quod hoc prohibere videatur. Tum quia solemne iuramentum potest præstari per procuratorem, ad id specialiter deputatum, *cap.* 1. §. *Verum de sta. reg. in* 6. *cap. Metuentes, iuncta gloss. verb. De præsenti*, 17. *quæst.* 4. Tum quia id videtur expressum *in cap. Tibi Domino, d.* 63. vbi glossa *verb. Iurare*, ponit formam, qua debet procurator iurare, & *in cap. Optatum, d.* 100. Vtraque itaque sententia probabilis est. Vnde non erat, cur tam acriter morderet Barbosam Sigismund. *loc. citat.* cum præsertim declaratio Congreg. personalitatem requirentis, non habeat eam certitudinem, quæ requireretur ad hoc, vt ei contradici non posset, & decis. Rotæ etiam pro hac sententia adducantur.

8. Noto 6. Quod clerici sæculares obtinentes beneficia, tenentur facere dictam fidei professionem intra terminum duorum mensium sub pœna non acquirendi ius ad fructus beneficij. In qua re adsunt aliquę difficultates; quas, quia Regulares non tangunt, omitto. Videri potest Barb. *de pot. Episc. alleg.* 61. *num.* 22. Filliuc. *loco cit. à num.* 12. Vgol. *loco citato*, §. 16. *num.* 4 Garc. *loco cit. à num.* 35. Sanch. cit. *à num.* 8. Azor cit. *quæst.* 3. & 4. Regularibus verò dictam professionem omittentibus dicta pœna non potest applicari, cum fructus Prælaturarum Regularium sint labores, & calamitates quæ si patienter tolerentur, maximus producunt fructus ad vitam æternam: Nec in bulla Pij IV. qua Decretum Concilij ad Regulares extenditur, vlla pœna imponitur.

9. Noto 7. quod Prælati tenentur sponte dictam fidei professionem facere, absque eo quod ab vllo ad hoc impellantur, vel moneantur, vt constat ex verbis Concilij ibi *Teneantur*, & ita fuisse declaratum à Congregat. refert. Garc. *loc. cit. num.* 20. Ricciul. 4. *p. prax. decis.* 83. *fine*.

10. Noto 8. quod electus in absentia non tenetur facere professionem fidei, nisi post duos menses à die acceptæ possessionis, etiamsi per ipsum stet, quo minus possessionem accipiat. Habetur expressè in Trident. *sess.* 24. *c.* 12. *de refor.* & dicit Garc. *loc. cit. n.* 32. & Filliuc. *tr.* 41. *cap.* 6. *n.* 10.

11. Dico 2. omnes Regentes, ac Lectores, incipiendo à Lectoribus grammaticæ, vsque ad Lectores Theologiæ inclusiuè, antequam eis talis gradus conferatur, vel saltem antequam possessionem illius accipiant, tenentur facere sub pœna peccati mortalis fidei professionem, siue legant in publicis Vniuersitatibus, siue in priuatis domibus, & in conuentibus ipsorum Regularium, siue cum mercede, siue gratis. Ita Sanch. 2. *in dec. cap.* 5. *num.* 4. Sorb. *in comp. hoc vers. not.* 4. Rodrig. *tom.* 2. *q. reg. q.* 72. *art.* 2. Ricciul. *loc. cit. num.* 5. Filliuc. *tom.* 2. *tr.* 22. *cap.* 3. *num.* 95. Garc. *loc. cit. num.* 3. Scott. *in select. bull. theor.* 206. Nald. *hoc vers. num.* 2 Portel. *eod. in dub. reg. num.* 3. Constat ex const. Pij IV. 88. *In sacrosancta, tom.* 2. *bull. Cherub. fol. mihi* 118.

12. Noto 1. quod illi, ad quos spectat Regentes, aut Lectores, vel Magistros instituere, si antequam eos instituant, vel possessionem eis tribuant, non curant, vt faciant fidei professionē, incurrunt excommunicationem maiorem latæ sententiæ, quæ tamen nulli est reseruata, & in pœnam priuationis suorum officiorum, & inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda; dicti verò Lectores, Regentes, & Magistri dictam excommunicationem non incurrunt, sed incurrunt pœnam priuationis ipso facto graduum obtentorum. Ita statuit Pius IV. *in const. cit.* & docent. Sorb. Sanch. Rodrig. Portel. Scott. *loc. cit.*

13. Noto 2. Quod si Prædicatores exigantur ab Episcopis vt faciant professionem fidei, eam facere tenentur. Ita Sorb. *loc. cit. not.* 3. Portel. *loco cit. num.* 2. Rodrig. *cit. art.* 1. ait, quod Prædicatores, antequam ad dictum munus assumantur, debent facere fidei professionem. Sed ait Portel. quod non est in vsu.

14. Noto 3. Quod dicta de professione fidei habent locum in iis Religionibus, à quibus dictæ constitutiones Pij IV. fuerunt receptæ, & in quibus sunt in vsu. In iis autem, in quibus non fuerunt receptæ, seu in desuetudinem abiere, non obligant, & credo quod in nulla fere Religione nunc sint in vsu. In nostra vidi fieri professionem fidei à Generalibus in capitulis generalibus; in aliis capitulis hoc non vidi. Et apud Regulares dictam fidei professionem non esse in vsu, docent Sorb. *in comp. hoc ver. vers.* Et est primò aduertendum; qui addit, id etiam censuisse sacram Congregationem, Scor. *loc. cit. fine, & theor.* 207. *in princ.* Sanch. cit. *num.* 3. & 4. Rodrig. cit. *art.* 2. *fine.* Ledesm. *tom.* 2. *sum tract.* 1. *cap.* 4. *concl.* 11. Sigism. *de elect. dub.* 50. *num.* 7 Nald. *in sum. hoc vers. num.* 3. & in specie, quod non sit in vsu quoad Lectores, docent Garc. *de benef. part.* 3. *cap.* 3. & *num.* 4. Ricciul. 4. *p. prax. decis.* 83. *num.* 5. vbi ait: quod Romæ DD. in priuatis domibus, vel Monasteriis legentes, fidei professionem non faciunt.

CAPVT VII.

Quam remunerationem expectare possint à Deo boni Prælati.

1. VIde D. Thom. *de regim. princ. lib.* 1. *à cap.* 9. Ægid. *de regim. p.* 1. *lib.* 1. *cap* 14. Mauclet. *tom.* 1. *de monar. Ecclef. p.* 2. *lib.* 5. *cap.* 11. Trul. *in eluc. sui Ord. lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 8, Callan. *in cat. p.* 5. *consid.* 2. & 3. Patrit. *de regno, lib.* 9. *tit.* 19.

2. Noto 1. quod importabile est Prælatiæ onus, nisi Dominus supponat manum suam. Quod considerans Gedeon Iud. 8. aiebat. *Non dominabor vestri, sed dominabitur vestri Dominus.* Et Nazianz. *or.* 1. *num.* 21. *Difficile est scire parere, sed multò difficiliùs scire imperare, præsertim in imperio, quod in lege diuina situm est, & ad Deum ducit.* Quæ difficultas tum ex parte oritur Prælati, cuius est non solum corpora, sed animas regere. Tum ex parte subditorum, quorum aliqui bonæ, alij malæ indolis & inclinationis sunt, alij superbi, alij humiles, alij iracundi, alij phlegmatici, alij melancholici, alij hilares, alij studiosi, alij negligentes, alij docti, alij ignari, alij sediosi, alij pacifici, alij murmuratores, alij quieti, alij ambitiosi, alij non curantes honores, alij auari, alij liberales, alij celliotæ, alij cursores, alij scandalosi, alij exemplares, alij puri, alij immundi, alij sobrij, alij intemperati, alij obedientes, alij peruicaces, alij obstinati, alij flexibiles, alij duri, alij faciles, alij pij, alij crudeles, alij vrbani, alij rustici, alij disciplinati, seu disciplinabiles, alij neutrum, alij rectè ambulantes, alij oblique, & denique alij boni, & alij mali. Meritò ergo ait Nazianz. num. 31. *Sed sit sanè aliquis non modo à vitiorum contagione purus, verum ad summum etiam virtutis fastigium euectus, haud equidem video, quanam scientia instructus, aut quibus viribus fretus, huiusmodi Prefecturam intrepidè suscipere queat. Nam profectò ars quædam artium, & scientia scientiarum mihi esse videtur, hominem regere animal omnium maximè varium, & multiplex.* Et Basil. *in mor. reg.* 80. *à cap.* 15. ait: quod Prælati debent esse pastores, gregi suo attendentes, animásque proprias pro ipso ponentes. 2. debent esse medici, leniter morbos curantes, ne veniant præcauentes. 3. debent esse subditorum parentes, & nutrices, charitatem, & amorem paternum erga eos exercentes, illisque non solum doctrinam, sed vitam propriam communicantes. 4. debent esse Dei auditores, solis dignis operibus se totos pro ipsis subditis mancipantes. 5. debent esse plantatores palmitum Dei in vita, qui est Christus nihil alienum, aut infructuosum relinquentes, secunda autem meliora efficere omni diligentia studentes. 6. debent esse ædificatores templi Dei, animas proprias, & subditorum ita concinnantes, vt fundamento Apostolorum, & Prophetarum appositè congruant.

3. Et 1. Pet. 5. hæc Prælatorum in regendis subditis difficultas ostenditur. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntariè, neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Ex quo loco sex colligo Prælati munia. 1. quod debet esse pastor, bonus autem pastor est, ait D. Thom. *lib.* 3. *de reg. cap.* 11. qui principaliter bonum subditorum intendit; qui per se sufficiens reperitur, quique in omnibus bonis superexcellit, & qui curam habet subditorum, vt bene operentur. Et Bern. in sentent. non procul ab init. *Boni pastoris est vigilare super gregem propter tria necessaria, videlicet ad disciplinam, ad custodiam, ad preces. Ad disciplinam, propter morum correctionem, ne grex commissus propria molestia deficiat. Ad custodiam, propter diabolicam suggestionem*

nem, ne hostili seducatur calliditate. Ad preces, propter tentationum instantiam, ne vincatur à pusillanimitate. In disciplina rigor iustitiæ. In custodia spiritus consilij. In prece affectus compassionis. 2. Prælati munus est, vt non coactè, sed spontè pascat, id est, non ambitione, vel auaritia, aut alterius terrenæ rei amore gregem pascat, sed solùm intuitu supernæ mercedis. *Si quidem* (ait Naz. or. 1. num. 29.) *Antistes virtutis suæ profusitia multitudinem ad mediocritatem tracturus sit, ac non per vim cohibiturus, sed persuasione allecturus. Nam quod vi, ac necessitate exprimitur, præterquam quod tyrannicum est, miniméque laudandum, ne firmum quidem, ac stabile est: solet enim id, cui vis adhibita est, non secus ac planta, per vim manibus inflexa, simul vt dimissum fuerit, ad se rursum redire: quod autem à libera voluntate proficiscitur, æquissimum, ac firmissimum esse solet, vt pote beneuolentiæ vinculis astrictum, atque conseruatum.* 3. Prælati munus est, vt subditos regat secundum Deum, scilicet, alacriter procorans munus impositum secundum Dei voluntatem obire; hominum passiones auersans, soli Deo placere cupiens, illius solius gloriam quærens, ad Deum solùm oues dirigens, honorem Dei, animarúmque salutem verè secundùm Deum zelans, non vt aliqui, de quibus quidam.

Sæpè scelus colum zeli velomine texi:
Cui zelus cælum est, non facit ille scelus.

4. munus est, vt hoc non fiat turpis lucri gratia. O Prælati examinate conscientias vestras, *scientes, nihil aliud esse res Ecclesiæ*, vt ait S. Prosper. lib. 2. de vita contemplat. cap. 9. & 10. *nisi vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum.* Audite Hieron. ad Nepot. *Nonnulli sunt ditiores Monachi, quam sæculares, & clerici, qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete, & fallace Diabolo non habuerant, vt suspiret eos Ecclesia diuites, quos mundus tenuit antè mendicos.* 5. munus est, vt Prælatus non sit imperiosus, nec imperiosè vexet subditos, *sed morum mansuetudo*, vt ait Basil. reg. 43. ex fus. disp. *& humilitas cordis hoc præcipua Antistitis insignia sunto. Talis enim fuit Christus, vt dixit, Discite à me, quia mitis, & humilis corde.* Et Auctor oper. imp. ad illud Matth. 20. *Scitis, quia principes gentium dominantur eorum*, ait: *Principes Ecclesiæ sunt, vt seruiant minoribus suis, vt ministrent eis, quemadmodum acceperunt à Christo, & suas vtilitates negligant, & aliorum procurent, vt, si opus fuerit, neque mori recusent pro salute inferiorum suorum.* 6. munus est, vt Prælatus sit forma, & exemplar gregi suo, ad illod 1. ad Timoth. 4. *Exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, & castitate*, & cap. 2. *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate.* Et Nazianz. or. 1. num. 26. *Neque enim ab eo, qui hanc curam suscepit, hoc solùm requiritur vt malus non sit (malum enim esse plerique etiam è vulgo turpissimum censet) verum etiam vt virtute præstet, iuxta illud scripturæ præceptum, quo declinare à malo, & bonum facere iubemur.* Plura de difficultate regendi vide apud Scrib. *lib. 2. pol. christ. cap. 6.* Contz. *6. pol. cap. 10. à* §. 4. Turrecrem. *in reg. Sanct. Bened. tract.* 138. *pag. mihi* 167. Pen. *in præc. tit. de auro coron. Cod. lib. 10. & eodem lib. leg. vn. tit. De Irenar.* Mancl. *tomo primo, libro quinto, part. secunda, cap.* 10. *numero primo.*

4. Noto 2. Quod multa bona affert subditis bonus Prælatus; iustitiam enim ministrando æqua lance, omnibus satisfacit, misericordia vtendo, omnes contentos reddit: pacem curando, bonis omnibus, & spiritualibus, & temporalibus eos replet, multáque impetrat pro illis à Deo, iuxta illud Iud. 2. *Cum Dominus iudices suscitasset in diebus eorum, flectebatur misericordia, & audiebat afflictorum gemitus, & liberabat eos de cæde vastantium.* Et de Othoniele dicitur eodem lib. cap. 3. quòd, eo iudicante, quieuit terra 40. annis. *Quare*, vt Philo de cherub. ait, col. 5. *Gratia maxima conditori, qui sciens imprudentiæ rabiem, non dedit tunquam furentis gladium, nec verborum facultatem, nec quoscumque obuios magna clade conficeret.* Quasi dicat, Maximum Dei beneficium est, non habere Prælatos insanos, & furentes, qui arrepto potestatis gladio, illo districto, absque metu numinis, aut legum præscripto, in obuios quosque irruat, nullo iuris, aut iniuriæ, nullo bonorum, aut malorum facto discrimine. Hi non pastores, sed *hostes appellandi sunt*, cum agant *hostilia*, vt idem Philo ait *de creat. in princip. col.* 5. Et aduerte, quòd sicut nullum malum est in ciuitate, quòd non faciat Dominos iuxta illud Micheæ 1. *Quod scelus Iacobi? nonne Samaria? & quæ excelsa Iudæ? nonne Ierusalem?* Ita nullum bonum, quod Prælato bono non tribuatur; nam omne bonum à capite descendit directè, vel indirectè, mediatè, vel immediatè.

5. Noto ergo 3. quòd Deus, qui bonorum operum remunerator est, Prælatis pro tot laboribus toleratis intus, & foris, à Fratribus, & ab extraneis, & ab illis maiora quandoque quàm ab illis, iuxta illud Iosephi *lib. 4. antiq. cap.* 8. vbi de Mose morti vicino loquens, ait: *Meministis enim, quòd sæpius à vobis de salute periclitatus sum, quàm ab hostibus*, Quamplurimi enim sunt, qui retribuunt mala pro bonis in familia regenda. Et pro tot bonis operibus exantlatis ad ipsius gloriam, & honorem, bona tribuit, & in hac vita, & in futura. In hac vita tribuit illis Deus tria bonorum genera, de quibus D. Thom. *lib. 1. de regim. princ. cap.* 10. Primum, quòd illorum dominium perpetuum facit, intellige, quatenus est ex parte subditorum, Prou. enim 29. *Rex qui iudicat in iustitia pauperes, thronus eius in æternum firmabitur.* Et Synes. de reg. *Deus bonis viris perpetuò, planéque opitulatur, ac propitius est*, & Phil. de creat. princ. col. 3. *Tali Principi legitimo, ius æquabile honoranti, incorruptè iudicanti, semper meditanti iustitiam, longæuum principatum Propheta proponit vice præmij.* 2. tribuit Deus communitati, cui præsunt, abundantiam bonorum temporalium, ait enim D. Thom. loc. cit. *Regibus, qui iustitiam quærunt, diuitiæ adduntur à Deo, sicut Salomoni, qui dum sapientiam quæsiuit ad faciendum iudicium, promissionem de abundantia diuitiarum accepit.* Et hic congruit illud Matth. 6. *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Et colligitur *ex cap. Si qualibet 22. quæst. 2. & 3.* tribuit Deus bonis Prælatis bonum nomen etiam post mortem; ait enim D. Thom. loc. cit. fine. *De fama verò superfluum videtur dicere; quis enim dubitat, bonos Reges non solùm in vita, sed magis post mortem quodam modo laudibus hominum viuere, & in desiderio haberi? malorum verò nomen aut statim deficere, vel, si excellentes in malitia fuerint, cum detestatione eorum rememorari? unde Salomon Prou. 10. Memoria iusti cum laudibus, nomen autem impiorũ putrescet, quia vel deficit, vel remanet cum fœtore.* Et Philo loco cit. de creat. princ. col. 3. ait: *Legitimum Principem victurum etiam post obitum; relicta post se immortali virtutis, rerumque à se gestarum memoria*, & lib. tertio, de vi Mos. in fine ait, quòd, mortuo Mose, *luxit eum vniuersa gens, lachrymis diffluens per mensem integrum, accedentibus ad publicum luctum priuatis affectibus, quandoquidem erat inenarrabilis eius prouidentia, beneuolentiáque erga vniuersos, ac singulos.*

6. Quò verò ad præmium alterius vitæ, 1. Pet. 5. dicitur. *Et cum apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.* Sed inquis, Hanc coronam habebunt omnes beati. Quæ ergo maior retributio dabitur pastoribus pro tot laboribus toleratis;

tolerantis? Respondeo, Quod vltra coronam gloriæ essentialem, constituunt Theologi alias coronas accidentales, quas aureolas vocant. Et vna ex istis aureolis debetur Prælatis, vt docet D. Thom. *de reg. lib. 1. cap. 9.* aiens. *Considerandum autem restat vlterius, quòd, & eminentem obtinebunt cælestis beatitudinis gradum, qui officium regium dignè, & laudabiliter exequuntur, si enim beatitudo virtutis est præmium, consequens est, vt maiori virtuti maior gradus beatitudinis debeatur.* Et de ista aureola loquitur Petrus, quando dicit, quòd pastores percipient *immarcescibilem coronam gloriæ:* non enim potest loqui de gloria essentiali, nam hæc omnibus credentibus in gratia debetur, cum autem loquatur de Pastoribus maiora facientibus, & patientibus, quàm cæteri etiam boni Christiani, de ista aureola loqui dicendum est. Erit itaque ista aureola Pastorum magna, & eximia, tum propter ingentem charitatem, qua non solum suam, sed & plurimorum aliorum animas saluare, & perficere fategerunt; tum propter zelum, quo regnum, & gloriam Dei propagauerunt. Cuius ergo maior fuerit charitas, zelus, & labor, eius pariter maior erit gloria, & laurea. Adde, quod addetur Pastoribus gloria, & corona ex gloria, & corona subditorum, quos ad salutem perduxerunt, iuxta illud 1. ad Thes. 2. *Quæ est enim nostra spes, & gaudium, aut corona gloriæ? nonne vos ante Dominum nostrum IESVM CHRISTVM estis in aduentu eius? vos enim estis gloria nostra, & gaudium.*



QVÆSTIO III.

DE AVCTORITATE PRÆLATORVM REGVLARIVM.

AGGREDIOR quæst. 3. in qua ex suppositis *quæst. 1. cap. 5. num. 4.* mihi agendum est de potestate iurisdictionali, & dominatiua, quam habet Prælatus quoad forum externum in suos subditos.

CAPVT PRIMVM.

Quomodo Prælati Regulares possint nouitios ad suam Religionem recipere.

1. VIde Nauarr. *lib. 1. cons. de const. cons. 9. n. 12.* Sorb. *in com. priu. vers. Nouitius, tit. de recep. nou.* Vech. *de nou. disp. 7. dub. 6.* Passarel. *in schol. ex Barch. num.* 12. Suar. *tom. 3. de relig. lib. 5. cap.* 10. Mirand. *tom. 1. man. quæst. 15. art.* 1. Rodrig. *tom 3. quæst. reg. quæst. 9. art.* 1. Cordub. *in reg. Min. cap. 2. quæst. 7.* vbi Polit. *num.* 11. & Bartol. Ledesm. *de stat. relig. in com. cap. 7. concl. 2. diff. 1. pag. mihi* 269. Cruz *de stat. Relig. lib. 1. cap.* 8.

2. Noto 1. Quod materia in hoc cap. tractanda, longa, difficilis, & quotidiana est, ac per consequens necessaria; quare est diligenter discutienda, & ideo ad 5. capita eam reduco. 1. est de nouitiorum receptione. 2. de nouitiatu. 3. de professione. 4. de auctoritate Prælatorum in nouitios, tam in foro interno, quàm externo. 5. de dispositione bonorum ipsorum nouitiorum.

3. Noto 2. quòd DD. præsertim antiquiores, eodem modo loquuntur de potestate recipiendi ad habitum, & de potestate recipiendi ad professionem, eo fortè, quia qui vult vnum propter aliud, vnum solùm velle videtur, & certum est, receptionem ad habitum esse propter professionem. Atque ita concludere videntur, quòd qui habet potestatem recipiendi ad habitum, habet etiam potestatem recipiendi ad professionem, & è contra. Cui rei fauere videtur text. *in cap. ad Apostolicam, de reg.* vbi dicitur, *Abbate per se, vel per alium professionem recipiente, monasticum, & Monachalem habitum concedente.* Certum tamen est, quòd hæc duo, receptio ad habitum, & receptio ad professionem, sunt valdè diuersa, nam receptio ad professionem est contractus formalis, & purus, quo incorporatur receptus in membrum Religionis, ita vt deinceps neque Religio eum expellere, neque ipse Religionem deserere, rebus immutatis, possit. At verò receptio ad habitum est contractus mutabilis, & resolutiuus, & quasi conditionalis, vt ait Sanch. 6. *in decal. cap. 10. num.* 21. quo receptus suscipitur probandus intra annum, an manere velit, vel decedat in Religione, ita vt neque ipse teneatur in Religione permanere, neque Religio teneatur eum tenere. Vnde in 1. casu adimitur tam Religioso, quam Religioni, libertas Religionem, & Religiosum deserendi. In 2. talis libertas non adimitur, vnde meritò de his, tanquam diuersis, agendum est.

4. Noto 3. Quòd Sixtus V. in sua const. *Cum de omnibus* 71. *tom.* 2. bulla Cherub. & in eiusdem declaratione, *Ad Romanum*, multa statuit circa receptionem nouitiorum ab habitum, quæ hic breuiter indigitanda sunt. 1. igitur statuit, vt nullus illegitimus ex sacrilegio, vel incestu intra tertium gradum consanguinitatis, vel affinitatis ad Religionem in Clericum admittatur, sub pœna nullitatis professionis, & habitus spoliationis, & Superioribus admittentibus infligit pœnam excommunicationis ipso facto, Romano Pontifici reseruatam, concedit tamen, vt tales possint admitti ad gradum conuersorum. Alios verò illegitimos recipi posse concedit sub forma ab eo præscripta in dicta constit. *Cum de omnibus*, § 3. Illorum scilicet vita, & moribus priùs diligenter cognitis, & circunstantiis vniuersis, quæ circa idoneitatem personæ attendendæ erunt, consideratis, ac qui de Religionis zelo, pietate, integritate, & doctrina fide dignis testimoniis adeò commendati fuerint, adeoque bonam indolem, & specimen virtutis præ se ferant

se ferant, ac denique tot merita eis suffragentur, vt defectum natalium suppleant, eorumque receptio vniuersæ Religioni commoda, & profutura videatur, deque his omnibus in capitulo Generali, vel Prouinciali maturè deliberetur. Non vult tamen, etiamsi sint legitimati in sæculo, quod in Religione possint admitti ad dignitates sine dispensatione Romani Pontificis, & annullat similiter receptiones aliter factas, & tales habitu spoliari, & à Religione eiici mandat, & receptores excommunicat. Sed quoad illegitimorum receptiones dictæ constitutiones sunt annullatæ per Gregor. XIV. vt constat *ex eius constit.* 3. apud Cherub. *tom.* 2. *bull.* relictis in suo statu informationibus de ipsis suscipiendis secundum tenorem dictæ constit. Sixti, & concedit etiam, quòd dicti illegitimi possint per capitula Generalia, vel Prouincialia ad dignitates admitti.

5. Et licèt in hoc puncto distinguat Llam. *in append. meth.* §. 18. *fine*, & putet, quòd solùm illegitimi ex adulterio, vel fornicatione possint per dicta capitula rehabilitari ad dignitatea, illegitimos verò ex incestu, vel sacrilegio nequaquam, sed id Summi Pontificis, non video tamen solidum fundamentum tanti rigoris; nec inuenio talem distinctionem in Bulla Gregor. Enuntiat enim Pontifex §. 2. tenorem bullæ Sixti contra illegitimos ex incestu, & sacrilegio, deinde enuntiat tenorem dictæ bullæ contra illegitimos ex alio illicito coitú, & enuntiat id, quod dixit Sixtus, nempè natos illegitimos hoc secundo modo non posse habilitati ad dignitates nisi per Papam, deinde, connectendo ea, quæ supra dixerat eodem §. 2. scilicet: *Prædictas constitutiones in ea parte, qua cauetur, ne illegitimi ex certo, expresso, & damnato thoro, &c. & in altera parte in qua illegitimè genito, &c.* subdit, *auctoritate Apostolica, tenore præsentium ad terminos iuris reducimus, & moderamur*, & linquendo omnia priuilegia Regularium in eo statu, quo erant ante publicationem dictarum constitutionum Sixti, concludit: *Volentes iisdem constitutionibus non obstantibus, eos, qui quovis modò illegitimi procreati fuerint, ad habitum, & professionem Regulares admitti posse, quemadmodum admitti poterant, si supradicta constitutiones edita non fuissent.* Si autem dicti illegitimi ex incestu, & sacrilegio ad Religionem admissi, non possent ad dignitates habilitari, nec priuilegia Regularium essent in eodem statu, in quo erant ante dictas constit. Sixti, nec dicti illegitimi possent ad Religionem admitti eo modo, quo admittebantur antea. Tunc enim admittebantur ad habitum, & professionem, & inde ad dignitates. Et clarissimè §. 4. concedit facultatem Superioribus dispensandi cum dictis illegitimis in capitulis Prouincialibus, & intermediis, iuxta tenorem suorum priuilegiorum, quæ reualidat, & decernendo, subdit: *Dispensationes huiusmodi pro tempore ita factas, & inde secuta quacumque vt antea, valere, & tenere, ac si supradicta constitutiones non emanassent.*

6. 2. Statuit dictus Sixtus vbi supra, vt viri & iuuenes maiores 16. annis non recipiantur ad Religionem, nisi priùs inquiratur, & fide digna relatione compertum sit de eorum parentibus, vita ante acta, & moribus, ita vt constet, eos non esse reos, vel suspectos homicidij, furti, latrocinij, & similium vel grauiorum delictorum, propter quæ sint damnati, vel damnari formident, neque ære alieno grauatos supra vires suarum facultatum, neque obnoxios reddendis rationibus, ita vt ex huiusmodi causis, vel molestia eis iam illata, vel timendum sit ne inferatur, & nisi denique constet, ipsos non humana aliqua ratione, sed tantùm deuotionis, & pietatis feruore vitam Religiosam sponte, & ex animo elegisse. Aduerte quòd hæ informationes sint omnino faciendæ etiam nunc, iuxta 83. const. Clem. VIII. *In suprema*, apud Cherub. *tom.* 3. *bull.* quas etiam fieri mandauit dictus Clement. in alia constit. *Sanctissimus*, quam innouauit Vrban. VIII. vt constat *ex tom.* 2. *nostr. priuil. in constit.* 10. *Vrb. VIII.* §. 78. & 80.

7. Aduerte circa facinorosos, & criminosos, quòd ad hoc vt criminosi sint inhabiles ad Religionis ingressum, quatuor requiruntur. 1. vt actis publicis constet accusatio, & inquisitio illorum. 2. vt in particulari sit contra eos inquisitum. 3. vt hæc sint ante habitus susceptionem. 4. quod sint coram iudice sæculari. Quare, si actibus publicis non constet, recipiendum esse accusatum de atroci crimine furti, latrocinij, &c. etiamsi alias publicum sit, ita vt generet infamiam in delinquente, non impedit: nec item impedit, si criminosus occultus sit, nec item impedit, licèt in actis de Inquisitione constet, quæ tamen inquisitio solùm fiat in communi, non in particulari contra recipiendum: nec item impedit, si Inquisitio coram iudice Ecclesiastico: nec similiter, si dicta Inquisitio incipiat fieri post habitus susceptionem. Ita Sanch. 4 *in dec. cap.* 16. *num.* 39. Suar. *tom.* 3. *de relig. lib.* 5. *cap.* 7. *à num* 16. Ledesm. *de stat. relig. in com. cap.* 6. *concl.* 3. *diff.* 2. *pag. mihi* 251. Item non includuntur in dicta const. qui post accusationem se purgauerunt, & absoluti fuere, quia delictum non fuit probatum, vt dicunt Sanch. *loc. cit.* & Suar. *num.* 19. Rodrig. *tom.* 3. *quæst. reg. quæst.* 10. *art.* 7. Miranda *tom.* 1. *man. quæst.* 19. *art.* 8. *fine.* Portel. *in addit. ad dub. reg. verb. Nouitius, num.* 5. Nec item includuntur, qui conuicti, & condemnati ad pœnam, eam impleuerunt, Suarez. *loc. cit. num.* 19. Vech. *de non. disp.* 2. *dub.* 12. *num.* 2. Aduerte tamen, quòd si aliquis criminosus, &c. in casibus exceptis non inclusus, profiteatur in Religione, professio valida est, per const. Clement. VIII. *in suprema cit. num. præced.* sed Superiores illum scienter recipientes, subiacent pœnis const. Sixti.

8. 3. Statuit, quòd horum omnium indubitata fidea facienda sit in capitulo Generali, vel Prouinciali, vt deinde à dictis cum Definitoribus approbati, ad Religionem recipiantur. Aduerte, quòd non est ampliùs necesse, vt prædicta fides fiat in capit. generalibus, vel prouincialibus, nec est necesse, vt dicti nouitij ampliùs in dictis capitulis recipiantur. Sed, sumptis informationibus modo infra dicendo §. 1. recipi possunt quocunque tempore à tribus deputatis per capitulum prouinciale, vel etiam locale, vt concessit Clemens VIII. vt refero *tom.* 2. *nostr. priu. in const.* 2. *Sixti V. num.* 8. vel etiam recipi possunt à prouinciali cum suis Collegis, vt idem Sixtus nobis Minimis concessit, per suam constit. *Etsi nos*, datam Romæ *anno* 1588. *die* 28. *April.* quam ponam *in addit. ad priu. reg.* Nec etiam est ampliùs necesse, vt Superiores de nouitiis ab ipsis receptis dent informationes in capitulia, nec vt à capitulo approbationem factorum petant, vel expectent, vt requirit dicta const. Sixti pro Minimis, cum id non requirat Clemens VIII. in suis posterioribus const. datis, & pro Prædicatoribus, & pro Ministris infirmorum, vt constat ex iis, quæ dico *tom.* 2. *priu. cit. num.* 7. Et Greg. XIV. in dicta sua constit. *Circumspecta*, concessit, vt in Religionibus Monachalibus, facientibus filiationem perpetuam, nouitij, præuiis informationibus, recipiantur extra capitula prouincialia, & generalia, per Prælatum Monasterij, cum consensu Fratrum dicti Monasterij. Et ipse Sixtus *in sua const. declaratione* §. 8. quando distantia, aut paucitas Monasteriorum non pateretur, concessit, vt tres Patres deputati à capitulo generali Monachorum, vel prouinciali Mendicantium, dictos nouitios ad Religionem admittant.

9. 4. Statuit, vt receptiones nouitiorum maiorum 16. annis,

annis, factæ contra prædictam formam, professionésque inde secutæ sint omnino nullæ, ita vt sic de facto recepti habitu spoliari, & à Religione expelli debeant, & vt iudices sæculares contra eos ciuiliter, & criminaliter procedere possint. Quare etiam præcipit, vt dictorum nouitiorum 16. annum excedentium, nomina & cognomina, quibus vtebantur in sæculo, & patria, notentur in capitulis actis. Quod attinet ad nullitatem professionum contra dictam formam factatum, est omnino reuocatum per constitut. Clemens VIII. *In suprema, de qua numero sexto*, quare receptiones nouitiorum, prædictis informationibus non præcedentibus, validæ sunt, sicut etiam sunt validæ professiones factæ à criminosis, ære alieno grauatis, & reddendis rationibus obnoxiis. Vide quæ dicn *tom. 1. huius op. quæst. 1. cap. 35. §. vers. Ad 3. interrog.*

10. 5. Statuit, vt quicunque Religiosi, & eorum Superiores recipientes ad habitum quamcunque personam inhabilem secundum præfatas suas const. sint ipso facto priuati voce actiua, & passiua in perpetuum, & dignitatibus, ac officiis, seu gradibus, quæ habent, & declarat eos omnino inhabiles ad illa, seu alia quæcunque, in posterum obtinenda. Hoc tenentur adhuc sub dictis pœnis ad vnguem seruare Superiores, & alij, ad quos spectat dictos nouitios cum Superioribus recipere, quoad informationes sumendas de nouitiis 16. annum excedentibus, si autem dictum annum non excedant, licèt dictas informationes omittant, non tenentur dictis pœnis Sixti; nam hic Pontifex eas solum inflixit contra recipientes dictum annum excedentes, putans ante illum non posse esse quemquam communiter tam criminosum. Imò de dictis nouitiis 16. annum non excedentibus secundùm mentem Sixti non est necesse fieri informationes, vt docent Suar. *tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 10. num. 11.* Rodrig. *tomo 3. quæst. regular. quæst. decima, articul. decimotertio*, Miranda *tom. 1. man. quæstione 21. artic. 1. concl. 3.* Nald. *in summ. vers. Nouitius, num. primo*, Beia *4. par. cas. casu 19. in princip.* Sed de his etiam, qui dictum annum non excedunt, dictas informationes fieri præcipit Clement. VIII. *in instruction. pro recep. nouit. tom. 2. nostr. priuil. in constit. 10. Vrbano VIII. § 79.* vbi numero 80. ait: *Primum quod attinet ad nouitiorum recipiendorum formam vltra diligentem perquisitionem, quæ habenda erit de vniuscuiusque natalibus, corporis habitudine, moribus, & vita ante acta, ac præcipuè eorum, qui 16. ætatis suæ annum excedent, an criminosi,* &c. vbi particula illa, *Præcipuè*, exprimit casum minùs dubium. Barbos. *de dict. dict. 220. numero primo, & dict. 168. numero primo*, Rodrig. *tomo primo, quæstione regular. 100. articulo secundo, vers. Circa quam*, Mennch. *de arb. lib. 2. casu 416. num. 19.*

11. 6. In declarat. dictæ constit. declarat Sixtus, quòd in conuersis emittentibus professionem, satis est, si fiat Inquisitio quoad mores, & statutum personarum. Pro conuersis instruendis vide *cit. constit. Vrbani VIII. §. 100. & §. 101.* vbi in specie statuitur, quòd in conuersis ad profitendum adsit ætas 21. annorum, quod tamen non video obseruari, & doleo, nam cum ad laborem manualem destinati sint, vix sunt apti ante illud tempus: Adde, quòd, cum eorum cura non sit tam accurata, vt clericorum, propter continuam occupationem, quam habent in negotiis internis, & externis Monasterij, vix potest ante illam ætatem pro suo statu ad mentem Pontificis illis consuli. Additur *in illo §. 101.* quòd conuersi ad clericorum statum, etiam durante tempore probationis, transire non possint, quòd est conforme nostræ Regulæ *capite secundo, numero tertio.*

12. 7. Declarat in recipiendis iis, qui à patria remotissimi sunt, vel si illa detineatur ab hæreticis, & infidelibus, non esse necessaria omnia supradicta, sed si, facta aliqua diligentia, nihil appareat, quòd impediat, esse habiles reputandos. Qui autem dicantur remotissimi à sua patria, cum non determinetur, arbitrio Superioris relinquitur, iuxta *l. prim. ff. de iure delib.* Rodrig. *tomo tertio, quæstionum Regular. quæstione decima, articulo decimotertio*, putat eam patriam remotissimam esse ad quam per annum non potest iri, & rediri. Sed hæc limitatio non est admittenda simpliciter, nam licèt intra annum possit iri, & rediri simpliciter, si tamen non possit iri commodè, & tutè, puto quòd non erit necesse dictas informationes sumere; illud enim solùm possumus, quòd commodè possumus; *l. Nepos Proculo, ff. de verb. sign.* Quare melius arbitrio Superioris relinquitur. Diligentia autem adhibenda est, vt sumantur informationes ab his, qui haberi possunt. Quòd si nulli reperiantur in ciuitate, in qua recipiendus est habitu induendus, nec in proximis, tunc ipse, habita priùs cognitione de impedimentis dictarum constit. Sixti, iuret se nullum ex his habere, vel id saltem testificentur, qui cum eo conuersantur. Ita Vech. *de nouit. disputat. sexta, dubitat. quint. numero tertio.* Vide Mirandam *tomo primo, man. quæstione vigesima prima, articulo secundo, sub conclus. sexta*, Suarez *tomo tertio, de relig. libro quinto, capite decimo, numero decimo quinto.*

13. 8. Declarat, vt nullus Regularis ignotus recipiatur, neque etiam ad hospitium, sine obedientia suorum Superiorum. Pro quo vide quæ dico *tomo primo, nostr. priuileg. in constitutione decimatertia, Leon. X. numero tertio.* Hæc in sum. statuit Sixtus illis duabus const. quæ omnia seruanda sunt, præter ea, quæ de legitimis, & nullitate professionum statuit, vt copiosiùs *in seq.*

14. Dico 1. de iure communi recipere nouitios ad Religionem, ad Prælatum immediatum Conuentus, & Conuentum ipsum spectat. Ita Nauarr. *libro primo, consil. de constit. consil. nono, numero duodecimo.* Abb. *in cap. Ad Apostolicam, de regul. numero duodecimo.* Glossa *in cap. fin. vers. Pertineat de regular. in sext.* vbi Ioan. Andr. & Ioan. Monach. Miranda *tomo primo, man. quæstione decimaquinta, articulo primo, conclus. secunda.* Vech. *loc. cit. disputat. septim. dubitatione quarta, numero secundo.* Const. *ex capite finali de regular. in sext.* vbi Bonif. VIII. illius cap. auctor, supposito de iure communi, tam ad Abbatem, quam ad Conuentum, Monachorum creationem pertinere, consuetudini remittit, an ad Abbatem solum, vel simul etiam ad Conuentum id pertineat. Sed in hoc assentior opinioni Suarez *loc. cit. num. 6.* putanti hoc dubium de iure communi certò definiri non posse, sed consuetudini standum esse, vt probat *dictum cap. fin. de reg. & Religionis statutis.*

15. Dico 2. in Religione nostra recipere nouitios ad Religionem, pertinet ad Generalem, Vigiles, aut Prouinciales, vel ab eis deputatos. Ita Reg. *numero secundo.* In Corrector. tamen *numero decimosexto*, additur, quòd Prælati hoc per se solos non possint, sed cum suis respectiuè Sociis. Et si hoc negotium alicui subdito specialiter mandauerint dicti Prælati, talis substitutus illud peragere tenetur cum consensu Correctoris localis, & suorum Seniorum. In Ordine Minimorum recipere nouitios pertinet ad Generalem, vel Prouincialem dumtaxat, vt dicunt Mir. *loco cit. concl. 4.* Cord. *in cap. 2. reg. Min. q. 7.* vbi Polit. *n. 11.* In Ordine Prædicatorum recipiuntur à Prouincialibus, vel etiam Prioribus cum consensu Fratrum, vt dicit Fest. *in eorum const. part. 2. cap. 2.* & Suar. *loc. citat.* ait: quòd in Ordinibus Mendicantium recipere nouitios ad Religionem, ad Prouinciales pertinet, & addit, quòd ita videtur habere consuetudo omnis huiusmodi Religionum.

16. Quare

16. Quare minus bene sensit Nauarrus *loco citato*, dicens, quòd apud omnes Religiones nouitiorum receptio pertineat ad Superiorem immediatum conuentus cum majori parte dicti conuentus. Ex quo etiam infert, quod Correctores in Ordine Minimorum, præsertim Corrector Sanctæ Trinitatis de Vrbe, possint iure proprio nouitios ad habitum recipere. Nam præterquam quòd non est talis vsus in omnibus Religionibus, vt dixi, quando tamen is esset, non liceret ex illo inferre. Ergo etiam in Religione Minimorum id faciendum est. Tum quia Regula nostra illud vetat, & fuit pluries ab Apostolica Sede confirmata; vnde omninò seruanda est, etiamsi aliquid disponeret contra ius commune, cum Papa, qui eam de potestatis plenitudine confirmauit supra ius commune sit. Tum quia, vt dixi, non est certum, quod de iure communi receptio ad habitum pertineat ad Prælatum immediatum cum suo conuentu. Et *cap. illud fine 16. quæstione 7.* quod Nauarrus dicit esse omnium firmamentorum neruosissimum ad id probandum, non dicit, quòd non possit Abbas creare monachos sine consensu fratrum, vt refert Nauarrus sed ita habet ad verbum. *Episcopus non debet Abbatem violenter retinere in loco suo, ipse autem non potest aliquem ordinare de suis propinquis, vel amicis sine voluntate fratrum*; Illud pronomen, *ipse*, potest commodè referri ad Episcopum, & suadet verbum, *Ordinare*, quod Episcoporum proprium est. Et receptio nouitiorum à sacris can. & Doctoribus, non proponitur sub nomine ordinationis, sed sub nomine creationis. Adde, quòd, etiam dato, quòd illud pronomen referretur tam ad Episcopum, quàm ad Abbatem, & quod per *Ordinare*, ibi quò ad Abbatem, intelligeretur *Creare*, vt insinuat Glossa, tamen adhuc non probaret intentum, Nauarrus, nam intelligeretur solùm in eo casu, in quo propinquitas, vel amicitia faciunt casum specialem, ne scilicet his mediis velit se Abbas tanquam dominum, Monachis spretis, gerere, & sic ex dictis successorem deligere, seu res, & bona monasterij dictis propinquis, & amicis commendare, quod prohibitum reperitur *in capite Decenter, dicta 89.* Et dato, quòd *dict. cap. fin.* loqueretur de creatione Mónachorum, non loquitur certè in casu nostro, sed loquitur de creatione per professionem, vt loquuntur omnes canones de hac materia tractantes, de qua etiam loquitur, *capite Ad Apostolicam, de reg.* Et tandem contra Nauarrum adest decretum Congreg. quod ad verbum referam *in addit. ad priuil. reg.* datum ad instantiam Patris Cornelij de Rugiano Zelosi Ordinis nostri *die 2. Januar. anno* 1590. in casu nostræ Religionis. Vnde nimis audacter locutus est Nauarrus *dicto consilio 9. num.* 14. dum statutum Regulæ, à Sancto Patre diuino afflato Spiritu dictatum, vocat quandam constitutionem Ordinis, & seuera correctione est castigandus, dum ibidem subdit, absurdum esse, & indecorum, vt soli Vigiles, & Prouinciales, fortè iuuenes, & non adeò prudentia probati, possint nouitios ad Religionem admittere. Nimium tibi assumis Nauarre, præsumptuosè nimis loqueris, & superbè, dum audes absurdum, & indecorum vocare, quod Sanctus Pater, dictante Spiritu Sancto, instituit, & quod tot sanctiss. doctissimique Pontifices ex certa scientia confirmauere, approbauere, & laudauere; errasque de iure, & de facto De iure, quia Iurisconsulti non est, ad quæstionem de iure respondere de facto; dato enim quòd aliquando Vigiles, & Prouinciales sint iuuenes, non debet ex hoc vniuersalis conclusio inferri. Ergo omnes iuuenes sunt; est namque hoc maximum, & grauissimum peccatum apud Logicos. Deinde virtus supplere potest ætatis defectum. Tandem iuuenis dicendus non est, qui habet ætem à suo legislatore requisitam. Erras etiam de facto, nam negotium hoc recipiendi nouitios, nun est solis Vigilibus, nec solis Prouincialibus commissum, sed ipsis cum tribus Sociis, vt dixi *num.* 15 Errasque etiam, quia licèt possint dicti Prouincialis, & Vigiles cum suis Sociis ad habitum recipere, non possunt tamen ad professionem, quia in hac requiritur capituli localis consensus, vt dixi *tom. 1. huius op. quæst. 1. cap.* 26. §. 2. *concl. 4. vers. In nostro Ordine.* Excusabit lector, quòd Doctorem insignem ausus sim ita contra morem carpere. Nam id mihi licuisse, immò fuisse necessarium, existimaui, per doctrinam D. Thom. *quodlib. 5. art. 26. corp.* qui vt docet, nos esse debere patientissimos in propriis injuriis tolerandis, ita etiam docet, statum nostræ Religionis impugnantibus debere pro posse resistere.

17. Dico 3. Prouinciales recipientes nouitios ad Religionem, tenentur adhibere consilium suorum Collegarum, ipsorumque consensum expectare. Ita Suarez *tomo 3. de relig. libro 5. capite* 10. *numero* 19. Rodriquez *tomo 3. quæstion. reg. quæstion.* 10. *articulo 2. versic. Tertiò est aot. & quæstion.* 54. *artic.* 4. Mirand. *tom. 1. man. q. 21. art. 3. concl.* 3. Sorb. *in comp. verb. Nouitius, p. 1. vers. Et in anno, pag. mihi* 429. Prob. *ex const. Greg. XIV. Clem. VIII. & etiam Sixti V.* de quibus dixi, *num* 8. in quibus quando datur facultas recipiendi nouitios extra capitula, semper conceditur Prouincialibus cum consensu trium, vel quatuor fratrum; & præcisis verbis id habetur *in const. 83. Pauli V* Alias, apud Cherub. *tom 3. bull pag. mihi* 317. Prob. 2. specialiter in nostra Religione, vbi in Correct. *num.* 16. dicitur: *Ad ipsos vero superiores Prælatos, & eorum Socios talium recipiendorum deliberatio spectabit.* Vbi, vt constat, ad vtrosque spectat deliberatio. Et statuit etiam Sixtus V. in sua const. *Etsi nos*, de qua *hic sup. num.* 8. vbi dicitur. *Vt vnusquisque vestrum vnà cum tribus Socijs*, quæ dictio *Vna*, importat idem, quod, *Simul*, & omnimodam vnitatem, ac æqualitatem, vt dicit Barb. *de dict. dict. 376. num. 1. & num. 2.* ait, quòd dictio, *Vna cum*, quæ est hic, idem significat, quod copula, *Et*, & importat repetitionem.

18. Et notent hic nostri Prælati, quòd noster legislator non remisit receptionem nouitiorum determinationi, arbitrio, &c. Superiorum, sed deliberationi, ad insinuandum, quàm diligenti consultatione, & perquisitione, quam prouida circumspectione, quam sine passione, & festinantia debent in id negotij, bonum omne Religionis concernentis, incumbere. deliberare enim à libella, qua quid perpenditur, dictum est, vt ex Sexto Pompeio refert Petr. Gregor. *lib. 46. syntagm. cap. 2. num. 3.* quemadmodum enim per libellam, seu libram, res ad iustum, & certum pondus reducuntur, sic consultatione, & perquisitione diligenti, temporis maturitate interueniente, res ad rectum deducuntur. Et antiqui dicebant, referente Gel. *libro 12. capit.* 11. quòd: *Tempus est pater veritatis*, & *Veritas est mater iustitia*, vt dicit Bald. *in l. Libertini, ff. de stat. hum. num.* 1.

19. Sed dubitabis, an omnes dicti Socij consentire teneantur, an verò sufficiat, quòd major pars cum Prouinciali ex omnibus conjunctis consentiat? Suarez *loco citato*, & Vech. *de nou. dispat. 7. dub. 2 num.* 9. dicunt sufficere, si major pars illorum conjunctorum consentiat: & docet Glossa *in cap. Pastoralis, verb. Si pluries, de rescript.* & expressit Sixtus *in sua const. declar.* § 10.

20. Dubitabis etiam. Quid si omnes Collegæ consentiant, discrepet autem Prouincialis, propositus eritne recipiendus? Negatiuè Respondeo à præfatis DD. nam facultas recipiendi apud Superiorem principaliter residet, nec quisquam sine eius consensu recipi potest.

test. Quod etiam docet Rodriquez *tom. 3. q. reg. q. 10. art. 2. vers. Tertio est not.*

21. Sed quid adhuc si ex tribus Collegis vnus solus cum Prouinciali consentiat, reliqui contradicant, erit ne tunc propositus recipiendus? Dic, quòd sic in Ordine nostro, *per capit. Valer. 4. numero* 41. confirmatum *in Barch. 1. numero* 18. vbi dicitur. *Verùm vbi ex vna parte duo Socij eiusdem sententiæ essent, stetur illi parti, vbi vnus Sociorum cum Superiore concordauerit, in quorum sententiam alij teneantur se subscribere.* Et, cum Sixtus *in sua declarat. adducta numero* 19. declaret, satis esse ad recipiendum nouitium in casu discordiæ recipientium, si numerus sit legitimus secundùm statuta Ordinis, dicendum est, quod etiam secundùm mentem dicti Pontificis hoc casu standum sit pro parte Superioris cum vno Collega. Immò addo, quòd etiam id procedit secundùm ius commune, *capite fin. de sentent. & re indic.* vbi dicitur, quòd quando iudices in æquali numero discordant in sententia, si sint ordinarij, tenet sententia pro reo, quia promptiora sunt iura ad absoluendum, quàm ad condemnandum, *capite Ex literis, de probat. capite Inter dilectos, de fide instrum.* Cum ergo in hoc casu reus possit dici ille, qui proponitur recipiendus, cui valde grauis esset sententia repulsæ, dicendum est, quòd parti Superioris cum vno Collega standum sit. Nec refert, quòd in Correct. *numero* 16. dicatur, receptionem nouitiorum pertinere ad Prælatum vnà cum Sociis, & quod dictio, Vnà cum, imponet omnimodam vnitatem. Nam iuris fictione ab omnibus factum dicitur, quod à maiori parte factum est, vt Menochius *libro* 1. *consil.* 69. *numero* 5. Major autem pars in hoc casu est illa Superioris.

22. Sed quid etiam? si Collegæ consensum sine rationabili causa denegent, poterit ne solus Prælatus propositum ad habitum recipere? Putat posse, & bene, Vech. *loco citato numero* 11. quia quotiescumque consensus est in aliquo actu necessarius, si qui illum præstare debet, sine causa denegauerit, habetur pro præstito, *capite Licet, 6. Talis ergo, de reg.* Et aduerte, quòd consensus Collegarum requirendus est ab ipsis coniunctis, & vnitis, non vt singulis, & separatis, quia, cum debeant de nouitio consultare iuxta informationes habitas, oportet, quòd dicta consultatio in communi fiat, Ita Vech. *loco citato numero* 8. Non est tamen necesse, quòd vota occultè promantur, sed possunt dici publicè, vt censuit Sacra Congregat. in casu, quo examinatore iuxta Tridentin. *sess.* 24. *de reformat. capite* 18, debent iudicium ferre de prouidendis ad beneficia; & in Ordine Prædicatorum sic obseruari, docet Fest. 5. *part. constitut. sui Ordin. capite 2. verb. In capite Valer.* Possunt tamen etiam per suffragia secreta proferri, si ita mos habeat Religionis, & Prælatus ægrè ferat sibi contradici.

23. Quid etiam? si Prælatus absque consensu, & absque consilio Collegarum aliquem ad habitum admittat? Dico, quòd illa admissio non valet, defectu potestatis; non enim valet, quòd ab aliquo factum est, quando id ab eo fieri non poterat sine consensu alterius, *leg. Titium, in princ. ff. de admin. tut.* Quare ille sic admissus poterit à quocumque Superiore absque vlla iniuria habitu nouitiorum spoliari, nisi vel tacitè, non contradicendo, in illum consentirent Collegæ, iuxta doctrinam Innocent. *capite, In Genesi, de elect. numero* 5. vel sic haberet præscriptus Religionis vsus. Item per passum die de eo, qui esset receptus à non habente authoritatem; posset enim à quocumque spoliari. Poterit tamen Superior, ad quem pertinet, talem receptionem habere ratam, sed tunc habitus receptio debet incipere à tempore ratihabitionis, non verò à tempore receptionis habitus, vt enim annus approbationis sit legitimus, debet incipere à legitima habitus receptione. Atque ita Rosell. *verb Nouitius, num.* 5 5. Rodriquez *tom. 3. q. reg. q. 17. art. 12.* A. S. Fau. *in thes. lib. 5. quest.* 239 *num* 1.

24. Quæres etiam, si propositus habeat omnes conditiones requisitas tam ex parte Religionis, quàm ex parte ipsius, an teneantur deputati eum admittere? Dic, quòd *sic*, *resp. Relig.* inde augetur. 2. respectu proximi, qui sine causa hoc magno beneficio priuari non debet. 3. Quia Ioan. 6 dicitur *Eum, qui venit ad me, non eyciam foras.* Quod tamen limita, si nulla interueniat rationabilis causa, nam cum cessat obligatio. Causa autem sufficiens esset, si conuentus non haberet commoditatem temporalem pro illo tempore illum nouum Religiosum alendi: si multi, aliàs æquales, ingredi petant, & non possint propter dictam, vel aliam causam, omnes simul recipi, liberum erit deputatis hoc reijcere potiùs, quàm illos. Denique quoties res fuerit dubia, vel vtrinque probabilis, an expedist talem personam recipere, nec ne, liberum est eam non admittere. Ita Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. cap.* 10. *n.* 28. qui in hoc consensu ferendo hanc affert regulam. Si quis bona fide absque odio, vel paruo affectu procedat, & mediocrem diligentiam adhibeat, securè potest consentire, vel dissentire. Ita Vech. *loc. cit. dub. 3. disp.* 7.

25. Sed quid: si deputati aliquem admittant non habentem omnes conditiones requisitas tam secundùm canones, quàm secundùm constit. Sixti, & Religionis: Dic, ipsos grauem culpam non effugere, cum materia grauis sit, & insuper incurrunt priuationem vocis actiuæ, & passiuæ, & dignitatum, quas habet, & incapacitatis ad illas, vel alias in futurum obtinendas, si maliriosè aliquem criminosum, &c. admittant. Non tamen has pœnas incurrunt, qui bona fide, sumptis informationibus, ex quibus apparuit, recipiendum nullum pati defectum inhabilitantem receperunt, licet posteà, sumpto habitu, seu facta professione, appareat, receptum pati aliquem ex dictis defectibus eum inhabilitantibus per dictam constitutionem Sixti: Istæ enim pœnæ ponuntur contra temerè admittentes, vnde bona fides excusat, nec infliguntur contra admittentes quoscumque inhabiles, sed solum contra admittentes inhabiles per dictam suam constitutionem. Ita Rodriquez *tomo 3. quæstione regul. quæstione* 10. *articulo* 15. & *quæstion.* 54. *articulo* 4. Vech. *loco citato dub.* 5. *numero* 3. & 4. Portellus *in dub. reg. verb. Nouitij informationum, numero* 6. Ledesma *de stat. relig. in comm. capite 6. conclusion. 3. different. 1. verb. A esta dificultad, pagin. mihi* 248. & *pagin.* 250. *verb. A esto digo lo primero.*

Aduertit etiam Portellus quod non incurreret Prælatus has pœnas, qui omitteret facere prædictas informationes de nouitio, qui à parte rei careret illis defectibus, de quibus præcipit informationem fumi Sixtus V. quod prius docuerat Rodriquez *loco citato quest.* 54. *art.* 4. & etiam tenet Vechius *de Nouitiis disput. 7. dub. 5. numer.* 3. & Diana *tom. 3. tractat. 2. resol.* 83.

26. Nec similiter puto, dictas pœnas, vel culpam incurrere præfatos deputatos, si absque dictis informationibus personam sibi maximè notam recipiant. Nam quæ clara sunt, examinatione non indigent: *cap. Manifesta, 2. quest.* 1. & in notorij iuris ordinem non seruate, ordo est, *cap. Ad nostram, el. 3. de iur. iur. cap. Quoniam, de fil. presb.* Guido Papæ *sign.* 228. & sicut potest Episcopus virum doctum, de cuius doctrina ei constat, ad ordines, & confessiones admittere absque

abſque examine, iuxta Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. *de reform.* ita poſſunt dicti examinatores ſimuliter facere in iis, de quorum moribus ſibi omninò conſtar. Secus tamen eſt, ſi non conſtaret, vel eſſet dubium. Atque ita quò ad forum conſcientiæ docet Vech. *loco citato diſput.* 6. *dubit.* 1. *num.* 6. In foro foti id etiam habere locum videntur dicta iura probare; ſed cum præfatæ informationes in excedentibus annum 16. requirantur pro forma, vt docuit Rota *deciſion.* 175. *num.* 3. apud Farinac. 1. *part. deciſion.* id negandum eſt. Omiſſio verò informationum faciendarum ſecundum Regulam, & Canones, ſi perſona eſt nota, nullam culpam, vel pœnam parit, neque etiam in foro externo, vt Miranda *tomo* 1. *man. queſtion.* 18. *articulo* 1. *fine*, Sotberius *in comp. verb. Nouitius, titulo de recept. nou. verſ. Ac primum, pag. mihi* 430. Cord. *in reg. Min. cap.* 2. *queſt.* 4. *verſ. Quomodò autem* ibi Polit. *num.* 14.

§. I.

Quomodò, & de quibus facienda ſint informationes venientium ad Religionem.

27. Vide Rodriquez *tom.* 3. *quaſt. reg. queſt.* 10. *articul.* 2. & 3. Miranda. *tom.* 1. *man. quaſt.* 21. Suarez *tom.* 3. *de religion. lib.* 5. *capit.* 10. *à numer.* 11. Vech. *de nou. diſputat.* 6. Portellus *in dubit. reg. verb. Nouitij inform.* Sotberius *in comp. verb. Nouitius, titul. de recept. nou. ad hab.* Feſt. *in conſtit. Pred. part.* 2. *à cap.* 3. Cord. & Polit. *loco citat.* Nald. *in ſumm. verb. Nouitius, num* 1. Beia 4. *part. caſ. caſ.* 18. Ledeſ. *de ſtat. relig. in comm. cap.* 6. *concl.* 3. Cruz *de ſtat. relig. lib.* 1. *cap.* 8. *dub.* 2. *concl.* 2.

28. Noto 1. quòd multa requirontur in recipiendo ad Religionem, tom iure naturali, tum iure pontificio, tum iure particulari ſingularium Religionum. Ius naturæ requiritur, vt eam induendus habeat habilitatem, tum animæ, tum corporis, quæ eſt neceſſaria ad finem, ad quem eſt inſtituta Religio, quam intendit profiteri. Iure pontificio communi requiruntur aliqua, & alia iure pontificio particulari Sixti V. & aliorum Pontificum. Iure particulari Religionum requiruntur ea, quæ vnaquæque Religio ſpecialia habet. Circa ea, quæ iure naturæ requiruntur, oportet, vt illi, ad quos pertinet nouitios recipere, regulam prudentiæ ſequantur, Deum ſolùm præ oculis, & bonum ſinæ Religionis habeant, carnis, & ſanguinis intereſſe poſtponant; atque ita ſolùm idoneos quò ad tempus, & vires recipiant, conſiderata Religionis auſteritate maiori, vel minori, attentis laboribus, ad quos aſſumitur induendus; ſi enim in conuerſum aſſumatur viribus deſtitutus, certum eſt, quòd non erit habilis. Et ſimiliter ſi ad Religionem Minimorum auſteriſſimam aſſumatur aliquis delicatulus, & debilis, certum eſt, quòd non attenditur in hoc Religionis bonum. Quò ad habilitatem animæ requiritur, quòd ea polleat recipiendus literarum ſufficientia, vel habilitate ad eas addiſcendas, quæ ſunt neceſſaria ad rectè exercendum gradum, ad quem deſtinatur; quod decreuit Clemens VIII. & confirmauerunt ſequentes Pontifices, vt conſtat *ex tom.* 2. *noſtr priu. in conſtit.* 10. Vrb. VIII. §. 81. quid enim eſt ligna aſſumere in Clericos, & lapides quadrangulares in Conuerſos, quàm Religionem homunculis inutilibus replere? Atque ita in hoc caſu videntur docere Ledeſ. *deſta. Relig. in comm. capit.* 6. *concluſ.* 1. & Cord. *in reg. Min. cap.* 2. *quaſt.* 2. *fine*, Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 19. Putat verò Ledeſ. peccare mortaliter Superiores admittentes eos, qui dicta capacitate naturali carent. Vide Vech. *de nou. diſput.* 5. *dub.* 5. Circa ea, quæ requiruntur iure Pontificio, tum communi, tum particulari dicam multa hic infra, vbi de omnibus, & ſingulis diſſetam. Circa ea, quæ ſpecialia ſunt in quâlibet Religione, ego ſolùm hic explicabo, quæ ſunt ſpecialia in Religione noſtra. Qui cupiuerit ſcire, quæ ſunt ſpecialia in Religione Ieſuitarum, adeat Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 3. *lib.* 2. *cap.* 1. & pro Religione Minorum, adeat Cord. *in dicta reg. cap.* 2. *quaſt.* 4. Mirandam *tom.* 1. *man. queſtione* 21. *articulo* 2. Sotbertua *in comp. verb. Nouitius, titulo de reception. nou. verſ. Itaque ex vi regulæ, pag. mihi* 430. pro Religione Prædic. vide Feſt. *in conſt. diſt. Ord. part.* 2. *à cap.* 3.

29. Noto 2. quod informatio de prædictis ſuſcipiendorum qualitatibus fieri poteſt tam per iudices Eccleſiaſticos, quàm ſæculares, modò tamen examinanda proponantur iis, quorum intereſt nouitium recipere. Ita Rodriquez *tom.* 2. *quaſt. reg. quaſt.* 10. *aticul.* 2. *fine* & *in ſumm. part.* 3. *cap.* 4. *num.* 4. & 5 Miranda *tom.* 1. *man. quaſ.* 21. *art.* 3. *concl.* 1. Vech. *diſp.* 6. *dub.* 2. *num.* 3. Beia 4 *p. caſ. caſ.* 18. *verſ. finem:* Portell. *in dub. reg. verb. Nouitij infor. num.* 3. Cum enim non præſcribatur in dictis bullis, per quos fieri debeat, arbitrio relinquitur prudentis.

30. Aduerte tamen, quòd debet talis informatio eſſe iuridica, nimirum facta per duos, aut tres teſtes iuratos, qui iurent, in tali perſona à ſe ipſis bene cognita, non eſſe vllum ex impedimentis contentis in præf. conſt. Quòd iſti teſtes debeant eſſe iurati, dicunt citat. DD. & conſtat, quià teſtes ſine iuramento non faciunt fidem, Gloſſa *in cap. Cum olim, verb. Fratrum, de priu.* habetur *cap. Tuis*, & *cap Nuper, de teſt.* quòd quidem iuramentum cum ſit in fauorem Religionis, prætermitti non poterit, etiam de conſenſu partium, vt Miranda *loco citato concl.* 4. *fine* Vech. *num.* 5. Quòd debeant iurare, perſonam eſſe à ſe cognitam, Suarez *tome* 3. *de religion. libro* 5. *capite* 10. *numero* 14. & patet, quia alioquin nihil probarent. Et hoc pacto informatio erit accurata, & diligens, vt requirit Sixtus, vt dicit Suarez *loco citato*.

31. Aduerte etiam, quòd dicta informatio poteſt non ſolùm fieri per iudices Eccleſiaſticos, & ſæculares, ſed etiam per aliquem fratrem idoneum, ſpecialiter deputandum ab illis; qui habent auctoritatem recipiendi nouitium. Qui frater deputatus poterit coram notario ſæculari, vel etiam religioſo, ſeu per ſemetipſum teſtes etiam ſæculares abſque ſtrepitu iudicij, ſed per ſcrutinium ſecretum examinare, eiſque iuramentum præbere, abſque alia Ordinarij facultate, & ſic dictam iuridicam informationem ſumere, ſumptamque iis præſentare, qui de ea debent conſultare. Ita Suarez, Beia *loco citato* Vech. *numero* 4. Miranda *loco citato, articulo* 1. *concluſione* 2. *fine*, Ledeſma *de ſtat. religion. in comm. capite* 6. *concluſione* 3. *different.* 7. *verſic. Digo lo ſegundo, pagin. mihi* 256. Ita conceſſit Clemens VIII. *in ſua conſtitut. In his qua, data die* 7. *Septembris* 1597. quam refert Rodriquez *loco citato, articulo* 1. Pro Ordine Minimorum, Sixtus V. ſtatuit, dictam informationem fieri poſſe per vnum ex ſociis Prouincialis, vel per Prouincialem ipſum: Ita expreſsè in ſua conſtit. *Etſi nos*, de qua hic ſupra *num.* 7.

32. Aduerte etiam, quòd antequam habitus Religionis alicui concedatur, debent præfatæ informationes haberi à deputatis: Quod ſi fieri nequiuerit, eo quod timetur, ne induendus preeibus, vel minis parentom à ſancto propoſito auertatur, poterunt eo caſu omitti vſque ad profeſſionis tempus, & interim poterit

poterit nouitio habitus tradi, sumpto ab eo iuramento coram testibus, quòd nullum habet impedimentum ex contentis in dictis constitut. Sixt. Ita concessit Clem. VIII. *in dicta constit. In his qua*, & dicunt Rodriquez & Miranda *loco citata*, Portellus *verb. Nauitij infor. num.* 2. formam autem tale iuramentum sumendi, vide apud Mirandam *laco citato*, *quast.* 21. *artic.* 1. *conclus.* 3. Quæ tamen non est necessaria. Sufficit, quod dictus nouitius coram testibus iuret, se nullum habere impedimentum, quod ipsum inhabilitet ad sumendum habitum Religionis iuxta Pontificias constit. præsertim Sixti: Debet autem tale iuramentum fieri coram iis, ad quos spectat eum recipere, vel coram superiore immediato conuentus, vel aliquo ex Collegis, seu etiam Prouinciali in ordine nostro, qui deinde coram omnibus deputatis fidem faciat de tali iuramento ab induendo sumpto: Quæ fides, seu iuramentum à dictis deputatis in scriptis est recipiendum, tum ad hoc, vt possint se tueri, si super hoc eis aliqua moueatur lis, tum vt inseratur deinde in informationibus, quæ plenariæ sumendæ erunt ante professionem.

33. Noto 3. quod prædictæ informationes iuridicè non debent fieri de omnibus requisitis in indiuiduo, secundum naturam, ius commune, & regulas, seu constitutiones particulares cuiusque Religionis, sed solùm de his, quæ requiruntur secundum constit. Sixti: Atque ita prædictis informationibus sumendis. 1. interrogabuntur testes, an cognoscant parentes. N. licèt enim hæc interrogatio solùm videatur postulata à Sixto, vt constaret recipiendum non esse illegitimum, cum ipse omnes illegitimos ad Religionem admitti prohibuisset, nisi sub certis formis; cum verò quoad hanc partem illa constitutio sublata sit per constit. Gregor. XIV. omnes illegitimos ex quocumque coïtu admittentis, videri posset alicui eam interrogationem modò non esse ampliùs necessariam. Sed re vera adhuc est necessaria, vt Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 5. *cap.* 10. *num.* 12. tum ad certiorem personæ cognitionem, moresque eius meliùs cognoscendos, non enim solet arbor mala bonos fructus facere: Tum quia, si constet esse illegitimum, licèt recipi possit, tamen secundùm constit. Gregor. XIV. debent specialiter testes interrogari, an sit bonæ indolis, & specimen virtutis præseferat, an habeat merita, quæ defectum natalium suppleant, an eius receptio Religioni profutura videatur; quas interrogationes de legitimis fieri non est necesse, secundùm præfatam constitutionem. Iis tamen omissis, vel non subsistentibus, professio secunda valida est, quia eam non inualidat Pontifex, vt bene Rodriquez *tomo* 3. *quastian. reg. quaestione* 10. *articulo* 5. *vers. At iu*; Miranda *tamo* 1. *man. quaestione* 19. *articulo* 3. *conclus.* 3.

34. 2. Debent interrogari testes de vita ante acta, & moribus induendi, an scilicet sciant, N. esse virum probum, ac bonis moribus præditum, & præsertim an sciant, eum perpetrasse aliquod delictum, vt homicidium proditorium, & per insidias, furtum, latrocinium, vel quid simile, puta magnum sacrilegium, virginem rapiendo, & stuprando, sanctimonialem violando, si fuerit sodomita, bestialis, parentum percussor notorius, & notabilis percussor Episcopi, aut Cardinalis, aut Prælati, vel etiam Clerici, aut Monachi, vt aduertit Llam. *in app.* §. 14. *fine*, & Portellus *in dub. reg. verb. Nauitius*, *num.* 15. An sciant, aliquod ex prædictis delictis fuisse deductum in iudicium, aut quòd super eo facta fuerit inquisitio: An sciant, N. esse debitis supra suas facultates onustum, an ratiociniis tam publicis, quam priuatis esse obnoxium. De hac interrogatione secundùm omnes suas partes dixi aliqua *tom.* 1. *huius ap. quaestion.* 1. *cap.* 25. §. 3. *à vers. Primà autem circa.* Et aduerte cum Llam. *loco citato*, §. 16. quòd qui in rixa aliquem percussisset, vel alapam, seu vulnus inflixisset pugno, vel ferro, vel lapide, non prohiberetur ad Religionem recipi, etiamsi de his iam cœpisset fieri informatio in curia. Idem dic de paruo furto. Quod etiam notauit Portellus *in dub. reg. verb. Nauitius*, *num.* 14.

35. 3. Interrogari debent testes, an induendus Religionem ingredi prætendat spontè, & Religionis, ac pietatis feruore, an verò aliqua humana ratione ductus. Miranda *tom.* 1. *man. quaest.* 21. *art.* 3. *fine*, dicit hanc interrogationem posse omitti, quia non est in vsu; Suarez *laco citato num.* 16. ait de ea non esse specialiter, nec scrupulosè inquirendum. Sed eam puto necessariam quò ad duo. 1. an induendus ex propria voluntate, & libertate, ac timore, vel minitate mortis ab inimico, vel aliorum minatum, illum statum eligat, 2. an talem statum eligat propter humanum aliquod interesse odij, humoris, vel amoris, aut falsarum promissionum, quæ possunt extrinsecè constare iis, qui induendi personam intrinsecè noscunt.

§. II.

Quas conditiones debeat habere secundùm ius natura, & commune recipiendus ad habitum Religionis.

36. Vide Cord. *in reg. Min. cap.* 2. *quast.* 4. *vers. De iur. autem comm.* M 1. *tam.* 1. *man. q.* 17. Sotb. *in camp. verb. Nauitius*, *tit. de recep. nou. ad hab vers. De iur. autem com. pag. mihi* 430. Vecb. *de nou. disp.* 2. Portel. *in dub. reg. verb. Nouitij qual. numera* 22. Syl. *verb. Religia*, 2. *à quast.* 3. Angel. *verb. Religiosus*, *à* §. 4. Suarez *tam.* 3. *de relig. lib.* 5. *cap.* 4. Ledes. *de stat. relig. in cam. capite* 6. *concl.* 1. *&* 2. *à pag.* 234. Tab. *verb. Religio*, *à numero* 9. Rosel. *ead.* 2. *à* §. 1. Pisanel. *eodem* 2. Rodriquez *in sum. pagina* 2. *capite* 6. Sanchez 5. *in decal. capite* 4. Less. *lib.* 2. *de iust. cap.* 41. *dub.* 3. Reg. *in Prax. lib.* 18. *à num.* 376.

37. Dico 1. vsu perpetuo rationis carens est naturaliter inhabilis ad Religionis ingressum: ita P. De Baisio *in direct. elect. pag.* 1. *cap.* 15. *numera* 2. Sanchez *loca citato numera* 53. Abbas *in cap. Sicut*, *el* 1. *de reg. num.* 2. vbi Barbosa *numero* 2. Suarez cit. *numera* 3. Mir. *art.* 5. *cancl.* 3. Sylu. *verb. Relig.* 5. *quast.* 2. Cord. *loca citata* Sorb. cit. *vers. Quarta quòd non sit*, *pag. mihi* 431. Angel. *verb. Nouitius*, §. 8. Vecch. *loca citata dub.* 7. Azor. *pag.* 1. *lib.* 12. *cap.* 2. *quast.* 5. Prob. 1. *ex cap. Sicut*, *el* 1. *de reg.* vbi ea ratio redditur, quia in eo statu non potest homo consentire, vt probetur in ordine ad obligationem præstandam per votum professionis. 2. quia probatio sine vsu rationis esse non potest, cum fiat per experientiam, quæ est actus rationis.

38. Noto 1. quòd si dicti vsu rationis carentes per centum annos starent in Religione, nunquam possent profiteri, & si profiterentur, professio esset nulla; sicut enim non possunt matrimonium contrahere, *l. Furor*, *ff. de spons.* ita nec professionem facere, quæ est spirituale matrimonium, ad hos enim actus requiritur omnimoda libertas, qua caret amens, & furiosus.

39. Noto 2. quòd si quis amens per multum temporis in Religione staret, & posteà per miraculum ad mentem rediret, non posset ratione præteriti temporis

poris profeſſionem facere, aut nouitius reputari, etiamſi ratam habere vellet primam receptionem; actus enim ille habitum ſumendi ex intrinſeca repugnantia, & incapacitate perſonæ eſt omnino nullus, vnde in eo fundari non poteſt nouitiatus, ſeu probatio Religionis: Adde, quod per *reg.* 28. *Non firmatur, de regul. iur. in 6.* actus à principio nullus, per ſubſequens tempus non validatur: Atque in Abbat. *loco citato num.* 4. Ang. Syl. Sanchez, Azor *loco citato*, Suarez *num.* 4. Verum quidem eſt, quòd ſi ante amentiam integrum nouitiatum feciſſet, poterit tempore amentiæ profeſſionem factam, ad ſanitatem redactus, abſque nouo nouitiatu ratificare, vel ſi poſt recuperatam ſanitatem nouitiatum incipiat, & cum dicta mentis ſanitate perfectè compleat, poterit ſuo tempore profeſſionem facere, vt Sanchez, Syluester *loco citato.* Item receptus tempore furiæ, poſt quatuor, vel ſex menſes ad mentem rediens, licet ſuæ receptioni conſentiat, tempus tamen illud in anno probationis computari non poteſt; quia tunc erat inhabilis. Ita *loco citato num.* 3. receptus verò in mente ſana, ſi deinde nouitiatus anno per octo, aut quindecim dies in phreneſim incidat, non per hoc tenetur, vel nouitiatum incipere, vel tempus illud phreneſis ſupplere, cum omnium Religionũ praxis tempus tam breue pro nihilo ducat, ſecus verò eſt, ſi in dicta mentis alienatione duret per menſem, nam tunc licèt non teneatur nouum nouitiatum incipere, cum non cenſeatur eo tempore nouitiatus interrumpi, ſed dormire, nouitio in Religione ſub obedientia Prælati permanente, tenetur tamen illud tempus amentiæ ſupplere, quia qui rationis compos non eſt, nec ſub obedientia ſtare, nec diſciplinam monaſticam experiri poteſt. Atque ita Sanchez *loco citato num.* 55. Barboſa *in cap. Sicut, tl.* 1. *de de reg. num.* 2. Contrarium tamen cenſent Suarez *loco citato num.* 3. *fine*, & Vech. *loco citato dub.* 7. *num.* 4. nimirum quòd quando amentia per menſem durauit, nouus nouitiatus incipiendus eſt.

40. Dico 2. nullus ante pubertatem perfectam, quæ perficitur in viris anno 14. completo, & in fœminis anno 12. eſt aptus habitum Religionis recipere, quò ad auſteritates Religionis experiendas, nouitiatumque incipiendum. Ita Sanchez 5. *in decif. cap.* 4. *num.* 22. Azor. *part.* 1. *lib.* 12. *cap.* 2. *quaſt.* 4. Syluest. *verb. Religio* 5. *quaſt.* 1. & *verb. Religio* 2. *quaſt.* 11. Ang. *verb. Nouitius*, §. 5. Roſel. *eodem num.* 9. Armilla *num.* 1. Tab. *eodem*, §. 1. Leſſ. *lib.* 2. *de iuſt. cap.* 41. *dub.* 3. *num.* 35. Prob. 1. *ex cap. Si in qualibet;* & *cap. Puella* 20. *quaſt.* 2. *cap. Ad noſtram, Cum virum, cap. Poſtulaſti, de reg. cap.* 1. & 2. *de reg. in* 6. *n.* quia tempus nouitiatus datur ad hoc, vt nouitius experiri poſſit Religionis auſteritates, inter quas ſupremum omnium locum obtinet obſeruantia caſtitatis, cuius difficultates impuberes experiri nequeont

41. Noto 1. quòd etiam ante pubertatem poſſunt pueri habentes vſum rationis de voluntate ſaltem negatiua, id eſt non contradictoria, parentum, vel tutorum, ad Religionem recipi. Ita Diu. Thom. 2. 2. *quaſt.* 189. *artic.* 5. Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 5. *capit.* 1. *numer.* 7. Sanchez 4. *in decal. cap.* 18. *numero* 8. Mirand. *tom.* 1. *man. quaſt.* 17. *artic.* 5. *concluſ.* 1. & 2. Habetur expreſsè *in cap. Significatum, de reg.* Pro hac materia puerorum venientium ad Religionem, vide Sanchez *loco citato* & 5. *in decif. cap.* 4. *num.* 23. Suarez *cap.* 2. & 3.

42. Noto 2. quòd etiam nunc poſt Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 15. *de reg.* vbi cauetur, quòd nullus ad profeſſionem admitti poſſit ante 16. annum expletum; poſſunt nihilominus pueri in quacumque ætate ad Religionem admitti, modò ad experiendam Religionem, & nouitiatum faciendum ante pubertatem completam non admittantur. Ita Suarez *loco citato num.* 6. Sanchez 5. *in decif citat. numero* 22. Nauarr. *lib.* 3. *conſil. de reg. conſil.* 20. *numero* 1. Rodriquez *tom.* 3. *quaſt. reg. quaſt.* 15. *artic* 2. *verb. Et aduertendum;* Mirand. *tom.* 1. *man. quaſ.* 22. *artic.* 3. *concluſ* 1. Et ratio eſt, nam concilium ſolùm ſtatuit, ne profeſſio fiat ante 16. annum completum, & cum annum nouitiatus non determinet; linquit antiquos canones in ſuo vigore.

43. Dico 3. Seruus non poteſt ad Religionem admitti abſque licentia domini, admiſſum autem tenetur Religio domino petenti intra triennium, computandum à die, quo ſciuerit, ipſum fuiſſe Religionem ingreſſum, reſtituere, cum omnibus, quæ ad Religionem tulit, cumque promiſſione ex parte domini de impunitate, etiamſi profeſſionem emiſiſſet, falſis teſtibus ſe liberum probando. Si verò Religio eum ſcienter admiſit, vel, cum eſſet incognitus, fuit negligens in inquirendo, tenetur ipſa domino pro ſeruo ſatisfacere. Ita Sylu. *verb. Religio* 2. *quaſt.* 3. Roſel. *eodem*, §. 1. & 2. Ang. *eodem*, §. 5. Tab. §. 50. Piſan. *Religio* 2. §. *Vtrum ſeruus*, & §. *Quid ſi ſeruus.* Ledeſ. *de ſtat. Relig in comm. cap.* 6. *concl.* 1. *à verb. A cerca de la primera, pag. mihi* 236. Sanchez 5. *in decal. cap.* 4. *num.* 42. Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 1. *quaſt.* 3. A S. Fau. *in theſ. lib.* 5. *quaſt* 129. Trott. *de perf. cler. lib* 2. *part.* 1. *requiſit.* 3. *num.* 13. & 14. Suarez *tom.* 3. *de Religion. lib.* 6. *cap.* 6. *numero* 3. Leſſ. *loco citato num.* 31. Portell. *in dub. reg. verb. Nouitij qual. num.* 23. Mirand. *tom.* 1. *man. quaſt.* 17. *art.* 2. Feſt *in conſt. Prad. p.* 2. *cap.* 7. Prob. *ex cap. Si ſeruus*, *d.* 54. & *cap. Si quis incognitus* 17. *quaſt.* 2. vbi omnia ſupra dicta habentur. Et ratio eſt manifeſta quia ſeruus, de quo loquor, eſt omnino domini ſui; vnde in illius præiudicium ſe non poteſt cuiquam obligare, cum Deus, neque Eccleſia quidquam velit cum præiudicio tertij.

44. Noto 1. quòd poſt dictum triennium non poteſt dominus ſeruum ampliùs reuocare à Religione, ſi emiſerit profeſſionem; quia in Religionis fauorem manumiſſus cenſetur, & dum dominus intra dictum triennium, ſciens Religionem ingreſſum, eum non repetiit, conſenſiſſe præſumitur: & colligitur expreſsè *ex capit. Si quis incognitus citat.* & docet Sanchez *loco citato num.* 44. Azor. citat. *verb. Quarto quo pacto.*

45. Noto 2. quòd difficultant DD. an profeſſio ſerui facta intra triennium valeat. Putat valere Suarez *loco citato num.* 3. inualidam dicunt Anton. 2. *part. tit.* 11. *cap.* 2. §. 6. Sanchez citat. *num.* 49. A S. Fauſt. *loco citato quaſt.* 131. eo modo, quo irrita eſt profeſſio coniugis, altero inuito; licèt enim poſſit ſeruus caſtitatem vouere; non poteſt tamen ſe Religioni tradere in præiudicium domini; & licèt iure canonico id vetitum non reperiatur, eſt tamen vetitum iure naturæ, quatenus nemo alteri tradere poteſt, quod ſuum non eſt, & quærere legem, vbi adeſt ratio naturalis, eſt infirmitas intellectus, vt ex Ariſt. 8. *phyſ tex.* 22. colligit Gomez *tom.* 2. *var. cap.* 10. *de indiuid num.* 1. Stephan. de Federic. *de iur. interpr. part.* 2. *num.* 3. Quare dicendum eſt, quod hic ſeruus reuocatus à Domino, profeſſione peracta, ſi deinde manumittatur, non tenebitur ad Religionem redire, nec interim caſtitatem, nec alia vota eſſentialia ſeruare, vt Sanch. cit. Et colligitur clarè *ex cap. Quidam, de conuerſ. coniug.* ibi: *Vnde ad monaſterium ratione voti non tenetur redire*: Quod tamen limita, niſi ſeruus dicta vota faciendo in profeſſione, ea ſeruare intendiſſet, etiam ab ipſa profeſſione abſtrahendo.

46. Dico 4. non potest Episcopus, Episcopatu relicto Religionem ingredi, absque licentia obtenta Papæ. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 189. *art.* 7. *corp.* Sanchez 4. *in dec. cap.* 25. *numero* 36. Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5 *cap.* 14. *numero* 14. & *lib.* 6. *capite* 8. Aug. *verb. Religiosus*, §. 12. Sylvester *verb. Religio*, 2. *quæst.* 8. Rosel. *eodem* 2. §. 8. Tab. *eodem* §. 12. Pisan. *eod.* 2. §. *Vtrum Episcopi, &c.* Vech. *de non. disp.* 2. *dub.* 3. *num.* 1. Mir. *tom.* 1. *man. quæst.* 17. *art.* 3. Less. *loco cit. numero* 24. Reg. *in prax. lib.* 18. *numero* 377. *vers. Postremò.* Prob. tum *ex cap. Licèt, de reg.* & *ex cap. Nisi eum pridem, de ren.* vbi causa ingrediendi Religionem non permittitur Episcopo Episcopatui renuntiare. Tum quia sunt mariati suæ Ecclesiæ, vnde eam deserere non possunt absque illius consensu, quem consensum sibi reseruauit Papa, cui iurauerunt obedire. Tum quia status Episcoporum perfectior est statu Religiosorum, vt probat D.Thom. 2. 2. *quæst.* 184. *art.* 7. sed à perfectiori ad minus perfectum transiri non potest sine licentia, vt sumitur *ex dicto cap. Licèt, de reg.*

47. Noto 1. ex Suarez *lib.* 6. *cit. cap.* 8. quod conclusio intelligitur de Episcopo electo, confirmato, consecrato, & actualiter habente suam Ecclesiam, cuius curam gerit. Episcopus verò electus solum potest ingredi, quia hic potest liberè renuntiare, antequam confirmetur, per *cap. Inter corporalia*, vbi glossa *verb. Confirmatus, de transl. Ep.* ergo, & poterit Religionem ingredi. Episcopus autem confirmatus, licèt nondum consecratus, non potest Religionem ingredi, quia iam est verè Episcopus, & sponsus talis Ecclesiæ. Suarez *numero* 2. Episcopus tamen consecratus, si nullius Ecclesiæ Episcopus sit, potest liberè Religionem ingredi, vt qui v. g. Episcopatui renuntiauit, quia iam solutus est à vinculo spirituali matrimonij suæ Ecclesiæ. Suarez *numero* 4. qui aliter iudicat de Episcopis titulatibus, *numero* 5. quia hi solùm per accidens sunt absentes à sua Ecclesia. Professio verò Episcopi absque licentia Papæ facta esset nulla. Tum quia vinculum Episcopi cum sua Ecclesia est indissolubile iure diuino, vnde quandocumque dissoluitur, non humana, sed diuina auctoritate, id est auctoritate Papæ, qui est Christi Vicarius, dissolui debet, vt dicitur *dicto cap. inter corporalia.* Tum quia de spirituali matrimonio eo modo, quo de carnali, philosophamur, sed in hoc non licet sine licentia coniugis Religionem ingredi; ergo neque in illo sine licentia Papæ; vide Suarez *à num.* 7.

48. Noto 2. quòd quicumque alij Prælati inferiores, siue curam animarum habentes, siue non, etiamsi dignitatem habeant quasi Episcopalem, sunt habiles ad Religionis ingressum, absque licentia Papæ, cum sola licentia petita, licet non obtenta, Ordinariorum, quibus subduntur, quòd si exempti sunt, etiam eximuntur à dicta licentia petenda, vel, vt dicit Suarez citato *num.* 14. sufficit licentiam petere ab illo Episcopo, cui deberent esse subjecti, nisi essent exempti; Atque ita Diu. Thom. 2. 2. *quæst.* 189. *art.* 7. Syl. Ang. Rosel. *loco citato.* Ghet. *in Theol. mor. verb. Relig. quæst.* 50. Suarez citat. *num.* 13. & 14. & habetur *in cap. duæ sunt*, & *6. si quis horum* 19. *quæst.* 2. Aduerte tamen, quod beneficia talium Religionem ingredientium, infra annum probationis non sunt alicui conferenda, sed interim eis est inseruiendum per alios, assignata eisdem congrua portione, *cap. Beneficium, de reg. in* 6. vbi aduerte, quòd illa clausula, quæ subditur *in dicto cap. Nisi constet, quod vitam voluerit absolutè mutare*, hodie non habet locum intra annum nouitiatus, propter decretum Trident. *sess.* 25. *de reg. cap.* 15. in quo statuitur, quòd, anno non expleto locum non habet professio tacita, vel expressa, licèt expressè constet, quod voluerit vitam mutare; nec est valida renuntiatio facta à dicto beneficiatio sui beneficij, nisi seruata forma eiusdem conc. *cap.* 16.

49. Dico 5. qui contraxit legitimè, & consummauit matrimonium, non potest Religionem ingredi, absque alterius coniugis expressa licentia. Ita Syl. *verb. Religio*, 2. *quæst.* 9. Angel. *verb. Religiosus*, §. 14. Tab. *verb. Religio*, *numero* 13. Ledesm. *de stat. Relig. in com. cap.* 6. *concl.* 1. *vers. la segunda condicion, pag. mihi* 237. Rodriquez *in sum. p.* 2. *cap.* 6. *numero* 1. & *tom.* 3. *quæst. reg. quæst.* 13. *art.* 1. Less. *lib.* 2. *de iust. cap.* 41. *dub.* 3. *num.* 25. Rosel. *verb. Impedimentum* 11. *statim in princ.* Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *à cap.* 1. *q.* 6. Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 5. *cap.* 4. *numero* 5. Vech. *de nou. disp.* 3. *dub.* 3. *numero* 1. Mir. *tom.* 1. *Man. quæst.* 17. *art.* 1. *conclus.* 2. Sanchez 3. *in dec. cap.* 4. *numero* 5, Barbosa *in cap. Quidam, de conuers. coniug. numero* 1. Regin. *in prax. lib.* 18. *numero* 377. A S. Fau. *in thes. Relig. lib.* 5. *quæst.* 74. Cord. *in reg. Minor. cap.* 2. *quæst.* 4. *vers.* 2. *conditio* Rebell. *de obl. iust. par.* 2. *lib.* 3. *quæst.* 4. *sect.* 2. *numero* 13. Coninck *de Sacr. tom.* 2. *disp.* 26. *dub.* 3. *numero* 30. Prob. tum *ex cap. Quidam; cap. Veniens; cap. Accedens; cap. Placet, de conuers. coniug. cap. Si quis coniugatus;* 27. *quæst.* 7. Tum ex 1. Cor. 7. *His qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, mulierem à viro non discedere.* Et Matth. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Tum quia vxoratus sui iuris non est, & quod alteri iam traditum est, alij elargiri non potest. Quod autem matrimonium censeatur consummatum, vide Sanchez *lib.* 2. *de matr. disp.* 21 & 22. Et accipe generalem regulam. Per nullam copulam verè matrimonium consummatur, ita vt coniuges non possint Religionem ingrediendo, illud dissoluere, nisi ipsam ita habeant, vt possit ex ea sequi generatio. Ita Coninck *loco cit. dub.* 4. *num.* 50.

50. Noto 1. quòd potest coniux post consummatum matrimonium, de licentia alterius Religionem ingredi, sed requiruntur 3. conditiones. 1. quod coniux relictus, si iuuenis sit, pariter & ipse Religionem ingrediatur, & altero professionem emittente, eam similiter & ipse emittat. Si verò sit senex, & de quo nulla possit esse incontinentiæ suspicio, requiritur, quòd votum castitatis emittat; *cap. Cum sis; cap. Vxoratus, cap. Ad Apostolicam, de conuer. coniug.* fusè Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disp.* 32. *à numero* 2. Qui tamen *disp.* 33. *numero* 2. censet, quod, quamvis coniux manens in sæculo cum voto castitatis sit iuuenis, & suspecta de incontinentia, valida est alterius professio de ipsius licentia facta. Nam licèt tex. eit. petant, vt coniux iuuenis simul profiteatur in aliqua Religione, non irritant tamen professionem ab altero coniuge factam. Immò putat Sanchez *loco citato, numero* 4. validam esse professionem, etiamsi coniux iuuenis manens in sæculo, nullum votum castitatis emittat, quod probat *ex capite. Ex parte, el* 1. *de conuer. coniug.* & *capite Agathosa*, 27. *quæst.* 2. Secunda conditio est, vt licentia sit spontè concessa, non metu cadente in constantem virum, vel dolo extorta; alioquin professio nulla erit, & liberum erit manenti in sæculo professum reuocare. Ita Sanchez *loco citato disp.* 35. *num.* 1. 3. & 9. Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *capite* 1. *quæst.* 6. Ait autem Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 6. *cap.* 7. *numero* 10. quòd sufficit, vt dicta licentia sit tacita; quia scienti, & consentienti non fit iniuria, *per reg.* 27. *de reg. iur. in* 6. & qui tacet, consentire videtur, *per reg. iur. eod. lib.* per licentiam autem tacitam intelligitur, quando alter coniux scit factum alterius, & non prohibet. Ita etiam Azor. *vers. si quæras:*

& Regin. *in praxi lib.* 18. *num.* 377. *ver. si quæras.* 3. conditio est, vt id fiat cum auctoritate, & consensu Episcopi; *cap. Si vir, & vxor.* 27. *quæst.* 2. quem consensum esse omnino requirendum sub pœna peccati mortalis, docet Rebell. *de obl. iust. p.* 2. *lib.* 3. *quæst.* 4. *sect.* 2. *num.* 18. quia consensus Episcopi *in dicto cap. requiritur de præcepto.* Sed puto cum Sanchez *loco citato disp.* 35. *num.* 3. dictum consensum solum requiri *in eo cap. de honestate.* Tum quia dictum cap. videtur loqui in casu, quo vir, & mulier vellent monasterium construere, & ad illud transire, quo casu certum est Episcopi licentiam requiri, *cap. Nemo, de consecr. dist.* 1. vt dicit Glossa *in dicta cap. verb. Conscientia.* Tum quia ait Sanchez consuetudine receptum esse, vt ea licentia non petatur. Conueniunt tamen omnes, quòd dictus consensus non habitus, nec requisitus, nullo modo professioni cum aliis conditionibus factæ officit.

51. Noto 2. quòd, si matrimonium non fuit consummatum, licèt sit ratum per verba de præsenti, potest coniux, absque licentia, immò cum repugnantia alterius, Religionem ingredi. Quia tunc neque damnum, neque iniuria alteri coniugi irrogatur, & statuitur de fide in Trid. *sess.* 24. *can.* 6. *de refor. matr.* & habetur *in cap. Verum, capite Ex publico, de conuer. coniug. & cap. Desponsatam,* 27. *quæst.* 2. & docent Rebell. *loco citato, numero* 10. Sanchez *lib.* 2. *de matr. disp.* 18. *numero* 3. Less. *lib.* 2. *de iust. cap.* 41. *dub.* 8. *num.* 69. & alij communiter. Quo autem iure id competat professioni religiosæ, disputant Less. *loco citato.* Coninck. *de Sacr. tom.* 2. *disp.* 26. *numero* 31. Sanchez *disp.* 19. *loco citato.* Ego credo, quod illi competat iure naturæ, approbato à temporibus Apostolorum, quo cuique licitum est perfectiorem sibi statum quærere, quando id potest sine alterius iniuria. Et aduerte, quòd *in cap. Ex publico cit.* datur tempus, s. mensium coniugibus ad deliberandum, an velint Religionem ingredi, vel matrimonium consummare, intra quod bimestre neuter coniugum tenetur alteri seddere debitum, vt Tol. *lib.* 7. *cap.* 37. *num.* 3. *verb. Quartus casus.* Sanchez *lib.* 2. *de matrim. disp.* 24. *numero* 25. Quod quidem bimestre non est ad profitendum, cum obstet Trid. *sess.* 25. *de reg. cap.* 15. Sed ad ingrediendum Religionem, & nouitiatum faciendum. Ita Coninck *loco citato, numero* 48. Vech. *de non. disp.* 3. *dub.* 8. *numero* 3. vnde requiritur; quod alter coniux manens in seculo, expectet, donec coniux Religionem ingressus professionem in ea emittat; Quare si Religionem ingrediens solum sit in ætate 14. annorum, tenetur qui remanet in seculo, antequam aliud matrimonium ineat, expectare 2. annos, cum professio ita. Trid. *sess.* 25. *de reg. cap.* 15. non possit fieri nisi completo anno 16. Ita Sanc. *lib.* 2. *de matr. disp.* 24. *à numero* 8. Rebell. cit. *numero* 21. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 5. *numero* 8. verum quidem est, quòd si Religionem ingressus, in fraudem coniugis transiret de vna Religione in aliam, ad tempus professionis dilatandum, posset compelli, dato term. perempt. à Iudice ad remanendum in vna Relig. in qua, completo nouitiatu professionem emittat, vel ad coniug. tedeat, vt Sanchez *loco citato, num.* 9.

52. Noto 3. quòd professio facta absque coniugis licentia post consummatum matrimonium, est omninò nulla, & potest qui in seculo manet, professum coniugem reuocare. Ita *in cap. Placet, & in cap. Quidam, de conu. coniug.* Et ratio est, quia, cùm coniux dominium sui corporis non habeat, sed alter coniux, iuxta illud 1. Cor. 7. *Vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier, nec mulier sui corporis potestatem habet, sed vir,* non potest illud in dominium Religionis transferre. Atque ita Sanchez *lib.* 7. *de matr. disp.* 34. *n.* 1. Suarez *lib.* 6. *de relig. cap.* 7. *num.* 2. Et votum illud emissum à coniuge, altero ignorante, inuito, vel contradicente, esse omninò irritum, & nullam obligationem inducere, docet Sanct. *loco citato, numero* 10. vnde taliter professus, & ad seculum ab altero coniuge reuocatus, mortuo coniuge reuocante, non tenetur ad Religionem redire, *cap. Quidam, de conu. coniug.* Sanchez *num.* 12. Barbosa *dicto cap. Quidam, numero* 5. Mir. *tom.* 1. *man. quæst.* 17. *art.* 1. *concl.* 5. *fine.* Neque etiam redire tenetur, si post reuocationem coniugem pœniteat reuocasse; Sanchez *num.* 13. Immo taliter sine licentia, professus, propria potest auctoritate Religionem deserere, etiam altero coniuge non reuocante, cum votum illud professionis fuerit omninò nullum, Sanchez *numero* 15. An autem professio facta sine licentia coniugis; quæ est nulla, vt diai, validetur, accedente coniugis consensu, censet Sanchez *numero* 16. non validari; quia non conualescit in tempore, quod ab initio fuit nullum. Contrarium videtur tenere Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 5. *c.* 4. *numero* 10. An etiam coniux licentiam datam coniugi ingrediendi Religionem possit reuocare, affirmat Suarez *cit. numero* 7. dum coniux probatur in nouitiatu. Au autem quando iam est professus, affirmat idem Suarez *loco citato, lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 35. si coniux in seculo manens nullum votum religionis, vel perpetuæ castitatis emisit, quia ille consensus non fuit ab Ecclesia acceptatus, nisi sub conditione, quod manens in seculo castitatem perpetuam voueret, vt colligitur *ex cap. Vxoratus, de conuer. coniug.* Suario adhæret Rebell. *loco citato, numero* 21. Dici tamen posset, quòd neutro casu posset coniux semel datam licentiam reuocare; per illam enim se spoliauit iure, quod habebat super coniugem, vnde sine nouo consensu illius non potest illud acquirere. Quod enim semel placuit, amplius displicere non potest, *per reg.* 21. *Quod semel de reg. iur. in* 6. Nec refert, quòd Religionem ingressus possit ad seculum redire, quo casu coniux relictus tenetur eum recipere; nam cum illa licentia sit data in fauorem ingredientis Religionem, eo fauore potest ille vti, & non vti, cum vnicuique liberum sit iuri suo renunciare; fauorem autem concedens, illum reuocare non potest, nisi in casu abusus, quod non contingit in casu nostro. Et coniux manens in seculo cogendus esset castitatem vouere; quæ est determinatio illius *cap. Vxoratus.*

53. Noto 4. quòd coniux innocens propter alterius coniugis adulterium notorium, vel propter latam à legitimo iudice diuortij sententiam, potest, inuito coniuge adultero, Religionem ingredi; constat *ex cap. Constitutus, cap. Veniens, de conuu. cap. Agathosa,* 27. *quæst.* 2. per adulterium enim admittit coniux ius, quod in coniuge habebat, *cap. Significasti, de diuor. cap. fin. de adul. cap.* 1. & 2. 32. *quæst.* 1. Sanchez *lib.* 10. *de matr. disp.* 11. *numero* 2. & 10. Gutierr. *can. quæst. cap.* 25. *lib.* 1. *numero* 3. Syl. *verb. Diuortium,* 13. *dicto* 2. *numero* 16. Vener. *in ex. Ep. lib.* 1. *cap.* 67. *numero* 9. Propter adulterium verò occultum non licet coniugi in foro externo, altero dimisso, ad Religionem transire; Azor *tom.* 1. *lib.* 13. *cap.* 1. *quæst.* 6. *verb Si quæras.* Et posse etiam cessante scandalo, hoc casu innocentem ad Religionem transire, censet Sanchez *loco citato, numero* 11. & 12. Non potest tamen coniux adulter ad Religionem transire, in eaque profiteri, innocente inuito, ignorante, aut inconsulto, etiam lata diuortij sententia; quia diuortium fit in fauorem innocentis, vt absoluatur à dominio, quod super illum habebat nocens, non vt priuetur dominio, quod super nocente ipse habet, alioquin puniretur, sine culpa, contra *reg.* 23. *Sine culpa, de reg. iur. in* 6. Atque ita D. Thom. *in* 4. *d.* 35. *quæst. vn. art.* 9. *ad* 3.

Sanchez *loco citato, disp.* 10. *num.* 12. *&* 13. Vech. *de non. disp.* 3. *dub.* 3. *numero* 9. *&* 10. Sed præsumitur innocens concedere licentiam ingrediendi Religionem, si sciat, & non contradicat, Ant. 3. *par. tit.* 1. *cap* 21. §. 6. *verb. Effectus accus.* Sanchez *numero* 14. quia qui tacet consentire videtur. Similiter si coniux innocens monitus de sibi adultero reconciliando, renuet, potest adulter Religionem ingredi, & profiteri; nec professum reuocare poterit; quia reconciliationem non admittens, mutandi statum licentiam concedere videtur, & licèt ingressui ipsi refragetur, non obstat, quia est irrationabilis voluntas, cui deferendum non est; Sanchez *numero* 16. & aduerte, quòd innocens in seculo remanens, non tenetur votum castitatis facere, nec Religionem profiteri, etiamsi Iuuenis sit, cum nullo iure id cautum reperiatur. Sanchez *num.* 15. Et quando liceat coniugi propter hæresim, vel apostasiam à fide alterius coniugis, ad Religionem transire, vide Sanchez *loco cit. disp.* 15. *à numero* 2. Et quando ob sæuitiam, & furorem coniugis, vide eundem *disp* 18. *à numero* 47. Aduerte etiam, quod quando coniux, facto diuortio, potest Religionem ingredi, interrogationi, quæ habitum suscepturis, vel etiam professionem facturis fit. An scilicet vxorem duxerit, & matrimonium consummauerit, potest optimè respondere negatiuè; intelligitur enim, se vxorem non habere, quæ illi impedire possit habitus susceptionem, vel professionem, & respondet ad mentem interrogantis, quæ solum interrogat ad videndum, an tale impedimentum habeat. Atque ita Led. *de stat. rel. in com. capite* 6. *concl.* 1. *verb. A esta difficultad. pagina mihi* 238.

54. Noto 5. quòd per ingressum Religionis bona fide factum, etiam professione non secuta, dirimuntur sponsalia, etiam iurata; si enim dirimitur matrimonium per verba de præsenti celebratum ante illius consummationem, multò magis dirimentur sponsalia, quæ solùm obligant in futurum; Ledes. *loco cit. verb. la segunda condicion*; Sanchez 1. *de matr. disp.* 24. *n.* 5. Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 1. *quæst.* 7. Menoch. *de arb. lib.* 2. *cas.* 455. *num.* 10. Regin. *in prax. lib.* 12. *n.* 178. *verb. Quarta propositio*; Suarez *tom.* 3. *de rel. lib.* 5. *cap.* 11. *num.* 10. Dixi, bona fide, nam si solùm ingrediatur ad deludendam promissionem factam, statim egressurus, licèt in seculo relictus iam sit sponsalibus solutus, ipse tamen ad seculum reuersus, si alter primis sponsalibus stare voluerit, stare tenetur, & matrimonium contrahere, fraus enim, & dolus nemini suffragari debent, *cap. Ex tenore, de rescr.* & quòd per ingressum Religionis dirimantur sponsalia, etiam iurata, docent Ang. *Verb. Religiosus*, §. 15. Sylu. *verb. Religio* x. *quæst.* 9. Sanchez cit. *disp.* 43. *num.* 3. & constat *ex cap. Commissum. de spons.* quod non improbat factum, sed consulit, quid esset securius faciendum, & *cap. Peruenit, iur. iur.* vbi dicitur, quòd promissum non infringit, qui illud mutat in melius. Qui verò contraxit sponsalia, & sub ea spe virginem deflorauit, non potest ingredi Religionem, sed tenetur eam ducere; quia iniuriam sponsæ illatam; quam de iustitia resarcire tenetur, non potest aliter compensare; Sanchez *loco citato, disp.* 44. *numero* 3. Vech. *de non. disp.* 3. *dub.* 4. *numero* 12. A S. Fau. *in thes. lib.* 5. *quæst.* 127. Less. *lib.* 2. *de iust. cap.* 41. *dub.* 3. *numero* 30. & hoc, etiam si fictè ducere promiserit, vt Less. Idem dic, quando sponsa, etiamsi deflorata non fuerit, grauem tamen passura est iacturam, propter secretam, & nimiam familiaritatem habitam cum sponso, Sanchez *numero* 4. *&* 5. A S. Fau. *numero* 2. Nec satisfacit his casibus, si matrimonium contrahat, & ante consummationem Religionem ingrediatur, quia sic non resarcitur iniuria virginitatis, & famæ, Sanchez *numero* 7. Nec potest se in his casibus à dictis sponsalibus liberare, facto voto post extortam copulam, dicta spe de ingrediendo Religionem, quia id in præiudicium fœminæ vouere non poterat, ea tamen mortua, vel sponsalibus legitimè solutis, tenebitur votum Religionis implere, Sanchez *numero* 8. Tenetur etiam virginem sub spe matrimonij defloratam ducere, qui priùs voto Religionis erat astrictus, quia vinculum iustitiæ fortius est vinculo charitatis, Sanchez *loco cit. disput.* 45. *numero* 3. Si verò virgo sciebat, deflorantem cum promissione matrimonij, vinculo Religionis esse astrictum, cum decepta non sit, (nisi fortè, id non obstare, suasisset promissor, quod est facilè in simplicibus virginibus) eam ducere non tenetur promittens, Sanchez *numero* 5. Item qui deflorauit, nulla habita matrimonij promissione, licèt postea defloratæ matrimonium promittat, potest nihilominus Religionem ingredi, in foro tamen conscientiæ, nam in foro fori poterit cogi ad eam ducendam. Ita Sanchez *lib.* 8. *de matr. disp.* 36. *numero* 9. *&* 12. quia illa promissio ex mera liberalitate processit.

55. Dico 6. professus in Religione omnium strictissima, vt in Religione Minimorum, in nulla alia Religione recipi, nec profiteri potest. Ita Ledesm. *de stat. relig. in comm. capite* 6. *concl.* 1. *verb. La tercera condicion, pag. mihi* 238. Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 12. Cord. *in regul. Min. capite* 2. *quæst.* 17. *pag.* 5. Cruz *de stat. relig. lib.* 2. *capite* 7. *dub.* 3. *concl.* 3. Vech. *de non. disp.* 13. *dub.* 1. *num.* 15. Prob. quia traditus per professionem Religioni perfectiori, non potest tradi alij minus perfectæ, quia hoc esset à perfectione recedere, contra illud: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Et expressè prohibet Trid. *sess.* 25. *de reg. cap.* 19.

56. Noto 1. quòd mortaliter peccat, qui à Religione perfectiori transit ad minùs perfectam, agit enim contra solemne iam factum Religionis votum, & professio facta in Religione minùs perfecta non tenet, quia propria auctoritate non potest quis Religionem strictiorem relinquere, & assumere laxiorem. Ita Ledes. *loco citato*, & dixi *tom.* 1. *huius op. quæst.* 1. *capite* 24. *concl.* 3. & constat arg. *capite Qui post, de reg. in* 6.

57. Noto 2. quòd professus strictiorem Religionem, laxiorem ingrediens absque debita facultate, licèt per annum steterit in nouitiatu, tempus tamen illud nihil ei proficit ad validam professionem emittendam. Verum quidem est, quod si, dum nouitiatum perficit, recipiat facultatem legitimam profitendi, tempus nouitiatus incipiet à 1. ingressu in eam Religionem, non à die acceptæ facultatis, secundum Suarez *loco citato, numero* 13. Sed puto, quòd incipere debet à die acceptæ facultatis; non enim conualescit in tempore, quòd ab initio fuit nullum, *reg.* 18. *Non firmatur, de reg. iur. in* 6. Et aduerte, quòd Prælati recipientes ad habitum professos alterius Religionis, sunt ipso facto excommunicati per priuilegia singulis ferè Religionibus concessa, quæ refert Cruz *loco citato*, & dicit Ledesm. *loco citato*. Et in specie, quòd recipientes Minimorum professos, sint ipso facto excommunicati, constat *ex const.* 5. *Iul. II.* §. 4. *tom. nostr. priu. & ex const.* 6. *Leon. X.* §. 3. *ibid.* & quòd Mendicantes transeuntes ad aliquam Religionem Monachalem, excepta Carthusia, ipsosque recipientes, sint ipso facto excommunicati, constat *ex extrauag. Vt am ambitiosa, de regul.* & dicit Less. *loco citato, dub.* 13. *num.* 104.

58. Dico 7. inhabilis est ad Religionis ingressum, & professionem, qui diuersi sexus est ab illis, in quorum monasterium ingreditur, vt si vir in monasterio monialium,

nialium, & mulier in monasterio fratrum recipiatur. Ita Nauarr. *lib. 3. conf. de reg. conf.* 47. *numero* 4 Sà *in aph. verb. Religio*, *numero* 30. Rodr. *pag. 2 sum. cap. 6. numero* 14. Heotiquez *lib.* 14. *cap. 8. num.6. in com. lit.* A Sanchez 5. *in dec. capite* 4. *numero* 40. Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 5. *cap.4. numero* 1. *& lib.6. cap.* 12. *num.* 24. Vech. *disput.* 5. *dub.* 1. *numero* 1. *Et disp.13. num.12.* contra Syl. *verb. Relig.* 3. *quaest.9.* putantem, professionem istius valere, non in indiuiduo, sed in specie, vel in genere, idest non potest iste quidem manere in illo conuentu, in quo est professus, sed debet manere in alio cōnuentu eiusdem Ordinis, & sexus, seu in alio conuentu, & Religione proprij sexus, sed quòd professio sit omnino nulla, probat Sanchez quia in professione semper requiritur voluntas profitentis, & illam admittentis, at hic vtraque, aut saltem altera, deficit, cum vel ille noluit profiteri nisi in eo monasterio, vel si voluit in ea Religione quoad speciem, sed non quo ad sexum, non est admissus; nisi ad Religionem sexus, in qua professus est.

59. Vnde collige quòd hermaphroditus est inhabilis ad Religionis ingressum, quicumque sexus in eo praeualeat, ita vt licet in eo praeualeat sexus virilis, non possit ingredi, nec profiteri in Religione virorum, nec è contra. Quòd si tacens defectum, ad professionem recipiatur, professio nulla est, & debebit, defectu cognito, à Superioribus Religionis expelli. Tum quia hermaphroditus est infamis, vt dixi *sub capite* 4. *numero* 22. & infames non debent ad Religionem recipi, vt dicam hic *infra numero* 83. Tum quia indecens est, ista monstra ad inseruiendum Deo in Religione recipere. Tum quia id esset in scandalum, & offendiculum multorum: quae ratio desumpta est *ex cap. Definimus* 18. *quaest.* 2. & propter quam ibi prohibetur cohabitatio virorum, & mulierum, quòd etiam valet in hermaphroditis. Et propter hanc rationem dicit Azor *pag.* 2. *lib. 6. cap.* 2. *quaest.* 3. quòd debent excludi ab ordinibus, & beneficiis. Atque ita Maiol. *de irreg. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 7. *& lib.* 1. *cap.* 27. *num.* 4. Portel. *in dub. reg. verb. Nouitij qual. numero* 25. Vech. *de nou. disp.* 13. *cit. numero* 12. *& disp.* 5. *dub.* 1. *à numero* 3. Ledesm. *de stat. rel. in com. cap. 6. concl.* 1. *vers. Otra condicion*, *pag. mihi* 244. A S. Fau. *in thes. lib.* 5. *quaest.* 230. nec requiritur ad eos expellendos etiam iam professos licentia Papae, si in eis aequaliter dominetur sexus, quia tunc nec viri, nec foeminae sunt, nec si in aliquo dominetur virilitas, & fuerit professus in monasterio monialium. Nec etiam requiritur dicta licentia, etiamsi praedominante virilitate, fuerit professus in Religione virorum, quia semper adest incentiuum peccati, fomes scandali, & vix potest fieri, quo seu sit validior, nisi ex ipso, qui certum est, quod si tacuit defectum in professione, semper dicet, in eo praeualere sexum sibi magis vtilem. A S. Fau. *loco citato*.

60. Mouet hic dubium Ledesm. *loco citato*, an qui in monasterio monialium tanquam mulier professionem fecit, cum verè mulier crederetur, apparet, & esset, deinde humeros supponens oneri cuidam graui, vi ponderis, seu alio accidenti facta est vir, teneatur in dicto monasterio permanere, vel teneatur transire ad monasterium virorum eiusdem, vel alterius Religionis. Et respondet, quod non tenetur stare in monialium, nec transire ad monasterium virorum, quia professus est tanquam mulier, non tanquam vir; vnde, si in virum est mutata, non tenetur amplius ad officia muliebria, sed virilia. De isto casu multa dicit Portel. *in add. ad dub. reg. verb. Professio hermaphroditi*, *& infrà pag.* 329. *vers. Alia disputatio de nouo casu.* Nec mireris, foeminam in virum mutari, nam id naturaliter contingere posse, docent auctores grauissimi, Aug. *lib. 3. de ciu. Dei*, *cap.* 31. vbi Coqu. multa cumulat. Hippocr. *lib. 6. epid. sect.* 8. Plin. *lib. 7. nat. hist. c.4.* vbi eius Addit. aliqua exempla profert, Gell. *lib.* 9. *cap.* 4. Fulgos. *lib.* 1. *cap.* 6. *pag. mihi* 187. *tit. de Carolo Francisco Guarnis*; Maiol. *lib.* 1. *de irreg. cap.* 27. *numero* 6. Delr. *mag. disq. lib.* 2. *quaest.* 22. in quibus D D. quam plurima huiusmodi exempla reperies, & Menoch. *lib.* 2. *de arb. casu* 286. *numero* 13, refert de quadam foemina, quae cum fuisset bis nupta, post mortem virilia habere cognita est. Et Romae *anno* 1619. ostensa est mihi mulier in virum mutata, & habitu virili incedens; immò, & mares in foeminas aliquando mutatos fuisse, docet Aus. epig. 68.

Foemineam in speciem conuertit masculus ales,
Pauaque de pauo constitit ante oculos.
Nec fatu antiquum, quod Campana in Beneuento
Vnus ephoeborum virgo repente fuit.

61. Dico 8. Excommunicatus maiori excommun. siue denuntiatus, siue non, est inhabilis ad Religionis ingressum, ita vt tam ipse, quàm eum admittentes mortaliter peccent; Ingressus tamen, & professio valida sunt, quamvis recipiens, & receptus notitiam habeant excom. Ita Suarez *tom. 3. de rel. lib. 5. cap. 4. numero* 18. *& lib. 6. cap.* 11. *numero* 19. Sanchez 5. *in dec. cap.* 4. *numero* 36. *&* 37. Sayr. *de cens. lib.* 2. *cap.* 9. *numero* 18. *&* 19. Graff. *tom.* 1. *consf. lib.* 3. *de reg. conf.* 4. *numero* 5. Auil. *de cens. par.* 2. *capite* 6. *disp.* 6. *dub.* 6. Vech. *de nou. disput.* 5. *dub.* 2. Panor. *in cap. Cumillorum*, *numero* 4. *de sent. excomm.* & ibi Barbosa *numero* 7. Azor. *tom.* 1 *lib.* 12. *cap.* 3. *quaest* 9. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 7. §. 7 *& in com lit. K.* Rodriquez *tom.* 3. *quaest. reg. quaest.* 17. *art.* 14. Camp. *in din. rub.* 12. *cap.* 15. *numero* 6. Ricciul. *de inr. pers. lib.* 4. *cap.* 41. Nauar. *lib.* 3. *consf. de reg. consf.* 3 *num.* 1. Comit. *lib.* 2. *resp. mor. quaest.* 8. §. *vlt.* A S. Fau. *in thes. lib.* 5. *quaest.* 220. Pars 1. & 2. quod scilicet sit inhabilis, & peccet, constat. Tum quia qui ea fecit, propter quae fuit excommunicatus, videtur indignus, vt ad statum omnem perfectionem requirentem admittatur, & praecisus ab Ecclesiae gremio, non debet, saltem ante reconciliationem, in eorde ipsius, idest in Religione, recipi. Tum quia inhabilis est ad aliquid faciendum, quid illud sine peccato facere non potest; at talis ingressus, & professio sine mortali fieri non possunt, quia tam in recipiendo Religionis habitu, quàm in profitendo interueniunt communiter multi Religiosi, ordinatas preces cantantes, & caeremonias particulares exequentes, quod maximam communicationem dicit. Cum ergo excommunicatus non possit cum aliis in his rebus sine mortali participare, vt dicunt in casu nostro DD. cit. sequitur, quòd non sit habilis ad dictum ingressum. 3. pars constat, tum *ex capite cum illorum cit.* Tum quia professio religiosa est contractus inter Religionem, & profitentem, at contractus inter excommunicatos initi validi sunt, *capite Significasti*, *de eo qui duxit*, *&c. in 6. cap. Inter dilectos*, *de don.* Coninch. *de sacr. tom.* 2. *disp.* 14. *numero* 119.

62. Noto 1. quòd professio, seu receptio in Religione simoniacè facta, valida est. Nauar. *com.* 4. *de reg. num.* 25. Rodriquez *tom.* 3. *quaest. reg. quaest.* 63. *art.* 3. Sanchez *loco citato*, *num.* 29. Colligitur *ex cap.* 1. *de reg. & cap. Quoniam*, *de sim.* Sed hic aduerte, bene, quòd non est simonia, quando accipitur aliquid, non in pretium religiosi status, sed vel in eleemosinam, vel ob beneuolentiam, vel in alimentorum gratiam, quo pacto moniales accipiunt dotes à velandis, & de iis paciscuntur, ad eas scilicet alendas. Et Religiosi certum quid etiam accipiunt ad nouitiorum sustenta

sustentationem; & de eo possunt pacisci, illud augere, vel minuere pro temporum varietate. Ita Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 9. num. 15.*

63. Noto 2. quòd Prælati regulares possunt absoluere omnes, & quoscumque venientes ad habitum ab iisdem censuris, à quibus possunt absoluere suos professos, ad reincidentiam tamen, nisi statim absoluti, iudiciis penitus exclusis, ingrediantur. Ita concessit Iul. II. *in sua const. tom. 1. nostr. priu. §. 9.* Vide quæ ibi noto *num. 30.*

64. Dico 9. impotens præ morbo, aut senectute ad seruanda non solùm Religionis essentialia, sed etiam accidentalia præcepta, inhabilis est ad Religionis ingressum, & professionem, & tam receptus, quàm recipientes mortaliter peccant. Ita Ledes. *de stat. relig. in com. cap. 6. concl. 5. vers. La 4. condic. pag. mihi* 239. Mir. *tom 1. man. quæst. 19 art. 2.* Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 4. num.* 19 Vech. *disp. 12. dub. 9. num. 2.* Rodriquez *tom. 3. quæst. reg. quæst. 12. art. 3.* Colligitur ex D. Thom. 2. 2. *quæst. 189. art. 10. corp.* Prob. 1. Tum quia recipientes grauiter lædunt propria statuta, & Religioni maximum afferunt detrimentum. Tum quia in professione, ad quam ordinatur nouitiatus, promittunt professuri obseruare regulam, & constitutiones, ergo, si sciant se impotentes, mentiuntur, & recipientes ignorantes decipiunt, atque adeo peccant, cum sit materia grauis, mortaliter. Cuius argumenti vis non eluditur, si dicatur, quòd promittit illa obseruare eo modo, quo regula obligat, nempe dum iusta causa non excusat, vt dicunt Rodriquez *tom. 2. sum. cap. 6. num. 13.* Sanchez *loco citato, num. 52.* A S. Fau. *loco citato, quæst. 249.* quia iusta causa non debet esse præsens, sed superueniens, alioquin erit potius irrisio, quam promissio. Vt si quis v. g. egentissimus promittat mihi soluere mille aureos, cum sciam ipsum nec mille denarios vnquam possedisse, irrisum me existimabo, & tamen hic potest dicere. Ego seruabo eo modo, quo promissa seruari debent, si nimirum possunt. 2. Prob. conclusio, quia turpis est pars, quæ non congruit suo toti, & singularitates Religiones destruunt, & frequens legum solutio aperit ad eas omnino contemnendas. Trid. *sess. 25. cap. 18. de refor.* Non displicet tamen limitatio Rodriquez *loco citato* vt scilicet possit ad Religionem admitti persona, quæ licèt impotens ad seruanda accidentalia Religionis, esset tamen ita aliàs insignis, & eminens, vt ex eius receptione intus, & extra Religionem omnes maximum deuotionis exemplum essent recepturi.

65. Noto 1. quòd Ledes. *loco citato, vers. Digo lo segundo*, putat professionem istius esse nullam; licèt enim iure scripto talis nullitas non reperiatur, iure tamen naturæ apparet ex eo, quòd nemo ad impossibile tenetur, & infirmitas intellectus est quærere textum, vbi ratio naturalis apparet, vt dixi *hic sup. numero* 45. Deinde ratione professionis non solùm quis tenetur essentialia suæ Religionis obseruare, sed etiam accidentalia, secundumque regulam promissam viuere: licèt ergo possit infirmus essentialia seruare, cum tamen secundùm regulam viuere non possit, sequitur, quòd professio emissa, quæ vtrumque includit, nulla sit. Addito, quòd constitutiones omnes regulares eo tendunt, vt essentialia Religionis seruentur, & sunt veluti muri ea custodientes. Addito etiam, quòd si quis votum simplex Religionis faceret, laborans infirmitate contagiosa, vel incurabili, quæ illum impotentem redderet, votum illud esset nullum ratione materiæ incompossibilis, ita eadem ratione nullum est votum solemne, quod à simplici nec ex natura rei, nec ex iure diuino, sed sola Ecclesiæ institutione differt, vt constat expressè *ex cap. Rursus, qui cler. vel vou. & ex cap. Quod votum, de voto, & vot. redemp.* & multis probat Azor. *tom. 1. lib. 12. cap. 6. quæst. 1.* Contra hanc opinionem Ledes. tenent Sanchez Rodriquez Mir. Vech. *loco citato.* Ego amplector in casu, quo quis impotentiam in professione tacuisset, non in eo, qui cum tali impotentia cognita, propter eminentiam personæ receptus fuit.

66. Noto 2. quòd nouitius, qui toto nouitiatus anno fuit infirmus, potest ad professionem recipi. Tum quia annum probationis legitimè expleuit, & quantum est ex se, in probatione fuit. Tum quia non tenetur nouitius omnes austeritates Religionis probare in specie, sed satis est, si probet in genere, perseuerando per annum sub obedientia Prælati. Ita Nauar. *lib. 3. cons. de reg. cons. 32. numero 5.* Rodriquez *tom. 3. quæst. reg. quæst. 15. art. 10. vers. Tum quia*, A S. Faust. *lib. 5. thes. quæst. 249. num. 3.* Suarez *tom. 3. de relig. lib 5. cap. 14. num. 15.* Sanchez *5. in dec. cap. 4 numero 51. & num. 28.* ait, quòd nouitius in Ordine nostro, qui fuit toto nouitiatus anno infirmus, ac proinde carnibus, & lacticiniis vtens, validè profitetur, licèt rigidissimum nostræ Religionis onus, vitam scilicet quadragesimalem, non sit expertus. Quod etiam in hoc casu sentit Vech. *de nou. disp. 12. dub. 8. num. 4.*

67. Noto 3. quod, abstrahendo à quocumque statuto particulari, probabile videtur, quòd professio facta ab illo, qui ita morbo gallico laborat, vt nequeat obseruantias regulares complere, sit nulla: atque ita quòd ille possit liberè à Religione exire, & quòd Religio similiter eum possit expellere. Tum quia cum ista infirmitate non teneretur votum simplex Religionis obseruare, vt dixi *numero 65.* ergo neque solemne. Tum quia si talem infirmitatem callidè tacuit, interrogatus an aliqua laboret, non liberè receptus est. Tum quia morbus iste continuè infamiam morbosi deprædicat cum scandalo, & carnali titillatione fratrum. Tum quia stomachum gignit, & fœtorem, & communicationem prohibet: quare durum videtur, quòd Religio teneatur talem infectam ouem cum tanto suo detrimento, & horrore detinere. Atque ita Ledes. *loco citato, dub. 2. pag* 240.

68. Aduerte tamen in hoc casu particulari, quòd Nauar. *lib. 3. cons. de reg. cons.* 48. quem sequuntur Rodriquez *tom. 2. sum. cap. 6. numero 3. & tom. 3. quæst. reg. quæst. 17. art. 9.* Sorb. *in comp. verb. Nouitius, tit. de nou. prof. emiss. vers. Quinto princip. pag. mihi* 435. Vega *tom. 2. sum. cap. 39. cas. 4 vers. La terza.* Sanchez *loco citato numero* 57. dicunt, quod morbo gallico laborans, illudque tacens in professione, ea facta potest à Religione expelli, si Religio habeat statutum confirmatum à Papa, dictam professionem annullans, si autem dictum statutum non habeat, valida est professio, eo quòd nullibi irritetur. Et addunt Nau. Sorb. Rodriquez *in sum.* & Vega, quòd possent Prælati non habentes dictum statutum, talem expellere in pœnam peccati, quod fecit, illud delictum occultando. Sed hanc non esse sufficientem rationem eum expellendi, dicunt Rodriquez ipse *tom. 3. quæst. reg. cit.* Ledes. cit. *pag.* 442. Graff. *tom. 1. cons. de reg. lib. 3. cons. 4 numero 9.* quia Prælati regulares non possunt à Religione expellere, nisi ratione incorrigibilitatis. Dicit verò Sanchez *numero* 58. quòd in sua Religione hic posset expelli. Idem dicunt de Religione Capuccinorum Sorb. & Vech. qui de hoc diffusè tractat *disp. 13. dub. 15.* in Religione nostra non est dubium. Tum quia est punctus regulæ, vt nullus cum infirmitate incurabili admittatur, qualis est ista, vt dicit Sanchez *lib. 4. in dec. cap. 16. num.* 37. qui proptereà excusat eos, qui hoc morbo laborant, vel laborarunt, ab impletione voti de ingrediendo Religionem, quæ nudis pedibus incedat; & expressè est nobis prohibitum *in cap. Paul. numero* 33. cum protesta-

tione

tione de nullitate professionis. Tum quia isti tales non possunt obseruare votum vitæ quadragesimalis, quòd est essentiale dictæ Religionis, vt dixi *tom. 1. huius op. quæst. 4. cap. 1.*

69. Dico 10. filius habens parentes in extrema, vel graui necessitate, non potest Religionem ingredi, nec profiteri absque mortali peccato, quod nec vitant eum scienter admittentes, vt dixi *tom. 1. huius op. quæst. 1. cap. 9. concl. 1. & 3.* vbi etiam probaui, quòd his casibus tenetur non solùm filius non profiteri, sed etiam professus exire, petita, licèt non obtenta licentia, & D D. ibi ad hæc adductis adde Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 5. per totum, & lib. 6. cap. 9.* Vech. *de nou. disp. 2. dub. 8.* Polit. *in reg. Min. cap. 2. à n. 44.* Mirand. *tom. 1. man. quæst. 17. artic. 8.* Portel. *in dub. reg. verb. Nouity, num. 26.* Regin. *in prax. lib. 18. num. 376.*

70. Nota tamen, quod professio facta in tali necessitate parentum valida est, vt probant Nauar. *lib. 3. cons. de reg. cons. 3.* Rodriquez *tom. 3. quæst. reg. q. 13. artic. 5. dicto 4. & tom. 1. sum. cap. 6. num. 4.* Miranda *loco citato concl. 4.* Sanchez *4. in dec. cap. 30. n. 10.* Less. *lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 3. num. 34.* Suarez *cit. lib. 6. cap. 9. num. 1.* Vech. *disp. 13. dub. 1. num. 9.* qui omnes idem dicunt de receptione patris relinquentis filios in extrema, vel graui necessitate, quia par est obligatio. Quia, inquiunt, id nullo iure vetatur, & nulla est incapacitas ratione personæ admissæ, nec prohibitio ratione admittentium. Sed verè videtur esse incapacitas in persona admissa, quæ obligata est iure naturæ subuenire parentibus, vel filiis, & cum Deo non placeant sacrificia de alienis victimis, non videtur esse valida obligatio facta per professionem hoc casu. Adde, quòd hoc casu non esset licitum simplex votum ad Religionem ingrediendo seruare, ergo nec solemne. Nec satis constat, quomodò materia illicita voti fiat licita per professionem, existimo enim, semper melius esse seruare præcepta, quàm consilia, quando non possumus vtrumque simul, nam consilia seruantur, vt præcepta meliùs impleantur, vt ait Cordub. *in reg. Min. cap. 5. quæst. 6. art. 1.* Adde, quòd subuenire parentibus, est præceptum diuinum naturale, obedientiam præstare Prælato, est solùm diuinum post professionem, ergo hoc illi cedere debet, cum illud sit prius, & fortius, & per se, hoc autem posterius, & per accidens. Nec est simile de debitore, cuius professio secundùm opinionem, quam sequor, est valida; nam in hoc potiùs sunt obligata bona, quàm persona, vnde, si bonis cedit, liber euadit; at in nostro casu iure naturæ obligata est persona filij ad subueniendum patri, ita vt teneatur tam patri, quàm sibi, cum pars sit patris, nec liberatur ab hac obligatione bonis cedendo, vt debitor. Si necessitas parentum sit extrema, non valere professionem, ait Portel. *loco citato*, qui tamen non bene adducit pro hoc Nau. *loco citato*. Huic opinioni videtur fauere Henricus *quodlib. 6. quæst. 19.* Hæc mihi reddunt difficilem communem sententiam, à qua tamen non audeo recedere. Consulo nihilominus Superiores, ne tales admittant, sed differant professionem, vel nouitiatum; vsque dum parentes ex dictis miseriis subleuentur: vel, si eminentia recipiendi suaderet statim recipere, consulo, quòd Religio parentibus subueniat, quòd est facile, & ad id eo casu teneretur monasterium, per ea quæ habet Grat. *dist. cops. for. tom. 1. cap. 105. num. 13.*

71. Dico 11. onustus debitis non potest Religionem ingredi, quin priùs ea soluat. Ita Ledesma *de stat. relig. in com. cap. 6. concl. 1. vers. La 5. condit. pag. mihi 242. & concl. 3. diff. 3. vers. Digo lo segundo, pag. 253.* Tab. *verb. Religio, numero 11.* Aug. *verb. Religiosus, §. 6.* Portel. *loco citato, numero 19.* Rodriquez *tom. 3. quæst. reg. quæst. 10. art. 9.* Azor *tom. 1. lib. 12. cap. 1. quæst. 5.* Sorb. *in comp. verb. Nouitius, tit. de nou. qual. vers. Tertiò princip.* Mir. *tom. 1. man. quæst. 17. art. 7.* Vecch. *de nou. disp. 2. dub. 13. numero 2.* Sa *verb. Religio, numero 1.* Sanchez *4. in dec. cap. 19. numero 21.* Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 7. numero 1.* A S. Fau. *in thes. lib. 5. quæst. 134. numero 5.* Ghet. *in theol. mor. verb. Religio, quæst. 48.* D Tho. *2. 2. quæst. 189. art. 6. ad 3.* vbi ait; *si tamen debeat aliquam pecuniam, & non habeat vnde reddat, tenetur facere, quod potest.* Ergo, si habet vnde reddat, per D. Th. reddere tenetur, antequam Religionem ingrediatur. Prob. tum quia debita soluenda sunt de iure naturæ, ingressus Religionis est consilium, sed priùs satisfaciendum est præceptis, quàm consiliis. Tum quia Sixtus V. id expressè vetuit in sua constit. *Cum de omnibus, §. 4.* de qua *sup. numero 6.* quæ quò ad hoc non est reuocata per const. Clem. VIII. & dicunt in specie Sanchez & Suarez.

72. Noto 1. quòd circa hoc aliqua dixi *tom. 1. huius op. quæst. 1. cap. 25. §. 3. à vers. Ad 3. interrog.* Hoc solùm aduerto, quod ante dictam const. Sixti V. controuertebatur inter DD. an ære alieno grauati ita supra suas facultates, vt soluere non possent, probabiliter tamen speraretur fore, vt manentes in sæculo arte, & industria acquirere bona, quibus dicta debita soluerent, possent Religionem ingredi, & validè profiteri. De quo agunt Sanchez *loco citato, à num. 6.* Suarez *à n. 3.* Polit. *in reg. Min. cap. 2. à numero 52.* Cord. *ibi, q. 5.* Negabant aliqui, affirmabant alij. Ego *tom. 1. cit.* censui cum D. Th. *2. 2. quæst. vlt. art. 6. ad 3.* Less. *lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 3. num. 35.* Syl. *verb. Religio 2. quæst. 4.* Pisanel. *eod. 2. §. Vtrum ille, qui.* Filliuc. *tom. 1. tract. 32. cap. 5. num. 154.* hunc validè profiteri, si fecit quantum potuit, vt solueret, & de breui cum quantalibet industria non erit satisfacturus, & bonis cessit. Sed hæc quæstio iam cessauit per motum proprium Clem. VIII. In suprema, de quo *sup. numero 6.* quo huiusmodi professiones validæ sunt, licet Superiores recipientes subiaceant pœnis constit. Sixti, vt Sanchez *4. in dec. cap. 19. numero 31.* Et aduerte, quod qui bonis cessit, & Religionem fuit ingressus, non tenetur plus quàm alij laborare, vt debita soluat, vt tenent multi apud A S. Faust. *loco citato, quæst. 140. numero 2.* quos ipse sequitur; cum enim bonis cesserit, fecit quantum potuit; vnde cum non sit soluendo, debitis liberatus est.

73. Noto 2. quòd motus proprius Sixti V. non habet locum in monialibus; neque habet locum in recipiendis ad ordines militares, nec in iis, qui si habent debita, habent vnde soluant, nec in iis, qui habent debita, sed non magni momenti; nec in iis, qui habent magna debita, sed incerta; nec in iis, qui sine sua culpa impotentes deuenere, siue sit spes, vt in sæculo manentes, possent ea soluere, siue non; nec in iis, qui bonis cesserunt, etiamsi sua culpa debita contraxerint, & nulla sit spes, vt in sæculo manentes, breui sint satisfacturi; nec in iis, quibus creditores consentiunt, vt Religionem ingrediantur; nec in iis, quorum debita monasterium, vel alius ad soluendum se obligaret; nec in iis, qui liberali promissione dicta debita contraxere; nec in iis, qui ex ludis, cambiis, & aliis contractibus illicitis debitis onusti sunt; nec in iis, qui essent à Iudice criminali condemnati ad soluendam aliquam ingentem pecuniæ quantitatem, nec in iis, qui essent obligati ad aliquam satisfactionem pecuniariam ratione alicuius iniuriæ, aut damni illati, vt quia virginem deflorauit, &c. Ita Sanchez *loco citato, à numero 21.* Vecch. *de nou. disp. 2. dub. 13. à numero 15.* qui tamen dissentit à Sanchez in duobus vltimis casibus.

74. Dico

74. Dico 12. licèt ante const. Sixti, qui publicis solùm ratiociniis reddendis erat obnoxius, non qui priuatis excluderetur ab ingressu, & professione Religionis, vt dixi *tom. 1. huius op. quæst. 1. cap. 25. §. 3. vers. Circa verò*; tamen post dictam const. exclusi sunt tam obligati publicis, quàm priuatis ratiociniis, Ita Rodriquez *tom. 3. quæst. reg. quæst. 10. art. 21.* Mir. *tom. 1. man. quæst. 17. ar. 6.* Sanchez *loco citato, numero 29.* Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 7. numero 20.* Portel. *in dub. reg. verb. Nouit. qual. num. 20.* Ledes. *de sta. relig. in com. cap. 6. concl. 3. dub. 4. pag. mihi 254.* Sorb. *in comp. verb. Nouitius, de nou. prof. emis. vers. Tertio princ. pag. mihi 435.* AS. Faust. *in thes. lib. 5. quæst. 133. num. 2.* Vech. *disp. 3. dub. 15. numero 2.* Prob. *ex tex. claro in dicta const. Sixti V. §. 4.* qui text. cum indistinctè loquatur, de omnibus obligatis dictis ratiociniis, indistinctè etiam de omnibus tam publicis, quàm priuatis intelligendus est, iuxta *lib. De pretio, ff. de pub. in rem act.*

75. Noto 1. quòd non prohibetur indistinctè omnes obligati ratiociniis ad Religionem recipi, sed ij solùm, qui ita sunt obligati, vt ex huiusmodi causa lis, vel molestia eis iam sit illata, vel timendum sit, ne inferatur. Vndè licèt reddenda sint ratiocinia, si tamen moraliter creditur, sine lite, aut magno grauamine, aut distractione ea reddi posse, non erit hæc conditio impediens Religionis Ingressum, vt notant in specie Suarez *loco citato*, & Sanchez cit. *numero 21.* Vech. *numero 4.* Nald *in sum. verb. Religiosus, num. 2.* Barb. *in cap. 1. de obl. ad rat. num. 8.*

76. Noto 2. quòd ratione publicæ administrationis obligantur ad ratiocinia thesaurarij, depositarij æris publici, aduocati, magistratus, iudices, &c. Ratione administrationis priuatæ obligantur tutores, procuratores, curatores, institores, &c. Ita Rodriquez *loco citato*, Portel. *loco citato*, Bonacina *de conf. disp. 7. quæst. 2. pag. 4. numero 3.* Barbosa *loco citato, num. 2.* qui addit *numero 9.* quòd hæres obligatus ad ratiocinia, non potest profiteri, nisi iis redditis, sicut nequibat defunctus, cuius est hæres. Quod etiam notauit Campanil. *in diu. rubr. 12. cap. 9. numero 13. & 14.* Non comprehenduntur tamen in dicta const. Sixti mercatores, qui inter se mutuis initis contractibus, multa sibi debent; nec etiam, qui ex mutuo, locatione, venditione, deposito, &c. rationem reddere tenentur suis creditoribus; atque ita possunt ad Religionem admitti. Diaz *in praxi; cap. 20. numero 4.* Portel, & Bonac. *loco citato*, qui limitat, nisi ante ingressum eis mota esset lis de dolo, & perfidia, nam tunc includerentur in ratione dictæ const.

77. Noto 3. quòd qui promisit, etiam cum iuramento, alicui particulari, vel etiam communitati, aliquid se facturum, v. g. lecturum, docturum, scripturum, administraturum, medicaturum, capellæ alicui missaturum, &c. potest absque eius executione Religionem ingredi, quia in omni promissione intelligitur conditio, nisi transiero ad Religionem: Sanchez 4. *in dec. cap. 19. numero 31.* Less. *lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 3. numero 33.* Trott. *de perf. cler. lib. 2. pag. 1. req. 4. numero 18.* Rosel. *verb. Religio 2. §. 6.* Syln. *eod. quæst. 5.* Angel. *verb. Religiosus, §. 10.* Pisan. *Religio 2. §. Verum rector, qui iur.* Azor. *tom. 1. lib. 12. cap. 1. quæst. 4.* Vecch. *disp. 2. dub. 14.* Regin. *lib. 18. num. 378. vers. Tertia est.* Verum quidem est, quòd si taliter obligatus, stipendium anticipatum acceperit, illud restituere tenetur, vel saltem parti quoquo modo satisfacere. Azor. *lib. 11. cap. 5. quæst. 4.* Sanchez *numero 32.* quòd si ante factam professionem recedat, stare tenetur promissis; Sanchez *num. 34.*

78. Dico 13. inhabilis est ad Religionem, qui vi, metuque extrinseco compulsus, ad eam ingreditur, ipsumque scienter recipientes mortaliter peccant: Ang. *verb. Religiosus, §. 16.* Tab. *verb. Religio, §. 14.* Syl. *verb. Metus, quæst. 8. vers. Octauò.* Rosel. *verb. Votum 1. §. 4 & verb. Metus, §. 3. fin.* Ledes. *de stat. relig. in com. cap. 7. concl. vlt. pag. mihi 272.* Mir. *tom. 1. man. quæst. 17. art. 4.* Rodriquez *tom. 3. quæst. reg. quæst. 14. art. 3.* Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 9. numero 1.* Farin. *pag. 1. decis. rota decis. 175. numero 5.* Barbosa *in cap. 1. de reg. numero 3.* Azor. *tom. 1 lib. 12. cap. 4. quæst. 10.* A S. Fau. *lib. 5. thes. quæst. 238. numero 2.* Constat *ex cap. 1. & 4. de reg. cap. Proclinis, cap. Præsens, 20. quæst. 3. capite Puella, 20. q. 2.* quibus capit. deciditur, quod Religionis ingressus debet esse liber, & spontaneus, Qui ergo cogunt, ad ingressum, maximam iniuriam irrogant ingredienti, & recipientes iniuriantem fouent, atque adeo omnes mortaliter peccant.

79. Noto 1. quòd est nulla omninò professio facta per metum cadentem in constantem virum. Est autem talis metus, quando malum, quod timetur, iudicio prudentum est graue, attenta qualitate personæ, & quando probabiliter timetur tanquam imminens, vt declarauit Suarez *loco citato, lib. 6. cap 4. numero 11.* & Less. *loco citato, cap. 17. dub. 6. numero 33.* vbi 13. huiusmodi timores numerat. Quòd talis professio nulla constat. Tum quia ad profitendum requiritur voluntas omninò libera, coacta voluntas autem, licèt voluntas sit, *cap. Merito 15. quæst. 1.* libera tamen non est. Tum quia Deus his coactis votis non indiget, nec ea acceptat. Tum quia id prohibetur *in cap. 1. De his, qui vi, &c.* in Trid. *sess. 25. de reg. cap. 19.* Atque ita Ledesm. *loco citato*, Vener. *in exam. ep. lib. 6. cap. 15. numero 29.* Barbosa *in cap. 1. de his, qui vi, &c. num. 3.* Suarez *loco citato, num. 3. & 12.* Sanchez *4. in dec. cap. 3. num. 12.* Nauar. *com. 4. de reg. à num. 71.* Syl. *loco citato*, Rosel. *verb. Metus, dict. 8. num. 3.* Vecch. *disp. 13. dub. 12. num. 7.*

80. Noto 2. quòd inter timores cadentes in constantem virum, enumerat Less. *loco citato*, timorem reuerentialem, quo scilicet filius timet offensionem parentum, pupillus tutorum, subditus principis, vxor viri, Monachus Abbatis, Clericus Episcopi, quando videlicet offensio putatur fore magna, & diuturna, cum asperitate vultus, vel verborum, vel alia mala tractatione, præsertim si mala tractatio præcessit. Item si parens, vel alius, cui hæc reuerentia debetur, aliquid importunè, & assiduè petat. Professio ergo hoc timore reuerentiali facta, est nulla, quia censetur facta ex metu cadente in constantem virum, & in casu nostro id docet Suarez *loco citato, num. 17.* Venet. *loco citato, num. 31.* Ric. *collect. 932. propè finem*; Vecch. *num. 19.* Azor. *tom. 1. lib. 12. cap. 5. quæst. 9.* Rodriquez *p. 2. sum. cap. 8. num. 10.* Nauar. *lib. 3. cons. de reg. cons. 89. num. 2.*

81. Noto 3. quòd, si conuentus recipiat aliquem ad professionem per metum cadentem in constantem virum, dicunt Suarez *loco citato, numero 20.* Vecch. *numero 13.* quod non per hoc irritatur professio, quia nullibi reperitur cautum. Sed irritari puto ex eo, quòd professio Religionis est contractus mutuus, quo se profitens obligat Religioni seruire, & Religio ad illum alendum. *cap. Ad Apostolicam, de reg.* & de natura contractuum est, vt par omnimoda sit vtrinque obligatio, vnde eo ipso quòd Canones irritant etiam professionem factam metu profitentis; irritant etiam professionem factam metu recipientis: Et sicut matrimonium metu factum, est ex vtraque parte nullum, ita professio, hi enim actus ab omnibus iurisperitis æquiparantur, teste Suarez *loco citato, numero 26.* Tiraq. *de retr. lign. §. 1. gloss. 8. numero 35.* & talis metus immutat multum voluntatem, & plurimum minuit

liberta

libertatem, vnde defectu liberi consensus recipientium talis professio irrita redderur. Atque ita Less. *loc. citat. capite* 41. *dub.* 7. *num.* 61. & facit priuilegium Iul. II. *tom.* 2. *nostr. pria. in const.* 10. *Iul. II.* vbi pari pœna plectit eos, qui iniuria afficiunt ad Religionem tendentes, atque eos qui iniutia afficiunt recipientes.

82. Dico 14. corpore vitiati, sunt inhabiles ad Religionis ingressum, nisi corporalem defectum suppleat vel motum integritas, vel insignis doctrina, vel magna sanguinis nobilitas. Ita Vech. *dispnt.* 5. *dub.* 6. Graff. *p.* 1. *decis. lib.* 3. *cap.* 5. *numero* 11. Prob. quia corpore vitiati arcentur ab altaris ministerio, vt constat ex toto tit. *de corp. vit. & cap.* 2. *de cler. agr.* Cum ergo Religiosi choro destinati, ad hoc Religionem ingrediantur, vt altari inseruiant, qui tali muneri inhabiles sunt, in Religionem recipi non debent, & communiter sacrificia ista Caïn Deo non placent. Facit ad hoc *capitul. Priscus, distin.* 55. *cap. Si quis, dist.* 77.

83. Noto, quòd professio istorum de iure communi irrita non est, cum nullo iure prohibeatur. Et de cœco, quòd validè profiteatur, constat, quia potest ore proferre professionis verba, seque obligare, vt alij omnes, & multos cœcos vidimus in Religionibus excelluisse, & cæcitas multum confert ad perfectionem. De muto etiam constat, quia potest matrimonium carnale contrahere per signa, *c. Cum apud de sponſ.* De surdo, & de muto, quòd profiteri possint per signa, docet Sanch. 7. *in dec. capite* 12. *numero* 32. Sed difficultas est, an mutus, & surdus simul possit profiteri? Puto, quòd possit, si intellectum perspicacem habeat, & qualitates dictæ compensent hos defectus, quia licet non potuerit legere, neque audire Religionis abstinentias, poterit tamen anno probationis eas experiri. Quare dicunt Doctores, quòd iste potest matrimonium contrahere, *per cap. Cum apud, de sponſ.* Ita Barb. com multis *in dicto cap. num.* 2. Sed quid de cœco, surdo, & muto? Idem puto, quòd scilicet possit validè profiteri. Tum quia potest experiri anno nouitiatus Religionis austeritates. Tum quia Angelus, Tabiena, Lopez, apud Sanch. *1. de matr. disp.* 8. *numero decimotertio*, putant, quòd iste potest matrimonium contrahere. De aliis claudis, mancis, luscis, guerciis, surdastris, &c. quos parentes, tanquam Caïn, Domino sacrificare solent, Caïn remunerationem expectaturi, de quibus Hier. ad Demet. *Solent miseri parentes, & non plena fidei Christiani, deformes, & aliquo membro debiles filias, quia dignos generos non inueniunt, virginitati tradere*, quòd validè iure communi profiteantur, dubitari non potest: non debent tamen recipi, nisi merita defectus compensent, & nisi verò spiritu Deo inseruiendi veniant. In Ordine nostro quid de his dicendum sit, constabit *ex numero nonagesimosecundo, fine.*

84. Dico 15. infames, vt buffones, histriones, lenones, carnifices, satellites, aliique huius farinæ viti, non debent ad Religionem recipi, nisi tot merita euidentia habeant (quod vix credibile est) quæ talem fœtorem euidenter purgent. Pro hac sententia affero Panot. *in cap. Cum decorem, de vi. & hon. cler. num.* 2. vbi dicit, quòd buffones, histriones, & publici lusores non possunt ad Clericatum promoueri, neque etiam post peractam pœnitentiam, quia sunt infames. Idem dicit Barbos. *in dicto cap. num.* 3. Trott. *de perf. cler. libro secundo, parte prima, req. quint. numero decimonono, & vigesimo.* Si ergo hi, quia infames, reiiciuntur à Clericatu, etiam reiici debent à Monachatu, qui sine dubio maioris est perfectionis, & dignitatis, quàm clericatus; sunt enim Monachi, & Clerici propter altaris ministerium, & Monachi propter Monasticam professionem; deinde licet à Clericatu ad Monachatum transire; non econtra, vt constat *ex c. Duo sunt*, 19. *q.* 2. transitus autem ordinatus fit semper de minori ad maius. Atque ita D. Thom. 2. 2. *q.* 184. *art.* 8. *corp. & quodlib.* 3. *art.* 17. & Nauarr. *lib.* 3. *cons. de reg.* 1034. 1. *num.* 1. Vide Abb. bonæ spei *in tract. de iust. cler. cap.* 122. & Felin. *in rubr. de maior. & obed. num.* 5. Hi tamen si recipiantur in Religione, professio eorum erit valida, quia nullibi irritatur.

85. Dico 16. descendentes ab hæreticis, quorum statuæ, vel ossa combusta sunt, in nostra Religione recipi non possunt, vt dixi *sup. quæst.* 2. *cap.* 5. §. 6. *num.* 87. Si autem recipiantur, professio erit nulla, non quòd eam annullet Pontifex, qui concessit ne recipiantur, sed quia, de illa non loquendo, linquit statuta Ordinis in suo vigore, quæ dictam professionem annullant, vt dixi *loco cit. numero* 90. Vide quæ dico *tom. primo, huius op. quæst. prima, capite vigesimoquinto*, §. *tertio, vers. Circa* 2.

86. Dico 17. bigami non possunt ad Religionem recipi in clericos, bene tamen in laicos, vt dixi *sup. quæst.* 2. *capite* 5. *numero* 100. & dicit Graff. *part.* 1. *decis. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 11.

87 Dico 18. homicida iure communi non excluditur ab ingressu Religionis. Portel. *in dub. reg. verb. Nouitius, num.* 12. Prob. *ex cap. Admonere*, 33. *quæst.* 2. vbi consulitur homicidæ, vt Religionem ingrediatur, & non dicit Papa, quòd dispenset, ergo supponit de iure licere. Idem dicit Portel. *num.* 15. *de latrone*, nam multi SS. Patres latrones receperunt. Sed in his attendendum est nunc ad constit. Sixti V. de qua hic *sup. num.* 6.

§. III.

Quas conditiones debeat habere recipiendus ad Ordinem Minimorum.

88 Noto. primo, quòd in cæremoniali Ordinis nostri, compacto à S. Institutore nostro, agendo de modo induendi nouitium num. 32. dicitur, *Sacerdos interroget ipsum de necessarijs, vt puta si habeat firmum propositum perseuerandi. Si promiserit contrahere cum aliqua. Si habens aliquam infirmitatem. Si sit obligatus ad aliqua debita, & alia quæ sunt ad interrogandam necessaria.* Et infra tit. de modo recip. frat. de prof. dicitur. *Deinde faciat interrogationes eo modo, quo dictum est supra in capitulo de modo induendi nouitium. Vbi est attendendum quòd non omittatur immediatè post interrogationes, facere protestationes, quòd si reperiretur habuisse aliquam infirmitatem caducam, vel contagiosam, quòd nulla erit professio.* Quæ etiam protestatio fieri iubetur *in cap. Paulanam.* 33. vbi additur morbus quivis incurabilis. Et *numero trigesimoquarto*, eadem protestatio fieri iubetur de his, qui ex genere confessorum originem traxerunt. Quare ex his omnibus in Rituali nostri Ordinis, sequentes interrogationes fiunt induendis. Primò, An habeat firmum propositum perseuerandi in Religione. Secundò, An promiserit contrahere cum aliqua, vel de facto contraxerit. Tertiò, An sit feruus, & non conditione liber. Quartò, An sit obligatus ad aliqua debita supra suas facultates, vel reddendis rationibus sit obnoxius. Quintò, An trahat originem à Iudæis, Mahumetanis, vel hæreticis relapsis, & per sententiam in foro Ecclesiastico damnatis, & hoc siue sit per paternam, siue per maternam lineam. Sextò, An aliquem volunta

voluntariè occiderit, & iniustè, vel per seipsum etiam occultè, vel per alium, adiuuando, præcipiendo, aut consulendo. 7. an commiserit crimen aliquod, de quo sit publicè infamatus, vel inquisitus, taliter quòd possit per sæcularem iudicem puniri 8. an habeat aliquam contagiosam, seu caducam, aut incurabilem infirmitatem. 9. an sit professus in alia Religione, quas tamen omnes non est necesse facere omnibus, nec in omni loco.

89. Circa 1. interrogationem noto 1. quòd Religionem ingrediens absque animo perseuerandi, mortaliter peccat; quia Religionem decipit in re graui, quæ illi communicat sua secreta, & bona, & tenetur soluere expensas, & damna, quæ Religioni debet. Ita Sanch. 7. *de matrim. disp.* 31. *num.* 20. Portel. *in dub. reg. verb. Nouitius*, *num*, 29.

90. Noto 2. circa eandem interrog. quòd dubitant DD. præsertim Cannnistæ, an qui in ingressu Religionis habuit expressam intentionem mutandi vitam, & relinquendi sæculum, possit deinde liberè ad illud redire, si ei Religio, in quam ingressus est, non placeat, vel potiùs teneatur ingredi aliam, si prima displiceat. Innoc. *in cap. Consulti*, *n.* 1. *de reg.* & alij Sylu. *verb. Religio* 5. *q.* 8. Rosel. *verb. Nouitius*, §. 13. dicunt, quòd qui in ingressu habuit hoc propositum, non potest ad sæculum redire, sed est verè Religiosus, quia illud propositum solemnizatur per habitus susceptionem. Constare autem potest, quem tale propositum habuisse, quando in ingrediendo dixit, se tale propositum habere. Quare secundùm istam opinionem, in Ordine nostro, postquam quis dictæ primæ interrogationi responderit, se habere propositum perseuerandi in Religione, & consequenter sæculo renuntiandi, non poterit ampliùs ad illud redire. Fundamentum huius opinionis desumitur *ex dicto cap. Consulti*, *& ex cap. Beneficium de reg. in* 6. vbi dicitur, quòd beneficium illius, qui suscepit habitum nouitiorum potest alteri conferri, si euidenter appareat, eum voluisse vitam absolutè mutare. Sed hæc sententia meritò exploditur à Sylu. Rosel. *loco cit.* Suar. *tom.* 3. *de rel. lib.* 5. *cap.* 11. *num.* 6. Barbos. *in d. cap. Consulti*, *num.* 3. Sanch. 4. *in dec. c.* 1. *num.* 20. Gutier. *can. q. lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 32. Nau. *lib.* 3. *cons. de reg. cons.* 45. *n.* 1. Rodrig. *tom.* 3. *q. reg. q.* 15. *art.* 12. Less. *lib.* 2. *de iust. c.* 40. *dub.* 2. *n.* 21. quia ad votum tria requiruntur, deliberatio, propositum, & promissio, secundùm D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 1. quem sequuntur omnes. Et constat etiam *ex c. Literaturam*, *de vo.* vnde nullum propositum, quantumvis firmum, aliquam voti obligationem inducit, nisi promissione firmetur. Quo pacto intelligas *dicto cap. cit.* pro opinione contraria, scilicet de proposito ingrediendi Religionem cum promissione in ea permanendi, atque profitendi. Quare ista interrogatio modò nullum alium producit effectum, nisi ad inuestigandum, an recipiendus veniat animo Religionem fallendi.

91. Circa 2. interrog. nota, quòd de iure communi secundùm probabiliorem opinionem, pro ingressum Religionis dirimuntur sponsalia etiam iurata, vt dixi *hic sup. num.* 54. quamvis alij negent apud Sanch. *libro primo*, *de matrim. disp.* 42. *numero* 1. ante secutam professionem. In Ordine nostro videtur, quòd ista 2. opinio præualeat, atque ideò quòd non possint admitti, neque ad nouitiatum, neque ad professionem, qui dicta sponsalia fecere, neque qui matrimonium contraxere, licèt non consummauerint; si enim non licèt quod est minus, neque licebit quod est maius. Verum quidem est, quòd professio facta cum isto impedimento, sustinebitur; quia nec per regulam, nec per constitutiones, nec per ius commune irritatur. Sed puto, quòd nostra interrogatio intelligatur de eo, qui promisit, & sub illa spe defflorauit, quo casu est illicita receptio, & nulla professio, vt dixi *loc. cit.* Vel etiam dic, quòd illa interrogatio sit, vt maturè expendatur, quid magis expediat recipiendo, vt sit Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 1. *q.* 7. *vers. Nec obstat.* Quare licèt promiserit quispiam aliquam in vxorem ducere, si tamen, re maturè considerata per Superiores, ad quos pertinet, apparuerit, recipiendi animæ magis expedire, vt Religionem ingrediatur, quam vt sponsalia seruet, poterit etiam in Religione nostra recipi.

92. Circa 3. interrogationem, vide quæ dico *hic sup. numero* 43. Circa 4. vide quæ dico *a num.* 71. Circa 5. quæ *numero* 84. Circa 6. & 7. quæ dico *tomo primo*, *huius op. quæstione prima*, *capite* 25. §. 3. *vers. Quartò.* Circa 8. vide quæ dico *hic sup. num.* 64. Et circa 9. quæ dico *num.* 55.

93. Et denique nota pro Ordine nostro statutum factum in cap. generali Genuæ 4. num. 13. quòd sic habet: *Voluerunt Patres, vt futuris temporibus nullus in Ordine nostro recipiatur cæcus, claudus, aut deformis, sed iuuenes bene dispositi, catholici, & de nullo errore suspecti, non à Iudæis, nec à Sarracenis, neque ex Albanensibus originem trahentes, corpore sani, debitis expediti, quòd sint conditione liberi, nulla infamia vulgari maculati, nec homicidæ, cõpetenter ad minus in grãmatica præditi siue alias ad illam addiscendam idonei, qui clerici, ætatis saltem decem, & septem annorũ.* Deinde præcipitur, de supradictis fieri informationem ab aliquo deputando à Prouinciali, & capitulo locali.

94. Circa hoc statutum aduerte 1. quoad cæcos, & claudos, quæ dixi hic *sup. numero* 82. Per deformes intellige illos, qui propter deformitatem arcentur ab altaris ministerio, qui scilicet mouent risum, & stomachum faciunt. Examen, An sit quis catholicus, non est faciendum, nisi quando, & vbi contingit esse aliquos hæreticos mixtim cum catholicis: seu quando omissio talis examinis videretur ex rationabilibus circunstantiis damnosa, vel periculosa, vt Corduba *in reg. Min. capite secundo*, *quæstione quarta*, *vers. Quomodò autem.* Circa illud, quòd non debent esse de vllo errore suspecti, aduerte 2. quòd suspectus de hæresi potest quis esse dupliciter. 1. quia sit talis declaratus per sententiam definitiuam ab Inquisitoribus fidei. 2. quòd talis sit per publicam famam suspectus. 1. modo non possunt vllo vnquam tempore Religionem ingredi absque dispensatione Papæ, per ea, quæ dico *sup. quæstione secunda*, *capite quinto*, §. *sexto*, *numero* 74. & talibus intelligi debet nostrum statutum. Suspecti 2. modo, si iam publicè constet, suspicionem fuisse falsam, vel iam in præsentiarum non sint ampliùs suspecti, licèt in præterito tempore claudicauerint in fide, adhuc sit dubium, possunt ad Religionem admitti: quia statutum de tempore præsenti loquitur non de futuro. Circa id, quod non debeant originem docere à Iudæis, vide hic *sup. n.* 84. Aduerte 3. quòd non debent esse aliqua infamia, siue sit iuris, siue facti, notati, quæ qualis sit, dixi *sup. q.* 2. *c.* 5. §. 4. *n.* 50. Aduerte 4. quod non debent esse homicidæ, intellige voluntarij, & iniusti, etiamsi occulti sint, nec etiam casuales indirectè, vt declaraui *to.* 1. *priu. in cõst.* 2. *Iul. II. n.* 106. vnde iudices, qui mortis sententiã protulere, & milites qui in bello iusto bellauere, & qui causale homicidium præter omnem voluntatẽ, etiam indirectam, patrauere, possunt ad Religionem recipi. Vide Suar. *tom.* 4. *de relig. tr.* 3. *lib.* 2. *c.* 1. *à n.* 6. Aduerte 5. quòd debent esse grammatica præditi, vel ad illam addiscendam idonei, non si altari ministrari debent, oportet vt quæ ad illud sunt necessaria, sciant. Vide quæ dico *sup. n.* 18. &

scito

ſcito hane eſſe omninò neceſſariam conditionem. Vide Mirandam *tomo primo, man. quaſtione nona, articulo quinto.* Circa ætatem vide hic *ſup. numero* 40. *& infra* §. 6. Et circa examen de his faciendum dixi hic *ſup. num.* 30. Et aduerte 6. quòd licèt harum conditionum transgreſſio ratione dicti ſtatuti ad culpam non obliget, obligat tamen ratione, vel iuris naturalis, vel Pontificij, vt conſtat ex dictis *ſup. hoc cap.* Aduerte tandem circa praxim, quòd informationes de requiſitis ſecundum Regulam ſumuntur publicè ab ipſo induendo, quando habitum eſt recepturus, aliæ verò, quæ requiruntur ſecundum conſtit. Pontificias, ſumuntur modo ſupradicto, §. 1. *à n.* 30. Et ita obſeruari ait in ſuo Ordine Feſt. *in conſt. Prad part.* 2. *cap.* 9.

§. IV.

Explicantur ea, quæ ſpectant ad annum nouitiatus.

95. DIco primo, ingrediens Religionem debet per annum integrum, & completum probari in nouitiatu, priuſquam ad profeſſionem admittatur. Ita Sanch. 5. *in dec. cap.* 4. *num.* 9. *& cap.* 3. *num.* 31. *fine*, Rodrig. *tom.* 3. *q. reg. quaſt.* 15. *art.* 1. *& q.* 17. *art.* 5. Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 2. *quaſt.* 6. Vech. *de nou. diſp.* 11. *dub.* 2. Mirand. *tom.* 1 *man. quaſt.* 21. *art.* 2. *concl.* 3. Ledeſma *de ſtat. Relig. in com. cap.* 7. *concl.* 5. *verſ. La* 2. *condic. pag mihi* 259. Leſſ. *lib.* 2. *de inſt. cap.* 41. *dub* 7. *num.* 59. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 40. *num.* 2. Suar. *in comp. verb. Nouitius*, *tit. de nou. prof. emiſſ. verſ. Sed an requiratur*, *pag. mihi* 433. Polit. *in reg. Min. cap.* 2. *num.* 74. Nauarr. *lib.* 3. *conſ. de reg. conſ.* 9. *num.* 1. Portel. *in dub. reg. verb. Nouitius, numero* 45. Conſtat ex Trid. ſeſſ. 25. de reg. c. 15. *In quacumque Religione tam virorum, quam mulierum, nullus ad profeſſionem admittatur, qui minori tempore, quàm per annum, in probatione ſteterit; profeſſio autem antea facta ſit nulla, nulloſque habeat effectus.*

96. Noto primo, quòd iſte annus debet eſſe completus de momento ad momentum. Ita Sanch. 5. *in dec. cap.* 3. *num.* 31. Leſſ. *loc. cit. verſ. Quartò annum*, Miranda *loc. cit. art.* 3. *concl.* 2. Vech. *cit. dub.* 4. *n.* 2. Polit. *num.* 76. Suar. *loc. cit. cap.* 15 *num.* 1. A S. Fauſt. *lib.* 5. *theſ. q* 160. *num.* 2. Portel. *loco cit. num.* 48. Sorb. cit. *verſ. Sextò not.* Ledeſm. *loco cit. verſ. Todania queda*, *pag. mihi* 261. Conſtat, quia cum Concilium ſtatuat, quòd nullus ad profeſſionem admittatur, qui in minori tempore quàm per annum, in probatione fuerit, qui ſtetit vna hora, vel media, vel quadrante minus, ſtetit minus anno, *iuxta l.* 3. §. *Minorem, ff. de minor.* Ergo non poterit ad profeſſionem admitti, quòd ſi admittatur, profeſſio erit nulla. Potant tamen aliqui, quod tam ſubtilis computatio non ſit neceſſaria, ſed quòd ſufficiat diem eſſe cœptam. Ita Henriq. *lib.* 14. *cap.* 40. *num.* 2. *fine*, Rodrig. *loco cit. quaſt.* 15. *art.* 4. Grat. *tomo tertio, diſcept. forenſ. cap.* 413. *à numero decimoſexto*, Riccinl. 3. *parte, prax. reſol.* 322. *à numero primo.* Quia, inquiunt, in fauorabilibus, vt hic, dies cœpta habetur pro completa, & in moralibus parum pro nihilo reputatur. Sed poteſt reſpondere, iſta procedere quando lex aliter, non diſponit; nam alioqui lex, quæ generaliter loquitur, etiam minimum includit, iuxta tex. *in cap. tertio, de appell. in cap. Si proponente, de reſcr.* Trid. autem generaliter loquitur. Nec hoc debet cuiquam videri durum. Cum enim qualibet hora fungi naſcuntur, poteſt dari in illa hora talis occaſio, quæ, & Religioni ſuadeat, vt nouitium expellat, & nouitio, vt ſponte egrediatur. Nihilominus puto, quòd hæc 2. opinio in praxi poſſet ſecurè ſeruari, & ita audio practicari in multis tribunalibus.

97. Et aduerte, quòd in anno biſſextili duo dies debent computari pro vno, quia tunc ille annus eò ſolùm modo dicitur completus. Atque ita Mirandá *loco cit.* Sanch. *loco cit. cap.* 4. *num.* 9. Leſſ. *loc. cit. num.* 59. *verſ. Hinc ſequitur.* Rodrig *loc. cit. art.* 5. A S. Fauſt. *loco cit. quaſt.* 161. Et aduerte etiam; quòd iſte annus debet compleri ab illis etiam Religioſis, qui tranſeunt de vna Religione ad aliam, cum debeant priùs probare, & probari Sanchez *cit. numero duodecimo*, Ledeſma *cit. diff.* 6. *pag.* 268. Rodrig. *articulo vndecimo.*

98. Aduerte etiam, quod ſcienter admittentes aliquem ad profeſſionem ante dictum annum expletum, peccant omninò mortaliter. A S. Fauſt. *libro quinto, theſ. quaſt.* 236. *numero ſexto*, Leſſ. *libro ſecundo, de iuſt. capite quadrageſimoprimo, dubitat. ſeptim. numero quinquageſimonono, verſ. Sexto*, Sylu. *verb. Religio* 3. *quaſtione decimaſeptima*, quia agunt contra Concilium in re graui. Non puto tamen hodie poſt Concil. habere locum pœnas ſuſpenſionis, & excommunicationis inflictas contra taliter recipientes *in cap. Non ſolum, de reg. in ſext. & cap. Conſtitutionem, eodem tit. & libro*, quia pœnæ alicui actui ſtatutæ locum non habent, quando is actus irritè fit, vt latè probat Sanchez 3 *de matr. diſput. tert. numero quinto*, ſed profeſſio ante dictum annum completum eſt irrita. Atque ita Sanchez 5. *in dec. capite quarto, num.* 10 Vech. *diſputatione vndecima, dub. ſixt. numero ſexto.*

99. Noto 2. quod iſte annus nouitiatus debet eſſe continuus. Ita Graff. 1. *p. decis. lib.* 3 *cap.* 5. *num.* 14. *&* 55. Barb. *in cap. Ad Apoſtolicam, de reg. numero* 5. Henriq. *lib.* 13. *cap* 40. *num.* 2. Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 2. *q.* 8 Leſſ. *loco cit. verſ. Secundo.* Rodrig. *tom. tertio, quaſt. regul. quaſt.* 15. *articul* 8. Ledeſm *loco citat. dubit.* 4 *verſ. Todania queda, pag. mihi* 264. Syluest. *verb. Religio* 5. *quaſt.* 4. Miranda *tom.* 1. *man. quaſt.* 22. *articul.* 4. Vech. *loco citat. dubit.* 3. *numero primo*, Sanchez *loc cit. numero* 31. A S. Fauſt. *loc. cit. quaſtione* 163. Nauarr. *libro tertio, conſ. de reg. conſ.* 9. *num.* 2. Suarez *tomo tertio, de relig. libro quinto, cap.* 15. *num.* 3. Conſtat, tum quia quando lex certum tempus requirit, intelligendum eſt de tempore continuo, vt probant præfati DD. Tum quia hic annus datur ad experiendas Religionis auſteritates; quas ſine dubio meliùs experitur quis per continuationem, quam per diuiſionem. Tum quia id habet conſuetudo. Tum denique quia ita declarauit ſacra Congreg. Concil. vt refert Suar. *loc. cit.* Quæ continuatio non ſolùm debet eſſe per annum expletum, ſed etiam vſque ad profeſſionem. Et ideò, completo anno, ſi nouitius egrederetur è Monaſterio, & poſtea iterum rediret, profeſſionem emittere non poſſet virtute præfatæ probationis, ſed deberet nouitiatum iterum incipere, quia talis eſt Religionum vſus. Ita Suar. *loco cit. num.* 8. Vech. *num.* 5. licet contrarium probet Sanch. 5. *in dec. cap.* 4. *num.* 34.

100. Aduerte, quòd hic annus interrumpitur per quamcunque habitus demiſſionem, factam animo eum ampliùs non aſſumendi, ac Religionem deſerendi, quantumvis poſtea intra eundem dimiſſionis diem pœniteat. Ita Suar. *loc. cit. n.* 6. Sanch. *n.* 32. Vech. *n.* 6. A S. Fauſt. *lib.* 5 *theſ. q.* 164. *n.* 2. Portel. *in dub. reg. verb. Nouitius, n.* 49. quia eo ipſo amiſit ſtatum, quem habebat, & indiget noua admiſſione, & receptione, vt poſſit iterum eſſe nouitius. Quare nouitius, qui habitum dimittit, ſeque veſtibus ſæcularibus induit, & ſæculum petit, Religione deſerta, licet poſt 3. horas, verbi gratia, eû facti pœniteat, & reuertatur, velitque

habitum reassumere, dato quòd illi de nouo concedatur, tenetur annum nouitiatus incipere. Similiter si nouitius, habitu retento, è Religione aufugeret, etiam animo redeundi, modò talis fuga reputaretur. Quia iugum fregit Religionis; Sanch *num.* 29. Sylu. *verb. Religio 5. quæst.* 4. Rosel. *verb. Nouitius, num.* 29. Similiter nouitiatum interrumperet ille, qui staret in vno Conuentu per 6. menses, & inde egressus absque licentia in alio Conuentu eiusdem Ordinis reciperetur, & post alios 6. menses professionem faceret. Ita Nauarr. *lib. 3. cons. de reg cons.* 17. *num.* 1. Non teneretur tamen de nouo incipere, qui ira commotus habitum dimitteret, protestans se velle redire ad sæculum, si breui placatus eum facti pœniteat. Similiter si eadem ira commotus Superior aliquem habitu spoliandum mandet, & post breui placatus, reindui iubeat. Quia his casibus non censetur dimissio habitus facta voluntariè, nec animo Religionem deserendi. Nec similiter secundù Sanch. *loc. cit.* teneretur de nouo nouitiatum incipere, qui ad breue tempus, vt quadam nocte gratia fornicationis, aut conuiuij, vel alterius causæ, statum rediturus, egrederetur, etiamsi pro illo tempore habitum dimitteret, ne cognosceretur, vel quò faciliùs intentum compararet. Quia hoc non est habitum deponere, nec Religionem deserere, licèt hic à Religione esset alia causa expellendus. Similiter nec teneretur incipere nouitiatum ille nouitius, qui non animo habitum dimittendi, nec Religionem deserendi, sed solùm animo se occultandi, ad vitandam Prælati, seu magistri sæuitiam, Conuentu egrederetur; Quia hic non esset fugitiuus. Vech. *disp.* 12. *dubit.* 3. *num.* 15. Nec item ille, quem Prælatus decreuisset dimittere, eaque intentione habitu Religionis expoliasset, sæculique vestibus indui fecisset, postea verò, priùs quam Monasterio exiret, mutata sententia illi iterum habitum restituisset, & hoc, siue nouitius dictæ expoliationi consensisset, siue non, quia hoc casu habitus dimissio non fuit cum effectu egressionis. Atque ita Suar. *loc. cit. num.* 7. Vech. *num.* 8. Huius opinionis videtur esse Nau. *lib. 3. cons. de reg. cons* 33. *num* 1. qui *cons.* 32. *num.* 3. ait: quòd nouitiatus interrumpitur per exitum nouitij à claustro per 3. aut 4. dies, insinuans, quòd per minus tempus non interrumpatur. Et Less. *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 7. *num.* 59. *vers. Secundò:* ait: quòd interpolatio paucorum dierum non impedit continuationem. Cum his sentit Naldus *in sum. verb. Nouitius, num.* 4.

101. Aduerte etiam, quòd annum nouitiatus non interrumperet nouitius, qui tempore probationis de licentia Superioris cum habitu, causa, verbi gratia, infirmitatis, ad se curandum in domo parentum, vel ad eos in longinquum inuisendos, aut ad loca sancta visitanda, &c. per aliquot menses, tres, verbi gratia, Religione exiret. Ita Suarez. *tom. 3. de relig lib. 5. cap.* 14. *num.* 13. Nauarr. *loc. cit. cons. trigesim. secund. numero tertio*, Sorb. *in comp. verb. Nouit. tit. de nou. prof. omiss. vers. Secundò est vid. pagina* 432. Miranda *tomo primo, man. quæstione vigesimasecunda, articulo quinto*, Vech. *loc. cit. numero decimo*, Campanil. *in diu. rubr. vndecim. capite decimotertio, numero decimo, & rubr. duodecima, capite tertio, numero tertio*, Sà *verb. Religio, numero nono*, Azor. *tomo secundo, libro duodecimo, capite tertio, quæstione septima*, Barbos. *in cap. Ad Apostolicam, de reg. numero sexto.* A S. Faust. *in thes. libro quinto, quæstione* 176. Less. *loco citat. numero quinquagesimonono, vers. Tertiò hanc*; Graff. *prima parte, decis. libro tertio, capite quinto, numero decimo octauo*, Rodrig. *tomo tertio, quæstione regular. quæstione decimaquinta, articul. decimo.* Censetur enim Monachus esse in Monasterio, quando est foris de licentia sui Abbatis, vt dixit Abb. *in cap. Cum illorum, de sent. excommun.* & multis confirmat Sanch. 5. *in dec. cap. tertio, numero vigesimoquinto, & capite quarto, numero vigesimoseptimo*, & ita declarasse sacram Congregationem referunt. Suarez, Nauarr. Mirand. *loc. cit.* Vech. *num.* 13. Grat. *discept. forens. tomo primo, cap.* 166. *num.* 14. Hanc autem licentiam concedere, pertinet ad Prouincialem cum suis Collegis, vel ipso absente, & necessitate vrgente, ad Superiorem immediatum cum consilio sui capituli. Ita Rodrig. & Mirand. *loc. cit.* Quibus tamen non obstantibus, aliter iudicasse in hoc puncto inuenio Rotam Romanam apud Farin. 1. *parte, decis.* 175. *num.* 2. Atque ita decisa à præfatis DD. circa egressum nouitij cum causa, & licentia Superioris, modò in praxi non esse tuta, ait Grat. *loc. cit. numero* 16. quia continuitas anni probationis in Religione est de forma, & in his, quæ sunt de forma, rigor iuris seruandus est, vt dicit Rota *loco citat* & docent Sanchez *loco cit. cap.* 4. *num.* 32. A S. Faust. *loc. cit. quæstione* 164. *num.* 2. Nisi velis dicere, Rotam loqui in casu longæ absentiæ sine causa procuratæ ad fugiendas asperitates, eo tempore fieri solitas in Monasterio: quo pacto temperatem hanc licentiam, ad breue scilicet tempus aliquorum dierum, non mensium.

102. Dico 2. annus nouitiatus aliqua de causa, puta infirmitatis, vel defectu ætatis, aut scientiæ prorogari potest. Ita Graff. 1. *p. dec. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 16. Sà *in aphor. verb. Religio, num.* 3. Bariola *in Aphor. verb. Nouitius.* Less. *lib. 2. de inst. cap.* 41. *dub.* 7. *n.* 59. *vers. Vbi not.* Ledesm. *de stat. relig. in com. c.* 7. *dub.* 5. *vers. A esta difficultad, pag. mihi* 267. Sorb. *loc. cit. vers. Sextò not. pag. mihi* 434. Suar. *tomo tertio, de relig. lib.* 5. *cap.* 13. *n.* 8. Vech. *de nou. disp.* 11. *dub.* 5. *n.* 3. Sanch. 5. *in dec. cap.* 4. *num.* 21. Rodrig. *p* 2. *sum. cap* 8. *num.* 3. *fine, & tom.* 3. *q. reg. q.* 17. *art.* 10. Nald. *in sum. verb. Professio reg. n.* 7. Vega *p.* 2. *sum. cap.* 39. *casu* 4. A S. Faust. *lib.* 5. *thes. q.* 168. *num.* 2. & dixi *tom.* 1. *nostr. priu. in constit.* 2. *Sixti IV. num.* 81. *&* 82. vbi duas attuli sacræ Congr. declarationes, vltra quas aliam etiam afferunt Suar. & Vech. *de anno* 1570. 19. *Iulij.* Constat ex dictis declar. & ex alia, quam refert Graff. *loco cit.* quæ sic habet. *Concilium noluit, quempiam minori tempore, quàm per annum, stare in probatione, idque expressim dispositum, ne autem hoc tempus longiùs extendi possit, non prohibuit; ideoque arbitrio Superioris extendi, & prorogari poterit.* Adde, quòd Concilium *sess.* 25. *cap.* 16. *de reg.* ait: quòd *Superiores, finito tempore nouitiatus, quos habiles inuenerint, &c.* habiles verò non sunt, qui infirmi, qui legitimam ætatem non habent, qui non adhuc bene didicere. In Ordine nostro non videtur relinqui Superioris arbitrio prorogatio nouitiatus, obstante Regula *num.* 3. quæ ait: *Præterea elapsa continua probationis anno.* Sed tamen existimo, quod ex causa iusta dicta prorogatio non prohibeatur. Nam illud, *Continua*, est adiectiuum, non aduerbium, vnde non facit ad hunc casum, sed ad alium de interpositione.

103. Dico 3. Nouitiatus debet omninò compleri à nouitio habitu suæ Religionis induto, ita vt, si hoc modo non compleat, compleuisse non sit dicendus. Ita Tab *verb. Nouitius, n.* 10. Angel. *eod.* §. 16. Sylu. *verb. Religio* 5. *q.* 5. Sanch. 5. *in dec. c.* 4. *n.* 29. Mir. *to.* 1 *man, q* 22. *art* 6. A S. Faust. *lib.* 5. *thes. q.* 177. *n.* 2. Barbos. *in c. ad Apostolicam, de reg. n.* 7. Less *loc cit. vers Tertiò hanc:* Azor. *tom.* 1 *lib.* 12. *cap.* 2. *quæst.* 9. Vech *loc cit. dub.* 7. Rodrig. *tom.* 3. *q. reg. q.* 15. *art.* 9. Contrarium sentit Suar. *loc. cit. cap.* 14. *num.* 10. Sed nostra conclusio est communissima, maximè post Trid. & constat, tum ex dicto Trid. *sess.* 25. *cap.* 15. *de reg.* vbi ait, annum nouitiatus ad professionis valorem, computandum esse

eſſe à die ſuſceptionis habitus, ergo ſupponit eo habitu complendum nouitiatum. Tum quia hoc maximè pertinet ad auſteritates Religionis probandas, habitum enim. Monachis die, noctéque deponere non licèt, & præſertim nobis Minimis, cum ſit punctus Regulæ. Tum quia ita obtinuit conſuetudo.

104 Dico 4. Nouitius poteſt liberè egredi à Religione, & ſæculum petere, abſque alicuius Superioris licentia. Ita Roſel. *verb. Nouitius, num. vndecimo,* Ang. *eodem numero nono*, Syluest, *verb. Religio 5. quæſtione octaua*, Panor. *in cap. Statuimus, de reg. numero primo,* Armil. *verb. Nouitius, numero ſexto.* Sanchez 6. *in dec. capite decimo, numero primo, & libro ſeptimo, capite tertio, numero tertio, & libro quinto, capite tertio, numero quadrageſimo,* Paſſarel. *in nec. quadrageſimotertio, in priu.* Graff. *tomo prim. conſ. libro tertio, de vo. conſ. octau. numero ſeptimo,* P de Luna *conſt. trigeſimaoctaua, numero trigeſimoſecundo*, vbi ait: quòd huic libertati renuntiare non poteſt. Suarez *tomo tertio, de relig. libro quinto, cap. vndecimo, numero ſecundo,* Mirand. *tomo primo, man. quæſtione vigeſimaſecunda, articul. octauo,* Rodrig. *tomo 3 quæſt regul. quæſt. 15. art. 12. verſ. Circa eandem,* Prob. *ex cap. Statuimus, de regul.* vbi id expreſsè habetur, & *ex cap. 1. & 2. de reg. in 6.*

105. Noto 1. Quod nouitius egrediens non tenetur ſoluere expenſas, vt dicunt Roſel. Sylu. Rodrig. Paſſar. *loc. cit.* Suar. cit. *numero quinto.* A S. Fauſt. *libro quinto, theſ quæſt.* 191. Sà *verb. Religio, numero octauo,* Sanch. cit. *numero quarto,* Azor. *libro duodecimo, capite tertio, quæſtione ſexta, numero primo*, quia aliter liberè exire non poſſet, & ſi comedit, ſeruiuit. Temperat tamen Sanch. *num. quinto*, niſi pactum eſſet ſoluendi dictas expenſas. Addit verò Suarez ſi nouitius in ſuo ingreſſu aliquid ad ſui ſuſtentationem donaſſet, poſteà non teneri Religionem illi egredienti reſtituere, niſi eam partem, quam non conſumpſit, pro rata temporis. Et quòd liceat Religioni hoc recipere, conſtat ex Trid. *ſeſſ. 21. d. capite 16.* ibi: *excepto victu, & veſtitu nouitij.* Vide Cened. *collect. decimaſexta, ad decret. num. 1.*

106. Sed quid, ſi à principio nihil donauit, ſed obligauit ſe ad ſoluendam certam ſummam pro expenſis nouitiatus? Suarez *loco cit.* ait, quod poterit Religio dictam ſummam pro rata exigere, non poterit tamen interim nouitium in Religione detinere, etiamſi egrediendo fruſtraretur ſpe dictam ſummam recuperandi, nam id eſſet contra *cap. Non ſolùm, de reg. in 6.* & alia iura cit. Nec poterit Religio nouitium non ſoluenté quod promiſerat, & permanere volétem eiicere, quia hæc non eſt iuſta expulſionis cauſa cum de iure non teneatur; poterit tamen cogere hæredes nouitij ad ſoluendum. Atque ita in hoc caſu conſuluit Galuanus apud Vech. *diſp. 12. dubitat. 2. num. 2.*

107. Sed dubitabis, an etiam ſit ei reſtituendus habitus factus expenſis ipſiuſmet nouitij? Barboſ. *in cap. Super eo, de reg. numero quinto*, ait: ſacram Congregationem annuiſſe, dictum habitum non eſſe ei reſtituendum, bene tamen valorem illius temporis, quo eum deponit, non quo factus eſt. Quia per Trident. *ſeſſ. 25. de reg. cap. 16.* nouitiis reſtituenda ſunt omnia, quæ à principio ad Religionem detulerunt: poterit tamen dictus habitus detineri pro alimentis illius temporis, quo in Monaſterio fuit, ſi pactum interceſſit, vel ſuperent ſeruitium factum.

108. Sed quid, ſi dictus habitus emptus ſit, non pecunia nouitij, ſed eleemoſynis deuotorum, eo fine datis, vt Religionem ingrederetur? Tunc puto, quòd de iuſtitia ei dari non debet, quia, cum datus ſit ille habitus eo fine, vt in Religione permaneat, cum ab ea egrediatur, iam non cenſetur amplius illi datus, ſed Religioni, cuius intuitu datus eſt.

109. Sed quis coget reſtituere nouitio ſupradicta, dato caſu quòd religio renueret? Reſpondeo, Epiſcopi id facient vigore Trid *ſeſſ. 25. de reg. cap 16. fine*, etiam cogendo per cenſuras Eccleſiaſticas, vt notant Venet. *in exam. Epiſc. lib. 6. cap. 15. num. 16.*

110. Noto 2. quòd nouitius egrediens etiam ex minùs iuſta cauſa, non peccat. Ita Suarez *loc. citat. num. 4.* Venialiter autem peccare, ſi ex leuitate, vel Religionis tædio, docet Sanch. 5 *in dec. cap. 4. num. 59. & lib. 4. cap. 16. n. 92.* Cajet. 2. 2. *quæſt. vlt. artic. 4. dub. 3.* Paſſar. *in not. priu. not. 43. ad finem*, quia reſiſtere bonis inſpirationibus, ſaltem veniale eſt; Hoc dico ſuppoſito, quòd priùs non vouiſſet Religionem, nam eo caſu abſque iuſta cauſa egrediens, mortaliter peccaret, vt dicunt Paſſar. Cai. *loc. cit.* Sorb. *in comp. verb. Nouitius, tit. de nou. prof. emiſſ. verſ. Quintò not.* Licèt Sylu. *verb. Religio 2. q. 19.* & Graff. *tom. 1. conſ. lib. 3. de vo. conſ. 6. num. 7.* videantur velle, quòd poſſit liberè egredi, etiam ſine iuſta cauſa.

111. Sed dubitabis, an Religio expellens nouitium abſque iuſta cauſa, peccet? Suar. *loc. cit. num. 5.* ait: non peccare ratione iuſtitiæ commutatiuæ, ſed ratione diſtributiuæ, & charitatis, quia licèt nouitius poſſit liberè exire, quia ex ſui iuris, Religio tamen non poteſt eum liberè dimittere, quia in hoc caſu non ſe gerit tanquam domina, ſed tanquam diſpenſatrix diuinorum miniſteriorum. Idem videntur docere Cajet. & Paſſar. quatenus dicunt, quòd ſi Religio ex ſola libertate refutaret nouitium, ab omni ſapiente reprehenderetur, & non bona fide agere cum nouitio diceretur: Quare, ſi Religio abſque iuſta cauſa nouitium expellat, habet hic ius reclamandi contra Conuentum, & Superiorem maiorem, qui edoctus de iuſtitia nouitij, eum in integrum reſtituet, non obſtante, quòd fuerit à Superiore immediato Conuentus expoliatus, vnde ſi poſt 6. menſes, poterit profiteri, & ſi totum annum nouitiatus peregiſſet, poſſet ſtatim ad profeſſionem admitti, quia grauatus recurrens ad Superiorem, nec fugitiuus eſt; nec genituram amittit. Ita Sanch. 5. *in dec. cit.* Vech. *de nou. diſp. 11. dub. 3. num. 9.*

112. Si autem quæras, an peccatum Religionis dimittentis nouitium ſine iuſta cauſa, ſit mortale? Negatiuè Reſpond. à Sanch. *loc. cit.* niſi grauis nota eſſet nouitio illa expulſio, ſicut nouitij culpa leuiter retrocedentis eſt ſolùm venialis, quia non magis obligatur Religio nouitio, quàm nouitius Religioni quoad culpam. Sed puto, Religionem, ideſt Superiorem, & omnes cum ipſo conſentientes, & concurrentes ad expulſionem, per denegationem ſuffragiorum, abſque legitima cauſa, peccare mortaliter. Huius opinionis videntur eſſe Cajet. Paſſar. Suarez *loc. citat.* & Suar. clarius *loc. citat. libro quarto, capite quarto, numero ſeptimo.* In terminis Portel. *in dub. regul. verb. Nouitius, numero quinquageſimoquarto, & in addit. eodem numero decimoſexto,* Vech. *diſputat. duodecima, dubitat. ſecunda, numero primo,* Miranda *tomo primo, man. quæſtione vigeſimaquinta, articulo duodecimo, concluſ. prima,* Rebell. *de oblig. inſtit. part. libro quarto, quæſtione decimaquinta, numero tertio,* à S. Fauſt. *libro quinto, theſ. quæſtione* 214. Prob. Tum quia hoc caſu præfati abutuntur poteſtate iuriſdictionis ſibi conceſſa, ratione cuius tenentur bonum Religionis procurare, & quaſi iudicium ferre in ea cauſa. Tum quia Religioni maximam iniuriam irrogant, eam priuando idoneo Religioſo. Tũ quia faciunt contra charitatem, priuando nouitiũ magno bono, & exponendo illum occaſionibus ſæculi. Tum quia nemo dubitat, quin mortaliter peccet retrahens abſque legitima cauſa nouitium à Religione, ſed expellere per ſuffragij denegationem, eſt pluſquam retrahere. Tum

quia Trident. *seß. vigesimaquinta, capite decimosexto, de reg.* præcipit Superioribus, vt nouitios repertos habiles finito anno nouitiatus, ad professionem admittant.

113. Neque hic dictis in Ordine nostro obstat Regula *num. 3.* dum ait, *si bonum testimonium habuerunt, ad professionem recipi poterunt.* Ex quo loco videtur sequi, quòd etiam, bono testimonio de nouitio habito, adhuc liberum sit Fratribus illum recipere, verbum enim, Potest, importat liberam facultatem, & voluntatem, non necessitatem, vt dixit Gloss. *in cap. Statutum. §. Cum verò, vers. Poßit, de rescript. in 6.* & Sanch. 3. *de matr. disp.* 10. *num.* 5. Sed dic pro nunc, quòd verbum, Poterunt, ibi stat pro Debebunt, quod est in iure frequens, vt ait Barbos. *de dict. dict.* 226. *num.* 1.

114. An autem confessarius nouitiorum possit illis denegare suffragium ob defectum cognitum in Sacramento confessionis? Puto, quod non, etiamsi suffragia dentur secretò, iuxta ea, quæ dico *infra cap.* 2. §. 2. *num.* 71. Ita Vecb. *loc. cit. disp.* 12. *dubit.* 4. *num.* 2. licèt contrarium dicat Portel. *in dub. reg. vers. Nouitius, num.* 52.

115. An autem in talibus receptionibus habeant votum, qui sunt priuati voce actiua, & passiua? Dico standum esse consuetudini. De iure communi certum est, non habere. Quia hi ferre non possunt suffragium in his, quæ ad capitulum collegialiter, & legitimè congregatum pertinent, vt docent Nauarr. *libro* 5. *consil. cons.* 6. *de verb. sign.* Gras. *tomo secundo, cons. libro tertio, diff.* 1. *num.* 1. *cons.* 2. *de regul.* Vech. *loc. cit. dub.* 5.

116. An etiam Prouincialis possit habere votum in acceptatione nouitij ad professionem, quando non residet in Conuentu, in quo fecit nouitiatum? De hoc puncto magnam facit quæstionem Portel. *in add. ad dub. reg vers. Nouitia*, & tenet, quòd sic. Ego non habeo difficultatem in Ordine nostro. Tum quia ad Prouincialem pertinet recipere ad habitum, & professionem, vt patet *ex num.* 2. *&* 3. *Regula.* Tum quia licèt non probauerit experimento mores nouitij, vnde putant aliqui, quod de illis ferre non possit iudicium, votum emittendo tamen potest in hoc statu informationibus sibi factis, tum in principio, quando eum ad Religionem recepit, præsertim si contra eum toto tempore nouitiatus sibi nihil scriptum sit, tum etiam informationibus sibi factis à Fratribus, qui conuersationem nouitij probauerunt. Itémque puto, posse in eadem admissione dare votum Socios Prouincialis. Tum quia etiam ad hos pertinet nouitios recipere ad habitum. Tum quia dicuntur esse, locales in quolibet Conuentu suæ Prouinciæ, in quo reperiuntur, licèt ibi solùm sint per transitum; vnde sicut si Frater localis aduenisset heri in illum Conuentum, in quo hodie nouitius recipiendus est, haberet votum in dicta admissione; Ita etiam Socij.

117. An etiam datis votis, & nouitio recepto ad Religionem, ante tamen factam professionem, sit liberum conuentui, noua emergente causa, nouitium dimittere? Dic, quod sic, graui aliqua causa interueniente, vel etiam, si aliqua vetus ignorata de nouo sciatur. Tum quia annus nouitiatus datur tam in fauorem nouitij, quam Religionis, *cap. Ad Apostolicam de reg.* ergo quocunque tempore, nouitiatu durante, constet Religioni eum non esse admittendum, potest expellere. Tum quia sicut reuocari potest consensus ab altero coniuge ante ratum matrimonium, si aliquid superueniat, quod si à principio adfuisset, vel notum esset, non fuissent contracta sponsalia, *cap. Quemadmodum, de iur. iur.* Sanch. 1. *de matrim. disp.* 62. *num. tert.* Ità Conuentus ante professionis emissionem possunt reuocare suffragia: eodem enim modo loquitur de contractu matrimonij, ac de contractu professionis. Et validum est argumentum de matrimonio carnali ad spirituale, *cap. Inter corporalia, de transl. ep.* Ita Vech. *disp* 12. *dub.* 7.

118. An etiam dans suffragium indigno mortaliter peccet? Dic, quòd sic, quia offendit Religionem in re graui, & abutitur potestate. Ita Ledesm. *de stat. relig. in com. cap.* 7. *concl.* 2. *diff.* 2. *vers. Digo lo segundo, pag. mihi.* A S. Fau. *libro quinto, thes. quæst.* 214. *num.* 1.

119. Dico 5. Nouitius non obligatur per se, & directè ad vota Religionis, nec ad obseruantias Regulares, ita vt, si eas non seruet, peccet, & incurrat pœnas transgressoribus impositas. Ita Rosel. *vers. Nouitius, num.* 12. Ang. *eodem* §. 18. Armil. *num. decimo octauo*, Tab. *num. decimo-tertio*, Sylu. *vers. Relig. quint. quæstione sexta.* Azor. *tom primo, lib. duodecimo, capite secundo, quæstione decima*, Henriq. *libro septimo, capite vigesimosecundo, numero septimo, & libro sexto, capite decimosexto, numero tertio, ad finem*, Sà *vers. Religio, num.* 8. Campanil. *in diu. rubr. duodecim capite tertio, num. vigesimoprimo*, Graff. 1. *part. decis. libro tertio, capite quinto, num. decimotertio*, Rodrig. *tomo primo, quæst. regular. quæstion. vigesimaprima, artic. vndecimo*, Long. *de cas. reser. parte prima, sectione tertia, articul. decimo-octauo, numero tertio*, Vech. *disp. vndecima, dubit. decimaquarta, numero primo*, Suar. *tomo tertio, de relig. libro quinto, capite decimosexto, numero secundo.* Regin. *in prax. libro decimo-octauo, numero* 384. Prob. quia, cum nondum admissus sit ad professorum cœtum, sed tantum in probatione versetur, ad experiendum, an sit admittendus, non debet ex iustitia professorum legibus astringi, debet tamen ex conuenientia eas seruare, tum ne aliis scandalo sit, tum vt probet, an potens sit eas seruare ex debito, qui fuit finis sui ingressus: licèt in hoc etiam sit aliquid ei indulgendum, vt monent Sylu. Ang. Tab. Regin. Campanil. *loc. cit.* Suarez. *numero decimo octauo*, Quod si non seruet, eiiciendus est, vt dicit Long. & Bariol. *in aphorism. vers. Nouitius, in fine.*

120. Nota tamen, quòd Prælatus potest nouitiis præcipere ea omnia sub censuris, quæ posset illis præcipere proprius Parochus, & Episcopus, & quæ sunt necessaria pro experimento, ad quod est ingressus, quia hoc non fundatur in voto obedientiæ, sed in iurisdictione Ecclesiastica, per Summum Pontificem Prælatis concessa, & in pacto virtualiter inito cum Religione in primo sui ingressu. Ita Suar. *loc. cit. numero decimo octauo* Vech. *cit. numero secundo*, Sà *vers. Religio, numero quarto*, & dixi *supra quæstione prima, capite quinto, numero secundo.*

121. Dico 6. Nouitius habens conditiones à sacris canonibus requisitas, ordinari potest, etiam ad sacros ordines. Ita Sanch. 6. *in dec. capite decimo, numero decimonono*, Henriq. *libro decimoquarto, cap. nono, numero secundo.* Suar. *tomo quinto, in* 3. *part. disp. quinquagesima, sectione quintâ, numero decimotertio*, Rodrig. *tomo primo, quæst. regular. quæst. decimatertia, articulo quarto, fine.* Vech. *disp. vndecima, dubit. octau. numero secundo*, Barb. *in capite postulasti, de reg. num. secundo.* Bariol. *in aphor. vers. Nouitius*, Nald. *in summ. vers. Nouitius, numero octauo*, Camp. *in diu. rubr. nona, capite tertio, numero tertio*, Anchar. *in capite, Cum nullus, numero tertio, de temp. ord. in* 6. Ricciul. 4. *part. prax. decis.* 118. *numero quinto*, Molf. 1. *part. summ. tract.* 11.

capite

capite decimoquinto, *numero* 130. cui sententiæ subscripsi *tomo primo*, *nostr. priu. in constit. secunda Sixti IV. num. trigesimoseptimo*, Constat, quia nullibi reperitur prohibitum; nam *capite Monasteriis* 19. *quæstione tertia*, in quo fundantur contrarium sentientes, nullo modo loquitur de tonsura ordinum, sed solùm de tonsura Monachali, & dicunt præfati Doctores, & potest colligi ex D. Thom. 2. 2. *quæstione* 189. *art.* 5. *ad* 3.

122 Ordinari itaque potetit nouitius ab illo Episcopo, in cuius Diœcesi est nouitiatus, vt dicunt Suarez, & Campanil. *loc. cit.* & Sanch. *numero vigesimoprimo*, & cum literis dimissoriis Episcopi originis, vel in quo habebat concilium, quando ingressus est Religionem, vel etiam illius, in cuius Diœcesi est Monasterium, in quo nouitiatum agit, Sanch. *numero vigesimosecundo*. Qui subdit, quòd si Religio habet priuilegium mittendi suos subditos ad suscipiendos ordines à quocunque Antistite; quale priuilegium habent omnes Religiosi mendicantes, dummodo Episcopus, in cuius Diœcesi est Conuentus, ordinationes non celebret, iuxta dicta *in nostr. priuil. loc. cit. numero trigesimotertio*, posset Prælatus Religionis etiam dictas literas nouitiis dare, iuxta opinionem, quam sequor, quod nouitij fruantur priuilegiis Religionis. quam tenent Mol. *tomo primo*, *de iust. disp.* 139. *col. tert. vers. Prater hos*, Henriq. *libro septimo*, *capite vigesimosecundo*; *numero septimo*. Azor. *part. prim. libro duodecimo*, *capite secundo*, *quæstione decima*, *ad finem*, Sanch. *loc. citat. numero vigesimosecundo*, & *libro quarto*, *capite trigesimonono*, *numero decimoseptimo*, Sayr. *libro septimo*, *de cens. capite decimotertio*, *numero sexto*. Suar. *tomo tertio*, *de relig. libro quinto*, *capite decimosexto*, *numero decimoseptimo*, & *tomo quarto*, *tractat. tertio*, *libro nono*, *capite primo*, *numero decimo octauo*, Bonac. *de leg. disput. quart. quæstione secunda*, *parte septima*. §. *quarto*, *numero vigesimoseptimo*, *ver. Alij verò*. A S. Faust. *libro tertio*, *thesaur. quæstione vigesimaseptima*, *numero tertio*. Graff. *tomo primo*, *consil. libro tertio*, *de ve. censil. octauo*, *numero vndecimo*. Pottel. *in dub. reg. vers. Nouitius*, *numero decimo-octauo*, & absolutè, quòd dicti Prælati possint dictas literas dimissorias nouitiis concedere, docet Suar. *tomo tertio*, *de relig. citat. numero decimoseptimo*, *fine*. Puto tamen semper necessarium, vt debeat Episcopo ordinanti constare de patrimonio nouitij, in casu, quo tecederet, ad obuiandum fraudibus.

123. Dico 7. Nouitius potest eligi ad dignitatem Episcopalem, licèt in Ordine, quem profiteri intendit, ad nullam dignitatem eligi possit. Ita Suarez *tomo tertio*, *de relig. libro quinto*, *capite decimosexto*, *numero decimoquinto*, Azor. *tomo primo*, *libro duodecimo*, *capite secundo*, *quæstione duodecima*, Sylu. *vers. Religio* 5. *quæstione nona*, Rosel. *vers. Nouitius*, *numero trigesimo*. Angel. *numero vigesimonono*, Sanch. *septim. in dec. capite quarto*, *numero vigesimo*, Miranda *tomo primo*, *man. quæstione vigesimasecunda*, *artic. nono*. Prob. *ex capite Nullus*, *de elect. in sext.* & *per cap. Ex eo*, *eodem tit.* & *lib.* prohibentur nouitij habere vocem in capitulo. Et notat Suarez, quod potest nouitius Episcopatum acceptare, & suo tempore profiteri, & potest consecrari, & simul esse Religiosus, & Episcopus.

124. Noto, quòd potest nouitio conferri beneficium Ecclesiasticum, Suarez *loc. cit. numero decimotertio*, Sanch. *numero vigesimosecundo*, Campanil. *in diu. rubr duodecim. capite tertio*, *numero vigesimo*, Azor. *loco cit. capite tertio*, *quæstione prima*. Quia & est sui iuris, & id nullibi vetitum reperitur. Nouitius item canonicus non potest excludi ab electione facienda cum aliis Canonicis. Suarez *numero decimosexto*, Azor. *loc. cit.* Sed tu dic, certum esse, quòd, si dictus nouitius ad electionem accedat, excludi non potest, quia ius suum retinet. Sed difficultas est, an debeat vocari, & concludit De Bais. *in direct. elect. parte prima*, *capite vigesimosexto*, *numero sexto*, quòd seruanda est consuetudo, si adest, si non adest, vocari debet, sed, cum legitimum impedimentum habeat, procuratorem instituere potest. Vide gloss. *in capite Beneficium vers. Conferendum*, *de reg. in sext.* Et similiter, si sit patronus habet ius nominandi, vt dicunt Suarez, & Azor. Item nouitij cuiuscunque Ordinis, etiam Minorum Capuccinorum possunt institui hæredes, & succedere in hæreditate paterna ex testamento, vel ab intestato Cord. *in regul. Minor. capite sexto*, *quæstione vndecima*, *parte prima*, Sanch. *septim. in dec. capite vigesimoquinto*, *numero tertio*. Hi enim, idest Minores, solum inhabilitantur per professionem, & de aliis non est dubium.

125. Dico 8. Nouitius potest accusare, transigere, ac pacem facere, tam de iniuria sibi illata, quam etiam suis; Ita Farin. *parte prima*, *prax. tit. de accusat. quæstione decimatertia*, *numero vigesimotertio*, Sanch. *sext. in decal. capite duodecimo*, *numero trigesimoquarto*. Ghisil. *in ind. reg. capite octauo*, *numero trigesimo-octauo*, Clarus *in pract. libro quinto*, §. *fin. quæstione quinquagesimaoctauâ*, *numero vigesimoquinto*, Vech. *disput. vndecim. dubit. decimatertia*, *numero primo*. Constat, quia nouitius est adhuc sui iuris, nec est mortuus mundo, vnde ei eadem iura competunt, quæ sæcularibus. Facta verò professione, nec pro iniuria sibi, vel suis illata, potest quenquam accusare, nec pacem dare, quia tunc habetur pro mortuo, *capite Placuit*, *decimosexto*, *quæstione prima*, *cap. In præsentia de prob.* Fatio. citat. *numero primo*.

126. Si quæras hac occasione, occiso Monacho, qui reliquit filium ante Monachatum legitimè genitum, quisnam pacem inire debeat, filius ne, an Monasterium? In hoc casu distinguit Clar. *loc. cit.* quòd si iniuria est facta Monacho intuitu Monasterij, ad Monasterium pertinet, si intuitu consanguineorum, ad filium. Hæc distinctio non placet Farin. vnde affert aliam. Vel agitur de pœna exigenda ab homicida, & applicanda hæredibus, & debetur Monasterio capaci, à quo pax haberi debet; vel de pace obtinenda ad minuendam pœnam propter pacem, & pertinet ad filium. Quam sententiam amplectitur Sanch. *loc. citat. numero quadragesimo*, Baiard. ad Clar. *dicta quæstione quinquagesimaoctaua*, *numero trigesimooctauo*, adhuc distinguit, si Monasterium deneget; potest dari à filio, si hic denegat, à Monasterio. Rodrig. *tomo secundo*, *quæst. regul. quæstione quadragesimasecunda*, *articulo tertio*, censet, quod spectat ad Monasterium, si Monachus transtulit se, & sua in Monasterium, si hæredem instituit filium, ad ipsum pertinere putat, vniuersaliter censens, iniuriam remittere, & pacem dare, ad hæredem spectare defuncti. Ego absolutè puto, pertinere ad Monasterium, quòd debet esse in hoc facilè, vt euitetur per viam, quam aliis monstrat: quia Monachus totus Monasterij est, & nihil mundi, cui per renuntiationem in professione mortuus censetur, etiam quoad iura eiusdem sanguinis. Vnde non censetur iniuria consanguineis facta, sed Monasterio, vtcunque res succedat. Si verò occisus, vel alia iniuria affectus, sit nouitius, tunc Clar. *loc. cit. fine*, putat, ad parentes pertinere facere pacem. Sequitur Sanch. *cit. num.* 35. Sed cum nouitius sit in statu dubio, & non sit pro-

priè Monachus, *cap. Ad Apostolica, de reg. cap. 1. iuncta glossa, de relig. dom. cap. Religio, de sentent. excommun. in 6. cap. Porrectum, de regul.* nec sit absolutè sæcularis, quia à legibus sæculi est absolutus, vt dicam, & fruatur priuilegiis Religionis, vt dictum est *num.* 121. puto, quòd ad vtrumque pertineat, & per Monasterium intellige Superiorem cum consensu sui capituli, vt notauit Fatin. *loc. cit. num.* 15. *vers. Nec prætermittendum.* Patre autem, aut filio Monachi sæcularibus interfectis, nec Monacho, nec Monasterio competit ius accusandi, aut pacis ineundæ, vt Fatin. *quæst.* 13. *num.* 26. Sanch. *num.* 36. nulla enim iniuria illata est Monasterio, & Monachus particularis non habet legitimam personam standi in iudicio, vt constat *ex l. Lis nulla, & l. Vix, ff. de iud. l. Seruus, Cod. eodem tit.* Sanch. *loco cit. num.* 1. Denique si iniuria sit facta Monacho ante Religionis ingressum, vel ante illum eius pater, aut filius occisi sunt, putat Sanch. *loc. citat. num.* 38. ius accusandi, pacis ineundæ, & compositionis pro iniuria illata recipiendæ, transferri in Monasterium, si id habeat ius succedendi in bona nouitiorum, & nouitius sua iura, & rationes in Monasterium transferat, vel per renuntiationem expressam, vel ea non facta, per successionem legitimam. Si autem nouitius alteri existenti in sæculo iura sibi competentia renuntiauit, hæc etiam iura renuntiasse dicendum est. Omnium autem horum ratio est, quia remissio iniuriæ actio realis est, vnde transit cum hæreditate, iuxta Auth. *Ingressi. Cod. de Sacr. Eccl.* Et per hoc dixi, quod iniuria facta Monacho, non potest remitti, nisi à Monasterio, quantumvis filium, aut patrem in sæculo habeat, quia Monasterium est hæres necessarius eorum, quæ acquirit, & habet Monachus stante Monachatu.

127. Pro iniuria verò illata sibi non potest agere Monachus, sed id ad Abbatem pertinet, si præsens sit. Ita Sanch. *6. in dec. cap.* 12. *num.* 15. Nauarr. *com. 2. de reg. num.* 24. *&* 64. Rosel. *verb. Monachus, num.* 8. Syluest. *verb. Religio* 8. *questione* 4. Anton. 3. *part. tit.* 16. *cap.* 6. §. 7. Constat *ex l. Sed si vnus, §. Ait Prætor, ff. de iniur.* Quare potest Abbas, inuito Monacho, iniuriam remittere; Sanchez *loc. cit. num.* 6. cum Monachus neque velle, neque nolle habeat, & iniuria ipsi illata, in Monasterium redundet. Vnde si, quis Monachum percutiat, satisfactio, quæ est danda ante absolutionem, iuxta *cap. Parochianos, de sentent. excommun.* non est danda Monacho, sed Abbati, vt absolutio impetrari possit, & si quid emolumenti dandum sit pro dicta remissione Monasterio, non Monacho percusso, nec patri, aut Fratribus eius existentibus in sæculo, dandum est, A. Gabriel. *com. op. tom. 2. tit.* 22. *num.* 51. Sanch. *num.* 8.

128. Aduerte tamen, quòd Sanch. *loc. cit. à num.* 14. multos ponit casus, in quibus Monachus, absque licentia Abbatis, imò contra eius voluntatem accusare potest, & procuratorem constituere, & personam in iudicio habere. Vnus ordinarius est, quòd potest Abbatem suum accusare; tunc enim censetur vtilitatem Monasterij procurare, & tunc sunt ei dandæ expensæ de bonis Monasterij, donec causa finiatur. Ita *in cap. Ex parte, de accus.* Et similiter Abbas accusatus debet expensis Monasterij se defendere, vsque ad finem litis; Glossa *dicto c. Ex parte, vers. Alia*; Sanchez *loc. cit. num.* 18. 20. *&* 24. Sà *verb. Religio, num.* 55.

129. Sed quid, si Monachus causam propriam prosequatur, vt electionis suæ, habebit-ne à Monasterio expensas? Speeul. *lib. 3. tit. de Inquisit. §. vlt. num.* 8. Archid. *in cap. Pastores, 2, quæst.* 7. *n.* 2. & alij apud Sanch. *6. in dec. cap.* 12. *num.* 26. putant tunc Monasterium non teneri ad expensas, teneri tamen censet Sanchez. Ego in hoc casu dico, quòd, si aliquis ambitiosè nimis procurauit eligi ad aliquam dignitatem in Religione, ad quam non erat eligibilis, vel de hoc graue dubium erat, tunc non tenetur Monasterium ad expensas, si aliqui de eodem Monasterio, qui eius electioni non consenserunt, se opponant, etiamsi sint in minori parte. Imò puto, quòd istis se opponentibus debeantur expensæ. Ducor. Tum quia sic electus nondum confirmatus, non habet possessionem officij, vnde non potest bonis officij frui. Tum quia ambitio fouenda non est, sed extirpanda. Tum quia qui se opposuerunt, videntur duci zelo Religionis, ne scilicet contra eorum statuta certa, vel dubia, seu contra morem dictæ Religionis aliquis in Prælatum eligatur. Tum quia multum interest Religionis, Prælatum ambitiosum non habere.

130. Dico 9. Nouitij possunt sibi eligere sepulturam. Armil. *verb. Sepultura, num.* 6. Tab. *eod. num.* 4. Sanch *6. in dec. cap.* 14. *num.* 10. Constat. Tum quia non sunt verè Religiosi, quibus *cap. fin. de sepul. in 6.* electio sepulturæ prohibetur. Tum quia nouitij habent velle, & nolle. Si autem sepulturam non eligant, sepeliri debent in Monasteriis, in quibus decesserunt; Armil. Tab. *loco citato*, Sanch. *num.* 11. Sylu. *verb. Sepultura, quæst.* 8. *dict.* 7. Rodrig. *tom.* 3. *quest. regul quæst.* 60. *art.* 2. *fine*, Grat. *in dec. March. decis.* 35. *num.* 14. Tum quia ita habet consuetudo, de qua testantur dicti DD. Tum quia ad id se extendunt priuilegia Relig. vt dicit Rodrig. Sed cuius expensis erunt sepeliendi? Sanch. *num.* 13. & Rodrig. *art.* 4. dicunt, quòd debent sepeliri expensis patrimonialibus, si habent, quas expensas potest Monasterium repetere ab hæredibus: si non habent patrimonia, debent sepeliri espensis Monasterij, vt alij Religiosi, Quare, si decedant extra Monasteria, expensis Monasterij sunt ad illud deducendi, vel, si Monasterium longè distat, tenebitur expensas factas in sepultura soluere.

131. Dico 10. Nouitij etiam nullo ordine insigniti, sunt immunes à solutione gabellarum. A S. Faust. *lib. 5. thes. quæst.* 175. Molina *tract.* 2. *de inst. disp.* 671. *num.* 2. Rodrig. *tom.* 2. *quest. regul. quæst.* 47. *art.* 8. *ad fin. & tom.* 3. *quæst.* 74. *art.* 9. Sanch, *loc. citat. cap.* 10. *num.* 16. Barbos. *in cap. Aduersus, num.* 11. *de immun. Eccles.* Constat, quia gaudent, vt dixi, priuilegiis Religionis, & Religiosi nominantur, *cap. Nullus, de elect. in 6.* & sunt pars illius communitatis, quæ est verè Ecclesiastica. Vnde etiam gaudent priuilegio fori, & qui ipsos percutiunt, sunt excommunicati, eo modo ac si professum percussissent, *cap. Religioso, §. vlt. de sentent. excomm. in* 6. Sanch. *loc. cit. num.* 10. Gutier. *can. quæstion. libro secundo, capite primo, num.* 107. Qui tamen circa gabellas contrarium tenet *tract. de gabell. quæst.* 95. *à numero vigesimonono.*

132. Dico 11. Nouitius potest validè matrimonium contrahere habitu Religionis indutus, licèt non licitè. Est tex. expressus *in cap. consuluit, de reg.* & docet Suarez *tomo tertio, de relig. libro quinto, capite vndecimo, num. octauo*, non tenetur tamen statim egredi, sed potest ante consummationem velle in Religione perseuerare animo profitendi, vel expectandi, an à Deo moueatur.

§. 5.

§. V.

De his, quæ spectant ad professionem nouitiorum.

133. DIco 1. Ad validitatem professionis requiritur ætas 16. annorum completorum de momento ad momentum. Ita Sanchez 5. *dec. capite quarto, numero quarto*, Less. *libro secundo, de iust. capite quadragesimoprimo, dubit. septima, numero quinquagesimonono, vers. Quartò*, Grat. *disceptat. forens. capite* 413. *numero trigesimoprimo.* Fatin. *par. prima, decis.* 175. *numero septimo*, Vech. *de nou. disput. decimatertia, dubit. prima, numero primo*, Ricciul. *prima parte, prax. decis.* 656. *& parte tert. resol.* 322. *num. quinto*, Rodrig. *tomo tertio, quæst. regul. quæstione decimaquinta, articulo tertio*, Constat *ex Trident. sess. vigesimaquinta, de regul. capite decimoquinto.* Vide hic *sup. num* 95.

134. Noto; quòd ista ætas debet esse completa, non à die conceptionis, sed à die natiuitatis, communi enim vsu receptum est, vt ætas à die natiuitatis computetur, & nemo natus dicitur antequam ex vtero sit matris egressus. Ita Sanch. 4. *in dec. capite trigesimoquinto, numero quarto*, Bonac. in *decalog. disputat. quarta, quæstione secunda, parte septima, §. secundo, numero vigesimo.* Et aduerte, quòd scienter recipientes aliquem ad professionem, non habentem dictum annum 16. completum, peccant mortaliter: vt *numero nonagesimoseptimo.* Vech. *de nou. disput. vndecima, dubit. sexta, numero quinto*, Azor. *tomo primo, libro duodecimo, capite quinto, quæstione sexta.*

135. Dico 2. Ad validitatem professionis requiritur legitima auctoritas in recipiente ex parte Dei, & Religionis traditionem, quam facit profitens. Ita Innocen. *in cap. Ad Apostolicam, de reg.* Nauatr. *com. quart. de reg. numero septuagesimoquarto, & libro tertio, cons. de reg. cons. trigesima octaua, numero primo.* Less. *loco citato, numero sexagesimoprimo*, Reginald. *in prax. libro decimo-octauo, numero* 385. Sanch. *loc. cit. num. sexagesimosecundo*, A S. Faust. *libro quinto, thes. quæstione* 238. *numero quarto*, Azor. *loco citat. quæstione septima*, Sylu. *verb. Religio* 3. *quæstione decimotertia*, Miranda *tomo primo, man. quæstione vigesimaquarta, articulo tertio*, Barb. *in cap. Porrectum, de reg. numero tertio*, Suarez *tomo tertio, de relig. libro sexto, capite vndecimo, numero primo, & capite secundo, numero quarto, & capite tertio, numero decimoquarto, & decimoquinto.* Prob. tum. *ex cap. Porrectum, & cap. Ad Apostolicam, de reg.* Tum quia professio est contractus onerosus vltro citroque obligatorius, qui fieri non potest sine consensu vtriusque partis, ergo pro parte Religionis requiritur persona idonea, quæ habeat potestatem eam obligandi. Quis autem sit iste dixi *tomo primo, huius op. quæstione prima, capite vigesimosexto, §. secundo, concl. tertia*, nimirum quòd de iure communi est Prælatus immediatus Conuentus, cum consilio Fratrum, licèt de consuetudine sit introductum, vt requiratur etiam consensus. Vide Sanch. *loco cit. numero sexagesimoquarto*, Suarez cit. *libro quinto, capite decimo, à numero quarto, & libro sexto, capite vndecimo, numero secundo.* Vech. *disp. duodecima, capite primo.* A S. Faust. cit. *quæstione* 239. Sed quid, si aliquis non habens auctoritatem recipiendi, recipiat? Dic, quòd professio est nulla, iuxta dicta *tom.* 1. *huius op. cit. sub concl.* 4. *vers. Sed quæres.* Vide Less. *loco cit. num.* 61.

136. Dico 3. Ad validitatem professionis requiritur, quòd profitens, saltem tacitè, intendat se obligare Deo, & Religioni, alioquin in foro conscientiæ non obligabitur, quamvis in foro exteriori, ad vitandum scandalum, teneatur ad obseruantiam regulæ. Ita Azor. *loc. cit. q.* 1. Less. *loc. cit. n.* 60. Vech. *disput.* 31. *dub.* 13. Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 6. *cap.* 20. *n.* 3. *& lib.* 7. *cap.* 2. *n.* 9. A S. Faust. *lib.* 5. *thes. q.* 247. *n.* 2. Sanch. 5. *in dec. cap.* 4. *n.* 82. Nau. *lib.* 3. *cons. de reg. cons.* 15. *n.* 2. *& cons.* 44. *n.* 2. Graff. 1. *part. decis. lib.* 3. *cap.* 5. *num* 28. Sà *verb. Religio, n.* 15. Prob. quia nullum votum, nec vlla promissio per se obligat sine voluntate obligandi, quia tota obligatio pendet à libera voluntate obligandi, vt suppono ex his, quæ dicunt Doctores in materia voti, præsertim Sanch. 4. *in dec. capite* 1. *à numero* 23. *&* 1. *de matr. disp.* 9. *à num.* 1.

137. Noto 1. Quòd potest quis emittere vota in professione cum proposito promittendi, & se obligandi, non tamen implendi, & tunc obseruare tenetur, quia pessima non implendi intentio non eximit ab obligatione, naturaliter consurgente ex ipsa promissione cum animo se obligandi emissa. 2. potest quis profiteri cum proposito nec promittendi, nec se obligandi, & tunc nulla consurgit obligatio seruandi vota, quia facta solummodo est promissio, peccat tamē mortaliter sic fictè promittens, decipiens in re graui Religionem. 3. potest quis profiteri cum proposito verè promittendi, non tamen se obligandi, & in hoc casu an votum teneat, dubitant DD. Puto tenere cum Soto *lib.* 7. *de iust. q.* 2. *art.* 2. *vers. Tertiò eodémque medio.* Gutier. *lib.* 2. *q. can. cap.* 22. *num.* 32. *vers. His tamen.* A S. Faust. *lib.* 5. *thes. q.* 250. *num.* 2. La Cerda *in quodlib. quæst.* 5. *schol. n.* 6. Palai. *in* 4. *d.* 38. *disp.* 1. *de vo. pag. mihi* 824. Tum quia obligatio est naturalis effectus necessariò consurgens ex ipsa promissione, vero animo promittendi facta, sicut calefactio est effectus ignis; vnde sicut, posito igne, velis, nolis potens, sequitur calefactio, ita posita vera promissione, non potest non sequi obligatio; Vide Sanch. 4. *in dec. cit.* & Azor. *tom* 1. *lib.* 11. *cap.* 13. *q.* 1.

138. Noto 2. Quòd non solùm requiritur ex parte profitentis intentio se obligandi, sed etiam hæc intentio requiritur ex parte personæ legitimæ recipientis dictam obligationem pro parte Dei, & Religionis; fit enim professio ad modum cuiusdam contractus humani, qui mutuo partium consensu perficitur; vnde fit, quòd, si professionem recipiens, non habet intentionem recipiendi, nec talem personam Religioni incorporandi, professio sit nulla; ita vt si postea sufficienter constare possit de tali fictione, taliter professus possit liberè, seruata iuris forma, ad sæculum, deserta Religione, redire, eo enim ipso, quòd contractus claudicat ex altera parte, est simpliciter inualidus. Ita Suar. *tom.* 3. *de Relig. lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 8.

139. Dico 4. Professio nulla ex quocunque defectu, nullam ex se inducit obligationem, nisi profitens vouendo, independenter à professione, expressè se per illa vota obligare intenderet. Ita Nau. *lib.* 3. *cons. de reg. cons.* 89. *num.* 7. Sanch. 5. *in dec. cap.* 4. *num.* 104. *&* 105. Less. *lib.* 2. *de iust. cap.* 41. *dub.* 7. *num.* 6. Suar. *tom.* 3. *de relig. lib.* 7. *cap.* 2. *à num.* 3. Vech. *disp.* 14. *dub.* 1. *à n.* 3. A S. Faust. *loco citat. q.* 236. *à num.* 2. *& q.* 243. Prob. quia contractus humani nullam firmitatem habere censentur, nisi ab vtraque parte acceptentur. Cum ergo professio irritetur, vel ex parte profitentis, vt si non habeat intentionem profitendi, vel ex parte acceptantis, si alter contrahens habeat tales conditiones, verbi gratia, sit seruus, vxoratus, &c. vel talibus careat, verbi gratia, non sit in ætate 16. annorum completorum, &c. sequitur, quòd quando professio ex dictis defectibus est nulla, semper desit alterutrius consensus, & consequenter contractus sit irritus.

140. Dico

140. Dico 5. In dubio, an professio sit valida, nec-ne, eam esse validam, præsumendum est; Nau. *loc. cit. cons.* 13. *num.* 10. Sanchez 7. *de matr. disp.* 37. *num.* 12. Giat. *discept for. tom.* 3. *cap.* 413. *num.* 17. Suar. *loc. citat. cap.* 2 *num.* 6. Rota coram Seraph *decis.* 1361. *num.* 7. A S. Faust. *loc. citat. quæst.* 251. *num.* 1. Prob. Tum quia in dubiis melior est conditio possidentis, & Religio est in possessione. Tum quia tutior pars est eligenda. Tum quia summa est ratio, quæ pro Religione facit; *l. Sunt personæ, ff. de relig. & sumpt. fun.* Dubius itaque de validitate suæ professionis ratificare tenetur, vt dicit Suar. *loc. citat.*

141. Dico 6. Qui est certus de nullitate suæ professionis, quam bona fide à principio fecit, non tenetur quocunque tempore eam ratificare, quamvis per sententiam publicam cogatur in Religione manere, vnde, si non potest illam in foro exteriori legitimè probare, potest, secluso scandalo, absque periculo apostasiæ, fugere, habitum dimittere, & vxorem ducere. Ita Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 7. *cap* 2. *num.* 6. *& cap.* 3 *num.* 1 *&* 9. Nauarr. *comm.* 4. *de reg. num.* 76. *vers. Aduertendum* 4. *& libro tertio, cons. de regul. cons.* 89. *num.* 6. *&* 7. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 11. *num.* 3. *fine, & cap.* 8. *num.* 9. *in com. lit. S.* Rodrig. *tom.* 3. *quæstion. regul. quæst.* 17. *art.* 17. *vers. Super quibus*, Sà *verb. Religio, num.* 71. Sanch. *lib.* 7. *de matr. disp.* 37. *num.* 11. Vech. *de nou. disp.* 14. *à num.* 3. Less. *lib.* 2. *de iust. cap.* 41. *dubit.* 7. *num.* 65. Prob. Tum quia nemo potest ad Religionem cogi. Tum quia sententia super hoc à iudice lata, cum falso fundamento innitatur, non obligat, & si obligaret, ad summum obligaret ad actus externos. Tum quia sententia non obligat ad vouendum, sed ad seruandum vota, si ergo non vouit, vouere denuo non tenetur. Et quòd possit ad sæculum redire, &c. constat. Tum quia, cum non teneatur in Religione manere, nec possit à iudice ad exeundum licentiam obtinere, potest, vtendo iure suo, eam sibi licentiam propria auctoritate sumere, & sic ius suum prosequi. Tunc quia fugiendo non facit iniuriam Religioni, quia non priuat illam aliqua re sua; nec peccat in Deum, quia illi nullo modo recuperandi suam libertatem, quis aliter eam recuperare non potest, vt supponitur. Imò addit Sanch. quòd potest fugere, etiam non deductis causis coram Superiore suo, & Ordinario, quia nemini facit iniuriam, qui vtitur iure. Aiunt etiam Nauarr. *comm.* 4. *de reg. cit.* & Sanchez *num.* 42. quòd si iste permanens in Religione nolit professionem ratificare, peccat ingerendo se actibus solis professis conuenientibus, nec potest à confessario absolui, nisi vel ratificare proponat, vel Religionem deserere, prima data opportuna occasione. Similiter peccat alimenta accipiendo de bonis Monasterij, cum obligatione restituendi, nisi obsequia eius illa mereantur. Nec poterit petere à Prælato Religionis irritationem, aut dispensationem votorum, nec vti priuilegiis Religionis, quia nec est Religiosus, nec ille est suus Prælatus. Nec similiter poterit confiteri Religioso à solo Prælato approbato. Nisi fortè velis in hoc casu dicere, quòd, cum sit eo tempore tanquam famulus, & perpetuus commensalis, possit ab his absolui, iuxta ea, quæ dixi *tom.* 1. *priu in const.* 1. *Iul. II. num.* 12. & iuxta dicta à Rodrig. *tomo primo, quæstion. regul. quæstione quinquagesimasexta, articulo decimoquarto.* Si autem, secluso scandalo, non potest vitare oblatam Prælaturam, nec dare suffragium in electione, ait Sanch. *num.* 43. quòd non peccat, acceptando, & suffragium dando, nec similiter peccat ordines sumendo, si non potest id vitare absque magnæ infamiæ nota.

142. Sed quæres, an professio inualida ratificari possit, & quo modo? Respondeo, Et dico primo, aliquas professiones ita intrinsecè inualidas, vt nullo modo ratificari possint, verbi gratia, si quis faceret professionem in aliqua Religione non approbata à Sede Apostolica, est professio ita nulla, quòd non potest validari nisi per Sedem Apostolicam, vt colligitur *ex cap. fin. de relig. dom. & capite primo, eodem tit. in* 6. Similiter professio perpetui amentis reualidari non potest. Ita Suarez *loc. citat. capite primo, numero secundo.*

143. 2. Dico, quòd professio à principio inualida, cursu temporis, ablatis impedimentis, non validatur, *per regulam* 18. *Non firmatur, de regul. iur. in sext.* Paris. *de resign. libro nono, quæstione decima septima, numero septuagesimoprimo.* Vnde, si quis professus fuerit ante 16. annum completum, post impletionem dicti anni illa inualida professio ex hoc solùm non validatur, sed requiritur nouus consensus, & noua professio. Nam ratificatio actus inualidi nihil est aliud, quàm nouus actus, vt Menochius *tomo primo, cons. cons.* 80. *numero sexagesimosexto*, Rota coram Lud. *decis.* 395 *numero decimo*, Suar. *loc. cit. num. tertio*, A S. Faust. *libro quinto, quæst.* 251. *num.* 1. *vers Secundo.*

144. 3. Dico, quòd ad ratificandam professionem requiritur, vt ratificaturus habeat cognitionem talis inualiditatis, quia sine hac scientia non potest esse nouus consensus, & voluntas sufficiens ad professionem ratam habendam. Vnde non censetur illam confirmare, quando putans ab initio fuisse validam, eam approbat. Ita Suar. *loco cit. num. quarto*, Sanch. cit. *numero quinquagesimonono*, A S. Faust. *loc. cit.* Nauarr. *in man. capite duodecimo, numero septuagesimoprimo, vers. Decimò, & com. quart. de reg. loc. citat. fine, & libro tertio, cons. de reg. cons.* 89. *numero tertio, & cons.* 23. *numero primo*, Sorb. *in comp. verb. Nouitius, tit. de nou. prof. emiss. vers. Quarto not. pag. mihi* 434. Less. *loc. cit. numero sexagesimoquinto*, Graff. *prima parte, decis. libro tertio, capite quinto, numero vigesimosecundo.*

145. 4 Dico, quòd si professio fuit irrita, non ratione inhabilitatis profitentis, sed quia fictè, aut metu, aut dolo eam irritantibus emissa est, non requiritur ad eam validandam nouus Conuentus consensus, & acceptatio, sed sufficit si accedat liber professi consensus, qui sciens suam professionem fuisse, & esse irritam, velit eam ratam habere. Et ratio est, quia consensus Conuentus iam interfuit à principio validus. Ita Nauarr. *libro tertio, cons. de reg. cons.* 30. *numero primo*, Sanch. *libro septimo, de matrim. disputat. quinquagesimaseptima, numero sexagesimo & sexagesimoprimo.* Sà *verb. Religio, numero vigesimotertio*, Suar. *tomo tertio, de relig. libro septimo, cap. primo, numero decimosexto.*

146. 5. Dico, quando professio fuit irrita ratione qualiscumque inhabilitatis, vt quia facta est, non expleto nouitiatus anno, vel ante 16. annum completum, quibus casibus tam illegitimus est consensus profitentis, quam acceptantis, per Trid. *sess. vigesimaquinta, de regul. capite decimoquinto*, puto, quòd ad eam reualidandam sufficiat nouus professi consensus, absque alia acceptatione Conuentus: Quia licèt Conuentus non potuerit legitimè acceptare, Papa tamen pro bono pacis, & Religiosorum consolationem dictam professionem nomine Religionis acceptat *in cap. Significatum, de reg. & in cap.* 1. *eodem tit. in* 6. Ita Nauarr. *lib.* 3. *cons. de reg cons.* 27. *num.* 2. *& cons.* 28. *num.* 3. Graff. 1. *part. decis. lib.* 3. *capite* 5. *num.* 23. *&* 24. Syluest. *verb. Religio* 5. *quæstione* 2. *fine.* Probabile, & in praxi tutum putat Sanch. *loco cit. num.* 64. *&* 5. *in dec. cap.* 4. *n.* 81. Vech. *disp.* 14. *dub.* 4. *num.*

num. 5. Quòd verò nouus consensus Conuentus requiratur, tenent Azor. *tomo.* 1. *lib.* 12. *cap.* 4. *q.* 7. Suarez *loco cit. cap.* 1. *num.* 20. quam opinionem, qui ad sibi satisfaciendum sequi vellet, posset, si defectus esset occultus, à Prælato Conuentus in Sacramento Pœnitentiæ nouam acceptationem requirere, & si ipse solus non posset, tacito nomine posset impetrare Conuentus consensum, vel petere licentiam à Papa, vt Sanch. *loco citat. num.* 65. sed tutissimam puto primam opinionem.

147. 6. Dico, quod quando nouitiatus fuit inualidus, quia nouitius, verbi gratia, habebat vxorem, & sine illius consensu ingressus est, vel alia de causa, cessante impedimento, propter mortem mulieris, siue hoc impedimentum sit secretum, siue publicum, secuta professio inualida, per solum consensum profitentis, si impedimentum est secretum, & si est publicum, per consensum Prælati, & conuentus, absque nouo nouitiatu reualidari potest. Quia, cum iam probatæ sint in anno integro nouitiatus omnes austeritates Religionis, & nouitij qualitates, satisfactum est fini, propter quem iura dictum nouitiatum instituerunt. Ita Sanch. 7. *de matr. disp.* 37. *numero quadragesimoseptimo, & quadragesimo-octauo*, Vech. *de nou. disputat. decimaquarta, dubitat. quint. numero sexto.* Portel. *in dubitat. regul. verb. Nouitius, numero quinquagesimoprimo*, vnde multò minus est nouitiatus iterandus quando professio fuit irrita ob defectum ætatis, aut anni nouitiatus incompleti, Sanch. *numero quadragesimonono, & quinquagesimo*, qui idem dicit *numero quinquagesimosexto*, de eo, qui fictè, vt illuderet, ingressus est Religionem, & fictè professus est.

148. An autem nouitiatus iterandus sit, quando aliquis conuersorum ad statum clericorum transfertur, dubitari posset. Et quod sit iterandus, videtur constare ex eo, quòd conuersi non probant in suis nouitiatibus omnes austeritates, & obseruantias, quas clerici, vnde cum transferuntur, debent super his examinari. Atque ita fuit declaratum, vt audio à sacra Congregatione *anno* 1618. Contra verò est. Tum quòd nouitij non coguntur probare omnes asperitates Religionis, sed sufficit, quod per annum permaneant sub obedientia Prælatorum, vt dixi *hic sup. numero sexagesimosexto.* Tum quòd nouitiatus conceditur ad experimentum sumendum de qualitatibus nouitij, & Religionis, vt vterque sit in libertate, ille ad exeundum, hæc ad expellendum: sed quando conuersi transferuntur, non ponuntur in libertate, vel permanendi, vel exeundi ex Religione (nisi fortè hanc libertatem in eo consistere dicas, quòd conuersus possit redire ad primum statum, & Religio ad illum reiicere). Adde quod solet in aliquibus Breuibus, quæ pro istis conuersis expediuntur, apponi clausola, vt in quodam vidi, *Etiam nullo nouitiatu de nouo peracto.* Atque ita video obseruari in praxi. Illa declaratio Conc. fortè non est vera, vel si est vera, non est vsu recepta.

149. Et aduerte, quòd *sacra Congr. Cardinalium, negotiis Regularium præposita, de mandato Sanctissimi Domini Nostri Vrbani Papæ VIII. declarauit, clausulam (De licentia Superiorum) in Breuibus prædictis appositam, esse intelligendam de Generali Ordinis, & Prouinciali oblatorum huiusmodi, ita vt pro eorundem Breuium exequutione requiratur, vtriusque licentia, & consensus, Romæ* 2. *Augusti*, 1630. *Fr. A. Cardin. Onuph. P. Fagnanus Secretarius.* Cuius decreti obseruantiam Reuerendissimo P. F. Franciscus à Longobardis nostri Ordinis Generalis, omnibus Prouincialibus Ordinis præcepit sub præcepto formali obedientiæ, ac pœnis excommunicationis maioris latæ sententiæ, & priuationis officij, *die* 14. *Septemb.* 1630.

150. Sed adhuc remanet difficultas, an tales conuersi cum auctoritate Papæ translati ad statum clericorum, obtentis licentiis dictorum Superiorum, debeant ad dictam professionem capitulariter recipi à Conuentu, cum dicti Prælati per se sufficientes non sint ad recipiendum aliquem ad dictum statum. Puto, quòd tenor Breuis est inspiciendus. Si enim Papa assumat conuersum ad statum clericorum clausula, *Attento quòd ad id idoneus reperitur*, non est necessaria approbatio Conuentus; supplet enim Papa consensum dicti Conuentus, seu potiùs continuat antiquum, vel commutat. Ad quod facit doctrina Nauarr. *lib.* 3. *conf. de reg. conf.* 28. *n.* 3. Si autem dicat Papa, Quatenus ad id idoneos reperiatur, requiri videtur consensus eorum, ad quos spectat recipere ad talem statum, qui sunt Conuentus cum Superiore, Sed puto, quod sufficiet Generalis, & Prouincialis, iuxta præfatam declarationem, quia tales executores dictorum indultorum declarantur.

151. 7. Dico, quòd in casu, quo quis vellet scrupulosè ratificare suam inualidam professionem, propter inhabilitatem publicam personæ, cum consensu Conuentus, non essent necessariò repetendæ ceremoniæ, quæ in admissione ad professionem fieri solent, cum hæ iam factæ sint, & non sint de substantia. Ita Nauarr. *loco cit. conf.* 27. *num.* 2. Azor. *tomo primo, libro duodecimo, capite quarto, quæst. septima*, Sanch. 7. *de matrim. disput.* 37. *num.* 66.

152. 8. Dico, quòd qui bona fide inualidè professus est, licitè potest retinere locum, quem inualidæ professionis vigore obtinuit. Ita Nauarr. *loco cit. numero quarto*, Suarez *tomo tertio, de relig. libro septimo, capite primo, numero* 34. Sanch. *loc. cit. numero* 68. Rodrig. *tomo tertio, quæst. regul. quæst.* 17. *articul. tertio, fine.* Rota coram Seraph. *decision.* 1361. *numero quinto*, Vech. *de nou. disputat.* 14. *dubitat.* 8. *numero secundo*, Graff. *tomo primo, conf. libro tertio, de reg. conf.* 6. *numero* 18. Quia licèt professio irrita non incipiat esse valida, nisi à tempore ratificationis, vt Nauarr. *loc. cit. numero tertio*, bona tamen fides, quæ facit, vt quis non amittat, quod putabat esse suum, vt pluribus id probat Tiraquel. *in tract. de causa cess. limit.* 12. *numero* 16. quòd est verum etiam in foro conscientiæ, vt Ang. *verb. Præscriptio*, §. 47. Sylu. *eodem* 2. *quæstione* 13. & Tol. *in sum. libro quinto, capite* 26. *numero* 7. dictum locum præfato tribuit. Vnde in Ordine nostro *in cap. Barch.* 1. *numero* 28. locus primæ professionis factæ contra statuta Ordinis tributus est Fr. Hieronymo de Martynis. Imò posse dictum inualidè professum locum inualidæ professionis retinere, etiāsi mala fides intercesserit, docet Sanch. *loc. cit.* quia res est parui momenti. Sed in Ordine nostro genitura non est res parui momenti. Nam primi Collegæ, vt primi Seniores, habent priuilegium celebrandi Missam priuilegiatam duobus diebus in hebdomada, primus Collega Generalis defuncti recipit sigilla Ordinis, illiusque curam gerit vsque ad noui Generalis creationem, & similiter primus Collega Prouincialis, eo defuncto. Item priuatio genituræ est grauissima pœna, quæ nisi pro grauissima culpa infligitur, vnde existimo, quòd qui mala fide professionem emisit, deinde eam ratificauit, non possit habere genituram, nisi à die ratificationis, iuxta ea, quæ de possessore malæ fidei dicūt DD. & hoc etiā in foro consciētiæ. Qui verò bona fide professionem fecit, si, durante bona fide, legitimè genituram præscripsit, per spatium scilicet 30. annorū, vt requiritur in iuribus personalibus, secundum, Ang. *verb Præscriptio, n.* 42. etiā bona fide transacta, potest

dicta

dicta genitura frui, si nullus contradicat; si autem aliquis contradicat, re detecta, post quatuor annos à præscriptione finita, restitutione in integrum impetrata, tenebitur Superior illi genituram restituere, non enim potest vllus re sua inscius, & non negligens, priuari; Sylnest. *loco cit. quæst.* 14. Si autem, bona fide durante, legitimè non præscripsit, accedente mala fide, tenetur in conscientia restituere id, quod suum non est, vt dicunt omnes DD. de bona fide, & præscriptione tractantes.

153. Ad vltimum hic nota pro consolatione Religiosorum, quòd per professionem legitimè factam in gratia Dei, consequitur profitens remissionē omnium peccatorum antea commissorum quoad pœnam, & remanet absolutus ab omnibus pœnis purgatorij; atque ita si, facta professione, statim decederet, directa in paradisum concederet. Ita cum D. Th. 2. 2. *quæst. vlt. art* 3. *& in* 4. *d.* 4. *q.* 3. *art.* 3. *quæstiuncula* 3. *ad* 3. omnes DD. & PP. quos refert, & sequitur Sanch. *in dec. c.* 5. *n.* 2. Suarez *tom.* 3 *de relig lib.* 6. *cap.* 13. *à num.* 4. Rosel. *verb. Religio*, 2. §. 9. Nauarr. *lib.* 3. *cons de reg. cons.* 44. *num.* 1. Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 5. *q.* 11. Ledesm. 2. *p. sum. tract.* 10. *cap.* 5. *diff.* 2. *vers. Peroay*, *pag. mihi* 810. Caraciol. *in const. cler. reg. p.* 2. *cap.* 1. §. 14. *vers. Primum gratissimum*. Barb. *in cap.* 4. *de vo. num.* 5. Huius rei 2. affert rationes D. Thom. Primam in 4. Quia cum profitens voluntatem suam, cæteris rebus chariorem, in perpetuam Dei seruitutem redigat, iam plenissimè pro omnibus anteactæ vitæ delictis satisfecisse censetur, vtpote qui id dat, quo nihil maius dari poterat. Secunda in 2. quia si, aliquibus eleemosynis factis, homo potest satisfacere pro peccatis suis, ad illud Dan. 4. *Peccata tua eleemosynis redime*, quantò magis id debet consequi per professionem, quæ omnem eleemosynam, & omne genus satisfactorium, etiam publicæ pœnitentiæ, & omnem peregrinationem; etiam terræ sanctæ, excedit. Vnde Diu. Bernard. *de dispensat. & pracep. capite vigesimotertio*, professionem religiosam 2. baptismum vocat. Quare si quis deberet pro pœnitentia sacramētali sibi imposita jeiunare per tres, aut decem annos, & plus, vel magnam pecuniam in eleemosynam erogare, vel ire in peregrinationem Romanam, Hierosolymitanam, Compostellanam, aut Lauretanam, per professionem ab his omnibus absoluitur, vt aduertit in specie Ang *verb. Religiosus*, §. 46. Cessant etiam per professionem omnia vota simplicia antea facta; Sutr. *lib.* 8. *de inst. quæst.* 4. *art.* 3. Grassius *tom.* 1. *cons. lib.* 3. *de vo. cons.* 8. *n.* 1. Rodriguez *in summ. part.* 2. *cap.* 8. *num.* 12. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 12. *ad.* 1.

154. Nec solùm consequuntur Religiosi dictam plenariam remissionem in actu ipso professionis, sed etiam quando iam professi gaudent de ipsa professione, eamque innouant, parati facere, si non fecissent. Ita censuerunt Dionys. Carthusian. *in opusc de prof mon. in append.* & D. Bern. Senen. vt refert Vech. *de nou. disp.* 13. *dub.* 5. *num.* 7. & non improbat Sa *verb. Religio*, *num.* 17. Quod satis placet, quia licèt non experimententur in effectu eædem difficultates, quæ experimentatæ sunt in actu professionis, experimentātur tamen in affectu, & martyrium in affectu non minori honore celebratur ab Ecclesia, quàm martyrium in effecto, vnde de B. Martino cantat, *palmam tamen martyrij non amisit*; & de B. P. Francisco, *longum tulit martyrium*, & complacentia de actu potest esse ita intensa, vt fuit actus ipse.

155. E contra verò licet pœnitere professionem fecisse, retento tamen animo adimplendi promissa, non sit per se mortale peccatum, vt Ang. *verb. Votum* 3. §. 13. Nauarr. *in man. cap.* 12. *numero* 54. *vers. Vigesimo quinto*, puto tamen, quòd sit per se veniale, etiam abstrahendo à materia voti, nam illa pœnitentia actus boni licèt voluntarij, aduersatur directioni rationis, vnde à veniali excusari non potest: & summa ingratitudo est, nolle recepisse à Deo tale, & tantum beneficium, qualis est religiosa professio, & tam nobilem, & proficuam vocationem nauseare: & docet Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 16. *q.* 19. Quòd ista pœnitentia sit veniale, ratione periculi transgrediendi aliquid, ad quod tenemur, docet Cajetan. 2. 2. *q.* 88. *art.* 6. & addit Val. *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 6. *par.* 3. *in fine*, quòd potest aliquando esse tam grauis pœnitentia, vt causet graue periculum transgrediendi aliquod votum, quod esset peccatum mortale. Et quòd Religiosus, qui contemnit tendere ad perfectionem, quam professus est, peccet mortaliter docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 186. *art.* 9. *corp.* Val. *tomo tertio*, *disputat. decima*, *quæstione quarta*, *par. quinta*, *assert. prima*. Sà *verb. Religio*, *numero trigesimoprimo*. Nota quod metus, qui professionem inualidare potest non est necesse, quod sit incussus eo fine, vt timens religionem ingrediatur, tum quod Trid. id non requirit, sed absolutè, quod, qui per vim, & metum prætenderit, &c. Tum quod de essentia professionis est, quod sit libera, nam Deus militem inuitum non recipit, sed ex quocunque capite proueniat metus, professio libera non est, ergo nulla est.

156. Tandem nota, quòd in Trid. *sess.* 25. *capite* 19. *de reg.* definitur, quòd qui prætendit per vim, & metum, &c. fuisse Religionem ingressum, non debet audiri, nisi tantùm intra quinquennium à die professionis expressæ, vel tacitæ, & tunc debet suas actiones, habitu regulari retento, proponere coram Superiore suo, & Ordinario. Ex quo decreto Concilij colligitur, quòd 7. conditiones requiruntur ad hoc vt quis possit intra quinquennium reclamare. 1. ne habitum anteà dimiserit. 2. ne sine voluntate Superiorum ob id à Monasterio etiam cum habitu recedat: vnde qui aufugit, & apostatauit propter aliquod delictum, non potest in eo statu beneficio quinquennij frui: sed si, habitu retento, nollet Superior dare licentiam exeundi ad reclamandum, posset licitè exire absque ea, nam licentia iure petita, si iniustè denegetur, censetur iure concessa. 3. vt causas, quas prætendit, coram Superiore suo, & Ordinario proponat, ita vt Superior, & Ordinarius coniunctim procedant. Superior autem regularis debet esse ille, in cuius Monasterio professio facta est, & Ordinarius debet esse ille, vbi existit Monasterium, in quo professus est: Ita dicitur declaratum à sacra Congregatione Concilij *anno* 1593. *die* 1. *Decembr.* Quòd si Superior regularis nollet ipsas causas recipere, posset Ordinarius, qui est coniudex cum illo, eum vigore dicti Concilij in hoc compellere. 4. vt si anteà habitum exuerit, nullatenus ad allegandum vllam causam admittatur, nisi fortè detentus in carcere aliter exire non potuisset. 5. vt redire ad Monasterium compellatur, si contrafecerit. 6. tanquam apostata puniatur. 7. ne vllo Religionis priuilegio iuuetur. Vide Nauarr. *com.* 4. *de reg. numero* 77. *&* 78. Azor. *tomo primo*, *libro duodecimo*, *cap. quarto*, *quæst. decima*, *vers. Postremò*. Sanch. 7. *de matrim. disp.* 37. *à num.* 1. Postremò aduerte, quòd Vrb. VIII. per suam constitutionem, *Religiosos*, datam Romæ *ann.* 1631. *die* 11. *April.* declarauit, & facultatem fecit Prælatis regularibus, vt possent absque nouo nouitiatu ad professionem recipere illos Religiosos, qui nouitiatum non fecerunt in Conuentibus designatis per Sedem Apostolicam, & hanc professionem sic factam voluit valere quoad omnia, ac si

prima

prima professio valida fuisset. Hanc const. pono *in Additam. ad priu. reg. in Vrb. VIII.*

§. VI.

An in Religione Minimorum possit aliquis profiteri ante annum 18.

157. VIde Nauar. *lib. 3. conf. de reg. conf.* 24. & *conf.* 28. Sanchez 5. *in dec. cap.* 4. *num.* 6. Rodriquez *tomo* 3. *quæst. reg. quæst.* 17. *art.* 20. Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 6. *cap.* 3. *numero* 7. & 8. Mir. *tom.* 1. *man. quæst.* 24. *articulo secundo, conclusione secunda* Passar. *in carem. Minim. not.* 8. *pagina* 63. Rosel. *verb. Nouitius, numero* 9. & 10. Ang. *eod. numero* 2. & 3. Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 2. *quæst.* 7. & *cap.* 3. *quæst.* 9. Barbosa *cap. Quia in insulis, de reg. num.* 2. Sorb. *in comp. verb. Nouitius, tit. de non prof. emiss. vers. Quartò not. pagina mihi* 434. Portel. *in dub. reg. verb. Professio, num.* 14. vide *tom.* 1. *huius op. cap.* 26. §. 3.

158. Noto 1. quòd hoc dubium torsit semper doctorum virorum ingenia, & torquet nunc etiam aliquos, inter quos Adm. R. P. F. Christophorus Castillus Hispalensis ex nostra Religione vir doctissimus, de quo sæpe dubitatum est, an magis esset sanctus, quàm doctus, vel è contra. Hic itaque vir grauissimus, puritatis Regulæ zelantissimus, in ea est opinione, vt credat, in Ordine nostro nullum posse ad professionem admitti ante 18. annum, cuius doctrinam hic infra ponam.

159. Noto 2. quòd in capite secundo Regulæ nostræ *numero secundo*, ita habetur, tit. De euocatis ad hunc Ordinem recipiendis. *Ad hunc Ordinem Minimorum migrare cupientes, per eiusdem Ordinis generalem Correctorem, vel per Vigiles, aut Prouinciales, vel per aliquos idoneos Fratres ab eis substitutos recipiantur in fratres clericos, vel fratres laicos, aut fratres oblatus, dummodo tales noniter recipiendi, requisitis conditionibus, apti existant, & ad minus* 18. *annum attingant,* Et subdit deinde num 3. tit. de temp. recip. 11. ad prof. *Præterea elapso continuæ probationis anno, & non antea (quacumque dispensatione Superioribus dicti Ordinis super hoc penitus interdicta) si à fratribus professis, & potissimum ab informatore suo, bonum testimonium habuerint, ad professionem recipi poterunt*: Et in Correct. capite secundo §. 16. *Si quis offendens contra formam descriptam in secundo capitulo Regulæ huius Ordinis, aliquem scienter ad hunc Ordinem receperit, absque sibi data super hoc commissione, vel ante tempus præfixum in eodem secundo capitulo, tribus continuis diebus comedat panem, & aquam dumtaxat: Pari pœnitentia plectantur Socij Prælatorum huius Ordinis in hoc ipso scienter consentientes. Ad ipsos verò superiores Prælatos, & eorum Socios talium recipiendorum deliberatio spectabit. Vbi autem aliquis subditus per ipsos superiores Prælatos ad tale negotium delegatus fuerit, resideat ipsa deliberatio penes localem Correctorem, & eius Socios, siue Seniores. Quicumque verò recepti fuerint contra supradictam formam; approbandi reseruentur Correctori generali, cum ipsi suscepti fuerint in Ordine per aliquem Vigilum, aut Prouincialium, vel eorum vices gerentium. Cuique autem Vigili, vel Prouinciali proprio tales reseruentur, cum ante præfixum tempus ad Ordinem recepti fuerint, per ipsum Generalem, vel per aliquem localem Correctorem, & per ipsos Prælatos (quibus respectiuè tales reseruabuntur) postmodum approbentur, & eorum receptio accepietur, & confirmetur.*

160. Prima itaque sententia est, professionem in Ordine Minimorum factam ante annum 18. esse nullam, nullamque obligationem inducere. Ita Nauarrus *lib.* 3. *conf. de reg. conf.* 24. 25. & 28. Sorb. *loco citato*, Pater Castillus *in suo manuscripto ad me misso*; vt hanc sententiam probet; multa supponit Castillus. Et primò quòd in Regula nostra idem significat forma, & tempus præfixum, & constat ex Correctione, quod eodem modo de vtrisque loquitur. Secundò supponit, quòd professio religiosa est contractus vltro citroque obligatorius; *cap. Porrectum, cap. Ad Apostolicam, de reg.* Nauarrus *loco citato, conf.* 26. *numero primo.* Supponit tertiò quòd quando datur alicui potestas ad aliquid faciendum, & simul cum illa præscribitur ei forma, qua debet operari, quidquid fecerit, forma non seruata, erit irritum, secus autem, si à principio potestatem absolutam haberet, & postea præscriberetur illi forma. Pro ista doctrina citat glossam *in clem.* 1. *de iur. patr. verb. Inhibentes*; Syluest. *verb. Lex numero vigesimo, octauo verb. Consilium, quæstione quarta, numero sexto.* Nauarr *libro tertio conf. conf.* 10. *de celebratione Missæ*, Suarez *de leg. libro quinto, capite trigesimo secundo, numero nono.* Sanchez 5. *in dec. capite quarto, numero vigesimo sexto.* Et probat *ex cap. Cum dilecta, de rescr. cap. Prudentia, §. Illa quippe, cap. Venerabili, § Petro, de off. deleg. cap Prouida, de elect. in sexto, cap. fin. de test. spol. in fine*, & quòd omissio in minimo vitiet actum; docent Sanchez *loco citato, numero trigesimo secundo.* A S. Faust. *libro quinto, thes. quæst.* 164. *numero secundo*, Rota apud Farinacium *par.* 1. *decis.* 175. *num.* 2.

161. Primò igitur prob. hæc sententia ex dictis Nauar. *conf. vigesimo octauo cit.* vbi 1. ait, quòd professio in Ordine nostro facta ante 18. annum est nulla, nullumque producit effectum, per Trid. *sess.* 25. *de reg. cap.* 15. dicit secundò quòd de nullitate professionis ante dictum tempus factæ nullus est scrupulus. tertiò quòd qui professionem aliter fecit, potest ad aliam laxiorem Religionem transire, ac si illam non emisisset, quia non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum; *reg.* 52. *Non præstat, de reg. in* 6. Quartò quòd laici, & clerici, qui ante dictam ætatem professionem in dicto Ordine fecerunt, possunt vxores ducere; ac si eam non fecissent; quia vt ex nihilo nihil fit, ita nihilum nihil facit. *l. Eius, qui in prou. ff. de reb. cred. & l. Si seruum, §.* 1. *ff. de act. empt.* 5. quòd qui sacris initiati ante dictum tempus professionem fecerunt, Ordinariis subduntur.

162. 2. Prob. ex conf. 25. Tum quia actus factus contra legem illum fieri prohibentem, non valet, *l. Non dubium; Cod. de leg.* Tum quia hæc lex prohibens ne fiat professio ante talem ætatem, respicit vtilitatem publicam, vnde ei renuntiari non potest. Tum quia Trid. *loco citato*, annihilat professiones factas ante legitimam ætatem. Tum quia est communis opinio, quòd professio facta ante ætatem requisitam *in cap. Quia in insulis, sit nulla*

163. 3. Probat hanc sententiam Castillus, quia dispositio conditionalis est nulla, conditione non posita, vt Nauarrus *conf.* 26. *cit. numero primo.* Tusch. *tom.* 2. *lit. C. concl.* 593. Sanchez 3. *de matr. disp.* 5. *numero secundo*, & habetur in *l. Si quis sub condit. ff. Si quis omiss. cau. test. leg. Cedere diem, ff. de verb. signif.* Et ratio est, quia dispositio pendens à libera voluntate disponentis, non potest aliter obligare, quàm disponens intendat; At qui non intendit se obligare absolutè, sed sub conditione, ea non posita, non se obligat; sed auctor Regulæ non intendit obli-

gare profitentem absolutè, sed solùm sub conditione talis ætatis, ergo si requisitam ætatem non habuerit, nec Religio est obligata professo, nec professus Religioni, & per consequens professio erit nulla.

164. 4. Probat; quia quando datur alicui potestas ad aliquid faciendum, & in principio, quo datur, præscribitur illi forma, qua debet operari, quidquid facere tentauerit, forma non seruata, erit nullum, vt dictum est; sed quando data fuit potestas Prælato recipiendi fratres ad Ordinem, & professionem, fuit illa forma præscripta, qua eos recipere debet, ergo si aliquem receperit, forma quo ad ætatem non seruata, professio erit nulla.

165. 5. Prob. ex Correct. *loco citato*, ibi. *Quicumque vero recepti fuerint contra supradictam formam, approbandi reseruentur Correctori generali*, & infra ibi, *post modum approbentur, & eorum receptio acceptetur, & confirmetur.* Si sunt approbandi, ergo est in Generali potestas iudicandi, & deliberandi, an expediat tales recipere; si enim non esset illi liberum eos excludere, superflua esset illa particula, *approbentur*; ergo signum est, quòd professio fuit nulla, nam si fuisset valida, non posset illos excludere, etiamsi ita dicaret ita conuenire, quia professio est vinculum indissolubile ex parte contrahentium, etiamsi contrahentes de tali vinculo dissoluendo conuenirent; quia, vt ait Nauarrus *com. 3. de reg. numero 45. vers. Ad fundamentum*, professio regularis producit quendam characterem indelebilem per vllam potentiam, etiam Papalem, vt ait D. Thom. 2. 2. *quæst.* 88 *art.* 11. *corp.* his verbis. *Et simili ratione Papa non potest facere, vt ille, qui est professus Religionem, non sit Religiosus, licèt quidam Iurista ignoranter contrarium dicant.* De ista indissolubilitate tractat ad longum Suarez *tomo 3. de relig. lib. 6. cap.* 15. & an per Papam possit dissolui, ibi *cap.* 16. Confir. 1. Castill. quia Correctorium dicit. Eorum receptio acceptetur, ergo professio fuit nulla, eo quòd 1. acceptatio fuit nulla. Patet conseq. quia ad valorem professionis requiritur vt à Religione acceptetur, 2. Confir. quia eodem modo loquitur Correct. de receptis ante tempus præfixum per Generalem, ac de receptis per Correctorem localem, sed professio eorum, qui recepti sunt per Correctorem localem, est euidenter nulla, defectu potestatis, quam solùm habent superiores Prælati, vt constat ex Reg. & Correct. ergo professio eorum, qui recepti sunt per Correctorem generalem ante tempus præfixum, erit euidenter nulla. Confir. 3. quia dicitur in Correct. quòd recepti per aliquem Vigilum, vel Prouincialium, Generali reseruentur, & quòd recepti per Generalem reseruentur Vigili, vel Prouinciali, eo quia *per cap. Non solùm, de reg. in* 6. eo ipso quòd aliquis ipsorum recipit aliquem fratrem ad Ordinem contra prædictam formam, professio fuit nulla, & Prælatus recipiens manet suspensus à receptione fratrum in ordine, & sic reseruantur alteri Prælato non suspenso, & potestatem habenti approbandi, & confirmandi eorum receptionem. Confir. 4. quia *in cap. Gennen. 4. n.* 13. quod fuit celebratum immediatè post Trid. professio facta ante 18. annum inceptum nulla iubetur declarari, *& in cap. Val. 5. num.* 23. præcipitur, vt nullus recipiatur, nisi in dicta sit ætate constitutus.

166. 6. Potest probari *ex cap. Quia in insulis, de reg.* vbi habetur, quod in Religionibus insulatum, eo quòd asperior sit ibi Religionis obseruatio, nullus ad professionem admittatur ante 18. annum, quem tex. per suam rationem extendunt Abbas ibi *num.* 3. Angel. *verb. Nouitius* §. 2. Rosel. *eodem, num.* 9. ad fratres Prædicatores, & Minores, & ad alios Mendicantes, præsertim Minimos, quorum obseruatio propter perpetuam quadragesimam durissima est; quælibet enim dispositio debet ampliari, & restringi ad limites rationis expressæ, etiamsi verba non patiantur: *l. Adigere*, §. *Quamvis, ff. de iur. patr. l. Cum pater*, §. *dulcissimus, ff. de lege & fide comm.* 2.

167. 7. Prob. ex l. Non dubium, Cod. de leg. vbi dicitur, *Nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum, qui contrahunt, lege contrahere prohibente.* Et subditur, *Etiamsi legislator fieri prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit inutile esse debere, quod factum est.* Ad quod etiam facit *reg.* 64. Quæ contra ius, *de reg. iur. in 6.*

168. 2 Sententia est Passarel. *in cærem. Minim. not.* 8. *pag.* 63. Mir. *tom.* 1. *man. quæst.* 24. *art.* 2. *concl.* 2. Rodriquez *tom.* 3 *quæst. reg. quæst.* 17. *art.* 2. Sanchez 5. *in dec. cap.* 4. *num.* 6. Bariolæ *in aphor. lit. P. verb. Professio facta*, Portel *in dub. reg. verb. Professio, n.* 14. asserentium, professionem esse validam.

169. Prob. 1. à P. Passar. quia prohibitio de non profitendo ante dictum tempus, principaliter concernit fauorem ipsius profitentis, cui fauori potest profitens renuntiare. Pro quo facit *cap. Ad Apostolicam, de regul.* vbi professio facta ante annum probationis tenet, ergo multo magis tenet facta ante tempus à Regula statutum. Ad hoc negaret P. Castil. 1. consequ. nam annus probationis, & tempus ætatis necessarium ad profitendum sunt duo valdè diuersa, & tanquam diuersa ponuntur in Tridentino *sess.* 25. *de reg. cap.* 15. & etiam in iure, & DD. vt videri potest apud Sanchez *loco citato, numero* 3. & Nauar. *lib. 3. cons. de reg. cons.* 25. *num.* 3. P. de Luna *cons.* 38. *numero* 33. à diuersis autem non fit illatio, *l. vlt. in fine, ff. de calum. l. Papinianus exul. ff. de minor.* Grat. *discept. forens. tom. 3. cap.* 516. *num.* 6. *& cap.* 526. *numero* 58. Potest 2. negari maior, nam annus probationis est æquè principaliter datus à iure in fauorem tam Religionis, quàm nouitij, vt dicunt communiter DD. & constat *ex cap. Ad Apostolicam, de reg.* & dixit Rota apud Farinacium *par. 1. decis.* 175. *numero* 2. & habetur *cap. Non solum, de regul. in* 6. & dato quòd nouitius posset anno nouitiatus renuntiare, non posset tamen ante legitimam ætatem profiteri, nam legitima ætas respicit publicam vtilitatem, cui nec nouitius, nec conuentus renuntiare possunt, vt Sanchez *loco citato.* Potest etiam negari minor, nam *cap. Ad Apostolicam* in Mendicantibus non habet locum, qui non possunt quenquam admittere ad professionem, ante exactum probationis annum, per *cap. Non solùm, & cap. Constitutionem, de reg. in sexto*, quòd si nihilominus quenquam admitterent, ea professio non obligaret in specie, sed tantum in genere, vt dicitur *in d. cap. Non solùm*, §. *Decernimus.*

170. 2. Probat Passarel. quia licèt Regula prohibeat recipi ad Religionem, qui annum 18. non attingit, non tamen annullat professionem aliter factam, vnde currit regula *dicti cap. Ad Apostolicam*, quòd multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent. Quam rationem confirmat 1. quia, qui habet votum simplex castitatis, non potest matrimonium contrahere, si tamen contrahat, validum est, *cap. Nuptiarum*, 27. *quæst.* 1. Confirmat secundò, quia sententia non potest à iudice sub conditione ferri, lata tamen tenet, *cap. Biduum, circa princip.* 2. *quæst.* 6. Confirmat tertiò, quia Episcopus non potest in diœcesi non sua alterius Ecclesiam consecrare, si tamen consecrauerit, tenet consecratio, *cap. Episcopus in diœcesi* 7. *quæstion.* 1. Confirmari potest 4 quia matrimonium factum contra interdictum etiam summi Pontificis tenet, *cap. 2. de matrim. cont. contra interd.*

Ecclesʃ.

Ecclef. in fine. Confirm. 5. quia in Trident. *feff.* 24. *capite* 5. *de matrimonio* conceditur Parocho limitata poteftas affiftendi matrimonio, nempe præmiffis denuntiationibus, ibi, *quibus denuntiationibus factis*, &c. Et ablatiuus abfolutus conditionem importat, *leg. A teftatore, ff. de eodem, & dem.* conditio autem importat formam, *l. Qui Heredi, & l. Manius, ff. eodem.* Fel. *in capite Cum dilecta, num.* 6. *verf. Secundum fignum, de refcriptione,* & tamen *communiter DD. tenent, quos citat, & fequitur* Sanchez 3. *de matrimonio, difputation.* 5. *numero* 3. *verf. Tandem*, quòd matrimonium contractum abfque dictis denuntiationibus, etiam iniuftè omiffis, eft validum. Confirmatio fexta quia iudex non poteft excommunicare quenquam, nifi in fcriptis, *cap. Cum medicinalis, de fententia excommunicationis in* 6. & nifi trina monitione præmiffa, *cap. Conftitutionem, eodem tit. & lib. & cap. Sacro, de fententia excommunicationis,* quæ duæ conditiones ponuntur pro forma; Si tamen abfque iis excommunicat, valida eft excommunicatio. Et quòd fit valida abfque monitionibus, probatur *ex cap. Romana; de fententia excommunicationis in* 6. ibi, *fi contra præfumpferint, iniuftas noverint effe illas*, non dicit inualidas. Et quòd fine fcriptis lata teneat, colligitur *ex dicto c. Cum medicinalis*, §. *Superior*, vbi dicitur: *Superior verò, ad quem recurritur, fententiam ipfam fine difficultate relaxans.* Si ergo eam relaxate debet, valida erat; quia excommunicatio lata contra legem valida eft, licèt iniufta, *cap. Sententia,* 11. *quæft.* 3. Plura huiufmodi vide apud Cynum *in l. Non dubium, C. de leg. & Conft.*

171. Ad hoc 2. argumentum principale, refpondetur à Caftil. quòd illa regula pofita *in c. Ad Apoftolicam, de regulari* non eft vniuerfalis; non enim dicit. Omnia quæ prohibentur fieri, fi facta fuerint, tenent, fed folùm dicit multa, quòd eft verum; quia ex fola prohibitione præcisè non infertur nullitas actus prohibiti, fed ex eo quòd lex declarat, actum contra ipfam factum fore nullum, quæ eadem nullitas infertur ex eo, quòd quando datur alicui poteftas ad aliquid faciendum, fimul præfcribitur illi forma, qua debet operari, quòd fit in noftro cafu. Sed verè neque ex Regula, neque ex Correctorio colligi poteft, quòd illa ftatuta data fint pro forma, vt conftabit ex dicendis. Ad primam confirmationem, Refpondetur à Caftil. quòd omnes homines iure naturæ habent poteftatem ad contrahendum matrimonium, quam poteftatem votum fimplex fuperueniens non adimit, licèt adimat votum folemne ex inftitutione Ecclefiæ, vt colligitur *ex cap. Quòd votum, de voto in fexto*, & docet Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *capite fexto, quæftione tertia, verf. Mihi tertia*; & ideò valet matrimonium poft votum fimplex. At verò quando datur poteftas Prælatis recipiendi fratres ad Ordines, non datur abfoluta, fed conditionata, fub certa forma, qua non feruata, actus redditur nullus. Sed poteft dici, quòd in conceffione alicuius poteftatis aliqua ponuntur pro forma fubftantiali, quo cafu procedunt omnia dicta per Caftill. & alia pro forma non fubftantiali, fed folùm ad ritè, & rectè exercendam adminiftrationem commiffam, vt colligitur *ex cap. Sacro, de fententia excommunicationis*, & patet in facramentis. Pro forma autem fubftantiali in Ordine noftro ponitur completus annus probationis continuæ, fuper quo prohibet legislator difpenfari per quemcunque Superiorem, pro forma verò non fubftantiali ponitur annus 18. Et quòd ita fit, conftat. Nam ficut pofuit prohibitionem difpenfandi fuper annum completum nouitiatus, quia intendebat id obferuari tanquam formam fubftantialem, ita debuiffet eandem prohibitionem ponere fuper difpenfationem anni 18. fi intendiffet illud obferuari tanquam formam fubftantialem; fed quia id non intendebat, ideò confulto omifit. Vide Ang. *verb. Profeffio, numero* 1. *dicto* 5. *Ad fecundam & tertiam confirmationem.* Refpondetur à Caftil. quòd iudices ordinarij, & Epifcopi habent auctoritatem, & iudicandi, & ordinandi abfolutam ante illas limitationes, vnde per dicta *fup. numero* 160. actus in contrarium facti non funt nulli: at Superiores Ordinis non habent auctoritatem recipiendi nouitios, nifi fub conditione ætatis annorum 18. Sed refponderi poteft, quòd auctoritas recipiendi nouitios naturaliter, & neceffariò confurgit in Religione ex ipfa approbatione Regulæ à Pontifice facta, abftrahendo ab eo, quòd hæc poteftas fit commiffa huic, vel illi. Ad quid enim effet illa confirmatio, nifi ex ea confurgeret poteftas conferuandi? Ex ipfaque approbatione promanat, item poteftas in aliquo capite ad dictam Religionem regendam, quod quidem caput (quomodocunque regatur dicta Religio) habet eo ipfo poteftatem ordinariam fuper membra illius. Quòd deinde iftud caput non poffit procedere nifi hoc, vel illo modo non poffit recipere, nifi nouitios talem ætatem habentes, &c. confequitur ad dictam ordinariam poteftatem. Quæ doctrina colligitur ex Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 5. *cap.* 10. *numero* 2. Quare etiam per doctrinam Caftil. de qua *numero* 160. profeffio nouitiorum ante decem & octo annos facta non poteft effe inualida. Ad alias confirmationes refpondebit Caftil. cum viderit.

172. 3. Probat hanc fecundam fententiam Sanchez *loco citato, numero* 165. quia fecundum communiter fcribentes *in l. Non dubium. Cod. de leg.* quando lex apponit pœnam tranfgrefforibus, non inualidat actum; Bald. *in dicta l. numero* 28. Cynus *numero* 10. Fel. *in cap.* 2. *de teft. numero* 2. vbi Abbas *numero* 5. Ad hoc Refpondetur à Caftil. contrarium effe expreffum *in cap. Non folum, de regul. in* 6. Sed hoc cap. non annullat profeffionem factam ante annum probationis elapfum, fed folùm in pœnam eorum, qui talem admiferunt, declarat, quòd fic profeffus non teneatur ad illam Religionem, in qua profeffus eft, fed ad aliam approbatam, vnde cum profeffio fibi non annulletur, videtur ex eo potiùs confirmari ratio Sanchez, quæ tamen aliis viis deftrui poteft, negando nimirum, effe communem opinionem *in dicta l. Non dubium*, quòd quando lex apponit pœnam, non irritet actum. Nam in primis Bart. Iurifstarum coryphæus ibi *num.* 22. remittens fe ad id, quod dicit *in l. Prætor, in princ. ff. de noui op. nunt.* quem fequitur Fulgnf. *n.* 20. dicunt, quòd quantumcumque lex pœnam aliquam fpecialem imponat, non proptereà definit actus effe nullus, fecundùm *dictam l. Non dubium*: ad quod probandum afferunt *l. Iubemus, Cod. de facr. Eccl.* vbi & ponitur pœna, & irritatur actus. Sed dato, quòd illa fit communis fententia, vt vult Sanchez, Bald. tamen ibi dicit; quòd nihil facit ad cafum noftrum, quia in cafu noftro fecundum opinionem Caftil. lex obuiat actui, poteftatem adminiftratori auferendo, dicens, *Dummodo tales ad minus* 18. *annum attingant*; vnde cum defectus fit in caufa efficiente, prohibitio illa habet nullitatem intrinfecam; quare licèt apponatur pœna, non poteft dici, quòd in hoc cafu habeat locum illa fententia, quòd quando lex apponit pœnam, non vitiat actum; nam fecundum iftam fententiam pœna inferta in lege non facit valere actum habentem caufam nullitatis intrinfecam, defectu poteftatis in adminiftrante.

173. 4. Probat Sanchez quia *in dicto capite Regula* nullum eft decretum irritans; Sed fuit ipfius

gate profitentem absolutè, sed solùm sub conditione talis ætatis, ergo si requisitam ætatem non habuerit, nec Religio est obligata professo, nec professus Religioni, & per consequens professio erit nulla.

164. 4. Probat; quia quando datur alicui potestas ad aliquid faciendum, & in principio, quo datur, præscribitur illi forma, qua debet operari, quidquid facere tentauerit, forma non seruata, erit nullum, vt dictum est; sed quando data fuit potestas Prælato recipiendi fratres ad Ordinem, & professionem, fuit illa forma præscripta, qua eos recipere debet, ergo si aliquem receperit, forma quo ad ætatem non seruata, professio erit nulla.

165. 5. Prob. ex Correct. *loco citato*, ibi. *Quicumque verò recepti fuerint contra supradictam formam, approbandi reseruentur Correctori generali*, & infra ibi, *post modum approbentur, & eorum receptio acceptetur, & confirmetur.* Si sunt approbandi, ergo est in Generali potestas iudicandi, & deliberandi, an expediat tales recipere; si enim non esset illi liberum eos excludere, superflua esset illa particula, *approbentur*; ergo signum est, quòd professio fuit nulla, nam si fuisset valida, non posset illos excludere, etiamsi iudicaret ita conuenire, quia professio est vinculum indissolubile ex parte contrahentium, etiamsi contrahentes de tali vinculo dissoluendo conuenirent; quia, vt ait Nauarrus *com. 3. de reg. numero 45. vers. Ad fundamentum*, professio regularis producit quendam characterem indelebilem per vllam potentiam, etiam Papalem, vt ait D. Thom. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 11. *corp.* his verbis. *Et simili ratione Papa non potest facere, vt ille, qui est professus Religionem, non sit Religiosus, licèt quidam Iurista ignoranter contrarium dicant.* De ista indissolubilitate tractat ad longum Suarez *tomo 3. de relig. lib. 6. cap.* 15. & an per Papam possit dissolui, ibi *cap.* 16. Confir. 1. Castill. quia Correctorium dicit. Eorum receptio acceptetur, ergo professio fuit nulla, eo quòd 1. acceptatio fuit nulla. Patet conseq. quia ad valorem professionis requiritur vt à Religione acceptetur, 2. Confir. quia eodem modo loquitur Correct. de receptis ante tempus præfixum per Generalem, ac de receptis per Correctorem localem, sed professio eorum, qui recepti sunt per Correctorem localem, est euidenter nulla, defectu potestatis, quam solùm habent superiores Prælati, vt constat ex Reg. & Correct. ergo professio eorum, qui recepti sunt per Correctorem generalem ante tempus præfixum, erit euidenter nulla Confir. 3. quia dicitur in Correct. quòd recepti per aliquem Vigilum, vel Prouincialium, Generali reseruentur, & quòd recepti per Generalem reseruentur Vigili, vel Prouinciali, eo quia *per cap. Non solùm, de reg. in 6.* eo ipso quòd aliquis ipsorum recipit aliquem fratrem ad Ordinem contra prædictam formam, professio fuit nulla, & Prælatus recipiens manet suspensus à receptione fratrum in ordine, & sic reseruantur alteri Prælato non suspenso, & potestatem habenti approbandi, & confirmandi eorum receptionem. Confir. 4. quia *in cap. Genuen. 4. n. 13.* quod fuit celebratum immediatè post Trid. professio facta ante 18. annum inceptum nulla iubetur declarari, *& in cap. Val. 5. num.* 23. præcipitur, vt nullus recipiatur, nisi in dicta sit ætate constitutus.

166. 6. Potest probari *ex cap. Quia in insulis, de reg.* vbi habetur, quod in Religionibus insularum, eo quòd asperior sit ibi Religionis obseruatio, nullus ad professionem admittatur ante 18. annum, quem tex. per suam rationem extendunt Abbas ibi *num.* 3. Angel. *verb. Nouitius* §. 2. Rosel. *eodem, num.* 9. ad fratres Prædicatores, & Minores, & ad alios Mendicantes, præsertim Minimos, quorum obseruatio propter perpetuam quadragesimam durissima est; quælibet enim dispositio debet ampliari, & restringi ad limites rationis expressæ, etiamsi verba non patiantur: *l. Adigere, §. Quamvis, ff. de iur. patr. l. Cum pater, §. dulcissimus, ff. de lege & fide comm.* 2.

167. 7. Prob. ex l. Non dubium, Cod. de leg. vbi dicitur, *Nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum, qui contrahunt, lege contrahere prohibente.* Et subditur, *Etiamsi legislator fieri prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit inutile esse debere, quod factum est.* Ad quod etiam facit *reg.* 64. Quæ contra ius, *de reg. iur. in 6.*

168. 2 Sententia est Passarel. *in carem. Minim. not. 8. pag. 63.* Mir. *tom. 1. man. quæst. 24. art. 2. concl.* 2. Rodriquez *tom. 3. quæst. reg. quæst. 17. art. 2.* Sanchez 5. *in dec. cap. 4. num.* 6. Bariolæ *in aphor. lit. P. verb. Professio facta*, Portel *in dub. reg. verb. Professio, n.* 14. asserentium, professionem esse validam.

169. Prob. 1. à P. Passar. quia prohibitio de non profitendo ante dictum tempus, principaliter concernit fauorem ipsius profitentis, cui fauori potest profitens renuntiare. Pro quo facit *cap. Ad Apostolicam, de regul.* vbi professio facta ante annum probationis tenet, ergo multo magis tenet facta ante tempus à Regula statutum. Ad hoc negaret P. Castil. 1. consequ. nam annus probationis, & tempus ætatis necessarium ad profitendum sunt duo valdè diuersa, & tanquam diuersa ponuntur in Tridentino *sess. 25. de reg. cap.* 15. & etiam in iure, & DD. vt videri potest apud Sanchez *loco citato, numero* 3. & Nauar. *lib. 3. cons. de reg. cons. 25. num.* 3. P. de Luna *cons.* 38. *numero* 33. à diuersis autem non fit illatio, *l. vlt. in fine, ff. de calum. l. Papinianus exul. ff. de minor.* Grat. *discept. forens. tom. 3. cap. 516. num. 6. & cap. 526. numero* 58. Potest 2. negari maior, nam annus probationis est æquè principaliter datus à iure in fauorem tam Religionis, quàm nouitij, vt dicunt communiter DD. & constat *ex cap. Ad Apostolicam, de reg.* & dixit Rota apud Farinacium *par. 1. decis.* 175. *numero* 2. & habetur *cap. Non solum, de regul. in 6.* & dato quòd nouitius posset anno nouitiatus renuntiare, non posset tamen ante legitimam ætatem profiteri, nam legitima ætas respicit publicam vtilitatem, cui nec nouitius, nec conuentus renuntiare possunt, vt Sanchez *loco citato.* Potest etiam negari minor, nam *cap. Ad Apostolicam* in Mendicantibus non habet locum, qui non possunt quenquam admittere ad professionem, ante exactum probationis annum, per *cap. Non solùm, & cap. Constitutionem, de reg. in sexto*, quòd si nihilominus quenquam admitterent, ea professio non obligaret in specie, sed tantum in genere, vt dicitur *in d. cap. Non solùm*, §. *Decernimus.*

170. 2. Probat Passarel. quia licèt Regula prohibeat recipi ad Religionem, qui annum 18. non attingit, non tamen annullat professionem aliter factam, vnde currit regula *dicti cap. Ad Apostolicam*, quòd multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent. Quam rationem confirmat 1. quia, qui habet votum simplex castitatis, non potest matrimonium contrahere, si tamen contrahat, validum est, *cap. Nuptiarum, 27. quæst.* 1. Confirmat secundò, quia sententia non potest à iudice sub conditione ferri, lata tamen tenet, *cap. Biduum, circa princip. 2. quæst.* 6. Confirmat tertiò, quia Episcopus non potest in diœcesi non sua alterius Ecclesiam consecrare, si tamen consecrauerit, tenet consecratio, *cap. Episcopus in diœcesi 7. quæstion.* 1. Confirmari potest 4 quia matrimonium factum contra interdictum etiam summi Pontificis tenet, *cap. 2. de matrim. cont. contra interd.*

Ecclef.

Ecclef. in fine. Confirm. 5. quia in Trident. *seff.* 24. *capite* 1. *de matrimonio* conceditur Parocho limitata potestas assistendi matrimonio, nempe præmissis denuntiationibus, ibi, *quibus denuntiationibus factis*, &c. Et ablatiuus absolutus conditionem importat, *leg. A testatore, ff. de eodem, & dem.* conditio autem importat formam, *l. Qui Haredi, & l. Manius, ff. eodem.* Fel. *in capite Cum dilecta, num.* 6. *verf. Secundum signum, de rescriptione,* & tamen *communiter DD. tenent, quos citat, & sequitur* Sanchez 3. *de matrimonio, disputation.* 5. *numero* 3. *verf. Tandem*, quòd matrimonium contractum absque dictis denuntiationibus, etiam iniustè omissis, est validum. Confirmatio sexta quia Iudex non potest excommunicare quenquam, nisi in scriptis, *cap. Cum medicinalis, de sententia excommunicationis in* 6. & nisi trina monitione præmissa, *cap. Constitutionem, eodem tit. & lib. & cap. Sacro, de sententia excommunicationis,* quæ duæ conditiones ponuntur pro forma; Si tamen absque iis excommunicat, valida est excommunicatio. Et quòd sit valida absque monitionibus, probatur *ex cap. Romana; de sententia excommunicationis in* 6. ibi, *si contra præsumpserint, iniustas nouerint esse illas*, non dicit inualidas. Et quòd sine scriptis lata teneat, colligitur *ex dicto c. Cum medicinalis, §. Superior*, vbi dicitur: *Superior verò, ad quem recurritur, sententiam ipsam sine difficultate relaxans.* Si ergo eam relaxare debet, valida erat; quia excommunicatio lata contra legem valida est, licèt iniusta, *cap. Sententia,* 11. *quæst.* 3. Plura huiusmodi vide apud Cynum *in l. Non dubium, C. de leg. & Const.*

171. Ad hoc 2. argumentum principale, respondetur à Castil. quòd illa regula posita *in c. Ad Apostolicam, de regulari* non est vniuersalis; non enim dicit. Omnia quæ prohibentur fieri, si facta fuerint, tenent, sed solùm dicit multa, quòd est verum; quia ex sola prohibitione præcisè non infertur nullitas actus prohibiti, sed ex eo quòd lex declarat, actum contra ipsam factum fore nullum, quæ eadem nullitas infertur ex eo, quòd quando datur alicui potestas ad aliquid faciendum, simul præscribitur illi forma, qua debet operari, quòd fit in nostro casu. Sed verè neque ex Regula, neque ex Correctorio colligi potest, quòd illa statuta data sint pro forma, vt constabit ex dicendis. Ad primam confirmationem, Respondetur à Castil. quòd omnes homines iure naturæ habent potestatem ad contrahendum matrimonium, quam potestatem votum simplex superueniens non adimit, licèt adimat votum solemne ex institutione Ecclesiæ, vt colligitur *ex cap. Quòd votum, de voto in sexto,* & docet Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *capite sexto, quæstione tertia, verf. Mihi tertia*; & ideò valet matrimonium post votum simplex. At verò quando datur potestas Prælatis recipiendi fratres ad Ordinem, non datur absoluta, sed conditionata, sub certa forma, qua non seruata, actus redditur nullus. Sed potest dici, quòd in concessione alicuius potestatis aliqua ponuntur pro forma substantiali, quo casu procedunt omnia dicta per Castill. & alia pro forma non substantiali, sed solùm ad ritè, & rectè exercendam administrationem commissam, vt colligitur *ex cap. Sacro, de sententia excommunicationis*, & patet in sacramentis. Pro forma autem substantiali in Ordine nostro ponitur completus annus probationis continuæ, super quo prohibet legislator dispensari per quemcunque Superiorem, pro forma verò non substantiali ponitur annus 18. Et quòd ita sit, constat. Nam sicut posuit prohibitionem dispensandi super annum completum nouitiatus, quia intendebat id obseruari tanquam formam substantialem, ita debuisset eandem prohibitionem ponere super dispensationem anni 18. si intendisset illud obseruari tanquam formam substantialem; sed quia id non intendebat, ideò consulto omisit. Vide Ang. *verb. Professio, numero* 1. *dicto* 5. *Ad secundam & tertiam confirmationem.* Respondetur à Castil. quòd iudices ordinarij, & Episcopi habent auctoritatem, & iudicandi, & ordinandi absolutam ante illas limitationes, vnde per dicta *sup. numero* 160. actus in contrarium facti non sunt nulli: at Superiores Ordinis non habent auctoritatem recipiendi nouitios, nisi sub conditione ætatis annorum 18. Sed responderi potest, quòd auctoritas recipiendi nouitios naturaliter, & necessariò consurgit in Religione ex ipsa approbatione Regulæ à Pontifice facta, abstrahendo ab eo, quòd hæc potestas sit commissa huic, vel illi. Ad quid enim esset illa confirmatio, nisi ex ea consurgeret potestas conseruandi? Ex ipsaque approbatione promanat, item potestas in aliquo capite ad dictam Religionem regendam, quod quidem caput (quomodocunque regatur dicta Religio) habet eo ipso potestatem ordinariam super membra illius. Quòd deinde istud caput non possit procedere nisi hoc, vel illo modo non possit recipere, nisi nouitios talem ætatem habentes, &c. consequitur ad dictam ordinariam potestatem. Quæ doctrina colligitur ex Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 5. *cap.* 10. *numero* 2. Quare etiam per doctrinam Castil. de qua *numero* 160. professio nouitiorum ante decem & octo annos facta non potest esse inualida. Ad alias confirmationes respondebit Castil. cum viderit.

172. 3. Probat hanc secundam sententiam Sanchez *loco citato, numero* 365. quia secundum communiter scribentes *in l. Non dubium, Cod. de leg.* quando lex apponit pœnam transgressoribus, non inualidat actum; Bald. *in dicta l. numero* 28. Cynus *numero* 10. Fel. *in cap.* 2. *de test. numero* 2. vbi Abbas *numero* 5. Ad hoc Respondetur à Castil. contrarium esse expressum *in cap. Non solum, de regul. in* 6. Sed hoc cap. non anullat professionem factam ante annum probationis elapsum, sed solùm in pœnam eorum, qui talem admiserunt, declarat, quòd sic professus non teneatur ad illam Religionem, in qua professus est, sed ad aliam approbatam, vnde cum professio sibi non annulletur, videtur ex eo potiùs confirmari ratio Sanchez, quæ tamen aliis viis destrui potest, negando nimirum, esse communem opinionem *in dicta l. Non dubium*, quòd quando lex apponit pœnam, non irritet actum. Nam in primis Bart. Iuristarum coryphæus ibi *num.* 22. remittens se ad id, quod dicit *in l. Prator, in princ. ff. de noui op. nunt.* quem sequitur Fulgos. *n.* 20. dicunt, quòd quandocumque lex pœnam aliquam specialem imponat, non propterea desinit actus esse nullus, secundùm *dictam l. Non dubium*: ad quod probandum afferunt *l. Iubemus, Cod. de sacr. Eccl.* vbi & ponitur pœna, & irritatur actus. Sed dato, quòd illa sit communis sententia, vt vult Sanchez, Bald. tamen ibi dicit; quòd nihil facit ad casum nostrum, quia in casu nostro secundum opinionem Castil. lex obuiat actui, potestatem administratori auferendo, dicens, *Dummodo tales ad minus* 18. *annum attingant*; vnde cum defectus sit in causa efficiente, prohibitio illa habet nullitatem intrinsecam; quare licèt apponatur pœna, non potest dici, quòd in hoc casu habeat locum illa sententia, quòd quando lex apponit pœnam, non vitiat actum; nam secundum istam sententiam pœna inserta in lege non facit valere actum habentem causam nullitatis intrinsecam, defectu potestatis in administrante.

173. 4. Probat Sanchez quia *in dicto capite Regula* nullum est decretum irritans; Sed sui ipsius

doctrina eum singular Castil. ait enim ipse Sanchez 5. *in dec. capite* 4. *numero* 20. 26. & 60. quòd non est necessarium decretum irritans, quando defectus est in causa efficiente, quia scilicet quis admittitur à non habente potestatem, & est id, quod dicit Castil.

174. 5. Probat Sanchez quia, si receptio esset nulla, maior pœna imponeretur transgressori, quam comestio panis, & aquæ tribus continuis diebus, vt ex Correct. *num.* 15. Sed respondetur à Castil. quòd id pendet ex benignitate legislatoris, & quòd non est parua pœnitentia, Prælatum comedere in publica communitate tribus continuis diebus panem, & aquam. Sed verius est, quòd prædicta pœnitentia non imponitur Prælatis, sed solummodo iis, qui absque commissione aliquem receperunt ad Ordinem, & sociis Prælatorum, qui in hoc scienter consenserunt, vt dico infrà, *num.* 187.

175. 6. Probat Rodriquez *tom.* 3. *quæst. reg. quæst.* 17. *artic.* 20. quia in Correct. dicitur. *Quicumque verò recepti fuerint*, &c. vt *sup. numero* 158. Ex quibus verbis colligitur, quod Generalis, & alij fratres possunt approbare dictam professionem, quòd facere non possent, si illorum professio esset irrita, & nulla, & ad eam ratificandam esset tempus 18. annorum expectandum. Adde, quòd non dicit Correctorum, quòd istorum receptio ratificetur, nam ratificare, est inualidum, & irritum ratum facere, sed accipietur, & confirmetur, acceptare autem, & confirmare, est illius, quòd de se valet, confirmationem à Superiore accipere. Sed dicit Castil. quòd ideo debent acceptari à Generali, quia eorum professio fuit nulla, defectu potestatis in acceptante.

176. 7. Prob. ex quadam declar. sacræ Congreg. Concil quæ sub hac forma proponitur. *Sed quid, si ex instituto alicuius Regulæ, non possit fieri professio ante* 18. *annum, vt sunt Fratres de Sancto Francisco de Paula, an sit eorum professio nulla, si eam emiserint post tempus Concilij, sed ante tempus in eorum Regula statutum, siquidem ex verbis Regulæ non annullatur talis actus professionis, sed tantum imponitur pœna eum reijciendi, & eget confirmatione Superioris. Censuit Congregatio, professionem tenere; arg. capit. Ad Apostolicam de reg.* Sed respondet Castil. illos Eminentissimos Dominos respondisse iuridicè, quia ex verbis propositis non est vnde inferatur nullitas actus; at est falsum dicere, quòd talis professio solùm indigeat confirmatione Superioris.

177. 8. Probat Miranda *tom.* 1. *man. quæstion.* 24. *art.* 2. *conclus. secunda* ex Tridentino *sess.* 25. *de reg. capite* 15. vbi virtualiter reuocantur omnia iura, tum concedentia posse fieri professionem ante annum 16. tum vetantia, non posse fieri nisi in anno 18. quo pacto censet, per Concilium abrogari. *cap. Quia in ìasalis, ad reg. ficut enim.* Concilium non abrogat expressè iura, concedentia fieri posse professionem ante 16. annum, & tamen ea secundùm omnium opinionem censentur abrogata, ita etiam debent censeri abrogata alia iura vetantia, non posse fieri nisi in ætate 18 annorum; lex enim conciliaris, & vniuersalis, eo ipso quòd est stabilita, omnia contraria derogat, absque expressa derogatione, alioquin esset superflua. Sed respondeo à Castil. Concilium circa ætatem profitendi in Ordine nostro nihil innouasse, non enim affirmatiuè dicit, professionem in illa ætate factam in omni Religione esse validam, sed solùm negatiuè statuit, quòd professio antea facta nulla sit. Quare, si aliunde nulla sit, Concilium id non tollit; non enim sequitur. Nulla substantia, quæ non fuerit animata, erit homo. Ergo omnis substantia, quæ fuerit animata, erit homo; sic dicit Concilium, nulla professio fiat ante 16. annum, & si facta fuerit sit nulla; sed non sequitur. Ergo omnis facta in illa ætate 16. annorum erit valida. Immò idem Concilium eadem sess. cap. 22. dicit: *Si qui verò Regulares tam viri quàm mulieres sunt, qui sub arctiori regula, vel statutis viuunt, eos ab eorum instituto, & obseruantia sancta Synodus amouere non intendit.* Et verè Concilium circa hoc statutum nihil innouasse, censent etiam Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 6. *cap.* 3. *numero* 7. & 8. Sanchez 5. *in dec. cap.* 4. *num.* 6.

178. 9. Igitur eandem 2. sententiam probo ex decreto sacræ Congregationis Concil. *de anno* 1582. *die* 2. *Nouembr.* facto ad instantiam Fr. Benedicti de Benedictis Ordinis nostri Zelosi, quod sic habet: *Illustrissimi D D. In nostra Minimorum Religione iuxta Regulæ formam sancitum est, quod qui recipiendi sunt nouitij in Religione, decimum octauum annum attingant, & sic etiam, elapso continuæ probationis anno, professionem emittant. At si inferiores Superiores de mandato Prælatorum aliquem ante prædictam tempus receperint, puniendi sunt pœna comestionis panis, & aquæ; qua pœna Prælatos non afficit, quamuis per dictam Regulam taliter recepti non eijciantur, sed elapso probationis anno ad professionem recipiuntur: quinimò Prælati semper ipsos recipiunt, cum ipsorum sit recipere, & approbare, si ante dictum tempus recepti fuerint, & semper fuit in vsu illos ad Ordinem retinere, & ex tribus partibus Religionis ferè omnes sic erunt professi, tam duæ partes cum dimidia omnes sint professi in sexto decimo, & decimo septimo anno, & præfuerunt, ac præsunt in Religione, & singulis ex iuenibus, qui modo reperiuntur in Religione, tam in Italia, quam Hispania, & Gallia, eodem modo professi sunt. Quidam Prouincialis plus debito scrupulosus, animaduertens, in sua Prouincia multos bonæ indolis iuuenes esse ante dictum tempus à Regula determinatum professos, consuluit quendam Illustrissimum, an qui ante dictum tempus in Regula expressum, quod est 18. annorum completum, professionem emiserint, essent professi, nulla facta mentione de rationibus iam dictis, consuetudinisque Ordinis in contrarium. Habito responso, quòd non erant professi, omnes in capitulo accersiuit, & illis notam fecit talem declarationem, referens, dictos fratres non esse professos, & si qui essent, qui vellent egredi, licitè efficere possent. Quidam ex iuuenibus prospiciens non esse se tutum in conscientia, dubitans de tali declaratione, qua si esset vera; Religio destrueretur, cum his stantibus, nullus frater esset professus, & quamuis antepredictum tempus Regula professionem emiserit, post tamen tempus præfixum à sacro Concilio Tridentino nolens egredi, habita licentia in scriptis à R. Vicario generali Ordinis, Romam se contulit, in particulari tamen amicorum domo, dubitans accedere ad monasterium, ne à fratribus impediretur, appetens ipsius rei declarationem, quod vt commodius efficere posset, sine habitu causam suam peragere tentauit, ne cogatur frater impediretur, quam cum ad terminum ducere non valuisset, iterum paucos post dies induit habitum, & reuersus est in Religionem. Modo dubitatur. an iste sit professus rationibus iam dictis, & eodem modo de aliis professis, & præsertim cum per quinquennium in Religione permanserit, ac omnibus professorum actibus se immiscuerit, & in Superiorum electionibus, & alij sint Superiores, & si concederetur hoc, an quia solus in amicorum cubiculo permansit, tanquam fugitiuus sit puniendus, & quia reliquit habitum, an sit excommunicatus, & receptus in Religione, an debeat gaudere gratiis, & immunitatibus ipsius Religionis, vocoque actiua & passiua, & an qui egressi sunt vigore dictæ declarationis, debeant compelli ad ingressum Religionis, & iis gratiis gaudere, &c.*

Dignentur

Dignentur. Illustrissima D D. VV. soluere ambiguitates,& Deum supplices pro ipsis deprecabimur. Fr. Benedictus de Benedictis Ordinis Minimorum Procurator generalis. Sacra Congregat. Concilij censuit, professionem istorum esse validam, & iuuenem illum, qui reuersus est, non incidisse in pœnam apostasiæ, atque alios, qui fuerunt dimissi, cogendos esse ad Religionem redire, die 2. Nouemb. 1582. Hæc declaratio reddit omninò mihi certam hanc 2. sententiam, cum pro certissimo habeam, dictam Congregationem, priusquam ad dictam declarationem deueniret, voluisse bene videre Regulam, & Correctorium, nec stetisse simpliciter relationi Zelosi; talis enim est stylus dictæ Congregationis.

179. 10. Probo eandem conclusionem ex casu simili in facto secuto in Relig. Cleric. minist. infirm. In quorum regula *pagina* 22. reformata, & approbata à Clem. VIII. *anno* 1600. *die* 28. *Decemb.* habetur, quòd nullus recipiatur ad Religionem, qui in minori sit 18. annorum ætate constitutus, nisi aliud Generali, & Consultoribus, propter aliquam euidentem vtilitatem, visum fuerit: Item *ibid. pag.* 24. præcipitur, quòd singulis sex mensibus dicti nouitij secretis suffragiis per examinatores, & alios Superiores approbentur, vel reijciantur. Occurrit, quòd quidam Fabritius Turbolus Neapolitanus ab annis 14. professus in dicta religione, cum dictam professionem emisisset ante 18. annum, absque dispensatione Generalis, & Consultorum, & absque prædictis scrutiniis, & non in domo regulari formata, sed in hospitio, nullitatem professionis prætendebat, & restitutionem aduersus quinquennium. Congregatio tamen Cardinalium negotiis Regularium præpositorum declarauit, dictum Fabritium non esse audiendum, quam declarationem approbauit Paulus V. per suam specialem constitutionem. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Sanctius Cicatellus, datam Romæ sub annulo Piscatoris die vltima Augusti anno 1620. Vnde constat, quòd licèt dictæ circumstantiæ videantur in dicta regula requisitæ pro forma, ea tamen forma non iudicatur essentialis, nam aliter dictus Turbolus audiri debuerat, per dicta à Sanchez 7. *de matrimonio disp.* 37. *numero* 22.

180. 11. Probo ex consuetudine, de qua testatur præfatus Zelosus, & dato quòd non fuisset introducta nisi à dicto tempore, iam ab eo vsque nunc transierunt 48. anni, & si omnes dimittendi essent, qui professionem fecerunt in ætate Concilij ante ætatem Regulæ, Religio destrueretur.

181. Ad hoc arg. de consuetudine multa dicit Castil. & 1. quòd consuetudo, ad hoc vt valeat contra legem, debet esse rationabilis, & legitimè præscripta, *cap. fin. de consuetudine*, & quòd ista non sit rationabilis, probari dicit sufficienter, quia iure antiquo professio regularis in 14. ætatis anno emissa erat valida, & Concilium Tridentinum considerans, vires corporis in dies decrescere, & minui rationabiliter statuit, nullam professionem fore validam, nisi 16. ætatis anno factam, ergo contra rationem erit in Religione adeò rigorosa propter votum quadragesimalis vitæ, in minori ætate, quam Regula præscribit, profiteri. Sed negatur, quòd ista consuetudo non sit rationabilis. Nam 1. illa dicitur rationabilis consuetudo, quæ non obuiat canonicis institutis, nec est contra legem naturalem, vel diuinam directè, vel indirectè, vt glossa *in dicto cap. fin. verb. Rationabilis.* Viuald *in candel. aur. tract. de conf. cap.* 1. *num.* 4. D. Thom. 1. 2. *quæst.* 97. *art.* 3. *corp.* Nauar. *de spol. cler.* §. 14. *numero* 7. ista autem consuetudo certum est, quòd non est contra legem naturalem, vel diuinam, nec obuiat canonicis institutis; nam ad hoc vt illis obuiaret, oporteret secundum Nauar. *numero* 8. quod dicti canones resisterent ita dictæ consuetudini, vt eam declararent irrationabilem, & corruptelam, nec sufficeret, quod illi resisterent, eam tollendo, vel iubendo ne induceretur. Quinimò nostra consuetudo est conformis dictis canonibus, nimirum Trid. Si dicas, quòd obuiat regulæ confirmatæ à conditore canonum, 1. ex dictis, & contextu Regulæ constat, quòd non. Deinde non obuiat, sed deuiat ab obseruantia Regulæ, quòd non est valdè diuersum, vnde potiùs dicenda est desuetudo, qua non vtimur lege, quàm consuetudo, qua facimus contra legem, vt bene Viuald. *loco citato, cap.* 5. *num.* 5. *vers. Vel quarta.* 3. Dico quòd neque etiam deuiat à Regula, sed declarat Regulam post Tridentinum non obligare, nisi ad terminos illius, & conformare Regulam cum Concilio generali tantæ auctoritatis, valde rationabile est. Et quòd consuetudo habeat vim declarandi regulam, docet Diu. Thom. *loco citato.* Nec solùm habet consuetudo vim declarandi leges humanas, sed etiam naturales, & diuinas, vt Viuald. *loco citato, cap.* 2. *num.* 2. & habet vim derogandi iuri Canonico, & Regulæ, abstrahendo à votis, vt dicunt multitudo DD. cum Viuald. *loco citato, capite* 5. *numero* 1. Immò excusat consuetudo ab obseruantia præcepti naturalis, & diuini, v. g. à præcepto correctionis fraternæ, vt probat Rochus Curtius *in capite. Cum tanto, de consuet. sect.* 1. *numero* 7. *tract. de stat. tom.* 2 *tract.* 2. Ad id, quod dicit Castil. hanc consuetudinem non esse rationabilem, quia Concilium considerans, vires hominis decrescere, &c. dico in primis, quòd non est ita sensibilis defectus naturæ post diluuium, vt debeat obligare generale Concilium ad augendum tempus professionis, si enim viuebant ab eo tempore homines centum annos, & nunc per idem spatium multi viuunt, & si Dauid dixit, quòd ætas hominis erant septuaginta anni, & quando plus 80. hic Genuæ octogenarij sudore manuum baiulando viuunt, & multi in ea ætate nubunt, & filios generant. Deinde non eo fine illam legem protulit Concilium, sed vt cum perfectiori deliberatione fieret professio, vt dicit Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 6. *cap.* 3 *numero* 7. Ad quod etiam perspexit, quando præcepit, vt renunciatio non fieret à nouitio nisi intra duos menses ante professionem, & cum licentia Episcopi, vel illius Vicarij, vt ait Sanchez 7. *in dec. capite* 5. *numero* 64. Deinde rationabilitas huius consuetudinis constat. Tum quia in ea ætate sunt iuuenes aptiores ad vacandum studiis dialecticæ, & Philosophiæ, vt experientia constat, & dicit Sylu. *verb. Religio* 3. *quæst.* 2. *vers. finem.* Tum quia, cum sint teneriores, faciliùs est, eos assuescere disciplinæ, & austeritati Religionis, eosque quocunque volueris duces, & reduces. Tum quia in ea ætate nondum eos deprauauit mundus, nec mundanas delicias adhuc gustauere. Nec per hoc, quòd dicimus, hanc consuetudinem esse rationabilem, dicimus legem contrarium inferentem esse irrationabilem, quoniam licèt vno, & eodem respectu non possint esse duo contraria rationabilia, possunt tamen diuersis respectibus esse talia, vt dicit Nauarr. *de spol. cler.* §. 14. *numero* 8. lex enim illam ætatem iubendo, considerauit ætatem fortiorem pro supportanda austeritate Regulæ, consuetudo considerauit, quod tenerior ætas erat facilior ad assuescendum austeritati Regulæ; vterque respectus est rationabilis, consuetudo tamen præualuit legi, vnde validè, legitimè, & absque scrupulo seruatur. Et videri potest pro rationabilitate huius consuetudinis R. Curtius *loco citato, sect. secunda à numero* 23. vbi diffusè probat nostrum intentum.

182. 2. Probat Castil. quòd hæc consuetudo non sit legitimè præscripta. Quia, vt aliqua consuetudo præscri-

præscribat contra legem Ecclesiasticam receptam, necessarium est, quòd sine interruptione per spatium 40. annorum duret; quòd tamen non inuenitur in hoc casu: nam ante Tridentin. credendum est, omnes secundum Regulam fuisse professos, *& in cap. generali Genua* 4. statutum est, vt recipiendi ad habitum saltem 17. annum haberent, & est intelligendum expletum, vt attingat 18. secundùm Regulam, quia contra illam cap. generale nihil determinare poterat, *& in cap. generali Val.* 5. *anno* 1593. *numero* 13. cautum est, vt nullus ad habitum recipiatur, nisi ad minus 18. annum attingat secundùm Regulam. Vnde consuetudo non potuit esse præscripta, cum fuerit interrupta. Sed dico 1. quòd licèt consuetudo, quæ nouam obligationem inducit; debeat esse præscripta, & & legitima, quia æquiparatur legi, de cuius essentia est, vt sit iusta, & de hac loquitur *dictum cap. fin. de consuet. & cap. Ecclesiarum, d.* 11. consuetudo tamen, quæ legis vim & obligationem tollit, non oportet, quòd sit præscripta, sed satis est, si sit per aliquos actus inducta, & obseruata, ita vt ad notitiam maiorum perueneritt, qui cum eam sciant, & minimè contradicant, cum commodè, si vellent, & contradicere, & præuaricatores punire possent, præsumendum est, quòd legis rigorem velint temperare. Ita Angles *in flor. par.* 2. *tract. de ieiun. quæst.* 5. *pag. mihi* 451. Vival. *in candel. aur. tract. de consuet. cap.* 5. *numero* 3. vbi autem ad notitiam maiorum hæc consuetudo non peruenerit, putat Angles, quòd ante legis acceptationem ad illi derogandum decennium sufficit, post illius acceptationem maius quidem tempus requiritur arbitrio prudentum, sed non 40. annorum. Diana *var. tract.* 10. *resol.* 4. *&* 7. ait, quòd ad hoc vt lex non obliget, satis est quod illi repugnetur per actus contrarios in sufficienti numero arbitrio prudentum, nec est necesse expectare tempus decem annorum, & hoc etiamsi princeps nesciat. Videantur Gutier. *de leg. accep. lib.* 1. *can. quæst. cap.* 8. *numero* 3. *&* 10. Couarr. *lib.* 2. *var. cap.* 16. *numero* 6. Panormitan. *in cap.* 1. *de treug. & pace, numero* 4. Suarez *lib.* 4. *de leg. cap.* 16. *à num.* 9. Portel. *in dub. reg. verb. Lex, numero* 11. *& in addit. verb. Abbatissa vidua.* Sed esto quòd esset necessarium consuetudinem debere esse præscriptam. Dico 2. constare ex declaratione Congregat. de qua *numero* 178. testante Procuratore generali, quòd anno 1582. iam erat introducta ista consuetudo, & licèt deinde facta sint illa statuta Genuæ, & Valentiæ, ea tamen nunquam fuerunt acceptata, neque vsu posita, vnde non obligant, neque consuetudinem interrumpunt, cum sint nullius valoris. Ad id, quod dicit credendum esse, quòd ante Concilium omnes profiterentur secundùm Regulam, non valet; nam ea, quæ consistunt in facto, credi non debent, sed probari, *l. in bello, §. Capta, ff. de capt. & postlim. reuer.* alioqui iis Iurisconsultus non responderet, *l. vt responsum, Cod. de transf.* Nauar. *in man. capite* 27. *numero* 150. *verb. Quintò dico.*

183. 3. Denique ait Castil. hanc non posse esse consuetudinem, sed corruptelam, & irrationabilem vsum, qui præscribere non potest: & dato gratis, quòd esset rationabilis, non posset præscribere, nisi tacita ad minus voluntate Pontificis. Quia subditi frequentia suorum actuum non possunt Superioris legem tollere, absque saltem dicta tacita voluntate illius. Et tandem contra legem munitam decreto irritante, qualis est ista, non seruata forma, non valet introduci consuetudo, & hoc etiamsi tale decretum solum virtualiter in lege contineatur, vt docent Nauar. *de spol. cler. §.* 14. *numero* 2. Vival. *loco citato, cap.* 5. *numero* 16. Abbas *in capite fin. numero* 11. *de consuet.* Sed iam constat, quòd ista consuetudo non est irrationabilis, nec consequenter corruptela. Ad id, quòd dicit, quòd non potest præscribere sine tacita voluntate Pontificis, iam dixi, quòd non est necesse, vt sit præscripta, sed esto talis debeat esse, semper supponitur de voluntate Pontificis, quando lex per non vsum abrogatur. Vnde Greg. XIV. approbando Regulam, & constitutiones, approbat eas, quatenus sunt in vsu; in quo supponit, quòd per non vsum, seu contrarium vsum abrogari possint. Ad id quod dicit, quòd subditi per actus contrarios non possunt Superioris legem tollere sine tacita saltem ipsius Superioris voluntate, videtur Castil. in hoc sequi sententiam Soti *lib.* 1. *de iust. quæst. septima art. secundo*, quam refert Viuald. *in tract. de consuet. capite* 5. *numero* 7. vbi ait. Quando autem dicimus, dissimulationem Prælati in causa esse, vt consuetudo lex fiat, intelligitur de illo Prælato, qui est legislator; nam etsi Prætor in Vrbe, vel Prælatus conuentus, vel prouinciæ dissimulent legum transgressionem, eiusmodi consuetudo nunquam vires legis consequitur, quia non est signum voluntatis supremi Prælati. Per quam doctrinam, si esset vera, sequeretur, quòd contra regulas nunquam posset introduci consuetudo, quia legislatores mortui sunt. At dices; eo casu succedit Papa, qui est supremus Prælatus Religionum. Sed hic non potest esse in omni loco, neque potest videre res Religiosorum. Deinde omnes leges canonicæ factæ sunt à Papa, vel eius auctoritate à Conciliis, & tamen consuetudine possunt abrogari, & multæ abrogatæ sunt cum sola scientia, & tolerantia Episcoporum, qui sunt Prælati ordinarij, & immediati, vt per eas discurrens, docet Vival. *loco citato.* Ergo similiter poterit abrogari aliqua constitutio regularis cum sola scientia, & tolerantia Prælatorum ordinariorum, & immediatorum, qui sunt legum custodes. Id tamen non puto sufficere ad abrogandum aliquod statutum Regulæ, sed requiri scientiam, & tolerantiam saltem capituli generalis, in quo est potestas statuta condendi, antiqua abolendi, & Regulam declarandi. Et hoc puto voluisse Sotum. Ad id denique quod dicitur, contra legem habentem saltim virtualiter decretum irritans, non posse introduci consuetudinem. Dico, quòd in casu nostro nec est expressè, neque virtualiter tale decretum. Legat itaque quæso P. Castil. *circa hoc punctum de consuet.* Nauarr. *in man. cap.* 12. *numero* 60. & Rodriquez *tom.* 1. *quæst. reg. quæst.* 69. *art.* 2. ibi. Ex quibus constat, quòd non est, cur scrupulis angaror.

184. Ad ea, quæ in contrarium sunt adducta. Et 1. ad supposita Castilli *numero* 160. primum, & secundum suppositum facilè concedo, & tertium etiam, si loquantur de forma substantiali. At hic punctus in Regula, quòd non recipiantur nouitij ante 18. annum, stante consuetudine, & decreto Congreg. non est substantialis. Nam tunc solùm censetur substantialis, quando lex formam constituens addit actum aliter fieri non posse, vt probat Suarez *lib.* 5. *de relig.* c. 32. *numero* 10. *&* 11. Vide Rodericum *in resol. resol.* 1. *numero* 28. Vt constat ex dictis, & clariùs constabit ex dicendis.

185. Ad 1. arg. Nauarr. ea dicta illa facilitate, qua dicuntur, negantur; non enim credo DD. quantacunque doctrina, & auctoritate polleant, si sine fundamento loquantur, quod ante me docuerunt Lupus *in cap. Per vestras, de donat. int. vir. & uxor. not.* 3. *§.* 20. *numero* 12. Sanchez *lib.* 3. *de matr. disp.* 44. *n.* 2. Roman. *sing.* 651. Ioan. de Capistran. *in spec. conf. num.* 17. Arcbid. *in cap. Nolite timere,* 11. *quæst.* 3. *num.* 5. *& cap. Ego solis, dist.* 9. *cap. Relatum, dist.* 37. *capit. Sanctum est, iuxta finem, de consecrat. dist.* 4. Molf. *tom.* 1. *summ. tractat.* 7 *capit.* 15. *n.* 98. & habetur in *§. Consideremus, authent. de triente, & semis.*

186. Ad

186. Ad 1. Ad primam rationem constabit ex dicendis *infra*, *num.* 188. Ad 2. nego, quòd ista lex plus respiciat vtilitatem publicam, quam priuatam. Sed dato, dico, quod non nititur valor talis professionis in renuntiatione talis ætatis, sed in consuetudine legitimè præscripta, & in declaratione sacræ Congregationis. Ad 3. Concilium annullat solum professionem factam ante annum 16. completum, quæ est legitima ætas, per illud stabilita. Ad. 4. constabit ex dicendis, *num.* 187.

187. Ad 3. & 4. Respondeo propositiones majores eorum esse veras, falsas verò minores. Tum quòd hic punctus non est essentialis in Regula. Tum quod dictæ minores nituntur falsa intelligentia statuti Correctorij, vt constabit, *ex num. seq.*

188. Ad 5. igitur, quod petit explicationem illius text. Correct. ex cuius intelligentia pendet tota ista controuersia. Respondeo, text. Correct. non loqui de receptione ad professionem, sed solum de receptione ad habitum nouitiorum; est enim ibi titulus. *De receptione nouitiorum, & à quibus fieri debeat:* qui titulus respondet *cap. 2. Regula*, cui præfigitur titulus. *De cunctis ad hunc ordinem recipiendis.* Cum ergo legislator in Regula *loco citato* deputauerit eos, per quos ad habitum erant recipiendi, qui Ordinem nostrum ingredi optarent, volens in Correct. vt solet, pœnitentiam imponere his, qui non comprehensi *in dicto cap. 2. Regula*, auderent aliquem ad Ordinem recipere, ait, *Si quis offendens contra formam descriptam in secundo cap: Regula huius Ordinis*, &c. quæ verba videntur mihi clariora sole; qui enim sunt comprehensi *in dicto cap. 2. Regula*, iam habent super hoc commissionem, vel à Regula ipsa, vel à Prælato ipso auctoritate Regulæ durante. Ergo oportet, quòd loquatur de his, qui non comprehensi *in dicto 2. cap. Regula*, Nec facit in hoc difficultatem particula illa, *Scienter*. Nam dupliciter potest quis aliquem ad habitum recipere non habens auctoritatem. 1. bona fide, putans ob aliquam prærogatiuam, talem se habere facultatem, vt si quis esset delegatus à Prouinciali ad aliquam determinatam causam, & per verba generalia in dictis patentibus inclusa, putaret, sibi hanc facultatem esse concessam. 2. mala fide, & temerario ausu; hos punit Regula tanquam scienter sibi aliorum auctoritatem vsurpantes; illos non punit; sed cum receptio fuerit nulla, approbanda relinquitur Prælatis Ordinis. Et quia legislator *in dicto 2. cap. Regula numero* 2. dederat auctoritatem Prælatis, vt ad explendum munus recipiendi fratres ad Ordinem, possent deputare, & substituere aliquos fratres idoneos, volens in Correct. punire dictos fratres deputatos, & substitutos, qui ante annum 18. inceptum aliquem ad habitum nouitiorum reciperent, ait, connectendo priora verba cum seq. *Vel ante tempus prafixum in eodem 2. cap. tribus continuis diebus comedat panem, & aquam dumtaxat.* Quasi dicat. Hac pœna puniendi veniunt tam qui scienter sine auctoritate aliquem ad Ordinem recipiunt, quam qui cum legitima auctoritate ante dictum tempus recipiunt. Et sequitur Correct. *Pari pœna plectantur Socij Prælatorum huiusmodi in hoc ipso scienter consentiente.* Cum statim daturus esset legislator facultatem Sociis Prælatorum, vt vna cum ipsis ad Religionem transeuntes reciperent; volensque dictos Socios punire, si transgrederentur, ne cogeretur dictam pœnitentiam bis *in eodem capite repetere*, ait. *Pari pœnitentia*, &c. Sed quia poterat dici. Pater sanctissime. Verum est, quòd isti, qui receperunt absque auctoritate nouitios ad Religionem, transgressores fuerunt vestræ Regulæ, & ideo meritò puniti: sed, cum receptio defectu potestatis sit nulla, recepti bona fide zelo sanctioris vitæ & amore vestram Regulam seruandi eijcientur? Ad hoc respondet. *Ad ipsos verò superiores Prelatos, & eorum Socios talium recipiendorum deliberatio spectabit.* Quasi dicat. An hi, qui absque legitima facultate habitum susceptere, sint recipiendi, seu retinendi in Religione, committo superioribus Prælatis, & eorum respectiuè Sociis. An autem isti Socij, qui debent liberare num dicti nouitij sint retinendi, nec ne, possint esse illi, qui consenserunt scienter inualidæ receptioni, puto quod non, sed ea deliberatio illo casu est facienda cum reliquis Sociis, vel, si omnes consenserunt, debent assumi alij Socij alterius Prælati, seu Correctoris, vt colligitur ex dicto text. Correct. ibi. *Cui autem Vigili.* Et an nouitiatus istorum debeat incipere à die, quo habitum sumpsere, vel à die, quò fuit illorum assumptio à Superiore approbata, Dic vt *supra numera* 23. Pergit deinde legislator, dicens, *Vbi autem aliquis subditus*, &c. Cum *in num.* 2. *Regula* dederit facultatem Superioribus ordinariis substituendi aliquem idoneum fratrem ad receptionem nouitiorum, hic pariter eandem auctoritatem confirmat, in casu, quo aliquis fuisset receptus à non habente facultatem, vel contra formam ibi datam; Et addit, quòd hoc casu substitutus ad deliberandum, an talis nouitius debeat retineri in Religione, vel expelli, tenetur adhibere, & obtinere consensum Correctoris, & seniorum conuentus, in quo nouitius facit nouitiatum. Et quoniam *in dicto cap. 2. Regula* habent auctoritatem recipiendi nouitios Prouinciales, & Vigiles, vel eorum substituti, & cum isti sint capita prouinciarum, & nationum, poterat dubitari, à quonam essent approbandi, qui à talibus fuerant recepti contra formam datam *in dicto num. 2.* non enim videbatur æquum, quòd approbarentur à Prælato, qui peccauerat, ideo subdit, *Quicumque vero recepti fuerint contra supradictam formam*, &c. Et quia *in eodem num. 2.* eadem potestas recipiendi nouitios data fuit Generali, dubitari etiam poterat, à quibusnam essent approbandi nouitij, qui à dicto Generali ante tempus præfixum fuissent ad Ordinem recepti, & eadem dubitatio fieri poterat de receptis à substitutis cum consensu Correctoris localis, vel à solo ipso Correctore locali, putante sed ad id habere facultatem, ideo subdit. *Cuique autem Vigili*, &c. Et vult dicere, quòd recepti à Generali, vel Correctore, debent approbari à Prouincialibus, & Vigilibus. Et concludit, quòd ad dictos Prælatos respectiuè pertinet approbare, & confirmare receptionem nouitiorum factam contra formam *in dicto numero 2. Regula*, Constat ergo, quòd nullum verbum repetitur in dicto text. Correct. ex quo possit colligi, quòd loquatur de professione nouitiorum, sed semper loquitur de receptione ad Ordinem, eo modo, quo locutus de ea fuerat *in dicto num. 2. Regula.* Et quòd ista expositio sit germana, patet. Tum quia *in num. 3. Regula*, quando agitur de receptione ad professionem, id asseritur eisdem verbis, Tum quia vt constat *ex dicto numer. 3.* receptio nouitiorum ad professionem debet fieri à Prælatis, habito bono testimonio fratrum. At in explicato text. Correct. nec verbum quidem dicitur de isto testimonio. Ergo concludo, quòd in dicto text. nullo modo loquitur legislator de admissione ad professioné, sed de admissione ad habitum. Poterunt ergo Prælati generales eijcere, & retinere, qui contra dictam formam fuerunt à Prouincialibus admissi, & Prouinciales poterunt eijcere, & admittere, qui fuerunt recepti contra eandem formam à Generali, vel Correctore. Circa autem electionem, aut approbationem eorum, qui iam professi sunt, nihil determinat legislator, nec inualidat eorum professionem, vnde iuri communi standum est. Cum ergo ius Concilij Trident. admittat tanquam validas professiones

nes factas in ætate completa 16. annorum, eam ætatem sufficere ad profitendum validè in nostra Religione, etiam de mente B. P. dicendum est. Imminò suspicor quòd, cum legislator *in dicto numero 16. Correct.* nullam pœnam imponat superioribus Prælatis admittentibus aliquem ad Ordinem contra formam *dicti numer. 2. Regulæ*, nisi quòd approbatio receptorum ab ipsis alteri Superiori reseruetur, si ipsi ante dispensationem cum legitima causa factam, & cum debitis consensibus Sociorum, dictos nouitios receperint, videtur quòd dispositioni Prælatorum relinquat super dicta ætate 18. annorum dispensare, quod tamen non vult relinquere dispositioni aliorum, ab ipsis prælatis substitutorum, & ideo istis imponit pœnam comestionis panis, & aquæ. Et per hæc patet ad 1. 2. & 3. confirm. Ad 4. illud capit. celebratum est vndecim annis post Concil. Tridentin. non immediatè post, vt affirmat Castil. & in eo solum requiritur ætas 17. annorum. Cum autem non determinet, an debeant esse impleti, sufficit, quòd sint incœpti; & potest esse, quòd voluerit capitulum se conformare Tridentin. Et quando in fine illius dicitur, quòd si non habeant dictas conditiones poterunt, à Religione eijci, præsertim si post eorum professionem contrarium fuerit inuentum, hanc clausulam non intelligo de omnibus conditionibus in eo enumeratis; nam in eo sunt aliquæ, quibus licèt careat professus, non potest expelli, vt si sit claudus, cæcus, &c. Sed intelligo, si habeat aliquam conditionem, quæ alias professionem irritet, vt si habeat infirmitatem incurabilem, à Iudæis relapsis ortum ducat, & cœtera. Capitulum Val. punit solùm Superiores contrarium facientes, factum tamen non irritat. Sed non est vsu receptum.

189. Ad 6. dic, quòd *capite, Quia in insulis*, est consuetudine abrogatum vsque à tempore Ioann. Andr. & multò ante. Ita Syluester *verb. Religio 3. question. 2. vers. Falsis.* Diu. Antonin. 3. *part. titulo 16. capite 3. in fine princip.* Nauarrus *libro 3. consil. de reg. consil. 33. numero 2.* Sanchez 5. *in decision. capite 4. numero 3.* Miranda *tomo 1. man. quæstion. 24. articulo 2. conclusion. 2.* Barbosa *in dicto capite. Quia in insulis, numero 2.* Azor. *tomo 1. libro 12. capit. 2. quæstione 7.* Sed esto, quòd non esset abrogatum, & quod nunc esset in viridi obseruantia, professionem tamen factam contra illius dispositionem non annullaret; quia in eo cap. nullum est verbum reddens nullam professionem antea factam; ergo facta tenet, *capit. Ad Apostolicam, de reg.* Ita Sanchez *loco citato* Suarez *tomo 3. de religion. libro 6. capit. 3. numero 7.* Sylu. *loco citato quæstione 4.* Abb. *in capite. Quia in insulis, numero 4.* Rosellus *verb. Nouitius, numero 10.* Ang. *eodem num. 3.* Armil. *num. 4.* Tab. *num. 3.*

190. Ad 7. Respondeo 1. à Glossa *in dicta reg. Quæ contra ius*, quòd dicta iura habent locum in iis, quæ habent perpetuam prohibitionem; secùs in his, quæ temporalem. 2. quòd ea iura habent verum, si alio iure non tolerentur; at in casu nostro licèt prohiberet Regula professionem, quia tamen ipsa professio sustinetur, *& capit. Ad Apostolicam, de reg. & iure Concil. Trident. sess. 25. cap. 15. de reg.* professio esset valida. Atque ita, Respondeo, ad dicta iura à Passar. *in carem. Minim. not. 8.* Syluest. Angelus, Rosellus *loco citato*, & aliis.

§. VII.

De auctoritate tum temporali, tum spirituali quam habent Prælati regulares super nouitiis.

191. DIco 1. Nouitij gaudent priuilegio fori, ac proinde conueniri non possunt coram iudice sæculari, nec pro ciuilibus, nec pro criminalibus causis. Ita Sanchez 6. *in capit. decision. 10. numer. 10.* qui turbam DD. citat. Farinac. *part. 1. prax. crimin. titul. de inquisit. quæst. 8. num. 46.* Nauarrum *libro 2. consil. de form. comp. consil. 5. num. 1. & 2.* Mol. *tract. 2. de iust. disput. 671. num. 2.* Graff. *tom. 1. consil. lib. 3. de vo. consil. 8. num. 12.* Portellum *in dubit. regul. verb. Nouitij absolut. num. 35.* Campanillum *in diuers. rubr. 11. cap. 4. num. 27.* Azor. *tom. 1. lib. 12. cap. 3. quæst. 2.* Suarez *tom. 3. Religion. lib. 5. cap. 11. numer. 12.* Prob. quia Nouitius est pars Religionis, quamuis imperfecta, vnde qui ipsum offendit, perinde puniendus est, ac si Religiosum offendisset, incurrit enim excommunicationem *cap. Si quis suadente, 17. quæst. 4.* Ita *in cap. Religioso, de sentent. excom. in 6.* & dicit Camp. *loco citato num 16.* vnde, cum contrariorum eadem debeat esse disciplina, *l. 1. ff. de his qui sunt sui, vel al. iur.* si ipse aliquem offendat; debet à Iudice Ecclesiastico puniri, sicut alij Religiosi.

192. Dico 2. Si nouitius velit permanere in Religione, & fratres velint eum tenere (licèt melius esset expellere, & brachio sæculari relinquere) de quibuscunque ab eo commissis delictis, etiam homicidij voluntarij, puniri debet à Prælato regulari. Ita Nauarrus *libro 2. consil. de form. comp. consil. 6. num. 4.* Sanchez *loco citato num. 11.* Azor. *loco citato cap. 2. quæst. 11.* Rodriquez *tomo 2. quæst. reg. quæst. 2. artic. 10.* Vech. *de noa. disput. 11. dubit. 11. numer. 2.* Bonacina *de legib. disput. 4. quæst. 2. part. 7. §. 4. numero 27. vers. Alij verò.* Nald. *in summ. verb. Nouitius, num. 3.* Coriol. *de casib. reseru. part. 2. cas. 10. à num. 6.* A S. Faust. *lib. 5. thes. quæst. 207.* Bariol. *in aphor. litera N, verb. Nouitij delinq.* Portellus *in dubit. reg. verb. Prælatus, num. 9. vers. Non obstante.* Vide Dianam *tom. 3. tractat. 1. resolut. 34.* Prob. quia, cum gaudeant priuilegiis Religionis, & Religiosi professi communiter exempti sint, non solùm à iurisdictione iudicis sæcularis, sed etiam Ecclesiastici, ab eisdem iurisdictionibus erunt exempti nouitij.

193. Noto 1. quòd si nouitius, vulnerato, vel occiso aliquo Religioso, vel alio graui commisso delicto, à Religione aufugiat, cum tunc sæcularis censeatur, à judice sæculari puniri debet. Ita Farinacius *loco citato*, Sanchez citato *numero 24.* Vech. *num. 6.*

194. Noto 2. quòd pro delictis, quæ mortem non merentur, potest puniri nouitius, etiamsi à Religione egredi velit, V. G. si professum, vel nouitium verberasset, aut vulnerasset, furtum aliquod commisisset, adulterium, aut aliquod aliud simile delictum perpetrasset, huiusmodi enim delicta non sufficienter puniuntur per dimissionem à Religione, ergo, cum multum intersit Reipublicæ ne delicta impunita remaneant, & probabile sit, quòd huiusmodi nouitius post egressum de tali dicto non punietur, poterit à Prælato regulari etiam inuitè puniri, & incarcerari antequam dimittatur. Ita Suarez *tom. 3. de Relig. lib 4. cap. 16. num. 18.* Graff. *tom. 1. consil. lib. 3. de vo. consil. 8. num. 8.* Nec hoc est impedire libertatem nouitij

ad

ad exeundum, prout decernitur *in cap. Statuimus de reg. & cap. Non solùm, eodem tit. in 6.* nam ea capita non loquuntur in isto casu, in quo nouitios ratione delicti factus est subditus suo Prælato, *l. 1. Cod. vbi de crimin. agi op. cap. 1. juncta Glossa de rapt.*

195. Noto 3. quòd nouitius, si delictum exigat, potest à Prælato regulari torqueri vt professus, iuxta *cap. Cum in contemplatione, de reg. iur.* ad veritatem eruendam, id enim consequitur ad officium iudicis. Ita Suarez *loco citato*, Sanchez citat. *num. 12.* Vech. citat. *num. 3.* Nauarr. citat. *consil. 5. num* 3. Rodriguez *loco citato* torquendus autem erit per Clericum, vel Religiosum, non per sæcularem, Nauarr. Rodriguez *loco citato ad formam cap. Vniuersitatis, de sentent. excomm.*

196. Noto 4. quòd si exigatur à nouitio debitum ciuile, exigendum est, non coram iudice Ecclesiastico, sed coram Prælato Religionis, cui quò ad vtrumque forum subditur, Sanchez, Rodrigoez, Azor. *loco citato*, Nauarr. cit. *consil. 6. num. 1 fine*, est enim exemptus iam à sæculari, quàm ab Ecclesiastico iudice; Sanchez *num. 11.*

197. Noto 5. quòd Prælatus potest punire etiam pœna carceris nouitium pro transgressionibus commissis contra regulam, & constitutiones. v. g. si silentium non seruauit, lineas camisias detulit, nudus dormiuit. Ita Sanchez *loco citato num. 13.* Nauarrus Rodriguez *loco citato*, Azor. *tom. 1. lib. 12. capite 2. quæst. 11.* quia supposito, quòd velit in Religione permanere, subjacet Prælatis quò ad iurisdictionem, & superioritatem. Pro hoc puncto possunt etiam citari Sylu. *verb. Religio 5. quæst. 7.* Tab. *verb. Nouitius, num. 13.* Rosel. *eod. num. 12.* Armil. *num. 18.* quatenus dicunt, quod nouitij, si velint, possunt ad tempus in carcere detineri à Prælatis.

198. Noto 6. quòd qui post commissum delictum Religionem ingreditur absque fraude, idest ante accusationem, & inquisitionem delicti, non potest à iudice sæculari a Religione extrahi, nec incarcerari, aut aliqua pœna puniri. Ita Sylu. *verb. Iudex 1. quæstione 6. fine* Couarruuias *pract. quæst. cap. 32. num. 4. vers. Tertia concl.* Ioan. And. *in cap. 1. de oblat. ad rat. num. 20.* Vech. *de non. disp. 11. dub. 12. à n. 3.* Iulius Clarus *in prax. crim. lib. 5. § fin. num. 43 & 44.* Portellus *in dub. reg. verb. Nouitius, num. 17.* Prob. Tum quia nouitij sunt personæ Ecclesiasticæ exempti à iurisdictione sæculari, & dicuntur Religiosi *in cap. 1. de stat. monach.* Tum quia licèt non sint verè professi, pro professis tamen habeantur ad hunc effectum vitandi iurisdictionem sæcularem. Grat. *decis. 35. numero 10. in decis.* March. Anchar. *in cap. Nullus, numero 3. de tempor. ordin. in 6.* Hippol. de Marsil. *singul. 534. num. 2.* Tum quia est vulgaris regula, quòd Potentia actui propinqua actua est, & Pro cincto babetur, qui de proximo cingendus est. *Leg. penultim. ff. de mal. testib.* Ita Marc. de Mant. *singul. 103. n. 1.* Quod si ingrediatur post accusationem delicti, aut inceptionem processus, potest extrahi, & puniri, non tamen pœna aliqua corporali, sed solùm pecuniaria, vt Iulius Clarus *loco citato numer. 43.* Ita Ledesm. *de stat. Relig. in comm. capit. 6. diff. 2. vers. Digo lo segundo, pag. mihi* 251. quia in fraudem præsumitur ingressus. Putant tamen Ledesma *loco citato, pag.* 252. & Rodriguez *tom. 3. quæst. reg. quæst. 10. art. 8.* quòd vbi quis fecisset votum Religionis ante commissum delictum, poterit Religionem ingredi, etiam processu incepto, & ad probandum tale votum ait Rodriguez *loco citato in fine*, quòd sufficiat iuramentum illius, qui votum fecit. Vide Cened. *part. 2. collect. 23. num. 1.* & Dianam *tract. var. quæst. 26.*

199. Dico 3. Prælatus potest dispensare, & commutare vota nouitiorum. Ita Sanchez *lib. 4. in decis. cap. 39. num. 17.* Henriquez *lib. 7. cap. 22. num. 7.* Rodriguez *tom. 1. quæst. reg. quæst. 25. art. 8.* Less. *lib. 2. cap. 40. dub. 13. num. 107.* A. S. Faust. *lib. 3. thes. quæstione 27. num. 2.* Azor. *tom. 1. lib. 11. cap. 20. quæst. 21.* licèt id neget Prælato ratione iurisdictionis, tamen concedit ratione priuilegiorum. Sa *verb. Religio, n. 4.* Molf. 1. *part. sum. tract. 11. cap. 15. num. 129.* Prob. Tum quia Prælatus habet iurisdictionem spiritualem in nouitios, propter quam est exemptus à iurisdictione Episcopi. Tum quia fruitur priuilegiis Religionis, vt dicunt Sanchez *num. 23.* Cruz *de stat. Relig. lib. 1. cap. 6. dub. 10. concl. 2.* Bonac. *de leg. disp. 4. q. 2. par. 7. §. 4. num. 27.* Cochier *de exempt. p. 1. q. 19. à num. 7.*

200. Noto 1. quòd non possunt dicti Prælati vota nouitiorum irritare, quia non sunt adhuc illis traditi per obedientiæ votum. Ita Rodriguez *loco citato*, Nauarrus *in man. cap. 12. num. 65.* Nald. *in summ. verb. Nouitius, num. 5.* Azor. *loco citato cap. 17. quæstione 10.* A. S. Faust. *lib. 2. thes. quæst. 177.* Molf. *loco citato num. 77.* Portellus *in dub. reg verb. Votum, num. 18. & in addit. num. 70.* Sanchez 4. *in decis. cap. 33. num. 28.* qui *num. 32.* ait, quòd Superior potest vota personalia impedientia executionem exercitiorum nouitiatus suspendere; & *numero 37.* ait, quòd sunt suspensa ipso iure; quod etiam dicit Graffius *tomo 1. consilior. libro 3 de vo. consilio 8. numero 9. 13. & 19.* & Suarez *tomo 3. de relig. lib. 5. cap 11. num. 9.*

201. Dico 4. Possunt Prælati regulares reseruare sibi casus pro Nouitiis. Ita Cord. *in quæst. theol. quæstione 30.* Cruz *loco citato, cap. 6. dubio. 10.* Vech. *de non. disput. 9. dubit, 26. num. 2.* Hæc conclusio post viuæ vocis oraculum Pauli V. quod refero *tomo 2. nostr. priu. in const. 10. Vrb VIII. num 9* ast sine controuersia, antea multi negabant, vt Graffius *in appen. ad suas decision. lib. 1. capit. 6. numer. 60.* Azor *part. 1. lib. 12. cap. 2. quæst. 10. vers. Hinc pendet.* Rodriguez *tom. 1. quæst. reg. quæst. 21. art. 11.* Mirand. *tom. 2. man. quæst. 34. art. 16.*

202. Noto 1. quòd nouitij non possunt confiteri nisi confessario sibi à Superiore assignato, etiamsi alter, cui confiteri vellent, esset approbatus ab Ordinario loci. Ita Cord. *loco citato*, Vech. citat. *dubit. 3. num. 1.* Vega 2. *part. summ. cap. 39. cas. 6.* Llam. 1. *part. met. capit. 7. § 2. & cap. 5. § 7. in fine*, Suarez *tom. 4. de relig. tractat. 1. lib. 2. cap. 17. num. 14.* Prob. Tum quia nouitius per Religionis ingressum mutant omninò domicilium, & nouum pastorem spiritualem, priori relicto, acquisiuit, vnde illi parere debet quò ad sacramenta. Tum quia ratione probationis acquisiuit Prælatus Religionis ius plenum super nouitium quò ad illa omnia, quæ sunt necessaria pro recta gubernatione illius, & pro recto exercitio dicti nouitiatus, inter quæ est hoc vnum. Et hic punctus non videtur modò habere ampliùs difficultatem, quia Clem. VIII. *in sua const. pro nouit. §. 95. tom. 2. nostr. priuileg. in const. 10. Vrb. VIII.* præcipit, vt soli magistri nouitiorum confessiones eorum audiant. *Liceat tamen Superiori, etiam locali, si ita expedire iudicauerit, vel per seipsum, vel per alium ab eo deputandum, semel, aut bis in anno eorundem nouitiorum confessiones audire.* Contrarium autem docet Molf. 1. *part. summ. tract. 7. de pænit. cap. 14. num* 81. A quibus autem casibus, & quomodo possint absolui nouitij, vide *tom. 1. priuil. in constit. 2. Iulij II. à num. 30.* & Vech *de nouit. disput. 9. dubit. 5.* Reginald. *in praxi lib. 8. n. 58.* Azor *tom. 1. lib. 12. cap. 3. quæst. 9.* Bonacina *de pænit. quæstion. 7. part. 4. §. 1. num. 28. & de leg. disputat. 4. quæst. 2. part. 7. §. 4. num. 28.* Portellus *in dub. reg.*

verb.

verb. Nouitij abſolutio, *à num.* 32. Rodriguez *tom.* 1. *quæſt. reg. quæſt.* 20. *artic.* 21. Naldus *in ſumm. verb. Nouitius, num.* 7. Et fac generalem regulam, quod poſſunt dicti nouitij abſolui per Prælatos regulares ab omnibus caſibus, à quibus poſſunt abſolui profeſſi, & hoc abſque vinculo reincidentiæ, ſi recedant, quò ad ea, quæ commiſerunt habitu Religionis induti; nam quò ad ea, quæ commiſerunt in ſæculo, ad reincidentiam abſoluuntur, vt dixi hic *ſupr. num.* 63. & docent etiam Campanil. *in diu. rubr.* 12. *cap.* 3. *num.* 22. Nald. *in ſum. verb. Reſeruat.* 6. *verſ. Quò ad nouitios*. A. S. Fauſt. *lib.* 5. *theſ. quæſtion.* 208. licèt etiam probabilem putem opinionem Suarez *tom.* 4. *de religion. tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 24. *à num.* 8. quod ſcilicet nouitij poſſint abſolui etiam à commiſſis antè ingreſſum Religionis abſque reincidentia.

203. Aduerte etiam, quòd nouitij poſſint ſibi eligere vnum confeſſarium ex approbatis à Prælato ſemel in vita, & articulo mortis, qui eos abſoluat ab omnibus caſibus, & cenſuris, à quibus poſſet abſoluere profeſſos. Ita Suarez *loco citato cap.* 19. *num.* 9. qui autem ſint hi caſus, vide *tom.* 1. *priu. in conſt.* 4. *Sixti IV. à num.* 5. An autem virtute bullæ cruciatæ poſſint ſibi eligere confeſſorem abſque licentia Superioris, dubitant DD. Affirmant Rodriguez *tom.* 1. *quæſt. reg. quæſt.* 21. *art.* 11. *fine*; Suarez *loco citato capit.* 16. *num.* 16. etiam poſtquam Pontifices prohibuerunt profeſſis, ne dicta bulla vti poſſent abſque Superioris licentia; quia, inquiunt, non ſunt veri Religioſi. Cord. tamen *in quæſt. theol. quæſt.* 30. Vech. *loco citato num.* 7. negant; quibus ſubſcribo, nam licèt non ſint verè Religioſi, ſunt tamen verè ſubditi: vnde debent, ſi volunt permanere in Religione, ea omnia ſeruare, & facere, quæ boni ſubditi faciunt, & ad rectum experimentum, & ſui ipſorum, & Religionis conducere poſſunt. Quòd ſi alium confeſſarium elegerint à deputato per Prælatum, poſſunt ſecundùm Rodriguez *loco citato*, hac ſola de cauſa à Religione expelli tanquam malè diſpoſiti ad votum obedientiæ, quod profiteri intendunt.

204. An autem Prælati regulares, ſeu confeſſores ab ipſis deputati, poſſint abſoluere nouitios à caſibus bullæ cœnæ, facile poſſet concedi, attenta ſententia, quam tenui *tom.* 1. *priuil. in conſtit.* 4. *Sixti IV. n.* 10. quam tenent etiam Molf. *tom.* 1. *ſumm. tract.* 7. *cap.* 21. *num.* 19. & 20. Portellus *in dubit. reg. verb. Abbas, num.* 11. *in addit. num.* 10. Vbi citat Vegam, & Soſam. Long. *part.* 1. *artic.* 23. *à num.* 4. *ſect.* 4. Sed illa ſententia mihi reddita eſt aliquantò dubia poſt decretum ſacræ Congregat. de mandato Vrb. VIII. *anno* 1628. *die* 17. *Septemb.* quod ponam *in addit. ad priuil. reg.* non propter decretum ipſum, quod non loquitur de confeſſariis in ordine ad Regulares, ſed in ordine ad Sæculares; ſed propter rationem ipſius. Ait enim, quòd priuilegia concedentia abſolutionem à caſibus bullæ cœnæ, reuocantur ſingulis annis, & quòd talia, ſi quæ habebant Regulares, fuerint ſingulis annis reuocata, & quòd per nouas confirmationes Pontificum non reuixerunt; & licèt multa poſſent dici pro manutentione dictorum priuilegiorum, vt quòd ſolùm reuocentur ſingulis annis illa priuilegia, quæ non ſunt ſpecialiter conceſſa, ſeu quæ non ſuſtentantur alio priuilegio dicente, quòd per illam reuocationem ſingulis annis faciendam, non intelligantur reuocari; & cum Romæ optimè ſciatur, Regulares prætendere dicta priuilegia non eſſe reuocata, quò ad ſuos fratres, facillimum fuiſſet Congregationi addere duo verba, nimirum. Reuocata etiam cenſemus priuilegia ſpecialia conceſſa Regularibus quò ad Regulares ipſos; quòd cum non factum ſit, probabile videri poteſt, quòd non intenderit reuocare. Tamen puto tutius abſtinendum à dicta facultate, quouſque aliud declaretur ab illa Sancta Sede, ſeu ſtylus Romanæ Curiæ inſpiciatur.

205. Noto 2. quòd interdicta ciuitate, licèt ſinguli de ciuitate ſint interdicti, *cap. Si ſententia*, §. *Cum verò*, *de ſentent. excomm.* nouitij tamen, qui tempore interdicti erant in Religione, vel ad illam tranſierunt, interdicti non ſunt; vnde ordines ſuſcipere, & in ſuſceptis miniſtrare poſſunt, quia, vt dixi, gaudent priuilegio fori, & iam ſunt liberi à poteſtate ſæculari. Ita Campanilla *in diuerſ. rubr.* 12. *cap.* 3. *num.* 28. Aduerte etiam, quòd nouitij gaudent omnibus indulgentiis conceſſis fratribus, docent Caſarub. *in comp. priu. Mendic. verb. Nouitius, num.* 22. Portellus *in dubit. regul. verb. Nouitij abſolutio*, *numero* 35. & 53. Rodriguez *tom.* 3. *quæſt. regul. quæſtion.* 51. *art.* 12. Aduerte etiam, quòd nouitij de licentia ſui Superioris poſſunt publicè prædicare, vt docet Suarez *tom.* 4. *de religion. tractat.* 3. *lib.* 9. *cap.* 1. *num.* 18. Tum quia nouitius in fauorabilibus venit nomine Religioſi. Tum quia fruitur Religionis priuilegiis. Et denique aduerte, quod nouitij poſſunt diſpenſari ſuper irregularitatibus per Prælatos, vt docent Campanilla *in diuerſ. rubr.* 12. *capit.* 3. *num.* 23. Henriquez *lib.* 7. *cap.* 22. §. 7. Vech. *de nouit. diſp.* 9. *dub.* 14. *num.* 1. ad reincidentiam tamen quò ad irregularitates contractas ante ingreſſum Religionis, & etiam quò ad irregularitates contractas poſt ingreſſum, ſi habeant effectum perpetuum, &c. vt bene Suarez *tom.* 4. *de relig. tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 9.

§. VIII.

De libera diſpoſitione ſuorum bonorum, quam poſſunt facere nouitij.

206 SVppono 1. quòd Religioſus profeſſus non poteſt teſtamentum condere, quia nullum habet rerum dominium, & hoc, ſiue ſit intra, ſiue extra Religionem. Habetur *in cap. Ingredientibus, quæſtion* 3. & *capit.* 2. *de teſtam.* Ita Azor. *part.* 1. *lib.* 12. *capit.* 6. *quæſt.* 5. Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 8. *cap.* 16. *num.* 1. Barboſa *in dicto cap. ingredientibus*, *à num.* 4. Sanchez 7. *in decaſ. cap.* 8. *à num.* 2. poteſt tamen cum licentia Papæ. Probat Sanchez *loco citato, num.* 5. & 45. Sed an poſſit aliquid donare cauſa mortis, dubitant DD. Negant multi apud Sanchez *loco citato num* 10. Ipſe autem *n.* 11. affirmat poſſe Religioſum cum licentia Prælati cauſa mortis, donare ea omnia, quæ cũ dicta licentia viuens donare poterat. Poſſet item profeſſus cum eadem licentia ſcribere ſchedulam, in qua diſponeret de ſuis bonis, rogando Prælatum, vt ea ſic diſpenſaret, relinquendo tamen eum in ſua libera voluntate. Quòd ſi Prælatus promitteret, ea ſe ſic diſpenſaturum, vt ſcripta erant, putat Sanchez *num.* 18. quòd poſt mortem teneretur in conſcientia, ratione fidelitatis, non iuſtitiæ, ita diſtribuere, niſi diſtribuenda eſſent alteri Religioſo ſibi etiam ſubdito, à quo ſicut poteſt rem conceſſam auferre, ita poteſt non dare, & poſſet etiam ex rationabili cauſa promiſſa non ſeruare. Immo putant aliqui apud eundem *num.* 15. quòd nullo modo tenetur promiſſa ſeruare. Licèt autem non poſſit Religioſus teſtamentum condere, poteſt tamen eſſe teſtis in teſtamento, & in quocumque alio inſtrumento, ſeu iudicio, vt conſtat *ex cap. Nuper, de teſtib.* & *Authent. de monach.* §. *Cogitandum, collat.* 1. Ita Roſellus *verb. Teſtamentum* 1. *num.* 13. Sylu. *eodem* 1. *quæſt.* 5. *dicto* 1. Armill. *num* 8. G. P. *quæſt.* 157. Farinacius *tract. de teſt. quæſt.* 61. *num.* 126. Mol. *tom.* 1. *de iuſt. diſp.* 127. §. *Vtrum autem validum*

dum. Sanchez 6. *in decif. cap.*13. *num* 100. Quod aduertere libuit, quia in aliquibus partibus Regulares in testes testamentorum non admittuntur. An autem exigitur Superioris licentia ad hoc vt Religiosus possit esse testis, distinguo. Vt possit esse testis iudiciarius, requiritur, vt dixi *tom.* 1. *nostr. priuileg. in constitut.* 2. *Iul. II. num.*147. non verò vt sit testis instrumentarius. Ita Farinac. *loco citato, num.*128. Sanchez *loco citato num.*106.

207. Suppono 2. quòd circa renuntiationem bonorum factam à nouitiis, multa dixi *tom.* 1. *priu. in const.* 2. *Sixti IV. & 1. num.*73. quòd renuntiatio facta à nouitio ante ingressum Religionis, intuitu tamen illius, valet, & docent etiam Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 2. *quæst.*16. Confect. *in priuileg. Mendic. tit.* 13. *capit* 12. & 13. A. S. Faust. *in thes. lib.* 5. *quæst.*183. *num.*2. Rodriguez *tom* 2. *quæst. reg. quæst.*47. *artic.*8. Garc. *de benef. part.* 11. *cap.* 9. *num.* 15. Gratianus *in decision. March. decision.* 37. *num.* 2. & 3. Naldus *in sum. verb. Religiosus, num.* 1. Vech. *de nou. disp.*8. *dub.*8. *num.*4. Contrarium tamen tenet Mirand. *tom.* 1. *man. quæst.*23. *art.* 2.

208 Suppono 3. quòd nomine renuntiationis, vt *in loco citato priuil.* dixi non intelligitur testamentum, neque alia donatio causa mortis. Vnde nouitius quocumque tempore potest testamentum concedere, solemnitatibus Concilii non seruatis, quia id nullo iure prohibetur, & DD. ibi allatis adde Menoch. *de præsumpt. lib.*6. *præs.*84. *num.*12. Nauarrum *tom.* 2. *de reg. num.*49. Azor. *loco citato & capit.* 2. *quæst.*14. Suarez *tom* 3. *de relig. lib* 5. *capit.*16 *num.*7. Tiraquell. *de retr. Lign.* §. 1 *gloss.*8. *num.*29. Monetam *de commut. vlt. vol. cap.* 5. *quæst* 1. *num* 10. A. S. Faust. *loco citato quæst.*188. Garc. *de benef. loco citat. num.*17. Gratianum *in addit. ad dictam decis. num.*3. & 4. Vechium *loco citat. dub.*10. *num.*3. Sà *verb. Religio, num.*5. Lessium *lib.* 2. *de iust. cap.*41. *dub.* 4. *num.*40. & refert Vechius ita declarasse sacram Congregationem *anno* 1598. 22. *Ianuarij*, & hoc absque vlla Superioris licentia, vt eum multis probat Sanchez 7. *in decision. capit.* 3. *num.*3. & *cap.*6. *num* 4. Hoc autem testamentum censetur confirmari professione, sicut fuisset confirmatum morte. Vnde post professionem ampliùs reuocari non potest Syluester *verb. Religio* 6. *quæst.* 4. Tabiena *eodem quæst.*40. Nauarrus *tom.* 2. *de reg. num.*53. Gutierrez *lib.* 2. *can. quæst. cap.* 1. *à num.*27. Molina *tom.* 1. *de iust. disp.*140. *col.* 2. *vers. Verum verò Religiosus*; Rodriguez *tom.*3. *quæst. reg. quæst* 16. *art.* 3. & *quæst.*69. *art.* 3. Azor *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.*6. *quæst.* 5. *vers. Communis tamen.* Miranda *tom.* 1. *man. quæst.*23. *art.*10. Moneta *loco citat. num.*13. Sanchez 7. *in decis. cap.* 3. *à num.*34. Quando autem testamentum factum à nouitio, & non reuocatum per vllam renuntiationem, incipiat habere effectum, distinguit Sanchez *loco citato, num.*55. quòd si Religio, in qua professionem fecit, est capax succedendi, non habebit effectum nisi post mortem naturalem professi. Ita *dicto num.*55. Si autem est incapax, à die emissæ professionis; ita *num* 68. Sed puto, quòd in quacumque Religione habebit effectum à die emissæ professionis; quia tunc fictione iuris mondo mori censetur, & ita video seruari. Et quòd bona nouitij intestati decedentis, non monasterio, sed hæredibus naturalibus cedant, Sanchez *loco cit. num.*92. Azor. *loc. citat. cap.* 3. *quæst.* 3. Suarez *tom.* 3. *de relig lib.* 5. *cap.*16. *num* 9 Tiraq. *loc. cit. num* 36. Portell. *in dub. reg. verb. Nouitius, num.*42.

209. An autem Religiosus iam professus possit testamentum suum in aliqua parte dubium simpliciter, & sincere, ad lites vitandas, declarare, puto quòd sic, quia qui declarat, nihil de nouo addit, vt probat A. Gabr. *com. op. lib.*6. *tit. de regul. iur. conclus.* 3. *num.* 1. Nam licèt iudex sententiam latam reuocare non possit, potest tamen declarare, vt multis probat idem Gabr. *num.*14. & habetur *in leg. Hæredes palam,* §. *Sed si quid post, ff. de testam.* & docent Moneta *loco cit. num* 14. Rodriguez *tom* 3. *quæst. reg. quæst.*69. *art.* 3. Reginald *in prax. lib.* 18. *num.*397. Sanchez 7 *in decision. capit.* 11. *num.*16. Portell. *citat. num.*44. Vech. *disp.*8. *dub.* 12. *num.*2. Idem dic de renuntiatione, quia militat eadem ratio.

210. Suppono 4. quòd nouitio prohibitum est facere donationem inter viuos, & alios contractus irreuocabiles magni momenti, considerata qualitate personæ, & bonorum, nam facere possunt aliquas eleemosynas de bonis propriis, tam monasterio, quam extraneis, hoc enim illis non interdicitur in Trident. *sess.* 25. *cap.* 16. *de reg.* & docet Sanchez 7. *in decis. cap* 5. *n.*22. Garc. *de benef. part.* 11. *cap.* 10. *num.*17. Vech *disp.*8. *dubit.*7. *num.*11. Rodriguez *tom.* 2. *sum. cap.*7. *num.* 2. Possunt similiter facere aliquas modicas donationes gratuitas, vt iidem DD. nec per hoc incurrunt pœnas const. Clem. VIII. *de larg. mun* quia nouitij non dant de bonis monasterij, vt aduertit Filiuc *tom.* 2. *tract.* 34. *cap.* 3. *quæst.* 6. *num.*59. Tenet item donatio nouitij monasterio facta tempore mortis, hoc enim non est contra Concil.

211. Noto 1. quòd Religiosus professus factus Episcopus, non potest recuperare hæreditatem, quam per renuntiationem factam ad formam Concil. Trident. dimisit. Tum quia, facta professione, illa renuntiatio est irreuocabilis. Tum quia manens in Religione non potest eam reuocare, vt constat; ergo neque ex eo quòd ad Episcopatum assumitur. Stat conseq. quia Religiosus factus Episcopus, non desinit esse Religiosus, & tenetur ad obseruantiam omnium essentialium Religionis, vt dixi *tom.* 1. *huius op. quæst.* 1. *cap.*10. §. 1. Tum quia sequeretur, quòd per Episcopatum intrinsecè liberaretur à voto paupertatis, quod nemo dicet; si enim posset disponere tanquam dominus de hæreditate relicta, id sequitur apertè. Tum quia contraria opinio, quàm tenet Ric. *part.* 2. *prax. resolut.* 152. est excitatiua litium. Tum quia rationes, quas ad id probandum adducit, nihil releuant, 1. enim verum est, quòd renuntiatio facta à nouitio, non habet effectum nisi professione secuta, vt ait Trident. *sess.* 25. *de reg. cap.* 13. & dicunt in specie Mirand. *tom.* 1. *man. quæst.* 23. *art.* 6. *concl.* 3. & Vener. *in exam. lib.*6. *cap.* 15. *num.*22. ergo, ea secuta, iam renuntiatio sortita est suum effectum, & renuntiatarius factus est dominus rei renuntiatæ, nec renuntiatio intelligitur, renuntiante manente in Religione, sed manente Religioso, nam alioquin qui propter demerita ejceretur à Religione, vel ad triremes in perpetuum damnaretur, posset suam hæreditatem repetere, quod tamen est falsum, quia ex malitia non debet quis reportare commodum; & similiter posset hæreditatem repetere, qui ad aliam transiret Religionem; quod esse falsum, constabit ex dicendis; sufficit ergo ad hoc vt renuntiatio facta valeat quòd renuntians validè profiteatur, & remaneat verè Religiosus, iuxta dicta per Sanchez *lib.* 7. *in decision. cap.* 5. *num.*55. Est etiam 2. verum, quòd cessante causa finali, & vltima, cessat effectus, vt bene Tiraquell. *in tract. de cess. cau. limit.* 1. *num.* 1. Causa autem finalis renuntiationis est assumptio religiosi status, locus verò communiter non est de essentia actus. At Episcopus non desinit esse Religiosus, sed solùm assumitur ad altiorem gradum. Deinde illud axioma, Cessante causa finali, &c. non habet locum vbi ius iam esset alicui quæsitum ex causæ existentia, nam licèt postea causa ipsa deficiat, ius tamen illud quæsitum retinetur, vt per Tiraquell. *loco citat. limit.* 11. *num.* 1. Et constat *ex l. Si post mortem,* §. 1. & *l. Non putauit,* §. *Sed si post mortem,*

mortem, *ff. de bon. possess. contr. tab.* Adde, quòd hoc axioma non habet locum, quando actus est iam consummatus, nam tunc casus superueniens non vitiat, & subintrat regula. Quæ semel vtiliter constituta sunt, durant, licèt casus exstiterit, à quo initium habere non potuerint, de qua *in l. Non est nouum*, *ff. de reg. iur.* & *in reg. 73* Factum legitime, *de reg. iur. in 6.* vt per Tiraquellum *loco citato*, *limit. 12. num. 15.* Quòd autem in casu nostro factum sit legitimum, constat, quia auctoritate Concilij; quòd sit consummatum, patet, quia iam renuntiatarius accepit possessionem hæreditatis per professionem nouitij, quæ ciuilis mors est, & æquiparatur morti naturali. Denique licèt cessante causa, cesset effectus, hic tamen non cessat, cessante occasione, & causa remota, vt per Tiraquellum *loco citato*, *limit. 13. à num. 1. & limit. 20. num. 1.* Inter causam autem, & occasionem sunt plures differentiæ, 1. quia causa consistit in iure, occasio in facto. 2. occasio dicitur omne id, quod ordinatur ad aliud per se, vel per accidens; causa verò propriè dicitur id, quod ad aliud ordinatur per se. 3. occasio illa dicitur quæ non est ordinata ad effectum, de quo agitur, sed accidentaliter, & fortuito contingit; causa autem, quòd per se. 4. occasio denotat causam remotam, causa signat proximam. Ita Tiraquell. *loco citato limit. 13. à num. 5.* Cum itaque certissimum sit, quòd renuntiatio non fiat causa acquirendi Episcopatus, & quòd hic non sit causa proxima, illius, nec per se vllo modo intentus, certissimum etiam est, quòd adueniente tanquam per accidens, & occasionaliter Episcopatu, non debet facere cessare renuntiationem, quæ principaliter per se; & proximè solùm fuit facta in gratiam religiosi status, qui retinetur; Atque adeò hanc opinionem docent Syluester *verb. Religio 4. quæst. 10.* ibi, *Ego autem dico:* Rosell. *verb. Religio 4. num. 13.* vbi ait, quòd frater Minor, si transeat ad Episcopatum, vel aliam Religionem legitimè, non recuperat bona iam alteri quæsita, licet *num. 12.* in aliis Religionibus contrarium sentiat. Sed non est maior ratio quò ad hoc de sua Religione, quàm de aliis, vt bene Syluester *loco citato versus finem*: Tab. *verb. Religio, num. 28. fine*; Menochius *de arbitr. lib. 2. cas. 436. num. 32.* licèt *consil. 184. n. 14.* Contrarium dicere videatur, sed hic non loquitur ex propria sententia. Suarez *tom. 4. de relig. tractat. 1. libro 3. capit. 16. num. 14.* Nauarrus *com. 4. de regul. num. 24. vers. Vndecimò*; Azor. *part. 1. lib. 12. capit. 15. quæstion. 3. vers. Mihi prima*, Rodriguez *tomo 2. quæstion. regul. quæstion. 79. articul. 2.* Sanchez *7. in decision. capit. 32. numero 8.* vbi probat, quòd vniuersa bona priori monasterio acquisita ratione Religiosi, remanent omninò apud illud, siue Religiosus ad aliud Monasterium diuersi Ordinis, siue ad Episcopatum transeat, & citat pro hac opinione innumeros DD. & *num. 10.* ait, quòd ista conclusio intelligitur etiam de bonis expressè donatis Monasterio tempore ingressus illius; nam licèt ea donatio tacitam in se conditionem habeat, si professio sequatur, cuius intuitu censetur facta, at, professione valida subsecuta, remanet omninò irreuocabilis; eo quòd impleta sit conditio, nec vllo iure probatur haberi tacitam perseuerantiæ in ea professione conditionem. Et expressè nostram sententiam docet ipse Sanchez *loco citato capit. 15. numero 6.* Stephan. Dur. *in quæstion. iur. quæstione 9.* Siue ergo renuntiatio facta sit ad fauorem monasterij, siue alterius personæ, siue Religiosus transeat ad Episcopatum, siue ad aliam Religionem laxiorem, vel strictiorem cum legitima facultate, vel sine illa, semper bona donata per renuntiationem donatario remanent, nec transiens ad ea vllum ius habet. Et colligitur expressè ex Auth. *de monach. §. Si verò relinquens*, & *ex capit. Statutum*, *iuncta Glossa 18. quæstione 1.* quod ita verum est, vt Nauarrus *loco citato*, *vers. Tum quia videntur*; Rodriguez *loco citato*, *vers. Ex quibus*, Sanchez *7. in decision. part. 32. numero 12.* existiment, quòd monialis iustè, & legitimè translata, non fert secum dotem, quam priori monasterio dedit, quia hanc dotem solùm dedit cum conditione, si professionem fecerit in eo monasterio, qua facta, iam adimpleta est conditio, & dos perpetuò remanet monasterio. Hanc tamen doctrinam limita cum Suarez *loco citato*, quòd si translatus ad Episcopatum non fecit renuntiationem, & per consequens retinuit sibi ius ad paternam hæreditatem, hoc ius, si transferatur viuente adhuc patre, defert secum; secus verò, si pater mortuus est, nam tunc dictum ius acquisiuit monasterium capax. Vide Dianam *tom. 3. tract. 2. resol. 114.*

212. Ex qua doctrina colligit Sanchez *numer. 13.* quòd transiens ad aliam Religionem, præter solas vestes, de quibus supponitur tacita voluntas Superioris, nihil potest secum ferre, neque etiam scripta à se elaborata, nisi fortè essent inutilia, neque instrumenta alicuius artis, qua excelleret. Ita etiam Nauarrus *libro 3. consil. de regul. consil. 55. numero 9.* Rodriguez *loco citato*, *fine*, & *tomo 3. quæst. reg. quæstion. 52. artic. 27.* Suarez *tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 3. cap. 13. num. 9. 10. & 11.* & colligitur *ex cap. Statutum citat.*

213. Sed quid? si translatus ad aliam Religionem, vel Episcopatum, habebat aliquod peculium annui redditus, sibi ex bonis patrimonialibus in renuntiatione relictum, deferet ne secum dictum peculium, an cedet priori monasterio? Sanchez *loc. cit. n. 14.* distinguit. Si dictum peculium, quod sibi absolute reliquit, est prioris monasterij: si sub conditione vt monasterium debeat permittere, quòd tali peculio fruatur sub pœna caducitatis, defert secum. Aufret. *addit. ad capell. Tolosan. quæst. 39. fine*, Specul. *libro 4. titul. de stat. monach. numero 29.* aiunt, quòd non defert secum, sed remanebit apud prius monasterium, quod ad illud acquisiuit ius. Ego puto, quòd deferet secum. Moueor, quòd illud peculium præcisè relictum est ad Monachi commoditates, & ne tam onerosus sit monasterio. Cum ergo desinat esse onerosus per egressum, & dictis commoditatibus adhuc indigere possit, poterit dictum peculium secum ferre. Quod tamen limitandum est, si solùm ad vitam ipsius Monachi relictum esset, nam si relictus esset solùm illi ad vitam vsusfructus, & proprietates monasterio, maior est dubitatio. Censeo tamen, quòd adhuc vsumfructum deferet secum, ratione dicta, & quòd proprietas remanebit apud prius monasterium, quod ad illud acquisiuit ius. Pro quo casu videri possunt Menoch. *de arbitr. lib. 2. cas. 436. num. 26. & 27.* Rodriguez *tom. 3. quæst. reg. quæst. 52. art. 27. vers. Secundus casus est.* Vega *2. part. cap. 39. cas. 7. vers. Nota*, Suarez *loco citat. cap. 16. num. 22.*

214. Noto 2. quòd renuntiatio debet fieri intra duos menses antè professionem de momento ad momentum, & secundum quod occurrit mensis in calendario, sumendo id, quod deficit mensi, ex mense sequenti. Ita Sanchez *7. in decision. cap. 5. num. 81.* quia Trident. facit multam vim in tempore, & sumus in odiosis, licèt aliqui putent, non ita mathematico modo illud tempus esse mensurandum, sed potiùs morali. Nihil autem refert, an facta renuntiatione eo modo, deinde ex aliqua causa professio differatur. Sanchez *loco citato*, *num. 82.* A. S. Faust. *libro 5. thes. quæst. 193. num. 3.* quia iam satisfactum est iuri. Sed consultius est, vt quando professio differtur propter ætatem nondum completam, differatur etiam renuntiatio. Deinde ista renuntiatio debet fieri de licentia

Episcopi,

Episcopi, vel eius Vicarij ordinarij, non foranei, eius tamen potest Episcopus, vel Vicarius hanc facultatem delegare, quam possunt etiam concedere aliqui. Abbates habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, & exempti à quacunque Episcopi iurisdictione, horumque Vicarij, quæ quidem licentia debet esse obtenta ante renuntiationem, non tantum petita. Sufficit autem, quòd viua voce. Ita Sanchez *loco citato, à numero* 64. Mirand. *tom.1.man. quæstion.*23.*artic.*6.Rodriguez *tom.*2.*quæst reg.quæst.*47. *art.*14. Vech. *de non. disp.*8.*dub.*9. A. S.Faust. *lib.*5. *thes. à quæst.* 194.

215. Noto 3. quòd si nouitius, facta renuntiatione in fauorem conuentus ad formam Concil. Tridentin, intra illud bimestre moriatur, illius bona hæredibus cedunt, non monasterio; quia illa renuntiatio intelligitur professione secuta. Ita Sorbus *in comp. verb. Nouitius, titulo de bon. ips. &c vers. Et hinc deinde.* Quòd si nouitius fecerit testamentum, & ante professionem moriatur, testamentum habet effectum, & succedunt hæredes vocati; vnde si fuerit vocata Religio, obtinebit hæreditatem. Suar. *tom.*3. *de relig.lib.*5.*cap.*36.*num.*11.

CAPVT II.

De auctoritate, quàm habent Prælati regulares sibi casus reseruandi.

1. DE casuum reseruatione in communi agunt Vvaldens. *tom.*2. *cap.*149. Sotus *in* 4.*dist.*18. *quæst.*2.*art.*5. *circa* 2. *argum.* Vasquez *tom.*4. *in* 3. *part. quæst.* 91. *artic.*3. *dubitat.*1. Suarez *tom.*4. *in* 3. *part. disput.*29. Coninck. *disput.* 8. *de sacr. pænit. à num.*75. Vgol. *de po. Ep. capit.* 35. Yribar. *in* 4.*dist.* 18. *quæst. vnic. disput.* 16. *sect.* 5. Sanchez 2. *in decision. capit.* 8. *à num.* 4. Molf. 1. *part. summ. tractat.*7. *capit.* 17. Henriquez *lib.*6. *capit.*14. Sà *verb. Casus reser.* vbi etiam Summistæ, Cajet. Sylu. Angel. Naldus, Graffius 1. *part. decision. lib.* 1. *cap.* 13. *à num.*22.*& in append.ad dictum locum,capit.*7.*& tr. spec.de cas. reseru. lib.*1. *à cap.* 1. *& cap.* 5. agit de illis 5. casibus reseruatis Papæ in decretis Congregat. sub Clemente VIII. Fagund. *in* 2. *præcept. Eccles. lib.*8. *à cap.*1. Llam. 1. *part. met. cap.*7. Reginald. *in prax. lib.*1. *à num.*123. Filinc. *tom.*1. *tract.* 7. *cap.* 10. *& tract.*15. *cap.*10. Finel. Campanill. Gyptius, Floron. faciunt de ista materia libros particulares. De materia nostra specialiùs agunt Naldus *in sum. verb. Religiosus, num.*44. *loco citato, cap.*20. Comit. *resp. mor. quæst.* 34. Graffius *loco citato, de cas.reseru.lib.*3. Quar. *in sum.bull.verb.casus reseru.* Rodriguez *tom.*1. *quæst.reg.quæst.* 21. Mirand. *tom.*2. *man. quæstion.*34. Suarez *tom.*4. *de relig. tract.*1.*lib.*2.*capit.*18.Fagund. *loco citato, à cap.*4. Festus *in const. Præd.part.*1.*c.*67. Coriol. *in tractat. de hac re.* Cord. *de stat. Relig. libro* 1. *capit.* 6. *dubitat.* 9. Portell. *in dubit. reg. & in addit. verb. Casus reseru.* Filiucius *loco citato, tract.*7. *cap.*10.*n.*177. Beia 3. *part. cas.*16. Casarub. *in comp. verb. Casus reseru.* vbi Sorb. Venet. *in ex. Ep. lib.*1. *cap.*8. Conrad. 1.*part. de cas. consc.quæst.*17.D'Aluin. *de po. Abb.cap.*33.

2. Dicendum est, posse Prælatos regulares sibi reseruare casus. Ita Fagund. *citat. cap.*4. *num.* 1. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. citat. sect.* 1. *num.* 7. *& tom.* 4. *de relig. citat num.*1. Gypt. *loco citato, numero* 7. Rodriguez *loco citato, art.* 2. Mirand. *citat. artic.*1. Coriol. *p.*1.*sect.*1.*art.*1.*num.*8. Yribas. *loco citato, vers.*2. *obseru. est.* Finell. *loco citato, cap.*5.*n.*7. Floron. *part.* 1. *cap.*2.*n.*39. & alij omnes, & dicunt esse de fide Rodriguez, & Mirand. Constat ex Trid. sess. 14. de sacr. pœnit. cap. 7. *Magnoperè verò ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris, visum est, vt atrociora quædam, & grauiora crimina non à quibusuis, sed à summis duntaxat sacerdotibus absoluerentur.* Cum ergo Prælati regulares summi sacerdotes censeantur, vtpotè habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, ideò omnes Doctores dicunt, quòd etiam ipsi possunt sibi casus reseruare. Quòd, & supponitur in decreto Clement. VIII. quod ponam, & exponam *numer.* 31. & concessit expressis verbis Alex. VI. vt refert Casar. *in comp. verb. Absol. ord. quò ad fratr. num.* 17.

3. Noto 1. quòd ideò possunt sibi Prælati casus reseruare, Tum vt grauiora peccata grauiori iudicio subdantur. Tum vt subditi meliùs corrigi possint. Tum vt nociua Religioni faciliùs exterminari queant, Tum vt procliuiores ad peccandum absolutionis difficultate retineantur. Atque ita colligitur ex Trident. *loco citato*, & docent Sot. *loco citat.* Finell. *loco citat. cap.*4.*num.*5. Fagund. *in* 2.*præcept. Eccles. lib.*8.*cap.*1. *num.*6. Graffius *de cas.reseru.lib.*1.*cap.*2.*num.* 2. Chapeauill. *part.*1.*quæst.*2.*in princ.* Molf. *loco citat.cap.*17. *num* 19.

4. Noto 2. quod peccata merè interna reseruari non possunt. Tum quia potestas Prælatis Ecclesiasticis data in ædificationem, non in destructionem, at si peccata merè interna reseruari possent, hoc cederet in maximum animarum præjudicium; sunt enim illa & frequentissima, & occultissima, vt discerni vix possint, vnde infinitatem scrupulorum gignerent, propter quos quotidie, & singulis horis ad reseruantem recurrendum esset animabus deuotis. Tum quia hoc sacramentum institutum est ad modum iudicij, nam casus reseruare non est tantùm negare inferiori sacerdoti facultatem ab illis absoluendi, vt Vasquez *tom.*4.*in* 3.*part.quæst.*91 *art.*3.*dub.*2. *num.*3. sed sibi iudicium, & absolutionem reseruare, obligando pœnitentem ad comparendum coram se in iudicio confessionis, vt absoluatur; ergo ad modum iudicij exercendum est; at iudicium non exercetur nisi in his, quæ in exteriorem actum exiere, *cap. A nobis, el* 2. *de sentent. excommun. cap. Erubescant, dist.*32. Tum quia illud solum in materia morali facere possumus, quòd honeste, sed Doctores contrariæ sententiæ concedunt, quòd licèt possint mortalia reseruari non tamen debent; immò aiunt Sot. Graffius, Long. Floron. quòd esset error intolerabilis, Finell. *cap.* 5. *num.*1. ait, quòd iniquè faceret Prælatus reseruando, & quòd esset indiscretissimus, ergo absolutè fieri non potest. Tum quia reseruatio habet rationem pœnæ, vnde strictè est interpretanda, vt dicunt Naldus *in summ. verb. Casus, num.*5. Long. *de cas. reser.part.*1. *sect.* 1. *articulo* 5. *numero* 4. Mulf. *tomo* 1. *de iust.disputat.* 92. *vers. Pœna*, Fagund. *loco citato, capite* 1. *numero* 28. Reginald. *in prax. libro* 1.*num.*124. *vers. Porrò.* Ecclesia autem actus interiores non punit, *cap. Cogitationis de pœnit. dist.*1. Atque ita Llam. *part.*1. *met. capu.*7. §.14. Inclinare videntur Graffius *loco citato, libro* 1. *capite* 4. *numero* 7. Long. *citat. numero* 6. citatur etiam Maio. *in* 4. *dist.* 17. *quæstion.*5. §. *Quia iam.* Quòd verò hæc peccata de absoluta potestate reseruari possint, docent Sot. *in* 4. *dist.*18. *quæstion.*2.*art.*5.*vers. Vtrum verò*, Fagund. *loco cit. cap.*1. *num.*16. Suarez *tom.*4.*in* 3.*part.disp.*29.*sect.*3.*num.*3. Vasquez *loc.cit.dub.*3.*num.*2. Graff. *de cas.reser.lib.*1. *cap.*4.*num.*7.*& in append. ad lib.*1.*decis.cap.*7. §.3. *num.*24 Long. *loc.cit.num.*6. Sanch. 2. *in decis.cap.*8. *num.*4 Vgol. *de pot.Ep.c.*38 *n.*3.

5. Noto 3. quòd venialia, & mortalia alias ritè confessa reseruari non possunt. Tum quia cuilibet sacerdoti iure diuino concessum est, vt possit absoluere à venialibus absque alia commissione; quia circa venialia, & mortalia iam ritè confessa, accipit sacerdos in ipsa ordinatione non solum iurisdictionem habitualem, vt circa mortalia, sed etiam actualem, vt Vasquez *loco citato, quæst.93. art.1. dub.6. à num.5.* & de mortalibus aliàs confessis, *n.10.* Sed quæ de iure diuino alicui concessa sunt, quin valdè ab eo exerceantur, auferri non potest, ergo neque potest per reseruationem prohiberi cuiquam sacerdoti ne à dictis peccatis absoluat. Tum quia venialia non sunt materia necessaria, vt concludit Trid. *sess.14. cap.5. de sacr. pœnit.* ibi, *nam venialia, quibus à gratia Dei, &c.* ergo reseruari non possunt. Atque ita Vasquez *loco citato, quæst.91. art.3. dub.2. num.2.* Filiuc. *tom.1. tract.7. c.10. n.271.* Long. *loco cit. num.8.* Graff. *de cas. reseru. lib.1. cap.4. num.17. & in app. cit. num.26.* Comit. *in resp. mor. lib.1. quæst.34. num.2.* Regin. *in prax. lib.1. num.126.* Finell. *de cas. reseru. cap.5. num.6.* Contrarium tamen, quòd licèt de facto non reseruentur venialia, possint tamen reseruari, ita vt non possint sacramentaliter absolui, nisi à tali, vel tali ministro, docent Suarez *tom.4. in 3. part. disput.19. sect.3. num.2.* Coninck. *de sacr. pœnit. disp.8. dub.11. n.80.* Mirand. *tom.2. man. q.34. art.4 concl.4.* Fagund. *in 2. præcept. Eccl. lib.8. cap.1. num.18.*

6. Ex quibus colligitur, quòd qui commisit homicidium in sui necessariam defensionem, si solum fuit venialiter culpabile, potest ab omnibus sacerdotibus absolui, immò nec necessitatur tale homicidium confiteri. Nec similiter tenetur confiteri, qui diebus prohibitis causa infirmitatis carnes comedit. Item absolui potest à quocunque sacerdote, qui modicam rem furatus est in Ecclesia, etiamsi furtum sacrilegum esset casus reseruatus, immò, & posset absolui à quocumque etiamsi iste habuisset intentionem plura surripiendi, licèt in hoc mortaliter peccasset; quia casus non reseruatur in ordine ad peccata interna, sed in ordine ad opus externum reseruationis capax. Item si alloqui moniales, esset casus reseruatus, qui eas paucis alloqueretur, vel transeundo salutaret, aut salutanti responderet, non incideret in casum reseruatum, propter modicitatem materiæ. Item si blasphemia esset casus reseruatus, non tamen illum incurreret, qui non habens animum blasphemandi, animo turbatus, non aduertens ad verba, quæ dicit, in verba blasphemiæ prorumpit. Idem dic de ebriis, & semidormientibus, si in aliquem casum reseruatum incidant, qui defectu libertatis veniale sit, nam tunc desinet esse reseruatus. Ita Finel. *loco citato, num.7.* Graffius *de casib. reseru. lib.1. cap.4 à num.18.*

7. Noto 4. quòd Prælati regulares non possunt sibi reseruare casus etiam ex designatis in decreto Clementis VIII. sine causa, & matura discussione; quòd si pro suo libito absque regula prudentiæ reseruauerint, puto quòd dicta reseruatio non valebit. Tum quia potestas hæc data est Prælatis in ædificationem, non in destructionem, vt ait Tridentin. *sess.14. capit.7. de sacr. pœnit.* destruit autem Religionem, qui sine ratione iubet. Tum quia quod ratione caret exterminandum est, *capit. Chorepiscopi, dist.68.* Tum quia in decreto Clementis VIII. dicitur, quòd reseruent sibi omnes, vel aliquot ex designatis casibus, *prout subditorum vtilitati expedire prudenter in Domino iudicauerint.* Quæ clausula ibi ponitur pro forma; vnde id, quòd, illa non seruata, fit, inualidum est, *capit. Cum dilecta, de rescript.* Atque ita Finell. *de cas. resol. capite 4. numero 4.* Henriquez *libro 6. capit. 14. numero 3.* vbi *in com. lit. P*, multos citat. Ang. *verb. Casus, ad finem.* In dub. autem, an Superior casus prudenter reseruauerit, nec ne, prudenter, & validè reseruasse credendum est; nam in dubiis semper parendum, & parti Superioris standum, iuxta *dicta tom. 1. huius op. quæstion.1. cap.7. concl.4.* & dicunt Vasquez *tom.4 in 3. part. quæst. 91. art. 3. dubit.4 num.4.* Sanchez *2. in decis. cap.8. num.4.* Molf. *1. part. summ. tract.7. cap.17. num.28.* Cum autem constabit euidenter, aliquem casum sibi Superiorem reseruasse absque iusta, & legitima causa, tunc puto, quòd omnes sacerdotes approbati etiam ab eo ad confessiones audiendas, poterunt ab eo absoluere. Est enim casuum reseruatio onerosa non solùm confessariis, sed etiam pœnitentibus, vt declarauit sacra Congregat. *anno 1601. die 9. Ianuar.* vt refert Quat. *in summ. bull. verb. Casus reseru. pag. mihi 200.* vbi dicunt. *Ne locorum Ordinarij, quibus hoc ius reseruandorum casuum competit, plurium, quàm opus sit, reseruatione, subditis, aut confessariis in animarum salute procuranda cooperatoribus sint onerosi, monentur,* &c. Vnde dato, quòd respectu confessariorum, à reseruante indiscretè approbatorum, talis reseruatio valeret (quod nego, eo quia semel datam iurisdictionem absoluendi non potest pro libito Prælatus reuocare, est enim regimen Regularium maximè politicum, & rationabile, non despoticum, vt docet Gyp. *de cas. reseru cap.1. n.32.*) non valet tamen respectu pœnitentium, per dicta. Maximè autem à dicto casu absoluere poterunt illi, qui habent iurisdictionem ordinariam, vt Prouinciales, & Correctores respectiuè, cum enim hi habeant iurisdictionem independenter à Superiore, ea coarctari non potest absque legitima causa, & in hoc puncto speciali de habente iurisdictionem ordinariam, consentit Vasquez *loco citato*, Sot. *in 4. dist. 18. quæstione 2. artic. 5. circa 2. argument. vers. Quòd si obiter inquiras*, Ang. & Henriquez *loco citato*, Reginald. *in prax. libro 1. numero 127.* Probabilem putant Florenus *de cas. reseru. part. 1. capit. 1. §. 2. numero 1.* Graffius *part. 1. decis. libro 1. cap. 13. numero 77.* Mirand *tomo 2. man. quæstione 34. articulo 2. conclus.* Gypi. *loco citato*, Neque hic dictis obstat, quòd Papa determinauerit, posse Prælatos regulares sibi nunc dictos casus reseruare, vnde eis licitum erit absque alia causa eos omnes sibi reseruare. Nam Papa non decreuit, vt dicti Prælati tenerentur hos casus sibi reseruare, sed solum proposuit materiam reseruationis capacem, vltra quam noluit Prælatos habere potestatem reseruandi. Atque ita ex his, quæ debent communiter considerari in casuum reseruatione, nimirùm grauitas peccati, frequentia illius; probabilis timor ne succedat, & in primis vt casuum reseruatio in ædificationem cedat. Papa vnum solum determinauit, nimirum grauitatem materiæ, reliqua reliquit prudenti dispositioni Superiorum. Si ergo in aliqua prouincia nunquam auditum sit, v. g. aliquem furtum commisisse, neque vllus sit probabilis timor, quòd committatur in posterum, si Prælatus illius prouinciæ sibi furtum reseruet, clarum est, quòd sine causa reseruat, & quòd talis reseruatio non ædificat, sed destruit; licèt enim ex tali reseruatione concludere, Ergo ad retinendum fures talis reseruatio facta est, quòd cum sit falsum, bona fama illius prouinciæ destrueretur, & pusilli scandalizabuntur. Quare intrepidè dico, illam reseruationem nihil valere, & peccare grauiter Prælatum illam facientem. Pro hac sententia adduco Suarez *tom.4. de relig. tract.3. lib.10. c.11. n.5.* Quòd autem valeat reseruatio etiam sine causa facta, docent Syluest. *verb. Confessor 1. quæstion. 3.* Filiuc.

tomo 1. tractat. 7. capit. 10. num 180. Suarez tom. 4. in 3. part disput. 29. sect. 4. num. 8. Floron. loco citato, vers. Sed hoc, Fagund. in 2. precept. Eccles. libro 8. cap. 1. num. 25. Coninck disp. 8. de sacr. pœnit. dub. 11. num. 78.

8. Noto 5. quòd peccata, de quibus dubitatur, an sint mortalia, vel venialia, reseruari non possunt; nam nimis onerosum esset confessiones audire. Ita Comit. in resp. mor. libro 1. quæstione 34. numero 5. Si autem confessarius dubitat, an casus sit reseruatus, non debet absoluere, quin priùs dubietatem deponat, alias peccat, exponens se periculo absoluendi illum, quem absoluere non potest. Ita Long. de cas. reseru. part. 1. sect. 1. art. 5. vers. Verum est. Molf. 1. part. summ. tractat. 7. capit. 20. numero 22. Graffius de cas. reseru. libro 1. capit. 4. numero 62. Quòd si nihilominùs in dicta dubietate absoluat, & deinde reperiat casum esse reseruatum, incidet in pœnas taxatas contra absoluentes absque facultate. Si verò non reperiat casum esse reseruatum, non incidet. Incidet autem in dictas pœnas, quando absoluit in dicta dubietate à casibus bullæ cœnæ, siue deinde reperiat casum esse reseruatum, siue non; quia ita declaratur in dicto decreto Congregat. Ita Vgolin. de pot. Ep. capit. 37. §. 2. numero 3. vers. At qui. Videatur Floron. de cas. reseru. part. 1. capit. 5. §. 3. Quando autem facta debita diligentia adhuc remanet dubium; an casus sit reseruatus, quia nimirum dubitatur, an peccatum sit mortale, vel veniale, tunc non esse reseruatum censendum est. Ita Sà verb. Casus reseru. num. 5. Long. loco citato, vers. Secundò. Portellus in dubit. regul. verb. Casus resern. num. 7. Molf. loco citato, num. 21. Contrarium sentit Graff. loco citato, num. 20. Notent etiam confessores, quòd in hac materia, quæ est odiosa, non fit extensio de casu ad casum, sed solum intelliguntur illi casus esse reseruati, qui sub litera secundùm communem sensum intellecta comprehenduntur, vt aduertunt omnes, in specie, Long. citat. num. 4. Graffius citat. num. 24. & 34. Molf. loco citato, numero 21. Licèt autem non fiat extensio, quando tamen alius casus necessariò includitur in expresso, tunc casus inclusus censetur etiam reseruatus, vt in furto, v. g. includitur rapina. Ita Graffius loco citato, numero 34. Molf. num. 23.

9. Noto 6. quòd peccata intelliguntur reseruata, quando completa, & consummata sunt, non autem quando solùm sunt attentata, nisi id in reseruatione expressè dicatur. Tum quia ita statuitur in cap. Hæc autem, de pœnit. dist. 1. Tum quia vbi imponitur à iure pœna pro aliquo delicto, nunquam est locus illi pœnæ, nisi delictum sit consummatum, quantumcumque fuerit attentatum, & inchoatum. Ita Abb. in cap. Cum in cunctis, §. Clerici, num. 2. vbi eius Addit. pluta congerit. Et ratio est, quia pœnæ molliendæ sunt potiùs, quam exasperandæ, cap. Pœna, de pœnit. dist. 1. Atque ita in casu nostro docent. Graff. 1. part. decis. lib 1. cap. 13. num. 71. vers. Rursum. Finel. de cas. reser. cap. 5. num. 4. Floron. eod. tit. part. 1. c. 1. à n. 28. Long. eod. tit. part 1. sect. 1. art. 4. n. 7.

10. Hinc collige, quòd vbi adest statutum obligans ad mortale reseruatum, ne quis ad moniales scribat, si quis scribat, & literæ non perueniant, licèt peccet mortaliter, casus tamen non est reseruatus. Item vbi adest idem statutum de non procurandis literis fauorabilibus pro assequendis dignitatibus, si literæ procurentur, & mittantur, sed non perueniant, vel habitæ non præsententur, licet mortaliter peccetur, casus tamen non est reseruatus, & dixi tom. 1. huius op. quæst. 2. cap. 2. §. 10. conclus. 3. Censent etiam Finellus. loco citato, & Floron. numero 34. qui addunt præterea, incestum puerorum non esse reseruatum, neque etiam esse reseruatum incestum eorum, qui extra vas emiserunt semen, quia neutro casu incestus est consummatus, neque contrahitur affinitas sed requiritur quòd intra vas naturale fœminæ emittatur semen. Idem dic de peccato nefando, & bestialitate, non enim censetur casus reseruatus, nisi fuerit completus per effusionem seminis intra vas; licèt in hoc aliqui contradicant, vt Graffius de cas. reser. libro 3. capit. 8. numero 37. Molf. 1. part. summ. tractat. 7. capit. 20. num. 108. Long. de cas. reseru. part. 2. cas. 9. numero 19. ita tamen sentit expressè Nauarrus in man. capite 27. numero 249. vers. Quintò dico, & probat ex cap. Extraordinaria, 35. quæstion. 2. & 3.

11. Noto 7. quòd Prælati, qui sibi possunt casus reseruare, sunt absque dubio Generales, & Prouinciales. An autem Correctores, & Superiores immediati hac facultate potiantur, est valde dubium, De iure communi non posse videntur, quia nec possunt Parochi, quibus comparantur, vt probat Fagund. in in 2. precept. Eccles. lib. 8. cap. 1. num. 9. Suarez tomo 4. in 3. part. disputat. 29. sect. 1. num. 7. & expressè tomo 4. de relig. tract. 1. lib. 2. capit. 18. num. 14. licèt per consuetudinem legitimè præscriptam possint reseruare, aliquos, in quibus ab ipsa consuetudine facultatem obtinuere, & non alios. Per priuilegium tamen Alex. VI. de quo supr. num 2. possunt dicti Superiores sibi casus reseruare. Possunt etiam reseruare virtute suarum constitutionum; vt de Dominicanis dicit Fest. in const. sui Ord. part. 2. cap. 67. Poterant etiam Guardiani Minorum, sed illa facultas fuit eis ablata per capitula generalia, vt dicit Cord. in cap. 7. Reg. min. quæst. 2. part. 1. & Rodriguez tom 1. quæst. regul. quæst. 21. artic 2. vers. Aduertendum. In Ordine nostro nunquam fuit in vsu, vt Correctores sibi casus reseruarent; nisi obedientiam, v. g. mandare consueuerunt aliquid secundùm Regulam sub merito sanctæ obedientiæ, & absolutionem sibi reseruare, prout per Correct. numero 87. illis concessum est. Sed cum obedientia non sit amplius reseruata, nisi in specie reseruent, vt dicam infra num. 34. non videntur modò habere ampliùs hanc auctoritatem.

12. Noto 8. quòd quando concedit Prælatus in gratiam suorum subditorum confessariis designatis facultatem absoluendi ab omnibus casibus, & censuris sibi reseruatis, vt soleo facere in diebus reconciliationum, licèt subditus ex obliuione inculpabili aliquod peccatum reseruatum habens, cui non sit annexa excommunicatio, eo die non confiteatur, potest tamen, quando in mentem venerit, à confessario, etiam non habente facultatem absoluendi à reseruatis, absolui, quia iam ab illo peccato ablata est per Superiorem reseruatio. Atque ita Couarr. in cap. Alma mater, de sentent. excommun. part. 1. §. 11. numero 12. Ang. verb. Confessio 1. §. 12. Rosell. verb. Confessio 2. numero 9. Syluest. verb. Confessio 1. quæstione 4. numero 7. Nauarrus in man. capit. 26. numero 13 Passatell. in schol. ex Gen. numero 18. Vasquez tom. 4. in 3. part. quæst. 91. artic. 3. dubit. 5. numero 39. Fagund. in 2. prec. Eccl. lib. 8. cap. 3. num. 12. Suarez tom. 4. in 3. part. disp. 31. sect. 4. n. 12. Coninck. de sacr. pœnit. disp 8. dubit. 12 à num. 91. Graff. in append. ad lib. 1. decis cap. 7. num 49. Long. de cas res. part. 1. sect. 1. art. 11. num. 4. Ybar. in 4. d. 18. q. vn. disp. 16. sect. 5. concl. 5. & 6. Molf. tom. 1. sum. tract. 7. c. 21. à num. 26. in hac autem auctoritate concedenda, quia Passat. scrupulizat cum Soto, quem citat, in forma verborum, quam patul facio, cum de mente mihi constat, ego his verbis vtor.

Concedo omnibus sacerdotibus deputatis ad confessiones audiendas, vt possim absoluere pro vna vice ab omnibus peccatis, & censuris, ac dispensare super omnibus irregularitatibus, à quibus absoluere, & dispensare egomet possum.

13. Noto 9. quòd in articulo mortis cessat omnis reseruatio, & omnis simplex sacerdos, etiam non approbatus ad confessiones audiendas, potest absoluere quoslibet pœnitentes à quibusuis peccatis, & censuris. Ita iisdem verbis Trident *sess. 14 cap. 7. de sacr. pœn. in fin.* Articulum autem mortis dicat non solùm quando quis est morti proximus, vt existimat Sot. *in 4. dist. 18. quæst. 4. artic. 4. vers. Quæris autem.* Sed etiam quando quis exponitur mortis siue violentæ, siue naturalis probabili periculo, seu ex quo mortem imminere admodùm verisimilis est conjectura prudentis arbitrio; vt in imminenti naufragio, in bello, quo tempore cum hoste confligendum est, in graui, & acuta febri, &c. Ita Sylu. *verb. Absolutio* 1. *num.* 10. Nauarrus *in man. cap. 27. num. 272. fine,* Conart. *in cap. Alma mater, part. 1. §. 11. num. 8. vers. Ego verò;* Long. *de cas. reser. part 1. sect. 2. art. 16. num. 2.* Floron. *eod. tit. part. 1. cap. 4. §. 20. num. 3. vers. Quid igitur:* Finel. *cod. tit. cap. 8. num.* 8. Benzon. *in spec. Ep. lib. 1. disp. 1. quæst. 6.* Reginal. *in praxi, lib 1. num. 59.* Suarez *tom 4. in 3. part disp. 26. sect. 4. n. 3.* Vasquez *loco citato quæst. 93. art. 1. dub. 5. num. 2.* Et constat *ex cap. Si quis suadente 17. quæst. 4. cap. Non dubium, de sent. excomm. cap. Eos, qui, eod. tit. in 6.* in quibus locis pro eodem sumitur periculum, & articulus mortis. Quando autem dico, quòd omnis simplex sacerdos potest in articulo mortis absoluere, intelligunt aliqui, Modò non sit præsens proprius sacerdos, vel alius habens auctoritatem absoluendi à reseruatis, vel approbatus simpliciter ad confessiones audiendas, vt Vasquez *loco citato, dub 4. num. 18.* Coninck. *disp. 8. de sacr. pœn. dub. 12. n. 90. concl.* 1. Quia, inquiunt, si isti adsint, non est verè articulus necessitatis. Sed tu dic, quòd cum Concilium concedat absolutè, vt in articulo mortis omnia cesset reseruatio, & hoc in fauorem sit pœnitentis, non est cur per articulum mortis articulum necessitatis sacerdotis intelligamus, & vniuersalem Concilij propositionem sine vrgenti ratione limitemus. Vbi enim lex absolutè loquitur, absolutè intelligenda est, & quod non dicit, nec nos dicere, & vbi non distinguit, nec nos distinguere debemus. *leg. De pretio, ff. de pub. in rem act.* præsertim cum agitur de fauore animarum. Quare censeo, quòd etiamsi adsit proprius sacerdos, vel habens auctoritatem absoluendi, possit pœnitens suo iure vtens quemlibet etiam simplicem sacerdotem nulla censura irretitum rogare, vt eius confessionem audiat. Atque ita Finel. *loco citato, cap. 8. num. 3.* Sà *verb. Absolutio, num. 3.* Vgol. *de pot. Ep. cap. 36. §. 8. num. 5.* Barbosa *in addit. ad alleg. 25. propè finem, part. 2. de pot. Episcop.* Nauarr. *libro 5. consil. de pœnitent. &c. consil. 23. numero 2.* Reginald. *in praxi, libro 1. numero 6 vers. Quinimmò.* Long. *loco citato, numero 6. vers. Nihilominus.* Plures Doctores pro hac opinione videbis apud Floron. licèt ipse contrarium sequatur. *de cas. resern. part. 1. capit. 4. §. 19. numero 3. pag.* 260. & in Ordine nostro hoc non habet difficultatem, per Correct. *numero* 85. ibi, *Huius Ordinis sacerdotibus.* Dixi, Nulla censura irretitum; quia licèt credam, quòd sacerdos excommunicatus, hæreticus, schismaticus, modò rectam habeat intentionem, potest eo tempore sacramentum pœnitentiæ ministrare, vt probat Vasquez *loco citato, à numero* 8. & Finel. *numero* 4. Gyp. *de cas. reseru. capit. 1. numero* 57. non puto tamen, quòd si alius sacerdos adsit, qui talibus careat impedimentis, liceat, in eo articulo constituto, eo relicto, confiteri excommunicato, &c. Quia conuinceretur taliter constitutus contritione carere, cum absque causa induceret sacerdotem excommunicatum ad peccandum mortaliter.

14. An autem in tali articulo, vel periculo absolutus, si illæsus euadat, teneatur iterum habenti auctoritatem confiteri? Dic, quòd non etiamsi fuisset excommunicatus, non tamen nominatim, & ad instantiam partis; nam tunc teneretur, & parti satisfacere, & coram Superiore se præsentare, sub pœna in eandem excommunicationem incidendi, iuxta *capit. Eos, qui, de sentent. excommun. in 6.* Ita Syluest. *verb. Confessio 1. quæstione 19. numero* 21. Barbosa *loco citato,* Nauarrus *in man. capit. 26. numero 26. vers. An autem.* Passatell. *in schol. ex Gen. numero 18. vers. Dicit autem.* Antonin. *3. part. titulo 14. capit. 18. §. 17.* Sot. *in 4. dist. 18. quæstion. 4. articul. 4. colon. vltim. vers. Addit autem,* Reginald. *loco citato, num.* 62. Llam. *1. part. met capit. 7. §. 12. fine.* Finell. *loco citato, numero* 11. Graffius *in append. ad librum 1. decision. capit. 7. numero* 52. Portellus *in dubitat. regul. verb. Casus resern. numer.* 18. Venet. *libro 1. examin. capit. 8. numero* 9. Long. *de cas. reseru. part. 1. sect. 2. articulo 16. numero* 1. Et ratio est, quia tunc sacerdos habet liberam auctoritatem siue iure diuino, siue humano (de qua Finell. *loco citato, numero* 5.) absoluendi. Vnde, si absoluat, non est cur ea iterum absoluenda proponantur. Circa excommunicationem aduerte, quòd est etiam verè absolutus, sed si contemnit obedire Papæ, mandanti vt parti satisfaciat, vel Superiori, qui eum excommunicauit, se præsentet, incurrit de nouo eandem excommunicationem. Si autem bona fide, vel ignorantia probabili putet se non teneri ampliùs comparere coram Superiore non incurrit. Nam Papa *in dicto capit. Eos, qui,* solùm declarat incurrere de nouo dictam excommunicationem eos, qui contempserint se præsentare, iuxta doctrinam Cajet. *in summ. verb. Excommunicatio, capit. 46.* Nauarr. *in man. capit. 27. num.* 73. Graffij 1. *part. decis. libro 1. cap. 13. num.* 94. Sayr. *de cens. lib. 3. cap. 15. num.* 8.

15. Noto 10. quòd quando aliquis habet aliquem casum reseruatum, potest adire Superiorem, & illi confiteri tam reseruata, quam non reseruata, ab eoque omnium absolutionem impetrare. Quòd si Superior impeditus noluerit non reseruatorum confessionem audire, poterit, auditis, & absolutis reseruatis, pœnitentem remittere ad inferiorem confessarium, qui, audita omnium, tum reseruatorum, tum non reseruatorum confessione, eum absoluet. Vel, si Superior noluerit in confessione audire habentem reseruata, poterit illi concedere facultatem, vt ab illis absolui possit ab inferiore confessario. Quo casu tenebitur Superior ad sigillum. Nam ad obligationem sigilli sufficit, quòd dicantur peccata in ordine ad inchoandam, vel consummandam confessionem alicui potenti eum absoluere, vt Graffius *loco citato, num. 73. fine.* Si autem pœnitens noluerit adire Superiorem pro reseruatis, poterit illum adire confessarius, petendo ab eo facultatem absoluendi quempiam à casibus reseruatis; quàm facultatem Prælati regulares dare tenentur, alioquin poterunt nihilominus dicti confessarij pro illa vice absoluere, vt constat *ex constit. 10. Vrb. VIII §. 76. tom. 2. nostr. priu.* licèt hoc antea esset valdè dubium, vt videri potest apud Long. *part. 1. sect. 1. artic. 17.* Molf. *tom. 1. tract. 7. capit. 15. à numero* 96. An autem dictam facultatem dare teneantur Prælati pœnitentibus ipsis, supposito quòd confessarij nolint Superiorem adire, videtur, quòd sic, per idem decretum, quòd factum est à Pontifice in fauorem pœnitentium,

nitentium, ergo licèt solùm loquatur de confessariis, cum sit fauorabile, extendi potest etiam ad pœnitentes, iuxta *regul.* 15. *Odia, de regul. iur. in 6.* Atque ita videtur tenere Long. *loco citat. à num.* 5. Non tenetur tamen Superior dare auctoritatem confessario designato à pœnitente, immò nec absolutè concedere vt confiteatur cui voluerit, quia grauiora crimina grauiori iudicio subdi debent. Ita Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. disputat.* 30. *sect.* 4. *numero* 11. Long. *loco citat. numero* 10. Quod si confessarius noluerit Superiorem adire, poterit, audiis tam reseruatis, quam non reseruatis, pœnitentéque à non reseruatis absoluto, pro reseruatis, aliqua præsertim causa suadente, remittere illum ad Superiorem, qui à solis reseruatis eum absoluet; nec in hoc dimidiatur confessio. Colliguntur hæc omnia ex Fagund. *in* 2. *prec. Eccles. libro* 8. *capite* 3. *præsertim numero* 2. 8. & 13. Vasquez *tomo* 4. *in* 3. *part. quæstion.* 91. *articul.* 3. *dubitat.* 9. & 10. Suarez *loco citato, disputat.* 31. *sect.* 1. 2. & 3. Chapeauil. *de cas. reseru. part.* 1. *capite* 9. Sà *in aphor. verb. Absolutio, numero* 24. Graffius *in append. ad* 1. *part. decision. libro* 1. §. 4. *à numero* 17. Finel. *de cas. reser. capite* 10. Reginald. *in capite* 7. *praxis, lib.* 8. *à numero* 75. Henriquez *libro* 6. *capite* 15. *à* §. 4. Llam. 1. *part. met. capite* 7. §. 11. Filiucius *tomo* 1. *tractat.* 7. *capite* 10. *à numero* 299. Long. *loco citato, part* 1. *lect.* 1. *articul.* 8. Polit. *in capite* 7. *regul. Min. à num.* 14. Yribarn. *in* 4. *d.* 18. *quæst. vn. disp.* 16. *sect.* 5. Floron *part.* 1. *c* 6. Mirand. *tom.* 1. *man. quæst.* 34. *art.* 12. & 13.

16. Sed quid? si habeat casum reseruatum, celebrare debeat, vel communicare, quia alij communicant, nec valet se excusare, & ex non celebratione, vel non communicatione oriturum sit scandalum, vel infamia in communitate, nec adsit autem Prælatus, vel alius habens potestatem à dicto reseruato absoluendi? Dic, quòd poterit absolui à non reseruatis, animo consequendi postea absolutionem, data commoditate, à reseruatis, & interim communicare, modò tamen integram confessionem de omnibus tam reseruatis, quam non reseruatis facit. Nam necessitas facit licitum, quòd alias illicitum est; *capite* 4. *de regul. iur.* & lex de vitando scandalo, & seruanda fama, præponderat legi de non communicando, absque absolutione à reseruatis; hæc enim est de iure diuino positiuo, illa de iure diuino naturali. Ita Chapeauilla *loco citato, vers. Hic modus.* Reginald. *in praxi, libro* 8. *numero* 85. Sot. *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 2. *art.* 5. *col.* 10. *vers. Hoc autem dubium.* Sylu. *verb. Eucharistia* 2. *quæstion.* 7. *numero* 9. *vers. Si verò quis.* Henriquez *libro* 6. *capite* 12. §. 5. & *capite* 15. §. 1. Finel. *loco citato, num.* 13. Floron. *part.* 1. *capite* 6. §. 4. *numero* 3. *vers. Quid igitur.* Coninck *tomo* 1. *quæst.* 80. *articulo* 4. *dubitat.* 2. *numero* 21. Fagund. *in* 3. *prac. Eccl. libro* 3. *capite* 9. *num.* 17. & habetur in Trident. sess. 13. capit. 7. de sac. Euch. *Quòd si, necessitate vrgente, sacerdos absque prauia confessione celebrauerit, quàm primùm confiteatur.* Idem dicendum est in eo casu, quo pœnitens habet quidem sacerdotem præsentem habentem auctoritatem, sed timet reuelationem confessionis, vel aliud graue damnum. Fagund. *loco citato, à numero* 20. Mirand. *tomo* 2. *man. quæstion.* 34. *art.* 11. Molf. *tom.* 1. *summ. tract.* 7. *cap.* 21. *num.* 47.

17. An autem idem dicendum sit quando peccatum reseruatum habet annexam excommunicationem etiam Papalem. Nam aliqui ex citatis DD. vt Henriques Finel. Sot. putant, quòd nullo casu liceat excommunicatis communicare, nec excommunicatos absoluere à peccatis, quin priùs ab excommunicatione absoluantur. Puto tamen, quòd liceat confessario à peccatis pœnitentem, habentem animum quàm poterit, absolutionem ab excommunicatione impetrandi, absoluere, præsertim si fecit quantum potuit, vt eam obtineret; quia, vt dixi, lex de vitando scandalo, & seruanda fama cuicumque legi positiuæ à qua censuræ profluunt, præponderat; nec pia mater Ecclesia tanta seueritate in excommunicando vtitur, vt velit facientibus, quòd in se est, denegare quod eis ad salutem est necessarium; & excommunicationis mucro est ad reducendos rebelles, & contumaces ad obedientiam. Cum hic igitur reductus iam sit in promptitudine animi, non debet repelli cum tanto damno à sacramentis. Item non est excommunicatio tam malignantis naturæ, vt reddat hominem omninò incapacem absolutionis à peccatis, ita vt eam reddat nullam. Nec est intrinsecè malum excommunicato absolutionem à peccatis impendere, vt Nauarrus *in man. cap.* 9. *num.* 4. Sà *verb. Absolutio, num.* 16. Reginald. *loco citato, num.* 87. Atque ita hanc sententiam docet, & defendit Ang. *verb. Confessio* 5. *num.* 10. Chapeauil. *de cas. res. part.* 1. *cap.* 9. *quæst. vnic. diff.* 9 Nauar. *loco citato, cap.* 27. *n.* 239. *vers. De dispens.* Reginald. *loco citato* Graffius *in append. ad lib.* 1. *decis. cap.* 7. §. 4. *num.* 19. Floron. *de cas. reseru. part.* 1. *cap.* 6 §. 4. *num.* 3. *vers. Quid igitur,* Llam. 1. *part. met. cap.* 7. §. 12. Filiuc. *tomo* 1. *tract.* 7. *cap.* 10. *num.* 304. Long. *part.* 1. *lect.* 2. *artic.* 17. *num.* 4. Portell. *in dubit rer verb. Cas. reseru. num.* 22. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. disput.* 31. *sect.* 3. *num.* 5 & 6.

18. Noto 1. quòd absoluens à casibus reseruatis non habens auctoritatem, mortaliter peccat, & absolutio est nulla. Ita in Tridentin. *sess.* 14. *capite* 7. & habetur *capit. Omnis, de pœnitent.* docet Din. Thom. *in* 4. *dist.* 2. *quæstion.* 1. *artic.* 3. *quæstiuncula* 3. *ad* 1. & *dist.* 22. *quæst.* 3 *art.* 2. *quæstiuncula* 3. *ad* 1. Et est ratio, quia cum hoc sacramentum ad modum iudicij exerceatur, sententia à iudice non suo lata nulla est, & si absoluat à casibus bullæ cœnæ, vel violationis immunitatis Ecclesiasticæ, vel violationis clausuræ monialium ad malum finem, vel prouocantium, aut pugnantium in duello, vel inijcientium manus violentas in clericos iuxta *cap. Si quis suadente,* vel simoniæ realis, & confidentiæ beneficialis, aut etiam à casibus Ordinariis locorum reseruatis, incurrit ipso facto in pœnam excommunicationis, & priuationis officiorum, & dignitatum, & inhabilitatis audiendi confessiones, & ad quæcumque officia, & Prælaturas in posterum obtinendas, quarum pœnarum absolutio, & relaxatio est Papæ reseruata. Ita statuit sacr. Congreg. de mandato Clem. VIII. *anno* 1601. *die* 9. *Ianuar.* vt refert Quar. *in summ. bul. verb. Cas. reseru. pag. mihi* 199. & Finel. *de cas. reseruat. cap.* 6. *num.* 6 Floron. *eodem tit. part.* 1. *cap.* 5. §. 2. Item absoluentes absque facultate excommunicatos ab aliquo canone, incurrunt excommunicationem ipso facto Papæ reseruatam, per *clem.* 1. *de priu.* §. 1. Pro his pœnis vide Fagun. *in prac. Eccl. lib.* 8. *cap.* 1. *n.* 29. Finel. *loc. cit.* Chapeauil. *par.* 1. *cap.* 10. *quæst* 8. Conrad. 1. *part. de cas. consc. quæst.* 18 *in addit.* Vgol. *de pot. Ep. cap. cap.* 37. §. 1. Vener. *in exam. lib.* 1 *cap.* 8. *num.* 20.

19. Aduerte 1. quòd ad incurrendas dictas pœnas requiritur præsumptio in absoluente, vt constat ex tenore dicti decreti. Quare si quis absoluat à reseruatis obliuione, inconsideratione, aut ignorantia probabili, non crassa, dictas pœnas non incurret; nam vbi lex punit præsumentem aliquid facere, non includit facientem illud simplici animo, & bona fide, absque dolo, & sæpiùs notaui, & dicam præterea Chapeauill. *loco citato, verb. Hic tria.* Vener. *loc. cit. num.* 21. Finel. *loco citato, num.* 8. qui subiungit, idem esse, si absoluat probabili credulitate, quia legit apud

apud doctorem approbatum, aut audiuit à viro docto, aut Religioso fide digno licere absoluere in eo casu; quia eiusmodi non præsumpsit; absolutio tamen est semper nulla defectu potestatis. Non esset autem nulla, nec incurreret pœnas, si absolueret sub spe ratihabitionis de præsenti, per dicta *tomo 1. huius opinion. quæstione prima, capite vigesimo primo, conclusione octaua*, & dicunt Grassius *in append. ad decision. lib. primum, capite septimo, numero 53. vers. Quintus sub spe.* Vgolin. *loco citato, numero 1. vers. Secundò.* Long. *de cas. reseru. part. 1. sect. 2. articulo 10. numero secundo*, Confessori autem asserenti se ignorantia probabili, aut inaduertentia absoluisse, in foro pœnitentiæ credendum, vt Finel. *loco citato, numero 9.*

20. Aduerte 1. quòd licèt Regulares absoluentes à reseruatis alios suos confratres regulares mortaliter peccent, & absolutiones sint nullæ, cum tamen simus in pœnalibus, & odiosis, quæ restringenda sunt, non puto dictas pœnas ad ipsos extendi; nihil enim inuenio de his in dictis statutis, aut canonibus, neque etiam in extrau. *Et si dominici, de pœn.* determinatum. Solum taliter absoluens esset puniendus tanquam de crimine graui iuxta statuta sui Ordinis. Ita Floron. *part. 1. capite 5. §. 1. numero 1. argument. clement. 1. §. Quibus etiam, de priuileg.* Quare minùs bene sentiunt Rodriguez *tomo 1. quæstion. regul. quæstione 21. articulo 3.* Cruz *de stat. relig. libro 1. capite 6. dubit. 9.* cum dicunt, quòd Religiosi absoluentes à casibus, quos sibi reseruarunt sui Prælati incurrunt excommunicationem latam *in clement. Religiosi, de priuileg.* nam dicta excommunicatio non afficit absoluentes à casibus reseruatis, sed solùm absoluentes excommunicatos ab aliquo canone. Et constat, quia in eadem clement. aliis pœnis afficiuntur, qui à casibus reseruatis, & Papæ, & Episcopis absoluere præsumunt.

21. Sed quid faciet pœnitens, qui nouit se absolutum à non habente auctoritatem? Dic, quòd vel sacerdos nullam habebat auctoritatem absoluendi à peccatis, & est iteranda tota confessio: vel solùm carebat auctoritate absoluendi à reseruatis, & sufficit, quòd reseruata confiteatur habenti auctoritatem. Ita Syluest. *verb. Confessio 1. quæstione 3. numero 6. vers. Quartò.* Nauarrus *in man. capite 9. numero 7.* Floron. *de cas. reseru. part. 1. capite 5. §. 1. numero 1.* Portellus *in dubitat. regul. verb. Casus reseruati, numero 20.* Quòd si non nouit, confessorem non potuisse absoluere, non desperet, nam si habuit contritionem, est coram Deo absolutus, vt dicunt iidem Doctores cum Antonin. *3. part. titulo 17. capite 12. versic. Ille tamen.* Quod si dubitet, an contritionem habuerit, petat eam à Domino, & faciat quantum in se est, vt habeat, & in diuina misericordia confidat.

22. Sed quid faciet confessor, qui scit, se malè absoluisse? Multa dicunt Doctores citandi. Conueniunt omnes, quòd si malè absoluit à censuris, potest, obtenta facultate Superioris dictum malè absolutum etiam absentem absoluere, quia ista absolutio, cum non sit sacramentalis, in absentem, & ignorantem ferri potest. Si autem absoluit à peccatis, aut potest sine scandalo, & præiudicio sui honoris, & famæ admonere pœnitentem de errore (quod remedium est facile in Religionibus, vbi omnes sumus fratres) & tenetur; si non potest sine scandalo, roget Deum pro eo, vt si non habuit contritionem, eam illi tribuat. Si nescit, quid possit euenire, cum tunc non sit tutum exponere se periculo scandali, tenetur pœnitentem Deo commendare. Ita Suarez *tomo 4. in 3. part. disputat. 32. sect. 6. numero sexto, & septimo,* Chapeauil. *parte 1. capito 10. quæstione 8. diff. vn.* Floron. *loco citato, vers. Quid igitur concludendum.* Videatur Finel. *capite 6. a numero 4.* Conrad. *part. 1. de cas. consil. quæst. 18.* Long. *part. 1. sect. 2. artic. 19. num. 4.*

23. Sed quid, si pœnitens erat obligatus ad restituendum damnum tertio, ipse autem non obligauit, tenetur ne de damno? Hic variant Doctores vt videri potest apud Floron. *loco citato, vers. Si vero damnum tertij.* Suarez *loco citato, num. 8.* Alij cum absolutè obligant ad restituendum, quando interuenit culpa lata; excusant, quando hæc non interuenit, sed solum negligentia, vel oscitantia. Nauarrus *in man. capite 17. numero 22.* Ang. *verb. Restitutio vltim. §. 5.* Rosellus *Restitutio 2. §. 5.* Alij non obligant, etiam lata culpa interueniente, quia, inquiunt, nullam obligationem iustitiæ, aut officium habet confessarius in ordine ad creditorem, cum non sit eius procurator, nec teneatur ex officio temporalibus bonis creditoris prospicere. Ita Rebell. *de obl. iust. libro 17. de offic. conf. numero 12.* Valer. *tomo 3. disputat. 5 quæstion 6. part. 3. col. 7. vers. Iy autem.* Azor. *tomo 3. libro 4. capite 16. quæstione 7. vers. Aliorum est.* Probabilem putat Floron. *loco citato, vers. Quid igitur.* Quorum opinioni subscribo, nisi confessarius pœnitenti interroganti an esset obligatus ad restituendum ex malitia, vel vt illi morem gereret, vel etiam, vt ex hac indulgentia ab eo aliquid emungeret, respondisset non esse obligatum, & sic ad non restituendum induxisset, quia tunc ratione damni dati tenetur ex iustitia damnificatum compensare. Quam limitationem admittit Azor. citat. Suarez *citat. numero 9.* & Long. *part. 1. section. 2. artic. 19. num. 6.*

24. Quid etiam, si Religiosus occasione alicuius negotij pergat cum licentia sui Superioris in alienam prouinciam, poterit ne ibi absolui à confessariis ordinariis à casu ibi non reseruato, qui tamen reseruatus erat in sua prouincia, in quantum commisit? Dic, quòd sic; eo enim ipso, quòd est ibi tanquam hospes, potest confiteri, approbante Christiana consuetudine, potest etiam absolui ab omnibus, à quibus possunt absolui incolæ illius prouinciæ. Ita Suarez *loco citato, disput. 30. sect. 1. num. 4.* Antonin. *3. part. titulo 17. capite 4.* Filiucius *tomo 1. tractat. 7. cap. 10. numero 283.* Caietan. *in summ. verb. Absolutio.* Sa *in aphor. verb. Absolutio, numero 21.* Portellus *in dubitat. reg. verb. Cas. reseru. numero 16.* Et hoc præsertim in Ordine nostro, in quo hospites per nostras constitutiones sunt subditi in illo conuentu, in quo degunt. Vide D'Aluin. *de pot. Episc. capite 22. numero 7.* Grassius *1. part. decision. libro 1. capite 13. à numero 46.* contrarium sentientes, licet Grassius de Religiosis loquendo, nobiscum sentiat, *tomo 2. consil. lib. 5. de pœnitent. & remiss. conf. 2. diff. 3. numero 8.* & id concessisse Clemens IV. & Greg. XI. dicit Cruz *libro 1. de stat. religion. capite 6. dubit. 11. conclus. 3.*

25. Sed quid, si illud iter malitiosè arripiat, vt à dicto casu reseruato absoluatur? Suarez loquendo de sæcularibus apud Filiucium *loco citato, capit. 7. numero 195.* putat, confessionem esse inualidam, quia non est iuxta consuetudinem, nec iuxta intentionem Pastorum. Melius Filiucius *ibidem*, ait, confessionem esse validam, consuetudine etiam in hoc casu approbante, si confessio fiat Religiosis Mendicantibus, qui sunt delegati Papæ, & habent priuilegium audiendi confessiones quorumcunque ad se venientium; quod etiam confirmat idem Filiucius *loco citato, capite 10. numero 285.* In Religiosis autem non habeo dubium, quia sunt subditi illius Superioris, in cuius conuentu degunt.

26. Sed

26. Sed quid, si Religiosus incurrat in aliquem casum, qui non est reseruatus in sua prouincia, est tamen reseruatus in illa, in qua est hospes, poterit ne ibi absolui à confessariis non habentibus potestatem super reseruatis? Dic, quòd non, quia licèt sit hospes, quo ad hoc tamen iudicatur subditus, & habetur tanquam incola, præsertim in Ordine nostro, vt dixi. Ita Suarez *tom. 4. in 3. par. disp. 30. sect. 1. num. 6.* Caiet. *loco citato.* Poterit autem à confessariis ordinariis absolui, si reuersus in suam prouinciam, in qua talis casus non est reseruatus, confiteatur, propter dictam rationem.

27. Noto 12. quod delegatus ad absoluendum in aliquo casu particulari, non potest illam facultatem subdelegare. *l. A iudice, Cod. de iud. cap. fin. de off. deleg.* Si verò sit delegatus ad vniuersitatem casuum, quia scilicet Prælatus concedat illi, v. g. Correctori, vel aliis suos casus, tunc potest in aliquo casu particulari suam facultatem subdelegare, quia est quasi ordinarius, vt dicit glossa *in cap. Cum causa, verb. Delegatus, de appell.* Quam sententiam esse communiter receptam, testatur ibi Abbas. Atque ita Vgol. *de pot. Ep. cap. 36. §. 7.* Capel. Tolos. *decis. 13.* Sorb. *in comp. verb. Absolutio ord. quo ad fr. fine.* Ricc. *1. par. prax. decis. 621. num. 3. fine.* Portel. *in dub. reg. verb. Casus reseruati, num. 13.* Rodriquez *tom. 1. quæst. reg. quæst. 21. art. 9.* Miran. *tom. 2. man. quæst. 34. art. 14. concl. 3.* Dixi *tom. 2. priu. const. 10. Vrb. VIII. num. 14.*

28. Si quæras, an eadem auctoritate, quam habet quis absoluendi à casibus reseruatis, possit vti passiuè in personam suam, dando alteri auctoritatem vt ipsum absoluat? Respondeo eadem distinctione, Si habet auctoritatem absoluendi aliquem particularem pro vna vice tantum, non potest, quia est delegatus in hoc casu tantum actiuè quo ad alios, & non passiuè quo ad se, quod est valde diuersum, & à diuersis non fieri illationem, sæpius dixi, per *l. Papinianus, ff. de minor.* Ita Graff. *in append. ad lib. 1. decis. li. 1. cap. 7. num. 45.* Si verò sit delegatus ad vniuersitatem casuum, puto quòd possit, quia in hoc præsumitur de volontate Prælatorum, qui scientes hanc doctrinam, eam tolerando approbant, & est inconueniens, quòd sitiat ille, qui aliis potum tribuit. Ita Vgol. *loco citato, vers. Verum,* & affert declar. Cong. Concil. Mir. *loco citato, concl. 1.* Facit Caiet. *1. 2. quæst. 96. art. 5. in fine.*

29. Et aduerte, quod dicti confessarij assignati pro absolutione casuum possunt absoluere ab omnibus casibus Prælatis reseruatis, etiamsi habeant censuram annexam nisi aliter Prælatus se explicet. Tum quia fauores ampliandi sunt. Tum quia alias illa facultas esset inutilis. Tum quia concesso principali, idest casu, intelligitur concessum accessorium, idest censura. Tum quia talis est praxis Religionis. Ita Suarez *de cens. disp. 7. sect. 4. num. 13.* Nauar. *in man. cap. 27. num. 261.* Portel *in dub. reg. verb. Casus reser. num. 3.* Item quando Superior concedit alicui omnem suam auctoritatem vt absoluatur, & absoluat, concedit quòd possit absolui, & absoluere non solùm à peccatis, sed etiam à censuris. Suarez, Nauar. *loco citato.* Portel. *num. 4.*

30. Ad vltimum hic nota, quòd Regulares tenentur singulis mensibus confiteri, & communicare. *Clem. Ne in agro, §. Sanè, de stat. Monach.* Trid. *sess. 25. de reg. cap. 10.* An autem ad id teneantur sub morali? Dic, quòd non. Quia solum videntur dicta iura id consulere, non præcipere, vt tradit Homob. cum multis *tom. 2. tract. 8. cap. 2. quæst. 3.*

§. I.

Quosnam casus in particulari possint sibi reseruare Prælati Regulares.

31. NOto 1. quòd Clem. VIII. vt constat *ex const. 10. Vrb. VIII. tom. 2. nostr. priu. à §. 61.* & alij omnes Pontifices successores mandarunt Superioribus regularibus, vt non possent sibi reseruare nisi casus sequentes, aut omnes, aut aliquos ex his; prout meliùs expedire iudicauerint; quòd si aliquis alius pro Religionis conseruatione, & conscientiæ puritate videbitur reseruandus, id fiat pro prouinciis matura discussione, & consensu capituli prouincialis, & pro tota Religione cap. generali. *Primus est. Veneficia, incantationes, sortilegia. 2. apostasia à Religione, siue habitu dimisso, siue retento, quando eo peruenerit, vt extra septa monasterij seu conuentus fiat egressio. 3. nocturna, ac furtiua è monasterio, seu conuentu egressio, etiam non animo apostatandi facta. 4. proprietas contra votum paupertatis; quæ sit peccatum mortale. 5. iuramentum falsum in iudicio regulari, seu legitimo. 6. procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non secuto. 7. falsificatio manus, aut sigilli officialium monasterij, aut conuentus. 8. furtum de rebus monasterij, seu conuentus, in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale. 9. lapsus carnis voluntarius, opere consummatus. 10. occisio, aut vulneratio, seu grauis percussio cuiusque personæ. 11. malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.*

32. Noto 2. circa hos casus in communi, quòd dubitant D D. an possit Prælatus præcipere aliquid sub pœna excommunicationis ipso facto, & absolutionem sibi reseruare. Ad quod iam negatiuè respondi *tom. 2. priu. in const. 10. Vrban. VIII. num. 10.* & dicunt Molf. *par. 1. sum. tract. 7. cap. 20. num. 17.* Filliuc. *tom. 1. tract. 7. cap. 10. num. 276.* Licèt enim censura, & casus sint diuersa, & pariter eorum absolutio, tamen quòd ad reseruationem sunt idem, vnde eadem prohibitione comprehenduntur. Et tandem reperi ita declarasse Congreg. Regular. *anno 1617. die 7. Iulij*, quam declarationem pono per extensum *in addit. ad priu. Regul. capite duodecimo, numero quinto.*

33. Noto 3. quòd possunt Prouinciales, non per se, sed cum consensu, & discussione matura capituli prouincialis reseruare aliquem casum pro aliquo conuentu particulari, non enim præcipit Pontifex, quòd si aliquod aliud peccatum ex dictis sit reseruandum, illud reseruari necessariò debeat pro tota Religione, vel pro tota prouincia, sed solum ait, quòd: *Si aliud prætereà peccatum graue pro Religionis conseruatione, aut pro conscientia puritate reseruandum videbitur, id non fiat, nisi de consensu capituli generalis, aut prouincialis.* Sed ista Religionis conseruatio, & conscientiæ puritas potest requirere, vt in vno loco fiat hæc reseruatio, & non in aliis. Ita Suarez *tom. 4. in 3. p. disp. 29. sect. 2. num. 12.* Fagund. *in 2. præcep. Eccl. lib. 8. cap. 4. num. 4.* Molf. *loco citato, num. 13.* Filliuc. *loco citato.*

34. Noto 4. grauem esse difficultatem, an ista prohibitio casus reseruandi intelligatur solum de his casibus, qui ad libitum Prælatorum reseruari possunt, an verò etiam de his, qui vigore regulæ, & constitutionum, abstrahendo à Prælatorum voluntate, reseruati sunt, v. g. in Religione Minimorum Legislator

ipse *in Correct. n. 86.* reseruauit Prælatis absolutionem quatuor votorum; Quæritur, an ista vota post dictum decretum sint ampliùs reseruata, si de nouo non reseruentur? Aliqui enim putant, quòd casus antiqui Religionum non sunt reuocati per istud decretum, & ex dicto decreto constare videtur, quòd solùm loquatur de casibus, quos sibi reseruare possunt Superiores, non de iis, qui sunt reseruati per regulam, & constitutiones, ait enim: *Sanctitas sua decreuit, vt nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutiones sibi reseruet, exceptis iis*, &c. Ego tamen *tom. 2. nostr. priu. in const. 10. Vrban. VIII. num. 12.* tenui, quòd dicta quatuor vota non sunt ampliùs omnia reseruata, sed solùm duo, castitas, & paupertas, quæ continentur in dicto decreto; alia verò duo, obedientia, & vita quadragesimalis non sunt ampliùs reseruata, sed debent reseruari per capitulum generale in tota Religione, & per prouinciale, seu definitorium, in qualibet prouincia, vt in hac Genuensi factum est *anno* 1630. *die* 28. *Septemb.* Quod etiam nunc confirmo, nam mihi ex dicto decreto constat de mente Pontificis, quòd omnino noluerit reseruari casus, nisi expressos; ait enim in principio, *Decreuit, vt nemo sibi reseruet peccatorum absolutiones, exceptis iis.* Et prius dixerat perpendens Sanctissimus, quod reseruatio facultatis absoluendi religiosos pœnitentes nonnullos infirmiores adducere possit in æternæ damnationis periculum, & in fine apponit prægnantissimas clausulas derogatorias. Et ita mecum sentiunt Beia 3. *par. casuum, cas. 16. vers. Extat tandem*; vbi ait, quod ipse erat Romæ, quando Papa fecit illud decretum, & quòd post visos, & consideratos casus omnes, qui in Religione qualibet erant per Regulam, & constitutiones, seu consuetudinem reseruati, quos à Generalibus, seu Procuratoribus Ordinum fecit sibi in schedula præsentari, solum prædictos reseruatos fore, & esse, & haberi, & non alios, cunctis Regularibus præscripsit. Sorb. *in comp. verb. Absolutio ord. quo ad fr. vers. Deinde est pariter, pag. mihi* 21. vbi facta mentione de casibus reseruatis in suo Ordine, ait, quòd post dictum decretum, aliud de illis est ordinatum. Idem sentire videtur Long *par. 2. cas. 9. num. 29. vers. Et aliquando.* Portel. *in addit. ad dub. reg. verb. Casus reseruati, statim in princ.*

35. Noto 5. quòd quando aliquis incurrit publicè casum reseruatum, v. g. quando duo Religiosi publicè se percutiunt, non potest ille, qui habet per delegationem casus reseruatos, eos absoluere, sed hoc pertinet ad Superiorem Prælatum. Tum quia per publicitatem ius ad illos acquisiuit fiscus; Tum quia talem esse mentem Prælati delegantis præsumitur. Tum quia ita de consuetudine reseruantur in Religionibus, præsertim in nostra. Ita Long. *par. 1. sect. 2. art. 4.*

36. Noto 6. quòd possunt per dicta capitula generalia, & prouincialia reseruari alij casus pertinentes ad materiam casuum reseruatorum in dicto decreto, v. g. in materia lapsus carnis reseruari possunt actus impudici, oscula, &c. Ita sibi declarasse Summum Pontificem, refert Sorb. *loco citato, vers. Et tunc, pag. mihi* 22. quem sequitur Longus *loco citato, sect. 1. art. 4. num. 4* Molfes. *tom. 1. sum. tract. 7. cap. 20. num. 15.* Graff. *de cas. reser. lib. 3. capite decimo, numero* 27.

37. Sed videtur in hoc esse aliqua difficultas; nam cum Papa determinet materiam præcisè, lapsum scilicet carnis voluntarium opere consummatum, non possunt reseruari casus isto minores, nimirum tactus, & oscula, etiam per capitula: quia licèt isti actus mala intentione facti ex se sint peccata mortalia, in ordine tamen ad actus venerei consummationem sunt solum initiatiuè. Vnde est omninò contra mentem Papæ illos reseruare. Nec refert, quòd Papa concedat dictis capitulis; vt possint reseruare casus, quos pro puritate conscientiæ, & Religionis conseruatione iudicauerint esse reseruandos, nam loquitur ibi Papa de aliis casibus specificè distinctis à taxatis, vt indicat illa clausula, *Si quòd aliud præterea peccatum graue*, &c. dictio enim, *aliud*, specificam diuersitatem importat apud Logicos. Nec refert, quòd hoc sit obtentum viuæ vocis oraculo à Pontifice; Nam viuæ vocis oracula, quæ non sunt firmata ab aliquo Cardinali, nil valent post constit. Greg. XV. quam habes *tom. 2. nostr. priu. in eius constit.* 3. Imò nihil valent, etiamsi sint firmata à Cardinalibus, post const. Vrb. VIII. quæ incipit, *Aliàs fel. recor.* datam Romæ, *die* 21. *Decembris* 1631. quam pono *in addit. ad priuil. regul.*

38 Noto 7. circa primum casum, quòd in illis tribus superstitionum speciebus includuntur omnes aliæ superstitionum species, cum ad mortale peccatum pertingunt. Ita Longus *par. 2. cas. 1. num. 4.* Graffius *de cas. reser. lib. 3. cap. 1. num. 5.* Molfesius *tom. 1. sum. tract. 7. cap. 20. num. 25.* Quar. *in summ. bull. verb. Casus reser. num. 3. pag. mihi* 193. *vers. Quo ad primum casum.* Venefici dicuntur, qui maleficium faciunt siue ad inferendum, siue ad tollendum morbum, vel alias damnificandum in personis, vel in rebus, quique licèt maleficium non fecerint, vel etiam nesciant facere, eo tamen à maleficis fabricato, siue ad soluendum, siue ad ligandum vtuntur. Ita Fagundez *in 2. præcep. Eccl. lib. 8. cap. 4. num. 7. & 8 & num. 9.* addit, quòd consulentes sagas, aut consulentes, vt consulantur, si illarum remediis non vtantur, non comprehenduntur casu reseruato, etiamsi ex consilio sagæ ad maleficia componenda colligant ossa mortuorum, aut alias res sacras, vel profanas; quia maleficium per hoc non faciunt, nec eo vtuntur, licèt materiam præparent. Incantatores dicuntur, qui dæmonem expressè, vel tacitè per se immediatè, vel per alium inuocant, illi cultum, & reuerentiam exhibendo, auxiliumque ab eo expectando, vel vtuntur verbis, seu factis ordinatis ab iis, qui cum dæmone pactum expressum iniere. Ita Fagund. *loco citato, à numero* 10. Sortilegi dicuntur, qui per quasdam inspectiones sortium, vel figuratum futura prænuntiant. Ita Graff. *loco citato, num.* 16. Vide quæ dico *tom. 2. priu. in constit. 9. Pauli V. num.* 17. & circa maleficos vide constit. Greg. XV. quam ibi refero, *num.* 26. Comprehēduntur etiam hoc casu astrologi iudiciarij, qui ex motu astrorum volunt prædicere, quæ à libero pendent arbitrio contra quos audio emanasse nouissimè quandam constit. Vrb. VIII. & etiam chiromantici, qui ex lineamentis in manu, aut spatola apparentibus, certò, & infallibiliter prædicere se putant futura, vel etiam diuinare præterita abscondita. Ita Graff. *loco citato, num.* 23. Longus *cit. numero* 17. *vers.* 3. Consulentes autem astrologos, & mulierculas illas Ægyptianas, quas zingaras vocamus, non comprehenduntur, imò nec peccatur mortaliter, cum consuluntur ad irridendum; secùs autem, quando interrogantur animo firmiter illis credendi, seu quando interrogans est persona grauis, quæ scandalum generet. Ita Nauar. *in sum. cap. 11. numero* 31. Sanchez *lib. 2. in dec. cap. 38. num.* 48. Fagund. *loco citato, num.* 15. Videatur Longus, & Graffius, qui fusè explicant, qui hoc primo casu simpliciter reseruato comprehendantur. Contra Astrologos fecit tract. Alexand. de Angel. & contrà omnes supradictæ farinæ homunculos agit Petrus Cirnelus.

39. Noto 8. circa secundum casum, quòd pro illius declaratione videnda sunt quæ dixi *tom. 1. huius op. quæst.* 1.

quæst. 1. *cap.* 26. *præsertim not.* 1. & 2. Videri etiam potest Graff. *de cas. reser. lib.* 3. *cap.* 2. Long. *eod. tit. par.* 2. *cas.* 2. Molf. *tom.* 1. *sum. tract.* 7. *cap.* 20. *à num.* 26. Quar. *in sum. bull. verb. Casus reser. n.* 5. *pag. mihi* 193. Fagund. *in* 2. *prac. Eccl. lib.* 8. *cap.* 5. *per totum.* Per septa monasterij intellige totum circuitum monasterij, comprehendendo in eo hortum, nemus, sus monasterio annexa, quando tamen in illis solet ordinariè deambulari absque Superioris licentia, imò etiamsi in aliquem ex dictis locis non possit absque Superioris licentia deambulari, propter aliquod motiuum, & tunc qui in eo deambularet peccaret quidem, sed in casum reseruatum non incideret, si dictus locus intra circuitum monasterij esset. Ita videtur sentire Fagund. *loco citato, num.* 1. Et aduertit etiam Suarez *tom.* 4. *de relig. tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 4. quòd si quis vero animo apostatandi, habitum regularem dimitteret, & sæcularem indueret, animo exeundi septa monasterij, si tamen dicta septa non exiret, non incideret in casum reseruatum. Quòd etiam colligitur ex supradictis, vbi determinauimus, quòd ista casuum reseruatio intelligitur cum effectu. Circa, id quod dicit, *siue habitu dimisso, siue retento*, non intelligas solùm retentionem secretam, ita vt cognosci non possit tanquam Religiosus talis Religionis, sed etiam retentionem publicam, ita vt in casum reseruatum ex vi verborum Papæ incurrat, qui animo apostatandi septa monasterij egreditur, siue cum habitu publicè gestato, vel occultè, siue illo dimisso. Imò puto, etiam voluisse Papam in hoc casu comprehendere illum, qui animum non habet Religionem deserendi, sed solum vagandi; licet enim hic in foro conscientiæ apostata non sit, in foro tamen exteriori, si habitum dimisit, vel illum ita occultè gestat, vt non cognoscatur, iudicatur apostata. Imò puto, voluisse comprehendere verum fugitiuom, & vagum, qui habet animum reuertendi, & habitum defert, hic enim est apostata largo modo, vi vocabuli considerata, sed peior est verò apostata, quia hic solùm sibi nocet, ille autem, & sibi, & Religioni vniuersæ, & singulis de Religione eam, & eos infamando, & scandalizando.

40. Noto 9. circa 3. casum quòd illa egressio debet esse nocturna, non diurna, neque in crepusculis, quia in iis non est nox, de cuius essentia sunt tenebræ, & omnimodus recessus à luce. Debet item egressio esse extra monasterium, idest extra portas claudentes dormitoria fratrum; nec est necesse, quòd sit extra septa monasterij, vt declaratum est in præced. casu, nam Papa facit differentiam in egressu facto animo apostatandi, & in hoc nocturno absque tali animo, nam ibi dicit: *Quando eo peruenerit, vt extra septa monasterij fiat egressio.* Septa autem includunt hortos, &c. At in ista nocturna egressione non dicit. *Extra septa monasterij*, sed solum *furtiua egressio è monasterio.* Cum ergo quis egrediatur extra portas claudentes monasterium de nocte, dicitur egredi de monasterio. Quare videntur incidere in hunc casum iuuenes, qui de nocte descendunt per scalas in hortum, vel etiam per portam ad furandos fructus, quia illa ad furtiua egressio nocturna. Denique debet ista egressio esse furtiua, idest absque licentia Superioris facta. Vnde licèt quis, videntibus, & expectantibus, vel custodiam facientibus duobus amicis, conuentus de nocte egrediatur, incidet in hunc casum, quia est furtiua egressio. Si autem Superior daret licentiam, alicui sic de nocte egrediendi in Religionis dedecus, & contra debitum sui officij putat Suarez, *tom.* 4. *de relig. tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 5. quòd talis egressio nihilominus censeretur furtiua, quia illa licentia est iniusta, & nulla, & nihil operatur. Sed licèt sit iniqua, non potest tamen dici furtiua; nam licentia iniqua non desinit esse licentia. Vnde etiam videmus quòd licentia Superioris ad retinenda superflua secundum communiorem opinionem excusat à peccato contra paupertatem; & si Superior daret de die licentiam alicui Religioso, vt iret ad fornicandum, vel furandum, illa licentia esset quidem iniqua, sed tamen ille ratione licentiæ nullam culpam, vel pœnam incurreret, Prælatus autem, qui sic furtiuè de nocte egrederetur, censeo cum Suarez *loco citato*, quòd incurreret in hunc casum, quia licèt non habeat præsentem Superiorem, cuius voluntate regatur, habet tamen regulam, & voluntatem superioris Prælati totius Religionis, aut expressam, aut secundum rectam rationem præsumptam, respectu cuius talis egressio furtiua est. Videatur pro hoc casu Long. *par.* 2. *cas.* 3. Graff. *eodem tit. lib.* 3. *cap.* 3. Molfes. *tom.* 1. *sum. tractat.* 7. *cap.* 20. *à num.* 37. Quar. *in sum. bull. verb. Casus reser. num.* 5. *vers. Quoad* 3. *pag. mihi* 194. Fagund. *in* 2. *prac. Eccl. lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 22.

41. Noto 10. circa 4. casum, quòd pro ipsius declaratione videnda sunt, quæ dixi *tom.* 1. *huius op. tota quæst.* 2. & prætetea videri possunt Fagundez *loco cit. cap.* 6. Molfesius cit. *à num.* 43. Quar. *num.* 6. Longus *cas.* 4. Graff. *cap.* 4.

42. Noto 11. circa 5. casum, quod iuramentum falsum, quod potest reseruari, debet esse sumptum in iudicio, vnde iuramentum falsum extra iudicium reseruari non potest. Iudicium autem debet esse regulare, idest factum apud personas regulares, seu habentes iurisdictionem in Regulares, vt sunt Protectores, Nuntij, Inquisitores. Vnde si quis Regularis sumeret iuramentum falsum in iudicio sæculari, etiam dato quòd Iudex sæcularis eo casu esset competens, tamen non comprehenderetur hoc casu reseruato. Nec solùm sufficit, quod iudicium sit regulare ad hoc vt possit falsum iuramentum reseruari, sed etiam debet esse legitimum. Vnde si iudicium non est legitimum iuramentum falsum non est reseruatum. Ita Suarez *loco cit. num.* 7. Long. *loco cit. cas.* 5. *num.* 3. & 4. Fagund. cit. *cap.* 7. *num.* 1. & 2. Graff. *loco cit. cap.* 5. *num.* 5. Quar. *num.* 7. Et aduerte, quod iuramentum debet esse falsum, ita vt Religiosus sciat, se falsum testificari, imponendo scilicet falsum, vel occultando verum. Vnde si quis bona fide putet se iurare verum, cum tamen à parte rei sit falsum, is nullo modo peccat, nec consequenter casum reseruatum habet. E contra verò si putat se iurare falsum, & à parte rei iurat verum, mortaliter peccat, & habet casum reseruatum, secundum Graff. *loco cit. num.* 15. & 16. & Fagund. *loco cit.* Sed licet in hoc vltimo casu adsit peccatum mortale contra conscientiam erroneam, non puto tamen quod illud sit reseruatum, quia reseruatio, cum sit odiosa restringenda est, vt cadat super verum actum, non tantum existimatum, vt Suarez *loco citato.*

43. Hic autem opportunè quæres, quodnam, & quandonam iudicium sit, & dicatur legitimum? Resp. tunc solùm iudicium esse legitimum, quando Iudex est competens, & iuris ordine seruato interrogat. Est autem iudex competens, quando super reum, vel testem habet iurisdictionem ordinariam, vel delegatam. Legitimè autem interrogat, quando habet saltem semiplenam probationem delicti, vel indicia sufficientia, aut præcessit infamia. Ita Fagund. *loco citato, num.* 3. Moif. *par.* 1. *sum. tract.* 7. *cap.* 20. *num.* 60. Graff. *loco cit. num.* 23. dixi *tom.* 1. *huius op. q.* 1. *cap.* 16. *not.* 4.

44. Sed quid, si quis interrogetur in iudicio legitimo de delicto proprio, & neget veritatem, incurret-ne casum reseruatum? *To.* 1. *huius op. cit.* §. 1. *concl.* 1. *vers.*

verſ. Limitant tamen, dixi, quòd poteſt reus etiam iuridicè interrogatus prudenti amphibologia veritatem occultare, quando grauis pœna, vel ſanguinis, vel exilij, vel infamiæ, vel irremium timetur; atque ita tunc non peccabit, nec caſum reſeruatum conſequenter incurret. Et in caſu noſtro id multis probat Fagund. *loco cit. num.* 4. Molfeſ. cit. *num.* 62. Et nota in hac materia bonam regulam, quam ponit Tolet. *lib.* 4. *ſum. cap.* 21. *num.* 6. *in fine*, & probat Fagund. *loco cit. num.* 7. *fine*, quòd ſcilicet poteſt reus tuta ſcientia iurare æquiuocè, & amphibologicè, quoties iuramentum per Superiorem petitur ex ignorantia veritatis, quæ ſi ſciretur, non peteretur, v.g. Superior vult ſcire, an Petrus fuerit locutus cum Paulo ſæculari de ſecretis Religionis, & ſic eum ſub iuramento interrogat, an tali de hora, & loco fuerit allocutus Paulum. Dico, quòd per dictam regulam poteſt licitè Petrus æquiuocè reſpondere, ſe illo die, hora, & loco non fuiſſe allocutum Paulum, licèt verè cum eo locutus fuerit, ſed non de rebus ſecretis Religionis, de quibus petit Prælatus. Poteſt ſimiliter ſubditus veritatem amphibologia occultare, cum Superior ſub iuramento interrogat, an Petrus talia verba iniurioſa Franciſco dixerit, ſi Petrus prouocatus à Franciſco ſubdito motu iracundiæ, quæ mortale peccatum non ſit, ea verba protulerit, & ſic de aliis. Ita Fagund. *loco cit. num.* 9.

45. Sed quid, ſi quis in iudicio metu tormentorum, quæ Superior comminatur, fateretur delictum, quòd non commiſit, & ſic iuramentum falſum ſumeret, illud iuramentum eſſetne reſeruatum? Dic, quòd non, quia ſtante illa occaſione, Religioſum imponere ſibi falſa in iudicio regulari præcisè, non puto mortaliter peccare, per doctrinam Nauar. *in ſum. cap.* 18. *n.* 27. quàm probat Molfeſ. *loco cit. num.* 63.

46. Noto 12. circa 6. caſum, quòd tria genera perſonarum comprehenduntur in eo. Primum earum, quæ procurant abortum, vel potione, vel baculo, vel onere. 2. earum, quæ dant auxilium ad faciendum abortum ſcienter, dando inſtructiones ad illum parando herbas, coquendo, potionem porrigendo, &c. 3. earum, quæ dant conſilium ad dictum abortum procurandum, etiamſi id facerent ad ſaluandam vitam mulieris, quia nunquam licet innocentem occidere; fœtus autem debet eſſe animatus, & animatur fœtus maſculinus ſecundum ſententiam Hippocr. die 30. & fœmininus die 42. Vnde abſolutè dicit Auguſt. *lib.* 83. *qq. q.* 56. quòd fabrica humani corporis in die 45. formata eſt. Alij aliter dicunt. Vide Scor. diuerſorum opinionum referentem *in ſelec. bul. epit.* 146. *verſ. Sed haud exigua.* Vbi autem dubitatur, an fætus fuerit animatus, necne, in foro animæ debet reputari animatus poſt 40. dies, quia in illo foro ſequimur ſemper ſecurius. Ita etiam Nauar. *in man. cap.* 27. *num.* 223. Quar. *iter. Abortus*, *num.* 5. Long. *par* 2. *caſ.* 6. *n.* 3. Scor. *loco cit. theor.* 388. *verſ. Quid ſi quis*; vbi plures refert cenſentes cum ipſo, quòd hoc caſu dubij debet cenſeri talis irregularis. Sanchez 1. *in dec. cap.* 10. *n.* 43. *& n.* 44. idem dicit de eo, qui dedit conſilium ad abortum, ſed facta diligentia dubitat, an alter habuerit animum reſolutum abortum faciendi abſque illius conſilio. Et probatur *ex cap. Significaſti*, *& cap. Ad audientiam*, *el.* 2. *de homic.* Quando autem fœtus eſt animatus, ſequatur, vel non ſequatur effectus, ad incurrendum caſum reſeruatum nihil refert. Et ſic dicitur opus conſummatum in caſu noſtro, quando mulier accepit, vel fecit, id vnde poterat, & ipſe prætendebat ſequi abortum. Quare ſi Religioſus det mulieri conſilium, vt ſumat potionem ad abortum cauſandum, adiuuet ad talem potionem fabricandam, procuret, vt eam ſumat, ſi mulier tamen dictam potionem non ſumat, non comprehenditur iſto caſu. Ita explicant Long. *loco cit.* Graff. *de caſ. reſer. lib.* 3. *cap.* 5. *fine*; Molf. *tom.* 1. *ſum. tract.* 7. *cap.* 20. *à n.* 65. Fagund. *in* 2. *prac. Eccl. lib.* 8. *cap.* 7. *à n.* 16. Portel. *in addit. ad dub. reg. verb. Abortus*, *num.* 5.

47. Aduerte 1. quòd procurans abortum fœtus animati incurrit irregularitatem, quia eſt verus homicida, *l. Necare*, *ff. de lib. ag. cap. Conſuluiſti*, 2. *q.* 5. *cap. Si aliquis*, *cap. Sicut ex literarum*, *de homic.* & habetur *in conſtit.* 87. *Sixti V. Effrenatam*, quam refert Cherub. *tom.* 2. *bull.* Ita Nauar. *in man. loco cit.* Syluo. *verb. Abortus*, *num.* 1. Long. *loco cit. num.* 2. *verſ. Hinc ſequitur*; Scor. *loco cit.* ſuper qua irregularitate, ait Portel. *in dub. regul. verb. Abortus*, *num.* 10. quòd poteſt Prælatus in foro conſcientiæ diſpenſare, & ſimiliter ſuper inhabilitate ad officia, &c. quòd etiam confirmat dictus Portel. *in addition. eodem verſ. num.* 7.

48. Aduerte 2. quòd quando fœtus eſt animatus, vltra peccatum reſeruatum, procurantes abortum, auxilium, aut conſilium dantes, ſunt ipſo facto excommunicati, per conſtit. cit. Sixti V. quæ excommunicatio erat reſeruata Pontifici; ſed Greg. XIV. eam moderando, conceſſit, vt quilibet confeſſor ab Ordinario approbatus, & ad hoc ſpecialiter deputatus, poſſit in foro conſcientiæ tantum ab ea abſoluere. Putat autem Long *loco citata fine*, quòd Prælati regulares poſſint ſuos ſubditos etiam in foro exteriori conuictos ab hoc crimine abſoluere. Cord. *in ſum. quæſt.* 34. & Vega *par.* 2. *ſum. cap.* 12. *caſ.* 6. putant, quòd ſi talis abortus, ſeu homicidium eſt occultum apud ſæculares, & notum ſolum apud fratres, quòd poſſunt Prælati regulares in vtroque foro abſoluere. Et confirmant *ex cap. Significaſti* 2. *de homicidio*.

49. Aduerte denique, quòd procurans abortum fœtus inanimati, non incidit in caſum reſeruatum, nec eſt excommunicatus, nec fit irregularis, peccat tamen mortaliter. Ita Syluo. *verb. Abortus*, *num.* 1. Long. *loco cit. num.* 2. *verſ. Hinc ſequitur*, Graff. *par.* 1. *deciſ. lib.* 2. *cap.* 63. *num.* 13.

40. Noto 13. circa 7. caſum, quòd ad illum incurrendum requiritur 1. quòd Religioſus falſificet manum alicuius officialis conuentus, vt ſic, nimirum Sacriſtæ, Procuratoris, Correctoris, Prouincialis, Generalis, Procuratoris generalis, Secretarij Generalis, &c. hi enim omnes ſunt officiales Religionis, & conſequenter conuentuum (licet Portel. *in addit. ad dub. reg. verb. Falſarius*, *num.* 3. putet, per officiales conuentus non intelligi Prouinciales, & Generales, nec alios officiales alterius conuentus, ſed ſolùm illius, in quo falſarius commoratur) ſcribendo literas ad formam vnius ex dictis officialibus, vel ſcriptam in aliqua clauſula immutando, ita vt contrarium ſenſum reddant; vel etiam ſolum falſificet ſubſcriptionem, aut etiam furando ſigillum dicti officialis, aliud conſimile fabricari curet, quo aliquam ſcripturam ſigillet, vel etiam eam ſigillet dicto ſigillo, quod furatus eſt. 2. requiritur, quòd id faciat dolo, non ioco. 3. denique, quòd vtatur dicta ſcriptura, vel ſigillo, licèt nullum damnum, ex ea deinde ſequatur. Nam ſi falſificata ſcriptura, vel falſo ſigillo ſignata, pœnitentia ductus, ea non vtatur, ſed laceret, cum actus ad ſuam conſummationem non perueniat, non incurret caſum reſeruatum. Nec ſimiliter incurrunt caſum reſeruatum conſulentes, auxiliantes, ſuadentes, aut etiam præmia promittentes falſificantibus. Quia cum hi non comprehendantur in litera, reſeruatio ad illos, cum ſit odioſa, non eſt extendenda, vtens verò ſcienter literis ab alio falſatis, hoc

caſu comprehenditur, quia & ipſe falſariorum pœnia tenetur. Ita Fagund. *in 2. prec. Eccl. lib. 8. cap. 7. n. 21. & 22.* Long. *par. 2. caſu 7.* Molf. *tractat. 7. cap. 20. à num. 70.* Graff. *de caſ. reſerv. lib. 3. cap. 6.* Quar. *in ſum. bull. ver. Caſ. reſer. num. 8. pag. mihi 196.* Suarez *tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. cap. 18. à num. 8.* De falſantibus autem ſcripturas, aut illis vtentibus, vide Tuſch. *tom. 3. lit. F. concluſ. 41.* Mol. *tom. 3. tract. 2. de iuſt. diſp. 700.* Portel. *loco cit. num. 4.*

51. Noto 14. circa 8. caſum, quòd furari de rebus monaſterij illam quantitatem, quæ ſit peccatum mortale, eſt caſus hic reſeruatus. Et idem eſt, licèt eam quantitatem fureris à fratre aliquo particulari, quæ eſt à Superiore ad vſum illi conceſſa. Tum quia ex eo quòd res ſit applicata ad vſum fratris particularis, non deſinit eſſe monaſterij. Tum quia licèt in Religionibus omnia ſint communia, vſus tamen aliquarum rerum non eſt omnibus communis, ſed applicari debet à prudenti iudicio Superioris ſuis ſubditis, & ad ſcrupulos tollendos id fuiſſe declaratum à Clem. VIII. refert Sorb. *in comp. ver. Abſolutio ord. quo ad fra pag. mihi* 22. licèt contrarium doceat Diana *tract. 6. var. quæſt. 44. & 45.* Immò furari rem in quantitate mortali, ab eo Religioſo, qui habet auctoritatem, eam diſtrahendi extra Religionem, eſt etiam mortale peccatum hic reſeruatum, nam quovſque res non eſt alienata extra Religionem, ſemper eſt monaſterij quo ad proprietatem, & dominium, vnde ſemper eſt in poteſtate Prælati dictam licentiam alienandi reuocare. Ita Suarez *loco cit. num. 11.* Long. *par. 2. caſ. 8. n. 13.* Item incideret in caſum reſeruatum, qui à fratre particulari ſurriperet ſcripta aliqua ab ipſo multis vigiliis elaborata, nam tunc illud iudicabitur furtum magnum, vt dicunt Graff. *de caſ. reſeru. lib. 3. cap. 7. num. 26.* Long. *loco cit. num. 14.*

52. Quæ autem ſit ea quantitas, quæ conſtituit furtum mortale, alij relinquunt prudentis arbitrio, conſiderantis pauperiem, vel diuitias illius, à quo aufertur. Alij aliter. Ego *tom. 1. huius op. quæſt. 2. cap. 2. §. 9. verſ. Quæ autem ſit quantitas*, dixi, quod Religioſi furantes quatuor regalia à ſuis conuentibus, non committebant culpam lethalem, & D D. ibi adductis adde Fagund. *in 2. precep. Eccleſiæ, lib. 8. cap. 6. n. 7.* Molf. *tom. 1. ſum. tract. 7. cap. 20 n. 88.* Long. *par. 2. caſ. 8. num. 4.* Ledeſm. *de ſtat. relig. in com. cap. 4. concl. 3. dub. 8. ver. La ſegunda parte ſe prueua, pag. mihi* 101. Non conflatur autem prædicta quantitas per plurima alia furta inferiora, niſi quis in illis faciendis intenderet in eis perſeuerare, nam tunc haberet animum nocendi notabiliter, & peccatum mortale cómitteret, per D. Thom. *2. 2. q. 66. art. 6. ad 3.* Nauar. *lib. 3. conſ. de ſtat. Monach. conſ. 3. num. 11. & 17.* Quar. *in ſum. bull. verb. Caſus reſer. num. 9. ver. An autem*, Molf. *loco cit. n. 9.* vnde habent occaſionem ſibi cauendi expenſores.

53. Si quæras, an furari aliquid reliquiarum ſit peccatum mortale reſeruatum? Reſpondeo affirmatiuè. Nec excuſat paruitas materiæ; nam reliquiæ ſunt magni theſauri, nulla pecunia æſtimabiles. Imò ſacrilegium eſt illas furari; quia aufertur ſacrum de ſacro, vel ſacrum de non ſacro, *cap. Quiſquis, 17. quæſt. 4.* Ita Sylu. *verb. Reliquiæ, quæſt. 2.* Graff. *de caſ. reſer. lib. 3. cap. 7. n. 24.* Long. *eodem tit. par. 2. caſ. 8. n. 10.* Sanchez *2. in decal. cap. 43. num. 23.* Quar. *loco cit. ver. Eſſet autem*; dixi *tom. 1. prin. in conſtit. 3. Leon. X. num. 5.* Nec excuſaretur à mortali reſeruato, qui dictas reliquias de licentia, vel conniuentia Sacriſtæ reciperet: nam Sacriſta ad id non habet facultatem; Graff. *loco cit. n. 25.* Imò nec puto, Prælatum per ſe ſolum ad id habere facultatem, ſed requiri totum capitulum; quia Prælatus non eſt dominus rerum monaſterij, ſed procurator. Exiſtimat tamen Portel. *in addit. ad dub. reg. ver. reliquia, num. 5.* quòd furari paruam reliquiam deuotionis gratia non ſit mortale.

54. Sed quid, ſi quis ad furandum reliquias, ſeu calices, & alias res ſacras frangit armaria, ſcrinia, diſcos, &c. vltra peccatum reſeruatum, incurret ne aliquam cenſuram? Reſpondeo incurrere excommunicationem. Ita Panorm. *in cap. Ex literis, de furt. num. 2.* Sylueſt. *ver. Furtum, num. 8.* Long *loco cit. num. 11.* Graff. *num. 20.* Prob. *ex cap. Conqueſti, de ſentent. excom.* qui autem furatur res ſacras abſque fractione, venit excommunicandus, *cap. Conqueſtus, de foro comp.*

55. Sed quæres, an Superior poſſit abſoluere abſque obligatione reſtituendi, eum, qui furatus eſt à fratre particulari, vel à communitate notabilem quantitatem? Reſpondeo ſi fur ſit reſtituendo, non poteſt abſolui, quin reſtituat, quæ à communitate abſtulit; quia Prælatus, vt dixi, eſt procurator conuentus; *cap. Cum nobis, fine, de elect.* Si autem furatus fuiſſet à communi penu aliquid ſibi vtile, vel neceſſarium, quod non in magnum redundaret communitatis damnum, poſſet quidem illum abſque reſtitutione abſoluere, quia ſicut poterat illud ante abſolutionem concedere, ita poteſt condonare, non tamen debet Prælatus eſſe in hoc multum facilis, ne anſam præbeat id pluries attentandi. Quæ autem ablata ſunt à fratre particulari, ſi fur eſt reſtituendo, nec adſit motiuum faciendi contrarium, puto quòd non poſſit abſolui, quin reſtituat, non enim poteſt Prælatus abſque cauſa priuare vnum ſubditum rebus ſibi ad vſum conceſſis, vt eas alteri tribuat. Satisfaceret autem fur, ſi rem ſublatam à particulari, communitati reſtituat; v. g. ſi furatus eſt decem aureos, ſatisfaciet reponendo illos in cippo communi Eccleſiæ, vt Molf. cum multis *loco citato, num. 92.*

56. Noto 15. circa 9. caſum, quòd pro iſto caſu videndi ſunt Long. *2. par. caſ. 9.* Molf. *1. par. ſum. tract. 7. cap. 20. à num. 96.* Comit. *lib. 1. reſp. mor. q. 34. verſ. Secunda dubitatio*; D'Aluin. *de po. Abb. cap. 33. à num. 2.* Graff. *de caſ. reſer. lib. 3 cap. 8.* Quar. *verb. Caſ. reſer. num. 10. pag. mihi* 198. Suarez *tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. cap. 18. num.* 12. Per illa verba, *opere conſummatus*, intellige, quòd ſolum poteſt reſeruari actus impudicus perueniens ad conſummationem actus in ſua ſpecie, v. g. fornicationis, adulterij, &c. vnde voluntaria pollutio, quia propriam ſpeciem conſtituit, iuxta doctrinam D. Thom. *2. 2. quæſt. 154. artic. 11.* poterit etiam reſeruari. Non intelligetur autem eſſe reſeruata, ſi alicubi conſuetudo declarauerit, quòd peccatum contra caſtitatem ſit ſolum reſeruatum, quando eſt cum tertia perſona: quo caſu putat Graff. *loco cit. num. 36.* quod ſi quis dictam tertiam perſonam tangendo, vel oſculando propriis manibus ſe pollueret, non incideret in caſum reſeruatum, nam ex vitalis reſeruationis requiritur conſummatio actua in corporum coniunctione. Sed non eſt audiendus, nam ibi verè adeſt tertia perſona, & commixtio corporum, ſiue ſit ſupra veſtes, ſiue ſubtus, nihil refert. Pollutiones autem, quæ ſimpliciter voluntariæ non ſunt, vt quæ contingunt ſemidormientibus, & ſemiebriis, non poſſunt reſeruari, quia ſolum poteſt reſeruari lapſus carnis voluntarius. Nec item eſt reſeruabilis pollutio inchoata, & perfecta in ſomno. Nec item ſi inchoata, & è lumbis excita in ſomnis, in vigilia compleatur, etiamſi ad vitandum morbum, aut alleuiandum naturam eam retinere minimè curaret, vel omninò nollet, nam magis attendendum eſt principium, quàm finis. Et multò minùs ſunt reſeruabiles, quæ non aduertente, aut reluctante ratione contingunt, vt in confeſſario audiente con-

feſſiones

fessiones barum rerum, vel ex subito aspectu formosæ mulietis, vel ex delectatione in parte merè sensitiua; quia his omn bus casibus, vel deest omninò voluntas, & nullum adest peccatum, vel, si aliqua adest aduertentia, non est perfecta, & consequenter non est plus, quàm venialis, quòd intellige, etiamsi in ipso actu pollutionis adsit delectatio. Tactus autem, & oscula non sunt teseruabilia simpliciter, quia non snnt opus consummatum in sua specie. Sentit nouissimè Diana *tom. 3. tract. 2. resol.* 118.

57. Et aduette, quòd hi tactus debent omninò vitari à iuuenibus, etiamsi dicatur ab amico, quòd honestè illos tangit, vel osculatur, etiam in partibus licitis, vt in facie, & manibus. Verum quidem est, quòd quando quis ctedit tangi honesto amore, non peccat, licèt alter inhonestè tangat: quandò verò credit tangi amore inhonesto, & tactus fiunt in pattibus licitis, si id potest vitare sine scandalo eorum, qui nihil de libidine suspicantur, tenetur sub mortali vitare; si autem dubitat, an tangatur honestè, nec ne, & tactus sint in partibus licitis, & ordinariis, non tenetur: si alibi, tenetur. Peccans cum nouitio circumstantiam nouitij fateri non tenetur, quia hic nondum est Deo sacratus pet professionem: Diana *var. tract. 7. quæst.* 7. Vide Llam. 3. *par. met. cap.* 8. §. 14. Prædicatores tam actiuè, quàm passiuè, in casum incidunt teseruatum, & vtetque confessionis debito satisfacit, dicendo, Prædicationis vitio sum pollutus, nec est necesse actiuè, aut passiuè, pat est enim vtriusque peccatum, & si est aliqua differentia, ea non essentialis. Alphonsus Leo *de offic. confess. par.* 1. *recoll.* 9. *num.* 216. *&* 218. Diana *par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 159. Citcunstantiæ tamen sacrilegij in hoc casu prædicationis, non affinitatis, vel consanguinitatis manifestandæ, quia ibi species mutatur; hic quòd muretur, non inuenio, ad dicta pet Trid. *sess.* 14. *de sacram. pœnit. cap.* 5. ibi, *colligitur prætereà etiam eas circunstantias*, &c. 7. Et aduette, quod in his peccatis non datur minimum, quando adest plena, & soluta libertas.

58. Noto 16. circa 10. casum, quòd hic prohibentur tria, 1. est occisio cuiuscumque personæ tam sæcularis, quàm Ecclesiasticæ, tam Christianæ, quam non, quæ occisio debet esse voluntaria, & dolo facta; vnde non comprehenditur isto casu, qui non valens aliter vitam seruare, alium occidit, v. g. aggressorem cum moderamine inculpstæ tutelæ occidendo, vel puerum in medio itinete, dum inimicum occidere tentantem fugit. Nec etiam comprehenditut qui lasciuè ludens cum muliere prægnante, eam aboriti facit; quia non est id factum dolo: nec similiter comptehenditur, qui casu fortuito alium interimit. Ita Long. *par.* 2. *cas.* 10. *num.* 3. *&* 4. Graff. *hoc tit. lib.* 3. *c.* 9. *à num.* 18. Molfes. *par.* 1. *summ tract.* 7. *cap.* 10. *n.* 119. Nec item incurrunt casum reseruatum mandantes, associantes, adiuuantes, aut consulentes homicidium, licèt aliàs peccent: nam, cum simus in odiosis, & in pœnalibus, vetba legis eatendere non debemus, sed propriè intelligere. Molf. *num.* 120. licèt Graff. *loco citato*, *num.* 17. & alij contrarium teneant. Nec item comptehenditut isto casu magister nouitiorum, vel Prælatus, qui percutiendo nouitium, vel subditum ad correctionem, modum excessit, ex quo secuta est mots, licèt alias sit irregularis, nam id dolosè non fecit, vnde homicidiarius propriè non est; *cap. Si quis iratus*, 15. *quæst.* 1. Graff. *n.* 26. Molf. *num.* 121. 2. quod prohibetur hoc casu; est similiter dolosa, & voluntatia vulneratio, quæ grauis sit, licèt enim ibi ista patticula, *Grauis*, non apponatut, subintelligitur tamen ex communibus regulis ad reseruationem pertinentibus, quarum vna habetur Trid. *sess.* 14. *cap.* 7. *de sacr. pœnit.* vbi dicitur, quòd debent reseruari atrociora, & grauiora delicta; quare qui vulnusculum cum claue, vel lapide, aut etiam gladio alicui impingeret, ex quo parua læsio, & facile sanabilis tesultaret, non comprehenderetur hoc casu. Grassius *numero* 30. Long. *numero* 7. 3. quod prohibetur, est grauis percussio. Vt autem hoc Intelligatur, sciendum est dari ttiplicem percussionem, enormem, seu grauem, mediocrem, & leuem. Enormis, seu grauis percussio est (quòd enim hæc duo vocabula hic idem significent, docent omnes, & habetur expresè in extt. Ioan. XXII. quam tefert Nauartus *loco proximè citando*) est illa, qua quis interficitur, qua membrum scinditur, aut inutile, vel quasi, ad suum munus redditur, vel illa, ex qua effluit, non è naribus, multum sanguinis. Illa quoque dicitur enormis, quæ fit in proprium Prælatum, vel coram eo, vel quæ fit in Ecclesia, cum scandalo populi, vel in publica communitate, etiamsi ex sua natura percussio solùm leuis sit, vt si quis pugno, vel alapa Prælatum percutiat, vel in Ecclesia, aut communitate alium subditum; considerata tamen his postremis casibus occasione data à percusso, quæ potest esse talis, vt omninò leuem, immò leuissimam faciat percussionem. Leuis percussio dicitut, non quæ ex se est peccatum solum veniale, nam per hoc non incurritut excommunicatio, sed comparatione enormis, & est percussio illa, quæ fit pugno, palma, manu, digito, pede, baculo, lapide, quæ nullam maculam, neque sugillationem catnis relinquit, neque membrum abscindit, & fit sine effractione dentium, sine auulsione multotum capillotum. Mediocris est illa, quæ mediat inter enormem, & leuem, de qua, cum certa tegula tradi non possit, iudicio Prælati relinquitur. In dubio autem, ad arcendos Religiosos à talibus percussionibus, potiùs iudicanda est grauis percussio, quam leuis, iuxta extr. citat. Ioann. XXII. Atque ita Nauarr. *in man. capit.* 27. *numero* 91. Grassius 1. *part. decision, libro* 1. *capite* 49. *à numero* 52. Genuens. *in praxi, capite* 23. *à numero* 7. Hic itaque solum statuit Papa, quòd possit reseruari, grauis, & enormis, seu atrox percussio, non leuis, aut mediocris. Ita Fagund. *in* 2. *præcept. Eccles. lib.* 8. *cap.* 7. *num.* 24. Long. *loco citato, num.* 9.

59. Et aduerte, quòd quando iuuenes iocantes, ita moti se statim percutiunt, non sunt excommunicati, quòd si, durante ioco, vnus alterum percutiat, & percussus apud Superiorem conqueratur, debet Superior potiùs ambos disciplinate, quia ita iocarunt, non enim decet ille iocus, quia semper fœtet, quam excommunicatos absoluere; Ita Long. *loco citato, n.* 17. Et aduerte quòd non incurritut hæc excommunicatio, quando externa percussio est leuis, & venialis, licèt mortalis sit ob prauum percutientis animum; Nam Ecclesia non excommunicat actus internos, sed externos. Ita Henriquez *lib.* 13. *cap.* 17. *num.* 2. Gutier. *can. quæst. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 13. Sànchez 2. *in decal. cap.* 8. *num.* 7.

60. Aduerte etiam, quòd quando duo Religiosi inuicem se percutiunt, sed vnus priùs incepit, & prouocauit, non sunt ambo declarandi excommunicati, sed solùm qui prouocauit, nisi alter excessetit modum in defendendo, nam prouocatus præsumitur repercutere causa defensionis. Ita Genuen. *loco cit. n.* 9. vbi citat Fel. *in cap. Significasti, de homicidio*, Batiol. *cons.* 22. vbi docet non fuisse excommunicatum Monachum, qui alterum monachum iniuriantem sibi percussit: & Ric. 1. *par. prax. decis.* 466. vbi definit, quòd sæcularis, qui prouocatus percussit clericum, non est declarandus excommunicatus, non solum quando pro sua, sed etiam quando pro iniuriis, filiis,

patri,

patri, vxori seruis familiæ illatis prouocatus percussit. Quare aliquando censui, excommunicationem non incurrisse Prælatum, qui percussit Monachum in publica communitate, qui eum ebrium vocauerat. Per quod etiam dic, quòd prouocatus iniuriis, si prouocantem iniuriet, non est puniendus, sed qui prouocanit, nam naturale est prouocato respondere, & præsumitur, quòd solùm ad sui defensionem iniuriauerit. Quod intellige etiamsi iniuria prolata à prouocato, sit atrocior, tiam non est in nostra potestate, fodicantibus iis, quæ contra honorem nostrum dici existimamus, dissimolatio, aut silentium, seu etiam eircinatorum verborum prolatio. Quod est valde attendendum Prælatis; nam sunt multi qui cum studeant omnes pungere, si leuiter tangantur, vsque ad sidera strident, iustitiam petunt, & mundum sciodere minantur. Quos sano dicterio: Qui timent iocos, iocantes fugiant.

Aduerte hic etiam, quod, vt quis dicatur publicus Clerici percussor, vt illum euitare teneamur, requiritur, vt constet percussorem nullam habuisse causam percutiendi, nam si potest probabiliter aliquam causam allegare, vtpotè se fuisse ebrium, aut in suam iustam defensionem fecisse, vel ignorasse excommunicationem esse percussioni annexam, quamdiù non constiterit non ita esse, non erit vitandus, hoc autem constare non potest, nisi per iudicis sententiam. Ita Fagund. *prac.* 1. *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 12. Couarr. *in cap. Alma mater par.* 1. §. 2. *num.* 7. Sayr. *de cens. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 18. Diana *tom.* 3. *tract.* 5. *resol.* 14.

61. Noto 17. circa 11. casum, quòd hic primò prohibetur malitiosum impedimentum, quod sit peccatum mortale, aut similiter malitiosa retardatio literarum à Superioribus ad inferiores subditos, aut ècontra, siue hæc retardatio, aut impedimentum fiat operando, ne tabellarij inueniantur, qui literas deferant, vel eos corrumpendo, ne tradant, vel tardiùs tradant, quam par sit, vel eas lacerent, comburunt, &c. & eo ipso quòd ad incurrendum hunc casum audis requiri malitiam, dic, bonam fidem, negligentiam, aut etiam imprudentiam excusare. 2. prohibetur etiam malitiosa apertio dictarum literarum; quod intellige, etiamsi aperiens suspicetur esse in illis aliquid contra se, nam semper fit iniuria Superiori, excusatem tamen, qui literas inferioris ad Superiorem contra se scriptas de rebus grauibus ipsum falsò infamantibus retardaret, quovsque ipse priùs dictum Superiorem informasset, aut etiam eas combureret, præsertim si sibi constaret de non recta in ipsum Superioris mente, vel quod Superior esset primæ impressionis, & quòd deinde nollet aliorum rationes audire, ius namque naturale honorem proprium defendendi, hoc casu malitiam ab illo actu auferret. Non incurret hunc casum, qui literas Superioris ad non subditos, siue sæculares, siue Ecclesiasticos aperiret, aut retardaret, vel impediret. Nec similiter, qui idem faceret de literis non subditorum ad Superiorem, quia casus loquitur clarè de literis Superioris ad subditos, & èconira. Nec item incurret, qui epistolam Prælati in suo cubiculo ad Inferiores subditos mittendam legeret, vel caperet, qui hic neque impedit, neque retardat, neque aperit; incurret autem, si subtiliter aperiat, & deinde claudat. Videatur Quar. *in summ bull. vers. Cas. reseru. numero duodecimo*, Long. *part. secunda*, *casu* 11. Graff. *hoc tit. libro tertio*, *capite decimo*, Fagundez *in* 2. *prac. Eccles. libro octauo*, *capite septimo*, *à numero vigesimoquinto*, Suar. *tomo quarto. de relig. tractat. prim. libro secundo*, *capite decimo octauo. numero decimotertio*, Molf. *tomo primo*, *sum. tract. septim. capite vigesimo*, *à num.* 122. Portel. *in addit. ad dub. reg. verb. litera Prælatorum. Vide etiam quæ dico tomo primo, huius op. quæstione secunda, cap. secundo*, §. 13. & de aperientibus alienas literas, Menoch. *de arb. lib.* 2. *casu* 538.

§. II.

An liceat Prælatis regularibus vti notitia confessionis ad exterius regimen.

6 VIde D. Thom. *quodl.* 5. *art.* 13. & *in* 4. *d.* 21. *quæst.* 3. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 3. Ricard. *ibidem*, *art.* 4. *quæst.* 2. *ad* 4. Palud. *ibidem quæst.* 3. *art.* 3. *concl.* 3. Bann. 2. 2. *q.* 33. *fine*, *ver. Ad confirmationem.* Suar *tom* 4. *in* 3. *p. disp.* 33. *sect.* 7. Sanch. *lib.* 3. *de matr. disp.* 16. Reginald. *in praxi*, *lib.* 3. *à num.* 14. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 7. *à num.* 331. Valen. *tom.* 4. *disp.* 7. *q.* 13. *par.* 3. *col.* 4. *ver. Quia etiamsi.* Fagund *in* 2. *prac. Eccl. lib.* 6. *cap.* 2. & 3. Menoch. *de arb. cas.* 414. Ysibar. *in* 4. *d.* 21. *quæst.* 2. *disp.* 20. *sect.* 1. *col.* 11. *à vers. Libet in medium*, Delrium *mag. disq. lib.* 6 *sect.* 2. *vers. Quoad* 2. Graff. *part* 1. *decis. lib.* 1. *cap.* 23. *à num.* 8. Briam. 3. *par. cas. casu* 11. Fernand 1. *part. cap.* 3. §. 3. *num.* 8. Conrard 1. *par cas. quæst.* 334. & 335. Long. *cas. reser par.* 1. *sect.* 1. *art.* 13. Mald. *de sigill. confess. cap.* 14 Vech *de non. disp.* 12. *dub.* 4. Victorell. *ad lib.* 3. *Toleti cap.* 16. *verb. Confessarius*, Bonac. *de Sacr. pænit. disp.* 5. *quæst.* 6. *sect.* 5. *part* 4. *à num.* 13. Nugn. *in addit. ad* 3. *par. quæst.* 11. *art.* 1. Vasq. *tom.* 4. *in* 3. *par. q.* 93. *art.* 4. *à dub.* 8. Sotum *in* 4. *d.* 18. *quæst. quarta, articulo quinto*, *in solut.* 4. & *de secr. reg membr.* 3. *quæst.* 4.

63. Nota, quòd Sacramentalis confessio est à Christo Domino instituta in humani generis subleuationem, & consolationem, vnde 2. tabula vocatur post naufragium, qui cum eius difficultatem perspexisset, quæ in vsu talis Sacramenti erat futura, attenta conditione humanæ naturæ, occultationis propriorum defectuum studiosissimæ, strictissimo omnium à se se institutorum iure, Sacerdotibus, ad id muneris in specie deputatis, secretò custodiri mandabit, quæ in tali Sacramento audirent, & ita custodiri iussit, vt nec pro vita propria, nec aliena, nec pro vitando quocunque scandalo, nec pro obtinendo quocunque bono, ea reuelare possent, aut deberent, etiamsi Angelus aliter faciendum reuelaret, & Papa, aut tota Ecclesia aliter iuberet, aut dispensaret. Videatur Vasq. *loco citato*, *dub.* 1. & 10. Mald. *loc cit. cap.* 2. & 3. Sot. *de secr. reg. cit. verb. Ex quo sequitur.* Suar. *loc. cit. sect.* 1. *à num.* 2. Vide ios canonicum seuerissimas inflixit pœnas Sacerdotibus confessionem reuelantibus, vt constat ex *cap. Sacerdos*, *de pænit. d.* 6. & *cap. Omnis vtriusque sexus de pænit. & remiss.* vide Menoch. *loco cit. à num.* 1. Aldrei. *de relig. discipl. tuen. libro secundo*, *capite decimonono*, §. *primo*, *numero primo* & *secundo*, quem vide etiam §. 2. si cupis scire, qua pœna puniendus venit, qui sine licentia confessiones audit, & §. 3. si vis scire, qua pœna sit puniendus, qui non Sacerdos confessiones audit.

64. Dicendum est, non posse Prælatum Regularē absque grauissimo peccato mortali vti scientia habita in confessione ad externum regimen, se teneri, audita confessione, omnino se gerere, ac se gessisset, si confessionem non audisset. Ista sententia est contra multos antiquos DD. sentientes, vsum talis scientiæ esse licitum, quando in eo vsu nullum adest periculum detectionis directæ, aut etiam indirectæ sigilli confessionis. Hos citat Sanch. *loco cit. numerò* 2. &

Fagund. cit. *cap.* 2. *num.* 2. Est tamen communior inter recentiores, & eam tenet Armilla, *verb. Confessor, num.* 7. Bonn. Val. Delr. Victor. *loc. cit.* Sanch. cit. *num.* 4. Suar. *num.* 4. *sect.* 1. *loc. cit.* Fagund. cit. *cap.* 3. *num.* 1. Conrad. *tom.* 1. *quæst.* 334. *vers. Quod publico, & q. seq. in addit.* Vech. *numero* 3. Filliuc. *num.* 333. & 335. Mal. cit. *verb. Videtur clemens.* Prob. Tum quia quæ scit confessor in confessione, scit vt Deus, vt dicitur *in cap. Si Sacerdos, de off. ord.* & docet D. Th. *in* 4. *loc. cit.* ergo ea scientia minimè potest vti vt homo, & humano modo pro foro exteriori. Tum quia potissima ratio, quare confessionis sigillum tam inuiolabiliter obligat, est ad temperandum durissimum confessionis præceptum, & ad illud facilitandum, vnde vitanda sunt illa omnia, quæ confessionem, & difficilem, & odiosam, & onerosam reddere possunt, at redditur odiosa confessio, si pœnitentes intelligant, se per illam posse aliquid in externo fore pati. Tum quia expressè Regularibus prohibuit Clemens VIII. & confirmarunt tres subsequentes Pontifices Paulus V. Greg XV. & Vrban. VIII. vt constat *ex const.* 10. *Vrb VIII. tom.* 2. *nostr. priu.* §. 73. vbi dicitur: *Tam Superiores pro tempore existentes, quam confessary, qui ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentissimè, ne notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur.* Vnde sententia contraria apud Regulares saltem iam non habet locum. Sed nota tria circa hoc decretum, 1. quòd Papa vetat absolutè, Prælatum tali scientia vti, siue ea vtatur in rebus, quæ sitæ sunt in sua libera potestate, siue in iis, quæ non potest facere sine causa, siue ea vtatur absque periculo fractionis sigilli quoad alios, siue quoad pœnitentem ipsum, cum enim ipse non distinguat, nec nobis distinguere licet, sed obseruare. Ita Suar. *loco cit. num.* 4. *fine.* 2. nota illam clausulam, *diligentissimè caueant*, per quam nemo dubitat, quòd formale obedientiæ præceptum ad mortale obligans importetur. 3. quòd non possint Prælati non solum vti notitia confessionis, quam habuerunt tempore Prælatiæ, sed nec illa quam habuerunt antequam ad Prælatias assumpti essent. Hæc tamen sententia est cum grano salis intelligenda, nimirum, vt non possit Prælatus dicta scientia vti ad exterius regimen in iis, in quibus pœnitens confundi, verecundari, damnificari, præiudicari in honore, vita, & rebus, aut in aliquo rationabiliter minorari potest, Nam dictum statutum videtur solùm velle concernere subditorum indemnitatem, & ad hoc solum factum est, vt ex procemio illius constat. Vnde non prohibet, quin, salua dicta subditorum pœnitentium incolumitate, saluóque confessionis sigillo, non possit Prælatus dicta scientia vti, quando pro vita, fama, & bonis suis, & suorum prudenter iudicauerit. Atque ita limitant hanc sententiam Fagund. *in* 2. *prec. Eccl. lib.* 6. *cap.* 3. *num.* 1. Sanch. *lib.* 3. *de matr. disp.* 16. *num.* 4. *verf. Est tamen*, Mald. *de sigil. conf. loco citat* Delr. & alij.

65. Ex qua sententia sic declarata colligitur, 1. quòd si ex confessione cognoui, parari mihi insidias ad mortem, vel vulnerationem, possum è domo non exire, aliàs exiturus. Possum item denegare gladium apud me depositum illi, qui eo me vult occidere, aut vulnerare. Possum item mutare locum, & domum, aliunde, sumpta occasione; si ex confessione sciam hac nocte mihi malum grande in hoc loco intendi. Possum item non intrare syluam ad euadendum insidias, ad quam ex confessione scio me vocandum fore insidiosè. Possum item vinum venenatum non bibere. Et si ex eadem confessione sciam, aliquos conuenisse, vt hac nocte diripiant cellam meam, vel amici mei, possum totam noctem in cella, vel amici mei, honestè ludendo, iocando, transigere. Item si sciam ex confessione, meum confessarium non esse Sacerdotem, vel non esse approbatum, possum illi amplius non confiteri. Possunt item Prædicatores in communi coarguere, dummodò non dicant se id ex confessione scire. Poterunt item Prælati reseruare sibi casus, si via concessionis sciant vergere aliquos in detrimentum suæ Religionis. Potest item Prælatus orare pro pœnitente, petendo à Deo remissionem, vel emendam. Item potest consulere in re dubia virum doctum sine periculo cognitionis personæ, non tamen si expressè id vetuisset pœnitens, vt aduertit Mald. *de sigill. capite decimoquarto, verf. Quares, an confessarius*, Item ex confessione vnius potest confessarius alterum in confessione interrogare in genere tamen, an scilicet habeat aliud peccatum, quòd illius conscientiam grauet. Atque ita Fagund. *loco citat.* Sylu. *verb. Confessio*, 3. *numero duodecimo*, Mald. cit. Suar. *loco cit. numero nono*, Bonac. *disput. quint. de Sacr. pœnit. quæstione sexta, sect. quinta, part.* 4. *num.* 27. & 28. Sanch. *loco cit.* & alij multi apud Fagund. & ratio est, quia in his omnibus casibus nulla fit iniuria, vt suppono, Sacramento confessionis, semper enim debet aliqua externa ea sa prætexi, quæ de se non sit indicatiua, neque directè, neque indirectè confessionis, neque vlla fit iniuria pœnitenti, neque vllus iniicitur ei pudor, cum enim Sacerdos in iis casibus ius suum, vel gregis sui quærat, nemini facit iniuriam, neque potest quis rationabiliter conqueri, aut pudefieri, quod quis suam incolumitatem, aut proximi, aut communitatis quærat, neque ex hoc potest rationabiliter retrahi à Sacramento pœnitentiæ; neque item ex hoc redditur onerosa, aut odiosa confessio.

66. Colligitur 2. Non posse confessarium extra confessionem, etiam ad corrigendos errores intolerabiles in confessione commissos, monere pœnitentem de rebus in confessione auditis, absque ipsius licentia, quia ad hoc etiam obligat confessionis sigillum, & memoriæ refricatio de peccatis commissis committentem contristat. Sanch. *loco cit. num.* 3. *verf. Tertiò*, vbi multos citat, & Fagund. *num.* 6. Mald. *de sigillo, cap.* 21.

67. Colligitur 3. Quòd Superior, qui ex confessione nouit, confesso esse periculosum adire talem locum, non potest ex illa scientia ei negare licentiam adeundi dictum locum, aut prohibere, ne ad eum locum eat, potest tamen in confessione exigere propositum firmum non amplius eum locum adeundi, eique præcipere in eadem confessione ne adeat, quando tantum est periculum, vt lege naturæ teneatur vitare, & defectu huius propositi negare absolutionem, ita Mald. *loc. cit. verf. Videtur.* Pottel. *in dub. reg. verb. Prælati potestas*, *num.* 22. Nec refert, quòd hoc casu Prælatus non adhibeat suo subdito remedium efficax, quod potest, eum amouendo à Conuentu, vel prohibendo ne accedat, nam, vt sanctè D. Thom. *in* 4. *dicto* 21. *quæstione tertia, articulo primo, quæstiuncula prima ad tertiam*, non tenetur Prælatus adhibere malo remedium, nisi eo modo, quoad ipsum defertur.

68. Colligitur 4. non posse licitè Prælatos vti notitia confessionis complicis alicuius delicti, vt fiant vigilantiores circa alios complices, nec posse licitè solito diligentiùs inuigilare, vel insidias parare, vt eos in delicto comprehendant; quia ex hac cautela necessario redditur odiosa confessio. Ita Fagund. *loco cit. num.* 9. *in parte*, Suarez *tomo* 4. *in* 3. *p. disp.* 33. *sect.* 7. *num.* 10.

69. Colligi

69. Colligitur 5. Non posse Prælatum vti scientia confessionis ad non eligendum illum, quem per talem scientiam nouit indignum, si dignissimus indicatur ab omnibus, sed teneri eum eligere, licet suffragia dentur secretò, quamvis loquendo de subdito, *tom 1. huius op. cap 31. §. 2. vers. Quæres 1.* contrarium dixerim. Ita Mald. *loco cit. vers. secundò si lege, & vers. Sextò generatim*, Vech. *de non. disp. 12. dub 4. num. 2.* Sanch. *3. de matr. disp. 16. n. 4 vers. Est tamen*, Filliuc. *tom. 1. tract. 7. cap. 11. num. 337.*

70. Colligitur 6. non posse Prælatum vllo modo remouere aliquem ab officio ad nutum amouibili, per solam scientiam habitam in confessione. Ita Fagund. *loco citato, num. 1.* Mald. cit. *vers. Quæri etiam potest.* Conrad. *tom. 1. cas. q. 335. in addit.* Ban. Val. *loc. citat.* Suar. *cit. disp. 33. sect. 7. num 4* Sanch. *loc cit.*

71. Colligitur 7. Non posse confessarios ex sola scientia confessionis, monere Superiores, vt plus solito inuigilent, cautelas maiores adhibeant, quia tali die, & hora committendum est tale delictum: neque quod inuigilet super gregem suum, quia illum tale peccatum inuasit, & committitur ordinariè; Quia forum confessionis nullum habet commercium cum foro exteriori, & ex tali admonitione statim coniicitur, id scitum fuisse in confessione, quod est contra sigillum, & ex hoc redditur odiosa confessio. Posset tamen obligare pœnitentem ad id Superiori denuntiandum, vel ab eo obtinere licentiam id faciendi. Ita Fagund. *in 2. prac. Eccl. lib 6. cap. 3. n.* 8. Reginald. *in praxi, lib. 3. n. 14. vers. Quanquam inclinat.* Mald. *de sigil. cap. 14. vers. Quæritur denique* Et in omnium opinione non potest confessarius id facere, quando adest periculum directæ, vel indirectæ fractionis sigilli. Sed nostrum corollarium procedit etiam sine tali periculo, sed ex sola suspicione, quòd id scitum sit in confessione, seu ex sola simplici scientia confessionis; Quæ suspicio hoc casu semper adest; alioquin enim si id scitum sit extra confessionem, omninò pro bono publico reuelandum est, etiam cum tali periculo. Vnde cum reuelatarij viderint id sibi cum tanta cautela reuelari, statim coniicient, id fuisse scitum in confessione, imò cogent etiam confessarium ad id dicendum, vtendo hoc dilemmate, vel hoc scis in confessione, vel non, si 2. teneris pro bono publico fateri, si non fateris, ergo scis in confessione. Consulo itaque semper confessarios, vt taceant, pro reuerentia Sacramenti.

72. Colligitur 8. Non posse Prælatum ex sola notitia confessionis transferre expensorem, seu alium fratrem Conuentus furantem eleemosynas; panem, &c. Nec similiter potest ex eadem sola notitia dimittere famulum Conuentus propter iam sæpè dictas rationes. Ita Fagund. *loco cit. num.* 1. Mald. *loc. cit. vers. Huc spectat dubium.* Bonac. *de pœn. disputat. 5. quæst. 6. sect. 5. par. 4. num. 15.*

73. Colligitur 9. Non posse confessarium ne occultè quidem vitare, quem ex sola confessione nouit excommunicatum vitandum. Fagund. *loc. citata, num.* 10. Mald. *de sigill. cap. 12. vers. Decimoquartò.* Suar. *tom. 4. in 3. part. disp. 33. sect. 6. num. 3.*

74. Colligitur 10. Non posse Prælatum, aut confessarium ex sola scientia confessionis rusticiorem se, vel in gestis, vel in verbis, vel in nutibus pœnitenti demonstrare, quia ex hoc redditur odiosa confessio. Ita Bonac. *loc. cit. num.* 26. Regin. *in praxi, lib. 3. num.* 24 Mald. *de sigil. cap. 21. vers. Denique.*

75. Colligitur 11. Non posse Prælatum repellere suum subditum ab ordinatione, quando per solam confessionem nouit ipsum esse irregularem, vel indignum; posse tamen exigere à pœnitente, vt abstineat, & denegare absolutionem, quando non vult abstinere ab his, quæ sine mortali facere non potest. Ita Conrad. *tom. 1. cas. q. 335. in addit.* Sanch. *3. de matr. disp 16. num. 4. vers. Est tamen*

76. Colligitur 12. Non posse Prælatum Eucharistiam denegare illi, quem per solam confessionem nouit indignum, siue publicè, siuè occultè petat. Sanch. *loc. cit. num.* 11. Bonac. *loco cit. num.* 17. Fagund. *loc. cit. num.* 11.

77. Ad vltimum hic nota, quòd confessarius, qui iocandi gratia, & ad recreationem dicit ea, quæ audiuit in confessione absque circunstantiis, & etiam citra periculum reuelationis, grauiter peccat. Quia vti illis, quæ ex tali sanctuario accepta sunt, ad ridendum, est valdè irreligiosum, & de se scandalorum productiuum, maximè quando diceret specificè, ea se in confessione audiuisse. Ita Mald. *de sigil. c. 14. ad finem, vers. Quæres an confessarius*, vbi ait, quòd tales confessores habituri sunt partem cum illis Babylonicis, qui temulenti biberunt ex sacris vasis templi, *Dan. 5.* & approbat etiam dictum Hostiensis sentientis, tales confessarios esse priuandos facultate audiendi confessiones, quòd sine graui culpa non est faciendum. Et Sot. *de ser. reg. memb. 3. q. 4. concl. 3. vers. finem*, ait cauendū esse confessariis à spargendis salibus de confessionib. quia vltra scandalum, sacro vsu venire solet, vt illi in antes pœnitentiæ perueniant, vnde grauiter offenduntur.

78. Nota etiam, quod confessarius imò interrogatus; an reus confessus sit tale peccatum, potest dicere, & iuramento affirmare, se tale peccatum in confessione non audiuisse, vel reum sibi hoc confessum non fuisse, mente intelligendo. Vt reuelare possim, quia iudici iniquè interroganti non tenemur ad mentem respondere, sed possumus amphibologia vti. Ita Delr. *mag. disq. lib. 6. sect. 2. vers. Ex hac autem*, Reginald. *in praxi lib. 3. num.* 22. Suar. *tom. 4. in 3 par. disp. 33. sect. 6. num. 6. & 7.* Nauarr. *in cap. Sacerdos, de pœn. d. 6. num.* 141. Sed quid, si tyrannus huius doctrinæ non nescius, obliget ad iurandum, quòd non æquiuocauit in tali responsione? Dico, quòd adhuc potest mentem restringere, & æquiuocationem æquiuocationi adiungere, & impietatem tyranni verá virtute deludere.

CAPVT III.

De auctoritate, quam habent Prælati Regulares super votis suorum subditorum.

1. Vide D. Thom. 2. 2. *quæst* 88 *articulo* 8. vbi Cajet. & Arag. Valent. *tomo tertio, disp. 6. quæst. 6. part. 6.* Azor *tomo 1. libro 11. capite 17. à quæst. 4. & capite 18 a quæst. 16.* Rodrig. *tomo 1. quæst. reg. quæst. 25. ab art. 4.* Miránd. *tomo 2. man. quæst. 32.* Sot. *lib. 7. de iust. quæst. 3. articul. 1.* Palat. *in 4. dist. 38. disput. 3. de vo. à vers. Facilius tamen*, Sayr. *in claui reg. libro sexto, capite quinto, à numero 18. & capite decimo, à numero octauo, & cap. 11. à num.* 87. Less. *lib. 2. de iust. cap. 40. a num.* 71. Molf. *par. 1. sum. tract. 11. cap. 13, à num. 26 & cap. 15 à num.* 65. Sanch *4. in dec. cap. 25.* Filliuc *tom. 2. tr. 26. c 6. à n. 171 & c. 8. a n.* 240 Sayr. *tom 2. de relig. lib 6. de vo. c 7. & lib. 3 c. 5. & tomo 3. de relig lib. 2. c. 13. à n. 8. & tom. 4. de relig. tract 1. lib 2. cap. 12. n. 10.* Gher. *in thes. mor. verb. votum, cap. 6. à numero 1.* Ledesma *2 part. sum. tract. decimo, de vo. capite septimo, à dub. prim. pag. mihi* 820. A S. Faust. *in thes. libro secundo, à quæstione tertia, & à quæstione 139. & libro tertio, à quæstione vigesimaprima.* Graff. *2. part. decis. libro secundo, capite duodecimo, num.* 30. Porrel. *in dub. reg. ver. Votum, a numero 26. &*

in addit. à num. 57. Nauarr. *in man.capite duodecimo, num.* 67. *&* 69. Vega *tom.* 2. *summ. capite* 126. *à casu* 87. Llam. 3. *part. met. cap.* 4. §. 42.

2. Dico primò, Possunt Religiosi licitè, & meritoriè ea omnia bona opera vouere, quæ nec Regula, nec Superiorum præcepto eis sunt interdicta, nec eos à debito illorum obsequio retrahunt, & dicta vota statim obligant, nullo expectato Superiorum consensu, & ea seruare tenentur vouentes, donec Superior illis contradicat. Ita Sanch. *loc. cit. num.* 6. Suar. *tomo.* 2. *de relig. lib.* 3. *de vo. cap.* 5. *à num.* 3. Filliuc. cit. *cap.* 6. *num.* 172. Miranda *art.* 4. *concl.* 4. Sayr. *cap.* 5. *num.* 22. Azor. *cap.* 17. *quæst.* 4. Portel. *in addit. cit. verb. Votum, num.* 61. Tustat. *in cap.* 30. *Num. q.* 72. Vega *casu* 90. Less. Graff. *loco cit.* Tribuitur D. Thom. *loc. cit.* vbi eam expresè tenent Cajet. & Aragon. Probatur, Tum quia ad sic vouendum nullo iure Religiosis reperitur vetitum.

3. Noto 1. Quòd Richard. *in* 4. *dist.* 38. *art.* 4. *q.* 1. Host. *in summ. de vo.* §. *Quis vouere possit.n.* 7. *vers. Item nec votum*, Ang. *ver. Votum* 2. *numero* 3. Rosel. *eodem* 2. *num.* 14. tenent; quòd Religiosi non possunt licitè vouere absque Superioris consensu, quòd si voueant irritum est. Probant tum ex iure *can. cap. Monacho* 20. *q.* 4. vbi dicitur: *Monacho non licet votum vouere sine consensu Abbatis, si autem vouerit, frangendum erit.* Tum quia votum est voluntate, quæ subiecta est Prælatis. Tum quia tam graue est Religionis onus, vt supergrauari non possit sine periculo succumbendi. Tum quia sæpè transfigurat se Satanas in Angelum lucis ad decipiendum Religiosos deuotos, vt his votis se arctent, ad hoc vt deinde vel omittant Religionis debita, vel vota non seruent, & sic implicet in multis scrupulis, & quæstionibus, quæ ipsos toto tempore vitæ suæ inquietent. Tum quia dicta vota propria voluntate facta, & executioni mandata, non videntur placere Deo, ad *illud Isa.* 58. vbi illi interrogationi. *Quare ieiunauimus, & non aspexisti, humiliauimus animas nostras, & nescisti?* Respondit Deus, *Ecce die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra.* Vbi tota causa, quare dicta bona opera humilitatis, & ieiunij non placuerunt Deo refunditur in id, quòd facta sint propria voluntate. Vnde etiã Bern. ser. *septuagesimoseptimo* in Cant. *Grande malum propria voluntas, qua fit, vt bona tua tibi bona non sint.* Quare hæc sententia non solum temeraria non est, vt eam temere dicit Ledesm. *loc. cit. dub.* 1. *vers. Digo lo primero*, imò valdè probabilis. Tum quia fundatur rationibus, & auctoritatibus. Tum quia licèt contraria sit probabilior, non est tamen ita certa, vt illi contradici non possit. Tum quia DD. huius sententiæ non eam nobis tradunt tanquam omnino indubitabilem, sed tanquam probabiliter veram, & sic probabilem putat Anton. 2. *part. tit.* 11. *cap.* 2. §. 6. *vers. Quintò clerici.*

4. Noto 2. quòd alij in hac controuersia tenent, quòd nulla Religiosorum vota, etiam de materia illis non prohibita; sunt obligatoria antequam approbentur, & ratificentur tacitè, vel expresè per Superiorem. Quia Religiosi non solum subduntur Superioribus quoad materiam promissam, vt sic sufficiat ad votorum valorem ipsos Superiores non contradicere, sed etiam subduntur quoad voluntatem, qua vouent, cuius dominium est apud Superiorem; vnde actus promittendi in talibus subditis, vtpotè qui est vsus voluntatis alienæ, non est Deo acceptus, nec obligationem inducit, donec Superior consentiat. Et pro hac sententia puto esse tex. expressum *in dicto cap. Monacho.* Vnde constat, quòd ista sententia discrepat à 1. quatenus docet, quòd huiusmodi vota non sunt obligatoria ante Superioris consensum tacitum, vel expressum, vt 1. docebat. Discrepat etiam à 2. quatenus dicit, quòd huiusmodi vota sine peccato fiunt, & non sunt ipso facto nulla. Atque ita expresè Anton. 2. *par. sum. tit.* 11. *cap.* 2. §. 6. Pisan. *verb. Votum* 2. §. *Verum qui sunt subiecti, &* §. *penult.* Bellouac. *in spec. mor. lib.* 1. *par.* 3. *d.* 67. Graff. *tomo* 2. *consi.lib.* 3. *de vo. consi.* 1. *num.* 12. Gbet. *loc. citat. verb Votum, cap.* 6. *quæst.* 2. *&* 3. Val. *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 6. *par.* 6. *col.* 3. *vers. Et quoniam hac.* Est et sine dubio sententia expresa D. Thom. prout de mente eius eam tenent præfati DD. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 8. vbi ad 3. disertis verbis ait: *Nullum votum Religiosi est firmum, nisi sit de consensu Prælati*, & ad 4. ait: *Licet votum eorum, qui sunt alterius potestati subditi, non sit firmum sine consensu eorum, quibus subiciuntur, non tamen peccant vouendo, quia in torum voto intelligitur debita conditio, si Superioribus placuerit, vel non renuntur*, si scilicet scientes votum, non contradicant, quia tunc consentire videntur, ad illud: *Qui tacet, consentire videtur*, & ille dicitur consensus tacitus. Quæ verba sunt ita clara, vt obscurari non possint, vel debeant. Quare, vt ingenuè fatear, hic D. Thom. sententia mihi magis placet, quàm aliæ, & eam securiorem existimo in praxi, & est ablatiua scrupulorum, & exclusiua fallaciarum dæmonis, vnde ei toto corde subscribo, si addam, teneri subditum post votum peractum, ne illud sit irritum, & vanum, statim ac commodè poterit, monere expresè Superiorẽ de voto facto, ad videndum, an velit consentire, nec-ne, eo modo, quo auctores 1. sententiæ tenent, Religiosum facientem votum de re prohibita à Prælato, teneri monere Prælatum expresè, se tale votum fecisse; nec sufficere, si petat facultatem faciendi quod vouit, nisi exprimat se votum fecisse. Hi sunt Sayr. *in claui reg. libro sexto, capite quinto, numero vigesimo, vers. Quamuis igitur*, Suar. *tom. secundo, de relig. libro sexto, de vo capite septimo, numero decimoquarto*, Sanch. 4. *in dec. capite vigesimoquinto, numero vigesimoquarto, & vigesimo-octauo.*

5. Noto 3. Quòd postquam Prælatus dedit licentiam subdito votum faciendi, vel factum adimplendi, potest adhuc licentiam, seu consensum præstitum reuocare, ita vt subditus ampliùs non teneatur votum illud implere. Ita Cajet. 2. 2. *quæst. octogesimaoctaua, articul. octauo, vers. In eodem ar.* vbi Arag. *col.* 5. *vers. Est aliud dubium*: Sot. *libro septimo, de iustit. quæstione tertia, articulo primo, vers. At verò*, ibi: *Nihilominus respondetur*; Val. *loco cit. vers.* 3. *quæst.* Ledesma 2. *par. sum. tract. decim. de vo. cap. septimo, dub. secund. pag. mihi* 824. Sayr. cit. *capite decimo, numero duodecimo*, Vega *tomo secundo, sum. capite* 126. *casu* 91. Rodrig. *tomo secundo, sum. capite* 91. *numero sexto*. Less. *libro secundo, de iustit. cap. quadragesimo, dub. decim. numero septuagesimoquinto*, Regio. *in praxi, libro decimo octauo, numero* 304. Filliuc. *tomo primo, tract.* 26. *capite octauo, numero* 245. Suar. *tomo secundo, de relig. libro sexto, capite octauo, numero quarto*, Sanch. 4. *in dec. capite* 27. *num.* 9. Prob. Tum quia licet Superior det facultatem ad vouendum, tamen adhuc retinet sibi dominium voluntatis subditi, & rei offerendæ per executionem voti, solum enim eam facultatem concedit, quæ subdito sufficit, vt & voluntate propria, & re offerenda vtatur, vouendo, & exequendo votum. Quæ facultas eum possit concedi absque translatione dominij, vt constat, quia possum alicui concedere, vt re mea vtatur ad libitum suum, reseruando tamen semper mihi dominium eam resumendi; ergo existimandum est, quod Superior, saluo sibi dominio, illam concesserit. Tum quia id non obscurè

obscurè colligitur *ex cap. Noluit, & ex cap. Manifestum*, 33. *quæst.* 5. vbi habetur, quòd si maritus consentiat voto vxoris, & deinde reuocat, mulier non tenebitur ampliùs voto. Quare etiamsi nullam rationabilem causam haberet Prælatus dictam licentiam reuocandi, adhuc reuocatio teneret, & subditus deobligaretur à voti executione, vt Val. *loco cit. col.* 5. *vers. Cæterùm.* Sayr. Ledesm. Imò addit Sanch. *loc. citat. num.* 21. posse Prælatum irritare votum, etiamsi concedendo facultatem vouendi, seu votum confirmando, protestatus esset, se illam irreuocabiliter concedere, & illud votum eximere à sui potestate, quia non potest à se abdicare dominium voluntatis subditi.

6. An autem peccaret Prælatus, sine causa dictam licentiam reuocando, putant aliqui quòd non, qui vtitur iure suo, à veniali tamē non excusant alij. Videtur enim quædam deformitas rectę rationi contraria, quòd Superior, qui debet posse reddere rationem omni poscenti, hic solam voluntatem pro ratione habeat. Colligitur *ex cap. Manifestum*, 33. *q.* 5. Ita Ledesm. *loc. cit. vers. Digo lo segundo*, Val. *loco cit. col.* 1. *vers. Ad quam*, Sayr. *loco cit. num.* 14. Sylu. *verb. Votum* 4. *q.* 2. *vers. Sextum.* Vide *infra num.* 11. Imò aliqui putant, talem irritationem posse esse mortale, Regin. Ledesm. Vega *loc. cit.* Sanch. *num.* 32. Sed nisi adsit contemptus, vel scandalum, non posse esse mortale, dicit Suar. *loc. cit. cap.* 4. *num* 22. & hoc etiamsi materia voti sit grauis.

7. Dico 2. Possunt Prælati Regulares vota omnia simplicia suorum subditorum regulariter irritare. Ita Sayr. *loco cit. num.* 8. Sot. *loc. cit.* Ledesm. cit. *dub. vlt. pag. mihi* 826. Vega *cas.* 88. Azor. *part.* 1. *lib.* 11. *cap.* 18. *quæst.* 16. Syluest. cit. *dicto* 5. Ang. *verb. Votum*, 8. *num.* 3. Rosel. *eod.* 2. *num.* 14. Nauarr. *in man. cap.* 12. *num.* 85. *vers. Item quod verior*, Rodrig. *tom.* 1. *q. regul. quæst.* 25. *art.* 5. Less. *loc. cit. dub.* 10. *num.* 74. A S. Faust *lib.* 2. *thes. quæst.* 141. Regin. *loc. cit. num.* 221. Molfes. *tom.* 1. *tract.* 11. *cap.* 15. *à num.* 65. Miranda *tom.* 2. *man. q.* 31. *art. quart. concl.* 2. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 26. *cap.* 8. *num.* 241. Sanch. 4. *in dec. cap.* 33. *à num.* 2. Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 3. Portel. *in dub. reg. verb. Votum, num.* 32. Prob. quia per professionem ita se tradit Religiosus in potestatem Superioris, vt hic super illum acquirat dominium super omnes eius actiones, vt dicitur *in cap. Si Religiosus, de elect. in* 6. vbi habetur. *Si Religiosus, cuius arbitrium non ex sua, cum velle, vel nolle non habeat, sed ex illius, quem vice Dei super caput suum posuit, & cuius imperio se subiecit, voluntate dependet*, & idem habetur *in cap. Non dicatis*, 12. *q.* 1. Atque ita seruatur in praxi apud omnes Religiosos.

8. Noto 1. Quòd hæc potestas vota subditorum irritandi competit Prælatis ex iure diuino naturali, eo enim ipso quòd quis Religionem profitetur, subijcitur per obedientiam ita arbitrio Prælati, vt facta professione, iure naturali, & diuino, non possit ab illo suam voluntatem dimouere, sine ipsius iniuria. Ita Arag. 2. 2. *quæst.* 88. *articul.* 8. *col quart. vers. Tertiò est aduert.* Suar. *loco cit. numero quarto, & sexto*, Vega *loc. cit. vers. Et finalmente nota.* Sot. *libro septimo, de iustit. quæstione tertia, art. primo*, Miranda *loc. cit. concl.* 6. Rodr. *loc. cit. & parte secunda, summ. cap.* 91. *numero primo*, Ledesm. 2. *part. summ. tract.* 10. *de vo. capite septimo, dubitat. secund. vers. Digo lo tercero*, Sayr. *in claui reg. libro sexto, capite decimo, numero septimo, vers. Potestas autem*, A S. Faust. *loco citato, quæst.* 151. Sanch. *loco citato, capite* 24. *numero* 32. Azor. *tom. primo, lib.* 10. *cap.* 18. *q.* 3.

9. Noto 2. Quòd Prælatus potest irritare vota merè interna, vt vota faciendi quotidie tot actus amoris, fidei, &c. Licet enim Prælatus tales actus, vtpote merè internos, & nihil impedientes alia opera obedientiæ, prohibere non possit, potest tamen ab eis auferre obligationem voti. Tum quia cum petitur à Prælato voti irritatio, iam transit votum illud internum in externam materiam. Tum quia quando dicitur, quòd Ecclesia non iudicat de internis, intelligitur, quòd de illis non iudicat potestate iurisdictionis, at verò potestate dominij bene de illis iudicare potest. Tum quia aliud est, actus internos iubere, vel prohibere, aliud ab obligatione liberare, prius enim onus est, ac proinde præceptum de illo imponere, petit posse de illo iudicare, & transgressores cogere, quod nulli potestati conuenit. 2. autem cum onus non imponat, sed ab eo liberet, non indiget potestate legis, aut præcepti ferendi circa illud, vnde, cum sit fauorabilibus, Prælato Religionis denegandum non est. Ita Suar. *tomo secundo, de relig. de vo. libro sexto, capite septimo, numero octauo*, Sanch. 4. *in decis. capite vigesimoquarto, numero quadragesimo*, Portel. *in dub. regul. verb. Votum, num.* 32.

10. Noto 3. Quod Prælatus potest irritare ea subditorum vota, ad quorum materiam seruandam aliàs tenentur, vt verbi gratia, votum non furandi, non blasphemandi, non mentiendi, pecunias non tangendi, camisias non deferendi in Ordine nostro. Quia cum sit Dominus voluntatum suorum subditorum quantum ad ea, quæ non sunt de necessitate salutis, & concernere possunt rectam ipsorum subditorum directionem in vitam æternam, potest omne id prohibere, quod à radice pullulat voluntatis. Cum ergo noua illa obligatio voti super re alias debita sit effectus voluntatis, & non sit de necessitate salutis, illam etiam prohibere potest. Ita Sot. *loco citato, asser.* 4. *vers. At vero non facilè*, Aragon. *loco cit. col.* 4. *ver. His positis*, Ledesma *tom. secundo, summ. tract. decim. de vo. capite septimo, dub. vlt. ver. A luqual digo*, Sayr. *loco citato, numero octauo*, Nauarr. *in man. capite duodecimo, numero sexagesimoquinto*, Regin. *in praxi, libro decimooctauo, numero* 321. *ver. Aduerte autem*, Filliuc. *tomo secundo, tractatu vigesimosexto, capite octauo, numero* 242. Azor. cit. *quæstione decimasexta, & decimaseptima*, Less. *libro secundo, de iust. cap.* 40. *dub.* 10. *numero* 74. Sanch. *loc. cit. cap.* 33. *numero septimo*, Vega 2. *part. summ. cap.* 126. *cas.* 90. *ver. Terzo pno far voto*, Suarez cit. *numero septimo*, Val. *tomo tertio, disput. sexta, quæst.* 6. *part. sexta. col.* 7. *ver. Cæterum.* Molf. *tom.* 1. *summ. tractat.* 2. *capite decimoquinto, num.* 84. Rodrig. *tom.* 1. *quæst. reg. quæst.* 25. *art.* 4.

11. Noto 4. Quòd Superior potest licitè subditorum vota irritare absque vlla causa. Tum quia, cum sit Dominus, potest, iure suo pro libito vti. Tum quia, cum vota non sint firma sine illius consensu, nullo iure cogitur illum præstare. Et in hoc puncto facio differentiam, quando Superior iam licentiam concesserat; nam eo casu dixi *num.* 6. quod non potest absque culpa veniali sine ratione aliqua ea irritare. Tum quia quod semel placuit, ampliùs sine ratione superueniente displicere non potest. Tum quia in hoc semper adest aliqua deformitas, & illa retractatio vel causam dicit, vel leuitatem. Tum quia illud velle, & nolle pro solo libito voluntatis in Religiosorū Prælatis vituperabile est. At quando nondum confirmauit, etiamsi nulla adsit causa, nulla talis deformitas apparet, vnde etiam à veniali excusandus est. Atque ita Nauarr. *loc. citat. n.* 69. Azor. *loco cit. q.* 5.

Anton. 2. *part. tit.* 11. *cap* 12. §. 7. *vers. Item nota*, Ledesma *loc. cit. dub.* 2. *pag.* 823. Llam. 3. *p. mer. cap.* 4. §. 42. Vega *loc cit. cas.* 89. Rodrig. *cit. art.* 7.

12. Noto 5. quod vota possunt à Prælatis irritari, inuito vouente, quia cum irritatio pendeat à potestate dominatiua Superioris, inferior eam impedire non potest. *loc. cit. cap.* 1. *num.* 13. Sayr. *in claui reg. lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 6. Sanch 4. *in dec. cap.* 24. *num.* 25. Bonac. *in dec. disp.* 4. *q.* 2. *part.* 7. §. 2. *num.* 35. Arag. 2. *q.* 89. *art.* 9. *in princ.* A S. Faust. *lib.* 2. *thes. quæst.* 27. Portel. *in addit. ad dub. regul. verb. Votum, num.* 57. An autem similiter dispensatio, inuito vouente, fieri possit, negant Suar. & Arag. Quia est beneficium, quod in inuitum non confertur. Affirmant Sanch. *num.* 26. & Bonacina quando id poscit bonum commune, quia non potest subditus sua voluntate priuare Superiorem potestate, quam habet illius vota dispensandi, si bonum commune id poscat. Commutare autem vota inuito vouente quod non possit Superior, dicunt Suarez, Sanchez, Bonac. quia per commutationem transfertur voti abligatio in aliam materiam, & fit nouum votum, quod sine voluntate vouentis fieri non potest.

13. Noto 6. quod potest subditus voti sui irritationem à Prælato petere, iam antequam illud confirmauerit, quàm post, nec peccat vllo modo, etiamsi nullam talis irritationis causam habeat, nisi solum quia eum tædet votum implere. Tum quia in hoc vtitur iure suo, quo potest optare grauamen sibi impositum auferri, imò & licitis mediis procurare, nec in hoc vlla apparet deformitas. Tum quia vnicuique licet sua commoda honesta bonis artibus procurare. Ita Suar. *tom.* 2. *de relig. lib.* 6. *de vo. cap.* 7. *n.* 16. Sayr. *in claui reg. lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 14. Llam. & Veg. *loco cit.* Nec refert quod Prælatus post voti confirmationem illud licitè nequeat irritare sine causa, vt dixi *sup. num.* 6. quare si subditus irritationem petat sine causa, cum sit causa peccati venialis Prælati, non videtur posse à veniali excusari. Non refert, inquam, quia multa licitè petuntur, quæ licitè concedi nequeunt. Vnde Prælatus, qui videt se iam votum illud confirmasse, si non appareat causa irritationis, debet illam petitionem denegare, alioquin venialiter peccabit. An autem petens irritationem voti confirmati, teneatur illam circunstantiam confirmationis exprimere? Dic, quod non, si causam irritationis habeat, & exprimat, si nullam causam habeat, tenetur, vt possit Prælatus ex suo dicto suam conscientiam formare.

14. Noto 7. Quod vota semel irritata non reuiuiscunt, etiamsi vouens liberetur à Superioris potestate, & ponatur in statu, in quo vouere, & complere posset: vel etiamsi Superior irritationem à se sine causa factam retractet. Tum quia votum semel irritatum, cum ipso facto reddatur nullum, non potest iterum habere vim obligandi, nisi renouetur, *l. Cum ex causa, Cod. de remiss. pig.* Tum quia id colligitur *ex cap. Placet, de conuers. coniug.* Ex quibus constat, quòd coniux, cuius professio irrita fuit ab altero coniuge, non tenetur, illo mortuo, ad Religionem redire. Ita Val. *loco cit. col.* 6. *vers. Ita igitur est*: A S. Faust. *lib.* 2. *thes. q.* 27 & *q.* 164. Sayr. *in claui reg. lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 10. & 13. *fine* Nau. *in man. cap.* 12. *num.* 66 Vega 2. *par. sum. cap.* 126. *cas.* 95. Reginald. *in praxi, lib.* 18. *num.* 305. Suar. *tom.* 2. *de relig. lib.* 6. *cap.* 7. *n.* 13. Azor. *tom.* 1. *lib* 11. *cap.* 18. *q.* 4. Aragon 2. 2. *q.* 88. *art.* 8 *fine*, Rodrig. *p.* 2. *sum. cap.* 91. *num.* 8. Bonac. *in dec. disp.* 4. *q.* 2. *p.* 7. § 2. *num.* 36. Sanch. 4. *in dec cap.* 26 *num.* 3. & 4. & *cap.* 33. *num.* 10. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 26. *cap.* 8. *num.* 243. Et aduerte, quod subditus votum irritatum implens vt sic, & formaliter, peccat, quia contra obedientiam agit, & vtitur illa operatione contra Domini voluntatem. Ita Sayr. *loco cit. num.* 13. Vega *cas.* 91. *vers La segunda cosa*; A S. Faust. *quæst.* 159. Reg. *num.* 197. *vers. Tertium est.* Rodrig. *num.* 7. qui addit, tunc impleri votum contra voluntatem Prælati, quando ab ipso sponte, non ad instantiam vouentis irritatum est.

15. Noto 8. quod Superiores regulares, qui habent hanc potestatem irritandi vota, sunt Correctores, seu Vicarij Conuentus, Correctorem sustinere non valentis, Prouinciales, & Generales, quia hi omnes dominatiuam habent in subditos potestatem, acquisitam per votum obedientiæ. Ita Suarez *loc. cit. num.* 17. Reg. *num.* 324. Filliuc. cit. Sanch. 4. *in decis. cap.* 33. *num.* 15. Molfes. *tom.* 1. *sum. tract.* 11. *cap.* 15. *num.* 66. A S. Faust. *cit q.* 152. Ledesma 2. *p. sum. tract.* 10. *de vo. cap.* 7. *dub.* 2. *pag. mihi* 821. Vega *cas.* 88. Portel. *in addit. ad dub. reg. verb. Votum, num.* 69.

16. Si quæras, an Subprior, vel Vicarius relictus à Correctore, Conuentu egrediente, eodem die reuersuro, possit vota irritare? Subprior non posse, quia verè Prælati non sunt, nec potestatem habent dominatiuam, sed solùm habent officium coadiutoris in certis rebus particularibus plus, minusvè iuxta Religionum varietatem. Neque etiam posse puto Vicarios, à Correctore statim reuersuro relictos. Quia licet in casu alicuius necessitatis negandum non sit, hos posse aliquid sub merito obedientiæ præcipere, cum in eo de voluntate Prælati præsumitur concedi, cum non possit dari casus adeò vrgens, quin possit expectari Corrector. Si autem Subpriores in absentia Prioris habeant eandem auctoritatem, quam Prior, tunc cum sint verè substituti ad omnia genera causarum, puto, quod hac facultate potiantur. Et idem dico de Vicariis relictis à Correctore, per multos dies non reuersuro. Quia tunc censentur Correctores omnem suam auctoritatem pro recta administratione Conuentus eis delegare, vt docent Suarez, Reginald. *loco cit.* Sanch. *num.* 16. Molf. *num.* 69.

17. Si quæras etiam, an Visitatores, qui mittuntur ad visitandas aliquas Prouincias, habeant facultatem irritandi vota? Respondeo, in Ordine nostro non habeo dubium, quòd hac facultate potiantur, quia dantur ad vniuersitatem causarum, & cum ampla potestate tam in spiritualibus, quam in temporalibus. Pro aliis Ordinibus videndæ singulorum constitutiones. Simpliciter dicendum est, dictos Visitatores hac potestate potiri. Et ita docent Sanch. *loc. cit. num.* 15. & *cap.* 24. *num.* 23. A S. Faust. *lib.* 2. *thes. q.* 154. Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 28. *q.* 3. *vers. Monachorum verò*, Molf. *loc. citat. num.* 67. Sayr. *in claui reg. lib.* 9. *cap.* 10. *num.* 16. Portel. *loc. cit.* Et quòd hæc facultas irritandi vota possit aliis etiam solitariè delegari, Sanchez cit. *cap.* 24. *num.* 54. Portel. *in dub. reg. verb. Votum, num.* 45. Et quod possit etiam delegari à Superiore excommunicato non tolerato, quia non est actus iurisdictionis, sed dominij, Sanchez cit. *num.* 55. Bonac. *in dec. disp.* 4. *q.* 2. *part.* 7. §. 2. *num.* 31. *vers. Addo eum.* Et quòd maior Superior possit inferiori Prælato iusta aliqua de causa reseruare irritationem alicuius voti, sicut potest reseruare alia circa regimen, Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 17. Sanch. 4. *in dec cap.* 33. *n.* 19.

18. Quæres etiam, an Prælatus inferior possit irritare votum subditi, factum ex superioris Prælati licentia? Respondeo, quòd non. Quia potestas Superioris, siue iurisdictionis, siue dominij, non pendet ab inferiori; Suar. *loc. cit. cap.* 8. *num.* 2. Sanch. *cap.* 27. *num.* 4.

num. 4. Pottel. cit. *num.* 39. A S. Faust. cit. *q.* 160. Regin. *in praxi*, *lib.* 18. *num.* 324. *vers. Vnum est*, Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 16. *cap.* 8. *num.* 244. potest tamen inferior votum illud dispensare, quia cum votum sit de se dispensabile, & dispentatio non sit reseruata, non apparet cur nequeat fieri. Suar. *loc. cit. cap.* 10. *n.* 19. Portel. *num.* 44. & *in addit. num.* 80. Sanch. *cap.* 42. *num.* 5. Molfes. *tom.* 1. *sum. tract.* 11. *cap.* 15. *num.* 165. At verò Superior Prælatus potest irritare votum subditi, confirmatum ab inferiori Prælato, quia inferior potestas à Superiori pendet, imò etiam potest Superior Prælatus irritare votum factum ab inferiori, quia illius subditus est, & docent iidem DD. Suar. *num.* 3. A S. Faust. *q.* 261. Rodrig. 2. *par. sum. cap.* 91. *num.* 7. Sanch. *cap.* 27. *num.* 5. Superior tandem æqualis succedens potest irritare votum factum, & confirmatum auctoritate sui prædecessoris, absque causa, non aliter, ac si absque vlla licentia fuisset emissum, quia, cum par in parem non habeat imperium, *cap. Innotuit*, *de elect.* licentia Superioris præcedentis æqualis non potest succedenti æquali præiudicare, Sanchez 4. *in dec. cap.* 27. *num.* 36.

19. Noto 9. Quòd Prælatus non potest irritare votum arctioris Religionis, quia hoc votum est extra potestatem illius, iure canonico sic disponente *in cap. Licet*, *de reg.* Sanchez *loc. cit. cap.* 33. *num.* 2. Ledesma 2. *par. sum. tract.* 10. *de vo. cap.* 7. *dub. vlt. vers. Al aqual digolo primero*, *pag. mihi* 826. Suar. *tom.* 1. *de relig. lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 9. Vega 2. *part. sum. cap.* 236. *cas.* 95. *vers. Finalmente nota*, Azor. *loc. cit. cap.* 18. Sayr. *in claui reg. lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 9. Reginald. *in praxi*, *lib.* 18. *num.* 321. *vers. Aduerte autem*, Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 26. *cap.* 8. *num.* 242. Molf. 1. *par. sum. tract.* 11. *cap.* 15. *num.* 79. A S. Faust. *lib.* 2. *thes. q.* 150. Rodrig. *tom.* 1. *q. reg. q.* 25. *art.* 3. Potest tamen in isto voto Prælatus dispensare. Tum quia est votum simplex, & reperitur reseruatum. Tum quia tempore, quo Religiosus tale votum emittit, est ita subditus Prælato, vt teneatur eius voluntatem sequi. Ita Aragon. 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. *concl.* 5. Ledesm. & Vega *loco cit.* Rodrig. *q.* 149. Sanch. cit. *cap.* 41. *n.* 2. Sayr. cit. *cap.* 11. *num.* 90. & 91. Less. *lib.* 2. *de iust. cap.* 40. *dub.* 13. *num.* 107.

20. Noto 10. Quòd potest similiter Prælatus Religionis irritare promissiones suorum subditorum. Tum quia Religiosus, cum velle, & nolle non habeat, non potest se obligare, nisi de mandato, & licentia Superioris. Tum quia si potest Prælatus irritare promissiones factas Deo per vota, poterit multò magis irritare promissiones factas homini. Ita Nau. *lib.* 1. *cons. de pact. cons.* 7. *num.* 4. & 3. Suar. *tom.* 3. *de relig. lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 8. Graff. *num.* 2. *cons. lib.* 3. *de vo. cons.* 1. *num.* 13.

21. Sed quid, si subditus ex licentia Prælati aliquid alicui extra Religionem promiserit, poterit ne Prælatus eam promissionem, & licentiam irritare? Respondeo, aliquos affirmatiuè tenere, vt Aragon. 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. *vers. Est aliud dubium*, ibi: *Vel secundo*, Less. *loc. citat. dub.* 10. *n.* 75. *vers. Ad* 2 quia non solum promissio, sed etiam executio pendet à voluntate Prælati. Alij negant, Suar. *tom.* 2. *de relig. lib.* 6. *de vo. cap.* 8. *num.* 3. Sanchez 4. *in dec. cap.* 27. *num* 23. & *lib.* 7. *cap.* 31. *num.* 41. & *lib.* 9. *de matr. disp.* 40. *num.* 14. Bonac. *in dec. disp.* 4. *q.* 2. §. 2. *num.* 15. *vers. Addo*. Portel. *in addit. ad dub. reg. verb. Votum*, *num.* 63. Quia alias nemo auderet cum subditis religiosis contrahere, quod esset valde Religioni nociuum. Fatetur tamen Sanch. 4 *in dec. cit.* subditum non implentem promissum, renitente Superiore, non peccare. Quia licet Superior peccet, non tenetur subditus, eo inuito, exequi. Adde, quòd non solùm non potest Prælatus, qui dictam licentiam dedit, eam irritare, sed nec Superior, vel successor illius. Tum quia Religiosus ex ea promissione obligatur ciuiliter, & naturaliter, vt docent Abb. *in cap. Ex rescripto*, *de iur. iur. num.* 1. Sanch. 7. *in dec. cap.* 31. *num.* 40. Tum quia Prælatus successor tenetur stare contractui prædecessoris, vt multis probat Rodrig *tom.* 3. *q. reg. q.* 26. *art.* 1.

22. Noto 11. Quòd possunt similiter, & eodem modo Prælati regulares iuramenta suorum subditorum irritare. Habent enim huiusmodi iuramenta voti rationem, parique ambulant passu. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 9. *ad* 3. D. Anton. 2. *par. titul.* 10. *cap.* 6. §. 2. Sot. *lib.* 8. *de iust. q.* 1. *art.* 9. Regin. *in praxi*, *lib.* 18. *num.* 64. Sanchez 3. *in dec. cap.* 19. *num.* 2. Less. *lib.* 2. *de iust. cap.* 41. *dub.* 12. *num.* 61. Sayr. *in claui reg. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 5. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 25. *cap.* 9. *num.* 259. Suarez *tom.* 2. *de relig. tract. de iur. lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 4. *fine*, Graff. *tom.* 2. *cons. lib.* 3. *de va. cons.* 1. *num.* 13. Bonac. *in dec. disp.* 4. *q.* 1. *par.* 17. *num.* 4.

23. Noto 12. Quòd Prælati Regulares non possunt vota à se ipsis facta per se ipsos irritare, vel id suo confessario committere, nam Superior potest irritare vota ratione dominij, quod habet in voluntatem subditorum, vnde in his votis semper includitur conditio, *Si Superiori placuerit*, at vota Superiorum nullam talem habent tacitam conditionem à sua voluntate pendentem, sed à voluntate suorum maiorum, si ipsi fortè alicui potestati dominatiuæ subduntur. Quare non possunt sua vota irritare, aut aliis irritanda committere. Ita Sanch. 4. *in dec. cap.* 24. *num.* 70. A S. Faust. *lib.* 1. *thes. q.* 26. Possunt tamen dicti Prælati secum dispensare non solum in votis, sed etiam in irregularitatibus, præceptis Ecclesiæ, atque in cæteris, in quibus possunt dispensare cum suis subditis. Licet enim dispensatio sit actus iurisdictionis, cum tamen non sit contentiosa, sed voluntaria, potest in seipsum exerceri, nec repugnat; idem secundum diuersas rationes esse agens, & patiens, vt cum quis concedit Indulgentias, & illas lucratur. Neque hic requiritur distinctio personæ, vt in absolutione à peccatis. Et cum sit actus delegabilis, nihil obstat quominùs Prælatus possit hanc facultatem alteri committere, ad secum dispensandum, & Superior non debet esse prioris conditionis, quam subditi, quando defectus non est in radice. Ita D. Thom. *in* 4 *d. q.* 20. *q. vn. art.* 5. *quæst.* 4. *ad* 5. Sanch. 8. *d. matr. disp.* 3. *num.* 9. & 4. *in dec. cap.* 37. *num.* 45. & *cap.* 39. *num.* 12. A S. Faust. *lib.* 3. *thes. quæst.* 45. *num.* 3. Molf. *tom.* 1. *sum. tract.* 11. *cap.* 15. *n.* 118. Innuit Val. *tom.* 4. *disp.* 7. *q.* 20. *part.* 3. *col.* 3. *vers. Secundo asserimus*. Sot. *in* 4. *d.* 21. *q.* 1. *art.* 4. *col.* 4. *vers. Contra hanc*, Sà *verb. Religio*, *num.* 47. Vide *tom.* 1. *huius op. q.* 1. *cap.* 8. §. 5. *concl.* 6.

24. Dico 3. Possunt Prælati regules dispensare in votis suorum subditorum. Sayr. *in claui reg. libra* 6. *cap.* 11. *num.* 88. Sanch. 4. *in dec. cap.* 39. *num.* 3. Val. *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 6. *p.* 7. *col.* 10. *vers. Sed cum constet*, Less. *lib.* 2. *de iust. cap.* 40. *dub.* 13. *num.* 107. Rodrig. *tom.* 1. *q. regul. quæst.* 25. *art.* 4. Suar. *tom.* 2. *de relig. lib.* 6. *de vo. cap.* 10. *num.* 13. & *tom.* 4. *tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 10. Portel. *in addit. ad dub. reg. verb. Votum*, *num.* 72. Regin. *in praxi*, *lib.* 18. *num.* 340. Nauarr. *in man. cap.* 12. *num.* 75. *vers. Tertio quod*, Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 26. *cap.* 9. *numero* 249. Miranda *tom.* 2. *man. q.* 32. *art.* 1. *concl.* 5. Molf. *loc. citat. num.* 116. A S. Faust. *loco citat. quæst.* 21. Bonac. *in dec. disp.* 4. *q.* 2. *part.* 7. §. 4 *num.* 26. *vers. Item Prælati*. Prob. quia dispensare est actus iurisdi-

ctionis spiritualis, solis Prælatis Ecclesiasticis iure ordinario competens, vt probat D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *loco citat. num.* 1. Sanch. cit. *cap.* 37. *num.* 16. Cum ergo Prælati regulares sint Prælati Ecclesiastici iure ordinario, & habeant auctoritatem quasi Episcopalem, sintque à iurisdictione Episcoporum exempti, non est, cur hæc potestas eis denegetur.

25. Dico 4. Possunt Prælati regulares commutare omnia vota simplicia suorum subditorum. Ita Molf. *tom.* 1. *sum. tract.* 11. *cap.* 15. *num.* 199. A S. Faust. *lib.* 4. *thes. q.* 3. Miranda *tom.* 2. *man. q.* 32. *art.* 5. Ledes. *tom.* 2. *sum. tract.* 10. *de vo. cap.* 8. *vers. Digo lo quarto, pag. mihi* 852. Portel. *in dub. reg. verb. Votum num.* 41. *& in addit. num.* 93. Sanch. 4. *in dec. capite* 49. *num.* 18. Regin. *in praxi, lib.* 18. *num.* 351. Less. *lib.* 2. *de iust. cap.* 40. *dub.* 11. *num.* 94. Sayr. *in claui lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 117. *& cap.* 12. *num.* 15. Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 6. *de vo. cap.* 12. *num.* 10. Bonac. *in dec. disp.* 4. *q.* 2. *par.* 6 *num.* 10. Prob. tum quia commutatio est actus iurisdictionis spiritualis, qui Prælatis Ecclesiasticis conuenit. Tum quia cum potest dispensare, quod est plus, potest etiam commutare quod est minus.

26. Ad vltimum hic nota, quòd Papa potest similiter vota Regularium irritare, ratione voti obedientiæ, quod extenditur ad ipsum tanquam Generalissimum omnium Religionum, ratione cuius acquirit in eos potestatem dominatiuam, minùs quàm alij Prælati Religionis. Non potest tamen Papa irritare vota sæcularium, nec Clericorum, nec Episcoporum, quia etiamsi in hos suprema polleat potestate ad eos dirigendos in finem spiritualem, ideoque possit iusta de causa in votis ipsorum dispensare, non tamen habet in eos potestatem dominatiuam, requisitam ad subditorum vota propria irritanda. Quia hæc nec erat illi necessaria, nec apparet, vnde illam hauserit. Et est à posteriori signum, quòd tam Episcopi, quàm Clerici multos contractus faciunt absque consensu, imò contra voluntatem Papæ. Atque ita D. Thom. 2. 2. *q.* 186. *art.* 5. *ad* 3. Reginald. *loc. cit. num.* 196. *vers. Atque hic*, Sayr. *in claui reg. lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 17. Suar. *tom.* 2. *de relig. lib.* 6. *de vo. cap.* 2. *num.* 3. *&* 4. *& cap.* 7. *num.* 18. Sanch. 4. *in dec. cap.* 24. *à num.* 18. Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 18. *q.* 3. *vers. Quæris an saltem*, Less. *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 10. *num.* 66. Rodrig. *tom.* 1. *q. reg. q.* 25. *art.* 5. Sot. *lib.* 7. *de iust. q.* 3. *art.* 1. Ledesm. 2. *part. summ. tract.* 10. *de vo. cap.* 8. *dub.* 2. *vers. Digo lo secundò, pag. mihi* 838. Nauarr. *in man. cap.* 12. *num.* 76. *vers. Sextò dicimus*, A S. Faust. *lib.* 2. *thes. q.* 12. 13. *&* 15. Vnde collige, quòd Papa est Pater Regularium potiori iure, quam aliquorum Christianorum, etiam Clericorum, etiam Episcoporum. Nam in hos solam habet iurisdictionem, in Regulares verò etiam absolutum dominium quoad omnes eorum actiones, sicut pater in filios. Quare tenetur etiam illis magis fauere. Qui enim plus liberaliter, & voluntariè dedit, plus accipere meretur, etiam ratione gratitudinis. Collige etiam, quòd Regulares, quos non malè vocabat quidam Senior è nostris Cor Ecclesiæ, sunt magis colligati Ecclesiæ, quàm alij: vnde tenentur maiores pro Ecclesia, vt semper fecerunt, labores perpeti.

27. Et si tandem quæras, an possint prælati Regulares irritare vota suorum subditorum simplicia reseruata Papæ, vt peregrinationis Hierosolymitanæ, Compostellanæ, Romanæ, & Lauretanæ? (si est Papæ reseruatum, vt falsò putare Nauarr. *com.* 1. *de reg. num.* 21. dicunt Azor. cit. *cap.* 19. *q.* 4. *vers. Mihi videtur*, & A S. Faust. *lib.* 3. *thes. quæst.* 46.) Respondeo, Quòd sic. Tum quia ista vota non possunt esse firma absque consensu Prælati, vt dixi *sup. num.* 4. imò putat Rodrig. *tom.* 2. *sum. cap.* 91. *num.* 2. quòd non possint Regulares talia peregrinationis vota facere, per priuilegium Benedicti XIII. vnde si quæ talia faciunt, sunt ipso facto nulla: nec tenentur ea manifestare Prælatis pro irritatione; quod etiam dicit Vega 2. *par. sum. cap.* 126. *casu* 90. Tum quia etiam post datum consensum, materia voti adhuc, & voluntas subditi executiua, est subiecta dominio Prælati, vnde semper potest illa irritare. Ita Suarez *tom.* 4. *de religion. tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 10. Sanch. 4. *in dec. cap.* 33. *num.* 19. Non potest tamen Prælatos in iis dispensare, quia sunt Papæ reseruata; & talis potestas illi necessaria non est, cum possit alia via, nimirum per irritationem, bono suæ Religionis regimini prouidere. Ita Miranda *tom.* 2. *man. q.* 32. *art.* 1. *concl.* 2. Portel. *in dub. reg. verb. Votum, num.* 42. Et aduerte, quòd ista vota peregrinationis commutantur simul cum alijs votis in votum religiosæ professionis, vt est communis opinio D. Thom. *in* 4. *d.* 38. *q.* 1. *art.* 4. *quæstiuncula* 4. *ad* 1. Sanch. 5. *in dec. cap.* 5. *à num.* 36. Barb. *in cap.* 4. *de vo. num.* 2.

CAPVT IV.

An Prælati regulares habeant facultatem censuras ferendi in suos subditos.

1. Vide D. Thom. *in* 4. *d.* 18. *q.* 2. *art.* 2. & *d.* 19. *q.* 1. *art.* 1. *quæst.* 3. *corp.* Palud. *in* 4. *d.* 18. *q.* 2. *art.* 1. Couarr. *in cap. Alma mater*, *p.* 1. §. 11. Nauarr. *in man. cap.* 17. *à num.* 5. Sylu. *verb. Excom.* 1. *num.* 5. Sayr. *lib.* 1. *de cens. cap.* 6. Henriq. *in summ. lib.* 13. *cap.* 24. §. 3. Coninch. *disp.* 13. *de cens. dub.* 4. *à num.* 31. Vasq. *tom.* 4. *in* 3. *par. tract. de excomm. dub.* 17. Rodrig. *tom.* 2. *q. reg. q.* 59. *art.* 1. Suar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 9. *à num.* 4. *& tom.* 5. *in* 3. *p. disp.* 2. *sect.* 1. *num.* 9. *& disp.* 18. *sect.* 1. Ysibaro. *in* 4. *d.* 18. *q. vn. disp.* 16 *sect.* 6. Mir. *tom.* 2. *man. q.* 35. *art.* 8. *& q.* 36. *art.* 4. *& q.* 37. *art.* 4. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 11. *cap.* 2. *à num.* 31. Auil. *de cens. part.* 2. *disp.* 1. *cap.* 3. Long. *de cas. reseru. part.* 1. *sect.* 1. *art.* 2. *num.* 1. *& art.* 6. *num.* 3. Llam. 1. *part. met. cap.* 9. §. 16. Bonac. *de cens. q.* 1. *part.* 2. *num.* 5. Portel. *in dub. reg. & in addit. verb. Abbas.* P. Sot. *de excomm. lect.* 4. Alter. *tom.* 1. *de cens. disp.* 3. Ghet. *in mor. verb. Excommun. c.* 2. Bayus *in theat. scien. theol. lib.* 2. *cap.* 100. Germon. *de Sacram. immun. lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 9. Angel. *verb. Excomm.* 1. §. 3. Pisanel. *eod.* 1. §. 1. Cruz *in direct. consc. tract. de cens. art.* 1. *concl.* 3. S. Cæsar *de Eccl. Hierarch. p.* 2. *disp.* 8. §. 6. *num.* 16. P. Greg. *lib.* 4. *decr. tit.* 16. *cap.* 4. Homob. *tom.* 2. *exam. tract.* 11. *c.* 1. *q.* 1. Graff. *tom.* 1. *consil. lib.* 5. *de sent. excomm. cons.* 1. *num.* 9 Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 20. *q.* 7. Tomb. *tom.* 2. *de iur. Abb. disp.* 14. *q.* 1.

2. Dico 1. Possunt Prælati Regulares, Generales scilicet Prouinciales, & Correctores suos subditos excommunicare. Ita DD. cit. D. Thom. *d.* 18. Palud. *concl.* 9. *&* 10. Sot. *verb. Nomine autem Prælatorum.* Henriq. §. 3. Couar. *num.* 1. Sayr. *num.* 13. Vasquez *num.* 2. Filliuc. *n.* 33. Prob. tum *ex iur. can. c. Cum ab Ecclesiarum, de off. ord.* vbi Panorm. *numero* 10. *cap. Cum in Ecclesiis, iuncta glos. verb. Excomm. de ma. & obed. cap. Sicut tuis, iuncta glos. vers. Sub interminatione, de sim. cap. Transmissam, de elect.* Tum quia Prælati regulares habent iurisdictionem Ecclesiasticam, non solum in foro interno, sed etiam in foro externo, vt sæpè dictum est. Sed talem iurisdictionem habentibus competit facultas ferendi censuras, *cap. Quærenti*, ibi: *Index de verb. sign.* Tum

quia

quia alioqoin potestas iurisdictioois esset inutilla, nisi gauderet facultate coërcitiua, & innuit Trid. *sess. 25. capite 3. de reform.* ibi: *ad continendos in officium populos.* Tum quia censura est veluti gladius Ecclesiasticus, *cap. Dilecto, de sentent. excommun. in 6.* Trid. *loco cit.* Qui gladius perinde est in Ecclesia, gladius temporalis in Republica ciuili; *cap. Inter hæc 33. quæst. 3.* gladius autem temporalis tribuitur iudicibus habentibus iurisdictionem, *l. imperium*, ibi: *animaduertendum, ff. iurisdict.* ergo, & gladius spiritualis iisdem iudicibus tribuendus est.

3. Noto 1. Quòd hæc potestas censuras ferendi competit Prælatis Regularibus tum iure communi cit. tum iure priu. vt constat *ex tom. 1. nostr. priuil. in const. Pyr. §. 1. & in const. 1. Sixti IV. §. 4.* & quod priuilegium hoc possit, constat, *ex cap. Cum contingat, de fer. comp. & cap. Duo, de off. ord.* & ita docent Suarez *tomo 5. in 3. part. disp. 2. sect. 2. n. 9.* Henriq. Rodrig. Miranda *loc. citat.* Tum ex iure diuino Matth. 18. *Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunque solueritis*, &c. Tum etiam ex iure naturali, eo enim ipso quòd aliqua Religio confirmatur ab habente auctoritatem, & eximitur à iurisdictione Ordinarij, iure naturæ consurgat in capite, & Superiore dictæ Religionis legitimè electo hæc potestas subditos excommunicandi, nam alioquin non posset illa Religio conseruari, nec illa confirmatio quidquam prodesset, si Religiosi non possent coërceri. At Ecclesia nullum habet armorum genus fortius ad continendos populos in officio excommunicatione, vt ait Trid. *loc. cit.* Ita Sot. *in 4. d. 22. quæst. 2. art. 1. concl. 1.* Vnde constat, quod, cum hæc potestas dictis Prælatis competat ordinario iure, potest à dictis toties, quoties, & quicunque voluerit delegari, vt habetur *in l. More, ff. de iurisd. omn. ind.*

4. Noto 2. Quod capitula Generalia, & Prouincialia possunt excommunicare, nam possunt statuta facere, illorúmque obseruantiã sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, vel ferendæ præcipere, arg. *cap. Graue nimis, de Presb.* Ita Suar. *loco cit.* Auil. *de cens. p. 2. disp. 1. cap. 3. dub. 1.* Filliuc. *tom. 1. tract. 25. cap. 2. num. 35.* Sayr. *de cens. lib. 1. cap. 6. num. 20.* Sot. *loco cit. vers. At qui Pontif.* Non possunt tamen ferre excommunicationem capitula localia, quia cum hæc capitula non habeant auctoritatem extra Conuentum, & consequenter extra seipsa, sequeretur, quod possent capitulares se ipsos excommunicare, quod est contra naturam excommunicationis, quæ est actus iurisdictionis per modum sententiæ coactiuæ, & nemo se ipsum cogit, sed subditum, & nullibi reperitur illis concessum. Ita D. Thom. *addit. ad 3. p. q. 22. art. 4.* Auil. *loc. cit. dub. 7. conc. 2.* Sayr. *loco cit. cap. 5. num. 22.* Nauarr. *in man. cap. 27. num. 6.* Sot. *loco cit. art. 2. concl. 1.* Suar. *tomo 4. de relig. tract. 1. lib. 2. cap. 9. num. 6.* Ista autem capitula, aliæ communitates, excommunicari non possunt, bene tamen singuli de communitate: nam excommunicatio solum fertur pro peccato mortali, quod est actus personalis, communitas verò non peccat, nisi quia singuli peccant, vnde illa non potest immediatè excommunicari, & habetur *in cap. Romana, §. fin. de sentent. excommun. in 6.* Ita omnes DD. communiter, D. Thom. *in 4. d. 18. q. 2. art. 3. quæst. 2. corp.* Auil. *loc. citat. cap. 4. disp. vn. dub. 5.* Sot. *loc. citat. art. 2. concl. 2.* Mirand. *tomo 1. man. q. 35. art. 10.* Suar. *de cens. disp. 18. sect. 1. num. 2.* Vasq. *tom. 4. in 3. part. tract. de excomm. dub. 17. num. 8.* Ghet. *in theol. mor. verb. Excommunicatio, cap. 3. quæst. 2.* Palud. *in 4. d. 18. q. 2. art. 3.* P. Greg. *lib. 4. decret. tit. 16. de sentent. excomm. cap. 5.* Sayr. *de cens. lib. 1. cap. 8. n. 15.* Henriq. *in sum. lib 13. cap. 25. n. 4.* Barb. *in dicto cap. Romana, num. 20.* Si verò, facta diligenti informatione, Prælato constet, omnes personas communitatis, seu capituli deliquisse, excommunicatio contra dictam communitatem lata est valida, quia non militat ratio *dicti cap. Romana.* Sed si excommunicetur communitas, etiam à Papa, in qua sint aliqui innocentes, putat Henriq. quòd dicta excommunicatio non ligat, quia est contra ius diuinum, innocentem punire, & cum non sit maior ratio, quod liget potiùs nocentes, quam innocentes, nullos ligabit. P. tamen Greg. cit. *in com. lit. D.* putat, quod excommunicatio lata à Papa contra communitatem, est valida. Sed magis placet opinio Henriq. quam etiam tuetur Auila *loco citat. dub. 6. concl. 2.* & alij apud Sayr. *num. 17.* Videatur Filliuc. *tom. 1. tract. 12. cap. 1. à num. 19.* Potest verò communitas interdici, vt Sot. P. Greg. Mirand. *loco cit.* & habetur *in cap. Si ciuitas, de sentent. excomm. in 6.* Potest item capitulum suspendi; Coninch. *disp. 13. de cens. dub. 6. num. 48.* Henriq. *in loco citat.* Auil. *part. 3. disp. 3. dub. 2.* Filliuc. *tom. 1. tract. 17. cap. 4. num. 6.* Suar. *de cens. disp. 28. sect. 3. num. 1.* Colligitur *ex cap. Quia sæpe, de elect. in 6. & cap. Si sententia, de sentent. excommunicat. in 6.* & Trident. *sess. 24. cap. 16. de reform.*

5. Noto 3. Quod de Correctoribus, & aliis Superioribus localibus dubitant aliqui, an possint excommunicare, cum enim assimilentur Parochis, & hi excommunicare non possint, vt probant communiter DD. Henriq. *lib. 13. c. 24. n. 7.* Sayr. *de cens. lib. 2. cap. 6. num. 32.* Nauarr. *in man. c. 27. n. 5.* Auil. *de cens. part. 2. cap. 3. disp. 1. dub. 2.* quia iurisdictionem non habent in foro exteriori, & potestas excommunicandi non ab ordine, sed à tali iurisdictione dependet, videtur, quòd neque dicti Correctores excommunicare possint. Sed nihilominùs dicendum est, quòd stando in iure communi possunt excommunicare, vt dictum est *sup. quæst. 1. cap. 4. n. 73.* quia habent iurisdictionem in foro exteriori; Et in ordine nostro hoc est sine difficultate, asserente id expresè legislatore *in Correct. num. 87.* & supponitur *in cap. Gennen. 4. num. 21.* Quare fallitur Llam. *1. part. met. cap. 9. §. 17.* dum ait, quod Guardiani Minorum, & aliarum Religionum inferiores Prælati per earũ statuta hac potestate priuati sunt, & solis Prouincialibus hæc potestas relicta est, nostris enim Correctoribus id expresè concessum est in *loco cit. Correct.* De Guardianis Minorum id etiam constat ex eorum statutis Barchin. *cap. 6. §. 20. de pœna excomm.* vbi etiam puniuntur tanquam errantes, & perturbatores Religionis oppositum dicentes. De Prioribus Prædicatorum constat *ex p. 3. const. dicti Ordinis cap. 12.* Si in aliis Ordinibus adsint aliquæ constitutiones legitimæ limitantes dictam facultatem seruandæ sunt; quia licet concedatur dictam facultatem competere Prælatis ex iure diuino, competit tamen ita, vt in aliquo casu pendeat à maiori Prælato, vt ordo naturæ seruetur, quo minora maioribus subiiciuntur.

6. Sed quæres, an Vicarij relicti à Correctore eodem die reuersuro, possint excommunicare? & similiter an Vicarij domus, Subpriores, &c. Respondeo, meo iudicio dictos Vicarios excommunicare non posse, quia cum ex se nullam habeant auctoritatem, eam solum habent, quam illis censetur dare Corrector foras egrediens: Corrector autem non præsumitur illis velle dare nisi eam auctoritatem, quæ est simpliciter necessaria pro recta administratione Conuentus illo paruo tempore suæ absentiæ, pro quo non videtur vllo modo necessaria potestas excommunicandi, quæ maturissimam requirit deliberationem.

&

culpa, vnde qui ex tali ignorantia percutit clericum, excommunicatus est, *cap. Si verò, el 2. de sent. excomm. cap. Vt animarum, de const. in 6.* Similiter incurrunt excommunicationem latam à Prouinciali, vel capitulo Prouinciali, vel Generali, sufficienter promulgatam, Correctores, & alij Fratres contrafacientes tali ignorantia statutis, quibus excommunicatio annexa est. Atque ita Sayr. *loco cit. num.* 10. Sot. *loc. cit.* Ang. *verb. Excomm.* 7. *cas. vlt.* §. 3. Nauarr. *in man. cap.* 27. *num.* 16. Filliuc. *num.* 261. Suarez cit. *sect.* 10. *num.* 4. Azor. cit. *cap.* 15. *quæst.* 5. Tab. *verb. Excomm.* 7. *post vlt. casum*, §. 1. Coninc. *loco citato*, *num.* 95.

19. Ignorantia inuincibilis, seu probabilis facti, aut iuris, excusat ab excommunicatione incurrenda, quia etiam excusat à peccato, cum voluntario careat, iuxta doctrinam D. Thom. 1. 2. *quæst.* 76. *artic.* 3. & est tex. *in cap. Cognoscentes, de const.* vbi dicitur, *qua culpa caret, in damnum vocare non conuenit.* Et est expressa *in cap. Vt animarum, de const. in* 6. Vnde si Prælatus sub pœna excommunicationis prohibeat, ne quis pileum deferat per ciuitatem, Religiosus ille, qui inuincibiliter ignorat, & pileum deferre esse malum, & præceptum Superioris, si pileum deferat, dictam excommunicationem non incurrit. Ita Couarr. *in c. Alma mater, par* 1. §. 10. *n.* 7. Sayr. *loc. cit. n.* 14. Ang. *loco cit* Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 11. *n.* 246. *&* *n.* 250. Auil. *de cens. p.* 2. *c.* 5. *disp.* 5. *dub.* 6. *concl.* 1. Llam. 1. *par. met. c.* 9. §. 27. Bonac. *loc. cit. n.* 6. *&* 8. Cruz. *in direct. concl. tract. de excomm. art.* 2. *dub.* 2. *n.* 1. *&* 2. Similiter hæc ignorantia excusat ab incurrenda excommunicatione lata in facientes aliquid ratione alicuius circunstantiæ, quia etiã excusat à culpa. Vnde qui coit cum moniali, talem esse inuincibiliter ignorans, licet sciat non esse suam, sacrilegus non est, nec excommunicatus, si contra tales sit inflicta excommunicatio. Nec item est excommunicatus, qui percutit clericum, inuincibiliter ignorans esse clericum, vt est tex. expressus *in cap. Si verò, el 2. de sent. excomm.* Nec item parricida est, qui sic patrem occidit. Atque ita D. Thom. 1. 2. *q.* 76. *art.* 1. *&* 3. *corp.* Sayr. *loc. citato*, *num.* 18. Nauarr. *in man. cap.* 27. *num.* 80. *&* 272. Sot. *loc. cit.* Filliuc. *num.* 249. Auil. *concl.* 2.

20. Sed quid? Quis habens voluntatem percutiendi clericum, percussit laicum, est ne excommunicatus? Dic, quod non, quia ad incurrendam excommunicationem non sufficit mala voluntas, sed requiritur actus externus. Et similiter si quis furto, quod facit, putet esse annexam excommunicationem, cum tamen non adsit, non est excommunicatus, Henriq. *lib.* 13. *cap.* 17. §. 3. Couarr. cit. *n.* 15. Panorm. *in cap. Si verò, el* 2. *de sent. excomm. num.* 7. Sayr. *de cens. lib.* 1. *cap.* 18. *n.* 20. Sanch. 9. *de matr. disp.* 32. *num.* 28. Suar. *de cens. disp.* 22. *sect.* 1. *n.* 53. Vasq. *tract. de excom. dub.* 14 *n.* 3. Llam. cit. §. 28. Rosel. *verb. Excomm.* 2. §. 24. Neque item hæc excommunicatio incurritur, quando externa clerici percussio leuis est, & venialis, licet mortale peccatum sit, ob prauum percutientis animum, quia Ecclesia externum, non internum opus punit, Henriq. *loco cit.* §. 2. Gutier. *can. quæst. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 13. Sanch. 2. *in dec. cap.* 8. *num.* 7. Portel. *in addit. ad dub. reg. verb. Excomm. num.* 11.

21. At inquies. Qui facit aliquid, putans esse peccatum mortale, licet nec veniale sit, mortaliter peccat, iuxta doctrinam D. Thom. 1. 2. *q.* 19. *art.* 5. *ad* 3. ergo similiter erit excommunicatus qui facit aliquid, quod putat sub excommunicatione prohibitum. Sed in hoc illa est disparitas, quod qui facit aliquid putans esse contra præceptum, & legem Dei, eo ipso præceptum, & præcipientem contemnit, contemptu saltem interpretatiuo, qui contemptus induit rationem culpæ, quam potat committere. At hic conceptus non est sufficiens, vt quis eo ipso sit excommunicatus, nisi à canone, vel à Iudice excommunicetur. Ita Couar. *loc. citato.*

22. Sed dices. Qui facit aliquid, cui est annexa pœna, licet pœnam ignoret inuincibiliter, eam tamen non effugit, si sciat opus iure diuino, vel naturali vetitum, v. g. qui occidit, vel furatur, sciens hæc naturaliter vetari, licet pœnam dictis delictis iure ciuili inflictam ignoret, eam tamen subire cogitur, vt docet Azor. *tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 15. *q.* 1. *&* 2. Sed disparitas consistit in hoc. Quia excommunicatio fertur solum contra inobedientes, & contumaces, qui autẽ eam inuincibiliter ignorat, contumax esse non potest. At cæteræ pœnæ talem contumaciam non postulant, sed sola Principis voluntate irrogantur, & cum sint pœnæ ordinariæ, & corporales, euitari non possunt. At excommunicatio est pœna extraordinaria, grauissima, & spiritualis, vnde meritò ab ignorante vitari debet. Ita Sayr. *de cens. lib.* 1. *c.* 16. *n.* 37. Azor. *loc. cit. quæst.* 3. *vers. Ad ea verò.* Filliuc. *tract.* 11. *cap.* 8. *n.* 158. Aliter tamen dic de irregularitate, quæ etiam ab ignorante incurritur, quia contumacia non requirit, & est pura pœna. Filliuc. *citat. num.* 257. Azor. *quæst.* 6. Sayr. *num.* 36. Suar. *de censuris disp* 40. *sect.* 5. *num.* 9. Portel. *in add. ad dubium, reg. versic. Excomm. num.* 10 Nec excusatur ab excommunicatione incurrenda, qui credit, & profert propositionem, quam putat hæreticam, licèt talis non sit. Quia hic cum recedat à ratione formali fidei, & ab Ecclesia cum signo externo, hæreticus, & excommunicatus censendus est, ac si diceret, Non credo etiamsi id definiat Ecclesia. Ita Henriq. *lib.* 13. *cap.* 17. *num.* 3. *& in com. lit Z.*

23. Sed quid? Si quis sciat, esse quidem prohibitum ab Ecclesia, clericum v. g. percutere, ignorat tamen inuincibiliter, id esse prohibitum sub excommunicatione, si percutiat, erit ne excommunicatus? Respondetur quòd non. Tum quia Medicinalis ista pœna non est vsurpanda, nisi contra contumaces, sed qui talem censuram ignorat, non est propriè contumax. Tum quia *in cap.* 2. *const. in* 6. generaliter dicitur, quòd ignorantes non ligantur sententiis per statuta Ordinariorum prolatis. Ita Nauarr. *in man. cap.* 27. *n.* 274. *verb. Decimotertio.* Suarez *de cens. disput.* 4. *sect.* 9. *n.* 19. Coninch. *de cens. disp.* 13. *dubit.* 10. *num.* 91. Sanch. 9. *de matr disp.* 32. *num.* 13. Nec refert, quòd qui scienter transgreditur præceptum Ecclesiæ, sit illi inobediens; nam non est perfectè inobediens, vt censura requirit, quia contumacia, quam censura requirit, debet esse contra mandatum sub excommunicatione nota, vt colligitur *ex cap. Sacro, & cap. Contingit, el* 2. *de sent. excomm.* vbi requiritur monitio continens pœnam excommunicationis.

Vnde, qui accessit ad consanguineam vxoris suæ ignorans pœnam iuris potest absque dispensatione petere debitum. Ita Portel. *in addit. ad dub. reg. verb. ignorantia, num.* 29. Castr. Pal. *tom.* 1. *tract.* 2. *disp. prim. punct.* 17. *numero* 8. Diana *tom.* 3. *tract.* 5. *resol.* 12. *qui resol.* 13. probat, quòd ignorantia etiam culpabiliter mortalis excusat ab incursione censurarum & aliarum pœnarum.

24. Sed quid etiam? Si quis scienter delinquat contra ius diuinum, vel naturale, ignorans, quòd tali iuri annexa sit excommunicatio, incurret ne illam? Respondetur, eam non incurrere, quacunque auctoritate, seu canone, statuto sit apposita. Quia licet agat contra Dei, & contra rectæ rationis, & naturæ legem, non tamen facit contra Ecclesiam, cum Ecclesiæ ius, & legem ignoret. Nec potest dici Ecclesiæ inobediens, qui eius leges nesciens, non obseruat, paratus obseruare, si sciret. Et est tex. expressus *in cit. cap.* 2. *de const.*

Ioan. Andr. *in dicto cap.* 2. *n.* 1. Ang. *ver. Excom.* 7. *cas. vlt. n.* 3. Tab. *eod.* 4. *q.* 3. §. 2. *& Excom.* 7. *post vlt. cas.* §. 1. Sylu. *ver. Ignorantia*, *n.* 16. Henriquez *l.* 13. *c.* 23. *n.* 2. Nauar. *in man. c.* 27. *n.* 16. Vasquez *de Excom. dub.* 16. *num.* 7. Azor *tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 15. *q.* 4. Sayr. *lib.* 1. *de censf. cap.* 18. *a.* 24. Fil. *tom.* 1. *tr.* 11. *cap.* 8. *n.* 253. Sot. *in* 4. *d.* 22. *q.* 2. *art.* 2. *ver. Quartus demum*, Anton. 3. *par. tit.* 25. *c.* 33. *circa finem*, Cord. *in q. theol. l.* 2. *q.* 26. *in princ.* Auil. *de cens. p.* 2. *c.* 5. *disp.* 5. *dub.* 7. *ver. Tertia sententia*, Llam. 1. *p. met. c.* 9. §. 27.

25. Noto 8. quòd quando quis dubitat an excommunicationem contraxerit, siue dubium sit iuris, vt si dubitet, an in iure sit aliqua excommunicatio eum casum complectens, siue sic facti, vt si dubitet, num clericum percusserit, adhibitis debitis diligentiis, non est censendus excommunicatus, quia in dubiis melior est conditio possidentis, & quilibet fidelis est in possessione fruendi bonis communibus Ecclesiæ. Ita Sanchez 1. *in dec. c.* 10. *n.* 56. Pottel. *in add. ad dub. reg. ver. Excom n.* 12. Aduertit autem Sanchez *n.* 61. quòd stante dubio de excommunicatione, otto ex iustitia, vel iniustitia excommunicationis, vel an sit lata solum ad terrorem, vel animo obligandi; vel an quis sit absolutus, nec ne, vel an conditionem impleuerit, sub qua fuit excommunicatus, vel an excommunicatio sit lata ante, vel post appellationem, vel an prælatus habuerit potestatem; de quibus vide Sanchez *à n.* 57. non licet aliquem ad aliquod officium, vel dignitatem promouere, tum propter personam electam, quæ veritate censuræ competta, dignitatem relinquere cogetur; tum propter dignitatem ipsam, cui reuerentia debita non exhibetur. Et in his casibus possessio stat pro excommunicatione.

26. Dico 2. possunt prælati regulares in suos subditos sententiam suspensionis ferre. Ita Suarez *tom.* 4. *de relig. tr.* 1. *lib.* 2. *c.* 9. *a.* 6. *& de cens. disp.* 2. *sect.* 2. *n.* 9. *& disp.* 28. *sect.* 1. *a.* 3. Sylu. *ver. Suspensio*, *q.* 2. Angel. *eod.* 2. §. 3. P. Greg. *in decr. lib.* 4. *tit.* 17. *de interd. cap.* 3. Bayus *in the. scient. theol. lib.* 2. *c.* 102. Mit. *tom.* 2. *man. q.* 36. *art.* 4. *concl.* 1. Nauar. *in man. c.* 27. *n.* 159. Sayr. *de censf. lib.* 4. *c.* 2. *n.* 6. Tab. *ver. Suspensio*, *n.* 7. Henriquez *lib.* 13. *c.* 35. *n.* 1. Pottel. *in add. ad dub. reg.* Abb. *a.* 1. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 11. *c.* 2. *a.* 33. Auila *de cens. p.* 3. *disp.* 4. *dub.* 1. *concl.* 1. & alij omnes D D. vno ore docentes, eos omnes posse suspendere, qui possunt excommunicare, quia cui conceditur, quod est plus, vtique conceditur quod est minus, per *reg.* 53. *Cui*, *de reg. iur. in* 6. Excommunicare autem est quid maius, quàm suspendere, quia suspensio non priuat suffragiis Ecclesiæ, sicut excommunicatio. Ita D. Tho. *in* 4. *d.* 18. *q.* 2. *art.* 3. *quæstiuncula* 2. *ad* 2. Panorm. *in cap. Ex rescripto*, *de iur. iur. n.* 3. Sayt. *lib.* 1. *de censf. c.* 8. *n.* 20. Circa modum, & formam istam censuram ferendi, vide *in nostro Formulario*, *lit. C. cap.* 4.

27. Dico 3. Possunt prælati regulares in suorum Regularium personas interdicti sententiam ferre, non in loca, quia in vsu non est, nisi fortè in quæ habent iurisdictionem Ecclesiasticam fori contentiosi. Ita Suarez *de cens. disp.* 36. *sect.* 1. *n.* 2. *& tom.* 4. *de relig. tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 9. *a.* 5. Sot. *in* 4. *d.* 22. *q.* 3. *art.* 1. *concl.* 1. Pet. Greg. *loco cit.* Nauar. *in man. c.* 27. *n.* 168. Sylu. *ver. Interdictum* 3. *q.* 3. Angel. *eod.* 3. §. 1. Filliuc. *tom.* 1. *tr.* 17. *cap.* 1. *a.* 21. Henriquez *lib.* 13. *c.* 51. *num.* 1. Mir. *tom.* 2. *man. q.* 37. *art.* 4. Auila *p. disp.* 2. *dub.* 1. *concl.* 1. Sayr. *de censf. lib.* 5. *cap.* 10. *n.* 22. Rodriquez *tom.* 2. *q. reg. q.* 107. *art.* 1. & 2. Conat. *in c. Alma mater*, *p.* 2. §. 2. *n.* 6. Anton. 3. *p. tit.* 6. *c.* 2. §. *vlt.* Pottel. *in dub. reg. ver. Interdictum*, *a.* 1. *& in add. ver. Abbas*, *n.* 2. Pisanell. *ver. Interdictum*, 1. §. *Quis potest interdicere*, Bayus *in theat. scient. theol. l.* 2. *c.* 102. Constat tum *ex cap. Cum ab Ecclesiarum*, *de off. ord. & cap. Quaerenti de verb. signif.* Tum quòd personas interdicere, est quid minus, quam excommunicare. Et aduerte, quòd alij vocant huiusmodi interdictum suspensionem, vt obseruat Sayr. *loco cit. c.* 1. *num.* 18. Circa formam, & modum ferendi interdictum, vide *in nostro Formulario*, *lit. C. cap.* 4.

28. Nota denique quòd in iure, & extra illud latæ sunt multæ censuræ contra Religiosos in specie, vltra eas, quæ generaliter sunt latæ contra omnes fideles. Et de excom. in specie eas enumerando, agunt Rodriquez, *tom.* 2. *q. reg. q.* 60. *art.* 2. Mir. *tom.* 2. *man. q.* 35. *art.* 18. Fest. *in const. Prad. p.* 4. *c.* 27. Sayr. *de censf. l.* 3. *c.* 33. Fill. *de excom. nomini reseruatis*, *tom.* 1. *tract.* 14. *c.* 8. *de eisdem Papæ reseruatis tr.* 15. *cap.* 8. *de suspensionibus tr.* 17. *cap.* 9. Conin. *de cens. disp.* 15. *de susp. dub.* 5. Sayr. *cit. lib.* 4. *c.* 13. Pottel. *in dub. reg. ver. Suspensio*, *num.* 3.

CAPVT V.

De auctoritate, quam habent Prælati regulares super contractibus suorum subditorum.

1. **V**Ide Panor. *in c. Ex rescripto*, *de iur. iur. n.* 1. Nau. *com.* 2. *de reg. n.* 42. *a ver. Decimoquinto*; Host. *in sum. lib.* 3. *de fideiuss.* §. *Et quis*, Syl. *ver. Religio* 8. *à q.* 3. Armil. *ver. Monachus*, *à n.* 12. Angel. *eod. à a.* 7. Tab. *eod. à n.* 10. Pisan. *eod.* §. *Vtrum ex contract.* Monach. Guttier. *can. q. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 37. Rodriquez *tom.* 3. *q. reg. q.* 26. *art.* 2. *&* 3. Titaquel *in l. connub. gloss.* 8. *num.* 82. Reginal. *in praxi*, *lib.* 25. *num.* 159. Ægid. *tom.* 2. *de contract. cap.* 4. Mol. *tom.* 1. *tract.* 2. *de iust. disp.* 140. *col.* 7. Less. *lib.* 2. *de iust. cap.* 17. *dub.* 8. *num.* 62. *ver. Tertiò in contractu*, *& cap.* 41. *dub.* 10. *num.* 90. Rebellum *de obl. iust. par.* 2. *lib.* 1. *quæst.* 8. *sect.* 1. Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 11. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 33. *c.* 3. *à num.* 57. Sanchez 7. *in dec. cap.* 31. Pottel. *in dub. reg. ver. Pactum.*

2. Noto 1. quòd quis potest tripliciter obligari, 1. naturaliter. 2. ciuiliter. 3. honorabiliter. Obligatio naturalis est, quæ non ex solo honestæ gratitudinis debito oritur, sed ex vinculo legis naturalis, & iustitiæ, & quamvis ad hanc non detur actio in foro causarum, obligat tamen in foro conscientiæ, & ad mortale ex genere suo. Obligatio ciuilis est, ad quam implendam datur actio in foro externo. Obligatio verò honoraria consistit in virtute fidelitatis, siue veracitatis per quam honorati viri sua dicta, promissavè liberaliter de beneuola quadam honestate, sub peccato quidem ex genere suo, non tamen mortali, adimplere tenentur, etiamsi de iustitia non intendant se obligare, nec ex lege positiua ad id cogi possint. Quæ honoraria obligatio sub naturali obligatione latius sumpta comprehendi potest. Ita *ex l.* 1. *ff. de noxal.* Rebell. *loco cit. num.* 10.

3. Noto 2. quòd Religiosus per professionem propriam à se abdicat voluntatem, totumque se tradit in voluntatem illius quem supra se vice Dei ponit; Ita vt inde nec velle, nec nolle habeat. Ita *in cap. Non dicatis*, 12. *quæstione prima*, *cap. Si Religiosus*, *de elect. in* 6. *cap. fin. de sepul. eodem lib. capite secundo de testamento*, ibi. Vnde mortuus mundo dicitur. *cap. Placuit*, *el.* 2. 16. *q.* 1. & docent passim DD. Ægid. *loco cit. num.* 6. Gutier. *can. q. lib.* 2. *c.* 1. *a.* 37. *&* 39. Id autem duobus modis posse intelligi, docet Henric. quod

Fagund. cit. *cap.* 2. *num.* 2. Est tamen communior inter recentiores, & eam tenet Armilla, *verb. Confessor, num.* 7. Bann. Val. Deir. Victor. *loc. cit.* Sanch. cit. *num.* 4. Suar. *num.* 4. *sect.* 1. *loc. cit.* Fagund. cit. *cap.* 3. *num.* 1. Conrad. *tom.* 1. *quæst.* 314. *vers. Quod publico*, & 9. *seq. in addit.* Vech. *numero* 3. Filliuc. *num.* 333. & 335. Mal. cit. *verb. Videtur clemens.* Prob. Tum quia quæ scit confessor in confessione, scit vt Deus, vt dicitur *in cap. Si Sacerdos, de off. ord.* & docet D. Th. *in* 4. *loc. cit.* ergo ea scientia minimè potest vti vt homo, & humano modo pro foro exteriori. Tum quia potissima ratio, quare confessionis sigillum tam inuiolabiliter obligat, est ad temperandum durissimum confessionis præceptum, & ad illud facilitandum, vnde vitanda sunt illa omnia, quæ confessionem, & difficilem, & odiosam, & onerosam reddere possunt, ac redditur odiosa confessio, si pœnitentes intelligant, se per illam posse aliquid in externo fore pati. Tum quia expressè Regularibus prohibuit Clemens VIII. & confirmarunt tres subsequentes Pontifices Paulus V. Greg XV. & Vrban. VIII. vt constat *ex const.* 10. *Vrb VIII. tom.* 2. *nostr. priu.* §. 73. vbi dicitur: *Tam Superiores pro tempore existentes, quam confessarij, qui ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentissimè, ne notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur.* Vnde sententia contraria apud Regulares saltem iam non habet locum. Sed nota tria circa hoc decretum, 1. quòd Papa vetat absolutè, Prælatum tali scientia vti, siue ea vtatur in rebus, quæ sitæ sunt in sua libera potestate, siue in iis, quæ non potest facere sine causa, siue ea vtatur absque periculo fractionis sigilli quoad alios, siue quoad pœnitentem ipsum, cum enim ipse non distinguat, nec nobis distinguere licèt, sed obseruare. Ita Suar. *loco cit. num.* 4. *fine.* 2. nota illam clausulam, *diligentissimè caueant*, per quam nemo dubitat, quòd formale obedientiæ præceptum ad mortale obligans importetur. 3. quòd non possint Prælati non solum vti notitia confessionis, quam habuerunt tempore Prælatiæ, sed nec illa quam habuerunt antequam ad Prælatias assumpti essent. Hæc tamen sententia est cum grano salis intelligenda, nimirum, vt non possit Prælatus dicta scientia vti ad exterius regimen in iis, in quibus pœnitens confundi, verecundari, damnificati, præiudicari in honore, vita, & rebus, aut in aliquo rationabiliter minorari potest, Nam dictum statutum videtur solùm velle concernere subditorum indemnitatem, & ad hoc solum factum est, vt ex procemio illius constat. Vnde non prohiber, quin, salua dicta subditorum pœnitentium incolumitate, saluóque confessionis sigillo, non possit Prælatus dicta scientia vti, quando pro vita, fama, & bonis suis, & suorum prudenter iudicauerit. Atque ita limitaut hanc sententiam Fagund. *in* 2. *prec. Eccl. lib.* 6. *cap.* 3. *num.* 1. Sanch. *lib.* 3. *de matr. disp.* 16. *num.* 4. *vers. Est tamen*, Mald. *de sigil. conf. loco citat* Delr. & alij.

65. Ex qua sententia sic declarata colligitur, 1. quòd si ex confessione cognoni, parari mihi insidias ad mortem, vel vulnerationem, possum è domo non exire, aliàs exiturus. Possum item denegare gladium apud me depositum illi, qui eo me vult occidere, aut vulnerare. Possum item mutare locum, & domum, aliunde, sumpta occasione; si ex confessione sciam hac nocte mihi malum grande in hoc luco intendi. Possum item non intrare syluam ad euadendum insidias, ad quam ex confessione scio me vocandum fore insidiosè. Possum item vinum venenatum non bibere. Et si ex eadem confessione sciam, aliquos conuenisse, vt hac nocte diripiant cellam meam, vel amici mei, possum totam noctem in cella, vel amici mei, honestè ludendo, iocando, transigere. Item si sciam ex confessione, meum confessarium non esse Sacerdotem, vel non esse approbatum, possum illi amplius non confiteri. Possunt item Prædicatores in communi coarguere, dummodò non dicant se id ex confessione scire. Poterunt item Prælati reseruare sibi casus, si via concessionis sciant vergere aliquos in detrimentum suæ Religionis. Potest item Prælatus orare pro pœnitente, petendo à Deo remissionem, vel emendam. Item potest consulere in re dubia virum doctum sine periculo cognitionis personæ, non tamen si expressè id vetuisset pœnitens, vt aduertit Mald. *de sigill. capite decimoquarto, vers. Quares, an confessarius*, Item ex confessione vnius potest confessarius alterum in confessione interrogare in genere tamen, an scilicet habeat aliud peccatum, quòd illius conscientiam grauet. Atque ita Fagund. *loco citat.* Sylu. *verb. Confessio*, 3. *numero duodecimo*, Mald. cit. Suar. *loco cit. numero nono*, Bonac. *disput. quint. de Sacr. pœnit. quæstione sexta, sect. quinta, part.* 4. *num.* 27. & 28. Sanch. *loco cit.* & alij multi apud Fagund. & ratio est, quia in his omnibus casibus nulla fit iniuria, vt supponio, Sacramento confessionis, semper enim debet aliqua externa ca sa prætext, quæ de se non sit indicatiua, neque directè, neque indirectè confessionis, neque vlla fit iniuria pœnitenti, neque vllus inijcitur ei pudor, cum enim Sacerdos in iis casibus ius suum, vel gregis sui quærat, nemini facit iniuriam, neque potest quis rationabiliter conqueri, aut pudefieri, quod quis suam incolumitatem, aut proximi, aut communitatis quærat, neque ex hoc potest rationabiliter retrahi à Sacramento pœnitensiæ; neque item ex hoc redditur onerosa, aut odiosa confessio.

66. Colligitur 2. Non posse confessarium extra confessionem, etiam ad corrigendos errores intolerabiles in confessione commissus, monere pœnitentem de rebus in confessione auditis, absque ipsius licentia, quia ad hoc etiam obligat confessionis sigillum, & molestiæ refricatio de peccatis commissis committentem contristat. Sanch. *loco cit. num.* 3. *vers. Tertiò*, vbi multos citat, & Fagund. *num.* 6. Mald. *de sigillo, cap.* 21.

67. Colligitur 3. Quòd Superior, qui ex confessione nouit, confesso esse periculosum adire talem locum, non potest ex illa scientia ei negare licentiam adeundi dictum locum, aut prohibere, ne ad eum locum eat, potest tamen in confessione exigere propositum firmum non amplius eum locum adeundi, eique præcipere in eadem confessione ne adeat, quando tantum est periculum, vt lege naturæ teneatur vitare, & defectu huius propositi negare absolutionem, ita Mald. *loc. cit. vers. Videtur.* Portel. *in dub. reg. verb. Prælati potestas, num.* 21. Nec refert, quòd hoc casu Prælatus non adhibeat suo subdito remedium efficax, quod potest, eum amouendo à Conuentu, vel prohibendo ne accedat, nam, vt sanctè D. Thom. *in* 4. *dicto* 21. *quæstione tertia, articulo primo, quæstiuncula prima ad tertiam*, non tenetur Prælatus adhibere malo remedium, nisi eo modo, quoad ipsum defertur.

68. Colligitur 4. non posse licitè Prælatos vti notitia confessionis complicis alicuius delicti, vt fiant vigilantiores circa alios complices, nec posse licitè solito diligentius inuigilare, vel insidias parare, vt eos in delicto comprehendant; quia ex hac cautela necessario redditur odiosa confessio. Ita Fagund. *loco cit. num.* 9. *in parte*, Suarez *tomo* 4. *in* 3. *p. disp.* 33. *sect.* 7. *num.* 10.

69. Colligi

69. Colligitur 5. Non posse Prælatum vti scientia confessionis ad non eligendum illum, quem per talem scientiam nouit indignum, si dignissimus iudicatur ab omnibus, sed teneri eum eligere, licèt suffragia dentur secretò, quamvis loquendo de subdito, *tom. 1. huius op. cap. 31. §. 2. vers. Quares 1.* contrarium dixerim. Ita Mald. *loco cit. vers. secundò si lege, & vers. Sextò generatim*, Vech. *de nou. disp. 12. dub. 4. num. 2.* Sanch. 3. *de matr. disp. 16. n. 4 vers. Est tamen*, Filliuc. *tom. 1. tract. 7. cap. 11. num. 337.*

70. Colligitur 6. non posse Prælatum vllo modo remouere aliquem ab officio ad nutum amouibili, per solam scientiam habitam in confessione. Ita Fagund. *loco citato, num. 1.* Mald. cit. *vers. Quæri etiam potest.* Conrad. *tom. 1. cas. q. 335. in addit.* Ban. Val. *loc. citat.* Suar. *cit. disp. 33. sect. 7. num* 4. Sanch. *loc cit.*

71. Colligitur 7. Non posse confessarios ex sola scientia confessionis, monere Superiores, vt plus solito inuigilent, cautelas maiores adhibeant, quia tali die, & hora committendum est tale delictum: neque quod inuigilet super gregem suum, quia illum tale peccatum remasit, & committitur ordinariè; Quia forum confessionis nullum habet commercium cum foro exteriori, & ex tali admonitione statim coniicitur, id scitum fuisse in confessione, quod est contra sigillum, & ex hoc redditur odiosa confessio. Posset tamen obligare pœnitentem ad id Superiori denuntiandum, vel ab eo obtinere licentiam id faciendi. Ita Fagund. *in 2. prac. Eccl. lib. 6. cap. 3. n.* 8. Reginald. *in praxi, lib. 3. n. 14. vers. Quanquam inclinat.* Mald. *de sigil. cap. 14. vers. Quaritur denique.* Et in omnium opinione non potest confessarius id facere, quando adest periculum directæ, vel indirectæ fractionis sigilli. Sed nostrum corollarium procedit etiam sine tali periculo, sed ex sola suspicione, quòd id scitum sit in confessione, seu ex sola simplici scientia confessionis; Quæ suspicio hoc casu semper adest; alioquin enim si id scitum sit extra confessionem, omninò pro bono publico reuelandum est, etiam cum tali periculo. Vnde cum reuelatarij viderint id sibi cum tanta cautela reuelari, statim coniicient, id fuisse scitum in confessione, imò cogent etiam confessarium ad id dicendum, vtendo hoc dilemmate, vel hoc scis in confessione, vel non, si 2. teneris pro bono publico fateri, si non fateris, ergo scis in confessione. Consulo itaque semper confessarios, vt taceant, pro reuerentia Sacramenti.

72. Colligitur 8. Non posse Prælatum ex sola notitia confessionis transferre expensorem, seu alium fratrem Conuentus furantem eleemosynas; panem, &c. Nec similiter potest ex eadem sola notitia dimittere famulum Conuentus propter iam sæpè dictas rationes. Ita Fagund. *loco cit. num.* 1. Mald. *loc. cit. vers. Huc spectat dubium.* Bonac. *de pœn. disputat. 5. quæst. 6. sect. 5. par. 4. num. 15.*

73. Colligitur 9. Non posse confessarium ne occultè quidem vitare, quem ex sola confessione nouit excommunicatum vitandum. Fagund. *loc. citato, num.* 10. Mald. *de sigill. cap. 12. vers. Decimoquartò.* Suar. *tom. 4. in 3. part. disp. 33. sect. 6. num. 3.*

74. Colligitur 10. Non posse Prælatum, aut confessarium ex sola scientia confessionis rusticiorem se, vel in gestis, vel in verbis, vel in nutibus pœnitenti demonstrare, quia ex hoc redditur odiosa confessio. Ita Bonac. *loc cit. num.* 26. Regin. *in praxi, lib. 3. num. 24* Mald. *de sigil. cap. 21. vers. Denique.*

75. Colligitur 11. Non posse Prælatum repellere suum subditum ab ordinatione, quando per solam confessionem nouit ipsum esse irregularem, vel indignum; posse tamen exigere à pœnitente, vt abstineat, & denegare absolutionem, quando non vult abstinere ab his, quæ sine mortali facere non potest. Ita Conrad. *tom. 1. cas. q. 335. in addit.* Sanch. 3. *de matr. disp. 16. num. 4. vers. Est tamen*

76. Colligitur 12. Non posse Prælatum Eucharistiam denegare illi, quem per solam confessionem nouit indignum, siue publicè, siuè occultè petat. Sanch. *loc. cit. num.* 11. Bonac. *loco cit. num.* 17. Fagund. *loc. cit. num.* 11

77. Ad vltimum hic nota, quòd confessarius, qui iocandi gratia, & ad recreationem dicit ea, quæ audiuit in confessione absque circunstantiis, & etiam extra periculum reuelationis, grauiter peccat. Quia vti illis, quæ ex tali sanctuario accepta sunt, ad ridendum, est valdè irreligiosum, & de se scandalosum productiuum, maximè quando diceret specificè, ea se in confessione audiuisse. Ita Mald. *de sigil. c. 14. ad finem, vers. Quares an confessarius*, vbi ait, quòd tales confessores habituri sunt partem cum illis Babylonicis, qui temulenti biberunt ex sacris vasis templi, *Dan. 5.* & approbat etiam dictum Hostiensis sentientis, tales confessarios esse priuandos facultate audiendi confessiones, quòd sine graui culpa non est faciendum. Et Sot. *de sec. reg. memb. 3. q. 4. concl. 3. vers. finem*, ait cauendũ esse confessariis à spargendis salibus de confessionib. quia vltra scandalum, sacro vsu venire solet, vt illi in antea pœnitentiæ perueniant, vnde grauiter offenduntur.

78. Nota etiam, quod confessarius imò interrogatus; an reus confessus sit tale peccatum, potest dicere, & iuramento affirmare, se tale peccatum in confessione non audiuisse, vel reum sibi hoc confessum non fuisse, mente intelligendo. Vt reuelare possim, quia iudici iniquè interroganti non tenemur ad mentem respondere, sed possumus amphibologia vti. Ita Delr. *mag. disq. lib. 6. sect. 2. vers. Ex hac autem*, Reginald. *in praxi lib. 3. num. 22.* Suar. *tom. 4. in 3 par. disp. 33. sect. 6. num. 6. & 7.* Nauarr. *in cap. Sacerdos, de pœn. d. 6. num.* 141. Sed quid, si tyrannus huius doctrinæ non nescius, obliget ad iurandum, quòd non æquiuocauit in tali responsione? Dico, quòd adhuc potest mentem restringere, & æquiuocationem æquiuocationi adiungere, & impietatem tyranni verâ virtute deludere.

CAPVT III.

De auctoritate, quam habent Prælati Regulares super votis suorum subditorum.

1. VIde D. Thom. 2. 2. *quæst.* 88 *articulo* 8. vbi Cajet. & Arag. Valent. *tomo tertio, disp. 6. quæst. 6. part. 6.* Azor *tomo 1. libro 11. capite 17. à quæst. 4. & capite 18 à quæst. 16.* Rodrig. *tomo 1. quæst. reg. quæst. 25. ab art. 4.* Miränd. *tomo 2. man. quæst. 32.* Sot. *lib. 7. de iust. quæst. 3. articul. 1.* Palat. *in 4. dist. 38. disput. 3. de vo. a vers. Facilius tamen*, Sayr. *in claui reg. libro sexto, capite quinto, à numero 18. & capite decimo, à numero octauo, & cap. 11. à num. 87.* Less. *lib. 2. de iust. cap. 40. a num.* 71. Molf. *par. 1. sum. tract. 11. cap. 13, à num. 26 & cap. 15 à num. 65.* Sanch *4. in dec. cap. 25.* Filliuc *tom. 2. tr. 26. c 6. à n. 171. & c. 8. a n.* 240 Sayr. *tom 8. de relig. lib 6. de vo. c 7. & lib. 3 c. 5. & tomo 3. de relig lib. 2. c. 13. à n. 8. & tom. 4. de relig. tract 1. lib. 2. cap. 12. n. 10.* Ghet. *in thes. mor. verb. votum, cap. 6. à numero 1.* Ledesma *2 part. sum. tract. decimo, de vo. capite septimo, à dub. prim. pag. mihi* 820. A S. Faust. *in thes. libro secundo, à quæstione tertia, & à quæstione 139. & libro tertio, à quæstione vigesimaprima.* Graff. *2. part. decis. libro secundo, capitè duodecimo, num.* 30. Portel. *in dub. reg. ver. Votum, a numero 26. &*

in addit. à num. 57. Nauarr. *in man. capite duodecimo, num.* 67. *&* 69. Vega *tom.* 2. *summ. capite* 126. *à casu* 87. Llam. 3. *part. met. cap.* 4. §. 42.

2. Dico primò, Possunt Religiosi licitè, & meritoriè ea omnia bona opera vouere, quæ nec Regula, nec Superiorum præcepto eis sunt interdicta, nec eos à debito illorum obsequio retrahunt, & dicta vota statim obligant, nullo expectato Superiorum consensu, & ea seruare tenentur vouentes, donec Superior illis contradicat. Ita Sanch. *loc. cit. num.* 6. Suar. *tomo.* 2. *de relig. lib.* 3. *de vo. cap.* 5. *à num.* 3. Filliuc. cit. *cap.* 6. *num.* 172. Miranda *art.* 4. *concl.* 4. Sayr. *cap.* 5. *num.* 22. Azor. *cap.* 17. *quæst.* 4. Portel. *in addit. cit. verb. Votum, num.* 61. Tostat. *in cap.* 30. *Num. q.* 72. Vega *casu* 90. Less. Graff. *loco cit.* Tribuitur D. Thom. *loc. cit.* vbi eam expresse tenent Cajet. & Aragon. Probatur, Tum quia ad sic vouendum nullo iure Religiosis reperitur vetitum.

3. Noto 1. Quòd Richard. *in* 4. *dist.* 38. *art.* 4. *q.* 1. Host. *in summ. de vo.* §. *Quis vouere possit, n.* 7. *vers. Item nec votum*, Ang. *ver. Votum* 2. *numero* 3. Rosel. *eodem* 2. *num.* 14. tenent; quòd Religiosi non possunt licitè vouere absque Superioris consensu, quòd si voueant irritum est. Probant tum ex iure *can. cap. Monacho* 20. *q.* 4. vbi dicitur: *Monacho non licet votum vouere sine consensu Abbatis, si autem vouerit, frangendum erit.* Tum quia votum est voluntate, quæ subiecta est Prælatis. Tum quia tam graue est Religionis onus, vt supergrauati non possint sine periculo succumbendi. Tum quia sæpè transfigurat se Satanas in Angelum lucis ad decipiendum Religiosos deuotos, vt his votis se attent, ad hoc vt deinde vel omittant Religionis debita, vel vota non seruent, & sic implicet in multis scrupulis, & quæstionibus, quæ ipsos toto tempore vitæ suæ inquietent. Tum quia dicta vota propria voluntate facta, & executioni mandata, non videntur placere Deo, ad *illud Isa.* 58. vbi illi interrogationi, *Quare ieiunauimus, & non aspexisti, humiliauimus animas nostras, & nescisti?* Respondit Deus, *Ecce die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra.* Vbi tota causa, quare dicta bona opera humilitatis, & ieiunij non placuerunt Deo refunditur in id, quòd facta sint propria voluntate. Vnde etiã Bern. *ser. septuagesimoseptimo* in Cant. *Grande malum propria voluntas, qua fit, vt bona tua tibi bona non sint.* Quare hæc sententia non solum temeraria non est, vt eam temere dicit Ledesm. *loc. cit. dub.* 2. *vers. Digo lo primero*, imò valdè probabilis. Tum quia fundatur rationibus, & auctoritatibus. Tum quia licet contraria sit probabilior, non est tamen ita certa, vt illi contradici non possit. Tum quia DD. huius sententiæ non eam nobis tradunt tanquam omnino indubitabilem, sed tanquam probabiliter veram, & sic probabilem putat Anton. 2. *part. tit.* 11. *cap.* 2. §. 6. *vers. Quintò clerici.*

4. Noto 2. quòd alij in hac controuersia tenent, quòd nulla Religiosorum vota, etiam de materia illis non prohibita; sint obligatoria antequam approbentur, & ratificentur tacitè, vel expressè per Superiorem. Quia Religiosi non solum subduntur Superioribus quoad materiam promissam, vt sic sufficiat ad votorum valorem ipsos Superiores non contradicere, sed etiam subduntur quoad voluntatem, qua vouent, cuius dominium est apud Superiorem; vnde actus promittendi in talibus subditis, vtpote qui est vsus voluntatis alienæ, non est Deo acceptus, nec obligationem induit, donec Superior consentiat. Et pro hac sententia puto esse tex. expressum *in dicto cap. Monacho.* Vnde constat, quòd ista sententia discrepat à 1. quatenus docet, quòd huiusmodi vota non sunt obligatoria ante Superioris consensum tacitum, vel expressum, vt 1. docebat. Discrepat etiam à 2. quatenus dicit, quòd huiusmodi vota sine peccato fiunt, & non sunt ipso facto nulla. Atque ita expressè Anton. 2. *par. sum. tit.* 11. *cap.* 2. §. 6. Pisan. *verb. Votum* 2. §. *Votum qui sunt subiecti, &* §. *penult.* Belloüac. *in spec. mor. lib.* 1. *par.* 3. *d.* 67. Graff. *tomo* 2. *consil. lib.* 3. *de vo. cons.* 1. *num.* 12. Gbet. *loc. citat. verb Votum, cap.* 6 *quæst.* 2. *&* 3. Val. *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 6. *par.* 6. *col.* 3. *vers. Et quoniam hoc.* Est est sine dubio sententia expressa D. Thom. prout de mente eius eam tenent præfati DD. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 8. vbi ad 3. disertis verbis ait: *Nullum votum Religiosi est firmum, nisi sit de consensu Prælati*, & ad 4. ait: *Licet votum eorum, qui sunt alterius potestati subditi, non sit firmum sine consensu eorum, quibus subijciuntur, non tamen peccant vouendo, quia in eorum voto intelligitur debita conditio, si Superioribus placuerit, vel non renitantur*, si scilicet scientes vot m, non contradicant, quia tunc consentire videntur, ad illud: *Qui tacet, consentire videtur*, & ille dicitur consensus tacitus. Quæ verba sunt ita clara, vt obscurari non possint, vel debeant. Quare, vt ingenuè fatear, hic D. Thom. sententia mihi magis placet, quàm aliæ, & eam securiorem existimo in praxi, & est ablatiua scrupulorum, & est exclusiua fallaciarum dæmonis, vnde ei toto corde subscribo, si addam, teneri subditum post votum peractum, ne illud sit irritum, & vanum, statim ac commodè poterit, monere expressè Superiorẽ de voto facto, vel videndum, an velit consentire, nec-ne, eo modo, quo auctores 1. sententiæ tenent, Religiosum facientem votum de re prohibita à Prælato, teneri monere Prælatum expressè, se tale votum fecisse, nec sufficere, si petat facultatem faciendi quod vouit, nisi exprimat se votum fecisse. Hi sunt Sayr. *in claui reg. libro sexto, capite quinto, numero vigesimo, vers. Quamuis igitur*, Suar. *tom. secundo, de relig. libro sexto, de voto capite septimo, numero decimoquarto*, Sanch 4. *in dec. capite vigesimoquinto, numero vigesimoquarto, & vigesimo-octauo.*

5. Noto 3. Quòd postquam Prælatus dedit licentiam subdito votum faciendi, vel factum adimplendi, potest adhuc licentiam, seu consensum præstitum reuocare, ita vt subditus ampliùs non teneatur votum illud implere. Ita Cajet. 2. 2. *quæst. octogesimaocta-ua, articul. octauo, vers. In eodem ar.* vbi Atag. *col.* 5. *vers. Est aliud dubium*: Sot. *libro septimo, de iustit. quæstione tertia, articulo primo, vers. At verò*, ibi: *Nihilominus respondetur*; Val. *loco cit. vers.* 3. *quæst.* Ledesma 2. *par. sum. tract. decim. de vo. cap. septimo, dub. secund. pag. mihi* 824. Sayr. cit. *capite decimo, numero duodecimo*, Vega *tomo secundo, sum. capite* 126. *casu* 91. Rodrig. *tomo secundo, sum. capite* 91. *numero sexto.* Less. *libro secundo, de iustit. cap. quadragesimo, dub. decim. numero septuagesimoquinto*, Regin. *in praxi, libro decimo octauo, numero* 304. Filliuc. *tomo primo, tract.* 26. *capite octauo, numero* 245. Suat. *tomo secundo, de relig. libro sexto, capite octauo, numero quarto*, Sanch. 4. *in dec. capite* 27. *num.* 9. Prob. Tum quia licet Superior det facultatem ad vouendum, tamen adhuc retinet sibi dominium voluntatis subditi, & rei offerendæ per executionem voti, solum enim eam facultatem concedit, quæ subdito sufficit, vt & voluntate propria, & re offerenda vtatur, vouendo, & exequendo votum. Quæ facultas eum possit concedi absque translatione dominij, vt constat, quia possum alicui concedere, vt re mea vtatur ad libitum suum, reseruando tamen semper mihi dominium eam resumendi; ergo existimandum est, quod Superior, saluo sibi dominio, illam concesserit. Tum quia id non

obscurè

obscurè colligitur *ex cap. Noluit, & ex cap. Manifestum, 33. quæst. 5.* vbi habetur, quòd si maritus consentiat voto vxoris, & deinde reuocat, mulier non tenebitur ampliùs voto. Quare etiamsi nullam rationabilem causam haberet Prælatus dictam licentiam reuocandi, adhuc reuocatio teneret, & subditus deobligaretur à voti executione, vt Val. *loco cit. col. 5. vers. Caterùm.* Sayr. Ledesm. Imò addit Sanch. *loc. citat. num. 21.* posse Prælatum irritare votum, etiamsi concedendo facultatem vouendi, seu votum confirmando, protestatus esset, se illum irreuocabiliter concedere, & illud votum eximere à sui potestare, quia non potest à se abdicare dominium voluntatis subditi.

6. An autem peccaret Prælatus, sine causa dictam licentiã reuocando, putant aliqui quòd non, qui *vtitur* iure suo, à veniali tamẽ non excusant alij. Videtur enim quædam deformitas rectæ rationi contraria, quòd Superior, qui debet posse reddere rationem omnium poscenti, hic solam voluntatem pro ratione habeat. Colligitur *ex cap. Manifestum, 33. q. 5.* Ita Ledesm. *loc. cit. vers. Digo lo segundo*, Val. *loco cit. col. 1. vers. Ad quam*, Sayr. *loco cit. num. 14.* Sylu. *verb. Votum 4. q. 2. vers. Sextum.* Vide *infra num. 11.* Imò aliqui putant, talem irritationem posse esse mortale, Regin. Ledesm. Vega *loc. cit.* Sanch. *num. 32.* Sed nisi adsit contemptus, vel scandalum, non posse esse mortale, dicit Suar. *loc. cit. cap. 4. num 22.* & hoc etiamsi materia voti sit grauis.

7. Dico 2. Possunt Prælati Regulares vota omnia simplicia suorum subditorum regulariter irritare. Ita Sayt. *loco cit. num. 8.* Sot. *loc. cit.* Ledesm. cit. *dub. vlt. pag. mihi 826.* Vega *cas. 88.* Azor. *part. 1. lib. 11. cap. 18. quæst. 16.* Syluest. cit. *dicto 5.* Ang. *verb. Votum, 2. num. 3.* Rosel. *eod. 2. num. 14.* Nauarr. *in man. cap. 12. num. 85. vers. Item quod verior*, Rodrig. *tom. 1. q. regul. quæst. 25. art. 5.* Less. *loc. cit. dub. 10. num. 74.* A S. Faust *lib. 2. thes. quæst. 141.* Regin. *loc. cit. num. 231.* Molfes. *tom. 1. tract. 11. cap. 15. à num. 65.* Miranda *tom. 2. man. q. 31. art. quart. concl. 2.* Filliuc. *tom. 2. tract. 26. cap. 8. num. 241.* Sanch. *4. in dec. cap. 33. à num. 2.* Suarez *tom. 2. de relig. lib. 6. cap. 7. num. 3.* Portel. *in dub. reg. verb. Votum, num. 32.* Prob. quia per professionem ita se tradit Religiosus in potestatem Superioris, vt hic super illum acquirat dominium super omnes eius actiones, vt dicitur *in cap. Si Religiosus, de elect. in 6.* vbi habetur. *Si Religiosus, cuius arbitrium non ex sua, cum velle, vel nolle non habeat, sed ex illius, quem vice Dei super caput suum posuit, & cuius imperio se subiecit, voluntate dependet*, & idem habetur *in cap. Non dicatis, 12. q. 1.* Atque ita seruatur in praxi apud omnes Religiosos.

8. Noto 1. Quòd hæc potestas vota subditorum irritandi competit Prælatis ex iure diuino naturali, eo enim ipso quòd quis Religionem profitetur, subiicitur per obedientiam ita arbitrio Prælati, vt facta professione, iure naturali, & diuino, non possit ab illo suam voluntatem dimouere, sine ipsius iniuria. Ita Arag. *2. 2. quæst. 88. articul. 8. col. quart. vers. Tertiò est aduert.* Suar. *loco cit. numero quarto, & sexto*, Vega *loc. cit. vers. Et finalmente nota.* Sot. *libro septimo, de iustit. quæstione tertia, art. primo*, Miranda *loc. cit. concl. 6.* Rodr. *loc. cit. & parte secunda, summ. cap. 91. numero primo*, Ledesm. *2. part. summ. tract. 10. de vo. capite septimo, dubitat. secund. vers. Digo lo tercero*, Sayr. *in claui reg. libro sexto, capite decimo, numero septimo, vers. Potestas autem*, A S. Faust. *loco citato, quæst. 151.* Sanch. *loco citato, capite 24. numero 32.* Azor. *tom. primo, lib. 10. cap. 18. q. 3.*

9. Noto 2. Quòd Prælatus potest irritare vota merè interna, vt vota faciendi quotidie tot actus amoris, fidei, &c. Licet enim Prælatus tales actus, vtpotè merè internos, & nihil impedientes alia opera obedientiæ, prohibere non possit, potest tamen ab eis auferre obligationem voti. Tum quia cum petitur à Prælato voti irritatio, iam transit votum illud internum in externam materiam. Tum quia quando dicitur, quòd Ecclesia non iudicat de internis, intelligitur, quòd de illis non iudicat potestate iurisdictionis, at verò potestate dominij bene de illis iudicare potest. Tum quia aliud est, actus internos iubere, vel prohibere, aliud ab obligatione liberare, prius enim onus est, ac proinde præceptum de illo imponere, petit posse de illo iudicare, & transgressores cogere, quod nulli potestati conuenit. 2. autem cum onus non imponat, sed ab eo liberet, non indiget potestate legis, aut præcepti ferendi circa illud, vnde, cum sit fauorabilibus, Prælato Religionis denegandum non est. Ita Suar. *tomo secundo, de relig. de vo. libro sexto, capite septimo, numero octauo*, Sanch. *4. in decis. capite vigesimoquarto, numero quadragesimo*, Portel. *in dub. regul. verb. Votum, num. 32.*

10. Noto 3. Quod Prælatus potest irritare ea subditorum vota, ad quorum materiam seruandam aliàs tenentur, vt verbi gratia, votum non furandi, non blasphemandi, non mentiendi, pecunias non tangendi, camisias non deferendi in Ordine nostro. Quia cum sit Dominus voluntatum suorum subditorum quantum ad ea, quæ non sunt de necessitate salutis, & concernere possunt rectam ipsorum subditorum directionem in vitam æternam, potest omne id prohibere, quod à radice pullulat voluntatis. Cum ergo noua illa obligatio voti super re alias debita sit effectus voluntatis, & non sit de necessitate salutis, illam etiam prohibere potest. Ita Sot. *loco citato, asser. 4. vers. At verò non facilè*, Aragon. *loco cit. col. 4. ver. His positis*, Ledesma *tom. secundo, summ. tract. decim. de vo. capite septimo, dub. vlt. ver. A laqual digo*, Sayr. *loco citato, numero octauo*, Nauarr. *in man. capite duodecimo, numero sexagesimoquinto*, Regin. *in praxi, libro decimooctauo, numero 321. ver. Aduerte autem*, Filliuc. *tomo secundo, tractatu vigesimosexto, capite octauo, numero 242.* Azor. cit. *quæstione decimasexta, & decimaseptima*, Less. *libro secundo, de iust. cap. 40. dub. 10. numero 74.* Sanch. *loc. cit. cap. 33. numero septimo*, Vega *2. part. summ. cap. 126. cas. 90. ver. Terzo pno far voto*, Suarez cit. *numero septimo*, Val. *tomo tertio, disput. sexta, quæst. 6. part. sexta. col. 7. ver. Cæterum.* Molf. *tom. 1. summ. tractat. 2. capite decimoquinto, num. 84.* Rodrig. *tom. 1. quæst. reg. quæst. 25. art. 4.*

11. Noto 4. Quòd Superior potest licitè subditorum vota irritare absque vlla causa. Tum quia, cum sit Dominus, potest, iure suo pro libito vti. Tum quia, cum vota non sint firma sine illius consensu, nullo iure cogitur illum præstare. Et in hoc puncto facio differentiam, quando Superior iam licentiam concesserat; nam eo casu dixi *num. 6.* quod non potest absque culpa veniali sine ratione aliqua ea irritare. Tum quia quod semel placuit, ampliùs sine ratione superueniente displicere non potest. Tum quia in hoc semper adest aliqua deformitas, & illa retractatio vel causam dicit, vel leuitatem. Tum quia illud velle, & nolle pro solo libito voluntatis in Religiosorũ Prælatis vituperabile est. At quando nondum confirmauit, etiamsi nulla adsit causa, nulla talis deformitas apparet, vnde etiam à veniali excusandus est. Atque ita Nauarr. *loc. citat. n. 69.* Azor. *loco cit. q. 5.*

Anton. 2. part. tit. 11. cap. 5. §. 7. vers. Item nota, Ledesma loc. cit. dub. 2. pag. 855. Llam. 3. p. met. cap. 4. §. 42. Vega loc. cit. cas. 89. Rodrig. cit. art. 7.

12. Noto 5. quod vota possint à Prælatis irritari, inuito vouente, quia cum irritatio pendeat à potestate dominatiua Superioris, inferior eam impedire non potest. loc. cit. cap. 1. num. 13. Sayr. in claui reg. lib. 5. cap. 8. num. 6. Sanch. 4. in dec. cap. 24. num. 25. Bonac. in dec. disp. 4. q. 5. part. 7. §. 2. num. 35. Arag. 2. q. 89. art. 9. in princ. A S. Faust. lib. 2. thes. quæst. 27. Portel. in addit. ad dub. regul. verb. Votum, num. 57. An autem similiter dispensatio, inuito vouente, fieri possit, negant Suar. & Arag. Quia est beneficium, quod in inuitum non confertur. Affirmant Sanch. num. 56. & Bonacina quando id poscit bonum commune, quia non potest subditus sua voluntate priuare Superiorem potestate, quam habet illius vota dispensandi, si bonum commune id poscat. Commutare autem vota inuito vouente quod non possit Superior, dicunt Suarez, Sanchez, Bonac. quia per commutationem transfertur voti obligatio in aliam materiam, & fit nouum votum, quod sine voluntate vouentis fieri non potest.

13. Noto 6. quod potest subditus voti sui irritationem à Prælato petere, tam antequam illud confirmauerit, quàm post, nec peccat vllo modo, etiamsi nullam talis irritationis causam habeat, nisi solum quia eum tædet votum implere. Tum quia in hoc vtitur iure suo, quo potest optare grauamen sibi impositum auferri, imò & licitis mediis procurare, nec in hoc vlla apparet deformitas. Tum quia vnicuique licet sua commoda honesta bonis artibus procurare. Ita Suar. tom. 2. de relig. lib. 6. de vo. cap. 7. n. 16. Sayr. in claui reg. lib. 6. cap. 10. num. 14. Llam. & Veg. loco cit. Nec refert quod Prælatus post voti confirmationem illud licitè nequeat irritare sine causa, vt dixi sup. num. 6. quare si subditus irritationem petat sine causa, cum sit causa peccati venialis Prælati, non videtur posse à veniali excusari. Non refert, inquam, quia multa licitè petuntur, quæ licitè concedi nequeunt. Vnde Prælatus, qui videt se iam votum illud confirmasse, si non appareat causa irritationis, debet illam petitionem denegare, alioquin venialiter peccabit. An autem petens irritationem voti confirmati, teneatur illam circumstantiam confirmationis exprimere? Dic, quod non, si causam irritationis habeat, & exprimat, si nullam causam habeat, tenetur, vt possit Prælatus ex suo dicto suam conscientiam formare.

14. Noto 7. Quod vota semel irritata non reuiuiscunt, etiamsi vouens liberetur à Superioris potestate, & ponatur in statu, in quo vouere, & complere posset: vel etiamsi Superior irritationem à se sine causa factam retractet. Tum quia votum semel irritatum, cum ipso facto reddatur nullum, non potest iterum habere vim obligandi, nisi renouetur, l. Cum ex causa, Cod. de remiss. pig. Tum quia id colligitur ex cap. Placet, de conuers. coniug. Ex quibus constat, quòd coniux, cuius professio irrita fuit ab altero coniuge, non tenetur, illo mortuo, ad Religionem redire. Ita Val. loco cit. col. 6. vers. Ita igitur est: A S. Faust. lib. 2. thes. q. 27 & q. 164. Sayr. in claui reg. lib. 6. cap. 10. num. 10. & 13. fine. Nau. in man. cap. 12. num. 66 Vega 2. par. sum. cap. 126. cas. 95. Reginald. in praxi, lib. 18. num. 305. Suar. tom. 2. de relig. lib. 6. cap. 7. n. 13. Azor. tom. 1. lib 11. cap. 18 q. 4. Aragon 2. 2. q. 88. art. 8 fine, Rodrig. p. 2. sum. cap. 91 num. 8. Bonac. in dec. disp. 4. q. 2. p. 7. § 2. num. 36. Sanch. 4. in dec cap. 26 num. 3. & 4. & cap. 33. num. 10. Filliuc. tom. 2. tract. 26. cap. 8. num. 243. Et aduerte, quod subditus votum irritatum implens vt sic, & formaliter, peccat, quia contra obedientiam agit, & vtitur illa operatione contra Domini voluntatem. Ita Sayr. loco cit. num. 13. Vega cas. 91. vers. La segunda cosa; A S. Faust. quæst. 159. Reg. num. 297. vers. Tertium est. Rodrig. num. 7. qui addit, tunc impleri votum contra voluntatem Prælati, quando ab ipso sponte, non ad instantiam vouentis irritatum est.

15. Noto 8. quod Superiores regulares, qui habent hanc potestatem irritandi vota, sunt Correctores, seu Vicarij Conuentus, Correctorem sustinere non valentis, Prouinciales, & Generales, quia hi omnes dominatiuam habent in subditos potestatem, acquisitam per votum obedientiæ. Ita Suarez loc. cit. num. 17. Reg. num. 324. Filliuc. cit. Sanch. 4. in decis. cap. 33. num. 15. Molfes. tom. 1. sum. tract. 11. cap. 15. num. 66. A S. Faust. cit. q. 152. Ledesma 2. p. sum. tract. 10. de vo. cap. 7. dub. 2. pag. mihi 822. Vega cas. 88. Portel. in addit. ad dub. reg. verb. Votum, num. 69.

16. Si quæras, an Subprior, vel Vicarius relictus à Correctore, Conuentum egrediente, eodem die reuersuro, possit vota irritare? Subprior non posse, quia verè Prælati non sunt, nec potestatem habent dominatiuam, sed solùm habent officium coadiutoris in certis rebus particularibus plus, minusvè iuxta Religionum varietatem. Neque etiam posse puto Vicarios, à Correctore statim reuersuro relictos. Quia licet in casu alicuius necessitatis negandum non sit, hos posse aliquid sub merito obedientiæ præcipere, cum in eo de voluntate Prælati præsumitur concedi, cum non possit dari casus adeò vrgens, quin possit expectari Corrector. Si autem Subpriores in absentia Prioris habeant eandem auctoritatem, quam Prior, tunc cum sint verè substituti ad omnia genera causarum, puto, quod hac facultate potiantur. Et idem dico de Vicariis relictis à Correctore, per multos dies non reuersuro. Quia tunc censentur Correctores omnem suam auctoritatem pro recta administratione Conuentus eis delegare, vt docent Suarez, Reginald. loco cit. Sanch. num. 16. Molf. num. 69.

17. Si quæras etiam, an Visitatores, qui mittuntur ad visitandas aliquas Prouincias, habeant facultatem irritandi vota? Respondeo, in Ordine nostro non habeo dubium, quòd hac facultate potiantur, quia dantur ad vniuersitatem causarum, & cum ampla potestate tam in spiritualibus, quam in temporalibus. Pro aliis Ordinibus videndæ singulorum constitutiones. Simpliciter dicendum est, dictos Visitatores hac potestate potiri. Et ita docent Sanch. loc. cit. num. 15. & cap. 34. num. 23. A S. Faust. lib. 2. thes. q. 154. Azor. tom. 1. lib. 11. cap. 58. q. 3. vers. Monachorum verò, Molf. loc. citat. num. 67. Sayr. in claui reg. lib. 9. cap. 10. num. 16. Portel. loc. cit. Et quòd hæc facultas irritandi vota possit aliis etiam solitariè delegari, Sanchez cit. cap. 34. num. 54. Portel. in dub. reg. verb. Votum, num. 45. Et quod possit etiam delegari à Superiore excommunicato non tolerato, quia non est actus iurisdictionis, sed dominij, Sanchez cit. num. 55. Bonac. in dec. disp. 4. q. 2. part. 7. §. 2. num. 31. vers. Adde cum. Et quòd maior Superior possit inferiori Prælato iusta aliqua de causa reseruare irritationem alicuius voti, sicut potest reseruare alia circa regimen, Suarez tom. 2. de relig. lib. 6. cap. 7. num. 17. Sanch. 4. in dec cap. 33. n. 19.

18. Quæres etiam, an Prælatus inferior possit irritare votum subditi, factum ex superioris Prælati licentia? Respondeo, quòd non. Quia potestas Superioris, siue iurisdictionis, siue dominij, non pendet ab inferiori; Suar. loc. cit. cap. 8. num. 2. Sanch. cap. 27. num. 4.

num. 4. Portel. cit. num. 39. A S. Faust. cit. q. 160. Regin. in praxi, lib. 18. num. 324. vers. Vnum est, Filliuc. tom. 2. tract. 26. cap. 8. num. 244. potest tamen inferior votum illud dispensare, quia cum votum sit de se dispensabile, & dispensatio non sit reseruata, non apparet cur nequeat fieri. Suar. loc. cit. cap. 10. n. 19. Portel. num. 44. & in addit. num. 80. Sanch. cap. 42. num. 5. Molfes. tom. 1. sum. tract. 11. cap. 15. num. 165. At verò Superior Prælatus potest irritare votum subditi, confirmatum ab inferiori Prælato, quia inferior potestas à Superiori pendet, imò etiam potest Superior Prælatus irritare votum factum ab inferiori, quia illius subditus est, & docent iidem DD. Suar. num. 3. A S. Faust. q. 261. Rodrig. 2. par. sum. cap. 91. num. 7. Sanch. cap. 27. num. 3. Superior tandem æqualis succedens potest irritare votum factum, & confirmatum auctoritate sui prædecessoris, absque causa, non aliter, ac si absque vlla licentia fuisset emissum, quia, cum par in parem non habeat imperium, cap. Innotuit, de elect. licentia Superioris præcedentis æqualis non potest succedenti æquali præiudicare, Sanchez 4. in dec. cap. 27. num. 36.

19. Noto 9. Quòd Prælatus non potest irritare votum arctioris Religionis, quia hoc votum est extra potestatem illius, iure canonico sic disponente in cap. Licet, de reg. Sanchez loc. cit. cap. 33. num. 2. Ledesma 2. par. sum. tract. 10. de vo. cap. 7. dub. vlt. vers. Alaqual digo lo primero, pag. mihi 826. Suar. tom. 2. de relig. lib. 6. cap. 7. num. 9. Vega 2. part. sum. cap. 236. cas. 95. vers. Finalmente nota, Azor. loc. cit. cap. 18. Sayr. in claui reg. lib. 6. cap. 10. num. 9. Reginald. in praxi, lib. 18. num. 321. vers. Aduerte autem, Filliuc. tom. 2. tract. 26. cap. 8. num. 242. Molf. 1. par. sum. tract. 11. cap. 15. num. 79. A S. Faust. lib. 2. thes. q. 150. Rodrig. tom. 1. q. reg. q. 25. art. 3. Potest tamen in isto voto Prælatus dispensare. Tum quia est votum simplex, & reperitur reseruatum. Tum quia tempore, quo Religiosus tale votum emittit, est ita subditus Prælato, vt teneatur eius voluntatem sequi. Ita Aragon. 2. 2. q. 88. art. 8. concl. 5. Ledesm. & Vega loco cit. Rodrig. q. 149. Sanch. cit. cap. 41. n. 2. Sayr. cit. cap. 11. num. 90. & 91. Less. lib. 2. de iust. cap. 40. dub. 13. num. 107.

20. Noto 10. Quòd potest similiter Prælatus Religionis irritare promissiones suorum subditorum. Tum quia Religiosus, cum velle, & nolle non habeat, non potest se obligare, nisi de mandato, & licentia Superioris. Tum quia si potest Prælatus irritare promissiones factas Deo per vota, poterit multò magis irritare promissiones factas homini. Ita Nau. lib. 1. cons. de pact. cons. 7. num. 4. & 3. Suar. tom. 3. de relig. lib. 2. cap. 13. num. 8. Graff. num. 2. cons. lib. 3. de vo. cons. 1. num. 13.

21. Sed quid, si subditus ex licentia Prælati aliquid alicui extra Religionem promiserit, poterit ne Prælatus eam promissionem, & licentiam irritare? Respondeo, aliquos affirmatiuè tenere, vt Aragon. 2. 2. q. 88. art. 8. vers. Est aliud dubium, ibi: Vel secundo, Less. loc. citat. dub. 10. n. 75. vers. Ad 2 quia non solum promissio, sed etiam executio pendet à voluntate Prælati. Alij negant, Suar. tom. 2. de relig. lib. 6. de vo. cap. 8. num. 3. Sanchez 4. in dec. cap. 27. num 23. & lib. 7. cap. 31. num. 41. & lib. 9. de matr. disp. 40. num. 14. Bonac. in dec. disp. 4. q. 2. §. 2. num. 15. vers. Addo. Portel. in addit. ad dub. reg. verb. Votum, num. 63. Quia alias nemo auderet cum subditis religiosis contrahere, quod esset valde Religioni nociuum. Fatetur tamen Sanch. 4 in dec. cit. subditum non implentem promissum, renitente Superiore, non peccare. Quia licet Superior peccet, non tenetur subditus, eo inuito, exequi. Adde, quòd non solùm non potest Prælatus, qui dictam licentiam dedit, eam irritare, sed nec Superior, vel successor illius. Tum quia Religiosus ex ea promissione obligatur ciuiliter, & naturaliter, vt docent Abb. in cap. Ex rescripto, de iur. iur. num. 1. Sanch. 7. in dec. cap. 31. num. 40. Tum quia Prælatus successor tenetur stare contractui prædecessoris, vt multis probat Rodrig tom. 3. q. reg. q. 26. art. 1.

22. Noto 11. Quòd possunt similiter, & eodem modo Prælati regulares iuramenta suorum subditorum irritare. Habent enim huiusmodi iuramenta voti rationem, parique ambulant passu. Ita D. Thom. 2. 2. quæst. 89. art. 9. ad 3. D. Anton. 2. par. titul. 10. cap. 6. §. 2. Sot. lib. 8. de iust. q. 1. art. 9. Regin. in praxi, lib. 18. num. 64. Sanchez 3. in dec. cap. 19. num. 2. Less. lib. 2. de iust. cap. 42. dub. 12. num. 61. Sayr. in claui reg. lib. 1. cap. 8. num. 5. Filliuc. tom. 1. tract. 25. cap. 9. num. 259. Suarez tom. 2. de relig. tract. de iur. lib. 2. cap. 38. num. 4. fine, Graff. tom. 2. cons. lib. 3. de vo. cons. 1. num. 13. Bonac. in dec. disp. 4. q. 1. par. 17. num. 4.

23. Noto 12. Quòd Prælati Regulares non possunt vota à se ipsis facta per se ipsos irritare, vel id suo confessario committere, nam Superior potest irritare vota ratione dominij, quod habet in voluntatem subditorum, vnde in his votis semper includitur conditio, Si Superiori placuerit, at vota Superiorum nullam talem habent tacitam conditionem à sua voluntate pendentem, sed à voluntate suorum maiorum, si ipsi fortè alicui potestati dominatiuæ subduntur. Quare non possunt sua vota irritare, aut aliis irritandu committere. Ita Sanch. 4. in dec. cap. 24. num. 70. A S. Faust. lib. 2. thes. q. 26. Possunt tamen dicti Prælati secum dispensare non solum in votis, sed etiam in irregularitatibus, præceptis Ecclesiæ, atque in cæteris, in quibus possunt dispensare cum suis subditis. Licet enim dispensatio sit actus iurisdictionis, cum tamen non sit contentiosa, sed voluntaria, potest in seipsum exerceri, nec repugnat, idem secundum diuersas rationes esse agens, & patiens, vt cum quis concedit Indulgentias, & illas lucratur. Neque hic requiritur distinctio personæ, vt in absolutione à peccatis. Et cum sit actus delegabilis, nihil obstat quominùs Prælatus possit hanc facultatem alteri committere, ad secum dispensandum, & Superior non debet esse peioris conditionis, quam subditi, quando defectus non est in radice. Ita D. Thom. in 4 d. q. 20. q. vn. art. 5. quæst. 4. ad 5. Sanch. 8. d. matr. disp. 3. num. 9. & 4. in dec. cap. 37. num. 45. & cap. 39. num. 12. A S. Faust. lib. 3. thes. quæst. 41. num. 3. Molf. tom. 1. sum. tract. 11. cap. 15. n. 118. Innoit Val. tom. 4. disp. 7. q. 20. part. 3. col. 3. vers. Secundo asserimus. Sot. in 4. d. 21. q. 1. art. 4. col. 4. vers. Contra hanc, Sà verb. Religio, num. 47. Vide tom. 1. huius op. q. 1. cap. 8. §. 3. concl. 6.

24. Dico 3. Possunt Prælati regules dispensare in votis suorum subditorum. Sayr. in claui reg. libro 6. cap. 11. num. 88. Sanch. 4. in dec. cap. 39. num. 3. Val. tom. 3. disp. 6. q. 6. p. 7. col. 10. vers. Sed cum constet, Less. lib. 2. de iust. cap. 40. dub. 13. num. 107. Rodrig. tom. 1. q. regul. quæst. 25. art. 4. Suar. tom. 2. de relig. lib. 6. de vo. cap. 10 num. 13. & tom. 4. tract. 1. lib. 2. cap. 12. num. 10. Portel. in addit. ad dub. reg. verb. Votum, num. 72. Regin. in praxi, lib. 18. num. 340. Nauarr. in man. cap. 12. num. 75. vers. Tertio quod, Filliuc. tom. 2. tract. 26. cap. 9. numero 249. Miranda tom. 2. man. q. 32. art. 1. concl. 5. Molf. loc. citat. num. 116. A S. Faust. loco citat. quæst. 21. Bonac. in dec. disp. 4. q. 2. part. 7. §. 4. num. 26. vers. Item Prælati. Prob. quia dispensare est actus iurisdi-

ctionis

ctionis spiritualis, solis Prælatis Ecclesiasticis iure ordinario competens, vt probat D. Thom. 2. 2. q. 88. *art.* 12. *loco citat. num.* 1. Sanch. cit. *cap.* 37. *num.* 16. Cum ergo Prælati regulares sint Prælati Ecclesiastici iure ordinario,& habeant auctoritatem quasi Episcopalem, simque à iurisdictione Episcoporum exempti, non est, cur hæc potestas eis denegetur.

25. Dico 4. Possunt Prælati regulares commutare omnia vota simplicia suorum subditorum. Ita Molf. *tom.* 1. *sum. tract.* 11. *cap.* 15. *num.* 199. A S. Faust. *lib.* 4. *thes. q.* 3. Miranda *tom.* 2. *man. q.* 32. *art.* 5. Ledes. *tom.* 2. *sum. tract.* 10. *de vo. cap.* 8. *vers. Digo lo quarto, pag. mihi* 852. Portel. *in dub. reg. verb. Votum num.* 41. *& in addit. num.* 93. Sanch. 4. *in dec. capite* 49. *num.* 28. Regin. *in praxi, lib.* 18. *num.* 351. Less. *lib.* 2. *de iust. cap.* 40. *dub.* 11. *num.* 94. Sayr. *in claui lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 117. *& cap.* 12. *num.* 15. Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 6. *de vo. cap.* 12. *num.* 10. Bonac. *in dec. disp.* 4. *q.* 2. *par.* 6 *num.* 10. Prob. tum quia commutatio est actus iurisdictionis spiritualis, qui Prælatis Ecclesiasticis conuenit. Tum quia cum potest dispensare, quod est plus, potest etiam commutare quod est minus.

26. Ad vltimum hic nota, quòd Papa potest similiter vota Regularium irritare, ratione voti obedientiæ, quod extenditur ad ipsum tanquam Generalissimum omnium Religionum, ratione cuius acquirit in eos potestatem dominatiuam, minùs quàm alij Prælati Religionis. Non potest tamen Papa irritare vota sæcularium, nec Clericorum, nec Episcoporum, quia etiamsi in hos supremam polleat potestate ad eos dirigendos in finem spiritualem, ideoque possit iusta de causa in votis ipsorum dispensare, non tamen habet in eos potestatem dominatiuam, requisitam ad subditorum vota propria irritanda. Quia hæc nec erat illi necessaria, nec apparet, vnde illam hauserit. Et est à posteriori signum, quòd tam Episcopi, quàm Clerici multos contractus faciunt absque consensu, imò contra voluntatem Papæ. Atque ita D. Thom. 2. 2. *q.* 186. *art.* 5. *ad* 3. Reginald. *loc. cit. num.* 296. *vers. Atque hic*, Sayr. *in claui reg. lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 17. Suar. *tom.* 2. *de relig. lib.* 6. *de vo. cap.* 2. *num.* 3. *&* 4. *& cap.* 7. *num.* 18. Sanch. 4. *in dec. cap.* 24. *à num.* 18. Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 18. *q.* 3. *vers. Quæris an saltem*, Less. *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 10. *num.* 66. Rodrig. *tom.* 1. *q. reg. q.* 25. *art.* 5. Sot. *lib.* 7. *de iust. q.* 3. *art.* 1. Ledesm. 2. *part. summ. tract.* 10. *de vo. cap.* 8. *dub.* 2. *vers. Digo lo secundò, pag. mihi* 838. Nauarr. *in man. cap.* 12. *num.* 76. *vers. Sextò dicimus*, A S. Faust. *lib.* 2. *thes. q.* 12, 13. *&* 15. Vnde collige, quòd Papa est Pater Regularium potiori iure, quam aliquorum Christianorum, etiam Clericorum, etiam Episcoporum. Nam in hos solam habet iurisdictionem, in Regulares verò etiam absolutum dominium quoad omnes eorum actiones, sicut pater in filios. Quare tenetur etiam illis magis fauere. Qui enim plus liberaliter, & voluntariè dedit, plus accipere meretur, etiam ratione gratitudinis. Collige etiam, quòd Regulares, quos non malè vocabat quidam Senior è nostris Cor Ecclesiæ, sint magis colligati Ecclesiæ, quàm alij: vnde tenentur maiores pro Ecclesia, vt semper fecerunt, labores perpeti.

27. Et si tandem quæras, an possint prælati Regulares irritare vota suorum subditorum simplicia reseruata Papæ, vt peregrinationis Hierosolymitanæ, Compostellanæ, Romanæ, & Lauretanæ? (si est Papæ reseruatum, vt falsò putare Nauarr. *tom.* 1. *de reg. num.* 21. dicunt Azor. cit. *cap.* 19. *q.* 4. *vers. Mihi videtur*, & A S. Faust. *lib.* 3. *thes. quæst.* 46.) Respondeo, Quòd sic. Tum quia ista vota non possunt esse firma absque consensu Prælati, vt dixi *sup. num.* 4. imò putat Rodrig. *tom.* 2. *sum. cap.* 91. *num.* 2. quòd non possint Regulares talia peregrinationi vota facere, per priuilegium Benedicti XIII. vnde si quæ talia faciunt, sunt ipso facto nulla: nec tenentur ea manifestare Prælatis pro irritatione; quod etiam dicit Vega 2. *par. sum. cap.* 126. *casu* 90. Tum quia etiam post datum consensum, materia voti adhuc, & voluntas subditi executiua, est subiecta dominio Prælati, vnde semper potest illa irritare. Ita Suarez *tom.* 4. *de religion. tract.* 2. *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 10. Sanch. 4. *in dec. cap.* 33. *num.* 19. Non potest tamen Prælatus in iis dispensare, quia sunt Papæ reseruata; & talis potestas illi necessaria non est, cum possit alia via, nimirum per irritationem, bono suæ Religionis regimini prouidere. Ita Miranda *tom.* 2. *man. q.* 32. *art.* 1. *concl.* 2. Portel. *in dub. reg. verb. Votum, num.* 42. Et aduerte, quòd ista vota peregrinationis commutantur simul cum aliis votis in votum religiosæ professionis, vt est communis opinio D. Thom. *in* 4. *d.* 38. *q.* 1. *art.* 4. *quæstiuncula* 4. *ad* 1. Sanch. 5 *in dec. cap.* 5. *à num.* 36. Barb. *in cap.* 4. *de vo. num.* 2.

CAPVT IV.

An Prælati regulares habeant facultatem censuras ferendi in suos subditos.

1. Vide D. Thom. *in* 4. *d.* 18. *q.* 2. *art.* 2. & *d.* 19. *q.* 1. *art.* 1. *quæst.* 3. *corp.* Plaud. *in* 4. *d.* 18. *q.* 2. *art.* 1. Couarr. *in cap. Alma mater, p.* 1. §. 11. Nauarr. *in man. cap.* 27. *à num.* 5. Syln. *verb. Excom.* 1. *num.* 5. Sayr. *lib.* 1. *de cens. cap.* 6. Henriq. *in summ. lib.* 13. *cap.* 24. §. 3. Conioch. *disp.* 13. *de cens. dub.* 4. *à num.* 31. Vasq. *tom.* 4. *in* 3. *par. tract. de excomm. dub.* 17. Rodrig. *tom.* 2. *q. reg. q.* 59. *art.* 1. Suar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 1 *lib.* 2. *cap.* 9. *à num.* 4. *& tom.* 5. *in* 3. *p. disp.* 2. *sect.* 2. *num.* 9. *& disp.* 18. *sect.* 1. Yribarn. *in* 4. *d.* 18. *q. vn. disp.* 16 *sect.* 6. Mir. *tom.* 2. *man. q.* 35. *art.* 8. *& q.* 36. *art.* 4. *& q.* 37. *art.* 4. Fillinc. *tom.* 1. *tract.* 11. *cap.* 2. *à num.* 1. Auil. *de cens. part.* 2. *disp.* 1. *cap.* 3. Long. *de cas. reseru. part.* 1. *sect.* 1. *art.* 2. *num.* 1. *& art.* 6. *num.* 3. Llam. 1. *part. mer. cap.* 9. §. 16. Bonac. *de cens. q.* 1. *part.* 2. *num.* 5. Portel. *in dub. reg. & in addit. verb. Abbas.* P. Sot. *de excomm. lect.* 4. Alter. *tom.* 1. *de cens. disp.* 3. Ghet. *in mor. verb. Excommun. c.* 2. Bayus *in theat. scien. theol. lib.* 2. *cap.* 100. Gecmon. *de Sacram. immun. lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 9. Angel. *verb. Excomm.* 1. §. 3. Pisanel. *eod.* 1. §. 1. Cruz *in direct. consc. tract. de cens. art.* 1. *concl.* 3. S. Cæsar *de Eccl. Hierarch. p.* 2. *disp.* 8. §. 6. *num.* 16. P. Greg. *lib.* 4. *decr. tit.* 16. *cap.* 4. Homob. *tom.* 2. *exam. tract.* 11. *c.* 1. *q.* 1. Graff. *tom.* 1. *consl. lib.* 5. *de sent. excomm. consf.* 1 *num.* 9 Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 20. *q.* 7. Tomb. *tom.* 2. *de iur. Abb. disp.* 14. *q.* 1.

2. Dico 1. Possunt Prælati Regulares, Generales scilicet Prouinciales, & Correctores suos subditos excommunicare. Ita DD. cit. D. Thom. *d.* 18. Palud. *concl.* 9. *&* 10. Sot. *verb. Nomine autem Prælatorum.* Henriq. §. 3. Couar. *num.* 1. Sayr. *num.* 13. Vasquez *num.* 2. Filliuc. *n.* 33. Prob. tum ex iur. *can. c. Cum ab Ecclesiarum, de off. ord.* vbi Panorm. *numero* 10. *cap. Cum in Ecclesiis, iuncta glos. verb. Excomm. de ma. & obed. cap. Sicut nis, iuncta glos. verf. Sub interminatione, de sim. cap. Transmissam, de elect.* Tum quia Prælati regulares habent iurisdictionem Ecclesiasticam, non solum in foro interno, sed etiam in foro externo, vt sæpè dictum est. Sed talem iurisdictionem habentibus competit facultas ferendi censuras, *cap. Quærenti*, ibi: *Index de verb. sign.* Tum quia

quia alioqnin poteftas iurifdictioois effet inutilis, nifi gauderet facultate coërcitiua, & innuit Trid. *fess.25. capite 3. de reform.* ibi: *ad continendos in officium populos.* Tum quia cenfura eft veluti gladius Ecclefiafticus, *cap. Dilecto, de fentent. excommun. in 6.* Trid. *loco cit.* Qui gladius petinde eft in Ecclefia, gladius temporalis in Republica ciuili; *cap. Inter hec 33. quæft. 3.* gladius autem temporalis tribuitur iudicibus habentibus iurifdictionem, *l. imperium*, ibi: *animaduertendum, ff. de iurifdict.* ergo, & gladius fpiritualis iifdem iudicibus tribuendus eft.

3. Noto 1. Quòd hæc poteftas cenfuras ferendi competit Prælatis Regularibus tum iure communi cir. tum iute priu. vt conftat *ex tom. 1. noftr. priuil. in conft. Pyr. §. 1. & in conft. 1. Sixti IV. §. 4.* & quod priuilegium hoc poffit, conftat, *ex cap. Cum contingat, de for. comp. & cap. Duo, de off. ord.* & ita docent Suarez *tomo 5. in 3. part. difp. 2. fect. 2. n. 9.* Henriq. Rodrig. Miranda *loc. citat.* Tum ea iure diuino Matth. 18. *Quæcunque alligaueritis fuper terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque folueritis, &c.* Tum etiam ex iure naturali, eo enim ipfo quòd aliqua Religio confirmatur ab habente auctoritatem, & eximitur à iurifdictione Ordinarij, iure natnræ confurgat in capite, & Superiore dictæ Religionis legitimè electo hæc poteftas fubditos excommunicandi, nam alioquin non poffet illa Religio conferuari, nec illa confirmatio quidquam prodeffet, fi Religiofi non poffent coërceri. At Ecclefia nullum habet armorum genus fortius ad continendos populos in officio excommunicatione, vt ait Trid. *loc. cit.* Ita Sot. *in 4. d. 22. quæft. 2. art. 1. concl. 1.* Vnde conftat, quod, cum hæc poteftas dictis Prælatis competat ordinario iure, poteft à dictis toties, quoties, & quicunque voluerit delegari, vt habetur *in l. More, ff. de iurifd. omn. iud.*

4. Noto 2. Quod capitula Generalia, & Prouincialia poffunt excommunicare, nam poffunt ftatuta facere, illorúmque obferuantiã fub pœna excommunicationis latæ fententiæ, vel ferendæ præcipere, arg. *cap. Graue nimis, de Presb.* Ita Soar. *loco cit.* Auil. *de cenf. p. 2. difp. 1. cap. 3. dub. 1.* Filliuc. *tom. 1. tract. 13. cap. 2. num. 35.* Sayr. *de cenf. lib. 1. cap. 6. num. 20.* Sot. *loco cit. verf. At quæ Pontif.* Non poffunt tamen ferre excommunicationem capitula localia, quia cum hæc capitula non habeant auctoritatem extra Conuentum, & confequenter extra feipfa, fequeretur, quod poffent capitulares fe ipfos excommunicare, quod eft contra naturam excommunicationis, quæ eft actus iurifdictionis per modum fententiæ coactiuæ, & nemo feipfum cogit, fed fubditum, & nullibi reperitur illis conceffum. Ita D. Thom. *addit. ad 3. p. q. 22. art. 4.* Auil. *loc. cit. dub. 7. conc. 2.* Sayr. *loco cit. cap. 5. num. 22.* Nauarr. *in man. cap. 27. num. 6.* Sot. *loco cit. art. 2. concl. 1.* Suar. *tomo 4. de relig. tract. 1. lib. 2. cap. 9. num. 6.* Ifta autem capitula, aliæ communitates, excommunicari non poffunt, bene tamen finguli de communitate: nam excommunicatio folum fertur pro peccato mortali, quod eft actus perfonalis, communitas verò non peccat, nifi quia finguli peccant, vnde illa non poteft immediatè excommunicari, & habetur *in cap. Romana, §. fin. de fentent. excommun. in 6.* Ita omnes DD. communiter, D. Thom. *in 4. d. 18. q. 2. art. 3. quæft. 2. corp.* Auil. *loc. citat. cap. 4. difp. vn. dub. 5.* Sot. *loc. citat. art. 2. concl. 2.* Mitand. *tomo 2. man. q. 35. art. 10.* Suar. *de cenf. difp. 18. fect. 2. num. 2.* Vafq. *tom. 4. in 3. part. tract. de excomm. dub. 17. num. 8.* Ghet. *in theol. mor. verb. Excommunicatio, cap. 3. quæft. 2.* Palud. *in 4. d. 18. q. 2. art. 3.* P. Greg. *lib. 4. decret. tit. 36. de fentent. excomm. cap. 5.* Sayr. *de cenf. lib. 1. cap. 8. n. 15.* Henriq. *in fum. lib 13. cap. 35. n. 4.* Barb. *in dicto cap. Romana, num. 20.* Si verò, facta diligenti informatione. Prælato conftet, omnes perfonas communitatis, feu capituli deliquiffe, excommunicatio contra dictam communitatem lata eft valida, quia non militat ratio *dicto cap. Romana.* Sed fi excommunicetur communitas, etiam à Papa, in qua fint aliqui innocentes, putat Henriq. quòd dicta excommunicatio non ligat, quia eft contra ius diuinum, innocentem puniæ, & cum non fit maior ratio, quod liget potiùs nocentes, quam innocentes, nullos ligabit. P. tamen Greg. cit. *in tom. lit. D.* putat, quod excommunicatio lata à Papa contra communitatem, eft valida. Sed magis placer opinio Henriq. quam etiam tuetur Auila *loco citat. dub. 6. concl. 2.* & alij apud Sayr. *num. 17.* Videatur Filliuc. *tom. 1. tract. 11. cap. 1. à num. 19.* Poteft verò communitas interdici, vt Sot. P. Greg. Mirand. *loco cit.* & habetur *in cap. Si ciuitas, de fentent. excomm. in 6.* Poteft item capitulum fufpendi; Conînch. *difp. 13. de cenf. dub. 6. num. 48.* Henriq. *in loco citat.* Auil. *part. 3. difp. 3. dub. 2.* Filliuc. *tom. 1. tract. 17. cap. 4. num. 6.* Suar. *de cenf. difp. 28. fect. 3. num. 1.* Colligitur *ex cap. Quia fæpe, de elect. in 6. & cap. Si fententia, de fentent. excommunicat. in 6.* & Trident. *fess. 24. cap. 16. de reform.*

5. Noto 3. Quod de Correctoribus, & aliis Superioribus localibus dubitant aliqui, an poffint excommunicare, cum enim affimilentur Parochis, & hi excommunicare non poffint, vt probant communiter DD. Henriq. *lib. 13. c. 24. n. 7.* Sayr. *de cenf. lib. 1. cap. 6. num. 32.* Nauarr. *in man. c. 27. n. 5.* Auil. *de cenf. part. 2. cap. 3. difp. 1. dub. 2.* quia iurifdictionem non habent in foro exteriori, & poteftas excommunicandi non ab ordine, fed à tali iurifdictione dependet, videtur, quòd neque dicti Correctores excommunicare poffint. Sed nihilominùs dicendum eft, quòd ftando in iure communi poffunt excommunicare, vt dictum eft *fup. quæft. 1. cap. 4. n. 73.* quia habent iurifdictionem in foro exteriori; Et in ordine noftro hoc eft fine difficultate, afferente id exprefsè legiflatore *in Correct. num. 87.* & fupponitur *in cap. Genuen. 4. num. 21.* Quare fallitur Liam. *1. part. met. cap. 9. §. 17.* dum ait, quod Guardiani Minorum, & aliarum Religionum inferiores Prælati per earũ ftatuta hac poteftate priuati funt, & folis Prouincialibus hæc poteftas relicta eft, noftris enim Correctoribus id exprefsè conceffum eft *in loco cit. Correct.* De Guardianis Minorum id etiam conftat ex eorum ftatutis Barchin. *cap. 6. §. 20. de pœna excomm.* vbi etiam puniuntur tanquam errantes, & perturbatores Religionis oppofitum dicentes. De Prioribus Prædicatorum conftat *ex 3. p. 3. conft. dicti Ordinis cap. 22.* Si in aliis Ordinibus adfint aliquæ conftitutiones legitimæ limitantes dictam facultatem feruandæ funt; quia licet concedatur dictam facultatem competere Prælatis ea iure diuino, competit tamen ita, vt in aliquo cafu pendeat à maiori Prælato, vt ordo naturæ feruetur, quo minora maioribus fubijciuntur.

6. Sed quæres, an Vicarij relicti à Correctore eodem die reuerfuro, poffint excommunicare? & fimiliter an Vicarij domus, Subpriores, &c. Refpondeo, meo iudicio dictos Vicarios excommunicare non poffe, quia cum ex fe nullam habeant auctoritatem, eam folum habent, quam illis cenfetur dare Correctot foras egrediens: Corrector autem non præfumitur illis velle dare nifi eam auctoritatem, quæ eft fimpliciter neceffaria pro recta adminiftratione Conuentus illo paruo tempore fuæ abfentiæ, pro quo non videtur vllo modo neceffaria poteftas excommunicandi, quæ maturiffimam requirit deliberationem, &

& ab omnibus, præsertim à Correctore, est parcè vsurpanda. Vnde cum possit in quocunque casu adueniente, vel reum detinere, vel præcipere sub merito sanctæ obedientiæ, non video, quo modo possit dictus Vicarius vigore illius simplicis substitutionis excommunicationem ferre. Quando verò Corrector non est reuersurus nisi post aliquot dies, cum possit dari casus, in quo talis potestas sit necessaria, præsumendum est de mente Correctoris absentis, quòd intenderit suo Vicario omnem auctoritatem tribuere, quæ fuerit necessaria pro recta administratione Conuentus. Vicarij verò domus ordinarij in præsentia Prioris, & Subpriores, seu Ministri, qui non habent absolutam gubernationem domus, sed sunt veluti coadiutores in aliquibus rebus, non possunt excommunicare, nisi vacante per mortem, vel priuationem, aut longam absentiam sede principalis Prælati. Ita Syluest. *verb. Prælatus, num. 2.* Auil. *de cens. par. 2. cap. 3. disp. 1. dub. 1. vers. Ex dictis sequitur.* Fagund. *in 2. præcep. Eccl. lib. 8. cap. 4. num. 5.* Cum verò in Regula nostra *cum. 20.* iubeatur, quòd *quamdiu fratres foras exstiterint, prout eorum Superior ipsis ordinauerit, illorum alter Correctoris vice fungatur.* Si Corrector specialiter eligat vnum è sociis, potest electus in casu necessario sub obedientia præceptum imponere, & alter obedire tenebitur, stat enim eo casu loco Correctoris vigore Regulæ, & est specialiter à Correctore electus, à quo credendum est dari illi eam facultatem, quæ est necessaria pro illa Religiosa, & prudenti itione, alioqui frustra esset illa deputatio. Idem dic de Vicario constituto à Correctore pro refectorio, vel pro choro, quòd scilicet possit præcipere sub merito sanctæ obedientiæ, non tamen sub pœna excõmunicationis. Visitatores autem Prouinciarũ possunt excommunicare, quia habent iurisdictionem in foro exteriori, & id eis vt plurimum expressè conceditur in suis literis patentibus. Possunt item dicti Visitatores, facere ordinationes in scriptis cum pœna excommunicationis pro transgressoribus, quæ ordinationes durant, donec per alium reuocentur, etiamsi ipsi munus visitationis obierint. Ita Sot. *in 4. dist. 22. quæst. 2. articulo primo, vers. Sed minores*, Auil. *loco cit. dub. 4. dict. 2.*

7. Noto 4. Quod possunt Prælati regulares subditos suos vbicunque existentes respectiuè excommunicare, verbi gratia, Generalis potest excommunicare suos Religiosos, in quacunque mundi parte existant. Prouincialis potest excommunicare suos subditos existentes intra confines suæ Prouinciæ, quæ est illis loco territorij, imò etiam extra dictos confines, & propter delictum vbicunque commissum. Quare puto, quòd possit Prælatus subditum fugitiuum, seu apostatam, etiam extra limites dictæ Prouinciæ excommunicare, etiam propter delictum commissum in aliena Prouincia, dum iter per eam agebat, verbi gratia, & quòd Corrector possit excommunicare subditum etiam extra Conuentum sibi assignatum. Moueor, quia subditus, dum manet subditus, æquiparatur seruo, seruus autem potest vbique capi, vt dixi *tomo 2. nostr. priuil. in const. 7. Pij V. num. 20. & n. 21.* dixi, quod subditi vbicunque existentes ligantur excommunicatione sui Prælati. Et Iul. II. expressè Minimis concessit, vt possent suos apostatas vbicunque repertos excommunicare, vt constat *ex eius const. 2. §. 15. & const. 11. §. 7. tomo primo, nostr. priuil.* Vide quæ ibi dico *in const. 13. Leon. X. num. 7.* Atque ita præter DD. *in dictis locis* adductos, id docent ex parte Rodrig. *tom. 2. quæst. reg. quæst. 59. art. 1.* Miranda *tomo 2. man. quæst. 35. art. 8. concl. 3.* Sylu. *verb. Excomm. 2. num. 15.* Nostram sententiam expressè tradunt Coninch. *disp. 13. de cens. dub. 7. num. 64.* Cruz *in direct. consc. de cens. art. 2. concl. 2.* G. Papa *q. 559.*

8. Ex quibus collige 1. quid dicendum sit ad illam quæstionem, An Religiosus gaudeat immunitate Ecclesiæ? Dico enim, quod non. Non solum propter præscriptam consuetudinem, secundum quam nullus Ecclesiasticus, siue regularis, siue sæcularis, dicta immunitate gaudet, vt dicunt omnes Doctores citandi, sed etiam propter absolutum dominium, quod habent super illos eorum Prælati. Ita Syluest. *verb. Immunitas 3. num. 2. vers. Tertium:* Ang. *eodem, §. 14.* Abb. *in cap. Inter alia, de Immunitate Eccles. num. 13.* Nauarr. *in man. cap. 25. num. 22.* Gutier. *pract. quæst. lib. 3. quæst. 3. num. 3.* vbi alios reperies. Vide Ambros. *de imm. cap. 12.*

9. Collige etiam, tantam esse subiectionem subditi ad Prælatum, quod si subditus à Collegio Cardinalium in Papam creatus esset, inscio Prælato, posset à Prælato repeti, & ad claustrum reuocari. Glossa *in cap. Quam sit, vers. Ad ordinandum, 18 q. 2.* Sylu. *verb. Religio 7. quæst. 9.* Mirol. *de irreg. lib. 4. c. 20. n. 2.* At tamen Sylu. quod Abbas eo casu deberet compelli ad consentiendum. Sed quis coget redire, si Abbas consentiat? Glossa ait, quod sicut ipse Papa tenetur de aliis iustitiam facere, ita de se ipso, reddendo Prælato quod suum est. Sed hæc doctrina non placet, & rectè, Trott. *de pers. cler. lib. 2. par. 1. req. 6. num. 25.* Tum quia electo à duabus partibus Cardinalium nulla potest opponi exceptio, nisi hæresis, vt dicit Glossa *in cap. Si propter, d. 40.* Tum quia Monachus ex electione ad tantam dignitatem censetur liberatus à potestate Abbatis, sicut filiusfamilias per electionem ad Decurionatum censetur liberatus a patria potestate, *l. Filius, Cod. de decur. lib. 10.* Tum quia Collegium Cardinalium est supra Abbatem illo casu.

10. Noto 5. Quod excommunicatus denuntiatus, aut clerici notorius percussor, aut etiam ab officio, seu iurisdictione suspensus, non potest excommunicare, quia caret iurisdictione, *cap. Audiuimus, 24. quæst. 1. & cap. Ad probandum, de sent. & re ind.* Ita D. Thom. *addit. ad 3. p. q. 22. art. 3 & in 4. d. 18. q. 2. art. 2. quæst. 3. corp.* Palud. *in 4. d. 18. q. 2. art. 3. concl. 1.* Sot. *in 4. d. 22. q. 2. art. 1. concl. 3.* Sayr. *de cens. lib. 1. cap. 5. num. 31. & 35.* Henriq. *lib. 13. cap. 24. num. 4* P. Greg. *lib. 4. decret. tit. 16. cap. 4.* Nauarr. *in man. cap. 27. n. 7.* Llam. *1. par. met. cap 9. §. 21.* Miranda *tom. 2. man. quæst. 35. art. 8. concl. 4.* Suarez *de cens. disp. 14. sect. 1. à num. 4.* Filliuc. *tom 1. tract. 11. cap. 2. num 40.* Angel. *verb. Excomm. 1. §. 4.* Coninch. *de cens. disp. 14. dub. 10. num 88.* Ghet. *in theol. mor. verb. Excomm. cap. 2. quæst 4.* Sed quæres, an cum tali excommunicato possint subditi licitè communicare? Dic quod sic, in his quæ pertinent ad potestatem iurisdictionis. Ita Suar. *de cens. disp. 15 sect. 7. n. 2.* Barbos. *in cap. Inter alia, de sentent. excom. num. 11.* Graff. *tom. 1. cons. lib. 5. de sent. excomm. cons. 14 num. 5.* Riccinl. *de iur. pers. lib. 4. cap. 52. num. 9.* Tambur. *de iur. Abb. tom. 2. disp. 14. q. 5.* Si verò excommunicatus non sit denuntiatus, licet ex facto sciatur eum talem esse, nec publicus clerici percussor, sed sit toleratus, licet sponte excommunicans mortaliter peccet, excommunicatio tamen ab eo lata, valida est. Quia excommunicare pertinet ad iurisdictionem fori exterioris, ergo quousque quis habet vsum dictæ iurisdictionis excommunicare potest. Et potest confirmari *ex dicto cap. Ad probandum, de sentent. & re ind.* dicitur enim, quòd sententia lata à iudice publicè excommunicato, est nullius valoris, ergo à contrario, si sit occultè excommunicatus, valebit. Ad quod etiam facit *extr. Ad euitanda.* Atque ita Palud *loc. cit.* Sot. *vers. Dubium autem est.* Sayr. *num. 33.* Auil. *part. 2. cap. 6. disp. 6. dub. 3. vers.*

Ex

Ex quo sequitur. Suasez *disp.* 14. *sect.* 1. *numero* 113. Llam. *loco cit.* Coninch. cit. *num.* 92. Vasq. *tom.* 4. *in* 3. *par. tract. de excom. dubit.* 17. *num.* 5. Couar. *in cap. Alma mater*, *part.* 1. §. 11. *num.* 4. Portel. *in addit. ad dub. reg. vers. Excommun numero sexta*, Sanch. 3. *de matrim. disput.* 21. *num.* 34. *vers. Ceterum.* Altcrius *de excommun. lib.* 2. *disp.* 2. *cap.* 2. *colum.* 3. *vers. Et licet.*

11. Noto 6. Quod excommunicatio non potest ferri pro peccato veniali, & si feratur, est nulla, *cap. Nemo Episcoporum*, *capite Nullus*, 11. *quæst.* 3. Vnde qui per paruitatem materiæ, vel actus imperfectionem, transgressus est tantum venialiter præceptum habens annexam excommunicationem, eam non incurrit, quia cum excommunicatio sit grauissima omnium pœnarum, solum pro grauissima culpa infligi potest. Ita Vasq. *loc. citat. dub.* 12. *numero* 3. Couar. cit. §. 9. *num.* 2. Palud. cit. *quæst.* 1. *artic.* 2. *concl.* 2. Sot. *in* 4. *d.* 22. *q.* 1. *art.* 2. *concl.* 1. *coroll.* 2. Auil. *part.* 2. *cap.* 5. *disp.* 1. *dub.* 2. *vers. Ex dictis sequitur.* 1. Suar. cit. *disp.* 18. *sect.* 3. *n.* 4. & 7. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 12. *cap.* 1. *num.* 24. & 28. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 17. *num.* 2. Sayr. *de cens. lib.* 1. *cap.* 9. *à num.* 4. Verum quidem est, quod præceptum sub pœna maioris excommunicationis factum, constituit materiam peccati mortalis, licet ante præceptum illud facere quod præcipitur, mortale non esset, Sayt. *num.* 5. Sot. *coroll.* 1. Vasquez *vers. Secundò requiritur.* Couar. *num.* 1. Filliuc. cit. *num.* 29. & 30.

12. Aduerte autem, quod non solum pro veniali, ferenda non est excommunicatio, sed nec etiam pro quocunque mortali inobedientiæ, & contumaciæ, etiam materialis tantùm, quo quis renuat obedire præcepto Prælati. Ita Sot. *loco cit. concl.* 2. Vasq. *num.* 4. Auil. cit. *dub.* 6. Sayr. *loc. citat. num.* 28. Henriq. cit. *n.* 3. Nauarr. *in man. cap.* 17. *num.* 9. Cruz. *tract. de cens. art.* 2. *de excomm. dub.* 1. *concl.* 2. Suar. *loc. citat. num.* 29. & 30. Filliuc. *numero* 26. Llam. 1. *part. meth. cap.* 9. §. 22. Coninch. *de cens. disp.* 13. *dub.* 8. *num.* 73. Constat *ex cap. Certum est*, 11. *quæst.* 3. & ex illo Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam, ethnicus, & publicanus.* Ecclesia autem filios suos à se non repellit, nisi propter inobedientiam.

13. Ex quo fit, quod licet trina illius monitionis omissio excommunicationem non inualidet, vt constat *ex cap. Romana, de sent. excom. in* 6. pro peccato tamen purè præterito contra quancunque legem patrato, ferri non potest excommunicatio, nisi vna saltem, vel hominis, vel legis Ecclesiastica monitio præcesserit sub sufficienti propositione, vel comminatione talis censuræ, quia sine hac non potest dici interuenisse contumaciam contra debitam Ecclesiæ obedientiam. Ita Coninch. *loca cit. dub.* 9. *à numero* 78. & 82. Auil. *loca cit. dub.* 10. Filliuc. cit. *num.* 29. Nauarr. *num.* 11. verbi gratia, si quis debeat excommunicari pro furto commisso, debet prius moneri, vt restituat. Vel si quis debeat excommunicari, quia non est executus sententiam à iudice latam, debet priùs moneri, vt exequatur.

14. Aduerte etiam, quod non pro quolibet peccato mortali, etiam inobedientiæ debet ferri excommunicatio, sed solum pro graui, & enormi, quod aliter curari non possit. Tum quia grauissima culpa infligi debet, *cap. Felicis, de pœn. in* 6. Tum quia hæc potestas data est in ædificationem, non in destructionem, vt monuit Trident. *sess.* 25. *de reform. cap.* 3. lata tamen tenet, quia iam adest sufficiens causa excommunicationis, quantum est ea parte culpæ. Ita Vasq. *tract. de excomm. dub.* 12. *num.* 6. & 7. Sot. *in* 4. *d.* 22. *q.* 1. *art.* 2. *vers. Quo igitur.* Suar. *disp.* 18. *sect.* 3. *num.* 31. & 32. Sayr. *loc. cit. num.* 32. Filliuc. *num.* 31. Llam. *loca cit.*

15. Vnde collige, quod parce debens hoc vti remedio Prælati, vt monui *tomo* 2. *nostr. priu. in const.* 10. *Vrb. VIII. num.* 11. & monet Ambr. 2. *de off. cap.* 27. dicens: *Cum dolore amputatur etiam, quæ putruit, pars corporis, & diu tractatur, si potest sanari medicamentis: si non potest, tunc à medico bono absciditur. Sic Episcopi affectus boni est, vt optet sanare infirmos, serpentia auferre vlcera, adurere aliqua, non abscindere, postremo quod sanari non potest, cum dolore abscindere.* Videatur pro hac Cresp. *in summ. verb. Excomm. sent. non temere ferenda*, Graff. *tom.* 2. *cons. lib.* 4. *de sent. excomm. cons.* 4. *diff.* 1. Rodrig. *tom.* 2. *quæst. reg. quæst.* 59. *artic.* 4. Et in Ordine nostro habetur statutum ad hoc propositum *in cap. Genuen.* 4. *cum.* 21. quod aureum est, & valde Minimis notandum. Aduerte tamen quod ea, quæ apud sæculares etiam clericos leuia, & parua, imò minima reputantur, & nulla, apud Regulares obseruantes grauia, & excommunicationis capacia sunt, quatenus quamplurimum iuuant ad obseruantiam votorum essentialium. Huiusmodi sunt secundum Llam. 1. *part. met. cap.* 9. §. 22. ingressus in alterius cellam, reuelatio secretorum Religionis, transitus per mediam ciuitatem, & forum mercatorum, seu plateas, vbi deambulant nobiles ad solatium, allocutio nouitiorum; omissio culpabilis socij in itinere, ingressus in alienam domum absque ea, &c. quæ apud sæculares nihil sunt, apud Regulares tamen maximi momenti sunt, quia istorum status est eminentior, purior, & sanctior statu illorum. Circa modum ferendi censuras, vide *in nostro Formulario, lit. C. cap.* 4.

16. Noto quod multi afferuntur casus à Doctorib. in quibus lata excommunicatio non incurritur. Pro quibus vide Sot. *loc. cit. vers. Iam verò*, Sayr. *de cens. lib.* 1. *cap.* 18. *à num.* 4. Auil. *part* 2. *cap.* 5. *disp.* 5. *à dub.* 6. Bonac. *de cens. disp.* 1. *quæstione* 2. *part.* 1. *à num.* 6. Coninch. *de cens. disp.* 13. *dubit.* 12. *numero* 96. Hic solùm notabo aliqua circa ignorantiam.

17. Pro qua suppono, quod ignorantia crassa, atque supina est, qua quis ignorat id, quod communiter omnes sui ordinis sciunt, & quod ipse scire debet, & potest, sed ea pigritia, & desidia laborandi non scit. Ignorantia affectata est, vbi quis ignorat, quia scire non vult, quod scire debet, & potest, vt liberius, absque conscientiæ remorsu, aut alia de causa iniusta peccet. Ignorantia inuincibilis dicitur, non quæ simpliciter vinci non potest, sed quæ manet postquam homo eam diligentiam adhibuit, quam homines diligentes sui status adhibere solent. Ad quam etiam potest seduci omnimoda inaduertentia, quando scilicet quis scit aliquid esse prohibitum, tamen ex inconsideratione hic, & nunc existimat esse licitum. Ignorantia facti est, qua ignoratur opus aliquod factum esse, verbi gratia, Petrum fuisse à Prælato excommunicatum. Ignorantia iuris est, qua ignoratur ius, constitutio, seu lex aliqua, siue humana, siue diuina, verbi gratia, si quis ignoret fornicationē simplicem esse peccatum, vel percutientem clericos esse excommunicatum. Quæ ignorantia tam iuris, quàm facti potest esse inuincibilis. Atque ita Sayr. *loc. cit.* Sot. *loc. cit. vers. Quartus demum.* Filliuc. cit. *tom.* 248. & *n.* 251. & *n.* 259 Suar. cit. *sect.* 8. *à n.* 3. Auil. *p.* 2. *c.* 5 *dub.* 6. Bonac. *loc. cit. à n.* 1. Coninch. cit. *dub.* 11. *à num* 93. Azor. *tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 16. *quæst.* 3. & 4. Vasq. *de excomm. à dub.* 14.

18. Ignorantia itaque crassa, vel affectata non excusat ab excommunicatione, quia non excusat à

culpa

Ioan. Andr. in dicto cap. 2. n. 1. Ang. ver. Excom. 7. cas. vlt. n. 3. Tab eod. 4. q. 3. §. 2. & Excom. 7. post vlt. cas. §. 1. Sylu. ver. Ignorantia, n. 16. Henriquez l. 13. c. 23. n. 2. Nauar. in man. c. 27. n. 16. Vasquez de Excom. dub. 16. num. 7. Azor tom. 1. lib. 1. c. 15. q. 4. Sayr. lib. 1. de cens. cap. 18. n. 24. Fil. tom. 1. tr. 11. cap. 8. n. 253. Sot. in 4. d. 22. q. 3. art. 2. ver. Quartus demum, Anton. 3. par. tit. 25. c. 33. circa finem, Cord. in q. theol. l. 2. q. 26. in princ. Auil. de cens. p. 2. c. 5. disp. 5. dub. 7. ver. Tertia sententia, Llam. 1. p. met. c. 9. §. 27.

25. Noto 8. quòd quando quis dubitat an excommunicationem contraxerit, siue dubium sit iuris, vt si dubitet, an in iure sit aliqua excommunicatio eum casum complectens, siue sit facti, vt si dubitet, num clericum percusserit, adhibitis debitis diligentiis, non est censendus excommunicatus, quia in dubiis melior est conditio possidentis, & quilibet fidelis est in possessione fruendi bonis communibus Ecclesiæ. Ita Sanchez 1. in dec. c. 10. n. 56. Portel. in add. ad dub. reg. ver. Excom n. 12. Aduertit autem Sanchez n. 61. quòd stante dubio de excommunicatione, orto ex iustitia, vel iniustitia excommunicationis, vel an sit lata solum ad terrorem, vel animo obligandi; vel an quis sit absolutus, nec ne, vel an conditionem impleuerit, sub qua fuit excommunicatus, vel an excommunicatio sit lata ante, vel post appellationem, vel an prælatus habuerit potestatem; de quibus vide Sanchez à n. 57. non licet aliquem ad aliquod officium, vel dignitatem promouere, tum propter personam electam, quæ veritate censuræ comperta, dignitatem relinquere cogetur; tum propter dignitatem ipsam, cui reuerentia debita non exhibetur. Et in his casibus possessio stat pro excommunicatione.

26. Dico 2. possunt prælati regulares in suos subditos sententiam suspensionis ferre. Ita Suarez tom. 4. de relig. tr. 1. lib. 2. c. 9. n. 6. & de cens. disp. 2. sect. 2. n. 9. & disp. 28. sect. 1. n. 2. Sylu. ver. Suspensio, q. 2. Angel. eod. 2. §. 3. P. Greg. in decr. lib. 4. tit. 17. de interd. cap. 3. Bayus in the. scient. theol. lib. 2. c. 102. Mir. tom. 2. man. q. 36. art. 4. concl. 1. Nauar. in man. c. 27. n. 159. Sayr. de cens. lib. 4. c. 2. n. 6. Tab. ver. Suspensio, n. 7. Henriquez lib. 13. c. 35. n. 1. Portel. in add. ad dub. reg. Abb. n. 2. Filliuc. tom. 1. tract. 11. c. 2. n. 33. Auila de cens. p. 3. disp. 4. dub. 1. concl. 1. & alij omnes D D. vno ore docentes, eos omnes posse suspendere, qui possunt excommunicare, quia cui conceditur, quod est plus, vtique conceditur quod est minus, per reg. 53. Cui, de reg. iur. in 6. Excommunicare autem est quid maius, quàm suspendere, quia suspensio non priuat suffragiis Ecclesiæ, sicut excommunicatio. Ita D. Tho. in 4. d. 18. q. 2. art. 3. quæstiuncula 2. ad 2. Panorm. in cap. Ex rescripto, de iur. iur. n. 3. Sayr. lib. 1. de cens. c. 8. n. 20. Circa modum, & formam istam censuram ferendi, vide in nostro Formulario, lit. C. cap. 4.

27. Dico 3. Possunt prælati regulares in suorum Regularium personas interdicti sententiam ferre, non in loca, quia in vsu non est, nisi fortè in quæ habent iurisdictionem Ecclesiasticam fori contentiosi. Ita Suarez de cens. disp. 36. sect. 1. n. 2. & tom. 4 de relig. tract. 1. lib. 2. cap. 9. n. 5. Sot. in 4. d. 22. q. 3. art. 1. concl. 1. Pet. Greg. loco cit. Nauar. in man. c. 27. n. 168. Sylu. ver. Interdictum 3. q. 3. Angel. eod. 3. §. 1. Filliuc. tom. 1. tr. 17. cap. 1. n. 21. Henriquez lib. 13. c. 51. num. 1. Mir. tom. 2. man. q. 37. art. 4. Auila p. disp. 2. dub. 1. concl. 1. Sayr. de cens. lib. 5. cap. 10. n. 22. Rodriquez tom. 2. q. reg. q. 107. art. 1. & 2 Conar. in c. Alma mater, p. 2. §. 1. n. 6. Anton. 3. p. tit. 6. c. 2. §. vlt. Portel. in dub. reg. ver. Interdictum, n. 1. & in add. ver. Abbas, n. 2. Pisanell. ver. Interdictum, 1. §. Quis potest interdicere, Bayus in theat. scient. theol. l. 2. c. 102. Constat tum ex cap. Cum ab Ecclesiarum, de off. ord & cap. Quærenti, de ver. signif. Tum quòd personas interdicere, est quid minus, quam excommunicare. Et aduerte, quòd alij vocant huiusmodi interdictum suspensionem, vt obseruat Sayr. loco cit. c. 1. num. 18. Circa formam, & modum ferendi interdictum, vide in nostro Formulario, lit. C. cap. 4.

28 Nota denique quòd in iure, & extra illud latæ sunt multæ censuræ contra Religiosos in specie, vltra eas, quæ generaliter sunt latæ contra omnes fideles. Et de excom. in specie eas enumerando, agunt Rodriquez, tom. 2. q. reg. q. 60. art. 2. Mir. tom. 2. man. q. 35. art. 18. Fest. in const. Præd. p. 4. c. 27. Sayr. de cens. l. 3. c. 33. Fill. de excom. nemini reseruatis; tom. 1. tract. 14. c. 8. de eisdem Papæ reseruatis, tr. 15. cap. 8. de suspensionibus tr. 17. cap. 9. Conin. de cens. disp. 15. de susp. dub. 5. Sayr. cit. lib. 4. c. 13. Portel. in dub. reg. ver. Suspensio, num. 3.

CAPVT V.

De auctoritate, quam habent Prælati regulares super contractibus suorum subditorum.

1. VIde Panor. in c. Ex rescripto, de iur. iur n. 1. Nau. com. 2. de reg. n. 42. à ver. Decimoquinto; Host. in sum. lib. 3. de fideiuss. §. Et quis. Syl. ver. Religio 8. à q. 3. Armil. ver. Monachus, à n. 12. Angel. eod. à n. 7. Tab. eod. à n. 10. Pisan. eod. §. Vtrum ex contract. Monach. Gutier. can. q. lib. 2. cap. 1. num. 37. Rodriquez tom. 3. q. reg. q. 26. art. 2. & 3. Tiraquel in l. connub. gloss. 8. num. 82. Reginal. in praxi, lib. 25. num. 159. Ægid. tom. 2. de contract. cap. 4. Mol. tom. 1. tract. 2. de iust. disp. 140. col. 7. Less. lib. 2. de iust. cap. 17. dub. 8. num. 62. ver. Tertiò in contractu, & cap. 41. dub. 10. num. 90. Rebellum de obl. iust. par. 2. lib. 1. quæst. 8. sect. 1. Azor. tom. 1. lib. 12. cap. 11. Filliuc. tom. 2. tract. 33. c. 3. à num. 57. Sanchez 7. in dec. cap. 31. Portel. in dub. reg. ver. Pactum.

2. Noto 1. quòd quis potest tripliciter obligari. 1. naturaliter. 2. ciuiliter. 3. honorabiliter. Obligatio naturalis est, quæ non ex solo honestæ gratitudinis debito oritur, sed ex vinculo legis naturalis, & iustitiæ, & quamvis ad hanc non detur actio in foro causarum, obligat tamen in foro conscientiæ, & ad mortale ex genere suo. Obligatio ciuilis est, ad quam implendam datur actio in foro externo. Obligatio verò honoraria consistit in virtute fidelitatis, siue veracitatis per quam honorati viri sua dicta, promissavè liberaliter de beneuola quadam honestate, sub peccato quidem ex genere suo, non tamen mortali, adimplere tenentur, etiamsi de iustitia non intendant se obligare, nec ex lege positiua ad id cogi possint. Quæ honoraria obligatio sub naturali obligatione latiùs sumpta comprehendi potest. Ita ex l. 1. ff. de nouat. Rebell. loco cit. num. 10.

3. Noto 2. quòd Religiosus per professionem propriam à se abdicat voluntatem, totumque se tradit in voluntatem illius quem supra se vice Dei ponit; Ita vt inde nec velle, nec nolle habeat. Ita in cap. Non dicatis, 12. quæstione prima, cap. Si Religiosus, de elect. in 6. cap. fin. de sepul. eodem lib. capite secundo de testamento, ibi. Vnde mortuus mundo dicitur, cap. Placuit, el. 2. 16. q. 1. & docent passim DD. Ægid. loco cit. num. 6. Gutier. can. q. lib. 2. c. 1. n. 37. & 39. Id autem duobus modis posse intelligi, docet Henric.

quod *l. 6. q. 19. ver. Quorum.* 1. quod Religiosus debet esse mortuus mundo, qui totus in maligno positus est. 2. quòd mortuus est non mundo constanti ex rebus naturalibus, quia iis vtitur bibendo, comedendo, &c. sed mundo constanti ex prauis concupiscentiis; omne enim, quod est in tali mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. Monui itaque sunt mundo, quatenus mundus vult illos retrahere ab iis, quæ sunt Dei. Sed tu die 3. quòd Religiosi sunt mortui mundo, non quo ad actiones naturales, sed quo ad ciuiles, & forenses, quæ cum liberum, & expeditum requirant agentis consensum, non possunt à Religioso, qui eo caret, perfici. Et habetur *in l. Deo nobis, §. Hoc etiam congruum, Cod. de Episc. & cleric.* Addition. Goid. Pap *quæst.* 517.

4 Dico 1. Probabile est, quòd Religiosus ex contractu inito absque licentia Superioris, oonobligatur neque naturaliter neque ciuiliter, Ita Host. *in sum. lib. 3. tit. de fideiuss. num. 3. ver. Item excipitur.* Panorm. *in cap. Ex rescripto de iur. iur. num.* 1. vbi Fel. Mol. *tom. 1. de iust. tract. 2. disp.* 140. *col.* 8. *ver. Potius distinguerem*; Less. *lib. 2. de iust. cap. 41. dub.* 11. *num* 90. *ver. Contraria tamen*, Sanchez 7. *in dec. cap.* 31. *num.* 63. Ægid. *de contract. cap. 4. num.* 2. Gutier. cit. *num.* 27. Reginald. *in praxi, lib. 25. n.* 159. Cened. *de paup. dub.* 38. *n.* 5. Filliuc. *tom 2. tract. 33. cap. 3. num.* 60. Ponel. cit. *num.* 2. Prob. Tum quia Religiosus perpetuò non habet velle, neque nolle, quòd necessariò requiritur ad contrahendum; *l. Sicuti, §. Naturalis ff. de solut.* Tum quia id expressè est Religiosis vetitum, *cap. Non dicatis, 12. q. 1. & cap. 2. de testam. in 6.*

5. Ex qua sententia colligunt Less. Cened. *loco cit.* Ægid. *num.* 4. & 5. quòd neque contrahentes cum Religioso, non habente facultatem à suo Superiore, obligantur contractu, nisi post Prælati approbationem, ipsi quoque ratificent, quia contrahentium par debet esse conditio; vt probant in materia ludi de eo, qui non potest perdere, vt nec etiam possit lucrari. Couar. *in reg. Peccatum par. 2. §. 4. n. 4. ver Deinde*; Sot. *lib. 4. de iust. q. 5. art.* 2. Cened. *de paup. dub.* 24. *num.* 31. Neque refert, quòd dentur multi contractus ex vna solum parte claudicantes, vt minorum, pupillorum, seruorum, de quibus Sanchez *loco cit. num.* 28. Ægid. *num.* 4. Nam hi omnes propriam habent voluntatem, secundum quam naturaliter obligari possunt; *l. Naturaliter, ff. de condict. indeb.* Vnde non est mirum, si eorum contractus, ex sua solum parte claudicantes, ex contrahentium cum ipsis firmi sint. At Monachorum contractus, qui propria voluntate carent, cum habeant defectum perpetuum in radice, ex neutra parte possunt esse validi.

6. Noto tamen 1. quòd alij putant, ex contractu Religiosi absque licentia Prælati inito, oriri in Religioso obligationem naturalem, dum Superior dictum contractum non irritat, eo modo, quo obligant vota, Ita Abb. 1. *par. cons. cons.* 104. Nauar. *com. 2. de reg. num. 41. fine*: Azor. *tom. 1. lib. 12. cap. 11. q.* 5. Rebell. *de obl. iust. par. 2. lib. 1. q. 8. sect. 1. n. 4. & 5.* Sanchez *loco cit. num.* 37. Qui duo vltimi extendunt etiam ad promissionem factam alteri Religioso, alteri eiusdem Ordinis, siue etiam Prælato. Ast ego consequenter ad ea, quæ dixi hic *sup. cap. 5. n.* 4. existimo, ipsos contractus non esse ipso iure irritos, nullam tamen inducere obligationem, quousque per Superiorem tacitè, vel expressè approbentur, propter rationes ibi dictas, & in hoc casu docet Reg. *in prax. lib. 25. num. 159. ver. Qua ratio*, vbi addit, quòd peccaret subditus, dictos contractus implendo absque licentia saltem præsumpta Prælati. Neque obstant rationes *num.* 4. allatæ. Quia id non est absolutè contrahere, nec contractum absolutè valere, sed solum, si Superiori placuerit. In omnium tamen sententia, si contrahendo Religiosus dedit aliq od damnum socio, tenetur illud restituere, curando scilicet, quantum ipsius status patitur, obtinere aliquid, quod relictum à Prælato suæ liberæ dispositioni, parti iniustè læsæ satisfaciat. Ita Molina, Filliuc. Less. *loco citato*, Sanchez *num.* 38. Reg. *loco citato, ver. Aduerte verò.*

7. Noto 2. quòd iuxta nostram sententiam, per licentiam Prælati præsumptam saluantur multi Religiosorum contractus in vtilitatem monasterij initi, v. g. quando Monachus ex pecunia sua industria acquisita emit domum in proprietate conuentus, sibi vsusfructus retinens, quoad Superioribus placuerit: quia tunc præsumitur Prælatus consentire in vtilitatem monasterij. Imò DD: allati *num.* 6. quos refert, & sequitur Sanchez, *loco cit. num.* 32. putant, hos contractus tenere, etiamsi non præsumatur de mente Prælati; peccare tamen Religiosum sic contrahentem. Et *n.* 34. ait, quòd licèt venialiter peccet Religiosus, rem sibi legatam acceptans sine licentia Prælati, acceptatio tamen in fauorem monasterij tenet. Sed in his semper præsumitur de voluntate Prælati, qui et sic rationabiliter inuitus esse non potest.

8. Sed quæres, an Religiosus, qui cum dicta licentia præsumpta emit dictam domum, vel censum, possit per se, solus, absque Prælati licentia eam vendere, vel pretium censûs à venditore redimente recipere. Ego putarem, quòd non. Quia hic non potest rationabiliter præsumi de licentia Prælati, nisi fortè pecunia recepta in vtilitatem eiusdem monasterij conuenatur; contractus tamen Monachi sine licentia saltem præsumpta Prælati non sunt stabiles. Nihilominus Rodriquez, *tom. 3. q. reg. q. 26 art.* 3. secutus decisionem Capell. Tolos. *q.* 121. dicit, quòd debitum contractum cum Monacho, etiam conuerso, absque interuentu Abbatis, vel Superioris, rectè eidem soluitur, & debitor liberatur. Secùs verò, si in contrahendo interuenit factum ipsius Abbatis. Vnde dicit Afflictus addens *ad dictam decis. Cap. Tol.* quòd si Monachus mutuat, vel deponit apud aliquem pecuniam, vt ei restituatur sine licentia Abbatis, debitor, vel depositarius liberatur, si dicto Monacho absque dicta licentia soluat. Et ita video seruari in praxi quo ad mutuum, depositum, census redemptionem. Quo ad venditionem tamen rerum immobilium videtur habere maiorem difficultatem, propter prohibitionem alienandi; nisi quis dicat, eam non habere locum in nostro casu, quod non affirmo, cum semper proprietas monasterio acquiratur.

9. Noto 3. quòd Prælatus potest se suis subditis naturaliter, & honorabiliter obligare, ita vt teneatur contractum, & promissum sub mortali, vel veniali seruare, iuxta *c.* 1. *de prob.* vbi Panor. *n.* 1 & Fel. Potest tamen ex causa rationabili, ea, quæ subditis promisit, reuocare. Maiorem tamen obligationem promissa de iustitia seruandi incurret Prælatus, si promittat aliquid subdito sub conditione operis alicuius præstandi. Deus enim ipse, facta promissione de acceptandis operibus iustorum in remissionem peccatorum ad meritum gratiæ, & gloriæ, iam ex eis iustitia acceptare tenetur, vt probat Suarez *tomo primo in 3. par. disp. 4. sect.* 5. Ita Rebell. *de obl. iust par. 2. lib. 1. q. 8. sect. 1. à numero* 12. Rodriquez *tom. 1. q. reg. q. 29. art.* 9. Portel. *in dub. reg. ver. Pactum, num.* 3. Vnde collige, quòd, si Prælatus cum consensu conuentus, vel sine illo, vbi se solo potest Prælatus agere, commisit mihi vineam aliquam desertam, & infructiferam vsque ad certum tempus,

tempus, vt eam bonificatem, vel commisit mihi aliquod negotium, in quo erat aliquid expendendum, promittens se expensas soluturum. Prælatus subsequens non potest à me auferre dictam vineam sine rationabili causa, nec denegare expensas factas, sine graui culpa; quòd si deneget, possum agere contra eum coram suo Superiore, vt mihi de iustitia prouideat. Quia inter subditum, & Prælatum orta est tunc naturalis obligatio; vnde cum ex pacto inito à Prædecessore teneatur successor, *cap. Dilecti filij, de fore comp. reg. 46. Is, qui, de reg. iur. in 6. cap. Eleutherius*, 18. q. 2. Rodriquez *tom. 3. q. reg. q. 26. art. 1.* non potest dictus successor à me dictam vineam, in qua bonificanda plurima expendi, auferre, nec erogatam in negotio finiendo pecuniam denegare. Supposito, quòd his contractibus non obstent regula, & constitutiones Ordinis. Ita Rodriquez, *loco citato*, *q. 19. art. 9. ver. Verum est tamen*; Portel. *loco cit.*

10. Sed quæres, quid dicendum de fideiussore pro Monacho absque licentia Prælati? Respondeo quòd fideiussor potest duobus modis peti, 1. ad assecurandum contractum, scilicet quòd Prælatus Monachi in contractum consentiet, & tunc, si nolit Prælatus consentire, remanet ciuiliter obligatus fideiussor, quia obligauit se pro principali. Et quòd tunc oriatur in fideiussore obligatio naturalis, & ciuilis, multis probat Sanchez 7. *in dec. cap. 31. num. 47.* Potest 2. fideiussor peti ad assecurandum debitum, quod ex tali contractu resultabat, & tunc cum ex tali contractu nullum etiam naturale debitum resultauerit, si Prælatus non consentiat, nulla consurgit obligatio ex parte fideiussoris. Et idem dicendum est de pignore, si loco fideiussoris datum sit, accessorium enim sequitur naturam principalis. Ita Mol. *tom. 1. de iust. tract. 2. q. 140. col. 8. ver. Secundò distinguerem.* Sanchez *loco citato, num. 46.* Less. *lib. 2. de iust. cap. 28. dub. 1. num. 7.* Filliuc. *tom. 2. tract. 33. cap. 3. n. 60.* Vide Rodriquez *loco cit. q. 16. art. 2.* Grat. *discep. for. tom. 1. cap. 122. n. 10.* Quare qui sapiunt sæculares, fugiunt contrahere cum Monachis particularibus absque Abbatis licentia. Quòd si casus fetat, accipiunt fideiussorem iuratum, tunc enim ait Sanchez *n. 48.* quòd censetur obligatus tanquam principalis. Et in dubio, ait Mol. quòd semper præsumendum est, fideiussorem Monachi esse datum ad assecurandum contractum, quod omnino Prælatus ratificabit.

11. Dico 2. Monasterium non teneri ex contractu, vel delicto sui Religiosi professi, nisi illi sit aliqua administratio commissa, vel nisi ex dicto contractu aliquid emolumenti monasterium receperit; nam tunc ad illud, in quo factum est locupletius, tenetur. Ita Rosell. *ver. Monach. is*, §. 7. & §. 10. & 13. Sylu. *ver. Religio 8. q. 3.* Pisan. *eodem*, §. *Virum ex contractu*, Armil. *eodem à num. 12.* Ægid. *de contract. cap. 4. à num. 8.* Sanchez *loco cit. num. 9. & 14.* Mol. *loco cit. col. 7. ver. Monasterium ex delicto*; Less. *lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 11. num. 90.* Rebellus *loco cit. numero 8.* Filliuc. *loco cit. n. 56.* Nauar. *com. 2. de reg. num. 62.* Cened. *de paup. dub. 38. num. 4.* Reg. *in prax. lib. 25. num. 139. ver. Cæterum* Proh. Tum quia Monachus nihil habet, quod suum sit, sed omnia sunt monasterij, ergo suo delicto, vel contractu monasterij iuri præiudicare non potest. Cuius rei habemus tex. clarum *in cap. Quod quibusdam, de fideiuss.* qui tex. ex rationis identitate de omnibus contractibus intelligitur. Tum quia delictum personæ in damnum Ecclesiæ non est conuertendum; *cap. Si Episcopum, 16. q. 6. reg. 76. Delictum, de reg. iur. in 6.* Tum quia quando Monacho committitur aliqua administratio, eo ipso censetur concessa facultas faciendi omnes illos contractus, qui ad talem administrationem sunt necessarij. Tum quia quando ex contractu singularis Religiosi aliquod emolumentum monasterium recipit, illud restituere tenetur, vt dicitur *ex lib. 1. §. Si cum impubere, ff. de pecul. c. Quod quibusdam cit.* ibi, *Nisi fortè in vtilitatem.*

12. Noto 1. quòd Monachus ratione contractus initi absque licentia Prælati, conueniri non potest. Quia cum ipse proprium non habeat, nec etiam voluntatem; *cap. Nolo*, §. *Nulli liceat*, 12. q. 1. dicti contractus nulli sunt, vt dixi. Ita Antonin. *3. par. tit. 16. cap. 6. §. 7.* Gabr. *com. op. tom. 1. tit. 11. num. 60.* Sanchez *6. in dec. cap. 12. n. 2.* Pro debito verò contracto ante Religionis ingressum, neque etiam Monachus conueniri potest, sed Monasterium, quòd tamen non tenebitur vltra bona, quæ à Monacho quomodocunque accepit. Ita Sylu. *ver. Religio 8. q. 3.* Specul. *lib. 4. de sta. mon. in princ. num. 75.* Abb. *in cap. In præsentia, num. 7. de prob.* Rosel. *ver. Abbas, fine*, Mol. *tom. 1. de iust. disp. 140. col. 2. ver. Eo ipso*; Sanchez *loco cit. & 7. in dec. cap. 31. num. 3.*

13. Noto 2. quòd ex contractu Superioris non excedentis limites suæ administrationis tenetur monasterium, cuius bona administrat; non tamen tenetur, quando limites in contrahendo suæ auctoritatis excedit, vt si mutuo pecuniam accipiat, eamque non in vsus monasterij, sed in vsus vanos expendat. Quia tunc limites excedit: nisi fortè eo animo acceperit, vt in necessarios monasterij vsos expenderet; deinde, mutato proposito, dilapidauerit: nam ex ipsamet mutui acceptione legitimè facta, obligatio in monasterium translata est. Vnde cauti sunt illi, qui mutuantes pecuniam alicui Superiori, vel procuratori, in ipso mutui contractu ponunt vsus, in quos dicta pecunia mutuata est expendenda. Ita Ang. *ver Monasterium, initio*, Sylu. *ver. Religio 8. q. 3.* Sanchez *7. in dec. cit. n. 10. & 13.*

14. Aduerte autem, quòd ego puto, non posse Prælatum per se solum absque consensu conuentus, quenquam contractum alicuius momenti facere, nec faciendi curam alicui commendare. Constat *ex cap. Quod quibusdam, de fideiussor. cap. Sine exceptione, 12. quæst. 2. cap. Nouit; cap. Quanto; cap. Ea noscitur, de his, quæ fiunt à Prel.* Contractus verò circa res modicas, vt quæ ad victum, & vestitum communem pertinent, posse Prælatum per se solum facere; vel alteri per se solum commendare, docent Ægid. *de contr. cap. 4. num. 16.* Less. *lib. 2. de iust. cap. 28. dub. 2. n. 20.* Tum quia ita habet consuetudo. Tum quia id videtur secum ferre administratio temporalium. Tum quia nimis durum videtur, quòd debeat Prælatus consensum capituli requirere toties quoties vult emere Vinum, vel frumentum, vel Pannum pro vestuario. Qui tamen punctus limitandus est, nisi in aliqua Religione aliter habeat consuetudo, vel regula, vt in nostra, saltem quo ad conuentus minores, nam in maioribus consuetudo introduxit, vt consensus Seniorum sufficiat.

15. Noto 3. quòd ex delicto Superioris non teneatur conuentus, nisi vel in illius vtilitatem conuersum sit, vel illud factum sit cum consensu capituli, quia delictum Prælati, & capituli nocet Ecclesiæ. Colligitur *ex reg. Delictum, de reg. iur. in 6. l. Iubemus, Cod. de sacrosanctis Eccles.* Cened. *de paup. dub. 38. num. 3.* Less. *loco cit. cap. 41. dub. 2. num. 90.* Mol. *tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 140. col. 7. ver. Monasterium*; Abb. *in cap. Quod quibusdam, de fideiuss. num. 6.* Sanchez *loco cit. num. 11.*

16. Dico 3. Religiosus non potest esse procurator, vel aduocatus, nisi ad directam, vel indirectam monasterij vtilitatem, & obtenta Superioris sui facultate, & tunc procurare, & aduocare poterit, tam coram

coram iudice sæculari, quàm Ecclesiastico, solum tameo in causa ciuili. Ita Sylu. *ver. Aduocatus*, *q.* 2. *ver. Secundò si sit Monachus*, & *q.* 6. Sayr. *in claui reg. lib.* 12. *cap.* 22. *à num.* 3. Ægid. *loco cit. num.* 18. & 24. Sanchez 6. *in dec. cap.* 13. *num.* 1. Bart. *in clem. Religiosus de procur. num.* 2. & *in cap. Monachi, el.* 2. 16. *q.* 1. *num.* 1. Rodriquez *tom.* 3. *q. reg. q.* 41. *art.* 2. Goid. Pap. *p.* 593. *n.* 3. Azor. *tom.* 1. *inst. mor. lib.* 12. *cap.* 12. *q.* 9. Nau. *com.* 2. *de reg n.* 64. Prob. *ex cap. Monachi*, *el.* 2. 16. *q.* 1. *cap.* 2. *de postul. Clem. Religiosus*, *de procur.*

17. Noto 1. quod Superior ipse potest absque alicuius licentia onus aduocati, aut procuratoris suscipere; sicut enim potest licentiam ad hoc subditis dare, ita potest per se ipse subire; *cap. Sopitæ*, *de cens.* Nauar. *loco cit.* Sanchez *n.* 18. Ægid. *num.* 23. Quando verò tam Abbas, quam Monachus de illius licentia, patroni munus obit, non potest aduersarius illis objcere, quòd id monasterij vtilitas non exposcit, nam ad ipsum id inquirere non spectat, vt Innoc. *in cap. Cum I. & A. n.* 3. *de sent. & re iud.* Sanchez *loco cit. n.* 44. Ægid. *num.* 20. Vnde potest esse Monachus, seu Abbas procurator non solum ob vtilitatem monasterij directam, sed etiam ob indirectam, imò, & occultam amici, fundatoris, aut protectoris connentus; arg. *cap. Per venerabilem*, *qui fil. sint leg.* Ita Innocen. *loco cit.* vbi etiam Fel. *num.* 11. Ægid. cit. *num.* 21. Saochez *à num.* 66 Barb. *in cap. Ex parte*, *de postul. num.* 2. Potest item Monachus constitutus procurator de Abbatis licentia, cum potestate substituendi, absque noua licentia substituere, Sanchez cit. *num.* 13.

18. Dico 4. Religiosus non potest tabellionis officium exercere, bene tamen vetera instrumenta complere, & signare de Superioris licentia. Sanchez 6. *in dec. cap.* 13. *num.* 46. & 49. Sylu. *ver. Tabellio*, *q.* 3. *ver. Quartum*; Tab. *eod.* §. 3. Armill. *eod. n.* 3. Angel. *eod.* §. Pisanel. *eod.* §. *fin.* Rodriquez *tom.* 3. *q. reg. quæst.* 8. *art.* 3. Couar. *pract.* *q cap.* 19. *num.* 8. *ver. Monachus*, Cassan. *de consuet. Burg. rub.* 1. §. 6. *num.* 25. Barb. *in cap. Ne aliqui*, *num.* 10. & 12. *de hær. in* 6. Trott. *de pers. cler. lib.* 2. *par.* 2. *req.* 10. *fine.* Nauar. *com.* 2. *de reg. num.* 42. *ver. Tum quod.* Prob. *ex cap. Vt officium inquis.* §. *Verum quia*, *de hær. in* 6. vbi tanquam singulare priuilegium conceditur Monachis, qui fuerunt notarij in sæculo, vt possint esse notarij in causis fidei. Si verò instrumenta noua conficiat, an sint valida, putat Sanchez *loco cit. n.* 48. quòd sic, quia nullibi reperitur talis prohibitio irritans. Secus tamen esset, si Monacho iuridicè, & publicè tale officium exercere esset interdictum.

19. Dico. 5. Religiosus non potest esse arbiter, nisi simul concurrant licentia Superioris, & vtilitas monasterij. Ita Sanchez 6. *in dec. cap.* 13. *num.* 55. Rosel. *ver. Arbiter*, §. 2. Angel. *eod.* §. 5. Armil. *n.* 12. Tab. §. 7. Sylu. *q.* 16. *num.* 14. Barb. *in cap. Monachi*, *el.* 2. 16. *q.* 1. *num.* 3. Grat. *discept. for. tom.* 1. *cap.* 123. *num.* 1. Matthæus ad Guid. Pap. *q.* 163. Marc. Ant. Blanc. *de compromis. q.* 2. *à num.* 4. Prob. *ex cap. Monachi*, & *cap. De præsentium*, 16. *q.* 1. In quibus cap. statuitur, quòd Monachus forensia negotia tractare non debet; at officium arbitri officium iudicis est.

20. Noto, quòd est maxima differentia inter arbitrum, & arbitratorem, seu amicabilem compositorem. Arbiter enim est quasi iudex, & eligitur à partibus, vt procedat iuris ordine seruato, & secundum ius. Arbitrator verò non tenetur seruare ordinem iuris, sed pro bono pacis potest auferre de iure vnius, & dare alteri. Ita Sanchez *loco citato*, *num.* 52. In arbitratore non exigitur monasterij vtilitas, bene tamen Superioris licentia. Sanchez *num.* 61. & 61. Et quòd arbitramentum factum absque Superioris licentia, sit validum, licet peccet Religiosus faciens, arbitrium nequaquam, Sanchez *num.* 70. & 71. Et quòd Monachus factus Episcopus possit esse arbiter, idem Blanc. *loco cit. num.* 6. Et quòd partes non teneantur stare sententiæ Monachi arbitri, non habentis licentiam sui Superioris, etiamsi de ei stando iurassent, idem Blanc. *num.* 7. Et quo in sæculo arbiter, factus Monachus arbitrari amplius non possit nisi concurrentibus prædictis, idem Blanc. *q.* 7. *num.* 27.

21. Dico 6. Religiosus potest esse assessor iudicis cum licentia Prælati, & Monasterij vtilitate. Assessor autem est, qui ab eo, cui data est iudicandi potestas, rogatur, vt sibi in cognitione causæ assideat, vt cum debito fine causam decidere instruat. Ita Sanchez *loco cit. num.* 84. & 85. Lamb. *de iur. patr. lib.* 2. *par.* 1. *quæst.* 4. *art.* 7. *num.* 1. Prob. quia non potest Monachus munera iudicialia exercere absque licentia Abbatis, vt sæpè dictum est *ex capit. Monachi*, *el.* 2. 16. *quæstione* 1. officium assessoris iudiciale est.

22. Dico 7. Non potest Religiosus nec suscipere, nec exercere munus executoris testamenti absque priùs expresse obtenta Superioris sui licentia. Ita Ricard. *in* 4. *dist.* 45. *art.* 5. *quæst.* 1. Rosel. *verb. Religio* 1. §. 7. Sylu. *verb. Testamentum*, 2. *quæst.* 1. Tab. *verb. Executor*, §. 1. Mol. *tom. de iust. tract.* 2. *disput.* 247. *col.* 3. *vers. Religiosus tamen*, Sanchez 6. *in dec cap.* 11. *num.* 2. Azor. *tom.* 1. *lib* 12. *cap.* 11. *quæst.* 1. Barbosa *in cap. fin. de test. in* 6. *num.* 1. Ægid. *de contr. cap.* 4. *num.* 27. Rodriguez *tom.* 3 *quæst. reg.* 70. *art.* 1. Armil. *verb. Executor*, *num.* 2. Angel. *eodem*, §. 2. Grat. *discept. for. tom.* 1. *cap.* 123. *numer.* 1. Nauarrus *com.* 2. *de regul. num.* 64. Prob. *ex cap. fin. de test. in* 6. *cap.* 1. & *clem. vn. de test*, vbi expressè habetur nostra conclusio.

23. Nota, quòd Religiosus cum licentia sui Superioris, etiam localis potest dictum executoris munus suscipere, tam ad legata pia, quàm ad profana, & quod in hoc non requiritur vtilitas monasterij; & Prælatus, qui potest aliis dictam licentiam concedere, potest eam sibi indulgere, nihil enim horum apparet prohibitum *in dictis cap. cit.* Et quòd omnes Regulares, siue Mendicantes, siue non teneantur rationem reddere dictæ executionis Ordinariis, possintque ab his, si in hoc deliquerint, puniri, est expressè decisum *in dicta clem. vn. de testam.* Ab hoc tamen munere executoris excipiendi sunt fratres Minores, quia id illis est expressè vetitum *in clem. Exiui*, §. *Per inde*, *de ver. sign.* Possent tamen eligi à testatore ad dandum consilium dictis executoribus, vt *ibidem*, dicitur, consilium intellige purum, & non de necessitate sequendum, vt explicat Syluest. *verb. Testamentum* .. *quæst.* 2. *dicto* 7. & Mol. *loco citato*, *vers. Illud est*; nec ad hoc requiritur Superioris licentia. Possent item fratres Minores acceptare electionem pauperum ad eleemosynas distribuendas, vt si quis leget centum pauperibus, quo elegerint, vel nominauerint fratres Minores; hoc enim non est executoris munus obire. Sed cum hoc sine rumore, & litigio vix fieri possit, alij putant hoc non esse dictis fratribus concessum. Hæc omnia videri possunt fusiùs disensa à cit. DD. præsertim Sanchez *loco citat. vsque ad numer.* 42. & Grat. *vsque ad n.* 25. Vide etiam Capell. Tol. *q.* 154. Sed an testamenti executio facta à Religioso absque licentia Superioris, valeat, dubitant DD. Valere censent Sanchez *citat. num.* 44. & Ægid. *cap.* 4. *num.* 30. Quia ius solum prohibet Monachum suscipere, factum tamen ab executore non irritat. Contrarium tenet Grat. *n.* 2. *loco citato*, Ego transeo cum Sanch. Si tamen Prælatus expressè prohiberet Religiosum exe-

qui

qui, vel tali Religioſo in iudicio opponeretur exceptio defectus poteſtatis ad exequendum ob carentiam facultatis Prælati, tunc geſta nihil valerent, Sanchez *num.* 45. *&* 46. Et quòd Monachus executor poſſit pecuniam diſtribuendam in pauperes, ſeu aliquid ex illa, ſibi, vel ſuo monaſterio applicare, Sanchez *à num.* 59. Quia tam monaſterium, quàm ipſe pauperes ſunt, vnde non debent eſſe peioris conditionis, quam cæteri. Quod tamen limita, niſi aliter conſtaret de mente teſtatoris.

24. Dico 8. Regulares nullam tutelam cuiuſpiam perſonæ etiam ex licentia Superiorum, ſuſcipere poſſunt. Ita Mol. *tom.* 1. *de iuſt. diſp.* 221. *col.* 2. *ver. Religioſus tutor*; Roſel. *ver. Tutela*, §. 2. Piſan. *ibid.* Sanchez 6. *in dec. cap.* 14. *num.* 22. *&* 25. Prob. *ex cap. fin. de teſtam. in* 6. gloſſ. *d.* 86. *cap. fin. ver. Tutelas.*

25. Noto 1. quòd talis tutela eſt triplex 1. eſt teſtamentaria data in teſtamento à patre ſuis filiis, & contra patres relinquentes Religioſos tutores ſuorum filiorum inhibetur. Cyp. *in cap. Cyprianus*, 21. *q.* 3. dicens. *Neque enim apud altare Dei meretur nominari in ſacerdotum prece, qui ab altari ſacerdotes, & miniſtros voluit auocare.* 2. dicitur legitima, quæ defertur à lege, vt cum nullus eſt tutor relictus per teſtamentũ, quia tunc qui primo loco debet ſuccedere huic ab inteſtato, tenetur ſuſcipere tutelam eius. 3. eſt datiua, quæ ſcilicet datur à iudice, quando nullus eſt tutor in teſtamento, vel nullus conſanguineus, qui ſit aptus ſuſcipere tutelam. Ita Sylu. *ver. Tutela*, *q.* 1. Tab. *eodem ſtatim in princ.* Officium autem tutoris eſt 1. pupillos à criminibus intactos conſeruare. 2. eorum res defendere. 3. eorum pecuniam, vel mobilia, quæ ad nihilum valent, ſi ſeruentur, in prædia, vel alia bona immobilia ad beneficium pupillorum conuertere. Sylu. cit. *q.* 1. *&* 4. Tab. *eod.* §. 2. Ang. *in princ. &* §. 2. Armil. *num.* 1. *&* 2. Piſan. *in princ.*

26. Noto 2. quòd communis opinio eſt, non poſſe Regulares, etiam de licentia ſuorum Superiorum, tutelam teſtamentariam, & datiuam ſuſcipere. De legitima autem dicunt, quòd ſuſcipere non tenentur, poſſunt tamen, ſi velint, cum licentia Superiorum. Syl. *loco cit. q.* 3. Tab. §. 1. Angel. §. 1. Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 11. *q.* 3. Sed melius dixi, quòd nec poſſunt legitimam, quomodo enim poſſibile eſt, vt Religioſus etiam de Superioris licentia poſſit officia tutoris complere, ſalua obſeruantia regulari? qui nihil habet, res pupilli aſſecurare non poteſt. Dicunt tamen Syl. Angel. Tab. Roſel. Piſanel. Azor. quòd dicti Regulares tenentur cum licentia Superioris ſuſcipere tutelam miſerabilium perſonarum, & probant *ex cap. fin. d.* 86. *& c.* 1. *& cap. Epiſcopus gubernationem. d.* 88. Sanchez autem 6. *in dec. cap.* 14. *num.* 26. putat, quòd non ſolum non teneatur dictam tutelam ſuſcipere, ſed quòd nec poſſint, cum non habeant bona, quæ pro miniſtranda tutela obligationi ſubijciant, & tutelæ munus à religioſo ſtatu alienum ſit. Et verè, ſi de tutore loquamur, prout de eo diſponunt iura, impoſſibile moraliter eſt, quòd Religioſus poſſit eſſe tutor, etiam cum licentia Prælati. Nam ponamus, quòd delinquat in tutela, quod eſt facile, quis reſtituet pupillo bona ſua? non ipſe, quia nihil habet, non monaſterium, quod non tenetur ex delicto Monachi, niſi in quantum factum eſt locupletius, vt dictum eſt; & pone quòd hoc nihil habuerit. Et dato quòd teneretur monaſterium, pone quòd ſit pauper, vt frequentiſſimum eſt in Mendicantibus, & non habeat niſi quædam bona immobilia, hæc alienare non poteſt. Teneo itaque cum Sanchez.

27. Dico 9. Licèt non inuenietur in iure cautum, quòd non poſſit Religioſus officium depoſitarij facere abſque licentia Prælati, imò potiùs colligatur contrarium *ex cap.* 1. *de depoſ.* non poteſt tamen ſubditus religioſus abſque dicta licentia ſaltem tacita aliquid loco depoſiti à quoquam extraneo recipere. Ita Molin. *tomo* 2. *de iuſt. diſp.* 125. *num.* 4. Sanchez 6. *in dec. cap.* 14. *n.* 27. Cened. *de paup. dub.* 14. *num.* 14. Prob. Tum quia depoſitum eſt contractus inter deponentem, & depoſitarium, vt hic fideliter, & diligenter cuſtodiat, & ille certum quid ſoluat, vel ſolam quandoque beneuolentiam exhibeat; at Religioſum nullo modo contrahere poſſe, cum velle, & nolle non habeat, dictum eſt *num.* 3. *&* 4. Tum quia depoſitarius tenetur ad depoſitum ex dolo, & culpa lata, vt conſtat *ex cap.* 1. *iuncta gloſſ. de depoſito*; Sylu. *ver. Depoſitum*, *q.* 2. ſed Religioſus non habet vnde ſoluat. Tum quia ex iſtis depoſitis proueniunt aliquando gratia ſcandala in Religionibus. Vnde ſolent Religiones expreſsè prohibere ſuis fratribus, ne dicta depoſita recipiant, vt eſſe prohibitum ſub grauibus pœnis in hac noſtra Genuen. Prouincia, ab anno 1628. per capitulum definitorium, conſtat ex libro Prouinciæ pag. 86. & de ſua Religione teſtatur. Sanchez *loco citato*, *num.* 28.

28. Nota, quòd ſi res depoſita apud Prælatum, vel alium Religioſum de illius licentia, lata culpa, vel dolo depoſitarij pereat, vel deterior fiat, non tenetur monaſterium de depoſito, niſi quatenus locupletius redditum eſt. Quia delictum Religioſi, etiam Prælati, non obligat monaſterium, niſi modo dicto iuxta *regul.* 76. *Delictum, de regul. iur. in* 6. *& cap.* 1. *de depoſ.* Ita Leſſius *lib.* 2. *de iuſt. capit.* 27. *dubitat.* 3. *numero* 12. Syluest. *verb. Depoſitum, quaſt.* 2. *num.* 3. Piſanel. *eod.* §. *Eccleſia*, Angel. *eod.* §. 4. Molſ. *loco citato*, Sanchez *num.* 29. Si autem Prælatus videat, Religioſum perdere res apud ſe depoſitas, vel eas eius culpa perire, nec obſtet, cum poſſit, tenetur in ſolidum cum ipſo Religioſo reſtituere, ſicut enim tenetur lege iuſtitiæ Religioſum cogere, vt depoſitum domino poſcenti reſtituat, ita eadem lege tenetur impedire damnum, quod illi videt inferiori, & poteſt impedire. Ita Antonin. 3. *part. titulo* 16. *capit.* 6. §. 7. Syluest. *verb. Religio* 8. *quæſtion.* 6. Si autem depoſitum ſit factum monaſterio de conſenſu Prælati, & capituli, ſeu ipſis præſentibus, & non contradicentibus, cum poſſent, ſeu factum ſit alicui Religioſo, in depoſitarium electo à capitulo cum Prælato, & culpa lata eius, vel eorum pereat, tunc puto, quòd monaſterium tenebitur de depoſito, etiamſi nihil de illo in eius vtilitatem ſit verſum. Atque ita colligitur à contrario *ex cap.* 1. *de depoſ. iuncta gloſſ. verb. Perſona*, Sanchez *loco citato*, *numer.* 35. Syluest. Piſanel. *loco citato*, Roſel. *verb. Depoſitum*, §. 5. Angel. *eodem*, §. 4. Barboſa *in capit.* 1. *de depoſ. num.* 9.

29. Dico 10. Non poteſt Religioſus fideiubere, niſi de licentia Prælati, & maioris partis capituli. Ita Molſ. *tom.* 2. *de iuſt. diſput.* 140. *num.* 19. Azor. *tomo* 1. *lib.* 12. *capit.* 11. *quæſtion.* 2. Rebell. *de obl. iuſt. part.* 2. *lib* 16. *quæſt.* 1. *de fideiuſſ. numer.* 13 Sanchez 6. *in deciſ. cap.* 14. *num.* 38. Barboſa *in cap. Quod quibuſdam*, *de fideiuſſ. num.* 4. Syluest. *verb. Fideiuſſor*, *quæſtion.* 4. Angel. *eod.* §. 7. Armil. *num.* 4. Tab. §. 3. Leſſ. *loco citato*, *cap.* 28. *dub.* 2. *num.* 20. Prob. tum *ex cap. Quod quibuſdam*, *de fideiuſſ.* vbi id expreſsè habetur. Tum quia fideiuſſor alienam obligationem in ſuam fidem recepit, principali nihilominùs obligato, *l.* 1. *&* 2. *ff. de fideiuſſ.* Is ergo ſolummodò fideiubere poteſt, qui liberam ſuorum bonorum adminiſtrationem habet, qualem ſine dubio non habet Religioſus.

30. Nota, quòd neque Prælatus poteſt fideiubere

absque consensu maioris partis capituli. Quia id aliis concedere nequit. In re tamen parua, de qua per se ipsum disponere potest, posset fideiubere. Ita Sanchez *num.* 3. 9. Less. Ang. Syl. *loco cit.* Quod si nihilominus subditus, seu Prælatus fideiubeat, fideiussio est irrita, cum nihil proprium habeant, quod alteri obligent; Azor. Mol. *loco cit.* Sanchez *num.* 41. licèt alij valere putent, *ex cap.* 1. *&* 2. *de fideiuss.* & executionem dicunt esse faciendam in peculio, si quod habent: Ita Capell. Tolos. *q.* 314. *num.* 3. Sed non est dicendum à dictis.

31. Aduerte etiam, quòd *in dicto cap. Quibusdam*, æquè prohibetur Religiosis fideiubere, ac mutuum accipere, tam Prælatis, quam subditis, absque consensu maioris partis capituli, quòd si aliter fecerint monasterium ad nihil tenetur, nisi ad id, in quo est locupletatum. Pro qua re vide Menoch. *de arb. lib.* 2. *cas.* 432. Mul. *tract.* 2. *de iust. tom.* 2. *dis.* 300 Rebell. *de obl. iust. p.* 2. *lib.* 8. *q.* 1. *sect.* 3. Bat. *in dict. cap. Quod quibusdam*, *a num.* 8.

32. Hæc vnum monitos velim Prælatos, vt in his contractibus, cæterisque mundanis negotiis fugiendis tam in subditis, quam in se ipsis, plurimum studeant, memoria sæpe repetentes aurea illa verba, quæ habentur *in cap. Te quidem*, 11. *q.* 1. vbi dicitur: *Te quidèm oportet irreprehensibiliter viuere, & summo studio niti, vt omnes vitæ huius occupationes abijcias, ne fideiussor existas, ne aduocatus litium fias, nevè in vlla aliqua occupatione prorsus inueniaris mundialis negotij occasione perplexus. Neque enim iudicem, aut cognitorem sæcularium negotiorum hodierno ordinare vult Christus, ne præfocatus præsentibus hominum curis, non possis verbo Dei vacare; & secundum veritatis regulam secernere bonos à malis. Ista namque opera, quæ tibi minùs congruere superiùs exposuimus, exhibeant sibi inuicem vacantes laici, & te nemo occupet ab his studiis, per quæ salus omnibus datur.* Verba sunt Petri ad Clementem scribentis, vt ait gloss. *in dicto cap. ver. Epistola.*

CAPVT VI.

An Prælatus regularis possit deuotis Ordinis participationem omnium bonorum Religionis concedere.

1. Vide D. Th. *addit. ad* 3. *p. q.* 26. *art.* 1. *& in* 4. *d.* 20. *q.* 1. *art.* 4. *& opusc.* 6. *de symb. apost. ver. Sanctorum communionem*, Palud. *in* 4. *d.* 45. *q.* 2. *art.* 2. *concl.* 5. *ver. Sed prima istorum* Ricard. *ibid. ar.* 2. *q.* 3. *fine.* Syl. *ver. Indulgentia, q.* 5. *num.* 9. Tab. *eod.* § 7. Ang §. 5. Pisanel. §. 1. Med. *de Indulg. disp.* 6. *cap.* 29. Nau. *tom.* 4. *miscel.* 11. *de or. & tom.* 3. *de Indulgen. not.* 31. *à num.* 18. Vuald. *tom.* 3. *de sacr. tit.* 10. *à cap.* 93. Cord. *in q. theol lib.* 5. *q.* 42. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *p. disp.* 55. *sect.* 5. *à n.* 2. Sot. *in* 4. *d.* 21. *q.* 1. *art.* 4. Mir. *tom.* 2. *man. q.* 50. Val. *tom.* 4. *disp.* 7. *q.* 20. *p.* 3. *col.* 3. Fillluc. *tom.* 1. *tract.* 8. *cap.* 4. *num.* 95. Regin. *in praxi, lib.* 7. *à num.* 124. Gamanch. *in* 3. *p. disp. de Indulg. cap.* 8. *col.* 5. *ver. Obijcies*: Laurr. *de Indulg. p.* 2. *cap.* 11. *à n.* 56. Graff. *in append. lib.* 2. *cap.* 2. *à n.* 15. Henriquez *lib.* 7. *c.* 2. §. 1. *& c.* 31. §. 6. Rodriquez *tom.* 1. *q. reg. q.* 33. *& tom.* 2. *q.* 86. *art.* 1. *ver. Secundo dico, & in explic. bull. p.* 1. §. 7. *n.* 14. Nugn. *addit. ad* 3. *p. q.* 26. *art.* 1. *concl.* 6. Carrac. *in const. cler. reg. p.* 2. *c.* 1. §. 14. *ver. De nostrorum*; Bonacina *de sacr. disp.* 6. *q.* 5. *p.* 3. *n.* 19. Tamb. *de iur. Abb. disp.* 9. *q.* 3.

2. Noto 1. quòd 2. modis possumus aliis nostra suffragia applicare, iuxta doctrinam D. Th. *in* 4. *d.* 45. *q.* 2. *art.* 1. *quæstiuncula* 4. secundum duplicem valorem, meritorium scilicet, & satisfactorium, quem in se habent quælibet bona opera. 1. per modum meriti de congruo, seu per modum impetrationis, quod idem est, (licèt alij distinguant, putantes neminem posse mereri nisi sibi ipsi, bene autem aliis impetrare) Consistit autem hoc in aliquali dignitate impetrandi sibi; vel alteri aliquid, quasi præmium operis, quod dicitur meritorium; vnde eo ipso quòd aliquis est peculiari modo membrum alicuius Religionis per literas fraternitatis, merita illius Religionis valent apud Deum, vt ratione illorum conferat illi aliqua bona peculiari auxilio, tanquam membro talis Religionis. 2. possumus applicare suffragia per modum satisfactionis, dando nimirum satisfactionem in dictis bonis inclusam, pro pœnis debitis alienis peccatis.

3. Aduerte tamen ex Cord. *loco citato*, *p.* 1. & Plaud. *loco cit. q.* 1. *art.* 1. *conc.* 1. *& q.* 2. *art.* 2. *concl.* 5. *vers. fin.* Rodriquez *in explic. bull. cit. & tom.* 1. *q. reg. q.* 33. *art.* 2. Sorb. *loco cit. ver. Et sic duplex.* Nau. *miscell.* 11. *de or. num.* 3. *ver. Quinto quærat*, quòd triplex est differentia inter participantes de bonis operibus aliorum per modum satisfactionis, & participantes per modum meriti. Nam ad participandum. 1. modo requiritur specialis intentio operantis, & specialis intentio Prælati applicantis tale bonum opus quo ad valorem satisfactorium tali determinatæ personæ nam alioqui sequeretur, quod omnis peccator eo ipso quòd fieret iustus, esset absolutus ab omni pœna suis peccatis, condonatis debita; Quia ad soluendas huiusmodi pœnas infinitus meritorum thesaurus est in Ecclesia, vt probat ex D. Thom. & Palud. Nau. *loco cit. num.* 2. *ver. Sed contra.* Vnde non valet Prælatus sine voluntate operantis opera eius satisfactoria alteri applicare, nam directum talium operum dominium apud subditum manet, vt probat Suarez *loco cit. num.* 6. *&* 7. Quare dixi *tom.* 1. *huius op. cap.* 6. §. *vn. ver. Respondeo*; quòd nullo casu potest Prælatus dicta opera satisfactoria alteri applicare, ipso operante indigente, & renuente. Quod tamen videtur solùm intelligendum de bonis operibus, quæ facit subditus in particulari, ea applicando sibi, vel aliis in remissionem peccatorum. Nam opera satisfactoria, quæ facit etiam particulariter absque speciali applicatione, sed pro tota Ecclesia generaliter, aut pro indigentibus in purgatorio, aut in hac vita pro benefactoribus, seu pro his, quibus Deus vult valere, & huiusmodi, & similiter bona, quę facit in communi, vt disciplinas, ieiunia, orationes, vigilias huiusmodi, quæ in communitate facit aliis Religiosis simul, seu, per se ex statuto regulæ, aut constitutionem, aut ex præcepto Prælati cum hæc bona sint communia Religioni, quamvis subditus iis egeat, potest Prælatus, eo inuito, & inscio, aliis specialiter communicare, etiam quo ad vim satisfactoriam, quia super bonis communitatis videtur Prælatus habere plenariam potestatem, & similiter super bonis particularibus, vel superabundantibus, vel nemini applicatis; *cap. Nullam*, 18. *quæstione secunda*, Ita Cord. *loco citato*, *p.* 3. *dicto* 5. Rodriquez *q. reg. cit. articulo quarto.* Sorb. *in comp. ver. Indulgentia quo ad sæculares* 4. *parte tertia.* Ad participandum autem 2. modo, scilicet per modum meriti, non requiritur talis specialis intentio, imò neque est necessaria scientia operantis, sed potest Prælatus ipse per se, ea cui voluerit applicare, quia in hoc nullum fit præiudicium subdito, imò fit melior conditio operantis ex multitudine participantium. Tum quia incipientes participare, incipiunt etiam de suo aliis

communi

communicare. Tum quia Deus, cuius misericordiæ, & liberalitati, quæ infinita sunt, talis fructus innititur, magis ex hoc honoratur, ex quo bene operans majores potest fructus sperare,& maius augmentum præmij in vita æterna,vt ait Ricard. *in 4. d.45.art.2. quæst.3. fine.*

4. 2. Differentia, quæ est inter participantes opera satisfactoria, & meritoria est, & quia per participationem satisfactoriam, quò plures sunt participantes, eo plus minuitur satisfactio singulorum, saltem si satisfactio proueniat ex opere operantis, quia cum talis virtus satisfactoria ex opere operatoris finita sit, vt pote quæ nititur perfectione operum, quæ mediante gratia Dei ab humana fiunt creatura, certum est, quòd quò plures partes de quantitate finita fiunt, illæ minores euadunt: operanti verò sic ex alia parte, nimirum ex charitate, augetur meritum, quod valet etiam ad remissionem suarum pœnarum; vnde de quadam sancta fœmina,quæ omnia sua opera satisfactoria pro peccatis aliorum offerebat, legitur,quòd in fine vitæ audiuerit,Charitas tua purgauit peccata tua, & sic rectà io paradisum introibis. Per participationem autem meritoriam non minuitur meritum, sed augetur,vt dixi.

5. 3. Differentia est, quòd opera quò ad vim meritoriam possunt applicari per Prælatum, etiamsi sint præterita, quia ex illis non conflatur thesaurus Ecclesiæ, vt Coid *in quæst. theol. lib. 5. quæst. 42. part.3. dicto 8. verb. Quò ad vim meritoriam*, Nauarrus *miscellan. t. de ord. numer.* 6. Sotbus *loco citato verf. Quò ad vim*, Rodriguez *tom.t. quæstion. regul. quæst.33. art. 5.* Mirand. *tom.2. man.quæst.50. artic.4. conclus.2.* Pro quo facit illud Isa. 38. *Obsecro Domine, memento quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto,& quod bonum est in oculis tuis fecerim.* At verò quò ad satisfactionem, bona opera præterita, quæ applicata oon fuere ante, vel dum fierent, applicari cuiquam non possunt, neque per facientem, neque per Prælatum: sed statim reconduntur in communem thesaurum Ecclesiæ, qui per solum supremum Pastorem dispensatur per indulgentias; quia nullus potest thesaurizare sibi, vel alteri thesaurum satisfactorium particularem, & per consequens neque de eo distribuere, aut communicare cuiquam, neque sibi, si indigeat. Quia alioquin sequeretur,quòd bona satisfactoria Religiosorum eis superabundantia,nunquam reconderentur in dictum thesaurum, sed semper remanerent sub potestate eorum,vel Prælati,ad applicandum ea postea, cui voluerit, & à fortiori,quòd opera Religiosorum defunctorum non possent applicari per Indulgentias,vel alio modo, ex quo quilibet pro tali tempore, aut necessitate futura, sibi, vel aliis talia opera thesaurizasset in vita, vt sibi tunc valerent, aut applicarentur, & sic destrueretur dictus thesaurus Ecclesiæ, collectus ex satisfactionibus Religiosorum, aut aliorum Sanctorum,dum viuerent.

6. Noto ex Diu. Thom. *opusc. 6. verf. Sanctorum communionem*,& aliis Doctoribus *citat.num.1.* quòd 2. modis potest quis mereri ex opere alterius meritorio. 1. ratione vnionis in charitate, qoam habent inter se iusti, iuxta illud Psalm. 118. *Particeps ego sum omnium timentium te*, & illud symboli.*Communionem sanctorum*;est enim vna omnium fidelium vniuersalis Ecclesia, charitate coniuncta, quæ est societas, & amicitia spiritualis, vnde sicut in societate temporali de lucro vnius participant cœteri, ita in amicitia spirituali. Quare existens in mortali, licèt excommunicatus non sit, non est particeps alicuius boni, quod fit in Ecclesia per vnionem, cum enim sit membrum præcisum à corpore, non potest recipere influentiam ab anima. 2. modo potest quis mereri ex bono opere alicuius, ratione specialis intentionis ipsius orantis, aot Prælati applicantis illi talia bona, ratione cuius, etiamsi peccator sic potest participare multa bona, ex gratia, & liberalitate Dei prouenientia, de quibus *inc infrà, numero* 14. & refertur ex Augustino,quòd propter orationem Stephani saluatus est Paulus, & talis participatio specialis plus prodest, quàm illa generalis. Tum ratione maioris coniunctionis, plus enim semper meremur nobis, & nobis magis conjunctis, qoam aliis,& sicut magis commendatum habemus specialiter ab amico commendatum, quàm si solùm generaliter commendetur, quia specialis commendatio efficaciorem affectum ostendit; ita & hic. Tom ratione strictioris promissionis; vnde sicut seruus multorum plus acquirit illi domino, cui nominatim stipulatur, quàm aliis, quia obligatio illi in sol dum quæritur, similiter si iussu vnius domini, vel ex re ipsius seruus multorum acquirat, illi specialiter acquirit, ita io proposito. Ad quod facium fortuer, *cap. Quanquam, dist.23.& cap.Si aduersu, de heret.*& Gloss. *in cap.Beneficium, de reg. in 6. verf. Conferendum in fine*; quatenus sit, quod fortius est ius singulare, quam commune, quod etiam probat P. de Baysio *in direct. elect.part.1. cap.16. n. 3.* Et Conc Constant. *sess.8. art.19.* damnat dicentem,orationes speciales oblatas, non plus prodesse, quam communes. Et hoc esse de fide, tam post decretum, quam ante, docet Alanus *de sacrific. Eucharist. libro 2. cap.35. verf. Ex contraria sententia.* Quare multum interest, recipi sd participationem alicuius Religionis, siue sic receptus sit peccator, quia tunc fit particeps propter intentionem, qui non erat propter vnionem, siue sit iustus, quia tunc dupliciter participat.

7. Noto 3. ex eodem Diu. Thom. *locis cit. n. 1.* quòd applicatio bonorum operum ad alterius satisfactionem, tripliciter fieri potest. 1. in singulari, vt cum priuatus bona sua, etiam quibus indiget, alteri determinatæ personæ applicat. 2. in specie, vt cum Prælatus Religionis admittit aliquem ad participationem bonorum, quæ fient in futurum in illa communitate, vel Religione. 3. in generali,vt cum Papa ex satisfactionibus, quæ Christo, & Sanctis superfluerunt, & in thesauro Ecclesiæ (de hoc thesauro ex quibus sit conflatus, vide Henriquez *lib 7. cap.2. à num.* 2. & quando inceperit, & qui teneat eius claues, *cap.3.*) conseruatæ fuere, aliquid alicui applicat. At nec 1. nec 2. applicatio indulgentia dicitur,bene tamen 3. & hoc propter sequentia.1. quia illæ applicationes, & communicationes non tollunt obligationem adimplendi pœnitentias impositas ex præcepto Ecclesiæ, & confessarij, quia constare certò non potest de meritis operantium, & de satisfactionum superabundantia, vnde in foro Ecclesiæ ab his pœnitentiis non liberant (licèt fortè per dictas communicationes quis assecutus sit coram Deo omnem remissionem pœnæ, per eum in purgatorio subeundæ) quoniam neque liberaretur, si alius pro eo tantundem pœnitentiæ,quantum est sibi iniunctum, ageret, est enim illa pœnitentia medicinalis per ægrotum ipsum subeunda, vt D.Thom.*in 4 dist.20. quæst. 1. art. 2. quæstiuncula 3. corp.* At indulgentia cum sit concessa ex infinitate thesauri Ecclesiæ, qui deficere non potest propter infinitatem meritorum Christi, & Sanctorum, de quibus infallibiliter constat,à dictis pœnitentiis in vtroque foro liberat,si rectè fiunt. 2. Quia indulgentiæ valent solum ad satisfactionem pœnarum Deo debitarum, pro peccatis

ctis iam commissis; at communicationes bonorum Religiosorum valent etiam, & præcipuè, ad impetrandum bona etiam in futurum, vt dicam. 1. Quia, vt dixi *num. praeed.* per indulgentias applicantur satisfactiones præteritæ, per communicationes solum futuræ. Vide Cord. *loco citato, part* 4. Rodriguez *tom.* 1. *quæstion. regul. quæstion.* 3. *articul.* 7. Sotus *in* 4. *distinct.* 21. *quæst.* 1. *artic.* 4. *vers. Quòd si scisciteris,* Mirand. *loco citato, art. vlt.* Nauarrus *miscell.* 11. *de or. num.* 4.

8. Dico 1. Possunt Prælati regulares concedere deuotis amicis, & benefactoribus literas fraternitatis, seu participationes omnium bonorum, quæ fiunt in communitatibus sibi commissis. Ita Diu. Thom. Angel. Tab. Syluest. Pisan. Henriquez *loco citato, num.* 1. Cord. *part.* 3. Rodriguez *citat. art.* 2. Sotus *citat. verb. Prælati verò* Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 8. *cap.* 4. *num.* 95. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. disput.* 55. *sect.* 5. *num.* 2. Mirand. *tom.* 2. *manual. quæst.* 50. *art.* 1. Sorb. *in comp. verb. Indulg. quò ad secul* 4. *part.* 3. *pagin. mihi* 404. Nauarrus *citat. num* 2 *vers. Sextò quæritur.* Prob. tum *ex cap. Nullam* 18. *quæst.* 2. vbi dicitur, quòd tota bonorum monasterij administratio ad Abbatem resider. Quæ verba non solum de bonis temporalibus, sed etiam de bonis spiritualibus debere intelligi, docent passim Doctores Miranda, Nauarr. *loco citato*, Tum ex priuilegio Vrbani V. quòd refert Casarub. *in compend. verb. Indulgentia quò ad secul.* 4. *num* 6. vbi conceditur, quòd Generales, & Prouinciales possint communicare suffragia, indulgentias, orationes, & alia bona spiritualia benefactoribus Ordinis. Tum quia possunt fideles omnes sua opera bona peculiariter aliis communicare, vt constat ex Diu. Thom. *in* 4. *dist.* 45. *quæst.* 2. *artic.* 1. *quæstiuncula* 4. Ricard. *ibid. dist.* 20. *art* 5. *quæst.* 3. *ad argum. oppos.* Et quia quilibet est dominus suarum satisfactionum. Et quia id videtur docere Scrip. ad Galat. 6. *Alter alterius onera portate.* Et Iac. 5. *Orate pro inuicem, vt saluemini.* Ergo, & Religiosi quoque idem possent, nisi obstaret votum obedientiæ, per quod se arbitrio suorum Prælatorum submiserunt. Ergo dicti Prælati per dictum votum acquirunt eam potestatem super actiones Religiosorum, quàm ipsimet Religiosi habuissent quò ad actiones meritorias, & vt videtur, etiam satisfactorias superabundantes, & communes, si tale votum non fecissent. Ergo possunt dicti Prælati prædicta suorum opera cui voluerint applicare.

9. Noto 1. circa illud priuilegium Vrbani Quinti *citat. num. praeed.* quòd illud priuilegium concedit duo. 1. quod possint prædicti Prælati communicare suffragia, &c. sed ista concessio nihil dat de nouo, id enim habent ex iure communi præfati Prælati, vt dicunt Mirand. *loco citato*, Rodriguez *tom.* 1. *quæst. regul. quæst.* 33. *art.* 2. & *tom.* 2. *quæst.* 86 *art.* 2. Concedit 2. quòd possint prædicti Prælati communicare dictis benefactoribus indulgentias. Et ista est magna concessio, quam ex iure communi non habebant. Cum enim indulgentiæ tantum valeant, quantum sonant, non possunt applicari, nisi iis, qui in eis nominantur expressè. Cum ergo in dicto priuilegio concedat Pontifex, quòd prælati possint indulgentias communicare, certum est, quòd superiores nominatim in præfato priuilegio, possunt omnes indulgentias concessas Regularibus, dictis benefactoribus applicare, etiamsi in illis nihil tale dicatur, quod absque hoc priuilegio fieri non poterat. Atque ita Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. disput.* 55 *sect.* 5. *num.* 13. Duobus autem modis intelligo posse fieri hanc applicationem. 1. applicando fructum dictarum indulgentiarum, eo modo, quo applicantur defunctis. 2. concedendo vt dicti benefactores possint per se ipsos dictas indulgentias lucrari, faciendo ea, quæ ad id requiruntur.

10. Noto 2. quòd Prælati, qui possunt talem participationem concedere, sunt Corrector pro suo conuentu; Prouincialis pro sua Prouincia, Generalis pro tota Religione, quia isti omnes sunt capita communitatis, & habent dominium super actiones suorum subditorum, & sicut possunt bona temporalia ex charitate alicui communicare, ita etiam spiritualia: Ita Cord. *in quæstion. theol. lib.* 5. *quæstion.* 42. *part.* 3. *dicto* 1. *in fine*, Rodriguez *tomo* 1. *quæstion. reg. quæst.* 32. *art.* 2. & *in explic. bull. part.* 1. §. 7. *num.* 13.

11. Quæres, an Generalis, seu capitulum generale possit prohibere Prælatis inferioribus, nimirum Prouincialibus & Correctoribus, dare benefactoribus dictam participationem. Respondeo, hoc dubium graue esse, cum præfati Superiores id habeant, ex officio, & insuper ex priuilegio apostolico; & quod per superiorem conceditur, per inferiorem coarctari non potest, *cap. Inferior, dist.* 21. Quare puto, quòd id generaliter non possit fieri, potest tamen Generalis rationabili de causa in aliquo casu particulari id Prouincialibus prohibere, & Prouincialis Correctori. At vniuersalem de hoc legem facere meo videri non potest, propter dicta. Adde, quòd bono regimini id nequaquam potest esse expediens: sunt enim in qualibet prouincia, & in quolibet conuentu sui benefactores, quibus conuenit aliquando dictas communicationes facere, & hoc illis denegare non esset honestum, neque vtile Religioni, & Generales non sunt semper præsentes.

12. Noto 3. quòd communiter recipiuntur benefactores Ordinis ad participationem bonorum quò ad vim meritoriam ipsorum, vt dicunt in specie Palud. *in* 4. *dist.* 45. *quæst.* 2. *art.* 2. *conclus.* 5. *vers. Sed prima*, Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 55. *sect.* 5. *num.* 11. & 12. Filiuc. *tom.* 1. *titul.* 8. *cap.* 4. *num.* 95. *vers. Tertium est*: Rodriguez *tom.* 1. *quæstion. regul. citat. art.* 3. Lauor. *de indulg. part.* 2. *cap.* 11. *num.* 62. Possunt etiam recipi quò ad vim satisfactoriam, sed id debet explicari expressè, & & non potest fieri sine voluntate operantium, saltem quò ad illa, quæ non sunt excepta *hic supra n.* 3. Atque ita Suarez, & Filiuc. *loco citato*, Henriquez *lib.* 7. *capit* 31. *num.* 6. Nauar. *miscell.* 11. *de or. num.* 10. *vers. Tertiò certum etiam videri.*

13. Noto 4. quòd huiusmodi literæ fraternitatis conceduntur à Prælatis illis personis, de quibus habent relationem, quòd sint deuotæ Ordinis, benefactrices, vnde si in aliqua cesset ista causa finalis, quia scilicet non sit benefactrix, certè ista non fruetur dictis bonis; cessante enim causa, debet cessare effectus. Et similiter cessaret frui dictis bonis ille, qui cum benefactor esset tempore acceptæ participationis, deinde cessat à benefaciendo. Et aduerte, quòd benefactores sunt in quadruplici differentia. Alij eis benefaciunt, ab injuriis defendendo, à calumniis liberando, de eis bene semper loquendo, reuerentiam illis exhibendo. Alij iura eorum tuentur, & sustentant in iudicio, vt Doctores, Procuratores, Sollicitatores, Aduocati. Alij illis benefaciunt, officium Lectoris intra Ordinem gratis præstando, aut in eorum fauorem similem scientiam, vel artem exercendo, vt Medici, Chirurgi, Notarij, &c. Isti omnes possunt ad participationem admitti. Quòd si postquam sunt admissi, cessent ab vna saltem ex prædictis beneficentiis impendendis, etiam cessat in illis participationum effectus. Quare qui opibus paupertatem

tatem Religiosorum subleuabat, ad paupertatem redactus, si bene saltem de illis loquatur, non desinit participare de dictis bonis. Verum quidem est, quòd si Prælatus velit aliquem non benefactorem ex mera charitate ad participationem admittere, poterit, quidem etiam ad participationem bonorum satisfactoriorum modo dicto. Sicut enim potest bona temporalia indigenti ex charitate tribuere, ita potest etiam spiritualia. Atque ita Cord. *in quæst. theol. libro 5. de indulg. quæst. 42. part. 3. dicto 9.* Mirand. *tom. 2. man. quæst. 50. artic. 5.* Rodriguez *tom. 1. quæst. reg. quæst. 32. art 6.* Sorbus *in comp. verb. Indulgentia quò ad facul. 4. p. 3. vers. Quaro dicitur, pag. mihi* 306. Sed hoc casu non potens Prælatus communicare indulgentias, cum solis benefactoribus communicare concesserit Vib. V.

14. Dico 2. Iouant dictæ participationes iis, quibus conceduntur, non solum spiritualiter, sed etiam corporaliter. Ita Diu. Thom. *addit ad. 3. part. quæstione 27. art. 1. fine. corp.* Palud. *in 4. dist. 45. quæstion. 2. art. 2. fine.* Rodriguez *loco citato, artic. 3. & in explic. bull. part. 1 §. 7. numero 13. vers. La seganda differenza, fine*, Mirand. *loco citato, artic. 2. concl. unic.* Cord. *loco citato, part. 2.* Sorbus *loco citato, part. 2. pag.* 304. Nauarr. *tom. 3. comm. de indulgent. not. 31. numero 23. & miscellan. 11. de or. numero. 3.* Filiucius *tom. 1. tract. 8. capit. 4. numero 96.* Prob. Tum quia ita definitum est in Concil. Constant. cit. Tum quia vsus talium participationum ad dictos effectus fuit in Ecclesia à tempore Apostolorum, vsque ad præsentia tempora semper approbatus, vt latè probat Vvald. *tom. 3. de sacram. tit. 10. capit. 94. & 95.*

15. Sed quæres, quæ bona in particulari proueniant dictis benefactoribus ex dictis literis? Respondeo, quòd valent eis ad impetrandum à Deo gratiam conuersionis, cordis illuminationem, & virtutum profectum. Valent etiam ad præseruationem à peccatis, & liberationem, & præseruationem à morte, & aliis malis spiritualibus, & corporalibus, & ad collationem bonorum spiritualium, & temporalium, seu corporalium, quæ vnus alteri potest de congruo mereri, seu impetrare ex Dei misericordia, sicut per merita Abrahæ Deus liberauit Loth. *Genes. 19.* Et pro animabus habentium literas fraternitatis possunt fratres illius conuentus; cuius sunt benefactores, celebrare vnam missam, quæ eas liberet à pœnis purgatorij. Ita concessit Clem. VIII. *per suam 4. const. tom. 2. nostr. priuileg.* Et in Ordine nostro, mortuo vno ex dictis habentibus præfatas literas, celebrantur pro ipsius anima omnes missæ, quæ sunt in conuentu, cuius est benefactor, cum officio defunctorum, & missa solemni, & Corrector dicti conuentus tenetur monere omnes Correctores suæ prouinciæ de morte dicti benefactoris, ad hoc vt possint pro ipsius anima celebrare diuina officia, & missas, ac si mortuus fuisset vnus professus dictæ prouinciæ. Quare debent multum æstimari, & æstimantur à viris piis, & deuotis.

16. Quæres etiam, an possint Prælati regulares indulgentias aliquo iure concedere? Med. *in tract. de indulgent. disputat. 6. capit. 29.* Rodriguez *tom. 2. quæst. regul. quæst. 86. art. 1.* putant, eam facultatem habere Prælatos regulares iure diuino concessam, eo ipso quod habent iurisdictionem quasi Episcopalem in suos subditos, fuisse tamen impeditos in honorem Episcopalis dignitatis. Sed omnes alij Doctores, vt Suarez *tom 4. in 3. part. disputat. 55. sect. 5. num. 1.* Henriquez *libro 7. capit. 31. num. 5.* Tambur. *de pot. Abb. tomo 2. disput. 9. quæstion. 1.* oppositum censent, & probant *ex cap. Accedentibus, de excess. prælat.* Sed ad hoc caput Respondeo, à Med. & Rodriguez, multis modis. Et verè illud capit. non stringit multum. Vnum est verum, numquam dictos Prælatos hac potestate fuisse vsos, & tamen si à Christo habuerunt, non sine quare illis data est, nec sine quare poterant illa priuari. Possunt tamen dicti Prælati ex priuilegio Papæ indulgentias concedere, vt constat apud omnes. Et de facto Prælati regulares concedunt indulgentiam plenariam, peractis visitationibus, suis fratribus, per concessionem Leon. X. de qua *tomo 1. nostr. priuileg. in const. 14. Leon. X. numero 12.* Et Gregor. XIII. hoc priuilegium etiam concessit Visitatoribus Societ. Iesu, vt refert Rodriguez *tomo 2. quæst. reg. quæst 86. art. 2.* Et Alexand. IV. concessit, vt fratres Minores prædicantes in aliquo loco, possint concedere suis auditoribus Indulgentiam 40. dierum, vt refert idem Rodriguez, Et Generalis Minorum ex priuilegio Clem. VII. de quo *tom. 1. nostr. priuil. in const 9. Clem VII.* quolibet triennio potest Fratribus, & Sororibus tertiariis, Fundatoribus, Conseruatoribus, & Procreatoribus dicti Ordinis indulgentiam plenariam concedere, cum auctoritate eligendi sibi confessarium, qui eos absoluat à casibus Episcopalibus; & censuris Ecclesiasticis.

CAPVT VII.

De potestate, quam habent Prælati regulares super suis subditis ordinandis.

1. Vide Rodriguez *tomo 1. quæst. regul. quæst. 18. & tom. 3. quæst. 23. & 24. & in explic. bull. part. 2. dubitat. vltim.* Suarez *tom. 4 de relig. tract. 8. libro 2. capit. 29.* Mirand. *tom. 1. man. quæstion. 38. & 39.* Cruz *libro 2. de stat. Religion. capit. 8.* Majol. *de irreg. lib. 4. cap. 1. num. 13. fine, & cap. 9. num. 4. & cap. 16. num. 6.* Sorbus *in compend. verb. Ordines sacri.* Quar. *in summ. bull. vers. Ordo, vers. finem,* Camp. *in diuers. rubr. 12. cap. 13. à num. 32.* Portell. *in dubitat. regular. & in addit. vers. Ordines sacri.* Confert. *in comp. priuileg. titul. 15.* Ricard. *4. part. prax. decis. 118.* Zerol. *in prax. part. 1. & 2. vers. Ordo,* Scor. *in selec. bull. Epist. 147. cum suo theor.* Pallarell. *in priuileg. not. 27. & 28.* Tamb. *de iur. Abb. tom. 2. disputat. 2.*

2. Noto 1. quòd circa hanc potestatem, quam habent Prælati circa ordinationem suorum subditorum, dixi multa *in nostr. priuileg.* quæ hic indigitabo, addendo quæ erunt addenda ad complementum materiæ. Et in primis *tom. 1. in constit. 2. Sixti IV. num. 33.* posui decretum Congreg. Concil. factum de mandato Clem. VIII. *anno 1596 die 15. Martij*, quo iubentur Regulares dare literas dimissorias sui subditis ad suscipiendos ordines ab Ordinario loci, in quo ordinandus localiter permanet; si tamen dictus Ordinarius esset absens, vel ordinationes non celebraret, vel sedes Episcopalis vacaret; his casibus potest Prælatus dare dictas literas ad quemcunque Episcopum, exprimendo causam, quare non ordinatur in diœcesi in qua localis existit. De quo decreto vltra citatos ibi, agunt Mirand *tom. 1. man. quæstion. 38. artic. 2.* Ricci *loco citato, numero 1.* Camp. *citat. num. 36.* Confert. *citat. cap 2. vers Sed Regularium Prælati*, Portel. *in dub. reg. verb. Ordines sacri, num. 2.* qui ait, quòd in Hispania non est receptum. Sed circa hoc decretum nunc occurrunt aliqua, per sequentia dubia enucleanda.

3. Quæres

3. Quæres 1. an, stante dicto decreto, teneantur Episcopi Regulares ordinandos de doctrina examinare, an verò sine nouo examine possint fidere de attestatione eis facta per Superiores, literas dimissorias concedentes? Respondeo, Supposito, quòd Regulares ordinandi non possint ab Episcopis examinari, nisi circa doctrinam, & sufficientiam vt statuit Trident. sess. 23. cap. 12. de reform. & declarauit Sixtus V. vt refert Rodriguez in suo bull. in vina vocis oraculis Gregor. XIII. pag. mihi 505. Et prius id statuerat Leo X. in Concil. Lateran. vt constat ex tom. 1. nostr. priuil. in constit. 26. Leon. X. §. 12. & docent Henriq. libro 10. cap. 23. num. 4. & in comm. lit L. & Rodriguez tomo 3. quæst. regul. quæst. 24. art. 1. Camp. citat. num. 35. Barbosa in capit. ad aures, de tempor. ordin. num. 2. Dico, quòd possunt Domini Episcopi, absque vllo scrupulo conformare suam conscientiam cum conscientia Prælatorum attestantium in suis literis dimissoriis de præfata idoneitate quò ad literaturam. Tum quia prælati regulares sunt personæ grauissimæ, vnde illis credi potest capit. Nobilissimus, dist. 97. Tum quia Tridentin. eadem sess. cap. 15. arbitrio Episcopi remittit, an fuerit necessarium nec ne, examinare sacerdotes pro confessionibus audiendis, & iudicare, an sine examine æstimari possint idonei ergo hic eodem modo ex attestatione Prælatorum poterunt credere illos esse idoneos. Tum quia possunt Episcopi super dicta idoneitate dispensare, vt dixi tomo 1. nostr. priuileg. in constit. 26 Leon. X. num. 25. Tum quia id concessit Cassian. Iulius II. vt refert Tamb. de iur. Abb. tom 1. disput. 26. quæst. 9. num. 32. Tum quia ita audio seruari in vniuersa Gallia, & in aliquibus partibus Hispaniarum. Ita Mirand. tomo 1. man. quæst. 39. artic. 4. fine, Portellus in addit. ad dubit. reg. verb. Ordines sacri, num. 1. fine, Sorbus in comp. verb. Ordines sacri, part. 2. vers. Immò non solum, pag. mihi 454. Rodriguez tom. 1. quæst. reg. quæst. 24. art. 7. Tamb. loco citato, tom. 2. disputat. 2. quæst. 21. num. 6. Diana var. tract. 16. resol. 29. vers. Sed prima. Et aduerte etiam, quòd si ordinandi notoriè literati, vt quia Lectores publici, vel publicè defenderint conclusiones, non debent ab Episcopis examinari; cap. 2. dist. 11. vbi gloss. Nauar. in cap. Cum contingat caus. nullit. 2. de rescrip. n. 13. Cochier. de exempt. part. 4. quæst. 45.

4. Quæres 2. an Prælati differentes mittere suos subditos ad suscipiendos ordines eo tempore, quo diœcesanus, vbi morantur, ordinationes celebrat, vt quando non celebrauerit occasione sumpta, mittant ad alium quemcunque peccent, & incurrant pœnas dicti decreti? Respondeo mortaliter peccare. Tum quia contrafaciunt decreto Papæ in materia graui. Tum quia diœcesano Episcopo præiudicant. Possunt tamen excusari à mortali, si id bona fide faciant, credentes, vel id sibi licere, vel non esse peccatum, sed solum teneri ad pœnam, si in foro exteriori conuincantur. Item possunt excusari, si Episcopus diœcesanus habeat examinatores valde rigidos, seu etiam malignos erga Regulares in generè, vel in specie, & aliqui subditorum sint aliquantò debiles, de quibus illis certò constet, quòd non approbabuntur, tunc enim potest illos constituere locales in alio conuentu alterius diœcesis, in qua non tantùm rigorosè cum Regularibus agatur. Quòd constat, quia, vt hic infrà dicam, potest Regularis, qui solùm scit legere, & scribere, absque grammatica, ad quemcunque ordinem promoueri: sed hic si in aliquo Episcopatu permaneat; nunquam ordinabitur, quia in eo non ordinantur, nisi qui benecallent linguam latinam; ergo potest per Prælatum mitti in alium Episcopatum, in quo non tam rigidè cum eo agatur. Quò ad pœnas autem aduerte, quòd non incurrunt ipso facto; ait enim Papa, Qui non fecerint, &c. pœnas incurrent. Qui modus loquendi insinuat, pœnam esse solùm comminatoriam, & infligendam, non ipso facto inflictam, iuxta ea, quæ cum multis docet Sayr de cens. lib. 1. cap. 11. num. 12. & 13. Adde, quòd etiamsi dicta pœna priuationis esset ipso facto, non tamen incurreretur in conscientia, sed semper requiritur iudicis sententia saltem declaratoria facti; quia nemo tenetur tam rigorosam pœnam in se exequi, vt dixi tomo 1. nostr. priuileg in const 6. Iul. II. num. 19. & præterea docet Ric. 2. p. prax resol. 245. & resol. 272. num 1. & probat non obscurè text. in cap. 1. de homicid. in 6. fine.

5. Quæres 3. an Episcopi, ad quos mittuntur Regulares in casibus permissis, teneantur stare attestationi Prælati, quòd scilicet diœcesanus ordinationes non celebrat, vel est absens, &c. Respondeo, affirmatiuè. Et constat ex ipso decreto, in quo dicitur: Verùm cum à Superioribus regularibus, Episcopo diœcesano absente, vel ordinationes non habente, literæ dimissoriæ dabuntur, in eis vtique huiusmodi causam absentiæ diœcesani Episcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum exprimendam esse. Ex quibus constat, quòd dicti Episcopi stare tenentur Prælatorum regularium attestationi; vt quid enim mandaret Papa, vt Prælati illam attestationem facerent, si ea nihil erat profutura? Quare nimis scrupulosi mihi semper visi sunt illi Episcopi, qui præter illam Prælatorum attestationem, volunt etiam attestationem Ordinarij diœcesani, gratis grauantes Regulares, & expensas non necessarias facere cogentes. Ita Bartiol. in aphor. litera R. verb. Regulares ad ordinationem.

6. Quæres 4. an Prælatus regularis contra dictum decretum mittens suos subditos ad ordines suscipiendos; si missus ordines non suscipiat, dictas pœnas nihilominùs incurrat? Respondetur à Rice. 4. part. prax. decision. 118. num. 10. Quod si Prælatus fecit quantum potuit, vt subditus ordines susciperet, & per ipsum non stetit, incurret. Sed ego puto, quòd non incurret, etiamsi per ipsum non steterit, Moueor. Tum quod hoc statutum odiosum est, & contra antiquissima Regularium priuilegia, quibus poterant ordinari à quocunque Episcopo, vt constat ex Casar. in comp. priuileg. Mendic. verb. Ordines sacri, num. 1. 3. 9. 10. 11. & ex tom. 1. nostr. priuileg. in const. 2. Iul. II. §. 6. & ex tom 2. in const. 7. Pij V. §. 9. Vnde strictè est interpretandum. Tum quòd verba intelligenda sunt cum effectu, l. 1. §. Hac verba, ff. Quod quisque iur. cap. Relatum, de cler. non resid. capit. Qualiter, vbi Glossa vltim. de pact. cap. Si à iudice, de appellat in 6.

7. Quæres 5. an possint Prælati regulares ad solum effectum ordinationis, subditum localem facere in aliquo Episcopatu, & secuta ordinatione, statim amouere? Respondeo negatiuè, quia hoc esset legem deludere; quòd vetatur in cap. Constitutus, de concess. preb. Et aduerte hic ex Bariol. loco citato, verb. Regularis ordinatus, quòd Regularis ordinatos ab alieno Episcopo, dum Episcopus sui domicilij habet ordinationem excommunicatur edicto per Episcopum ordinantem, publicato, in quo dicitur, quòd nullus accedat, qui sit à iure prohibitus, nam iste prohibitus est à dicto decret. Hæc tamen excommunicatio ex Pontificali Romano non est latæ sententiæ.

8. Noto 2. quòd eodem, tom. 1. priuil. in const. 2. Sixti IV. num. 34. dixi, quòd si diœcesanus absens det licentiam alieno Episcopo ordinationes celebrandi, non tenentur Regulares ab eo ordines sumere, sed

possunt

possunt à quocunque. Secus autem dixi, si præsens hanc facultatem concedat; quia tunc non possunt Regulares excusari per absentiam, & qui per alium facit, per se ipsum facere videtur. Vide tamen postea aliud decretum Congregat. subscriptum, Cardinalis Pamphilius, in quo habetur vltra prædictos casus, quòd tunc solùm possint Regulares à quocunque Episcopo ordines sumere, quando diœcesanus, siue præsens, siue absens, alium sui loco Antistitem non adhibuerit, qui ordinationes habeat, ita vt continuo, integroque spatio sex mensium in ea diœcesi ordinationes generales habitæ non fuerint. Sed istud decretum omninò suppositum credo; nam authenticum non vidi, neque quo tempore fuerit factum. Et prætereà illa sex mensium expectatio est moraliter penitus impossibilis, cum ministris quotidie egeant Regulares; illa expectatio cultui diuino est valdè damnosa, præsertim in magnis vrbibus, vbi magna Regularium existit copia. Quare falsum omninò illud puto, nec discedo à dictis. Immò ea confirmo quadam doctrina Gut. *can. quæst. lib. 1. cap. 6. num. 27. & 28.* vbi resoluit, quòd licentia data ab Episcopo suo clerico ordines suscipiendi à quocunque Catholico Episcopo, in propria diœcesi residente, ad formam Tridentin. *sess. 7. de reform. cap. 11.* non extenditur ad recipiendum ordines ab Episcopo Pontificalia exercente in aliena diœcesi de licentia proprij Episcopi. Ex qua doctrina hanc elicio consequentiam. Ergo pari modo qui astringitur ordinari ab Episcopo diœcesano contra tenorem suorum priuilegiorum, non astringitur ordinari ab Episcopo in aliena diœcesi de licentia diœcesani Pontificalia celebrante. Et ex ea vlteriùs concluditur, quòd nec etiam astringuntur regulares suscipere ordines ab alieno Episcopo ordinationes celebrante de licentia proprij Episcopi etiam præsentis.

9. Noto 3. quòd *eodem, tomo 1. priuileg. citat. num. 35.* dixi, quòd dispensare Regulares super temporum interstitiis, pertinet ad Episcopum ordinantem, & præter DD. ibi citat. id docent Rodriguez *tom. 3. quæst. regul. quæst. 24. art. 3. fino, & in explic. bull. 2. part. dubit. 8. vers. In quanto al secondo, pag. mihi 140.* Mirand. *tom. 1. man. quæst. 38. artic. 7. in princ.* Henriquez *lib. 10. capit. 23. §. 4. in com. lit. S,* Ledes. *tom. 1. sum. de sacr. ord. cap. 8. conclusion. 11. vers. La difficultad.* Campanil. *in diuers. rub. 12. capit. 13. num. 40.* Portellus *in dub. reg. verb. Ordines sacri, num. 5.* Confect. *in summ. priuileg. tit. 15. cap. 3. vers. Nomine amplitudinis tuæ.* Et constat ex Trident. *sess. 23. de reform. cap. 11. & 13.* Notat autem Passerel. *in can. Conc. Trident. can. 17. pagin. mihi 454.* quòd si in aliquo conuentu sit necessitas ministrorum, quæ parum consilio iudicetur sufficiens causa, vt aliter fiat, ordinaturo Episcopo ea referri debet, ipse autem de illa iudicabit; & ait, ita sibi responsum à sacra Congregatione Concil. *die 7. Februar.* 1573. Ex qua declar. colligunt Rodriguez *tom. 3. citat.* Mirand. *citat.* Sorbus *in comp. verb Ordines sacri, part. 2. vers. & sic concludi*, quòd quando Prælati iudicauerint, cum aliquo esse dispensandum, possunt rogare ordinaturum Episcopum, vt dispensare dignetur, absque assignatione alicuius causæ particularis, & quòd hoc sufficere debet Episcopo, ad hoc vt dispenset. Sed certè ego ex illa declaratione id colligere non possum, & multò minùs possum colligere id, quod dicit Miranda, nimirum non esse necesse neque in generali exprimere causam vtilitatis, vel necessitatis. In praxi itaque modò seruatur, quòd Prælati regulares in suis dimissoriis rogent Episcopos ordinaturos, vt propter necessitatem, vel vtilitatem suarum Ecclesiarum cum ordinandis dispensare dignentur. Quod sufficit Episcopis, vt dispensent, absque eo, quòd inquirant, an altera illarum subsistat. Et addit Campanil. *loco citato, num. 41.* quòd si dicti Prælati Regulares neque generatim de altera illarum causarum fidem faciant, debet Episcopus denegare dispensationem. Quòd mihi satis rationabile videtur, cum dispensatio sine causa fieri nequeat, & hæc proponenda sit à dispensandis, iuxta illud: *Porrigat brachium, qui indiget igne.*

10. Aduerte, quòd tunc dicitur esse in nostro casu Ecclesiæ vtilitas, quando Ecclesia habet quidem idoneos ministros, sed aliis opus habet, vt meliùs ei seruiatur. Tunc verò dicitur necessitas, quando habet paucos ministros, & aliis indiget, vt oneribus injunctis satisfacere possit. Ita Confect. *loco citato, vers. In remittendis*, Sorbus *loco citato, part. 3. vers. Et quia est iam, pagin. mihi 455.* Mirand. *tom. 1. man. quæst. 38. art. 8. fine,* Rodrig. *tom. 3. quæst. reg. quæst. 24. artic. 7.* Portell. *in dubitat. regul. verb. Ordines sacri, num. 5.*

11. Noto 4. quòd *eodem tom. 1. nostr. priuil. in constit. 2. Sixti IV. num. 38.* dixi, quòd Patres Iesuitæ habent priuilegium, vt possint ordinari extra tempora in tribus Dominicis, vel aliis diebus festis, etiam continuis, & quòd hoc priuilegio non fruebatur, qui alias cum dictis in priuilegiis communicabant. Nunc addo, non solùm non posse alios Regulares ordinari extra tempora, vt conatur probare Rodriguez *tom. 3. quæst. regul. quæst. 23. artic. 5.* contra quem Mirand. *tom. 1. man. quæstion. 38. art. 4.* ex Tridentin. *sess. 23. cap. 8. de reform. & cap. 2. de tempor. ord.* & ex const. Pij II. *Cum ex sacrorum*, de qua *tom. 1. nostr. priuil. in constit. 1. Iulij II. num. 20.* & denique ex const. 91. Sixti V. *Sanctum, & salutare*, quam refert Rodriguez *tom. 2. bull.* sed neque etiam ipsos Iesuitas, quia dicto priuilegio illis concesso à Gregor. XIII. fuit sufficienter derogatum per dictam constitutionem Sixti V. & expressè id dicit Rodriguez *tom. 1. quæst. regul. quæst. 18. art. 6. fine*, & innuit Scor. *in select. bull. theor. 379.* Neque valet, quòd dicta constit. Sixti V. fuerit reuocata per Clem. VIII. in sua const. 40. *Romanum*, quam refert Cherub. *tom 3. bull.* Nam Clem. non omninò reuocauit dictam const. Sixti V. sed eam reduxit ad terminos const. Pij II. citat. Concilij Tridentini, & sacrorum canonum. At in sacris canonibus, *capit. Sanè, & cap. Cum quidam, de tempor. ord.* & in dicta bulla Pij II. suspenduntur ab executione, qui extra tempora à iure constituta sacrum aliquem ordinem suscipiunt. Video tamen, quòd Portel. *in dub. reg. verb. Ordines sacri, n. 4.* dicit, esse in praxi, quòd regulares ordinentur extra tempora. Sed in Italia practicatur contrarium. Et addit, quòd Clem. VIII. *anno* 1596. *die 23. Nouembris* concessit Patribus Congregationis Sancti Ioann. Euangelistæ in Portugalia, quod possint ordinari extra tempora per quemcumque Episcopum, & testatur, se hoc priuilegium vidisse. Sed ego semper habui suspecta priuilegia vltramontana, nam à multis sum deceptus.

12. Noto 5. quod *in eodem tom. 1. nostrorum priuilegiorum in constitutione 1. Iulij II. numer. 34.* dixi, quod Prælatus potest absoluere à suspensione, quam incurrit subditus propter ordinum susceptionem ante legitimam ætatem, cum ad eam peruenerit, & interim non celebrauerit, & Doctoribus ibi ad hoc adductis adde Viual. *1. part. sui candel. titul. 15. de sacr. ordin. numero 37. versic. Si autem.* Henriquez *lib. 14. cap. 20. num. 3.* Immò etiamsi celebrauerit, & tunc potest etiam Prælatus super irregularitate, quæ inde prouenit, dispensare, vt ibi dixi, & expressè docent Portellus *loco citato, numero 14.* & Festus *in constitutione sui ordinis 3. part. cap. 25. vers Vt illos,*

&

& refert Martinum Quintum, id concessisse Magistro generali sui Ordinis. Dixi tamen *numero 36.* quòd dicta facultate non poterant Prælati vti in foro fori.

13. Si quæras; an idem dicendum sit de ordinatis per saltum? Vt respondeam, suppono, quòd qui ordinatur per saltum, est ipso iure suspensus ab ordine malè suscepto, & impeditus, ne alios, si qui desint, possit recipere, *cap. vnica, de cler. ord. per sal. cap. Sollicitudo, dist. 52.* Tridentin. *sess. 23. cap. 14. de reform.* Docent Scott. *in select. bull. theo. 379. vers. Septimò.* Suarez *tom. 5. in 3. disp. 31. sect. 1. num. 45.* Barb. *in dict. cap. 11. de cler. ord. per sal. & de po. Ep. part. 2. alleg. 47. num. 1.* Alter. *tom. 2. de cens. tractat. de susp. disput. 10. cap. 5. col. 4. vers. Ex his duabus,* Campanil. *in diuers. rub. 10 cap. vn. num. 4.* Nauar. *in man. cap. 23. num. 71.* Rodriguez *tom. 2. summ cap. 17 num. 7.* Si verò in ordine male suscepto ministrauerit, vel nouum ordinem susceperit, efficitur irregularis, vt Suarez *loco citato, numero 47.* Nauarrus *in man. cap. 27. numero 242.* Bonacina *de cens. disput. 7. quæst. 3 part. 4. numero 5.* Ricc. 4. *part. prax. decis. 150. num. 1.* Confect. *in summ. priu. Mendic. titul. 15. cap. 4. in princ.* Hoc supposito. Respondeo, quòd cum Religioso promoto per saltum, siue scienter, siue ignoranter, si non ministrauit in ordine sic malè suscepto, potest in foro conscientiæ Prælatus regularis dispensare, vt ordinem prætermissum suscipiat, & deinde in male recepto ministret, & ad superiores ascendat. Constat, supposito illo dicterio communi in hac materia, quòd eandem auctoritatem habent Prælati regulares in suos subditos, quam habent Episcopi in suos. Sed hanc auctoritatem habent Episcopi ex Trid. *sess. 23. capit. 14. de reform.* Atque ita Majol. *de irreg. lib. 4. cap. 12. num. 2.* Nauarrus *loco citato,* Suarez *num. 55.* Scott. *loco citato.* Barbos. *cit. de pat. ep. numer. 6. & de cler. ord. per sal. numer. 5.* Campanil. *loco citata, num. 5.* Immò potest Prælatus dispensare, si non celebrauit, licèt ea suspensio sit publica. Ita Henriquez *lib. 13. cap. 35. num. 4. in comm. lit. Q.* Lex enim simpliciter loquens, simpliciter intelligenda est, & vbi ipsa non distinguit, nec nos distinguere debemus, *l. De pretio, ff. de publ. in rem. act. l. Non distinguemus, ff. de recept. arbitr. & l. In fraudem, ff. de testam. mil.*

14. Sed tota difficultas est in illo, qui ministrauit in ordine malè suscepto. Nauarr. *in man. capit. 27. num. 242.* ait, quòd si ignoranter ministrauit, potest dispensari ab Episcopo, immò etiamsi scienter ministrauit, potest dispensari ad exercendum ordinem malè acceptum, licèt non ad altiorem suscipiendum. Quam doctrinam non omninò recipit Suarez *loco citato, num. 52.* Majol. autem *loco citato,* & Barbos. *de pa. Ep. num 8.* dicunt, quòd qui scienter, seu ignoranter ministrauit in ordine malè accepto, non potest dispensari, nisi per Papam, & colligitur apertè à contrario ex verb. Trident. cit. Tu dic, quòd si delictum est occultum, siue scienter, siue ignoranter ministrauerit, potest Prælatus regularis cum sic ordinato dispensare, & vt ordinem prætermissum recipiat, & vt in malè suscepto ministret, & vt ad altiorem ascendat. Quia hæc potestas est tributa Episcopis *sess. 24. c. 6. de refor. in Trident.* & hanc eandem potestatem habere Prælatos regulares, dixi *tom. 1 priuil. in const. Pyr. num 46.* & expressè id docent Majol. *de irregul. lib 4. cap. 12. num. 2.* Campanil. *in diuers. rub. 10. cap. vnic. num. 6.* Barbos. *de pa. ep. part. 2. all. 47. num. 3.* Bonac. *loco citata,* Ricc. 4. *part. prax. decis. 130. num. 3. & 6.* Confect. *in sum. priu. tit 15. cap. 4. vers. Quartò colligitur,* Portel. *in dub. reg verb. Ordines sacri, num. 14. vers. finem.* Et dicitur delictum occultum hic, etiam quando post deductionem eius ad forum contentiosum reus mediis etiam deprauatis se defendit. Ita Vival. *tract. de excom. num. 42.* Henriquez *lib. 14. cap. 20. §. 4.* Nauarrus *in man. cap. 27. num. 241. vers. Prima, in fin.* Ricc. 3. *part. prax. resol. 263. num 6. & 7.* Item poterit Prælatus dispensare cum ordinato per saltum, qui absque dispensatione prætermissum ordinem suscepit, nam ordinem suscipere, non est ministrare, Suarez *loco citat. num. 52.* Alter. *de cens. tom. 2 de susp. disp. 10. cap. 5 col. 7. vers. Respondeo Episcopum.* Sed quoniam qui aliqua censura innodatus, ordinem quemcumque recipit, noua suspensione ligatur, vt colligitur *ex cap. Cum illorum, de sent. excomm.* & dicit Suarez *de cens. disp. 31. sect 1. num. 57.* ab hac etiam, si est occulta, potest Prælatus absoluere. Vide Barb. *loco citata, num. 11.* Ricc. *num. 9.* Item dic, quòd non potest Prælatus dispensare in irregularitate publica, quam incurrit is, qui ordinatus per saltum celebrauit: secùs si est occulta, propter dicta. Potest item Prælatus dispensare cum ordinatis in apostasia, si non celebrauerint, vel sit occultum, non obstante *cap. fin. de apost.* cui per priuil. regul. derogatur. Ita Passar. *in for. ord. de modo recip. apost.* Sotb. *in comp. verb. Ordin sacr. vers. Item vot. pag 456.*

15. Sed quid, si quis dubitet, an primam tonsuram susceperit, tenebitur ne illam iterare? Innocen. *in cap. Cum contingat, de ætate, & qualitate ord. n. vn.* ait, quòd non tenebitur; quia nullum officium speciale est illi assignatum, & secundum theologos prima tonsura non est ordo. Ita etiam Ricc. *par. 1. prax. decis. 683. num. 5.* Qui autem dubitaret de receptione alterius ordinis, præsertim sacri, tenetetur illum repetere, *cap. 1. de cler. per sal. prom.* Camp. *in diu. iur. rub. 10. cap. vn. fine.* Innoc. *loco citato.*

16. Noto 6. quòd *eadem tom. 1. priuil. in constit. 2. Iulij II. num. 22.* dixi, quòd date literas dimissorias Regularibus, ad Prælatos regulares pertinebat, & prætèr DD. cit. dicunt Ledesma *tom. 1. sum. de sacr. ord. cap. 8. concl. 10.* Camp. *in diuer. rub. 12. cap. 13. num. 36.* Mand. *in reg. 24. cancell. quæst. 2. num. 6.* Miranda *tom. 1. man. quæst. 39. art. 3.* Henriquez *lib. 7. c. 26. n. 1.* Habetur expressè *in c. Nullus Episcopus, de temp. ord. in 6.* & faciunt *cap. Nullus, dist. 58. & cap. Quam sit, §. Nullus, 18. q. 2.* in quibus deciditur, quòd nullus Monachus sine testimonio, & concessione Abbatis ad aliquem gradum in Ecclesia promoueri debet.

17. Sed quid, si quis ordinetur sine literis dimissoriis sui Superioris? Respondeo quòd per extrau. Pij II. remanebit perpetuò suspensus, vt Suarez *de cens. disp. 31. sect. 1. num. 14.* Henriquez *lib. 13. cap. 38. §. 1.* At per Trid. *sess. 23. cap. 8. de refor.* non remanet suspensus in isto casu, nisi quandiu suo Ordinario videbitur expedire. Quod est antiquo iuri conforme, *cap. Salonitana, d. 63. cap. 1. iuncta gloss. ver. Ordinario, dist. 65.* Passarel. *in formul. Ord. de mo. recip. apost. vers. Quintò si, & in nostr. priu. not. 27.* Gutierr. *can. quæst. lib. 1. cap. 20. n. 24.* Sotus. *in 4. dist. 25. quæst. 1. art. 3. col. 1.* Suarez *loca cit. num. 19.* Zerola *par. 1. prax. ver. Dimissoria, in princ.* Ledesma cit. *concl. 7.* Ricc. 3. *par. resol. 236. num. 4.* Scor. *in select. bul. theor. 379. in princ.* Quòd si interim celebret, fit irregularis, vt Ricc. Ledesma *loco cit.* Gutier. *num. 26.* Nauarr. *in man. cap. 23. n. 70.*

18. Aduerte tamen, quòd hæc suspensio non incurritur, nisi propter susceptionem sine licentia ordinum sacrorum, vt constat ex dicta extrau. Pij II. Vnde qui minores susciperet sine dictis literis dimissoriis, non remaneret suspensus, nec; si in iis ministraret, fieret irregularis; peccaret tamen mortaliter, nec posset licitè ministrare, nisi Prælatus dictam susceptionem

ceptionem ratam haberet. Nauar. *loco cit.* Mir. *tom. 1. man. quæst. 39. art. 7.* Ledesma *concl. 8.* Suar. *loc. cit. num. 18.* Sed licèt hoc procedat, stante iure communi antiquo, & Bulla Pij II puto tamen, quòd recipiences etiam minores sine dictis literis, sint ipso facto suspensi. Tum quia Trid. *dicta sess. 23. cap. 8.* simpliciter loquitur de omnibus ordinatis sine dictis literis, vnde simpliciter de omnibus est intelligendum. Tum quia idem Concilium *sess. 14. cap. 2. de reform* apertè loquitur de ordinibus maioribus minoribus; ait, quòd sic promoti sine dictis literis dimissoriis, sint ipso iure suspensi, donec suo Prælato visum fuerit. Tum denique quia per const. Sixti V. *Sanctum, & salut.* de qua hic *sup. num. 11.* quæ quoad hoc non est reuocata, cum sit conformis Trid. sine difficultate recipientes minores sine dictis literis sunt ipso iure suspensi, & dicit in specie Ricc. *3. par. prax. resol. 236. num. 3.* & Suar. *loc. citat. num. 19.*

19. Et si quæras, an Prælatus regularis possit denegare suo subdito literas dimissorias ad ordines, etiam absque vlla causa? Respondeo, affirmatiuè, videtur enim hoc positum in mera liberalitate Prælati. Vnde in Ordine nostro qui per se, vel per alios ad sacros ordines se promoueri petierint, ab ipsis ordinibus in pœnam per annum continuum retardari iubentur: Correct. *num. 78.* & in Trid. *sess. 23. cap. 16. de reform.* dicitur. *Nullus debet ordinari, qui iudicio sui Episcopi non sit vtilis, aut necessarius suis Ecclesiis.* Et est casus expressus *in cap. Ad aures, de temp. ord.* debet tamen Prælatus in hoc rationabiliter se gerere, quòd si non faciat, iudicem solum habet Deum, non enim potest de hoc subditus appellare, cum Superior animum, & conscientiam inferioris immutare non possit. Ita Ricciul. *1. p. prax. decis. 693 num. 6.* Barb. *in dict. cap. Ad aures, à num. 3.* Marol. *de irreg. lib. 4. cap. 1. num. 13. & cap. 17. num. 6.* Ego tamen existimo, quòd in casu necessitatis ministrorum possent Seniores, aut alij grauiores Patres instare Superiori, vt talē ad ordines sumendos mitteret; quòd si nollet, possent ad Superiorem maiorem recurrere, qui posset ab inferiori talis denegationis rationem petere, & iste teneretur dare. Moueor, quòd mittere subditos ad sumendos ordines, videtur arbitrio Superioris tanquam boni viri concessum; vt constat ex Trid. *sess. 21. cap. 2. de reform.* ibi: *Iudicauerit*, non dicit, Voluerit, & ex *dict. cap. Ad aures. Salua conscientia*, non absolutè. At bonus vir non potest facere nisi quæ iusta, & rationabilia sunt, *cap. Cum de tua, de corp. vit.* ergo tenetur Superiori rationem reddere de tali denegatione. Extra tamen casum necessitatis non tenetur rationem reddere, nec Superiori suo.

20 Noto 7. Quòd *eod. tom 1. priu in const. 26 Leon. X n. 25.* dixi, quòd licet Episcopis initiari etiam Sacerdotio Regularem, qui benè legit, & cantat, quamvis minùs sit literatus; & præter DD. ibi cit. id docet Dio. Th. *addit. ad 3. p. q. 36. art. 2. in arg. Sed contra, & ad primum*, vbi hanc reddit rationem. *Quia Religiosis cura animarum non committitur, & à talium ore lex nō requiritur, sed solùm quòd Sacramenta conficiant, & ideo talibus sufficit, si tantum de scientia habeant, quòd ea, quæ ad Sacramentum perficiendum spectant, ritè seruare possint.* Et alia potest huius rei reddi ratio. Quia in Religiosis semper est spes proficiendi, cum semper cum viris literatis practicent, quam rationem esse etiā sufficientem ad ordinandum clericum sæcularem, docet Innoc. *in cap. Cum in cunctis, de elect. num. 1.* Hanc eandem doctrinam sequuntur Trott. *de perf. cler. lib. 2. par. 1. req. 18. num. 93.* P. de Baisio *in direct. par. 2. cap. 1. num. 3* Dian. *var. tract. 16. resol. 19* Azor. *tom. 2. lib. 6. cap. 6. quæst. 3. vers. Deinde.* Auil. *de cens. p. 7. disp. 4. dist. 1. concl. 1. fine.* Nauarr. *in cap. Si quando, de rescr. excep. 13. num. 8. & in summ. cap. 25. num. 133.* Mariol. *de irreg. lib. 2. cap. 13. n. 7.* Rodrig. *tom. 1. quæst. reg. quæst. 24. art. 7.* Gloss. *in cap. Legi, verb. Instructio, 16. q. 1.* Sylu. *verb. Clericus 2. n. 1. vers. Primò enim;* Ang. *eodem 2. §. 2.* Tab. *ead. 2. §. 2.* Innoc. *loco cit.* Sot. *in 4. dist. 25. q. 1. art. 4. conclus. 3.* Bariol. *in apho. vers. Regulares ad sacros, & vers. Sacerdos vt idoneus sit*, Barb. *in cap. Ex multa, de vo. num. 4.* Portel. *in dub. reg. verb. Ordines sacri, num. 6.* Colligitur *ex dicto cap. Ex multa*, ex quo id probat Barb. & habetur expressè *in cap. Sedulò, dist. 38.* Possunt etiam citari illi DD. qui dicunt, defectum omnis scientiæ, quam Concilium requirit *sess. 23. de reform. cap. 4. 11. 13. & 14.* irregularitatem non inducere: & sunt Henriq. *lib. 14. cap. 8. §. 11. in com. lit. A.* Garc. *de benef. par. 7. cap. 7. num. 15.* Sayr. *lib. 6. de cens. cap. 13. n. 8.* Nam licèt malè fecerint Superiores, qui tales receperunt sine spe saltem, quòd anno probationis fierent idonei, vel si cum tali spe frustrati sunt, cum isti non sint irregulares, eo quia non habent scientiam à Concilio requisitam, ordinari poterunt, si legere, & cantare sciant. Quia sic satisfit menti Concilij: Quo pacto etiam tenet Gonzal. *ad reg. 8. cancel. gloss 4. n. 36.* quòd graduatus, & literatus ordinari potest, etiamsi patrimonium non habeat, prout requirit Trid. *sess. 21. cap. 2. de reform.* Quia cum dicta literatura satisfit menti dict. Concilij. Ad Trid. *sess. 23. cap. 11. de reform.* vltra ea, quæ dixi *in prin. loc. cit.* dico, quòd loquitur de clericis sæcularibus, qui quoniam ordinantur præcipuè ad curam animarum, ideò debent pleniorem habere scientiam, in quibus clericis, cum non habeant communiter tantam commoditatē studendi, nec tantam conuersationem cum viris literatis, nec tam facilè possint viros literatos consulere, maior requiritur actualis scientia. Quòd si contendatur, Trid. loqui etiam de Regul. dico, quòd id non potest ex eo colligi cum nullum verbum de Regularibus in eo fiat. Sed esto, quòd etiam hos comprehendat, dico, quòd quoad hos non est vsu receptum, vt testatur Nauarr. *loc. cit.* Hæc non dicta sint ad fouendam ignorantiā, quam detestor, sed ad solamen animarum Prælatorum, & Episcoporum.

21. Dico 1. Abbates, etiam non benedicti, possunt suis Religiosis subditis primam tonsuram, & quatuor minores ordines conferre, seruatis, quæ de iure in Trid. & alibi circa talem collationem seruare tenentur Episcopi. Ita Rodrig. *tom. 1. quæst. reg. quæst. 18. art. 1. & 2. & tom. 3. quæst. 23. art. 2.* Miranda *tom. 1. man. q. 38. art. 9.* Llam. *4 p. met. cap. 3. §. 4.* Suar. *tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. cap. 29. à num. 3.* Cruz *de stat. relig. lib. 2. cap. 8. dub. 1. vers. Quintò Abbas*, Henriq. *lib. 10. cap. 25. num. 3.* Zerol *in prax. verb. Abbas*, Azor. *tom. 1. lib. 12. cap. 20. q. 7.* Barb. *in cap. Abbates, de priu. in 6. num. 4.* Ledesm. *tom. 1. summ. 1. de Sacram. ord. cap. 8. concl. 6.* Prob. *tum ex cap. 1. dist. 69. cap. Cum contingat, de ætate, & qualitate ord. cap. Abbates cit.* Trid. *sess. 23. de reform. capite 10.* Tum ex multis priuilegiis, quæ adducunt Rodrig. *loc. cit. art. 2.* Miranda *concl. 3.* Cruz, Llam, Confect. *in sum. priu. tit. 15. cap. 2.* Nauarr. *tom. 2. consil. lib. 5. de priu. cons. 13. n. 5.* Sayr. *de cens. lib. 4. c. 13. n. 5.*

22. Noto 1. Quòd hæc potestas extenditur etiam ad nouitios. Tum quia nouitius fruitur Religionis priuilegiis, vt dixi *supra hac quæst. cap. 1. num 122.* Tum quia est subditus Prælatis Religionis. Ita Suar. *loc. cit. num. 12. & 13.* Gloss. *in cap. Abbates, verb. Cantolauerint, de priu. in 6.* Henriq. *lib. 10. cap. 23. §. 3. In com. lit. gg* Sayr. *loc. cit.* licèt alij multi contrarium teneant apud Barb. *loco citat. num. 9.*

23. Noto 2. Quòd controuertitur inter DD. an dicti

dicti Abbates poſſint conferre dictos ordines clericis ſæcularibus, ſeu Religioſis ſibi non ſubditis cum literis ſuorum Superiorum. Azor. loco citat. Suar. citat. num. 21. Quar. in ſum. bul. ver. Ordo, verſ. finem, Sorb. in comp. ver. Ordines ſacri, in fine, Tamb. de iur. Abb. tom. 2. diſp. 2. q. 7. ex ſententia ſacræ Congreg. affirmant. Sed ego licèt dictas declarationes viderim, cum tamen alias etiam viderim in contrarium, & nihil authenticum, ſtante clara deciſione. Trid. loco citato, non puto poſſe tutè dictos Abbates non ſibi ſubditis dictos ordines conferre. Atque ita cum multis Barb. loco citat. num. 6. Rota coram Seraph, deciſ. 985. Putat tamen Rodr. loc. cit. art. 1. quòd ſi Abbas ſibi non ſubditis ordines conferat, imprimunt characterem, ſed non dat executionem, & eſt illud, quòd dicit Suar. loc. cit. num. 20. declaraſſe ſacram Congregationem quòd ſic ordinatus non debet ampliùs ordinari, bene tamen diſpenſari. Sed ſi hac facultate, vt dixi caret Abbas, omninò ordinari denuò debet.

24. Noto 3. Quòd diſpenſare ſuper interſtitiis, ad Abbatem ordinantem ſpectat, acceſſorium enim ſequitur naturam principalis, & qui vult efficaciter finem, vult etiam media ad illum conducentia. Ita Miranda tom. 1. quæſt. 38. art. 7. concl. 3. Sorb. in comp. ver. Ordines ſacri, ver. Quando verò Abbates, pagin. 454. Barb. loc. cit. num. 7 Rodrig. tom. 3. q. reg. quæſt. 24. art. 4. ver. Quando verò Campanil. in diuerſ. rub. 12. cap. 13. num. 42. Si verò Abbas non poſſit ſubditum ordinare, ſed mittit illum ad Epiſcopum, tunc puto, quòd ad Abbatem ſpectet eo, modo, quo ſpectat ad Epiſcopum diſpenſare ſuper interſtitiis ſui ſubditi, ordinati cum eius licentia ab alieno Epiſcopo, quare non erit neceſſe, quòd in literis dimiſſoriis mentionem faciat de tali diſpenſatione. Roderic. in reſol. regul. reſol. 1. num. 22.

25. Noto 4. Quòd Superiores Mendicantium licèt communicent in priuilegiis cum Monachis, hoc tamen priuilegio ordines conferendi non gaudent. Cum enim ex ſua primæua conceſſione datum ſit Abbatibus benedictis, & dicti Superiores Mendicantium non benedicantur, eo vti non potuerunt, & licèt poſtea fuerit extenſum ad Abbates temporales, & non benedictos, cum tamen non pertineat ad animarum vtilitatem, & conueniens Religionis regimen, ſed potiùs ad quandam dignitatem, & præeminentiam, nunquam eo vſi ſunt, vel vti potuerunt. Ita Suarez loco cit. num. 28.

26. Dico 2. Nullus Epiſcopus poteſt Regulares ordinare in domibus ipſorum Regularium, abſque licentia Epiſcopi Diœceſani. Ita Mirand. tom 1. mar. q. 38. art. 3. Rodr. tom. 3. q. reg. q. 24. art 2. Ricc. 4 par. prax. deciſ. 118. n. 4 Cruz de ſtat. relig. lib. 2. cap. 8. dub. 1. ver. Quartò. Portel. in dub. reg. ver. Ordines ſacri, num. 3. Prob. ex Trid. ſeſſ. 6. cap. 5. de reform. vbi ſtatuitur, quòd nulli Epiſcopo quantumvis priuilegiato liceat in aliena Diœceſi Pontificalia exercere abſque expreſſa licentia Diœceſani. Aduerte tamen, quòd Abbas exemptus, habens iura Pontificalia, poteſt dare licentiam alieno Epiſcopo, vt in ſuo diſtrictu exerceat Pontificalia, non ſolùm pro his, qui ſunt de dicto diſtrictu, ſed etiam pro his, qui ſunt alterius Epiſcopatus, modò tamen quoad ordines ſuſcipiendos habeant dimiſſorias proprij Epiſcopi. Ita Ricc. 2. par. prax. reſol. 300.

27. Noto, quod ſi aliquis Frater laicus, vel oblatus ad clericatum aſcendat extra obedientiam Prælatorũ Ordinis, etiamſi vſque ad Sacerdotium promotus ſit, poſtquam reuerſus fuerit, omni honore clericali priuari debet, nec debet permitti, vt canonicum perſoluat officium, ſed debet reduci ad priſtinum omninò ſtatũ. Ita conceſſit Leo X. vt referunt Paſſar. in not. 21. prin. Caſar. in com. verb. Laici Fratres, num. 4. & ver. Ordines ſacri, num. 4. Rodr. tom. 1. q. reg. q. 42. art. 19. Portel. in dub. reg. verb. Horæ canonicæ, num. 4.

28. Noto, quòd amantes, obſeſſi à dæmone, & patientes morbum caducum, etiamſi liberati ſint, iure communi non poſſunt ad ordines ſuſcipiendos mitti, cap. Clerici; cap. Maritum, cap Communiter, diſt. 33. docent communiter DD. Ricc 3. p. prax. deciſ. 538. à n. 2. Putant tamen aliqui quòd ſi ceſſent dictæ infirmitates, & per diuturnum tempus infirmi in ſanitate confirmentur, adhibito peritorum conſilio, poſſint Prælati regulares per ſua priuilegia cum his diſpenſare, vt ordinentur, & in ſuſceptis ordinibus miniſtrent. Ita Mol. tom. 4. de iuſt. tr. 3. diſp. 70. n. 12. Auil. de cenſ. p. 7. diſp. 7. dub. 4. fine. Vech. de nono diſp. 9. dub. 23. n. 6. Quia dicti Prælati habent auctoritatem diſpenſandi cum ſuis ſubditis in omnibus irregularitatib. exceptis homicidio voluntario, bigamia, mutilatione membrorũ. Ergo cum ſibi ſubditis ſic infirmis, vt Vech. 5. qui n. 7. idem probat de his, qui morbo gallico laborant.

CAPVT VIII.

De poteſtate, quam habent Prælati regulares res Eccleſiæ benedicendi.

1. VIde Roſel. ver. Benedictio, à §. 1. Ang. eodem, Sylu. eod. n. 3. Tab. eod. Paſſar. in not. 18. & 19. prin. Caſar. in comp. ver. Benedicere; Cruz de ſta. relig. lib. 2. c. 5. dub. 8. & 9. Conſect. in ſum. tit. 18. à cap. 4. Rodrig. tom. 1. q. reg. q. 18. Mir. tom. 2. man. q. 40. Llam. 4. p. met. c. 3. §. 4 Suar. to. 4. de relig. tr. 1. lib. 2. c. 30. Feſt. in conſt. Prædic. par. 1. c. 20. Barb. de poteſt. Epiſc. par. 2. alleg. 27. n. 44 & in c. Abbates, n 10. de priu. in 6. Portel. in dub. reg & in addit. ver. Benedicere, Azor. par. 1. lib. 10. cap. 28. q. 2. Tamb. de iur. Abb. tom. 1. diſp. 22.

2. Noto 1. quòd de materia huius cap. tractam ſufficienter in princ. 2. par. Ritual. Minim. Hic ſolùm ea mihi ſunt indiginanda ad complementum materiæ, & breuiter, primò igitur dixi not. 2. quòd Generales, & Prouinciales, ac eorum Vicarij poſſunt omnes, & ſingulas Eccleſias, cœmeteria, capitula, & oratoria ſolẽniter benedicere, vt conſtat ex conſt. 1. Iul. II. §. 2 a. to. 1. noſtr. priu. & DD. ibi ad hoc adductis adde Suar. loc. cit. n. 11. Barb. Feſt Llam. loc. cit. Cruz dub. 9. concl. 3. Et not. 3. dixi, quòd poſſunt dictas Eccleſias, &c. polluta, etiamſi fuerint conſecrata, reconciliare aqua per Epiſcopum benedicta, quod confirmant iidẽ DD. Et not. 4. addidi, quòd ſi Epiſcopus diſtet per duas dietas, poſſunt etiam dictam aquam benedicere; quod confirmat Cruz loc. cit. concl 4. Et not. 7. dixi, quòd prædicti Superiores poſſint benedicere corporalia, & alia omnia ornamenta, ad diuinum cultum neceſſaria, in quibus oleum chriſmatus non interuenit, & conceſſit Iul. II. loc. cit. §. 19. & confirmant omnes Doctores citat. Et not. 8. dixi, quòd prædicta ornamenta poſſint benedicere non ſolum pro vſu ſuarum Eccleſiarum, ſed etiam pro vſu aliarum; hac tamen poteſtate prudenter debere eos vti, monet Suar. loc. cit. num. 11. in locis ſcilicet. in quibus non ſunt præſentes Epiſcopi, ſed valdè diſtant, ne conquerantur. Et not. 9. diffusè probaui, ſupradictas poteſtates competere Correctoribus localibus, & Vicariis illorum locorum, qui Correctorem non valent ſuſtinere. Quod de Vicariis etiam docent Portel. in addit. ad dub. regul. ver. Vicarius in capite, & Doctoribus ad id adductis adde Suarez proximè cit. Barb. cit. num. 44. Portel. in dub. regul. ver. Benedicere, num. 1. Tamb loc. cit. q. 1. n. 7. Et q. 9. ait n. 3. quod poſſunt benedicere primarium lapidem pro

fundatione

fundatione Ecclesiæ. Et *quæst.* 5. quòd possunt benedicere arma, & vexilla bellica. Et aduerte quòd possunt dicti Prælati hanc facultatem delegare, vt constat: *ex Rituali Romano*, & ex his, quæ tradit Gauant. *in rubr. Miss. lib.* 1. *par.* 4. *tit.* 19. *num.* 23.

3. Noto 2. Quòd Abbates, qui Pontificiis insignibus vtuntur, possunt calices consecrare, per priuilegium Innoc. VII. Ita Azor. *tom. lib.* 10. *capite* 28. *quæst.* 2. Miranda *tom.* 2. *man. quæst.* 40. *art.* 4. Barb. *part.* 2. *de potest. Episc. alleg.* 27. *num.* 36. Llam. 4. *part. met. cap.* 3. §. 4. Suar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 30. *num.* 8. Cruz *de stat. relig. libro* 2. *cap.* 5. *dub.* 9. *concl.* 1. vbi videtur concedere hanc facultatem quibuscumque Prælatis Regularibus, sed meliùs negat Miranda & non vsus comprobat.

4. Noto 3. In gratiam mei socij, quòd Fratres laici, seu Fratres oblati, eo tempore, quo sunt socij Generalium, & Prouincialium, & extra loca, & Conuentus, cum inseruiunt Missis Doctorum Prælatorum, possunt propriis manibus calices tangere, & corporalia plicare, & explicare ante, & post Missam. Ita concessit Leo X. vt dicit Casarub. *in comp. verb. Laici Fratres, n.* 3. quo tamen priuilegio non possunt vti in Conuentibus vbi sunt alij Fratres. In dictis verò Conuentibus possunt dictos calices, & corporalia tangere, si ad sacristiam deputentur per vnum ex dictis Prælatis per priuilegium Calisti III. vt refert Casarub. *ibid. n.* 1. Quod notat etiã Cruz cit. *dub.* 8. *vers. Nota posse.*

CAPVT IX.

De auctoritate Prælatorum super impressione librorum suorum subditorum. Et quàm graue sit Prælatiæ munus.

1 NOto primò, quòd in Concil. Trid. *sess.* 4. *decr. de edit. & vsu sacr. lib.* mandatur sub pœna excommunicationis ipso facto, vt nullus Regularis possit imprimere, vel imprimi facere libros sine licentia Ordinarij, & sine licentia obtenta suorum Prælatorum, data ad formam const. suarum Religionum, quam licentiam dare non possunt Prælati, nisi priùs per se ipsos, vel per alios ab ipsis deputatos, libros imprimendos recognouerint. Et hæ licentiæ dari debent in scriptis, & in fronte libri authenticè apponi. In Concil. verò Later. *sub Leone X. sess.* 10. *de impress. lib.* requiritur præterea licentia Inquisitorum, quæ licentia requiritur etiam *in indice lib. prohib. tit. De impress. lib.* §. 2. & hæc etiam debet in fronte libri apponi. Et quia tam Ordinarij, quàm Prælati, & Inquisitores aliis detenti curis solent dictis, & piis viris hanc curam libros reuidendi, & approbandi demandare, talium etiam approbatio debet in fronte libri apponi, cum declaratione ex cuius auctoritate libros approbauerint. Ita statuitur *in dictis reg. Indicis*, §. 5. Præter omnes dictas licentias Principes sæculares volunt etiam ipsi libros examinare, seu examinandos doctis viris tradere; atque ita sine ipsorum approbatione nolunt, vt typis mandentur. Atque ita Nauarr. *in man. c.* 27. *n.* 148. Suar. *de cens. disp.* 23. *sect.* 7. *n.* 1. & 2. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *c.* 17. *q.* 1. Fuse. *de visit. lib.* 2. *c.* 31. *n.* 9. Sorb. *in comp. verb. Imprimere libros*, Rodrig. *tom.* 2. *quæst. reg. q.* 104. *artic.* 1. Ricciul. 4. *par. prax. decis.* 260. *à num.* 1. Cherub. *in comp. Bull. ad const.* 12. *Leon. X.* Cened. *ad decr. collect.* 8. *n.* 7. Camp. *in diu. iur. rubr.* 11. *cap.* 13. *num.* 4. Portel. *in dub. reg. verb. Libri, num.* 6. Tol. *in sum. lib.* 1. *cap.* 41. *num.* 1. Zerol. *in prax. par.* 1. *verb. Libri, vers. Quartò.*

2. Noto 2. Quòd Suar. *loco citato, num.* 1. ait: Quòd dicta excommunicatio Trid. solùm afficit eos, qui imprimunt libros sine nomine auctoris, & approbatione Ordinarij, & dummodò libri de rebus sacris tractent. Quare censet, quòd si quis imprimeret aliquem librum, de rebus sacris non tractantem, sine dicta nominis appositione, & licentia, non incurreret dictam censuram. Et censet præterea, quòd si regulares imprimerent libros etiam de rebus sacris tractantes cum licentia Ordinarij, & nominis proprij appositione, non incurrerent dictam censuram, etiamsi licentiam suorum Superiorum non obtinuissent, incurrerent tamen pœnas suarum constitutionum. Quam doctrinam sequitur Portel. *loc. cit.* Aduertit etiam Suar. ibi, ex Nauarr. *loco citato*, quòd censura lata in Lateranen. non fuit vsu recepta, atque ita neminem ligat, sed per illius approbationem in Indice librorum prohibitorum *reg.* 10. de nouo factam, vires resumpsit. Aduerte etiam, quòd dicta excommunicatio Trid. est ipso facto, nemini tamen reseruatur, vt Medices *in summ. pec. par.* 2. *tit.* 9. *quæst.* 78. *num.* 115. Aduerte etiam, quòd in aliquibus locis, vt hic Genuæ, licentia Ordinarij non requiritur, sed sufficit sola licentia Inquisitoris.

3. Noto 3. Quòd in eodem Trid. Decr. dicta excommunicatione ligantur, qui manuscriptos libros communicant, vel diuulgant, sine dictorum approbatione. Quòd tamen restringit Suar. *loco cit. num.* 3. ad libros de rebus sacris tractantes, de quibus tantum ibi Trid. loquitur. Et subdit idem Suar. quòd nomen libri propriè & strictè accipiendum est pro opere consummato, & integro, quale est illud, quod imprimi solet. Nam, prout vsus obtinuit, & declarauit, scripta theologica, & quæstiones, vel conciones scriptæ facilè communicari solent sine hac examinatione, & approbatione, & licèt sint de rebus sacris, quia tamen non diuulgantur per modum librorum, sed tanquam dicta quædam inferioris rationis, & quæ vix in humana conuersatione literatorum hominum vitari possunt, & quia per se non scribuntur, vt diuulgentur per modum librorum, sed ad proprium vsum, & vtilitatem, & communicatio illa est priuata, & per accidens, ideo non censetur huiusmodi scripta sub hac clausula comprehendi. Imò addo, quòd integri libri concionum, cursus Philosophiæ, & alij tractatus theologici manuscripti absque tali approbatione publicè Romæ venduntur, & alibi: quod vsu communi receptum esse, docent Azor. *loco cit. num.* 257. *vers. Vt autem.* Vnde licèt declarauerit aliquando sacra Congregatio Concilij pro Regul. sub huius Decreti Decisione comprehendi lectiones, annotationes, disputationes, conciones, necnon tractatus pertinentes tum ad deuotionem, tum ad quietationem conscientiarum stimulatarum Fratrum, & cætera huiusmodi, quæ sibi inuicem communicant Fratres, cum tamen ex huiusmodi declaratione varia orta esset inter Religiosos perturbatio, eademmet Congregatio declarauit, supradicta esse intelligenda tantum, quando communicantur vt typis mandentur. Ita refert Sorbus *in comp. verb. Imprimere libros, vers. Tertiò circa id*, Ricciul. *loc. citat. num* 6. Rodrig. & Cherub. *loc. cit.* Barb. *de potest. Episc. par.* 3. *alleg.* 90. *n.* 14.

4. Noto 4. Quòd non solùm libri debent examinari & approbari prædicto modo antequam imprimantur, sed etiam aliæ quæcunque scripturæ, vt theses ab aliquo publicè defendendæ, carmina, vel poëmata, aut orationes. Quia in Concil. Later. dicitur, quòd quicũq; libet, aut quæcunque scriptura, antequam imprimatur, examinari debeat. Ita Azor. *loc cit quæst* 2. Sed quid de thesibus manuscriptis, quæ publicè defendendæ proponuntur in Ecclesiis, vel Collegiis Regularium, est necesse, vt ab Inquisitoribus approbentur? Ego credo, quòd non. Nam illa clausula Concilij, *Qui antẽ scripto eos communicẽt, vel diuulgant, nisi antea examinati,*

probatique fuerint, vel non est recepta, vt constat ex vsu & dicunt Suar. & Azor. *loc. citat.* vel intelligitur de his, qui euulgant scripto libros iam impressos sine auctoris nomine, de quibus priùs sermo habitus erat: vel de his, qui euulgant, vt ad omnium notitiam perueniant: & præterea theses libri non sunt. Et concilium Lateranense licèt loquatur de libris, & aliis scripturis, loquitur tamen de his in ordine ad impressionem, & in ordine ad impressionem loquitur etiam cit. declaratio Concilij. Quare non video, quòd necesse sit (nisi quid me lateat) dictas theses debere ab Inquisitoribus approbari, & nullibi fieri puto, & scio contrarium practicari, & Romæ, & Mediolani, & Genuæ.

5. Noto 5. Quòd in Ordine nostro mandatum est *in cap. Val. 4. num. 9.* in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna priuationis actiuæ, & passiuæ vocis per annum, & aliis pœnis ad arbitrium Generalis, quòd nullus audeat quidquam imprimere absque licentia dicti Generalis, quam licentiam Generalis dare non possit, nisi priùs recognitis per eum libris, vel per alios ab ipso deputatos diligenter fuerint examinati, & correcti. *In cap. verò Barch. 3 sess. 5. num. penul.* addita est priuatio officiorum, & vocis actiuæ, & passiuæ in perpetuum, ita vt qui talia attentauerit, non possit rehabilitari nisi à capitulo generali.

6. Noto 6. Quoad secundùm punctum. Quod durum valde est Prælatiæ munus, vt constat ex dictis hucvsque, ita vt dixerit Trid. *sess. 6. de reformat. cap. 1. Ecclesiarum regimen esse onus Angelicis humeris formidandum.* Et cap. ante omnia, dist. 40. dicitur: *Nihil esse in hac vita, & maximè hoc tempore difficilius, laboriosius, & periculosius Episcopi officio.* Et Lamb. *de iur. patr. lib. 2. par. 1. quæst. 10. art. 1. num. 2.* requirit in Prælato 47. conditiones, & subdit *num. 3.* Vnum est, quòd me turbat considerare tot, & tanta requisita. Tam graue est Prælatorum officium his temporibus, quibus quisque ferè sibi licere putat quodlibet, vt miserrima sit Prælatorum vita, non dico malorum, sed meliorum: dum enim manum ad depellenda crimina adiicere volunt, impiorum seuerissimè excandescit ira, oderunt enim dum metuunt, & qui timetur, timeat oportet, vel à factis, vel à calumniis saltem. Quare interrogatus Chrysippus apud Stob. *serm. 43.* cur Rempublicam non administraret, cordatè respondit. *Quia si malè rexero, Diis displicebo, sin bene, ciuibus.* Et tot sunt cauillationes, maledicentiæ, detractiones, calumniæ, impertinentiæ subditorum, vt Prælatos autem sapientes, & rectos conturbent, & qui bona intentione Prælatiam receperunt, bonisque actibus eam exercere studuerunt victi subditorum insolentiis, quibus manna de cœlo descendens nauseat aliquando, in illos seruire coguntur. Quod contigisse Tiberio narrat Orosius *lib. 7. cap. 4.* & de Dyonisio tyranno idem me semel legisse apud Patritium de regno meminisse videor. Nec id aberat à D. Thom. sententia *lib. 3. de regim. princ. cap. 11. fine*, dum tamen sæuitia, seu seueritas subditorum merita, & insolentias non excedat. Quare cogor cum Cic. pro Flac. exclamare: *O conditiones miseras administrandarum Ciuitatum, & Prouinciarum, in quibus diligentia plena simultatum est, negligentia vituperationum! Vbi seueritas periculosa est, liberalitas ingrata, sermo insidiosus, assentatio perniciosa, frons omnium familiaris, multorum animus iratus, iracundia occulta, blanditia aperta, venientes Prætores expectant, præsentibus inseruiunt, abeuntes deserunt.* O captiuitatem domesticam! ô splendidam seruitutem! ô onerosum honorem! ô secretam passionum domitricem! ô afflictionum pelagus! ô mortificationum oceanum! ô tribulationum radicem! ô ingratitudinum mare! ô inquietudinum matrem! ô mæstarum cogitationum nutricem! ô animorum corporúmque perditionem, infelicem dignitatem! Quo infortunio ad tuas vnquam deueni manus? Pereat dies illa, in qua dictum est mihi, Prælatus creatus es. Lugenda dies, & nigro signanda lapillo, tanquam origo omnium miseriarum, dies, quæ fuit finis quietis, & principium tribulationum. Audite iuuenes senem non animo, neque ætate, sed corpore rectum iter serò cognitum monstrantem cum Seneca *ep. 8.* Quasi à facie colubri dignitates fugite, habent enim decoras facies, sed deformes sunt intus, apparentia pura sunt, ac veluti sepulchra dealbata, quæ intus plena sunt ossibus durissimis. Dulce accidens, amara substantia; medicina videntur malorum prima facie, sed venenum sunt bonorum in progressu. Elongate, & fugite. Vna baiulorum est vita Prælati, scopus maledicarum linguarum subditorum. Experto credite, si non mihi, Seleuco, de quo referunt, quòd erat solitus dicere: *Si cogitarent homines, quantum negotij sit in Principe, solum tot legere, & scribere Epistolas, nec humi proiectum diadema tollerent.* Ah Deus immortalis, quam bene dicebat ille. *Si fuissem de numero Prælatorum, non fuissem de numero electorum.* Et quidã è Senioribus nostris Deum quotidie rogabat, ne in Prælatia decederet. Hoc vnum reperi in tot molestiis solatium, quòd aliis communicare non grauor, & puto simpliciter bonis Prælatis necessarium, mentalem esse nimirum orationem. Hæc enim pabulum est mentis, & corporis. Nam corpus, & mens tot curis fatigata, nisi semel in die ad minus, iis depositis, recreentur, quod in dicta fit oratione, & non alibi, succumbant necesse est.

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

DE MODO AGENDI PRÆLATI CVM SVBDITIS.



VOBVS modis agit Prælatus cum ſubditis, in iudicio, & extra illud. In iudicio agit tanquam iudex; vnde ſcire tenetur omnia, quæ ad bonum, & rectum iudicem ſpectant. Quæ materia valdè grauis eſt, & Prælatis Regularium maximè neceſſaria, parum tamen practicata. Dum enim multos videamus in Theologicis quæſtionibus valdè verſatos, in Scripturis Sacris maximè practicos, alios orationi, & contemplationi multum intentos, alios negotiis ſæcularibus implicatos, alios hiſtoriis, alios aliis profeſſionibus delectari, paucos videmus doctos in hac materia iudiciorum, plus Prælatis neceſſaria pro Religionis conſeruatione, & ſubditorum quiete, quam ipſe panis. Vnde non mirum, ſit tot videamus ſubditorum vexationes, incarcerationes iniuſtas, iuſtas appellationes, recurſus, vagationes. Inde obedientiæ contemptus, paupertatis nauſea; caſtitatis periculum, Quadrageſimalis vitæ præuaricatio, omniſque regularis diſciplinæ eneruatio. Cum enim videant ſe ſubditi iniuſtè torqueri à Prælatis, iuſtitiámque non rectam, neque rectò, & debito ordine ſibi miniſtrari, ſed brutorum animalium inſtar baculo verberari de facto, ex ipſorum tyrannide aufugiunt, in quibus fugis quid faciant, quæ dicant, Deus ſcit. Quare obſecro in Domino IESV omnes Prælatos regulares, vt huic materiæ ſedulò incumbant. Ego de ea longum tractatum diſpoſueram facere pro illius dignitate, ſed tam excreuit tomus iſte Prælati, vt ſi cum germano Subdito velim eum aſſociare, dictum tractatum diſmembrare cogar, imò & omninò omittere; eum viri doctiſſimi de hac materia ſpeciales libros ediderint. Inter quos Aretin. *in pract.* Manſus *de modo proced. in cauſ. Reg.* Ghiſiler. *de iud. Reg.* Aldrete *de diſc. rel.* Spathar. *de mod. corrig. Reg.* Triuiſ. *de or. proc. inter Reg.* Ioſeph. de S. Maria *in trib. Relig.* Thomas à IESV *de reg. viſit. & in cap.* 10. *reg. Carmel. dubitat.* 3. Suar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 3. *lib.* 10. *à cap.* 11. Bart. *in tom.* 4. *addito ad queſt. reg.* Rodrig. *de ordin. iud.* Long. *de caſ. reſer. par.* 2. *in* 5. *caſ. de iud. Reg.* Mirand. *de ord. iud. & pract. reg.* Poſſunt præterea videri Villagut. *in ſua pract. crim. can.* Foller. Diaz, Sayr. *in clau. reg. lib.* 12. *à cap.* 7. qui omnes DD. totam videntur abſoluere materiam. Agit. 2. Prælatus cum ſubditis extra iudicium, & hoc modo etiam dupliciter, publicè ſcilicet, & priuatim; de quibus hic ſolùm breuiter pauca attingam.

CAPVT VNICVM.

Quomodo Prælatus agat cum ſubditis extra iudicium tam publicè, quam priuatim.

1. NOto 1. quòd licèt *tomo* 1. *huius op. in regulis*, quas ad finem illius poſui, pro quiete ſubditorum *reg.* 10. ſubditum conſuluerim, vt quantum poſſet, nimiam Prælatorum familiaritatem deuitaret. Tum quia Prælatorum vita eſt in continuis motibus, & anxietatibus, confluentibus ex omni parte negotiis, vnde quiete viuere non poteſt nec ipſe, nec qui cum eo familiaritatem habet, & amicitiam, ſi enim cum amico omnia deliberanda ſunt, præceptore, Seneca *epiſt.* 3. qui fieri poteſt vt curarum Prælati particeps non ſit familiaris ſubditus? Tum quia omnia grauamina, quæ recipiunt à Prælato ſubditi, natura ſic inclinante, in amicum illius refundunt. Tum quia cum omnia ſibi licere putent imperantes, nihil, vel minimum tribuant familiaribus; vnde cecinit Ouid. 3. triſt. eleg. 4. *Nam quanquam ſoli poſſint prodeſſe potentes, non proſunt, potiùs plurimùm obeſſe ſolent.* Vnde illis ſemper timendum præcipuùm eſt, eum præſertim agitur de Prælatis parum virtuoſis Quare puto ſanum meum illud conſilium, quòd video etiam probati ab Eccl. cap. 13. *Ditiori te ne ſocius fueris. Quid communicabit cacabus ad ollam? quando enim ſe colliſerint, confringetur.* Et Horat. lib. 10. ep. 18.

Dulcis inexpertis cultura potentis amici,
Expertus metuit.

Prælatis tamen omninò neceſſarium exiſtimo habere amicos, & familiares: & magis neceſſarium, quam ignis, & aqua; non enim ſine amico habebit, vt ait Caſſiod. in prol. lib. de amic. parum à princ. *Cui vota, & affectus ſuos communicet, cui conſcientia ſua ſinum, tui ſolatium ſuum, aut aliquid de moleſtiis irruentibus euaporet. Solus eſt, qui ſine amico eſt.* Et ſine amicis omnis cogitatio eſſet tædium, omnis operatio labor, omnis terra peregrinatio, omnis vita tormentum. Sine amicorum ſolatio viuere, nihil eſt aliud, quam mori. Vnde dicebat quidam. Nec ſolus vellem eſſe in Paradiſo. Et rectè, nam cum omnium Creator Deus hominem effinxiſſet, illúmque in Paradiſo

radiso voluptatis constituisset, videns quòd bonum non esset, cum esse solum, dixit, *Faciamus ei adiutorium simile sibi.* Et nullam posse esse felicitatem sine socio, docuit aliquando Seneca. *E diuerso autem,* subdit Cassiod. *quanta est iucunditas, quanta securitas, habere cum quo loquaris, vt tecum, cui arcanum committere queas in tuis secretioribus habeas, vt te ipsum. Cui plena securitate reueles, tanquam in studiis spiritualibus à te ipso defeceris, aut profeceris apud Deum.* Et Synes. de reg. col. 11. *Quæ,* inquit, *vlla Rege dignior possessio, quàm amici consortium? quis secundarum rerum particeps iucundior? quis in aduersis fortunæ casibus tolerandis stabilior? quis in laudando syncerior? quis in acriter obiurgando minus molestus?* Dulcis vita amico sociata, morborum omnium, dolorum omnium lenamen vnicum amicus verus. Quo vno amara dulcescunt, mollescunt aspera, leuigantur scabra, prosperantur aduersa, hilarescunt tristia, siccantur lachrymæ, & mors ipsa in amantis sinu vita potiùs, quàm mors est. Et Naz. or. 6. in princ. *Amicus fidelis viuus thesaurus. Amicus fidelis solatij portus.* Et ep. 22. *Si quis interrogauerit me, quid eorum, quæ in vita sunt, pulcherrimum sit? Dicerem vtique amicos esse. Ex his verò quinam potissimum honorandi sint? Bonos enuntiarem.* Et quòd imperantibus amici sint necessarij, multis exemplis docet Ioan. à S. M. *in pol. cap.* 31. Ioan. Red. *de maiest. princ.* §. *Paucis familiarem, à num.* 14. Contz *lib.* 2. *pol. cap* 11. Sart. *in exerc. pol. ad illa verba, Eccl.* 6. *Amicus fidelis protectio fortis.* Trull. *in eluc. lib.* 4. *cap.* 25. *consid.* 1. *num.* 7. Nostris Prælatis vnus Christus suffi it, qui ex 12. Apostolis tres familiarissimos habuit, Petrum, Iacobum, & Ioannem, quos & participes fecit suæ gloriæ in monte, & futuræ ignominiæ in horto. Quatuor autem sunt, propter quæ Prælatis sunt amici necessarij. Primò, ad conuersandum cum ipsis, nullum enim tempus feliciùs consumitur, quam illud, quo cum amicis conuersamur. Secundò, vt eis omnia sui cordis penetralia referent, quò maximè mens subleuatur, cum alterum videat, & gaudia, & dolores ipsius participare. Tertiò, vt eos adiuuent in ferendis Prælaturæ laboribus, & sint tot oculi, tot aures, tot ora; tot manus, quæ & videant, & audiant subditorum necessitates, & temporales, & spirituales, easque Prælato suggerant, vt possit remedium adhibere. Quartò, vt bona ipsorum Prælatorum magnificent, & mala liberè corrigant. Nec excusatur ab habendis amicis Prælatus, quantumvis doctus; quia vt ait Sen. ep. 9. *Sapiens etiamsi contentus est, se tamen habere amicum vult, si ob nihil aliud, vt exerceat amicitiam, ne tam magna virtus iaceat.* Imò probitatis, vel improbitatis magnum indicium est, multos, vel nullos habere amicos, vt aiebat. Plat. ep. 7. *col. mihi* 6. vbi loquens de Dionysio tyranno, ait: *Carebat amicis, fidisque hominibus, quo nullum maius est argumentum, vel improbitatis, si desint, vel probitatis, si adsint.*

2. Noto 2. Quod amici à Prælato eligendi, non debent esse quicunque, sed viri solummodò probi, nam hi solum æternum amant, quique sint amicitia digni, & quibus insit virtus amoris causa, quales profitebatur habere Naz. *ep.* 109. cum dicebat: *Amicos cum dico, probos, & honestos intelligo, eosque qui nobis virtutis nexu copulantur quandoque nos quoque ipsius studio tenemur.* Nam præterquam quòd solum inter bonos amicitia esse potest, vt docet Arist. 8. *eth. cap.* 5. si malos in amicos assumat Prælatus malum se statim manifestabit; tales enim sumus quales sunt, quibuscum conuersamur. Vnde cum studiosis libros euoluimus, cum armigeris colluctamur, cum venatoribus feras persequimur, cum potatoribus inebriamur, cum ambitiosis dignitates ambimus, cum susurronibus murmuramus, cum curiosis noua quærimus, cum teneris, tenera loquimur, cum auaris pecuniam amamus, cum claudis claudicamus, & cum peruersis peruertimur, & cum sanctis sancti sumus. Quare optimum semper existimari consilium Mæcenatis, datum Cæsari, vt refert Dio. *lib.* 52. cum ait: *Ad hæc liberiorum te tuorum, ac familiarium optimum quemque in honore habere oportet, quia id, & decus tibi magnum, & securitatem affert. Nulli tamen nimia est indulgenda potentia, sed ita moderandum omnibus, vt ne in quam te reprehensionem coniiciant. Nam quæcunque vel rectè, vel secùs egerint, omnia tibi imputabuntur, talemque te omnes iudicabunt, qualia eos facta exercere permiseris.* Nec sufficit istos amicos esse bonos, quoad se, & quoad amicum, sed debent præterea esse natura pacifici, pacis semper consilia dantes, animum iratum Prælati mitigantes; vnde vitandi viri tristes, & melancholici, qui omnia gemunt, & de omnibus querelas formant. Vitandi item inimici pacis, & tranquillitatis, qui omnia ferro, & igne terminari vellent. Vitandi item inconstantes, qui statu præsenti nunquam contenti, nouitates amant, præterita recolunt, & futura appetunt; nam Sen. *ep.* 120. ait, quòd: *Maximum indicium est malæ mentis fluctuatio.* Vitandi etiam quidam delicatuli, qui quacunque re etiam minima amicos deserunt, & nouos requirunt, de quibus Cassiod. in prol. lib. de amic. *Ille longè est à lege amicitiæ alienus, qui sic hodie amat, vt heri oderit; sic omni homini amicus, vt nemini fidus, hodie laudans, cras vituperans, hodie blandiens, cras mordens, hodie promptus ad oscula, cras ad opprobria, cuius amicitia leniter comparatur, & leui exsufflatur offensa.* Vitandi etiam ambitiosi, nam isti sunt omninò infideles, dolum solùm dignitatis prætensæ adorant, eis solum fideles, qui ad illud adiuuare possunt, & pro eo tempore. Vitandi etiam auari; nam isti omnia venalia habent, & *ex auaritia,* ait Ambros. in apol. cap. 4. *septem nequitiæ procreantur, scilicet proditio, fraus, fallacia, periurium, inquietudo, violentia, & contra misericordiam obduratio.* Vitandi quoque amici fortunæ, hi enim sunt, sicut qui *parauit amicum aduersus vincula laturum opem,* vt ait Sen. Ep. 9. *cum primum crepuerit catena, discedit, qui enim causa vtilitatis assumptus est, tandiu placebit, quandiu vtilis erit.* Vnde Poëta.

Non est persona, sed prosperitatis amicus,
Quem fortuna tenet dulcis, acerba fugat.

Et Eccl. 6. *Multi colunt personam potentis, & amici sunt bona tribuenti.* Et Prou. 19. *Est amicus secundum tempus suum, & non permanebit in die tribulationis.* Amicus autem verus nihil in rebus amici quærit, nisi sola beneuolentiis, scilicet vt gratis amet amantem se. De hoc Gregor. lib. 1. ep. 33. *Nullus fidelior sibi ad consulendum esse potest, quam qui non tua, sed te diligit.* Hic gaudet amici bonis, tristatur malis, & sua postponit amici bonis. Hic nulli rei honestæ parcit amici causa, nec nisi honesta, quantumvis importunatus, ab amico petit, & quæ non decet amicum facere, nec putat decere amicum petere. Ad quòd facit id quod refert Valer. *lib.* 6. *cap.* 4. *de P. Rutilio,* qui cum amico iniusta petenti suum officium pernegasset, isque indignabundus diceret: *Quid ergo opus est mihi tua amicitia, si quæ abs te peto, non accipio? Imò, ait Rutilius, Quid mihi tua, si propter te aliquid inhonestè facturus sum?* Sit itaque amicus Prælati

probus,

probus, & rectus, Prælati amans, non dignitatis, à suauissimo synceritatis affectionum fomite, mutuaque rerum honestarum obsequela, ac crebra collatione, voluntatumque ingi, parilitate, fideque inuiolabili à multo tempore ante acquisitam dignitatem procreatus. Vide Io. de Lign. *in tr. de amicorum delectu.* Vide etiam §. *seq.* vbi an noui amici præferendi sint veteribus. Et concludit, quòd sic, si sunt meliores. Et §. *seq.* quærit, an amicus Superior ex vi amicitiæ debeat se inferiori parificare; Et concludit, quòd in pertinentibus ad dignitatem se præferre debet. Tu dic, quòd in publico potest, in priuato non debet. Et §. *anteced* quærit, an amico existenti in tristitia delectabilis sit præsentia amici. Et concludit, quòd sic, propter multa.

3. Noto 3. Quòd conuertitur inter morales Philosoph. an amicis omnia sint arcana credenda an eis sit clauis cordis nostri consignanda? Plutarch. in Chil. *Ames eatenus*, inquit, *quasi aliquando sis amaturus.* Et ita amico vtendum iubet Sophocl. vt eum posse fieri inimicum existiment.

Amico ego velim.
Sic credere, atque commodare, vt neutiquam
Semper futuro. Nam profectò plurimis
Sodalitatis portus insidus fuit.

Sen. omnia amico aperienda censet Ep. 3. *Si aliquem amicum existimas, cui non tantundem credis, quantum tibi vehementer erras, & non satis nosti vim veræ amicitiæ. Tu verò omnia cum amico delibera, sed de ipso prius post amicitiam credendum est, ante amicitiam iudicandum.*

4. Vt dicam quid sentio in hac re. Suppono, 1. solam veram amicitiam habere radices in virtute, & solum inter bonos, & virtuosos esse posse. Et licèt aliquando inter malos amicitia videatur esse, ea amicitia non est, sed factio, siu familiaritas, aut contubernalitas, quæ cessat cessante interesse, vtili, vel delectabili, quod est inter ipsos. Ita Ioan. de Lign. *loco citato, §. de his inter quos potest amicitia contrahi, num. 2.* Suppono 2. quòd solum amicitia, quæ est fundata in virtute potest esse perpetua. Vnde Prouerb. 17. *Omni tempore diligit, qui amicus est.* Cum enim radices in virtute habeat, quæ cum tempore magis radicatur, & maiores facit fructus, non satietas, non ætatis, aut morum diuersitas, non denique fortunæ commutatio, quæ temporis decursu variari solent, amici beneuolentiam variam, aut instabilem reddere possunt. Vnde Cassiod. *loco citato*, ait, quod: *Amicitia, quæ desinere potest, nunquam fuit vera. Ideò qui vel lasus desiit diligere, quem amauerat, amicus in veritate non fuit.*

5. His positis, fateor cum Sen. quòd quando amicus est verus, nihil est illi occultandum. Vnde Christus, Ioan. 15. *Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit, quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Et amicum non esse, qui aliquid amico occultat, conuincit locus ille Iudic. 14. *Odisti me, & non diligis, idcircò problema, quod proposuisti filiis populi mei, non vis mihi exponere.* Quia tamen ita natura corrupta est, vt vix cuique fidere possimus, & vix amicum liceat inuenire, vnde mirans Sap. Eccles. 6. dixit. *Qui inuenit amicum, inuenit thesaurum.* Et quia cordis penetralia non penetramus homines, ideò Superiores moneo, vt ea omnia, quæ ad exercitium virtutis spectant, amico communicent. Item quæ consultatione indigent. Secretum verò sibi seruent in iis, quæ manifestasse aliquando poterit eos pœnitere. Seruent hoc præsertim generosiores Prælati, qui solent esse incautiores. Quò enim quisque fortior est, quò animo celsiore, eò plus insidiis patet, cum enim ex se sc cæteros metiatur, candorem suum legit in omnibus, nec dolos metuit, quibus caret; ignorat que insidias, quas nullas parat, quò fit vt faciliùs in amici infidi insidias prolabatur. Vnde de Agesilao refert Xenoph. *in or. pro illo*, quòd: *Ab hostibus difficulter circumueniri poterat, ab amicis facillimè falsa persuasione decipiebatur.*

6. Noto 4. Quòd cum amicis habentibus supradictas conditiones, potest priuatim Prælatus familiariter tractare, secumque pro illo tempore, arbitris seclusis, super dignitate, dispensare. Cum enim non sit periculum, vt inde superbiant, seque pares Prælato existiment, & in publico exigant ita tractari, id multum iuuabit ad subleuandam Prælati naturam curis continuis defatigatam. In publico vellem, vt hos, ac cæteros, tractaret, nec signum aliquod partialitatis erga ipsos ostenderet, tam in promouendo eos ad honores, quam in exonerando ab oneribus; alioquin enim, & in amicos aliorum contrahabit inuidiam, & in se ipsum inæqualis, & iniusti Superioris odium. Hoc ipsum puto voluisse Bonau. *de sex. al. Seraph. cap. 6.* cum dixit: *Ac licèt meliores in affectu præferendi sint minoribus, & omnes propter spem salutis in Christo amplectendi sint. In actu tamen exhibitionis exterioris taliter se gerat ad omnes, vt nullus se ab eo contemni propter alios suspicetur, ne aliens indignatio, & inuidia in aliis nutriatur.* At hoc procedendi modo non sunt aliqui contenti, dicentes, Amici sumus non solum in te ad dignitatem promouendo, sed etiam in ea ibi vsque ad mortem defendenda. Quo igitur iure, nos pares vis facere iis in honoribus, & gratiis, qui tibi contrarij fuerunt in electione, & dignitate consequenda, & modò omnem occasionem quærunt, vt te ignominiosè illa priuent? Certè meliùs hoc pacto esset, inimicum tibi fuisse, nam inimici tui omnibus fruuntur, gratiis, & priuilegiis, quibus amici tui, & tamen amicorum labores non attingunt, & nihilominùs Scriptura dicit, quòd qui fuerunt laborum, & tribulationum socij, debent esse participes gaudiorum, & consolationum. Et certè si in tribunali carnis res esset definienda, in istorum fauorem decidendum videtur. Vnde etiam dictis rationibus coacti aliqui Prælati, hac praxi vtuntur, vt amicos, & electores suos velint semper, salua conscientia, super omnes esse, amplioribus honoribus affici, vt tales cognosci. Qui verò illi contrarij fuere, quiescere iubent, & ab honoribus pro suo tempore absoluunt; non tamen vexant, neque vexari permittunt, & hoc sibi multum prodesse putant ad amicos comparandos. Quam praxim fouet doctrina Syres. de reg. pag. 11. *Probi autem, ac benigni Regis quodnam euidentius populo argumentum, quam si beatos eos faciat, quorum familiaritate vtitur: hoc enim pacto etiam longinquioribus amabilem se præstabit, bonisque id in voto erit, Regis amicitiam sibi demereri posse.* Sed quoniam Prælati Regulares sunt præsertim inducti ad regimen animarum, quod est quacunque alia re pretiosius, vt dicitur *in cap. Præcipimus 12. quæst. 1.* ideò dicti Prælati obtentas Prælaturas à Deo principaliter recognoscere debent, & sic omnes, & qui fauerunt, & qui non, secundum sua merita, & secundum Deum tractare, scientes, quòd plus fauet multoties, qui suffragium denegat, quam qui largitur. Quod si Prælati Regulares secùs faciant, fouebunt rixas, factiones, & odia, Nec mirum, si aliquando quæ glorioso inchoata sunt principio, lugubri clauduntur exitu. Synes. Regem mundanum instruit, & loquitur secundum carnem. Non nego tamen,

men, quod teneriorem affectum erga sibi beneuolos non debeant habere, sed hic ostendi non debet cum periculo indignationis aliorum. Et hoc affectu debent esse contenti dicti beneuoli, si secundum Deum procedere velint, nam finis principalis electionis non est bonum personæ electæ, sed communitatis, quòd si hoc non attendant, stultum, & antiquum est illis annuere. Neque etiam nego, quòd, cœteris paribus non possit anteponi beneuolus minùs beneuolo. Et aduerte, quòd in dubio non debet Prælatus pro amico iudicare, nisi priùs certò credat, ius illi esse, vt tradit Nauarr. *in cap. Si quis autem, num. 134. de pœnit. dist. 7.* Cochier *de censur. Eccl. quæst. 61. num. 7.* vbi tota illa quæst. agit, an possit pro amico iudex contra ius facere; Et an iudex possit amico pœnam remittere, ait quòd sic gloss. *in cap. Nisi, de off. leg.* Tu glossa, si sit arbitraria, & nulli præiudicet.

7. Noto 5. multum interesse Prælatis Regularibus beneuolentiam subditorum, hæc enim est firmissimum regiminis præsidium, vt ait Synes. cit. *pag. 21. & pag. 15.* ait, quod nullum *est imperium tutius, quam illud, quòd amore, & charitate munitur.* Vnde visum est multoties quamplures Prælatos sola subditorum beneuolentia contra potentiores gloriosè præualuisse. Hæc verò beneuolentia non acquiritur se se in cella continendo, subditos non audiendo, aut difficillimè, austerum, & iratum se illis semper monstrando, tenso semper arcu cum illis practicando, in quinto semper tono cum illis loquendo, eorum dicta subsannando, eos nunquam rectis oculis aspiciendo, sed affabilitate, & consuetudine, flendo cum flentibus, gaudendo cum gaudentibus, stando cum stantibus, & cum currentibus currendo, promptè, & patienter eos audiendo, blandè, & humaniter respondendo, afflictos consolando, infirmos visitando, necessaria ministrando beneficia, & gratias citò, & hilariter largiendo. Hæc Synes. loc. cit. pag. 21. *Regi cum militibus sæpius versandum, neu domi se se continendum esse Philosophia præcipiebat: beneuolentiam enim, quæ sola firmissimum est Regis præsidium, ex quotidiana consuetudine colligi ostendebat*, & pag. 12. de eodem Rege loquens, ait: *Cum equite equitabit, & cum pedite decurret, & cum armato armatus incedet, & cum cetrato cetra exercebitur, & cum leuis armatura militibus iaculabitur, &c.* Sed hæc ita facere debet noster Prælatus, vt nec facilitas de grauitate, nec grauitas aliquid detrahat de beneuolentia; nam si asperè nimis erga illos se gerat, odio habent; si moltum remissè, vel contemnunt, vel superbiunt. Bern. 4 de cons. cap. 6. *Ego nec seuerus velim, nec dissolutus, vt non de seueritate sit onerus, nec de familiaritate contemptus. Vilis semper custodia oris, quæ tamen affabilitatis gratiam non excludat.*

Hæc sunt, quæ ad laudem, & gloriam Dei, Beatæ Mariæ Virginis, ac Sancti Patris Nostri Francisci de Paula, in gratiam Prælatorum, infirma semper valetudine, curisque regiminis distractus edolaui, anno ætatis meæ 46. Faxit Deus, vt Prælatorum, & cæterorum Regularium, quibus laboro, vtilitati concedant. Amen.



PAVLI III.

PAVLI III.

Romani, Petri Aloysij de Farnesiis filij, ad summum Pontificatum assumpti anno Domini 1534. die 12. Octobris, qui dedit Ordini nostro infrascripta priuilegia.

CONSTITVTIO I.

Quâ confirmat in amplissima forma ex certa scientia omnia priuilegia à suis prædecessoribus Minimis concessa, tam in genere, quàm in specie, & ea extendit ad omnes, & singulos Conuentus Religionis, tam constructos, quàm construendos.

PAVLVS PAPA III.
Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmiũ *REGIMINI militantis Ecclesiæ, disponeate Domino, præsidentes, circa statum fidelium quorumlibet, præsertim Religiosorum studio piæ vitæ vacantium, prosperè dirigendum attentiùs cogitamus, & eos, vt quietiùs Altissimo vota sua persoluere possint, eorumque domos, & loca benignis fauoribus confouemus, ac his, quæ propterea per prædecessores nostros prouidè concessa fuisse dignoscuntur, vt firmiora persistant, cum à nobis petitur, Apostolici muniminis præsidium propensiùs impertimur.*

Memorat constit. 1. Sixti IV. *§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Sixto Papa IV. prædecessori nostro pro parte quondam Francisci de Paula Ordinis fratrum Minimorum Institutoris inter alia exposito, quòd antea bonæ mem. Pyrrhus Archiepiscopus Consentinus, tunc in humanis agens eidem Francisco, vt Oratorium sub vocabulo S. Francisci in tenimento de Paula Consentinæ Diœcesis ædificare posset, per suas literas licentiam concesserat: ipseque Franciscus Oratorium huiusmodi propriis manibus, ac expensis cum dormitorio pro ipsius, & sociorum suorum vsu, & habitatione pro magna parte ædificauerat, & nonnullos socios vitam eremiticam ducentes ibidem receperat. Idem prædecessor tunc Episcopo S. Marci, eius proprio nomine non expresso, per quasdam suas literas dedit in mandatis, vt, si, vocatis qui forent euocandi, de præmissis sibi legitimè constitisset, concessionem, & literas dicti Pyrrhi Archiepiscopi, ac in eis contenta quæcumque cum suppletione defectuum auctoritate Apostolica approbaret, & confirmaret: Ipseque prædecessor in euentum approbationis, confirmationis, & suppletionis huiusmodi Francisco, & eremitis præfatis, vt omnibus, & singulis priuilegiis, indulgentiis, & gratiis, quibus frater Petrus de Pisis, cæterique eremitæ potiebantur, & gaudebant, vti, & gaudere possent, concessit.*

Memorat constit. 2. Sixti IV. §. 3. & 4. supra. *§. 2. Et deinde eidem prædecessori exposito, quòd bonæ memoriæ Goffredus Episcopus sancti Marci tunc in humanis agens ad executionem literarum ipsius prædecessoris, illarum forma seruata, procedens, concessionem, & literas Pyrrhi Archiepiscopi huiusmodi, ac omnia, & singula in eis contenta cum suppletione defectuum dicta auctoritate approbauerat, & confirmauerat. Quodque Præfatus Pyrrhus Archiepiscopus per dictas suas literas eremitis, & fratribus ipsius Francisci, vt quoscumque Superiores, & officiales canonicè eligere, necnon statuta, & ordinationes pro huiusmodi vitæ obseruantia, à iure tamen diuino, & sanctorum Patrum Institutionibus non deuiantia facere possent, sibi, & huiusmodi officialibus, & temporalibus Congregationis huiusmodi personarum, etiamsi sacerdotali, seu quauis alia præfulgerent dignitate; ut etiam iurisdictiones locorum, & animalium, ac rerum omnium ad eundem Franciscum, eiusque Congregationem quomodolibet spectantium, ac quoscumque rebelles, & inobedientes, omniumque huiusmodi Congregationis personarum delinquentium peccata, & delicta, & cuiuscumque generis maleficia, & crimina, prout iuris foret, puniendi, delinquentes incarcerandi, corrigendi, cæteraque faciendi, quæ in præmissis, & circa præmissa Francisco, & eremitis huiusmodi viderentur fore necessaria, & opportuna, & quæ ipsemet Pyrrhus Archiepiscopus facere posset. Sacerdotibus verò huiusmodi Congregationis, seu sæcularibus, vel regularibus per eos eligendis missas etiam ante diem, & in quocumque loco ad id congruo, & honesto cum altari portatili celebrandi. Eucharistia, & alia quæcumque ecclesiastica sacramenta Francisco, & aliis Congregationis huiusmodi*

huiusmodi personis, quoties deuotio ingrueret, & necessitas postularet, & absque quacumque Superiorum licentia ministrandi: Confessiones etiam audiendi, & ab omnibus casibus excommunicationis, suspensionis, & interdicti; ac super quacumque irregularitate eidem Pyrrho Archiepiscopo tam à iure permissis, quàm ab eo reseruati, toties quoties opus foret, absoluendi, & dispensandi, votaque quacumque permutandi, & relaxandi, ac pœnitentiam salutarem iniungendi: Loca, & Oratoria quacumque ac Ecclesias licitè recipiendi, & retinendi; Quascumque etiam personas ecclesiasticas, & sæculares ad eos venientes, & cum eis moram trahere, & habitum per eos gestari solitum recipere, ac profiteri volentes, ad huiusmodi habitum, & professionem obseruantia castitatis, paupertatis, & obedientia acceptandi, & recipiendi. Quodque omnibus, & singulis priuilegiis, gratiis, immunitatibus, libertatibus, & exemptionibus, quibus fratres Minores, cæterique Mendicantes fruebantur, & vtebantur, frui, ac vti possent, indulserat: Quòdque prædictum, & alia quæcumque Oratoria, loca, & Ecclesias per ipsos in posterum acquirenda, & recipienda cum omnibus iuribus, & pertinentiis suis, rebusque ad eos, & eorum loca quomodolibet spectantibus, necnon eremitis, & personis, inibi pro tempore degentibus, ab omni iurisdictione, subiectione, ac superioritate matrum Ecclesiarum, ac sua, suaque Ecclesia Consentinensis, cæterarum quoque personarum ex certa sua scientia in perpetuam, etiam motu proprio exemerat, & totaliter liberauerat, ac protectioni, submissioni, iurisdictioni, & superioritati Sedis Apostolica totaliter remiserat, & relaxauerat.

Memorat constit. 2. Sixti IV. §. 6. supra

§. 3. *Idem prædecessor per alias suas indultum, exemptionem, libertatem, remissionem, & relaxationem Pyrrhi Archiepiscopi huiusmodi, suasque & dicti Pyrrhi Archiepiscopi literas, necnon confirmationem, & defectuum suppletionem præfati Goffredi Episcopi sancti Marci, processusque desuper habitos, ac inde secuta quacumque, ac omnia, & singula in prioribus suis, & dicti Pyrrhi Archiepiscopi literis, ac processibus, & instrumentis publicis desuper habitis contenta eadem auctoritate, & ex certa scientia, cum simili defectuum suppletione laudauit, approbauit, & confirmauit, decreuitque priores suas literas, ac processus huiusmodi, & inde secuta quacumque valere, ac roboris firmitatem obtinere perinde, ac si omnia, & singula per præfatum Pyrrhum, Archiepiscopum Francisco, & eremitis huiusmodi concessa, & in ipsius Pyrrhi Archiepiscopo literis contenta, in suis Prioribus literis huiusmodi specialiter, & singulariter narrata, & expressa fuissent.*

Memorat dictam constit. Sixti IV. §. 7.

§. 4. *Et insuper Franciscum, & eremitas prædictos, ac eorum quemlibet, eremitoriumque siue Ecclesiam S. Francisci huiusmodi, necnon omnia, & singula alia eremitoria, Ecclesias, & loca per eos in quibuscumque Ciuitatibus, & Diœcesibus, ac vbilibet hactenus recepta, & in posterum recipienda cum omnibus iuribus, & pertinentiis suis, eremitasque & personas in illis pro tempore degentes, ac res, & bona quæcumque mobilia, & immobilia ad Franciscum, & eremitas huiusmodi, & ad eorum quemlibet, ipsorumque loca, & eremitoria, seu Ecclesias quomodolibet communiter, vel diuisim spectantia, ab omni iurisdictione, dominio, & potestate, visitatione, correctione, & superioritate præfati Pyrrhi, & pro tempore existentis Archiepiscopi Consentinen. & aliorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Ordinariorum, Iudicum, ac Superiorum quorumcumque, etiam illorum, in quorum iurisdictione, Ciuitatibus, & Diœcesibus eremitoria, loca, Ecclesia, eremita, ac persona, res, & bona huiusmodi consisterent, & consistere possent quomodolibet in futurum, auctoritate, & scientia prædictis prorsus exemit, & totaliter liberauit, ac sub beati Petri, & Sedis prædicta, & Ecclesia Romana, ac sua protectione suscepit, & exempta, & immunia esse voluit, sibique ac successoribus suis Romanis Pontificibus, canonicè intrantibus, ac prædicta Sedi immediatè subiecit; ita quòd Archiepiscopi, Episcopi, Ordinarij, ac Iudices supradicti ratione delicti, seu contractus, aut rei, de qua ageretur, vbicumque committeretur delictum, vel iniretur, contractus, aut res ipsa consisteret, nullam in eremitoria, loca, Ecclesias, eremitas, & personas huiusmodi, ac res, & bona prædicta iurisdictionem, potestatem, aut dominium possent quomodolibet exercere, sed dumtaxat coram dicta Sede, vel eius Legatis eremita, & persona huiusmodi in locis, Ecclesiis, & eremitoriis præfatis pro tempore degentes tenerentur de iustitia respondere.*

§. 5. *Ipsisque omnibus, & singulis eremitis, & personis, locis, Ecclesiis, & eremitoriis huiusmodi, vt omnibus, & singulis priuilegiis, indulgentiis, concessionibus, gratiis, & indultis, cæterisque omnibus, & singulis in prioribus, & posterioribus suis, & dicti Pyrrhi Archiepiscopi literis, ac super eis habitis processibus prædictis contentis in quacumque Ciuitate, & Diœcesi, ac vbicumque, & in quocumque loco vti, & gaudere; ac omnia, & singula in literis, & processibus prædictis contenta, cuiusuis Superioris super his, aut aliquo præmissorum licentia minimè requisita, auctoritate Apostolica præfata liberè exercere possent, concessit, & indulsit; decreuitque omnes, & singulas excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliasque ecclesiasticas sententias, censuras, & pœnas, ac processus, quos, & quas contra eremitas, ac personas, Ecclesias, eremitoria, & loca huiusmodi, ac eorum quemlibet promulgari, & haberi contingeret, irritos, & inanes ac nullius existere firmitatis, vel momenti.*

Memorat dictam constit. 2. Sixti §. 8. & 10.

§. 6. Et

Alexand. VI. omnia priuilegia confirmauit. Vide supra in constit. 1. eiusdem, num. 4. 1. & 6.

§. 6. *Et successiuè pia memoria Alexander Papa VI. etiam prædecessor noster per quasdam in forma Breuis literas omnia, & singula priuilegia, indulgentias, immunitates, exemptiones, gratias, & indulta Francisco, & eremitis huiusmodi, ac eorum Ordini, & domibus, etiam ante institutionem ipsius Ordinis, dum adhuc eremitæ nuncuparentur, per eosdem Sixtum, & Innocentium prædecessores quomodocumque concessa auctoritate Apostolica præfata approbauit, & perpetuæ firmitatis robur obtinere decreuit. Et quia Sixtus prædecessor huiusmodi singula priuilegia, exemptiones, immunitates, indulta quæcumque Prædicatorum, Minorum, eremitarum S. Augustini, ac Carmelitarum, necnon aliis Mendicantium Ordinibus, & eorum cuilibet, ac illorum professoribus, & domibus, ac eorum Ecclesias visitantibus, quomodocumque concessa, ad Ordinem Minimorum huiusmodi extenderat. Idem Alexander prædecessor extensionem huiusmodi confirmauit, & si qua alia indulta, priuilegia, & gratiæ post datam extensionis huiusmodi, ab eodem Sixto, & sanctæ mem. Innocentio Papa VIII. etiam prædecessore nostro, vel ab ipso Alexandro eisdem Ordinibus Mendicantium, aut alicui eorum concessa erant, illa etiam ad eosdem eremitas, & fratres, ac illorum Ordinem, & domos extendit, & ampliauit, ac ipsis suffragari voluit in omnibus, & per omnia, ac si pro eisdem eremitis, & illorum Ordine huiusmodi emanassent. Deinde pro parte Francisci, & eremitarum, seu fratrum Ordinis Minimorum huiusmodi eidem Alexandro prædecessori exposito, quod ipse Franciscus Regulam, seu modum viuendi sui tertij Ordinis pro vtriusque sexus personis sub eadem Regula, seu modo viuendi pœnitentiam agere volentibus ediderat. Idem Alexander prædecessor Pyrrhi Archiepiscopi, ac Sixti, & Innocentij prædecessorum, ac suas literas huiusmodi, necnon omnia, & singula eis contenta, ac alia priuilegia, concessiones, immunitates, exemptiones, & indulta quæcumque eisdem fratribus Minimis, ac eorum Ordini, & domibus à Sede prædicta, vel eius Legatis, seu alias quomolibet facta, & concessa, necnon Regulam, seu modum viuendi tertij Ordinis huiusmodi pro vtriusque sexus personis, & in illius Capitulis contenta quæcumque cum suppletione defectuum per reliquas suas approbauit, & confirmauit, & pro potiori cautela Societatem pauperum quondam eremitarum huiusmodi in Ordinem fratrum Minimorum Francisci de Paula erexit, & singulas literas prædictas, & in eis contenta quæcumque necnon priuilegia, & indulgentias tam generales, quam speciales, concessiones, immunitates, exemptiones, & indulta quæcumque eisdem fratribus, ac eorum Ordini, & domibus à Sede præfata, & eius Legatis, seu aliàs quomodocumque facta, & concessa innouauit, & de nouo concessit, & Regulam, seu modum viuendi tertiariorum eiusdem Ordinis Minimorum laudauit, benedixit, approbauit, & confirmauit, ac normam, Regulam, seu modum viuendi tertiariorum huiusmodi per quascumque personas vtriusque sexus suscipi, ac pro pia in Christo Regula, & modo viuendi salutari, & commodo amplecti, & obseruari posse decreuit.*

Vide constit. 5. Iul. II. §. 7.

Vide constit. 1. Iul. §. 9.

Alexand. concessit fratribus nostris visitantibus eorum Ecclesiam indulgentias stationum.

Vide constit. 3. Iul. §. 11.

§. 7. *Ac etiam concessit, & indulsit, quòd omnes, & singuli Ordinis Minimorum huiusmodi fratres tunc præsentes, & futuri, qui singulis Quadragesima, & aliis cuiuslibet anni stationum temporibus aliquam ipsorum Ecclesiam, vel aliam, in qua eos pro tempore eum obedientiæ merito fore contigerit, visitarent, & inibi ante illius altare maius quinquies orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam deuotè recitarent, omnes, & singulas indulgentias consequerentur, & consequi possent, quas temporibus huiusmodi consequuntur visitantes Ecclesias stationum Vrbis, & alias extra illius muros, pro stationibus deputatas, quasque fratres ibi consequerentur, & consequi possent, si Ecclesias stationum huiusmodi eisdem temporibus personaliter visitarent. Instituit etiam, atque ordinauit, quòd liceret ipsis fratribus Minimis, à promissa paupertatis perfectione, puritateque non recedendo, & perpetuas, & temporales eleemosynas eis pro eorum, & Ecclesiæ necessitatibus sublenandis piè legatas, ac vtensilia, & oblationes quascumque cuiuscumque speciei existerent, seu existere possent, sub certis tunc expressis modo, & forma ad se recipere, & distribuere, ostiatimque mēdicare, ac in qualibet ipsorum Ecclesia tam constructa, quàm construēda cippum, seu trūcum ad quotidianas deuotorū, eleemosynas commodè reponendas vbique habere.*

Vide constit. Iul. II. §. 12.

Memorat. const. 1. Iul. II. §. 14.

§. 8. *Et postremò similis mem. Iulius Papa II. etiam prædecessor noster per quasdam eidem Francisco directas literas omnia, & singula priuilegia, gratias, concessiones, immunitates, libertates, exemptiones, ac indulta prædicta, quibus præfati quatuor Mendicantium Ordines, ac illorum persona in genere vtebantur, potiebantur & gaudebant, seu vti, potiri, & gaudere poterant quomodolibet futurum, Ordini Minimorum, ac illius personis, & fratribus huiusmodi concessit, ac, illius Ordo Minimorum, & illius persona, ac fratres huiusmodi vterentur, potirentur, & gauderent, ac vti, potiri, & gaudere liberè, & licite valerent, approbauit, & sui scripti patrocinio communiuit; dictisque fratribus Minimis, vt de dictis priuilegiis, & indultis fidem facere possent, quòd sumpta ex Camera Apostolica super singulis priuilegiis, concessionibus, gratiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, & indultis huiusmodi præfatis quatuor Mendicantium Ordinibus per quoscumque Romanos Pontifices, & Sedem præfatam concessis, & in posterum concedendis, habere, & illa, ac literas Apostolicas, eas, & ea quomodolibet concernentes, necnon literas suas huiusmodi per ipsius Ca-*

mera Auditorem, & quoscumque alios iudices ordinarios ritè transumptars, & authenticars facere valerent, & postquam transumptata, & authenticata forent, illis, ac suis, & aliis literis huiusmodi super dictis priuilegiis, cōcessionibus, gratiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, & indultis ad instantiam quatuor Ordinū Mendicantium, & personarum, ac fratrum eorumdem, aut aliquorum ex eis iam ritè factis, & transumptatis, ea prorsus fides adhiberetur, vbi forent exhibita, vel ostensa, ac si sua, & alia litera huiusmodi tunc exhiberentur, ac priuilegia gratia, concessiones, immunitates, libertates, exemptiones, & indulta prafata Ordini Minimorum, ac illius personis, & fratribus huiusmodi concessa, & in eis Ordo Minimorum, ac illius fratres, & persona huiusmodi specialiter, & nominatim expressi fuissent, ac pro eis principaliter emanassent.

Vide dictā 1. const. Iulij, §. 15.

Quodque de cætero famuli domorum Ordinis Minimorum huiusmodi, necnon cæteri eiusdem Ordinis habitum portantes, & in articulo mortis in dictis domibus sepulturam eligentes, omnibus, & singulis priuilegiis Ordini Minimorum huiusmodi quomolibet concessis gaudere valerent, indulsit.

Vide dictā constit. §. 16.

Ac quòd fratres Ordinis Minimorum huiusmodi in vigesimo secundo sua ætatis anno tunc, & pro tempore constituti ad presbyteratus ordinem, alias tamen ritè, se promoueri facere possent. Necnon loca, & Oratoria quacumque eatenus vbilibet recepta pro eorum perpetuis vsu, & habitatione vigore concessionis ipsius Sixti prædecessoris ipsius retinere, construere, ac ædificare, seu construi, ac ædificari facere absque alia desuper facienda noua concessione Apostolica:

Vide ibid. §. 20.

Et quòd deinceps Ordinis Minimorum huiusmodi Conseruatores, quoties opus foret, eidem Ordini Minimorum, ac illius personis, & fratribus in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, ne aliqui, cuiuscumque nobilitatis, aut dignitatis existentes, Ordinis Minimorum huiusmodi fratres alicubi in aliquo damnificare, molestare, perturbare, aut inquietare vllatenus auderent, sub excommunicationis lata sententia pœna inhibere possent.

Vide eandem 1. cōstit. Iul. §. 22.

Quòdque Ordinis Minimorum Generalis, & Vigiles, ac Prouinciales, eorumque vices gerentes omnes, & singulas eiusdem Ordinis Minimorum Ecclesias, Cœmeteria, Capitula, Oratoria vbicumque receptas, seu recepta, & recipiendas, seu recipienda solemni benedictione benedicere, ac etiam illas, seu illa, & eorum quodlibet sanguinis, siue seminis effusione, siue aliàs quomodocumque pollutas, siue polluta, quoties opus foret, aqua tamen priùs per aliquem catholicum Antistitem, vt moris est, benedicta, reconciliare:

Vide eandem 1. const. Iulij. §. 24.

Ac singula Ordinis Minimorum huiusmodi Tertiarias, prout ipsius Ordinis Minimorum Fundatrices, etiam cum earum vtriusque sexus liberis procreatis, & procreandis, omnibus, & singulis eiusdem Ordinis Minimorum priuilegiis, gratiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, indultis, concessionibus, & indulgentiis vti, potiri, & gaudere valerent, licentiam, & facultatem concessit, pariter, & indulsit.

§. 9. *Et successiuè pro parte præfati Francisci eidem Iulio prædecessori exposito, quòd ipse Regulam sororum eiusdem Ordinis ad instar Regula fratrum Minimorum huiusmodi de nouo ediderat, & instituerat, ac Regulam sororum dicti Ordinis Minimorum irrefragabiliter appellari, ac per ipsum Iulium prædecessorem benedici, approbari, & confirmari cupiebat. Idem Iulius prædecessor per alias suas Regulam huiusmodi cum defectuum suppletione approbauit, & confirmauit, ac ipsam Regulam sororum eiusdem Ordinis Minimorum perpetuò irrefragabiliter nuncupari voluit.* Memorat eandem constitut. Iulij §. 36.

§. 10. *Et deinde idem Iulius prædecessor tunc Episcopo Parisiensi per alias suas in forma Breuis literas mandauit, quatenus dicti Ordinis Minimorum Conseruator esset, & quoties opus foret, Ordini Minimorum, ac illius personis, & fratribus huiusmodi in præmissis efficacis defensionis præsidio assisteret, & non permitteret, quòd aliqui, cuiuscumque dignitatis, aut nobilitatis existerent, fratres Ordinis Minimorum huiusmodi alicubi in aliquo damnificare, molestare, perturbare, aut inquietare vllatenus auderent, nec eos de cætero super sepulturis, & corporibus illorum, qui in eiusdem Ordinis Minimorum Ecclesiis sepeliri eligerent pro tempore, impedire præsumerent, sub excommunicationis lata sententia pœna inhiberet, ac Ecclesias, ad quas corpora defunctorum, qui in Ordinis Minimorum huiusmodi Ecclesiis iuxta ordinationem ipsorum defunctorum sepeliri deberent, deferrentur, ecclesiastico supponeret interdicto, donec corpora ipsa eisdem fratribus Minimis in domorum Ordinis Minimorum huiusmodi Ecclesiis restituerent.* Memorat eandem constitut. §. 27.

§. 11. *Et postremò idem Iulius prædecessor eiusdem Francisci supplicationibus per reliquas suas sub plumbo literas Pyrrhi Archiepiscopi, & Goffredi Episcopi S. Marci, ac Sixti, & Alexandri prædecessorum prædictorum, ac suas literas præfatas, necnon omnia, & singula in eis contenta approbauit, innouauit, & confirmauit, ac sui scripti patrocinio communiuit, illaque omnia, & singula Francisco, & aliis Ordinis Minimorum huiusmodi fratribus, & personis, ac illorum Ecclesiis, domibus, & locis constructis, & construendis sub Minimorum nomine de nouo concessit, & indulsit. Ac pro potiori cautela omnia, & singula in dictis literis quomodolibet contenta, etiam quò ad hoc, vt Franciscus, & alij Ordinis Minimorum huiusmodi fratres pro tempore existentes, tam quatuor Mendicantium, quàm aliorum quorumcumque, quantumcumque priuilegiatorum Ordinum, quascumque religiosas personas ad se venientes, & habitum per eos gestari solitum sumere volentes, primitùs,* Memorat eandem constitut. §. 29. & 10. Vide §. 31

mitùs verbo, vel scripto à suis immediatis Superioribus, per se, vel per interpositam personam petita licentia, quamvis non obtenta, ad Minimorum Ordinem, & habitum huiusmodi
Vide §.32. recipere: Necnon confessiones quarumcumque personarum, tam religiosarum, quàm ecclesiasticarum, & sæcularium ubilibet audire, & illis auditis, personas ipsas, & earum quamlibet iuxta formam, & tenorem priuilegij per præfatum Sixtum prædecessorem Ordini Minimorum huiusmodi, ac illius personis, & fratribus dudum concessi, & confirmati absoluere, & pœnitentiam salutarem illis iniungere valerent:
Vide §.33. Necnon Ordinis Minimorum huiusmodi Ecclesiæ, Oratoria, domus, & loca, tam recepta, quam recipienda, tanquam Sedis, & Ecclesiæ Romanæ huiusmodi specialia Oratoria, Ecclesia, domus, & loca, cum omnibus iuribus, & pertinentiis suis prorsus ab omni decimarum & oblationum solutione, seu iurisdictione perpetuò libera essent, & esse censerentur, ac sub beati Petri, & dictæ Sedis, ac sua protectione immediatè subiacerent: Ipsiusque Ordinis Minimorum fratres pro tempore existentes de hortis, & virgultis, & aliis quibuscumque bonis Ordini Minimorum huiusmodi, & illius domibus, & Ecclesiis pro tempore relictis, & legatis, ac super luminaribus, & aliis rebus diuino cultui pro tempore dedicatis decimas, aut oblationes aliquas, etiam ex noualibus, vel quartam ex funeralibus soluere minimè tenerentur, nec ad id à quoquam, cuiuscumque nobilitatis, aut dignitatis existeret, valerent quomodolibet coar-
Vide §.34. ctari: Quódque Ordini Minimorum huiusmodi, ac illius personis, & domibus per eundem Sixtum prædecessorem sub eremitarum nomine dudum concessa priuilegia, sub ipsius prædecessoris nomine, mutatis in eis nominibus eremita, ac eremitarum, in Minimi, ac Minimorum, ac eremitorij, & eremitoriorum, in domorum Ordinis Minimorum huiusmodi nomina, cæterisque singulis ad hunc effectum de necessitate mutandis, innouata, & mutata essent, & esse
Vide §.35. censerentur. Necnon super omnibus, ac singulis Maris magni, & aliis quibuscumque bullis quatuor Mendicantium Ordinibus, & eorum cuilibet quomodolibet concessis, unam, vel plura transumpta coniunctim, vel diuisim fieri facere possent perinde, ac si illa, mutatis in eis nominibus quorumcumque Romanorum Pontificum prædecessorum suorum, & ipsorum Mendicantium, in ipsius prædecessoris, & fratrum Ordinis Minimorum huiusmodi nomina, cæterisque singulis ad huiusmodi effectum de necessitate mutandis, concessa forent. Ac quòd transumptum, seu transumpta huiusmodi taliter facta, & manu alicuius Notarij publici subscripta, ac sigillo alicuius Prælati ecclesiastici sigillata, Ordini Minimorum huiusmodi, ac illius personis, & fratribus pro tempore existentibus, ubique locorum suffragarentur perinde, ac si singula prædicta bulla præfatis quatuor Mendicantium Ordinibus per quoscumque prædecessores prædictos quomodolibet concessa, fratribus ipsis Minimis, & eorum Ordini præfato sub Minimorum nomine specialiter, & expressè indulta fuissent, ac pro eis principaliter emanassent. Quodque Sanctæ Vide §.36. Trinit. tunc ad Ecclesiam S. Stephani Giemmi, & S. Rochi tunc ad Monasterium S. Saturnini Tholosan. Ordinis S. Augustini pleno iure spectantes Ecclesias, ac illorum domos, necnon reliquiam S. Blasij per tunc Dominam de Borbon, ac tunc Episcopum Gratianopolitanum, etiam tunc dicti Monasterij Abbatem, necnon omnia, & singula alia, Oratoria, Ecclesias, reliquias, domos, loca, Conuentus, & bona in Gallia, Calabria, Sicilia, Hispania, Bohemia, & aliis Regnis, ac Italia, Picardia, Aquitania, Patrimonij, Paulen. & Paterna, aliisque Prouinciis, Ciuitatibus, & locis quibuscumque Ordini Minimorum, ac illius personis, & fratribus præfatis quomodocumque concessa, & per Franciscum, & alios fratres Ordinis Minimorum huiusmodi vigore priuilegij Sixti prædecessoris prædicti recepta, & per eos earenus possessa absque alia noua concessione Apostolica perpetuò pacificè possidere valerent, ac super illis, aut aliquo eorum à quoquam molestari nequirent. Et quòd fratres ipsi Minimi in eorum Ecclesiis con- Vide §.37. structis, & construendis curialibus, mercatoribus, peregrinis, ac transeuntibus, & aliis quibuscumque personis Eucharistiæ sacramentum, quoties opus foret ministrare, ac ministrari facere: Necnon eiusdem Ordinis Minimorum fra- Vide §.39. tres, sorores, & oblati necnon utriusque sexus Christi fideles tertij Ordinis Minimorum huiusmodi, ac eiusdem ordinis Conseruatores per fratres Ordinis Minimorum huiusmodi pro tempore capitaliter electi, ac Tutores, & Tutrices Fundatores, & Fundatrices, Procuratores, & Procuratrices, ac eorum utriusque sexus liberi procreati, & procreandi semel in vita, & in morte, sicut ac quæcumque persona in dicto Ordine Minimorum de cætero recipienda in earum ingressu plenariam omnium peccatorum suorum veniam, & indulgentiam plenè, ac integrè consequerentur, & consequi possent. Ac tam iam Vide §.40. constructa quam alia quæcumque sororum secundi Ordinis Minimorum huiusmodi de cætero ubicumque construenda, & ædificanda domus, ac Ecclesia, omnesque prænominata persona ad eumdem Ordinem Minimorum quomodolibet spectantes omnibus priuilegiis, immunitatibus, indulgentiis, facultatibus, libertatibus, indultis, exemptionibus, fauoribus, & gratiis Ordini Minimorum huiusmodi, ac illius fratribus, & domibus per eorundem Sixti, & Alexandri prædecessorum, ac suas literas huiusmodi quomodolibet concessis uti, potiri, & gaudere possent, ac si illa omnia eis expressè concessa fuissent, de nouo indulsit, extendit, & ampliauit, prout in singulis literis prædictis pleniùs continetur.

§. 12. *Cum autem, sicut dilecti filij moderni Generalis, & Zelosus Ordinis fratrum Minimorum huiusmodi nobis nuper exponi fecerunt, ea firmiora censeantur, quæ eiusdem Sedis confirmatione sæpius roborantur, idem Generalis, & Zelosus nobis humiliter supplicari fecerunt, vt prædictis priuilegijs, immunitatibus, indulgentijs, facultatibus, libertatibus, indultis, exemptionibus, fauoribus, concessionibus, & gratijs, necnon singulis Sixti, Alexandri, & Iulij prædecessorum huiusmodi literis nostræ approbationis robur adijcere, aliàsque in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.*

Cõfirmat omnia dicta priuilegia.

§. 13. *Nos igitur ad fructus vberes, quos Ordo fratrum Minimorum huiusmodi in agro militantis Ecclesiæ producere non cessat, debitum respectum habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, prædicta omnia, & singula priuilegia, immunitates, indulgentias, facultates, libertates, indulta, exemptiones, fauores, & gratias eidem Ordini fratrum Minimorum, ac illius Ecclesijs, domibus, & personis, tam in genere, quam in specie per eosdem prædecessores, vt præfertur, concessa, necnon prædecessorum huiusmodi desuper confectas literas, quarum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, inserti forent, præsentibus pro expressis haberi volumus, ex certa scientia nostra, Apostolica auctoritate, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, ac illis perpetuæ firmitatis robur adijcimus, eaque perpetuis futuris temporibus inuiolabiliter obseruari debere, ac Generali, Zeloso, fratribus, & personis Ordinis Minimorum huiusmodi, necnon alijs quibuscumque, quos illa concernunt, suffragari.*

Tollit facultatem aliter iudicandi.

§. 14. *Et sic per quoscumque iudices, quauis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi auctoritate, & facultate, iudicari, & diffiniri debere.*

Decretum irritans.

§. 15. *Necnon quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.*

Extendit prædicta priuilegia ad Conuẽtus receptos, & recipiendos.

§. 16. *Necnon priuilegia, immunitates, indulgentias, facultates, libertates, indulta, exemptiones, fauores, & gratias huiusmodi, modo, & forma, quibus concessa sunt, ad domos, & loca quæcumque dicti Ordinis fratrum Minimorum hactenus recepta, & in posterum recipienda extendimus, & ampliamus.*

Deroga contrariis.

§. 17. *Non obstantibus præmissis, ac quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, etiam generalis Concilij Lateranen. vltimò celebrati, ac Ordinum prædictorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, necnon omnibus, quæ singuli prædecessores præfati in suis literis prædictis voluerunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.*

Transumptis idem adhiberi iubet.

§. 18. *Cæterum quia difficile foret præsentes literas ad quæcumque loca, vbi illæ necessariæ fuerint, afferre, volumus, & præfata Apostolica auctoritate decernimus, quòd earundem præsentium literarum transumptis, manu Notarij publici subscriptis, ac sigillis alicuius Prælati ecclesiastici munitis, ea prorsus in iudicio, & extra fides plenaria adhibeatur, ac illis stetur in omnibus, & per omnia sicut ipsis originalibus literis adhiberetur, & staretur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.*

Datum Romæ, apud sanctum Marcum, sub annulo Piscat. die 25. Iulij, 1540. Pontif. nostri anno 6.

CONSTITVTIO II.

Quâ concedit visitantibus Capellam S. Francisci de Paula Conuentus S. Aloysij Neapolis, omnes indulgentias, quas Leo X. supra, constit. eius 8. concesserat visitantibus Ecclesiam SS. Trinitatis de Vrbe.

PAVLVS PAPA III.

Proœmium.

SVpra gregem dominicum, nostræ vigilantiæ diuinitùs creditum, prout nobis desuper conceditur, intenti, exercentes speculatoris officium, ad ea, per quæ animarum saluti consulitur, & vt illæ demum lucrifiant, nostri ministerij partes solertiùs impertimur.

Memorat constit. 8. Leonis X. §. 1.

§. 1. *Nuper siquidem nobis pro parte dilectorum filiorum Correctoris, & fratrum domus S. Aloysij prope, & extra muros Neapolis Ordinis fratrum Minimorum S. Francisci de Paula exposito, quòd aliàs fel. rec. Leo Papa X. prædecessor noster, omnibus, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus Ecclesiam SS. Trinitatis in monte Pinceo de Vrbe Ordinis prædicti singulis diebus à medietate Quadragesimæ, vsque ad, & per totam octauam Paschæ Resurrectionis D.N. Iesu Christi annuatim deuotè visitantibus, & ibidem in honorem eiusdem SS. Trinitatis ter orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam recitantibus, easdem indulgentias, & peccatorum remissiones per suas sub plumbo literas concesseras, & elargitus fuerat, quas, si alias almæ Vrbis nostræ, & extra eam pro stationibus visitari solitas, necnon B. Mariæ de Populo Ecclesias singulis diebus eisdem visitarent, consequerentur.*

Memorat aliam suá constitut. quam hic non habet.

§. 2. *Nos tunc cupientes, vt Ecclesia dicta domus S. Aloysij, & Capella S. Francisci de Paula in ea constructa in debita veneratione habeatur, & à Christi fidelibus congruis frequentetur honoribus, ipsique Christi fideles eò libentiùs deuotionis causa ad Ecclesiam domus S.*

Aloysij

Aloysij huiusmodi confluerent, & Capellam ipsam visitarent, quo exinde pro animarum suarum salute maiora spiritualia dona adipisci posse cognoscerent; omnes, & singulas indulgentias, & peccatorum remissiones per eundem Leonem prædecessorem Ecclesiam SS. Trinitatis huiusmodi diebus prædictis visitantibus, vt præfertur, concessas, omnibus, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, seu statutis à iure temporibus confitendi propositum habentibus, qui eisdem diebus Ecclesiam S. Aloysij, & Capellam prædictam perpetuis futuris temporibus visitarent, & ter orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam deuotè recitarent, per alias nostras literas in forma Breuis concessimus, & elargiti fuimus, prout in iisdem literis pleniùs continetur.

Memorat dictam constitut. Leonis X. §. 1. & 2.

§. 3. *Cum autem, sicut accepimus, idem Leo prædecessor Christi fidelibus præfatis, qui etiam præfatam Ecclesiam SS. Trinitatis, & etiam in singulis diebus Dominicis cuiuslibet Quadragesimæ, ac in Resurrectionis, & Ascensionis D.N. Iesu Christi, necnon Pentecostes, ac eiusdem SS. Trin. ac Natiuitatis eiusdem D.N. Iesu Christi festiuitatum diebus, à primis vesperis singularum Dominicarum, & festiuitatum, seu dierum huiusmodi, vsque ad occasum Solis cuiuslibet earum deuotè visitarent, ac similiter ibidem in honorem SS. Trinit. ter orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam deuotè recitarent, annuatim singulis earundem Dominicarum, & festiuitatum diebus huiusmodi plenariam, & veram omnium peccatorum suorum remissionem, & indulgentiam concesserit, & largitus fuerit; Alijs verò singulis Dominicis diebus cuiuslibet respectiuè anni Ecclesiam ipsam modo prædicto visitantibus annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentijs misericorditer in Domino relaxauerit, prout etiam in eisdem literis pleniùs continetur.*

Concedit indulgentias prout in summario.

§. 4. *Nos cupientes, vt deuotio fidelium ad Capellam ipsam feruentiùs inualescat, & animarum salus ampliùs propagetur, de omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, plenariam Christi fidelibus in singulis dictis cuiuslibet Quadragesimæ, ac Natiuitatis, Resurrectionis, & SS. Trinitat. festiuitatum diebus, necnon triginta annorum, & totidem quadragenarum in aliis diebus Dominicis cuiuslibet anni, necnon omnes, & singulas alias, quas haberi volumus pro expressis, indulgentias, & peccatorum remissiones, tam per priores prædictas, quàm per quascumque alias literas ab eodem Leone prædecessore Christi fidelibus Ecclesiam SS. Trinit. quibuscumque aliis diebus, & temporibus visitantibus, & quibusuis modis, & formis nullis prorsus exceptis, quomodolibet concessas, ad Capellam prædictam, ita quòd omnes, & singuli Christi fideles præfati pœnitentes, & confessi, seu propositum confitendi, vt præfertur, habentes, dictam Capellam singulis diebus Dominicis cuiuslibet Quadragesimæ, ac Natiuitatis, Resurrectionis, Ascensionis D. N. Iesu Christi, necnon Pentecostes, & SS. Trinit. festiuitatum diebus, à primis vesperis singularum Dominicarum, & festiuitatum, seu dierum huiusmodi, vsque ad occasum Solis cuiuslibet earum deuotè visitantes, ac inibi ter orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam recitantes, plenariam, & veram omnium peccatorum suorum: singulis verò aliis Dominicis diebus cuiuslibet anni triginta annorum, & totidem quadragenarum: Aliis autem temporibus, & diebus prædictis visitantes, omnes, & singulas alias indulgentias, & plenarias peccatorum remissiones consequantur, quas consequerentur, & consequi possent, si Dominicis, & festiuis aliis diebus, & temporibus supradictis præfatam Ecclesiam SS. Trinit. personaliter visitarent, & inibi orationem Dominicam, & salutationem Angelicam, vt præmittitur, recitarent, auctoritate Apostolica tenore præsentium extendimus, & ampliamus, illasque concedimus, & elargimur.*

§. 5. *Et, vt Christi fideles præfati indulgentiarum huiusmodi commodiùs participes esse possint, Correctori pro tempore existenti, & fratribus domus S. Aloysij huiusmodi confessores religiosos dicti Ordinis, qui eosdem Christi fideles ad Capellam prædictam pro huiusmodi indulgentiis consequendis festiuitatum, & Dominicarum Quadragesimæ diebus prædictis cuiuslibet anni, & à medio Quadragesimæ, vsque ad octauam Paschæ inclusiuè etiam cuiuslibet anni singulis diebus accedentes in eorum confessionibus, ac, illis diligenter auditis, ipsos, & illorum singulos à quibusuis casibus, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, exceptis contentis in literis Cœnæ Domini legi solitis, absoluere, & eis pro commissis per eos delictis pœnitentiam salutarem iniungere possint, deputandi auctoritate, & tenore prædictis facultatem concedimus.*

Facultas deputandi confessores cum potestate absoluendi.

§. 6. *Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusuis reuocationibus, & suspensionibus similium, vel dissimilium indulgentiarum pro tempore factis, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat, &c. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarnat. Domin. 1539. quarto Non. Iulij, Pontif. nostri anno 5.*

Derogat contrariis.

§. I.

1. NOto, quòd meo videri in relatione facta Pontifici sunt duo errores. 1. est, quod dicitur, Conuentum S. Aloysii esse prope, & extra muros Neapolis, nam, vt audio, est intra Ciuitatem in nobilissimo loco, vicino Palatio Viceregis. Nisi fortè extensi sint muri illius Ciuitatis post istam concessionem, & sic Conuentum nostrum extra muros existentem intus incluserint. Sed hic error essentialis non est, nec sufficeret ad vitiandam concessionem.

nem. 2. est, quòd dicitur, Leonem X. concessisse visitantibus Ecclesiam SS. Trinitatis omnes indulgentias, & peccatorum remissiones, quas lucrantur visitantes Ecclesias intus, & extra muros Romæ diebus stationum. Quod non inuenio dictum Leonem concessisse, vt patet ex eius bulla 8. in qua solum conceduntur indulgentiæ S. Mariæ de Populo. Nisi fortè dicamus, quòd Leo per alias suas literas id concesserit, quas ego non viderim.

§. II.

2. NOta circa illa verba *peccatorum remissiones*, quòd indulgentia per se non valet ad remissionem peccati, & est certum de fide. Et ratio est; nam peccatum non remittitur, nisi vel per contritionem, vel per sacramentum pœnitentiæ. Indulgentia autem nihil horum est, ergo. Antecedens est certum ex Trid. *sess. 6. de iustif. c. 4. & sess. 7. de sacram. in genere, canon.* 4. vbi dicitur *Sine sacramentis, aut eorum voto, neminem posse iustificari.* Ita Filliu. *tom. 1. tract.* 8. *cap. 7. num.* 181. Cord. *in suo quæst. theol. lib. 5. quæst.* 8. *propos. vn.* Neque solùm non potest indulgentia remittere peccatum mortale, sed nec etiam veniale, vt Filliuc. *num.* 183. nam veniale ordinariè non potest deleri sine actu hominis, quo prior voluntas aliquo modo mutetur, at per indulgentiam non datur homini talis actus contra peccatum veniale, Quando ergo dicitur hic, & alibi, Conceditur indulgentia, & remissio peccatorum, intelligitur per peccatorum ibi, pœnarum peccatis debitarum; peccatum enim in scriptura sæpe accipitur pro pœna peccati, 1. Pet. 2. *Peccata nostra ipse pertulit*, idest. Pœnam nostris peccatis debitam, Et 2. *Machab.* 12. dicitur: *Vt à peccatis soluantur*, idest à pœnis, loquitur enim de animabus Purgatorij, quæ culparum expertes sunt. Et quando dicitur, quod conceditur indulgentia à culpa, & à pœna, intelligitur, quod ibi remittitur culpa, non ratione indulgentiæ, sed ratione contritionis, vel sacramenti, quæ prærequiruntur ad consequendum effectum indulgentiæ. Vel etiam potest intelligi, quod quando conceditur indulgentia, quæ absoluat à culpa, & pœna, datur per istam formam facultas, vt volens eam indulgentiam lucrari, possit absolui sacramentaliter ab omni peccato quo ad culpam, etiam de reseruatis. Ita Cord. *loc. cit.* qui dicit, talem esse stylum Curiæ; Non datur tamen per istum modum facultas absoluendi à censuris, nisi specialiter exprimatur.

3. Nota hic etiamobiter quod indulgentia per modum suffragij, est dispensatio, seu communicatio thesauri indulgentiarum, auctoritatiuè facta per Prælatum Ecclesiæ, pendens quo ad suum fructum, seu effectum remissionis pœnarum, à sola liberali, & gratuita Dei acceptatione. Ita Cordub. *in suo quæst. theol. lib. 5. de indulg. cap. 15. opin.* 4.

§. IV.

4. NOta, quod hic Pontifex omnes, & singulas indulgentias concessas visitantibus Ecclesiam SS. Trinitatis, extendit, & de nouo concedit visitantibus Capellam S. Francisci de Paula iisdem diebus. Quare in nostris Ecclesiis diebus prædictis habentur indulgentiæ, & ad altare maius, & ad Capellam S.P.N. Francisci de Paula; quas indulgentias puto omnino esse distinctas. Leo enim concedit visitantibus Ecclesiam Trinitatis, & ante altare maius dicentibus ter Pater noster indulgentiam. Iste Pontifex concedit hanc eandem indulgentiam visitantibus Capellam S. Francisci. Nec te turbent verba illa §. 2. *Qui eisdem diebus Ecclesiam S. Aloysij, & Capellam prædictam*, quasi ad lucrandam dictam indulgentiam velit, vt visitetur simul altare maius, & Capella prædicta: Nam, præterquàmquod nihil de nouo concederet, & priuilegia semper sunt interpretanda, vt aliquid de nouo concedant; *cap. Si Papa, de priu. in 6.* videretur imponere volentibus lucrari dictam indulgentiam nouum onus; qui enim visitant altare maius per concessionem Leonis eam indulgentiam lucrantur. Si iste Pontifex ad eandem lucrandam addit dictam Capellam cum dictis tribus Pater noster, onus nouum imponit, & non priuilegium concedit. Addo quòd particula, *&*, quæ communiter est coniunctiua, sæpe ponitur pro, *Seu* quæ est disiunctiua, Tulch. *verbo Dictio, concl.* 254. *num.* 3. Et in disiunctiuis, seu alternatiuis sufficit alterum verificari, Tulch. *ibid. concl.* 268. Et ad mentem legislatoris potiùs est attendendum, quàm ad verba, mens autem constat clare ex hoc §. 4. vbi nulla mentio fit de visitantibus Ecclesiam S. Aloysii, sed solùm conceduntur indulgentiæ visitantibus Capellam S. Francisci.

§. V.

5. NOta, quòd concedit facultatem Correctoribus in diebus indulgentiarum deputandi confessores nostri Ordinis, qui accedentes ad lucrandas dictas indulgentias possint absoluere ab omnibus casibus, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, exceptis contentis in bulla Cœnæ. Quæ concessio adhuc est in suo robore; & possunt dicti confessores absoluere ab omnibus casibus dictos accedentes, præterquam à septem; de quibus dixi *in appendice tom. 1. Relig. pag.* 685.

6. Nota hic, quòd licet *supra in const. 2. Leonis X. §. 2. n.* 3. dixerim, dictos confessarios deputatos dictis diebus non posse absoluere à casibus episcopalibus, vt *in dicto.* §. 2. concedebatur, probabiliter tamen potest defendi, quòd possint etiam ab episcopalibus absoluere: Nam qui obseruationem legis ad tempus ex priuilegio quo ad vnum effectum suspendit, illam etiam eo tempore dicitur obseruare. Qua ratione vtitur Henriq. *lib. 13. cap. 48. num.* 1. ad probandum, quod priuilegia Regularium concedentia suspensionem interdicti in certis diebus, non sunt reuocata per Concil. Trid. *sess. 25. de regul. cap.* 12. Vnde cum casus videatur omnino similis, pro ista opinione adduco omnes Doctores, quos adduxi *supra, in const. 2. Sixti IV. num.* 51. Ad decretum Clem. VIII. de prohibitione absoluendi à casibus episcopalibus, dic, quòd loquitur de prohibitione generali absoluendi à dictis casibus, & sic derogat ea priuilegia, quæ dictam generalem absolutionem concedebant; cum qua tamen stat, quòd possint Minimi in aliquibus diebus anni à dictis casibus absoluere. Et hic etiam aduerte quòd dictum decretum Clem. non habet vim nisi in Italia, & extra Vrbem, vt ex illo constat. Vnde in aliis partibus mundi poterunt Correctores nostri diebus indulgentiarum prædictarum confessarios deputare, qui etiam poterunt absoluere à casibus episcopalibus.

7. Et aduerte, quòd possunt dicti Correctores ad hoc munus explendum deputare non solùm sacerdotes professos, sed etiam nouitios, vt docent Henriquez *lib. 7. cap. 22. num.* 7. & Suarez *tom. 4. de Religion. tractat. 3. lib. 9. capit. 1. numero* 18.

CONSTITV

CONSTITVTIO III.

Quâ mandat sub pœnâ excommunicationis post debitam monitionem ipso facto incurrenda, vt extra Ordinem degentes in locis, in quibus non sunt Conuentus Ordinis nostri, non deferant caputium nostro simile.

PAVLVS PAPA III.

Vniuersis, & singulis venerab. fratrib. Patriarchis, Archiepiscopis, Episcop. ac dilectis filiis Abbatibus, & aliis Ecclesiarum; necnon metropolitanarum, & aliarum cathedralium Ecclesiarum Canonicis, ac eorumdem Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum Officialibus, seu Vicariis in spiritualibus generalibus, & eorum cuilibet sal. & Apost. bened.

Supplicatio. §. 1. *CVM, sicut dilecti filij generalis, & prouinciales Correctores, ac Zelosus Ordinis fratrum Minimorum S. Francisci de Paula nobis nuper exponi fecerunt, diuersi ipsius Ordinis professores post emissam ab eis in ipso Ordine professionem, diuersis prætextibus ab obedientia suorum Superiorum se subtrahant, & cum habitu eiusdem Ordinis, illius regularem obseruantiam contemnendo, soli per plateas, & vicos ad eorum libitum discurrant: Necnon priuilegiis, gratiis, & libertatibus præfato Ordini à Sede Apostolica concessis abutantur, ac diuersis mediis alios ipsius Ordinis professores sub obedientia suorum Superiorum degentes, in eorum societatem, ac consimilem vitam trahere satagant, in grauem Dei offensam, & animarum periculum, ac professorum sub obedientia degentium maximam perturbationem, necnon scandalum plurimorum: Correctores, & Zelosus prædicti nobis humiliter supplicari fecerunt, vt præmissis occurrere, aliásque opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.*

Mandat Commissariis designatis, vt exequantur prout in summario. §. 2. *Nos igitur eorumdem Correctorum, ac Zelosi in hac parte supplicationibus inclinati, vobis per præsentes committimus, & mandamus quatenus vos, vel duo, aut vnus vestrum per vos, vel alium, seu alios omnes, & singulos dicti Ordinis professores, qui post emissam ab eis in ipso Ordine professionem quocumque prætextu se ab obedientia suorum Superiorum hactenus subtraxerunt, vel in posterum subtrahent, extra loca, & domos eiusdem Ordinis degendo, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna per eos, nisi monitionibus vestris paruerint, eo ipso incurrenda, à qua non nisi per Romanum Pontificem pro tempore existentem, aut in mortis articulo constitati absolui possint, auctoritate nostra moneatis, & requiratis, prout etiam eos harum serie monemus, & requirimus, quatenus infra terminum per vos eis arbitrio vestro præfigendum, capusium cæteris caputiis per ipsos professores gestari solitis aliquantò breuius, ita quòd solùm ad medium pectoris extendatur, vt ab aliis ipsius Ordinis professoribus sub obedientia degentibus dignosci possint, gestare debeant cum effectu: Et, si monitionibus, & requisitionibus vestris huiusmodi non paruerint, elapso termino prædicto, eos excommunicationis sententiam, huiusmodi incidisse, & incurrisse declaretis. Et nihilominus, legitimis super his habendis seruatis processibus, eandem excommunicationis sententiam etiam iteratis vicibus, prout expediens fuerit, aggrauare curetis, inuocato etiam, vt monitionibus nostris huiusmodi pareatur, si opus fuerit, auxilio brachij secularis.*

§. 3. *Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusuis literis per eosdem professores extra domos, & loca huiusmodi degentes super subtractione sui ab obedientia Superiorum suorum, etiam à dicta Sede sub quibuscumque verborum formis, & expressionibus, ac quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus, & insolitis clausulis irritantibus quoque & aliis decretis, etiam in forma Breuis pro tempore obtentis, quas, illarum tenores præsentibus pro expressis habentes, nemini aduersus præsentes suffragari posse decernimus, cæterisque contrariis quibuscumque.* Derogat contrariis.

§. 4. *Et quia difficile foret præsentes literas ad singula loca, in quibus de eis forsan facienda erit fides, deferre, volumus, & auctoritate Apostolica decernimus, quòd ipsarum transumptis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ ecclesiasticæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, in iudicio, & alibi, vbi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ, præsentibus, perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscat. die 6. Augusti, 1539. Pontific. nostri anno 5.* Transumptis fidem adhiberi iubet.

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1. NOto 1. quòd ista constitutio fuit impetrata ad instantiam Capituli generalis Bononiæ
1. celebrati *num.* 29. vbi dicitur: *Visum est Patribus Capituli quòd Generalis, & Zelosus futuri nitantur impetrare Breue, quo illi, qui Ordinem reliquerint, & habitum nihilominus Religionis detulerint, cogantur habitum dimittere, vel notabiliter distinctum portare.*

2. Noto 1. quòd ista constitutio non loquitur propriè de apostatis: Nam contra apostatas adsunt supra

pta multæ constitutiones; sed de iis, qui postquam professionem fecerunt, diuersis prætextibus, v. g. adiuuandi parentes extremè, vel grauiter indigentes, vel impotentiæ vitæ quadragesimalis seruandæ, vel alicuius infirmitatis, vel similis, se à Religione subtrahunt, & deserunt Religionis habitum, cum quo non viuunt eo modo, quo debent; quibus præcipitur portare caputium, quòd solùm ad medium pectoris protendatur. Sed ista constitutio non est in vsu.

3. Noto 3. quòd Iulius II. commisit Prælatis omnibus ecclesiasticis, vt examinent literas qualitercunque exeuntium ab Ordine, &, si causas in eis allegatas, instantibus Ordinis Superioribus, veras non reppererint, possint dictas literas reuocare, & annullare. Et quod saltem non permittant, eos morari in locis, vbi fuerint domus nostri Ordinis. Ita refert Rodriq. *in suo Bull. in Iul. II. constit.* 13. quæ incipit, *Exponi nobis.*

CONSTITVTIO IV.

Quâ confirmat acta Capituli generalis Paulæ celebrati, & derogat quibusdam priuilegiis Apostolicis contra Regulam impetratis.

PAVLVS PAPA III.

Dilectis filiis Generali, Prouincialibus, Correctoribus, cœterisque Superioribus, & subditis fratrum Minimorum, & eorum singulis salutem, & Apostolicam benedictionem.

Sincera deuotionis affectus, quem ad vos, & Romanam geritis Ecclesiam, necnon Religionis puritas, & exemplaris vita, quibus Ordo vester fratrum Minimorum S. Francisci de Paula in nostro, & Sedis Apostolica, ac totius militantis Ecclesia conspectu hactenus, Deo fauente, refulsit, promerentur, vt his, quæ pro dicti Ordinis, & vestra salubri directione prouidè gesta dicuntur, vt illibata persistant, potissimùm, cum à nobis petitur, Apostolici muniminis præsidium propensiùs impertiamur.

Impetrarant fratres aliqua Apostolica diplomata contra Regulam. §. 1. *Exponi siquidem nobis nuper fecistis, quòd vos generale Capitulum in Oppido Paula Consentinen. Diœcesis in festo Ascensionis Domini vltimè lapso secundùm morem dicti Ordinis celebrantes, & prouidè attendentes, quòd aliàs eidem Ordini, ac illius domibus nonnulla litera Apostolica super diuersis casibus secundum exigentiam temporum, & ad petitionem fratrum Ordinis huiusmodi, qua tunc eidem Ordini necessaria videbantur, concessa fuerant, quarum vsus successu temporis Ordinis huiusmodi candorem, & veram regularem obseruantiam obnubilare videbatur.*

Memorat constit. 6. Leonis X. §. 2. *Quòd licèt dudum fel. rec. Leo Papa X. prædecessor noster, quarumuis Religionum fratribus quantumcumque priuilegiatis, eorumque Superioribus, & Prælatis sub excommunicationis latæ sententia pœna, quam contrafacientes eo ipso incurrere voluerat, & à qua nisi ab eo, & Romano Pontifice canonicè intrante, præterquam in mortis articulo constituti absolui non possent, per eius in forma Breuis literas districtè inhibuerat, ne ex tunc aliquos fratres dicti vestri Ordinis ad eos confugientes, vel venientes prætextu quorumcumque priuilegiorum, & indultorum Apostolicorum eis desuper concessorum, in eorum domibus, seu Conuentibus recipere, aut eis ipsorum habitum concedere, seu exhibere auderent, vel præsumerent; decernens, quascumque receptiones, & habituum exhibitiones factas, & faciendas nullius existere roboris, vel momenti, nullumque tunc, & pro tempore existenti generali Correctori dicti Ordinis fratrum Minimorum præiudicium propterea generari potuisse, aut in futurum posse: Ipsisque fratribus, Religiosos, & professores Ordinis fratrum Minimorum huiusmodi penes se, aut in eorum domibus, locis, & conuentibus tenentibus sub dicta excommunicationis pœna modo præmisso incurrenda præceperat, ac in virtute sanctæ obedientiæ mandauerat, quatenus fratres per eos receptos huiusmodi infra spatium nouem dierum, à die intimationis literarum earundem computandorum, cum eorum priori habitu Correctori generali Ordinis fratrum Minimorum huiusmodi restituere haberent, ac de cætero à simili fratrum Minimorum Ordinis huiusmodi receptione abstinerent, & ad eos accedere volentes cum omni humilitate, & in spiritu sapientiæ, & charitatis, ipsos de indulto, & inhibitione huiusmodi certificantes, ad omnem ipsius Correctoris generalis, ac illius vices gerentis petitionem restituerent, prout in literis Leonis prædecessoris huiusmodi pleniùs continebatur. Nihilominus nonnulli ex fratribus prædicti Ordinis prætextu literarum, & priuilegiorum per eos ab ipsa Sede multoties subreptitiè, & obreptitiè impetratorum, & ab ipso Ordine discedere, & cum eorum habitu extra Ordinem ipsum manere, seu ad alios Ordines, etiam excogitatis mediis, transire, & habitum Ordinum eorundem suscipere, ipsorumque Ordinum Superiores, etiam de literis Leonis huiusmodi certificati, illos recipere non verebantur, in animarum suarum periculum, & ipsius vestri Ordinis depressionem.*

§. 3. *Vos pro dicti vestri Ordinis conseruatione præmissis occurrere, & opportuna remedia adhibere volentes, procurastis, quòd nobis, & Sedi Apostolica pro reuocatione literarum earundem, in quantum ipsius Regula candorem, & veram obseruantiam obnubilare, seu vos turbare, aut ex literarum earundem vsu scandala oriri possent, supplicaretur.* Supplicatio.

§. 4. *Quòdque celebratio prouincialium Capitulorum dicti Ordinis contra Regula huiusmodi* Celebratio Capit. non potest

anticipari vel retardari; nec fratres ſe obligare ad ſuffragia perpetua; nec Superiores ingredi Monaſteria monialium.

modi diſpoſitionem anticipari, vel retardari. Et fratres ipſius veſtri Ordinis ad ſuffragia perpetua ſe obligare. Seu Generalis, vel quicumque alij Superiores, aut fratres dicti Ordinis Monaſteria monialium quorumuis Ordinum, etiam pro viſitationibus inibi faciendis, niſi iuxta ipſius Regulæ tenorem ingredi nullatenus poſſent.

Generalis ſtatim electus exercet officiũ, nec eo durante, viſitur.

§. 5. Et idem Generalis, poſtquam iuxta regularia inſtituta dicti veſtri Ordinis electus foret, officium ſuum, abſque aliqua deſuper expectanda confirmatione, ad certum tempus exerceret, &, eius officio durante, nullatenus, ſed, eo ceſſante, per alium Generalem nouiter electum, & eius Collegas viſitaretur.

Conuentus S. Trin. Generali immediatè ſubiicitur.

Vide conſtit. 7. Paul. V. §. 1. infra.

§. 6. Necnon domus S. Trinitatis de Vrbe dicti Ordinis eidem Generali, vel ab eo deputato, aut Viſitatori oculato dicti Ordinis, prout etiam ipſe B. Franciſcus voluerat, immediatè ſubijceretur, & nonnulla alia tunc expreſſa ſtatuiſtis, & ordinaſtis.

Supplicatio.

§. 7. Quare nobis humiliter ſupplicari feciſtis, vt literas Apoſtolicas, in quantum ipſius Regulæ candorem & veram obſeruantiam obnubilare, ſeu vos turbare, aut ex earum vſu ſcandala oriri poſſent, reuocare, ac literas Leonis prædeceſſoris huiuſmodi, necnon præmiſſa omnia, & ſingula in dicto Capitulo, vt præfertur, ſtatuta, decreta, & ordinata approbare, & confirmare, aliàſque in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Reuocat conſt. quæ obſeruantiam Regulæ obnubilare videntur.

§. 8. Nos itaque ipſius veſtri Ordinis felicem ſucceſſum ſinceris deſiderantes affectibus, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, primò dictas literas Apoſtolicas, Ordini, aut domibus prædictis, vt præfertur, conceſſas, in quantum ipſius Regulæ candorem, & verum obſeruantiam obnubilare, ſeu vos turbare, aut ex earum vſu ſcandala oriri poſſent, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium reuocamus, & annullamus, ac pro reuocatis & annullatis, ac viribus penitus vacuis haberi volumus.

Confirmat literas Leonis, & ſtatuta in Cap. Paulæ.

§. 9. Necnon literas Leonis prædeceſſoris huiuſmodi, ac præmiſſa omnia, & ſingula, ac quæcumque alia per vos in ipſo generali Capitulo ſtatuta, decreta; & ordinata, quorum tenores præſentibus pro expreſſis, ac ſpecificè deſcriptis, & annotatis haberi volumus, licita tamen, & honeſta, & ſacris Canonibus non contraria, auctoritate, & tenore prædictis approbamus, illiſque perpetuæ firmitatis robur adijcimus.

Superiores, & ſubditi tenentur obſeruare decreta Capituli Paulæ. Iterum confirmat literas Leonis, & ſupplet defectus.

§. 10. Ac vos, & pro tempore exiſtentes Correctorem generalem, ac Superiores, & fratres, veſtri Ordinis huiuſmodi pro tempore exiſtentes ad illorum omnium obſeruantiam teneri, & obligatos exiſtere.

§. 11. Necnon etiam literas Leonis prædeceſſoris huiuſmodi iuxta illarum tenorem inuiolabiliter ſeruari debere decernimus. Supplentes omnes, & ſingulos iuris, & facti defectus, ſi qui forſan interuenerint in eiſdem.

Derogat contrarius.

§. 12. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſuis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon alijs dicti Ordinis iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque,

Tranſũptis fidem adhiberi iubet.

§. 13. Verùm quia difficile foret præſentes literas ad ſingula quæque loca, in quibus de illis fides forſan facienda fuerit, deferri, volumus, & eadem Apoſtolica auctoritate decernimus, quòd præſentium literarum tranſumptis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcat. 27. Martij, 1536. Pontif. noſtri anno 2.

§. IV.

1. NOto 1. quòd *in Capitulo Ianuen. 1. num.* 54. fuit ſtatutum poſſe P. Generalem, ſeu eius Vicarium ſemel in quolibet triennio cum ſuis Collegis, ac Prouinciali, ſi præſens fuerit, liberè in Monaſteria noſtrarum monialium ingredi pro inibi viſitatione facienda, & in tempore infirmitatis alicuius ſororis poſſe ingredi earum confeſſarium. Et quia hæc duo puncta erant directè contra Regulam ſororum *n.* 17. & 18. ideo Patres illius Capituli mandanerunt P. Zeloſo, vt ſuper hoc Breue à Sanctiſſimo obtineret; Quod P. Zeloſus impetrauit per modum viuæ vocis oraculi à Clemente VII. de quo teſtimonium fert Antonius Card. SS. quatuor, vt *ſupra, in Clem. VII. conſt. eius* 8.

2. Et eſt aduertendum, quòd dictum viuæ vocis oraculum continet quinque indulta. Primum, quòd moniales noſtri Ordinis poſſint in miſſis coram ipſis ſolemniter celebrandis introitum, & cætera alta voce, ſicut ſolent alia diuina officia, canere, quod illis erat vetitum in Regula ſororum, *num.* 9. Secundum, quòd P. Generalis, vel ab eo deputandus, ſemel tantùm in triennio cauſa viſitationis monialium Monaſteria ingredi poſſit. 3. quòd tempore maximæ infirmitatis poſſit earum confeſſarius pro Euchariſtiæ, & extremæ vnctionis ſacramentis, adminiſtrandis. 4. quòd etiam poſſit ingredi phyſicus, aut medicus pro monialibus infirmis. 5. quòd poſſint etiam alij artifices pro Monaſterij ædificatione, vel neceſſaria reparatione. Ex quibus per hanc conſtitutionem non video quòd reuocatum ſit niſi ſecundum: quia in ſupplicatione, quæ fit Papæ §. 5. ſolùm fit mentio de Generali, aut Viſitatoribus. Vnde, cum conſtitutio ad inſtantiam ex relatione iuſtificetur, certum eſt, quòd Papa ſolùm illud, quod ab illo petitur, reuocat. Atque ita declaratum eſt *in Capitulo Valent.* 4. *num.* 35. & docuerunt Paſſar. *ad dictum viuæ vocis oraculum Clem. VII.* & Rodriq. *in ſuo bull. in Clem. VII. conſt. eius* 10. *fine.*

3. Quò verò ad 4. & 5. hodie requiritur licentia Superiorum Ordinis, iuxta Concilium Trid. *ſeſſ.* 25. *de regul. cap.* 5. Reliqua ſtant in ſuo vigore, nam licèt *cap.* 22. *eiuſdem ſeſſ.* dicatur, *Si qui verò Regulares, tam viri, quàm mulieres ſunt, qui ſub arctiori Regula, vel ſtatutis viuunt, eos ab eorum inſtituto & obſeruantia ſancta Synodus amouere non intendit*; Tamen circa confeſſarios tempore neceſſitatis, & alios ſeculares, tam medicos, quàm operarios conſuetudo obtinuit, vt in noſtra Religione dicto priuilegio vtamur, iuxta formam à Trid. traditam *ſeſſ.* 25. *de re-*

gul.

CONSTITVTIO V.

Qua declarat, quòd vota sororum, & fratrum tertij Ordinis collegialiter viuentium solemnia sint.

PAVLVS PAPA III.

Dilectis filiis Magistro generali, & prouincialibus, ac conuentualibus Prioribus, vniuersisque fratribus Ordinis Prædicatorum, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Memorat quasdam literas Sixti IV. quas hic non habes. Vide supra, in constit. 4 Sixti IV. §. 7. a n. 3 t.

§. 1. *EXPONI nobis nuper fecistis, quòd licèt aliàs felic. record. Sixtus Papa IV. prædecessor noster, accepto per eum, quòd quidam fratres, & sorores tertij Ordinis Sancti Francisci, ex eius, vel prædecessorum suorum Romanorum Pontificum speciali concessione collegaliter viuentes, post annum probationis in manibus sui Ministri, seu Ministra ab eorum Collegio canonicè electi, vel electa, coram toto suo Collegio tria substantialia vota emittebant; & quòd à plerisque dubitabatur, an talia vota essent solemnia, & ad Religionis obseruantiam obligarent, per suas literas decreuerit, & statuerit, vota præfata, vt præmittitur, emissa, vel quæ in futurum emitterentur, de cætero eam vim, & efficaciam habere, quam solemnia vota habent, & omnem inducere effectum, quem inducunt ipsa vota solemnia facta per quoscumque Religiosos, & Religiosas de Religionibus à Sede Apostolica approbatis; mandans omnibus, & singulis cuiuscumque gradus, dignitatis, conditionis, ordinis essent, sub quorum cura, vel iurisdictione fratres, vel sorores præfati degebant, vel morabantur, aut degere, vel demorari contigerit in futurum, ne de cætero fratres, vel sorores præfatos, præfata vota modo præfato emittentes, matrimonium de cætero contrahere, seu antea contractum post emissa vota huiusmodi consummare, vel Religionem ipsam dimittere, & ad sæcularem vitam redire permitterent: Quodque si ipsi fratres, & sorores contrarium fecissent, matrimonium huiusmodi nullum fuisse, & esse, Apostolica auctoritate decernerent; ac ipsos fratres, & sorores id facientes excommunicationis sententia innodatos tandiu denuntiarent, donec ad cor reuertentes, habitum dictæ Religionis resumerent, & votum, ac professionem suam iuxta statuta, & consuetudines dicti Ordinis obseruarent, meminissentque ab huiusmodi excommunicationis sententia à suis Superioribus absolutionem obtinere, prout in eisdem literis plenius continetur: Ac omnia, & singula priuilegia, & indulta, Apostolica auctoritate eidem Ordini S. Francisci quomodolibet concessa, vobis, & Ordini vestro generaliter communicata fuerint.*

Motiua.

§. 2. *Nihilominus, quia literæ prædecessoris huiusmodi vobis, & Ordini vestro prædictis, ac sub cura degentibus sororibus tertij Ordinis, seu tertia Regula S. Dominici specialiter communicatæ non reperiuntur, à nonnullis hæsitatur, an literæ prædecessoris huiusmodi etiam in fratribus, & sororibus dicti tertij Ordinis, seu tertiæ Regulæ S. Dominici collegialiter vt præfertur, viuentibus, qui tria vota huiusmodi emittere consueuerunt, locum sibi vendicent. Quare nobis humiliter supplicari fecistis, vt omnem hæsitandi materiam tollere, aliasque vobis, & Ordini vestro præfato in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.*

Declarât vota emissa à tertiariis collegialiter viuentibus esse solemnia.

§. 3. *Nos igitur quarumcumque animarum salutem obnubilantia dubia de cordibus fidelium tolli cupientes, huiusmodi supplicationibus inclinati, dicta auctoritate Apostolica, tenore præsentium decernimus, ac statuimus, quòd vota per fratres, & sorores dicti tertij Ordinis, seu tertia Regula S. Dominici huiusmodi eo modo emissa, secundumque vota per fratres, & sorores dicti tertij Ordinis S. Francisci emissa, iuxta decretum prædecessoris huiusmodi, solemnia, sint, & censeantur, ac eundem effectum prædictum faciant, & ad Religionis obseruantiam arctent, & obligent.*

Vnde non possunt contrahere matrimonium, & contrahentes excommunicat.

§. 4. *Mandantes omnibus, & singulis, sub quorum cura, aut iurisdictione fratres, aut sorores tertij Ordinis, seu tertia Regula S. Dominici huiusmodi degunt, & morantur, seu in posterum degere, vel morari contigerit, cuiuscumque gradus, dignitatis, ordinis existant, ne de cætero fratres, vel sorores tertij Ordinis, seu tertia Regula S. Dominici huiusmodi, qui prædicta vota modo præfato emiserunt, matrimonium contrahere, seu antea contractum post emissionem huiusmodi consummare, aut Religionem ipsam dimittere, & ad sæcularem vitam redire permittant; Quodque si ipsi fratres, vel sorores contrarium fecerint, matrimonium huiusmodi nullum fuisse, & esse, eadem auctoritate decernant, ac fratres, & sorores contrafacientes excommunicationis sententia innodatos esse tandiu denuntiet, donec ad cor reuersi, habitum Religionis S. Dominici resumpserint, & votum, ac professionem suam, secundùm statuta, & consuetudines dicti tertij Ordinis, aut tertia Regula modo prædicto collegialiter viuentes, obseruent, mereanturque ab huiusmodi excommunicationis sententia à suis Prioribus absolutionem obtinere.*

Derogat contrariis.

§. 5. *Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quæ dictus prædecessor noster in literis suis voluit,*

luit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ, apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die 26. Iunij. 1542. Pontif. nostri anno 8.

CONSTITVTIO VI.

Quâ eximit fratres, & sorores à solutione cuiuscumque portionis legatorum.

PAVLVS PAPA III.
Ad perpetuam rei memoriam.

Supplicatio. §. 1. *Honestis petentium votis libenter annuimus, eaque fauoribus prosequimur opportunis. Exposuit siquidem nobis fecerunt dilecti filij Generalis, & Ministri prouinciales Ordinis fratrum Minorum de obseruantia nuncupatorum, necnon dilectæ in Christo filiæ Abbatissæ, & Priorissæ, ac moniales, & sorores S. Claræ, & tertij Ordinis S. Francisci, quòd licèt domus, & loca Ordinis fratrum Minorum de obseruantia nuncupatorum, eorumque Guardiani, & fratres, necnon Monasteria, & domus Ordinis S. Claræ cuiuslibet Regulæ, ac tertij Ordinis S. Francisci de pœnitentia nuncupati, eorumque Abbatissæ, & Priorissæ, ac moniales, & sorores eisdem fratribus de obseruantia subiectæ, ex priuilegiis Apostolicis, eis, seu eorum Ordinibus concessis, fuerint, & sint exempta à solutione, seu præstatione cuiusuis quartæ, seu quintæ legatorum, eis pro tempore factorum, Ordinario loci, vel quibusuis aliis quomodolibet facienda, ac in pacifica possessione, seu quasi exemptione huiusmodi. Nihilominus cum diuersi Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & domus S. Ptholomæi Nepesin. Ordinis Prædicatorum, ac S. Feliciani, necnon Hospitalis S. Spiritus in Saxia etiam de Vrbe, ac alij quæstores, seu Commissarij prætextu diuersorum priuilegiorum eis desuper concessorum prætendant, quartas, vel quintas legatorum huiusmodi sibi deberi: Generalis, & Ministri prouinciales, necnon Abbatissæ, & Priorissæ, ac moniales, & sorores præfati dubitant superinde ab eis vexari, seu molestari, aut aliàs diuersimodè perturbari posse tempore procedente. Quare pro parte eorumdem Generalis, & Ministrorum, ac Abbatissarum, & Priorissarum, ac monialium, & sororum huiusmodi nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus tranquillitati eorum consulere, ac aliàs ipsis in præmissis opportunè tunc prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.*

Eximit à solutione quartæ le-gatorum. Vide sup. in const. 1. Iul. II. § 33. & const. 4. § 26. §. 2. *Nos igitur eosdem Generalem, & Ministros, ac Abbatissas, & Priorissas, necnon moniales, & sorores specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eisdem omnibus, quòd ipsi de cætero, de, & super legatis, & aliis relictis eis per quoscumque quomodolibet pro tempore factis, prætextu quartarum, seu quintarum huiusmodi ab eisdem, seu quibusuis aliis quæstoribus, seu Commissariis etiam pro S. Cruciata, aut aliàs quomodolibet deputatis vexari, seu molestari, aut aliàs quomodolibet perturbari non possint, nec quicquam ab ipsis peti valeat, auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuò concedimus.*

Exigentibus pœnam excommunicationis imponit. §. 3. *Ac eisdem, & quibusuis aliis quæstoribus, & Commissariis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existant, & quacumque iurisdictione, & facultate fungantur, etiamsi Cardinalatus honore præfulgeant, ne Generalem, & Ministros, Abbatissas, & Priorissas, ac moniales, & sorores præfatos occasione quartarum, seu quintarum legatorum, seu relictorum huiusmodi directè, vel indirectè, aut aliàs quomodolibet vexare, seu molestare, perturbare, seu quicquam ab ipsis petere possint, sub excommunicationis, & aliis sententiis, & pœnis ecclesiasticis districtiùs inhibemus.*

Decretum irritans. §. 4. *Decernentes ex nunc irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Commissarios deputat. §. 5. *Quocirca vniuersis, & singulis Patriarchis, & Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, duo, aut vnus eorum, per se, vel alium, seu alios, præsentes literas, & in eis contenta quæcumque vbi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Generalis, & Ministrorum, & Abbatissarum, & Priorissarum, ac monialium, & sororum huiusmodi, seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præfatos Generales, & Ministros, ac Abbatissas, & Priorissas, ac moniales, & sorores, & eorum quemlibet concessione, & indulto, ac omnibus præmissis pacificè frui, & gaudere: non permittentes, eos, vel eorum aliquem desuper quomodolibet indebitè molestari: contradictores, molestatores quoslibet, & rebelles per censuras ecclesiasticas, ac alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, ac etiam pecuniarias pœnas, eorum arbitio imponendas, moderandas, applicandas, ac legitimis super his habendis seruatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.*

Derogat contrariis. §. 6. *Non obstantibus fel. rec. Bonif. Papæ VIII. prædecessoris nostri, de vna & in Concilio generali*

generali edita de duabus dietis, dummodò vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur; & aliis ordinationibus, & constitutionibus Apostolicis, ac Basilicæ, & Ordinis fratrum Prædicatorum, necnon S. Feliciani, & S.Spiritus, ac quorumvis aliorum Hospitalium, & Monasteriorum, aliorumque regularium locorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, necnon facultatibus, & auctoritatibus, etiam quæstoribus, & Commissariis prædictis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis aliàs quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Perusiæ, sub annulo Piscatoris; die 12. Septemb. 1544. Pontif. nostri anno 10.

CONSTITVTIO VII.

Quâ concedit, quòd fratres possint se obligare ad suffragia perpetua.

ANTONIVS MISERATIONE diuina, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, tit. Sanctorum quatuor Coronatorum, & S.Sedis Apostolicæ maior Pœnitentiarius, necnon Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula Protector, venerabil. Religiosis Correctori, & fratribus domus S. Trinitatis de Vrbe Ordinis Minimorum, salutem in Domino.

Supplicatio.

§. 1. *NVper S. in Christo P. & D.D.N. Paulo diuina prouidentia Papa III. per vos exposito, quòd licèt aliàs per Sedem Apostolicam vobis, & Ordini vestro quæcumque suffragia perpetua acceptandi facultas concessa fuisset. Nihilominus vos ad Regulæ vestræ candorem, & puritatem prouidè attendentes, & sincère obseruari cupientes, in vltimo vestro generali Capitulo in Oppido Paulæ celebrato facultatem huiusmodi reuocare, ac per ipsam Sedem Apostolicam reuocationem confirmandam esse per vos decretum fuisset, ne vos deinceps ad aliqua perpetua suffragia obligare deberetis. Cum autem Io. Baptista de Turchis, dum viueret, ex deuotione, quam Ordini vestro, & præcipuè domui vestræ S. Trinitatis de Vrbe gerebat, in Ecclesia dictæ domus vnam Capellam construi, ac picturis ornari fecisset, licèt non dotasset, seu pro dote aliquos redditus assignasset, tamen ante eius obitum ex testamento eisdem Correctori, & fratribus quandam vineam, vnà cum domo in eadem existente liberam, positam extra portam S. Mariæ de Populo iuxta suos fines, pro dote ipsius Capellæ reliquit, cum onere tamen, quòd ipsi fratres præsentes, & pro tempore existentes teneantur singulis annis tres Missas cantatas, vnam videlicet in festo Concept. B.M.V. aliam in festo Natiu. S. Ioann. Baptistæ, reliquam verò in die omnium defunctorum de eisdem semel tantùm in anno, necnon etiam aliam legendo singulis hebdomadis totius anni die Sabbathi in perpetuum celebrare, seu celebrari facere, si vineam, & domum in ea existentem cum onere suffragiorum prædictorum eisdem Correctori, & fratribus dictæ domus acceptandi, & recipiendi, ac receptas tenendi, & si opus fuerit, in alios redditus in eiusdem Ecclesiæ vtilitatem commutandi licentia concederetur.*

Nota, quòd hoc indultum obtentum est ante confirmationem c. Paulæ, hæc enim obtenta est anno 1536. anno 2.

§. 2. *Profectò, vt conscientiis vestris, ac necessitati consuleretur, sua Sanctitas vobis vineam, vnà cum domo in ea existente cum onere suffragiorum prædictorum acceptandi, & recipiendi, ac receptas tenendi, ac in alios redditus in eiusdem Ecclesiæ vtilitatem commutandi liberè, & licitè, viuæ vocis oraculo desuper nobis facto, licentiam concessit, pariter & indulsit.*

Concedit prout in summario. Vide supra, in constit. 4. Iul.II. §.4. num.16.

§. 3. *In quorum fidem præsentes manu nostra propria subscripsimus, & per Secretarium nostrum fieri, sigillique nostri parui iussimus impressione muniri. Datum Romæ, in Camera nostra solita residentia die 13. mensis Octobris 1535. Pontific. prælibati S.D.N. anno 1. Ita est. Antonius Card.SS. quatuor, maior Pœnitentiarius. Pt. Io. de Viterbio, locus sigilli.*

Subscriptione firmat.

CONSTITVTIO VIII.

Quâ erigit Monasterium Monialium tertij Ordinis Minimorum.

ANTONIVS MISERATIONE diuina, tit. SS. quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis, dilectis in Christo Religiosis, Beatis nuncupatis, domus sub inuocatione Iesu Mariæ Toleti, sub tertia Regula Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula degentibus salutem in Domino.

Proœmiũ. §. 1. *INIVNCTVM nobis ab Apostolica Sede seruitutis officium nos admonet, & inducit, vt ad ea libenter intendamus, per quæ diuinus cultus vbique suscipiat incrementum, & religiosarum mulierum, quæ virginitatem suam Deo sub professionis regularis vinculo dedicare intendunt, salubribus votis gratum, immo debitum præstemus assensum.*

Supplicatio. §. 2. *Sanè exhibita nobis pro parte vestra petitio continebat, quòd cum vos à quinque annis, vel circa in dicta domo vobis, amore Dei donata permanseritis, & clausuram seruaueritis, præterquam quando ad confitendum peccata vestra, & sacramentum Eucharistiæ suscipiendum ad domum fratrum dicti Ordinis accessistis, & sub correctione, & obedientia Prælati Prouinciæ Castellæ, & Generalis dicti Ordinis, quando ad istas partes accedere contingit, vixeritis: Nihilominus, quia Regula vestra & vxoratis, & nuptis, cæterisque quibusuis communis existit, neque tria vota solemnia emittitis, cupitis vos, quæ omnes virgines estis, tria vota substantialia castitatis, paupertatis, & obedientiæ emittere, vestramque domum prædictum in Monasterium monialium profitentium erigi; super quibus supplicari fecistis humiliter, vobis per Sedem Apostolicam de opportuno remedio misericorditer prouideri.*

Concedit ptore in summario. §. 3. *Nos igitur vestris in hac parte supplicationibus inclinati, auctoritate D. Papæ, cuius Pœnitentiariæ curam gerimus, & de eius speciali mandato, super hoc viuæ vocis oraculo nobis facto, domum vestram prædictam in Monasterium monialium dicti Ordinis tertiæ Regulæ professarum erigimus, ita vt tria vota substantialia prædicta in manibus Superiorum dicti Ordinis Minimorum emittatis, & quæ pro tempore Monasterium vestrum ingredientur moniales, post annum, & vnum diem probationis elapsum, vt aliorum est mos, emittant: Omnibusque & singulis priuilegiis, immunitatibus, exemptionibus, gratiis, concessionibus, & indultis, tam spiritualibus, quàm temporalibus, quibus aliæ moniales dicta tria vota substantialia emittentes dicti Ordinis Minimorum vtuntur, potiuntur, & gaudent, seu vti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, vti, potiri, & gaudere liberè, & licitè possitis, & valeatis, & pro tempore vestri Monasterij huiusmodi moniales possint, & valeant, veris existentibus præmissis, tenore præsentium indulgemus, ac licentiam, & liberam facultatem concedimus.*

§. 4. *Non obstantibus Apostolicis, ac in prouincialibus, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, dictique Ordinis statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub sigillo officij Pœnitentiariæ, quarto Nonas Augusti, anno Domini 1539. Pontific. D. Pauli Papæ III. anno 5.* Derogat contrariis.

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1. NOto, quòd istud Monasterium destructum est, quia, petentibus dictis monialibus regi, & gubernari à Religione, Religio eas acceptare noluit; vt constat *ex Cap. 2. Foeiulij, numero 5.* Sed postmodum, petente Serenissima Hispaniarum Regina, *in Cap. Valent. 3. numero quinto.* Patres dicti Capit. eas receperunt in Tertiarias, cum proposito, si positæ fuissent in clausura, & sufficienter dotatæ, eas recipiendi in sanctimoniales. Sed quia nunquam id efficere potuerunt, ideo Patres eas nunquam receperunt, & destructæ sunt. Audio tamen, quòd in Gallia virtute huius constitutionis, quæ reuocata non est, similes Tertiariæ in moniales receptæ sunt,

2. Nota etiam hic, quòd Paulus III. instituit altare priuilegiatum pro animabus defunctorum in Ecclesia S. Trinitatis de Vrbe Ordinis nostri, nimirum in Capella S. Crucis, & S. Helenæ pro omnibus sacerdotibus, tam sæcularibus, quàm regularibus, & quocumque anni tempore, per suas literas datas Romæ apud S. Petrum, decimo Kalendas Aprilis, Pontif. eius anno 14. Sed quia ex communi stylo Curiæ hæc altaria priuilegiata non communicantur cæteris Ecclesiis nostri Ordinis, vt cætera priuilegia, ideo hic illud non posui, nec multa alia similia diuersis Ecclesiis concessa. Annotare autem id volui, propter aliquos existimantes hæc etiam communicari, per concessionem præsertim Clem. VII. *supra in constit. eius 3. §. 2.* vbi dicitur, quòd concessa vni domui intelliguntur concessa omnibus. Sed falluntur; nam in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus, vt dicitur *in reg. in generali*, quæ est 81. *de reg. iur. in 6.*

IVLIVS

IVLII III.

Itali, ex Oppido S. Sabini Diœcesis Aretinæ in Prouincia Hetruriæ, Vincentij de Monte filij, ad summum Pontificatum assumpti anno 1550. die 8. Februarij, qui Ordini nostro dedit infrascripta.

CONSTITVTIO I.

Quâ recipit Minimos, & bona ipsorum sub protectione Sedis Apostolicæ, & confirmat omnia priuilegia à suis prædecessoribus concessa.

IVLIVS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Generali, & Prouincialibus, Correribus, ac Zeloso, necnon vniuersis fratribus Ordinis Minimorum salut. & Apostol. benedict.

Concedit prout in summario. §.1. *CVM à uobis petitur, quod iustum est, & honestum, tam vigore æquitatis, quàm quia ordo exigit rationis, vt id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino, filij vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras, & loca, in quibus diuino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum in commune rationabiliter possidetis, & in futurum iustis modis, præstante Domino poteritis adipisci, sub B.Petri protectione suscipimus, atque nostra; Omnes quoque libertates, & immunitates à fel. recor. Sixto IV. Alexandro VI. Iulio II. Leone X. Clemente VII. & Paulo III. prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, siue per priuilegia, concessiones, & alia indulta, vobis, & domibus vestris communiter concessa; Necnon libertates, & exemptiones sæcularium exactionum ab Imperatoribus, Regibus, Ducibus, Principibus, ac aliis Christi fidelibus vobis, & domibus prædictis, etiam in communi rationabiliter indultas: Specialiter autem decimas, primitias, obuentiones, affictus annuos, responsiones, census, fructus, redditus, prouentus, vineas, domos, hortos, virgulta, prata, pascua, oliueta, viridaria, nemora, syluas, lacus, stagna, piscarias, & alia bona ad vos, & domos vestras huiusmodi etiam communiter spectantia, sicuti ea omnia iustè, & pacificè possidetis, vobis & eisdem domibus vestris auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus; salua in prædictis decimis moderatione Concilij generalis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, &c. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarn. Domin. 1553. quinto Kal. Maij, Pontif. nostri anno 4.*

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1. NOto 1. circa illam clausulam *Suscipimus sub protectione*, quòd per eam eximitur Religio à potestate Ordinariorum. Ita Mandos. *in praxi, tract. de signatura gratiæ, tit. Exemptiones, versu Et de clausula priuilegij.* Operatur etiam ista clausula, quòd non possint fratres se subiicere iurisdictioni Ordinariorum. Rota coram Seraphino *decis.* 595. *num.* 7. Sed quid, si diceret, Suscipimus vos in proprios filios Romanæ Ecclesiæ. Dico, quòd ista clausula non dicit exemptionem ab Ordinariis, sed solùm quòd sic recepti non possint excommunicari, suspendi, vel interdici à quoquam iudice, præterquam à Papa, vel eius Legato. Ita deciditur. *in cap.* 1. *de verb. signific. in* 6. Vide *cap. Recepimus de priuil.* Barbos. *de potest. Episcop. part.* 3. *allegat.* 123. *num.* 28. Rodriq. *tom.* 2. *quæst. regul. quæst.* 63. *art.* 3. *in fine* Cochier *de exempt. part.* 1. *quæst.* 9. *numero* 3.

2. Noto 2. circa illam clausulam in fine positam *salua in prædictis decimis moderatione Concilij generalis*, quòd in Concilio Viennensi, de quo *in clem.* 1. *de decimis*, ponuntur quatuor casus, in quibus Religiosi grauantes, vel fraudantes Ecclesias circa decimas eis debitas, si requisiti per illos, quorum interest, non desistunt intra mensem, vel de vsurpatis, vel retentis intra duos menses non fecerint emendam, suspensi sunt ab officiis, administrationibus, & beneficiis, & talia non habentes sunt excommunicati. Videatur Concil. Trid. *sess.* 25. *de reformat. cap.* 12. Videantur etiam quæ supra dixi *in const.* 2. *Iulij II.* §. 30.

PAVLI IV.

Itali ex Ciuitate Neapolis, Ioannis Antonij de Caraffa filij, ad summum Pontificatum assumpti anno 1555. 23. Maij, qui dedit Ordini nostro infrascripta.

CONSTITVTIO I.

Quâ recipit Minimos, & bona ipsorum sub protectione Sedis Apostolicæ, & confirmat omnia priuilegia à suis prædecessoribus concessa.

PAVLVS EPISCOPVS Seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Generali, & Prouincialibus, Correctoribus, ac Zeloso, necnon vniuersis fratribus Ordinis Minimorum, salut. & Apostolicam benedictionem.

Concedit prout in summario. §. I.  *Vm à nobis petitur, quod iustum est, & honestum, tam vigore æquitatis, quàm quia ordo exigit rationis, vt id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu personas vestras, & loca, in quibus diuino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum in communi rationabiliter possidetis, & in futurum iustis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, sub B. Petri protectione suscipimus, atque nostra. Omnes quoque libertates, & immunitates à fel. recor. Sixto IV. Alexandro VI. Iulio II. Leone X. Clemente VII. Paulo III. & Iulio etiam III. prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, siue per priuilegia concessiones, & alia indulta, vobis, & domibus vestris communiter concessa; Necnon libertates, & exemptiones sæcularium exactionum ab Imperatoribus, Regibus, Ducibus, Principibus, & aliis Christi fidelibus vobis, & domibus prædictis, etiam in communi rationabiliter indultas: Specialiter autem decimas, primitias, obuentiones, affictus annuos, responsiones, census, fructus, redditus, prouentus, vineas, domos, hortos, virgulta, prata, pascua, oliueta, viridaria, nemora, syluas, lacus, stagna, piscarias; & alia bona, ad vos, & domos vestras huiusmodi etiam communiter spectantia, sicuti ea omnia iustè, & pacificè possidetis, vobis, & eisdem domibus vestris auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus; & salua in prædictis decimis moderatione Concilij generalis. Nulli ergo, &c. Datum Romæ, apud S. Marcum, anno Incar. Domin. 1555. decimo kalen. Octobris, Pontific. nostri anno I.*

CONSTITVTIO II.

Quâ declarat, quomodò tractandi, & recipiendi sint apostatæ ad Religionem reuertentes.

MICHAEL GHISLERIVS, Miseratione diuina tit. S. Mariæ super Mineruam, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Alexandrinus vulgariter nuncupatus, hæreticæ prauitatis in tota Republica Christiana supremus Inquisitor à S. Sede Apostolica specialiter delegatus RR. PP. Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula suum generale Capitulum feliciter celebrantibus salutem in Domino, & Spiritus Sancti consolationem.

 *Ngens deuotionis affectus, quem erga Ordinem vestrum gerimus, efficit, vt in omnibus, quæ ad prosperos successus vestræ regularis obseruantiæ attinent, auxilium, & consilium, & quicquid sumus, & possumus, cum ratio postulat, & exigimur, vobis libenter impendamus.* Proœmium.

§. I. *Cum igitur nobis in Christo charissimus frater Mathurinus Auberti Zelosus vester humiliter, & instanter supplicauerit, vt, sicut illi verbo sensus declarauimus, quomodò de mente, & intentione S. D. N. Papæ recipi, & à vobis recepti tractari debeant apostatæ, qui post emanatam* Supplicatio. Vide tom. I. Relig. c. 16. & constit. Pio. V. to. Vrbano VIII. à §. 3. infra.

emanatam contra eos ex die 13. Kalend. Augusti anni præteriti nouissimam eiusdem suæ Sanctitatis bullam ad vos redeunt, vobis quoque in vnum pro Religionis vestræ tractandis negotiis capitulariter congregatis exponere, & testimonialibus nostris ad vos literis denunciare dignaremur, ne in re tanti momenti à voluntate, & recto instituto eiusdem S.D. vel in minimo recedatis.

Non omnes apostatæ recipiendi.

§. 2. *Nos, quibus huiusmodi apostatarum negotium per suam Sanctitatem speciali cura demandatum est, viuæ vocis oraculo desuper nobis facto, notum facimus, & tenore præsentium certiores reddimus, non fuisse, nec esse intentionis eiusdem S. D. vt quoscumque huiusmodi apostatas sine discrimine, & absque vllo delectu recipiatis, & vestræ Societati admisceatis, sed eos tantùm, de quibus emendatioris vitæ propositum concipere, & sperare probabiliter potestis, & qui vestræ Religioni possint esse bono vsui.*

Apostatæ cogendi renuntiare literis Apostolicis.

§. 3. *Quos in primis oportet cogere ad renunciandum omnibus, & singulis Apostolicis literis contra professionem suam, vel quovis modo contra regularem obseruantiam in forma Breuis, vel etiam plumbatis, aut sacra Pœnitentiaria Apostolica, ac quibusuis priuilegiis, & exemplis per eos hactenus impetratis.*

Debent iurare, quòd talia ampliùs non attentabunt.

§. 4. *Præstito etiam per eos iuramento in manibus Generalis, vel Prouincialis, aut eorum, quibus commiserint, quod talia, aut similia impetrare nunquam attentabunt, sed in statu professionis suæ, qui per solemne votum se addixerunt, post hac stabunt, & perseuerabunt, iuxta Regulæ, & statutorum Ordinis exigentiam.*

Probandi ita humilitate, & patientia.

§. 5. *Quos sic per vos receptos, quamvis non vt inimicos habere, sed de eorum resipiscentia gaudere, & lætari debeatis, probandi tamen veniunt à vobis in camino patientiæ, & humiliationis, vtrum pœnarum timore, an virtutis amore, & vitæ melioris proposito ad Religionis suæ gremium reuertantur.*

Sunt priuati voce actiua, & passiua, &c. per nullos Superiores habilitandi.

§. 6. *Ideo de eiusdem S. D. mente, & voluntate esse tenore præsentium declaramus, huiusmodi apostatas per vos, vt præmissum est, receptos, & Religioni iterum insertos, actiua, & passiua vocibus, iuréque suæ primogenituræ, necnon publica ad populum prædicatione, & confessionis sæcularium audientia priuatos esse, per nullos Superiores, nec etiam per generale, seu prouinciale Capitula rehabilitandos, donec ad minùs per quadriennium bene, & laudabiliter sub correctionis, & disciplinæ ferula patienter, & humiliter vixerint. Quo quidem quadriennio sic expleto, posse ad huiusmodi, generalis, & prouincialis Capitulorum duarum ex tribus partibus vocalium accedente consensu, rehabilitari, & omnes, & singulos Religionis legitimos actus restitui, eiusdem S. D. N. Pauli Papæ IV. auctoritate, & gratia permittimus, & indulgemus; dummodò tempus, quo manserunt extra Religionem, inter suæ professionis annos non computetur.*

Contra istam formam recepti eiiciendi.

§. 7. *Declarantes etiam, hactenus contra præscriptam formam per vos receptos non (nisi duarum præsentis Capituli generalis partium suffragante illis consensu) esse pro receptis habendos, sed habitu Religionis exuendos; & à Societate vestra eiiciendos, & sic eiectos nihilominus pœnis in bulla prædicta contentis remanere obnoxios.*

Subscriptione firmat.

§. 8. *In quorum omnium, & singulorum fidem præsentes literas manu nostra subscriptas, per nostrum infrascriptum Secretarium fieri fecimus. Datum Romæ, in sacro Apostolico Palatio in ædibus solitæ residentiæ, die 10. Mensis Aprilis anni 1559. Pontif. S.D.N. Pauli Papæ IV. anno 4. sub solito sigilli nostri appensione F. Michaël G. Card. Alex. Io. Matth. Rober. Secr.*

Ius Prouincialis cum vno Commisso accedat.

lares personas vberiores in vinea Domini fructus in dies afferre non cessantes, spiritualibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, ipsosque & eorum quemlibet à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera deliberatione, & certa scientia nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, de cætero perpetuis futuris temporibus Prouincialem ex qualibet Prouincia, vnà cum Commisso dumtaxat, ad quos dicti Generalis, illiusque Collegarum, & Procuratoris prædictorum electio, vt moris est, dumtaxat spectare debeat, prout antea ad sex prædictos spectabat, ac Capitulum generale huiusmodi, absque Collegis, & Commisso prædictis accedere debere.

Quatuor, aut plures Definitores eligantur.

§. 3. Necnon quatuor, seu plures, aut minoris numeri, prout Prouincialis, & Correctoribus, ac Commissis Capitulum prouinciale primi anni pro tempore celebrantibus visum fuerit, in Definitores etiam triennales de cætero etiam tempore electionis eorundem Prouincialium eligi debere.

Capitula intermedia per Prouinciales & Definitores absque Correctoribus celebrentur.

§. 4. Et Capitula intermedia huiusmodi per singulos Prouinciales, vnà cum Definitoribus ipsis, absque eo quòd Correctores, & Commissi prædicti ad Capitula intermedia huiusmodi accedere, seu conuocari debeant, vel teneantur, in singulis Prouinciis dicto die S. Michaëlis celebrari posse.

Ius eligendi Generalem ad solos Prouinciales cum suis Commissis spectat.

§ 5. Ac ius, & facultatem eligendi Generalem dicti Ordinis, illiusque Collegas, & Procuratorem præfatos ad Prouincialem ex qualibet Prouincia, vnà cum Commisso dumtaxat, prout antea ad sex prædictos spectabat, spectare; ipsosque Prouincialem, & Commissum, absque aliis Collegis, & Commissis prædictis, dumtaxat ex qualibet Prouincia ad Capitulum generale huiusmodi accedere.

Ius celebrandi Capitula intermedia ad Prouinciales cum Definitoribus.

§. 6. Ius verò, & facultatem celebrandi Capitula intermedia huiusmodi etiam ad singulos Prouinciales dumtaxat in qualibet Prouincia, vnà cum Definitoribus prædictis, absque eo quòd dicti Correctores, & Commissi eisdem Capitulis interesse, aut ad illa conuocari debeant, spectare, & pertinere.

Generalis, &c. electiones prædicto modo factæ validæ sunt.

§. 7. Et insuper tam Generalis, suorumque Collegarum, ac Procuratoris, quàm Definitorum prædictorum electiones, per Prouincialem cuiuslibet Prouinciæ, & Commissum, ac Prouinciales prædictos respectiuè pro tempore factas, validas, & efficaces, ac canonicè factas fore, & esse, suosque plenarios effectus sortiri debere in omnibus, & per omnia perinde, ac si Generalis, & Collegarum, ac Procuratoris prædictorum electio per sex supradictos facta fuisset.

Capitula intermedia prædicto modo facta valent.

§. 8. Definitorum verò electiones huiusmodi in dictis Capitulis intermediis faciendas, vt præfertur, omniaque & singula Capitula intermedia huiusmodi per singulos Prouinciales, & Definitores præfatos dumtaxat in qualibet Prouincia pro tempore celebrata, in omnibus, & per omnia perinde, ac si vnà cum Correctoribus, & Commissis eo tempore celebrata, dictorumque Definitorum electiones quolibet anno cum interuentu eorundem Correctorum, & Commissorum factæ fuissent, perpetuò valere, auctoritate Apostolica, tenore præsentium statuimus, & ordinamus.

Hæc constitutio habet vim validi contractus.

§. 9. Necnon præsentes literas nullo vnquam tempore de surreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, seu inualidari posse, minùsque sub quibusuis similium, vel dissimilium gratiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, & derogationibus comprehendi, sed semper in pristinum statum restitutas, ac sub data per ipsos fratres eligenda de nouo concessas censeri, vimque validi, & efficacis contractus inter Sedem Apostolicam, & fratres præfatos sortiri; ipsisque nullatenus, ac non nisi expressa de verbo ad verbum derogatione huiusmodi facta fuerit mentio, derogari posse; Sicque per quoscumque iudices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam S.R.E. Cardinales, ac ipsius Ordinis Protectorem, Correctores, & Commissos præfatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere. Irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, motu simili declaramus, & ordinamus.

Commissarios deputat.

§. 10. Et nihilominus venerab. fratribus Compostellan. & Toletan. ac Hispalen. Archiepiscopis, siue eorum in spiritualibus Vicariis, aut Officialibus generalibus per præsentes motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios, præsentes literas, & in eis contenta quæcumque vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte ipsorum fratrum, aut alicuius eorum super præmissis fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præmissa omnia, & singula iuxta earundem præsentium tenorem integrè, & inuiolabiliter obseruari, eosdemque fratres illis pacificè vti, frui, & gaudere, non permittentes, eos, aut eorum quempiam desuper per quoscumque quomodolibet indebitè molestari. Contradictores, molestatores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas ecclesiasticas, ac alia opportuna iuris remedia appellatione postposita, compescendo, ac, legiti-

mis

mis super his habendis seruatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Derogat. contrariis. §. 11. *Non obstantibus Regula ipsius Ordinis, & Correctorio nuncupato, & aliis præmissis, & quibusuis Apostolicis, necnon in prouincialibus, & synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus constitutionibus & ordinationibus, ac ipsius Ordinis, illiusque Monasteriorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, & reformationibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, Monasteriis, & Ordini prædictis, illorumque Superioribus, personis quibusuis aliis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, etiam motu simili quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis; quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad id seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscat. die 27. Maij, 1568. Pontific. nostri anno 3.*

§. IX.

1. NOta, quòd priuilegia per modum contractus, vt est istud, non reuocantur per clausulam generalem, etiam expressam, nisi saltem in genere reuocentur priuilegia, etiamsi per modum contractus fuerint concessa: Quia cum talia priuilegia iure ordinario irreuocabilia sint, & necessaria sit grauissima causa, vt iustè reuocentur non præsumuntur reuocari, nisi prædicto saltem modo sufficienter exprimantur. Ita Sanchez *lib.8. de matrim. disput.* 33. *num.*8. Suarez *lib.* 8. *de leg.cap.*38. *num.* 3. Mandos. *in reg.*12. *Cancellar. quæst.*9. *num.* 2. Circa hanc constit. multa essent dicenda, sed quia pertinent ad Ordinis constitutiones; consultò omitto, dicturus in actuum generalium recollectione, si Religio tulerit.

CONSTITVTIO II.

Quòd Capuccini non possunt transferri ad Ordinem Minimorum, nec è contra.

PIVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procœmiũ. SEdis Apostolicæ solertia, dum ad salutare quorumdam remedium extructa in eorum detrimentum vergere conspicit, ne, quod illis profuturum maturitate summa prodiisse comperitur, noxium incauto ministerio efficiatur, celeris prouisionis opem afferre consueuit, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

Motiua. §. 1. *Sanè accepimus, quòd, cum aliquando contingat, aliquos fratres religiosos, tam Ordinis S. Francisci Capuccinorum, quàm eiusdem S. Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum de vno loco ad alium, etiam forsan absque suorum Superiorum licentia, transferri, exinde perturbationes, & mala exempla inter eosdem fratres sæpius oriri solent.*

Statuit prout in summa-rio. §. 2. *Nos cupientes perturbationibus, & malis exemplis huiusmodi, quantùm cum Deo possumus, obuiare; motu proprio, non ad alicuius instantiam, sed de nostra mera liberalitate, & ex certa nostra scientia, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus nullus ex fratribus Capuccinis ad dictum Ordinem S. Francisci de Paula, nec è conuerso, quòd vllus frater eiusdem S. Francisci de Paula ad Ordinem fratrum Capuccinorum huiusmodi vllo vnquam tempore, & quacumque etiam, & quantumcumque iustissima causa, etiam de licentia suorum Superiorum, se transferre possit, Apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuò statuimus, & ordinamus.*

Decretum irritans. §. 3. *Decernentes, statutum, & ordinationem huiusmodi per fratres præfatos sub indignationis nostræ pœna inuiolabiliter obseruari debere; ac ex nunc irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate tam ordinaria, quàm delegata, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Derogat contrariis. §. 4. *Non obstantibus Apostolicis, ac in prouincialibus, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.*

Transumptis fidem adhiberi iubet. §. 5. *Cæterùm quia difficile foret præsentes literas ad singula quæque loca, in quibus de eis fides forsitan facienda foret, deferri; volumus, vt ipsarum transumptis manu publici Notarij subscriptis, & sigillo alicuius personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, in iudicio,*

&

& extra vbi opus fuerit, eadem prorſus fides adhibeatur, qua præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibita, vel oſtenſa. Datum Romæ, apud S.Petrum, ſub annulo Piſc. die 6. Octobris 1567. Pontif. noſtri anno 2.

§. II.

1. NOto quòd ad illam partem, qua prohibet Minimis ingreſſum ad Capuccinos, quòd videtur, Pontificem fuiſſe malè informatum; Nam cum Religio noſtra ſit omnium ſtrictiſſima, vt dictum eſt ſæpius ſupra, & probo latè *tom. 1. Relig. quæſt. 1. cap. 24.* §. 1. de iure communi non poterant ad Capuccinos tranſire. Adde, quòd per multas conſtitutiones ſupra relatas prohibiti ſunt Minimi ad alium Ordinem tranſire ſub grauibus pœnis, quas tam recepti, quàm recipientes ipſo facto incurrere habeant, vt videri poteſt *conſtit. 4. Pauli III.* §. 2. Sed ſuſpicor, quòd aliqui apoſtatæ à noſtra Religione ad Capuccinos tranſirent, quos fortè recipiebant bona fide, putantes id ſibi licere, licèt ſi; vt verum fatear, nunquam audiui, quòd vllus ex noſtris ad Capucinos tranſierit, quamvis antiquiſſimos in Religione ſenes ſuper hoc interrogauerim. Scio bene, quòd ex Capuccinis ad nos conuolarunt multi, qui iure communi recipiebantur, & tot fuerunt, quando, vt multum ſuper hoc grauata Religio noſtra, pro remedio ſupplicauerit Pontifici, qui reciprocum hunc tranſitum prohibuerit, licèt quò ad nos fuerit pro potiori cautela, ſeu ad tollendos ſcrupulos, ſeu ad declarandum ius commune. Quò verò ad tranſitum ipſorum ad nos fuit omnino neceſſarium, nam derogat iuri communi; & tot priuilegiis ſupra conceſſis, quibus poſſumus ex omnibus Religionibus ad nos conuolantes recipere, ius commune corroborantibus.

CONSTITVTIO III.

Quâ declarat, Ordinum Minimorum inter Mendicantes eſſe connumerandum, eique omnia priuilegia Mendicantibus conceſſa communicat.

PIVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemiũ. *POSTOLICÆ Sedis benignitas, ſicut ex debito paſtoralis officij erga omnes fideles generaliter affectum charitatis oſtendit, ſic eos, quos ſub regularis obſeruantia iugo diuino cultui emancipatos eſſe cognoſcit, ſpeciali tenetur patrocinio confouere.*

Supplicatio. §. 1. *Exponi ſunt nobis nuper fecerunt dilecti filij fratres Ord. Minimorum S. Franciſci de Paula, iamdudum Apoſtolica auctoritate approbati, quòd licèt inter alia eis conceſſa priuilegia, & indulta, omnia, & ſingula quatuor Mendicantium Ordinum priuilegia ad Ordinem Minimorum huiuſmodi, ac illius profeſſores, & domos, eorumque Eccleſias per Sedem Apoſtolicam extenſa, & ampliata fuerint, & propterea fratres Ordinum huiuſmodi etiam ſub Mendicantium nomine comprehendi debeant, nec ſuper præmiſſis à quoquam moleſtari poſſint. Cum tamen, ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, ex eo quòd nos nuper in quadam declaratione per nos ſub Mendicantium fratrum Ordinibus, certis tunc expreſſis, de cauſis, factu, præter S.Dominici, S.Franciſci, ac eremitarum S. Auguſtini, necnon Carmelitarum Mendicantium Ordines, etiam in illis B. Mariæ ſeruorum inſeri voluerimus, ac propterea facile à quibuſdam dubitari meritò poſſet, quòd, ſi Ordini Minimorum fratres huiuſmodi ſub illis comprehendi voluiſſemus, nos ſpecialem etiam de illis mentionem omnino feciſſemus. Quare, ne ſuper præmiſſis vnquam dubitari contingat, iidem fratres nobis humiliter ſupplicari fecerunt, vt ſibi in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.*

§. 2. *Nos attendentes, eos, cum actu mendicent, non niſi honeſta de cauſa in Mendicantium Ordines eſſe aſcriptos, ac propterea ſua priuilegia illæſa conſeruare volentes, eoſque & eorum quemlibet à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes; necnon quarumcumque litium, & cauſarum ſtatus, ac merita, nomina, & cognomina iudicum, coram quibus illa pendent, ac collitigantium, aliorumque necnon quorumcumque priuilegiorum, indultorum, exemptionum, & immunitatum eis conceſſorum præſentibus pro expreſſis habentes, cauſaſque huiuſmodi ad nos harum ſerie auocantes, illaſque penitus, & omnino extinguentes, ac litigantibus huiuſmodi perpetuum ſuper præmiſſis ſilentium imponentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia, & ſingula priuilegia immunitates, exemptiones, facultates, gratias, libertates, indulta, & alias gratias, tam per nos nuper, quàm per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, & Sedem eandem quomodolibet Mendicantibus Ordinibus conceſſa, ad præfatum Minimorum Ordinem de nouo extendimus, & ampliamus; ipſoſque verè Mendicantes eſſe, & ſub Mendicantium Ordinibus eſſe, & comprehendi debere, necnon omnia, & ſingula Concilij Tridentini decreta pro Mendicantibus Ordinibus declarata, & modificata, etiam pro Ordine Minimorum huiuſmodi declaramus, & modificamus.* Declarat provt in ſummario

§. 3. *Diſtrictiùs in virtute ſanctæ obedientiæ, ac aliis arbitrio noſtro infligendis pœnis inhibentes quibuſvis locorum Ordinariis, ac aliis quibuſcumque ne eoſdem fratres Ordinis Minimorum contra eis ſit conceſſa priuilegia moleſtare,* Mandat Ordinariis, ne moleſtent fratres contra ſua priuilegia

inquieta

mis super his habendis seruatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Derogat. contrariis. §. 11. *Non obstantibus Regula ipsius Ordinis, & Correctorio nuncupato, & aliis præmissis, & quibusuis Apostolicis, necnon in prouincialibus, & synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus constitutionibus & ordinationibus, ac ipsius Odinis, illiusque Monasteriorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, & reformationibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, Monasteriis, & Ordini prædictis, illorumque Superioribus, personis quibusuis aliis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, etiam motu simili quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis; quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad id seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressum, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscat. die 27. May, 1568. Pontific. nostri anno 3.*

§. IX.

1\. NOta, quòd priuilegia per modum contractus, vt est istud, non reuocantur per clausulam generalem, etiam expressam, nisi saltem in genere reuocentur priuilegia, etiamsi per modum contractus fuerint concessa: Quia cum talia priuilegia iure ordinario irreuocabilia sint, & necessaria sit grauissima causa, vt iustè reuocentur non præsumuntur reuocari, nisi prædicto saltem modo sufficienter exprimantur. Ita Sanchez *lib.8. de matrim. disput. 33. num.8.* Suarez *lib. 8. de leg. cap. 38. num. 3.* Mandos. *in reg. 12. Cancellar. quæst. 9. num. 2.* Circa hanc constit. multa essent dicenda, sed quia pertinent ad Ordinis constitutiones; consultò omitto, dicturus in actuum generalium recollectione, si Religio iusserit.

CONSTITVTIO II.

Quâ Capuccini non possunt transferri ad Ordinem Minimorum, nec è contra.

PIVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

SEdis Apostolicæ solertia, dum ad salutare quorundam remedium extructa in eorum detrimentum vergere conspicit, ne, quod illis profuturum maturitate summa prodiisse comperitur, noxiam incauto ministerio efficiatur, celeris prouisionis opem afferre consueuit, prout in Domino conspicit salubriter expedire. Prœmiū.

§. 1. *Sanè accepimus, quòd, cum aliquando contingat, aliquos fratres religiosos, tam Ordinis S.Francisci Capuccinorum, quàm eiusdem S.Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum de vno loco ad alium, etiam forsan absque suorum Superiorum licentia, transferri, exinde perturbationes, & mala exempla inter eosdem fratres sæpius oriri solent.* Motiua.

§. 2. *Nos cupientes perturbationibus, & malis exemplis huiusmodi, quantùm cum Deo possumus, obuiare; motu proprio, non ad alicuius instantiam, sed de nostra mera liberalitate, & ex certa nostra scientia, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus nullus ex fratribus Capuccinis ad dictum Ordinem S.Francisci de Paula, nec è conuerso, quòd vllus frater eiusdem S. Francisci de Paula ad Ordinem fratrum Capuccinorum huiusmodi vllo vnquam tempore, & quacumque etiam, & quantumcumque iustissima causa, etiam de licentia suorum Superiorum, se transferre possit, Apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuò statuimus, & ordinamus.* Statuit prout in summario.

§. 3. *Decernentes, statutum, & ordinationem huiusmodi per fratres præfatos sub indignationis nostræ pœna inuiolabiliter obseruari debere; ac ex nunc irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate tam ordinaria, quàm delegata, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.* Decretum irritans.

§. 4. *Non obstantibus Apostolicis, ac in prouincialibus, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.* Derogat contrariis.

§. 5. *Cæterùm quia difficile foret præsentes literas ad singula quaque loca, in quibus de eis fides forsitan facienda foret, deferri; volumus, vt ipsarum transumptis manu publici Notarij subscriptis, & sigillo alicuius personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, in iudicio,* Transumptis fidem adhiberi iubet.

&

& extra vbi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ, apud S.Petrum, sub annulo Pisc. die 6. Octobris 1567. Pontif. nostri anno 2.

§. II.

1. Noto quò ad illam partem, quæ prohibet Minimis ingressum ad Capuccinos, quòd videtur, Pontificem fuisse malè informatum; Nam cum Religio nostra sit omnium strictissima, vt dictum est sæpius supra, & probo latè *tom. 1. Relig. quæst. 1. cap. 24. §. 1.* de iure communi non poterant ad Capuccinos transire. Adde, quòd per multas constitutiones supra relatas prohibiti sunt Minimi ad alium Ordinem transire sub grauibus pœnis, quas eam recepti, quàm recipientes ipso facto incurrere habeant, vt videri potest *constit. 4. Pauli III. §. 2.* Sed suspicor, quòd aliqui apostatæ à nostra Religione ad Capuccinos transirent, quos fortè recipiebant bona fide, putantes id sibi licere, licèt si; vt verum fatear, nunquam audiui, quòd vllus ex nostris ad Capucinos transierit, quamvis antiquissimos in Religione senes super hoc interrogauerim. Scio bene, quòd ex Capuccinis ad nos conuolarunt multi, qui iure communi recipiebantur, & tot fuerunt, quando, vt multum super hoc grauata Religio nostra, pro remedio supplicauerit Pontifici, qui recipientes hunc transitum prohibuerit, licèt quò ad nos fuerit pro potiori cautela, seu ad tollendos scrupulos, seu ad declarandum ius commune. Quò verò ad transitum ipsorum ad nos fuit omnino necessarium, nam derogat iuri communi; & tot priuilegiis supra concessis, quibus possumus ex omnibus Religionibus ad nos conuolantes recipere, ius commune corroborantibus.

CONSTITVTIO III.

Quâ declarat, Ordinum Minimorum inter Mendicantes esse connumerandum, eique omnia priuilegia Mendicantibus concessa communicat.

PIVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procœmiũ. *POSTOLICÆ Sedis benignitas, sicut ex debito pastoralis officij erga omnes fideles generaliter affectum charitatis ostendit, sic eos, quos sub regularis obseruantiæ iugo diuino cultui emancipatos esse cognoscit, speciali tenetur patrocinio confouere.*

Supplicatio. *§. 1. Exponi sanè nobis nuper fecerunt dilecti filij fratres Ord. Minimorum S. Francisci de Paula, iamdudum Apostolica auctoritate approbati, quòd licèt inter alia eis concessa priuilegia, & indulta, omnia, & singula quatuor Mendicantium Ordinum priuilegia ad Ordinem Minimorum huiusmodi, ac illius professores, & domos, eorumque Ecclesias per Sedem Apostolicam extensa, & ampliata fuerint, & propterea fratres Ordinum huiusmodi etiam sub Mendicantium nomine comprehendi debeant, nec super præmissis à quoquam molestari possint. Cum tamen, sicut eadem expositio subiungebat, ex eo quòd nos nuper in quadam declaratione per nos sub Mendicantium fratrum Ordinibus, certis tunc expressis, de causis, facta, præter S.Dominici, S.Francisci, ac eremitarum S. Augustini, necnon Carmelitarum Mendicantium Ordines, etiam in illis B. Mariæ seruorum inseri voluerimus, ac propterea facile à quibusdam dubitari meritò posset, quòd, si Ordini Minimorum fratres huiusmodi sub illis comprehendi voluissemus, nos specialem etiam de illis mentionem omnino fecissemus. Quare, ne super præmissis vnquam dubitari contingat, iidem fratres nobis humiliter supplicari fecerunt, vt sibi in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.*

§. 2. Nos attendentes, eos, cum actu mendicent, non nisi honesta de causa in Mendicantium Ordines esse ascriptos, ac propterea sua priuilegia illæsa conseruare volentes, eosque & eorum quemlibet à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes; necnon quarumcumque litium, & causarum status, ac merita, nomina, & cognomina iudicum, coram quibus illæ pendent, ac collitigantium, aliorumque necnon quorumcumque priuilegiorum, indultorum, exemptionum, & immunitatum eis concessorum præsentibus pro expressis habentes, causasque huiusmodi ad nos harum serie auocantes, illasque penitus, & omnino extinguentes, ac litigantibus huiusmodi perpetuum super præmissis silentium imponentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia, & singula priuilegia immunitates, exemptiones, facultates, gratias, libertates, indulta, & alias gratias, tam per nos nuper, quàm per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, & Sedem eandem quomodolibet Mendicantibus Ordinibus concessa, ad præfatum Minimorum Ordinem de nouo extendimus, & ampliamus; ipsosque verè Mendicantes esse, & sub Mendicantium Ordinibus esse, & comprehendi debere, necnon omnia, & singula Concilij Tridentin. decreta pro Mendicantibus Ordinibus declarata, & modificata, etiam pro Ordine Minimorum huiusmodi declaramus, & modificamus. Declarat prout in summario

§. 3. Districtiùs in virtute sanctæ obedientiæ, ac aliis arbitrio nostro infligendis pœnis inhibentes quibusuis locorum Ordinariis, ac aliis quibuscumque ne eosdem fratres Ordinis Minimorum contra eis sic concessa priuilegia molestare, inquieta- Mandat Ordinariis, ne molestent fratres contra sua priuilegia

inquietare, vel perturbare audeant, vel præsumant.

Clausula præseruatiua. §. 4. Decernentes quoque, præsentes literas vllo vnquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari nullatenus posse, minusue sub quibusuis similium, vel dissimilium gratiarum reuocationibus, modificationibus, limitationibus, restrictionibus, & aliis contrariis dispositionibus, tam per nos, quàm etiam successores nostros quomodolibet, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque decretis pro tempore factis, & faciendis, quorumcumque tenorum existant, includi, sed, illis non obstantibus, in suis robore, & efficacia persistere, & quoties illa emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, etiam sub data per ipsos fratres Ordinis Minimorum eligenda de nouo concessas esse, & ita incommutabilis voluntatis, & intentionis nostræ esse, & ad hoc vt perpetua firmitate subsistant, vim validi, & efficacis contractus inter dictam Sedem, & præfatorum Ordinum Mendicantium fratres huiusmodi habere.

Clausula sublata, & decretum irritans. §. 5. Sicque per quoscumque iudices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardin. sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere. Irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Deputat Commissarios. §. 6. Quocirca venerab. fratribus Archiepiscopo Theatino, & Episcopo Amerino, ac dilecto filio Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum, per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque vbi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte eorundem fratrum Ordinis Minimorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra ipsos fratres Ordinis Minimorum huiusmodi voluntate, statuto, declaratione, & aliis præmissis omnibus, & singulis pacificè frui, & gaudere. Non permittentes, eos per quoscumque quomodolibet indebitè molestari: contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo. Et nihilominus, legitimis super his habendis seruatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Derogat contrariis. §. 7. Non obstantibus præmissis, ac fel. rec. Bonif. Papæ VIII. prædecessoris nostri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas quis vigore præsentium ad iudicium non extrahatur, & aliis, necnon in prouincialibus, & synodalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus, ac quibusuis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibus quoque, & aliis decretis, in genere, vel in specie, & quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros præfatos, ac nos, & Sedem præfatam, etiam motu proprio, & ex certa scientia, etiam consistorialiter, & de fratrum nostrorum consilio, necnon Apostolicæ potestatis plenitudine concessis, confirmatis, & innouatis; quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa mentio, seu aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romæ, apud S.Petrum, sub annulo Piscat. die 9. Nouemb. 1567. Pontif. nostri anno 2.

§. II.

1. Noto 1. quòd Religio Minimorum, antequam inter Mendicantes annumeraretur per hoc priuilegium, Mendicans Religio erat, tum quia & actu mendicabat, & ex sua primæua institutione euangelicam paupertatem profitetur, vt patet ex Regula, *numero.* 24. vbi dicitur: *Præterea sub paupertate euangelica perpetuò militantes omnes dicti fratres clerici, & laici, pecunias nullatenus tangant, nec illas scientes deferant. Neque ipsi in iudicio, aut extra contendendo repetant eleemosynas temporaneas, vel annuas, aut perpetuas, huic Ordini quomodolibet oblatas, cum illæ ab eis in toto, vel in parte auferentur.* Quod esse satis ad rationem Religionis verè Mendicantis, docet Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 2. lib. 1. cap. 8. numero. 3. & 4.* Quare ista annumeratio potiùs est quædam solemnis declaratio, quàm aliud; non enim Religio nostra est Mendicans, eo quia eam talem declarauerit Pius V. Sed eam sic declarauit, quia talis erat, & patet ex ipsa bulla §. 2. ibi. *Quare, ne super præmissis vnquam dubitari contingat.* Et §. 3. fine, vbi ait.

Ipsosque

Ipſoſque verè Mendicantes eſſe, & ſub Mendicantium Ordinibus eſſe, & comprehendi debere declaramus. Vnde conſtat clarè, quòd Papa ad tollenda dubia declarat, Ordinem Minimorum eſſe Mendicantem.

2. Noto 2. quòd Prædicatores præferuntur ſemper aliis Mendicantibus, & obtinent primum locum inter illos; *cap. Quorumdam, de elect.* vbi Gloſſa *verbo Prædicatorum* dicit, id eſſe, quia ille Ordo eſt antiquior, & antiquiores ſunt honorabiliores; *capit. 1. & cap. Statuimus, de mai. & obed.* Sed hæc ratio non valet; quia Ordines Auguſtinienſium, & Carmelitarum ſunt antiquiores Prædicatoribus, vt Caſſanæus *in catal. gl. mund. part. 4. conſid. 69. & 70.* Azor. *tom. 1. inſtit. mor. lib. 12. cap. 23. quæſt. 3. verſ. Quæres.* Ratio itaque poteſt eſſe. Vel quia dictus Ordo Prædicatorum fuit primò ſcripto, & ſolemni conſtitutione ab Apoſtolica Sede approbatus, vt dicit Azor. *loc. cit.* Vel (ſi hoc non valet, vt contendunt dicti Auguſtinienſes, & Carmelitæ) quia dictus Ordo apud dictum Sedem plus aliis literis, & ſanctitate promeruerit: Et certè genuit ſemper, & aluit hic Ordo à primæua ſui inſtitutione viros grauiſſimos, doctiſſimos, & ſanctiſſimos, qui Romanam Eccleſiam verbis, & operibus conſtantiſſimè, & indefeſsè propugnarunt. Vel denique quia ita placuit ſummis Pontificibus erga hanc Religionem bene affectis, vt in rebus iſtis poſitiuis communiter fieri ſolere docet Gloſſa *in cap. Cum ad ſacroſancta, de ſent. excom. extr. Io. XXII. verb. Duodecim*; & Gloſſa *in cap. fin. de ſent. excom. verb. Velle*; & habetur *in lib. 1. ff. de conſt. princ.* Vtvt ſit, certum eſt, Prædicatores præcedere omnes alios Mendicantes in proceſſionibus, diſputationibus, ſeſſionibus, cæteriſque actibus publicis, vel priuatis, in quibuſcumque ciuitatibus, locis, & terris, etiamſi ibi Eccleſias, domos, & conuentus non habuerint; ita, appoſita pœna excommunicationis latæ ſententiæ contradicentibus, & dictos fratres inquietantibus; declarauit Pius V. per ſuam conſt. quæ incipit, *Diuina diſponente*, apud Cherub. *tom. 2. bull. in eius conſtit. 71. §. 3. & 4. pag. 267.* Quæ declaratio licèt fuerit mutata à Greg. XIII. per eius conſt. 84. quæ incipit, *Expoſcit*, apud dictum Cherub. *loc. cit. in Greg. pag. 469.* fuit tamen poſtea reſtituta, & ampliata per Clem. VIII. per eius conſt. 13. quæ incipit, *Inter cætera*, apud dictum Cherub. *tom. 3. bull. in Clem. pag. 16.* De his Feſtus *in ſum. conſt. ſui Ord. p. 1. cap. 23.*

Noto 3. quod inter alias omnes Religiones in honoribus, ſeſſionibus, diſputationibus, prædicationibus, locutionibus, orationibus 40. horarum pro publico bono indictis, & aliis quibuſcumque actibus publicis non attenditur ordo fundationis conuentus in ciuitate, vel oppido, vt fit in proceſſionibus ſolemnibus, & publicis per ſpeciales declarationes Pontificum, vt dico *tom. 3. priuil. cap. 2. num. 27.* Sed attenditur ordo antiquitatis Religionis, *nam qui prior eſt tempore, potior eſt in iure, v.g. Qui prior, de reg. iur. in 6. cum. Antiqua; de priuileg. cap. Renouantes d. 22. l. Qui prior. ff. de iudic. inſtitut. §. ſingulorum de rer. diuin.* Plures Doctores, & textus ad id probandum affert Caſſanæus *in catalog. glor. mund. 4. part. conſ. 32. verſ. Quinto ergo modo*; quod ſi antiquitas verificari non poſſit conſuetudini legitimæ ſtandum eſt.

CONSTITVTIO. IV.

Quâ declarat, quòd Ordines tam S. Dominici, & S. Franciſci, quàm Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum, ac Seruorum B.M. ſunt verè, & propriè Ordines religioſi Mendicantes, etiamſi in communi bona, quamvis immobilia, poſſideant, eorumque gratiis omnibus perfruuntur.

PIVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex, tam vniuerſalis Chriſtianæ, quàm ſingularum eius Religionum præcipuus defenſor, omnibus illarum incommodis pro ſui paſtoralis officij debito libenter occurrit, & eorum indemnitati ſalubribus, iuxta temporum, morumque exigentiam, declarationibus, & aliis remediis conſulere ſolet opportunis.

§. 1. *Sanè licet dilecti filij omnium Mendicantium Ordinum fratres à contributione ſeminarij Clericorum, in qualibet Ciuitate iuxta eiuſdem Concilij formam erigendi, per Trident. Concilij decreta eximantur; Noſque inter alia eiſdem Mendicantium Ordinum fratribus conceſſa priuilegia, eos, & eorum quemlibet, tam à ſeminarij huiuſmodi contributione, quàm ſubſidio quomodolibet, necnon decimis quibuſcumque & certis aliis oneribus Apoſtolica auctoritate ſimiliter exemerimus, & liberauerimus, eoſque ad illorum omnium contributionem nullo vnquam tempore cogi, & compelli poſſe decreuerimus: Tamen non ſine animi moleſtia nuper accepimus, quòd nonnulli locorum Ordinarij, & forſan in prouincialibus Conciliis, eo forſan ſub prætextu, quòd Ordinum Mendicantium fratres huiuſmodi bona ſtabilia ex indulto, ſeu diſpenſatione Apoſtolica retinere poſſunt, & propterea Mendicantes re vera non ſint, eos ad ſeminarij, ſubſidij, decimarum, & aliorum onerum huiuſmodi contributionem cogere forſan præſumpſerunt, & in dies præſumunt, in graue ipſorum Ordinarium grauamen, & præiudicium non modicum.* Mendicantes ſunt exempti à contributione ſeminarij, & ſubſidij, &c.

§. 2. *Nos animo reuoluentes, eos ex fructibus bonorum huiuſmodi varias Reipublicæ Chriſtianæ vtilitates afferre, cum ex ipſis varios Magiſtros, & Doctores manuteneant, ex quorum doctrina ipſorum fratres nouitij eruditi poſtmodùm effecti, gregem Dominicam prædicationibus ſuis, conſiliis, confeſſionibus, orationibus, aliiſque innumeris pietatis operibus iuuent, & paſcant, eorumque domos nonminus, immo magis quam ea, quæ per Ordinarios erecta ſunt, ſeminaria vocari poſſe, & propterea Mendicantium* Declarat, qui ſint Ordines Mendicantes.

Aa

cantium nomen amittere nullo modo debere. Volentes idcirco omnem dubitandi materiam amputare, omnes, & singulos Mendicantium Ordinum fratres huiusmodi, ac eorum singulos à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, necnon quarumcumque litium, & causarum coram quibusvis iudicibus, & vbicumque quomodolibet pendentium status, & merita, nominaque & cognomina iudicum, & collitigantium, necnon quorumcumque priuilegiorum, indultorum, exemptionum, & immunitatum eorundem Ordinum Mendicantium fratribus hactenus quomodolibet concessorum tenores præsentibus pro expressis habentes; lites quoque & causas præfatas, vt præfertur, pendentes ad nos harum serie auocantes, illasque penitus extinguentes, & collitigantibus huiusmodi perpetuum super præmissis silentium imponentes; Motu proprio, non ad ipsorum fratrum, vel alterius eorum nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, ac de Apostolica potestatis plenitudine, omnes, & singulos quatuor Mendicantium Ordinum, videlicet S. Dominici, & S. Francisci, ac Eremitarum S. Augustini, necnon Carmelitarum, inter quos etiam recenseri volumus Seruorum B.M. nominibus comprehensos fratres; eorumque domus, Monasteria, & loca, etiamsi in communi propria bona, tam mobilia, quàm immobilia, & stabilia, ac alia quæcumque possederint Mendicantium vocabulo, omnibus, ac singulis Mendicantium priuilegiis, eis quomodolibet concessis vti posse, & debere, nec super præmissis vllo vnquam tempore molestari posse, auctoritate Apostolica per præsentes statuimus, & declaramus: Ac tam Concilij Trid. quàm omnia, & singula alia decreta, statuta, ordinationes, priuilegia, & iura de Mendicantibus loquentia, ad omnes, & singulos Ordines præfatos, eorumque domos, & loca etiam propria bona, in communi tamen, retinentes extendimus, & ampliamus, illaque de illis loqui etiam auctoritate præfata per easdem præsentes declaramus.

Eximit de nouo Mendicantes à contributione seminarij, & decimarum &c.

§. 3. *Ac insuper eisdem Ordinariis, & quibusvis aliis, tum Ecclesiasticis, quàm sæcularibus, quavis auctoritate fungentibus, in virtute sanctæ obedientiæ, & aliis arbitrio nostro moderandis pœnis, similiter per præsentes mandamus, vt, si quid per eos tam nostro, quàm prædecessoris nostri temporibus, tam ratione seminarij, subsidij, & decimarum, quàm aliorum onerum huiusmodi exactum fuit, id totum eisdem fratribus, omni mora, & dilatione postpositis, restituant; Districtius inhibentes eisdem locorum Ordinariis, cæterisque personis, tam ecclesiasticis, quàm sæcularibus, quavis auctoritate fungentibus, & cuiusvis dignitatis, gradus, & conditionis existentibus, ne eosdem Mendicantium Ordinum fratres præfatos, bona huiusmodi retinentes, quovis prætextu super seminarij, subsidij, & decimarū contributione molestare, inquietare, vel perturbare audeant, vel præsumant.*

Clausula præseruatiua.

§. 4. *Decernentes quoque, præsentes literas nullo vnquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari vllatenùs posse, minusvè sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum reuocationibus, modificationibus, limitationibus, restrictionibus, & aliis contrariis dispositionibus, tam per nos, quàm etiam successores nostros quomodolibet, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque decretis, pro tempore factis, & faciendis, quorumcumque tenorum existunt, includi, sed, illis non obstantibus, in suis robore, & efficacia persistere, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, etiam, sub data per ipsos eligenda de nouo concessas esse, & ita incommutabilis voluntatis, & intentionis nostræ esse, & ad hoc vt perpetua firmitate subsistant, vim validi, & efficacis contractus inter Sedem Apostolicam, & præfatorum Ordinum Mendicantium huiusmodi fratres habere debere.*

Clausula sublata, & decretum irritans.

§. 5. *Sicque per quoscumque iudices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari debere. Irritum quoque, & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Commissarios deputat.

§. 6. *Quocirca dilectis filiis Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori, necnon quorumcumque tam cathedralium, quàm collegiatarum Ecclesiarum Decanis, Præpositis, Archipresbyteris, Archidiaconis, Thesaurariis, & quibusvis aliis in eisdem Ecclesiis dignitates obtinentibus, vbilibet, & in quibuscumque regionibus, terris, & locis existentibus, per præsentes motu simili mandamus, quatenus ipsi, & eorum quilibet per se, vel alium, seu alios, præsentes literas, & in eis contenta quæcumque vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum fratrum, vel alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis omnibus efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra eosdem fratres, & eorum singulos præmissis omnibus pacificè frui, & gaudere; non permittentes, eos, vel eorum quempiam super illis quomodolibet indebitè molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas*

ecclesiasticas,

ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, & nihilominus, legitimis super his habendis seruatis processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsas etiam aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij saecularis.

Derogat contrariis.

§. 7. *Non obstantibus fel. rec. Bonif. Papæ VIII. prædecessoris nostri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodò vltra tres dietas quis vigore præsentium ad iudicium non trahatur, & aliis Apostolicis, necnon in prouincialibus, & synodalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus, ac quibusvis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu simili, & ex certa scientia, ac Apostolica potestatis plenitudine, ac aliàs quomodolibet, etiam consistorialiter concessis, approbatis, confirmatis, & sæpius innouatis: quibus omnibus, etiamsi de illis, illorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa mentio, seu aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.*

Transumptis fidem adhiberi iubet.

§. 8. *Volumus autem, quòd præsentium transumptis manu alicuius Notary publici subscriptis, aut alicuius Prælati in dignitate ecclesiastica constituti sigillo munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibita, vel ostensa.*

Iubet has literas publicari.

§. 9. *Quòdque eadem præsentes in valuis Cancellariæ Apostolicæ, & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, necnon in acie campi Floræ per aliquem ex Cursoribus nostris publicentur, & inter extrauagantes constitutiones perpetuò valituras conscribantur, ac, postquam publicata fuerint, plenam, & indubiam fidem faciant, necnon omnes, & singulos illas concernentes perinde ligent, ac si essent personaliter intimata. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annullo Pisc. die 1. Octobris, 1567. Pontif. nostri anno 2.*

§. II.

1 Noto 1. quòd vltra dictos Ordines, inter Mendicantes relati etiam sunt Ordines Minimorum, vt supra const. anteced. Fratrum S. Hieronymi Iesuatorum per eundem Pium in bulla, quæ incipit, *Romanus Pontifex priuilegia*; & refert Rodriq. *in suo bull. in Pio V bulla eius* 21. & Cherub. *tom. 2. bullar. in Pio V. constit. eius* 50. Et Fratrum Societatis Iesu, per constit. Pij V. quæ incipit, *Dum indefessè*; & refert Rodriq. *in bullar. in constit eius* 5. & fratrum Carmelitarum discalceatorum à Clem. VIII. per suam constit, *Decet pacem*, apud Rodriq. *in bull. in Clem. VIII. constit. eius vlt.*

2. Noto 2. quòd omnes Religiosi, qui sunt in Ecclesia Dei, in quatuor primarias, & principales species diuiduntur. In Monachos, in Mendicantes, in Clericos regulares, & in Clericos sæculares Monachi sunt, & dicuntur illi, qui toti contemplationi dediti, solitariam vitam agunt. Mendicantes sunt, & dicuntur illi, qui Martham, & Magdalenam imitantes, Deo, & proximo student inseruire. Vnde Panor. *in cap. Causam. el. 1. de iudic. num.* 2. ait Monachi propriè, & strictè possunt dici illi, qui vi Regulæ stant solitarij in Monasterio, nec immiscent se in prædicationibus, nisi habeant administrationem; dicuntur enim Monachi à solitudine; vnde omnes Monachi possunt dici fratres, sed non conuertitur, quia omnes fratres non dicuntur Monachi, nam Mendicantes in rigore non accipiunt illam denominationem strictè sumptam. Clerici regulares dicuntur, & sunt illi, qui collegialiter viuunt sub votis Religioni essentialibus, & à Monachis, vel fratribus Mendicantibus parum, vel nihil differunt: In essentialibus nihil? in accidentalibus differunt. Clerici sæculares dicuntur illi, qui in propriis domibus habitant, & ex proprio, vel patrimoniali, vel labore parto viuunt, & constituunt tertium genus hominum. 1. enim genus est purè sæcularium; 2. purè Religiosorum; 3. est mixtum ex 1. & 2. & vocatur Clericorum sæcularium. Ita Hostiens. *in summ. de vitu, & honest. Cler.* §. 2.

3. Noto 3. quòd disputant inter se Doctores, an Apostoli fuerint Clerici regulares; an verò Monachi, seu fratres. Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 2. lib. 1. cap. 7. num.* 12. Caracciol. *in const. Cleric. regul. in præfat. num.* 1. Clericos fuisse asseuerant. Communis opinio est, fuisse Monachos, & Monachorum Patres. Ita Cassian. *collat.* 18. *cap.* 5. Quòd tria Religionis vota emiserint, docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 3. *ad* 3. Ex quo aliqui prætendunt probare, Apostolos Monachos fuisse. Sed non valet, nam & Clerici Regulares eadem vota faciunt. Mihi videtur quæstio de nomine; cum isti omnes in essentia conueniant, & solùm in nomine, habitu, & constitutionibus accidentalibus differant. Nihilominùs dico, probabilius & certius esse, Apostolos fuisse Monachos, seu fratres, quàm Clericos; Tum quia ita videntur sensisse omnes SS. Patres Chrysost. *homil.* 3. *contra vituperat. vit. monast.* Isidor. *lib.* 2. *de offic. eccles. cap.* 15. Bernard. *in apolog. ad Gulielm. Abb. versus finem.* Tum quia credendum est, Apostolos eam elegisse vitam, quæ esset omnium perfectissima, vt perfectionis magistri possent meritò dici, & ex abundantissima gratia, quam à Christo acceperant, aliud promanasse credendum non est. Sed illa vita est omnium perfectissima, quæ est omnium strictissima, vt probo cum multis *tom.* 1. *Relig. quæstion. capit.* 24. *conclus.* 7. Et patet. 1. quia ad strictissimam, vtporè perfectissimam, datur transitus à quacumque minùs stricta, & minùs perfecta. 2. quia illa Religio perfectior est, quæ magis religat, &

subiicit sensus rationi, cum enim hæc vulnerata fuerit per peccatum Adæ, contra eam recalcitrarunt illi, & in se ipsos laxati sunt; sensus autem non subiiciuntur rationi magis quàm per abstinentias, & pœnitentias; vndè dictum est *Vexatio dat intellectum, & castigasti me, & eruditus sum.* Ergo, cum negari non possit, Religiones Monachorum esse strictiores; tum propter multitudinem, tum propter duritiam præceptorum; tum propter alia, quæ ipsi probant; neque etiam negari potest, quin Apostoli fuerint veri Monachi. Adde, quòd forma habitus, qui modò defertur à Papa, & à Cardinalibus, quam ab Apostolis deriuasse eredendum est habitui monachali, & caputio fratrum assimilatur potius, quam habitui Clericorum. Similiter corona seu tonsura Papæ, & Cardinalium magis assimilatur coronæ Monachorum, quàm Clericorum. Etsi non abradantur ex parte inferiori capitis, vel id vsus obtinuit, vel est, quia ratione status à temporalibus non sunt omnino abstracti. Et si vis scire, quid ipsa tonsura significet, & quare fiat in summitate capitis cum abrasione capillorum; & quare eam non deferant conuersi, & quare isti in inferiori parte capitis abradantur (licèt hoc vltimum apud nos non sit in vsu) consule Glossam *in clem. final. de vita, & hon. Cler. verb. Et tonsuram.*

CONSTITVTIO V.

Quâ reuocat omnes licentias concessâs mulieribus ingrediendi Monasteria fratrum, & prohibet tales ingressus sub pœna excommunicationis ipso facto, postquam harum literarum notitiam habuerint, absolutionem sibi reseruando; introducentibus verò apponit pœnam priuationis, & suspensionis à diuinis.

PIVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procœmiũ. *Regularium personarum, quæ, relicto sæculo, Dei se obsequio dedicarunt, pro commisso nobis officio quieti consulere cupientes, ad ea remouenda, quæ religiosum earum propositum impedire possunt, curam nostram libenter intendimus, vt nulla re, quæ eas à diuino cultu auocet, præpedita, secundùm Ordinum suorum regularia instituta, & decretum sacri Trid. Concilij tranquillis mentibus gratum Altissimo impendere possint famulatum.*

Motiua. §. 1. *Quia igitur & Carthusiensium Ordinis, & aliorum regularem vitam professorum quies non parum solet, sicut accepimus, perturbari, propterea quòd mulieres modestiæ matronalis oblitæ, domos, ac Monasteria eorum contra ipsorum instituta, prætextu confessionalium, aut aliarum literarum Apostolicarum ingredi audeant, ipsis etiam Abbatibus, Præpositis, Prioribus, & aliis Præsidentibus aliquando recusantibus, & renitentibus, non sine magna eorum molestia, nec sine graui laicorum etiam offensione, ac scandalo, si quando admittere nimis facilè videantur.*

§. 2. *Huic rei prouidere volentes, motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & singulas facultates, ac licentias ingrediendi Monasteria, ac domos Carthusiensium, & aliorum, quorumcumque regularium Ordinum, etiam Mendicantium, mulieribus cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, & quacumque dignitate, ac præeminentia præditis, etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, & cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus, efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, ab Apostolica Sede quomodocumque concessas, quarum tenores perinde, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, haberi volumus pro expressis, tenore præsentium reuocamus, & cassas, irritas, & inanes esse decernimus.* Prohibet prorsus in summariu Vide constit 6. Iul. II. §. 3. à num. 4.

§. 3. *Districtè prohibentes mulieribus quidem prædictas facultates, & licentias prætendentibus sub excommunicationibus latæ sententiæ pœna, postquam harum literarum notitiam habuerint, à qua non possint, nisi à nobis, aut à Romano Pontifice, qui pro tempore fuerit, absolui, præterquam in mortis articulo, ne dictas domos, & Monasteria ingredi audeant.* Introeuntibus apponit pœnas.

§. 4. *Ipsis verò Monasteriorum, & Conuentuum Abbatibus, Præpositis, Prioribus, & aliis Præsidentibus, quocumque nomine vocentur, & eorum Monachis, Canonicis, & Fratribus, siue Mendicantibus, siue non Mendicantibus, sub priuationis officiorum, quæ in præsentia obtinent, & inhabilitatis in posterum ad illa, & alia omnia, & suspensionis à diuinis ipso facto, sine alia declaratione incurrendis pœnis, ne eas introducere, admittereuè præsumant.* Introducentibus apponit pœnas.

§. 5. *Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, & mandamus, vt hæ literæ ad valuas Basilicæ B. Petri Apostolorum Principis, & in Cancellaria nostra, atque in acie campi Floræ de more publicentur.* Derogat contrariis; & has literas publicari iubet.

§. 6. *Quia verò difficile foret has literas ad omnia loca deferri: volumus, & declaramus vt earum exemplis, & transumptis manu scriptis, vel impressis, & manu alicuius Notarij publici subscriptis, ac sigillo alicuius Prælati munitis, par vbique fides habeatur, ac si præsentes exhibitæ essent, vel ostensæ. Datum. Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscat. die 24. Octobr. 1566. Pontif. nostri anno 1.* Transumptis fidem adhiberi iubet.

CONSTITV

CONSTITVTIO VI.

Quâ mandat omnibus monialibus clausuram, etiam tertiariis, & aliis, qui nec eam promiserunt, nec vnquam seruauerunt. Prouidet, quòd per Conuersas colligantur eleemosynæ pro ipsarum monialium sustentatione; quas tamen Conuersas in ipsis Monasteriis recipi vetat: quòd si eleemosynæ per Conuersas collectæ non sufficiant, prouideant Ordinarij colligi per alias personas pias; nec plures moniales recipiantur, quàm quæ commodè sustentari possunt.

PIVS EPISCOPVS, SERVVS seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Procemiũ.

*Irca pastoralis officij nobis, meritis licèt imparibus, desuper commissi curam, quantùm nobis ex alto permittitur, inuigilantes assiduè, ad ea, per quæ singulis erroribus, & excessibus obuiatur, ac personis quibuslibet, præsertim fæminei sexus, virginitatem suam Altissimo vouentibus, sub Religionis iugo Christo Saluatori in castitatis holocausto famulari affectantibus, semita iustitiæ, & honestatis declinantibus, ne quicquam in eis reperiatur incongruum, quod in regularis ponat honestatis gloria maculam, & diuinam meritò possit offendere maiestatem, opportunè succurritur, libenter intendimus, ac in his nostræ vigilantiæ partes propensius impertimur, prout in Domino salubriter expedire conspicimus.*

Moniales tacite vel expresse professæ clausuram seruent.

§. 1. *Hac igitur perpetuò valitura constitutione, inhærentes etiam constitutioni fel. record. Bonif. Papæ VIII. prædecessoris nostri, quæ incipit, Periculoso; & decretis Concilij Trid. super clausura monialium editis, auctoritate Apostolica, tenore præsentium statuimus atque perpetuò decernimus, vniuersas, & singulas moniales præsentes, atque futuras, cuiuscumque Religionis, Ordinis, vel Militiarum, etiam Ierosolimitan. sint, quæ vel iam receptæ sint, vel in posterum in quibusuis Monasteriis, siue domibus recipientur, & tacitè, vel expressè Religionem professæ, etiamsi Conuersæ, aut quocumque alio nomine appellentur, etiamsi ex institutis, vel fundationibus earum Regula ad clausuram non teneantur, nec vnquam earum Monasteriis, seu domibus, etiam ab immemorabili tempore ea seruata non fuerit, sub perpetua in suis Monasteriis, seu domibus, de cætero debere permanere clausura, iuxta formam dictæ constitut. fel. record. Bonifac. Papæ VIII. prædecessoris nostri, quæ incipit, Periculoso, in sacro Concilio Triden. approbatæ, & innouatæ, quam nos auctoritate præfata etiam approbamus, & innouamus in omnibus, & per omnia, ac illam districtè obseruari mandamus.*

§. 2. *Quòd si aliquæ moniales forsan reperiantur quæ consuetudine etiam immemorabili, aut instituto, vel fundatione Regulæ suæ fretæ, animo obstinato huic clausuræ resistant, aut quoquo modo reluctentur; Ordinarij, vnà cum Superioribus earum, omnibus iuris, & facti remediis compellant easdem tanquam rebelles, & incorrigibiles ad præcisè subeundum dictam clausuram, & perpetuò obseruandum.* Inobediẽtes cõerceantur per Ordinarios.

§. 3. *Mulieres quoque, quæ tertiariæ, seu de pœnitentia dicuntur, cuiuscumque fuerint Ordinis, in Congregatione viuentes, si & ipsæ professæ fuerint, ita vt solemne non emiserint, ad clausuram præcisè, vt præmittitur, & ipsæ teneantur. Quòd si votum solemne non emiserint, Ordinarij vnà cum Superioribus earum hortentur, & persuadere studeant, vt illud emittant, & profiteantur, ac post emissionem, & professionem eidem clausuræ se subiiciant; Quòd si recusauerint, & aliquæ ex eis inuentæ fuerint scandalosè viuere, seuerissimè puniantur.* Tertiariæ si solemne votũ emiserint, clausuræ subiiciantur; sin autem per Ordinarios ad clausuram suadeantur.

§. 4. *Cæteris autem omnibus sic absque professionis emissione, & clausura viuere omnino volentibus interdicimus, & perpetuò prohibemus, ne in futurum vllam aliam prorsus in suum Ordinem Religionem, Congregationemvè recipiant. Quòd si contra huiusmodi hanc nostram prohibitionem, & decretum aliquas receperint, eas ad sic viuendum omnino inhabiles reddimus, ac illarum quaslibet professiones, & receptiones irritas decernimus, & nullas; prout etiam præsenti decreto irritas facimus, & annullamus.* Volentes sine clausula, & professione viuere, non recipiantur in aliqua Religione, seu Congregatione.

§. 5. *Porro, ne moniales, & tertiariæ prædictæ propter hanc clausuram detrimentum, aut incommodum aliquod in earum necessitatibus, maximè in pertinentibus ad illarum victum, patiantur, sed vt eis opportunè consulatur, auctoritate Apostolica præfata statuimus, decernimus, præcipimus, atque mandamus Ordinariis, & Superioribus earum, vt curent colligi fidelium eleemosynas per Conuersas, quæ non sint professæ, vel si professæ fuerint, sint tamen annorum quadraginta, & in domibus contiguis, extra tamen Monasterium degant, & non ingrediantur clausuram aliarum monialium, nisi in casibus ex earum constitutionibus permissis, & de earum domibus exire non possint pro huiusmodi eleemosynis colligendis, nisi de licentia Ordinarij, vel earum Superiorum.* Eleemosynæ pro monialibus colligantur per Conuersas, aut per professas habitantes propè Monasteria ætatis annorum 40.

§.6. *Et de cætero nulla alia Conuersa professa recipi ampliùs, etiam de consensu suorum Superiorum, vel Prælatorum possint. Quòd si aduersùs hanc nostram prohibitionem receptæ fuerint; illarum receptio nulla, irrita, & inanis sit, prout ex nunc nullam, irritam facimus, & annullamus.* Conuersæ professæ de cætero non recipiantur.

Si eleemosynæ à Conuersis receptæ non sufficiant, prouideant Ordinarij de aliis.

§. 7. Quòd si prædicto modo necessitatibus monialium, & mulierum tertiarum prædictarum succurri sufficienter non poterit, mandamus ipsis Ordinariis, & Superioribus earum, vt ipsi prouideant de aliis personis piis, & Deo deuotis, quæ fidelium eleemosynas colligant, vel aliàs eo meliori, & commodiori modo, quo fieri poterit, etiam ex opere manuum ipsarum monialium, & mulierum prædictarum, arbitrio Ordinariorum, & Superiorum earundem, & prout eis congruentius expedire videbitur, prouideatur, & succurratur.

Monialium numerus reguletur iuxta Monasteriorum redditus.

§. 8. Et, ne propter monialium numerum excessiuum clausuræ obseruatio violetur, inhærentes etiam similiter dispositioni dictæ constit. Bonif. & Concilij Trid. decreto, monialibus prædictis, & illarum Superioribus, & Ordinariis districtè inhibendo præcipimus, & mandamus, ne plures in earum Monasteriis recipiant, & admittant, seu recipi, & admitti permittant, quàm ex propriis redditibus ipsorum Monasteriorum, vel consuetis eleemosynis commodè sustentari possint.

Executores deputat.

§. 9. Mandantes propterea in virtute sanctæ Obedientiæ sub obtestatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ, vniuersis vener. fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, quatenus in Ciuitatibus, & Diœcesibus propriis præsentes literas nostras publicari faciant, ac in Monasteriis monialium sibi ordinario iure subiectis: In his verò, quæ ad Romanam mediatè, vel immediatè spectant Ecclesiam, Sedis Apostolicæ auctoritate, vnà cum Superioribus eorundem Monasteriorum, clausuram, vt permittitur, quamprimùm poterint, seruari procurent. Contradictores, atque rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis.

Rogat Principes sæculares, vt hoc opus adiuuent.

§. 10. Ac, vt hoc tam salutare decretum faciliùs obseruetur, omnes Principes sæculares, & alios Dominos, & Magistratus temporales rogamus, requirimus, & obsecramus per viscera misericordiæ D.N. Iesu Christi, eisdem in remissionem peccatorum iniungentes, quòd in præmissis omnibus eisdem Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis monialium Superioribus assistant, ac suam fauorem, & auxilium præstent, ac impedientes pœnis etiam temporalibus afficiant.

Derogat contrariis.

§. 11. Præmissis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam per Sedem Apostolicam approbatis, & confirmatis, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, etiam in fundatione, & institutione eisdem Monasteriis, vel domibus, & monialibus sub quibuscumque verborum formis, & clausulis irritantibus, & aliis decretis quibuslibet concessis, confirmatis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis; quibus omnibus, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro sufficienter expressis habentes, quò ad effectum validitatis nostræ constitutionis tantùm derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quòd interdici, aut suspendi non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§. 12. Per hoc autem in Monasteriis exemptis Ordinarij locorum quò ad alia sibi nullam credant iurisdictionem, vel potestatem aliquatenus eis attributam. Ordinarij in hoc casu etiam in locis exemptis procedant.

§. 13. Volumus autem, quòd præsentes literæ ad valuas Basilicæ B. Petri Apostolorum Principis, & in Cancellaria nostra, ac acie campi Floræ publicentur, & inter constitutiones extrauagantes perpetuò valituras conscribantur. Iubet has literas publicari.

§. 14. Et quia difficile foret, præsentes ad singula quæcumque loca deferri, volumus, ac etiam declaramus, quod earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij subscriptis, ac sigillo alicuius Prælati munitis eadem prorsus fides vbicumque adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo, &c. Datum Romæ, apud S. Petrum anno Incarn. Dom. 1566. quarto Kal. Iunij, Pontif. nostri anno 1. Transumptis fidem adhiberi iubet.

§. I.

1. NOto 1. quod innuuat Papa constitut. Bonif. VIII. quæ habetur *cap. vn. de statu Regul. in 6.* & incipit, *Periculoso*, vbi prohibetur monialibus tacitè, vel expressè professis, è clausuris Monasterij exire, nisi in casu grauissimæ infirmitatis, non valentis cum aliis curari, nisi cum periculo graui, & scandalo. Prohibetur etiam ingressus, & accessus ad illas, nisi causa adsit legitima, & de Superioris licentia. Iubetur etiam, quòd in Monasteriis monialium non mendicantium non recipiantur, nisi tot sorores, quot poterunt de ipsorum Monasteriorum bonis sine penuria sustentari. Statuitur etiam, quòd si moniales debeant facere humagium pro feudo, quod Monasterium ipsum tenet, quòd illud faciant per Procuratorem, si possit fieri, sed si dominus noluit eas recipere per Procuratorem, debent ire ad ipsum dominum in decenti comitiua, &, facto homagio, ad Monasteria redire. Statuit etiam, quòd domini temporales in suis Curiis admittant, Abbatissas per Procuratores litigare, & ad id per suos Ordinarios censuris ecclesiasticis compellantur. Ecclesiastici verò in temporalibus, & spiritualibus earum Procuratores admittere debent.

2. Noto 2. quòd S. Trid. Synodus *sess. 25. de Reg. cap. 5.* innouat dictam constit. Bonif. & præcipit Episcopis obtestatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ, vt etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati, in Monasteriis exemptis

exemptis clausuram conseruari, vel restitui diligenter procurent, contradictores per censuras ecclesiasticas compescendo. Prohibentur etiam moniales professæ è Monasteriis exire, nisi ex legitima causa ab Episcopo approbanda. Ingredi autem intra septa Monasterij nemini licere determinat sine Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis obtenta, sub pœna excommunicationis ipso facto, quæ tamen nemini reseruatur, quam dicti dare non debent, nisi in casibus necessariis. Determinat etiam, quòd Monasteria monialium Episcoporum, & aliorum Superiorum cura intra Ciuitates, & Oppida frequentia reducantur.

3. Noto 3. quòd idem Pius declarans hanc eandem const. quam præ manibus habemus, per aliam suam, quæ incipit. *Decori, & honestati*, apud Cherub. *tom. 2. bull. in Pio V. sub constit. eius 8. pag.* 185. primò statuit, quòd moniales, cuiuscumque gradus, aut conditionis sint, non possint è clausura exire, etiam causa infirmitatis, aut gratia alia Monasteria eiusdem Ordinis, vel parentes visitandi. Excipit tamē casum magni incendij, & infirmitatis lepræ, aut epidemiæ. Quæ tamen infirmitas approbari, & cognosci debet, non solùm à Superiore ipsarum monialium, si exemptæ sint, sed etiam ab Episcopo loci, & licentia exeundi in scriptis danda est. Nec duret, nisi durante tali necessitate; aliter autem, quàm vt præfertur, exeuntes, sunt ipso facto excommunicatæ, & absolutio est Papæ reseruata. Simili excommunicationi subiacent licentiam concedentes, quomodocumque comitantes, ac illarum receptatrices, siue sæculares, siue ecclesiasticæ personæ sint, siue consanguineæ, siue non. Et insuper tam egressas, quàm earum Superiores licentiam aliter, quàm dictum est, concedentes, priuat dignitatibus, quas obtinent, & inhabilitat ad alias in futurum obtinendas. 2. annullat omnes licentias datas etiam à Romanis Pontificibus prædecessoribus suis etiam à se ipso & nulli suffragari posse declarat. Et has literas singulis annis publicari mandat per Episcopos, vel alios ab ipsis deputatos, & hoc sub pœna peccati mortalis.

4. Noto 4. quòd extat etiam alia constitutio Gregor. XIII. quam habes apud Passer. *pag.* 261. & Cherub. *tom. 2. Bull. in Gregor. XIII. constit. eius* 8. *pag.* 368. quæ incipit, *Deo sacris*, in qua declarat, & ampliat istam constit. Pij V. prout in singulis §. *notabo*. Adest etiam eiusdem Gregor. alia constitutio, quæ incipit, *Vbi gratiæ* & refert Cherub. *tom. 2. Bull. in Gregor. constit. eius* 28. *pag.* 95. vbi reuocat omnes licentias quibusvis etiam Comitissis, & quibusvis viris eiusdem status, &c. concessas ingrediendi Monasteria, & loca monialium, & virorum, & excommunicat ipso facto, sibi absolutionem reseruando, qui, vel quæ dictarum licentiarum prætextu dicta loca, & Monasteria virorum, ac monialium ingredi præsumpserint. Abbatissis verò, & Abbatibus sub eadem excommunicatione, & pœna priuationis officiorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, præcipit, ne prætextu dictarum licentiarum quancunque ex dictis personis in sua Monasteria, vel loca ingredi faciant, vel personis in sua Monasteria, vel loca impœnis omnibus, & quibuscunque personis ecclesiasticis, & sæcularibus, ac etiam quorumcumque Ordinum Mendicantium Regularibus, ne prætextu licentiarum ab Episcopis, vel superioribus vigore Trident. *sess.* 25. *de Regular. cap.* 5. pro casibus necessitatis obtentarum Monasteria monialium ingredi, néve moniales sub eisdem pœnis eos admittere, nisi in vrgentibus necessitatibus præsumant. Extat etiam eiusdem Greg. alia constitutio, huius

proximè declaratiua, quæ incipit, *Dubiis*, & refert Cherub. *tom. 2. bull. in Gregor. XIII. sub dicta constit.* 28. Vbi declarat quòd Superiores ipsi, ad quos pertinet dare licentiam ingrediendi in Monasteria monialium in necessitatibus vrgentibus, ea ingredi non possint pro libito, sed solùm in casibus necessariis, & à paucis, iisque senioribus, ac religiosis personis comitati. Quòd si contrafecerint, statuit, atque decernit, eos qui Pontificalis dignitatis fuerint, pro prima vice, qua contrafecerint, ingressu Ecclesiæ interdictos, pro secunda, à munere pontificali, & à diuinis suspensos, ac deinceps ipso facto, absque alia declaratione excommunicatos existere. Regulares verò omni officio ac ministerio priuatos, excommunicationis similiter subiacere.

5. Noto 5. quòd Paulus V. per suam constit. quæ incipit, *Facultatum* apud Cherub. *In suo bull. tom. 3. in Paulo V. constit. eius* 52. circa modum vtendi facultatibus concessis à Romanis Pontificibus ingrediendi Monasteria monialium, declarauit, & ordinauit, quòd nulla persona, cuiuscumque gradus, & conditionis existat, vigore licentiarum plura Monasteria pluribus vicibus ingrediendi possit ingredi aliqua, vel singula Monasteria pluribus vicibus. Sed quòd licentiæ huiusmodi respectu vniuersorum, non autem aliquorum, vel singulorum Monasteriorum suffragentur; ita vt cui bis in anno, seu ampliùs plura Monasteria ingredi conceditur, bis vel ampliùs tantùm vniuersa, non autem eorum aliqua, vel singula ingredi liceat, etiamsi prædicta Monasteria in diuersis Ciuitatibus, Terris, Diœcesibus, & locis existant. Quas licentias aliter interpretari, vel iis vti prohibet sub pœnis in Concilio Tridentin. & aliis constitutionibus Apostolicis inflictis contra ingredientes in Monasteria monialium absque licentia. Extat etiam alia eiusdem Pontificis constitutio, quæ incipit, *Monialium*, apud Cherub. *tom. 3. bull. in Paulo V. constitut. eius* 74. in qua reuocat omnes licentias datas mulieribus, cuiuscumque gradus, & conditionis, etiam Marchionali, & Ducali dignitate fulgentibus, ingrediendi Monasteria monialium, & inhibet prædictis mulieribus sub pœna excommunicationis ipso facto; absolutionem sibi reseruando, ne prætextu dictarum licentiarum in dicta monialium Monasteria ingredi præsumant, cui excommunicationi subiacere vult omnes Abbatissas, ac alios Superiores introducentes, & admittentes, ac admissas quoquomodo tenere præsumentes. Quas etiam Abbatissas, & Superiores priuat officiis, quæ obtinent, & inhabilitat ipso facto, sine alia declaratione, ad illa in posterum obtinenda.

6. Noto 6. quòd sacra Regularium Congregatio de mandato Sixti V. edidit decretum tenoris sequentis. *Illustriss. & reuerendiss. DD. Cardinales sacræ Regul. Congregat. præfectis, ad occurrendum scandalis, quæ contingere possunt, aliisque iustis, & rationabilibus causis animum piè mouentibus, de speciali, & expresso mandato S. D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. viuæ vocis oraculo eis facto, decreuerunt, & mandauerunt, nulli posthac Religioso, cuiuscumque Ordinis, gradus, qualitatis, & dignitatis existat, (Superiore, cui Monasterij, seu domus cura incumbit Visitatore, vel Visitatoribus, confessarioque ordinario, & extraordinario, cum ad tempus deputabitur, duntaxat excepti) licere, absque licentia expressa eiusdem sacra Congregationis, accedere ad Monasteria, seu domus quarumcumque monialium, vel sororum, siue sui, siue alterius cuiusvis Ordinis, ad colloquendum, siue tractandum cum eis. Quòd si aliquando mandato sui Superioris aliquos Religiosos ad prædicandum verbum* Regulares ad Monasteria monialium non accedant.

Dei, vel ad celebrandas missas in ipsarum monialium, seu sororum Ecclesijs, siue Oratorijs exterioribus, siue extra claustra existentibus, mitti contigerit, prohibuerunt, ne dicti Religiosi, vllo quæsito colore moniales, sorores, aut quamlibet aliam personam intra clausuram degentes alloqui possint. Confessarijs autem similiter interdixerunt, ne in ædibus Monasterij, seu domus, vel Monasterio, seu domui monialium, aut sororum contiguis pernoctent, aut alios pernoctare faciant, vel aliàs secum retineant, neve extra tempora generalium confessionum, quibus soli tantùm confessario refectionem diurnam accipere vix permittitur, & tunc demum videlicèt cum sua habitatio, aut virorum domus, vel Monasterium, in quo degit, à monialium seù sororum Monasterio, vel domo nimiùm distat, nisi tamen & eo casu contrarium specialiter constitutum sit, ibi nullo modo comedant, reficiantur, aut cibum sumant. Quæ omnia, & singula sub pœnis priuationis officiorum, ac vocis actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrendis, aliisque eiusdem Congregationis arbitrio, præceperunt inuiolabiliter obseruari. Iniungentes cunctis RR. PP. Generalibus, Prouincialibus, & aliis quorumvis Monasticorum, & Mendicantium, ac non Mendicantium Ordinum, & Congregationum Superioribus, ad quos spectat, quatenus infra terminum vnius mensis, à die, quo præsens decretum ipsis notificatum fuerit, computandi, debeant eiusdem decreti copiam cum huiusmodi præcepto, omnibus suorum Ordinum, & Religionum Monasteriis, domibus, & Conuentibus intimare, & notificare, & intimasse, & notificasse. ne vllam aliquando desuper ignorantiam in futurum allegare, aut prætendere quoquo modo possint. Romæ, Nonis Maij, 1590. Quod decretum sacra Congregatio extendit ad milites Ierosolimitanos, vt est apud Quarant. verbo Monasterium monialium pag. 451.

7. Noto 7. quòd decretum hoc immediatè præcedens fuit ab eadem sacra Congreg. de mandato Vrbani VIII. moderatum hoc pacto, videlicet. Cum alias de anno 1590. per sacram Cardinal. negotiis Regularium præfectorum Congreg. de mandato fel. rec. Sixti Papæ V. circa accessum Regularium cuiuscunque Ordinis ad monialium Monasteria fuerit decretum, quòd nulli Religioso, cuiuscunque Ordinis, gradus, qualitatis, & dignitatis, existat (Superiore cui Monasterij, seu domus cura incumbit, Visitatore, vel Visitatoribus, confessarioque ordinario, & extraordinario, cum ad tempus deputabitur, duntaxat exceptis) liceat, absque licentia expressa eiusdem sacræ congreg. accedere ad Monasteria seu domus quarumcunque monialium, vel sororum, siue sui, siue alterius cuiusvis Ordinis, ad colloquendum, siue tractandum cum eis. Quod si aliquando mandato sui Superioris aliquos Religiosos ad prædicandum verbum Dei, vel ad celebrandas missas in ipsarum monialium, seu sororum Ecclesiis, siue Oratoriis exterioribus, siue extra claustra existentibus, mitti contigerit, ne dicti Religiosi, vllo quæsito colore, moniales, sorores, aut quamlibet aliam personam intra clausuram degentes alloqui possint, sub pœnis priuationis officiorum, ac vocis actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrendis, aliisque eiusdem sacræ Congreg. arbitrio; fueritque postmodùm declaratum, etiam Equites S. Ioannis Ierosolimitani sub eodem decreto comprehendi, & quoscumque contrafacientes ab alio, quàm ab Apostolica Sede, aut à sacra Congregatione absolui, & rehabilitari non posse; amplissimi eiusdem sacræ Congr. Patres decreta huiusmodi innouanda, & inuiolabiliter obseruanda statuerunt.

Regulares cõsanguinei possũt per quatuor vices in anno ad Monasteria monialium accedere.

Verùm quia experientia compertum est, interdum ob pias, & rationabiles causas, easque ita ferente casu, repentinas, vt ab eadem sacra Congregatione licentiam expectari summè incommodum, vel inutile sit Regularibus supradictis colloquendi cum Monialibus sibi attinentibus necessitatem obuenire, facto verbo cum S.D.N. Vrbano VIII. & de Sanctitatis suæ expresso ordine, & mandato, facultatem tribuerunt in posterum locorum Ordinariis, vt quatenus sibi visum fuerit in Domino expedire, licentiam concedere possint per quatuor vices ad summum quolibet anno cuicumque Regulari, vt moniales sibi in primo, & secundo tantum consanguinitatis gradu coniunctas conuenire, & alloqui possint. Id verò non aliter, quàm seruata ad vnguem forma infra scripta: Vt id nullo modo liceat diebus festiuis, aut in Aduentu, Quadragesima, feria sexta, sabbatho, & vigiliis, prædictaque licentia obtenta ab Ordinario. & ab alio, ad quem spectet eam concedere, consignetur confessario ordinario Monasterij, qui penes se retinere debeat, isque associet, & præsens sit, & auscultatrices de more, non autem aliæ assistant, prædictaque licentia pro die, & hora certa, & in scriptis concedatur, in librisque Cancellariæ eiusdem Ordinarij annotetur. Quod si prædicti locorum Ordinarij per plures vices, vel in vlteriori gradu coniunctis, aut aliter, quàm seruata forma supradicta, licentias concesserint, vel permiserint, sciant, se intentionis S.D.N. & sacræ Congregationis transgressores, iudiciumque reformident. Regulares autem pœnis in supradicto decreto contentis, ac si nullam licentiam obtinuissent, eo ipso se nouerint esse addictos, & arbitrio sacræ Congregationis seuerius puniendos, Romæ 12. kal. Decembr. 1623. Oct. Card. Bandinus. Laur. Campegius Sec.

8. Noto 8. quòd pro reformatione monialium factæ sunt à Congreg. Regul. vna, & quinquaginta ordinationes, quas habes apud Quar. in sum. bull. verbo Monast. monial. pag. 453. & pag. 459. Et 460. habentur quædam declarationes dictarum ordinationum, quæ ordinationes omnino videndæ sunt à Visitatoribus Monialium, & eas etiam refert Paulus Pias. in sua praxi, p. 2. c. 3. tit. De Visit. monial. pag. mihi 204.

9. Noto 9. quòd circa numerum monialium recipiendarum in Monasteriis iuxta eorum facultatem, adest decretum Congreg. apud Quar. pag. 461. & apud Pias. pag. 201. tenoris sequentis. Quemadmodum sacri olim Canones, & nouissimè sacrum generale Concilium Tridentin. summa ratione decreuit, vt in Monasteriis, & domibus, tam virorum, quàm mulierum, bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is, tantùm numerus constituatur, ac in posterum conseruetur, qui vel ex redditibus propriis Monasteriorum, vel consuetis eleemosynis commodè possit sustentari; ita quoque sacra Congregatio S.R.E. Cardinalium, quæ negotiis, ac consultationibus Episcoporum, & Regularium præest: cui antiquius nihil est, quàm salutaria huiusmodi decreta debitæ executioni demandari curare, sæpiùs locorum Ordinariis rescripsit, vt certum numerum in singulis Monasteriis monialium, etiam curæ Regularium, seu Militiarum subiectis, iuxta cuiusque Monasterij facultates præscriberent, & si, quæ supra statutum numerum reciperentur, duplicem eleemosynam afferre, & supranumerarium locum tenere deberent. Verùm quia in dubium plerumque venit, num supranumerariæ prædictæ, aliquibus ex numero in quolibet Monasterio definito decedentibus, in earum locum subrogari possent, aut deberent; eadem sacra Congregatio quæ peculiariter super ea re sæpenumerò rescripsit, prouidere volens, ne quis deinceps dubitationis locus relinquatur, huius generalis decreti tenore statuit, & declarat, moniales, quæ supra numerum in quolibet Monasterio constitutum recipiuntur in locum monialium decedentium, intra numerum nequaquam subrogari, neque impedimento esse, quominus aliæ in locum earundem ex numero demortuarum recipi eo modo valeant, quo in singulis Monasteriis moniales intra numerum possunt admitti, quinimmo easdem sit supra numerum receptas, supranumerarias

Moniales supranumerariæ in loco defunctarum non subrogantur.

merarias semper quò ad hoc remanere ; etiamsi in cæteris ab aliis nihil differant , sed illis in omnibus pares, & aquales iuxta cuiusque Monasterij institutum esse debeant.

Quid duplicis eleemosynæ nomine intelligatur.

Declarat insuper eadem sacra Congregatio duplicis eleemosynæ nomine intelligi semper debere duplicatam summam eius , qua in receptione cuiusque monialis intra numerum in quolibet Monasterio constitutum erogari pro tempore consueuerit. Ita tamen , vbi summa, qua confertur , minor est scutis ducentis , ibi saltem ratione duplicata eleemosyna soluenda sint scuta quadringenta , & non minus.

Loca vacatura per obitum monialium non concedantur, nisi reali vacatione secuta.

Eadem quoque sacra Congregatio districtè prohibet ne loca per obitum monialium intra numerum decedentium pro tempore vacatura , cuiquam puellæ ad habitum regularem recipiendæ concedantur , neque promittantur , nisi secuta vera , & reali illorum vacatione ; atque ita demum, & non antea de eis disponi, ac in monialis demortua locum promissionem , aut receptionem in Capitulo, seu quovis alio modo fieri iubet , dummodo tunc temporis puella ipsa recipienda , & atatem habeat idoneam , & cœteras qualitates requisitas , quibus etiam praditas esse debere vult eas puellas, qua supra numerum recipienda sunt iam tunc cum eis loca vel promittuntur , vel dantur: Si quid verò contra à quoquam fieri contigerit , irritum, & inane , ac nullius roboris, & momenti fore , & esse decernit. Ac nihilominus Abbatissas , Priorissas, & alios quoscumque Monasteriorum Superiores , qui cuiusvis puella receptioni , vel admissioni , aut locorum vacaturorum promissioni , seu concessioni , aduersus præsentis decreti dispositionem consenserint , priuationi vocis actiua, & passiua , aliisque arbitrio eiusdem Congregationis infligendis pœnis obstrictos, & obnexios fore declarat, saluis etiam semper , & in suo robore permanentibus aliis quibuscumque ipsius Congregationis decretis aliàs latis, præsenti decreto non contrariis : præsertim circa monialium admissionem , & receptionem ad habitum , & professionem & circa eleemosynarum depositionem , solutionem , & erogationem in bona stabilia , quibus nullatenus derogare vult, & intendit. Roma die 6. Mensis Septembris 1604.

10. Noto 10. quòd per dictum decretum non impeditur , qoin possint in Monasterijs monialium recipi puellæ educandæ , iuxta decretum Congregationis Concilij ad Episcopum Hieracensem apod Piasec. *in praxi Episcop. pag.* 202. quod ita habet. *Reuerendiss. D. ex sacra Congregatione Cardinalium Trid. Concil. interpretum , Amplitudinis tua nomine quesitum est, an puella in Monasteriis monialium educationis causa permanere possint. Ii verò sic censuerunt ad te scribendum : Iamdudum ab eadem Congregatione statutum esse, nullo Concilij decreto prohiberi, quominus puella in Monasteriis monialium educentur , si tamen eadem Monasteria ante Concilium consueuerint huiusmodi puellas recipere , sique à Superioribus Monasteriorum scriptam licentiam impetrarint, atque Abbatissa, & reliquarum monialium consensus accesserit. Tum verò ha ipsa puella eo vestitu in Monasteria intromittantur, qui virginali pudori , modestia conueniat , nullamque secum famulam adducant, nec manere in eis possint, nisi vsquè ad atatis sua annum vigesimum quintum , atque in eis dum erunt , eandem seruent clausura legem, quam moniales ipsa , & si semel exierint , nullam habeant ad ea reuertendi facultatem. Proindè Congregatio his literis impertiendam tibi hanc facultatem duxit , vt quotiescumque in ista tua Ciuitate , & Diœcesi Hieracensi id expedire Amplitudo tua iudicauerit , possit permittere , puellas in monialium Monasteria , in quibus piè , & honestè instituantur , introduci , adhibitis tamen conditionibus suprascriptis : Et bene in Domino valebis. Roma die vlt. Augusti, 1575. Amplitudinis tua vti frater, Philippus Boncompagnus Cardinalis S. Sixti.* Videatur Sanch. 6. *in decal. cap.* 16. *num.* 61. Confect. *in sum tit.* 22. *cap.* 8. Suar. *tom.* 4. *de Relig. tract.* 1. *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 21. qui videtur etiam dicere , quòd dictæ moniales cum prædictis conditionibus possint recipere alias honestas fœminas ob graues causas.

11. Noto 11. quòd multa nouissimè statuta sunt circa moniales à Greg. XV. in extrauag. *De exemptorum priuilegiis* , quam pono *infra in Greg. XV. constit. eius* 2. vbi etiam sunt aliquæ declarationes Congregationis , factæ de mente dicti Pontificis, quæ confirmatæ , & auctæ sunt ab eadem Congreg. de mandato Vrbani VIII. quas omnes habes infra post dictam constit. Greg. XV. Et aduerte de passu, quòd extrauagantes sunt eiusdem auctoritatis, ac leges , & extrauagantes insertæ in corpore iuris , vt Rodriq. *to.* 1. *quæst. regul. quæst.* 44. *art.* 3. post Ludouic. Gomez. *in princ. reg. Cancell. quæst.* 2. *versùs finem, pag. mihi* 13. cum hac tamen differentia, quòd sacros Canones ignorari non licet, & contra illos lata sententia nihil valet ; at istas extrauagantes licet aliquando ignorare, si scilicet non sint in aliquo certo volumine insertæ, seu authenticæ non ostendantur, vel sint contra ius commune , vel non habeant decretum irritans , vel non sint notoriæ , vel à parte non productæ. Ita Baldus *in cap. In causis , de re iud. num.* 3. Abbas *in cap. Pastoralis , de fide instrum. n.* 2. Sed omnino dic , quòd sententia contra dictas extrauagantes lata est ipso iure nulla , quia istæ publicantur in Curia , & post duos menses à publicatione omnes arctant ; & quæ publicè facta sunt ignorare non licet ; *cap.* 1. *de postul. pral. §. Verum,* & Glossa *in cap. Exceptionem , de excep. verbo Publicè* ; & in hanc sent. magis videntur inclinare Gomez & Abbas *loc. cit.*

§. II.

12. QVæres, an summus Pontifex possit obligare moniales ad clausuram , quam nunquam seruauerunt, neque vouerunt.

Respondeo posse , quia hoc non est simpliciter supra Regulam, immo maximè ad castitatem , quam solemniter vouerunt, seruandam, necessarium. Quare cum dicimus *in nostro Relig. to.* 1. *quæst.* 1. *cap.* 8. §. 1. Pontificem non posse præcipere Religiosis aliquid supra Regulam , quam vouerunt , id intelligi debet de iis, quæ simpliciter sunt supra Regulam , non de iis, quæ implicite ad illam pertinent , vt notaui *dicto cap. versu Primò expositè.* Atque ita docent Sanch. *lib.* 6. *in decal. cap.* 2. *num.* 42 , multos citans. Suar. *tom.* 4. *de Relig. tract.* 3. *lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 7. Syluest. *verbo Religio* 6. §. 6. *versu Ad primum.* Rodriq. *tom.* 1. *quæst. reg. quæst.* 44. *artic.* 1. Nauar. *comm.* 4. *de regul. num.* 40. Non possunt tamen cogi ad vouendum, vt clarè colligitur ex §. 3. huius constit. vbi Pontifex ait , *Si autem votum solemne non emiserint , Ordinarij hortentur,* &c. Et ratio est, quia hominis liberam requirit voluntatem ; post votum autem potest vouens ad implendum cogi, vt habetur *in cap. Licèt, de voto.* Dubitat autem Sanch. 6. *in decal. cap.* 15. *num.* 3. an hæc clausura sit monialibus indicta iure humano, an potius diuino naturali : Et resoluit cum multis , esse solo iure humano , nam nullibi in Scriptura , vel Patrum traditione id indici iure diuino reperitur.

§. III. & IV.

13. NOta , quò ad hoc , vt moniales tertiariæ ad clausuram teneantur, requiruntur duæ conditiones. 1. vt in Congregatione viuant. 2. vt solemne votum professionis emiserint. Ex quo probat Nauar. *comm.* 4. *de regul. num.* 44. *versu Secundò,* Nota hic ; quòd illa mulier , quæ existens in domo sua faceret

ceret professionem in manibus potentis eam recipere, ea lege, vt in ea remaneret, ad clausuram non teneretur propter defectum primæ conditionis. Quod dicit etiam Sanch. *loc.cit.num.* 57. & Graff. *t. part. decis. lib.4. cap.23. num.17.*

14. Nota Pontificis prudentiam; mira enim suauitate destruit suis mandatis obedire irrationabiliter recusantes; quod etiam factum est *cap.1 §.1. de relig. dom. in 6.* & meritò quidem. Nam cum Pontifex sit Religionum approbator, & confirmator, & ille, à quo Religionibus priuilegia, gratias, & indulta concedit, potest rationabiliter hæc denegare iis, qui irrationabiliter illi obedire recusant, in his præsertim, quæ ad ipsorum salutem pertinent.

§. V.

15. Aduerte 1. quòd salubrius, & efficacius remedium adhibitum est ad subleuandas dictas moniales à Gregorio XIII. in eius const. *Deo sacris*; vbi §. 3. statuit, vt dimidium omnium eleemosynarum, à quibuscumque in quacumque mundi parte, quacumque lege, dispositione, vel obligatione facienda, vel obligatione faciendarum pauperibus distribuatur Monasteriis monialium tertiariarum, vel aliarum necessitate pressis, consistentibus in terris, & locis in quibus illæ faciendæ sunt; absque alia particulari iussione Papæ, vel alterius, & absque vlla petitione illarum, vel quorumlibet aliorum, dummodò duplex conditio concurrat. 1. Ne illæ eleemosynæ sint in pauperes certos distribuendæ. 2. vt licèt pauperibus incertis elargiendæ sint, non sint tamen ad vsus alios destinatæ, præterquam ad pauperum alimenta. Quod tamen remedium non est perpetuum, sed solum temporale, durante necessitate, vt patet ex §. 8. Et notat Nauar. *comm.4. de regul. num.55. versu Secundò.* Collige quòd sæpius in nouis bullis Cruciatæ visum est huiusmodi eleemosynas applicari illi sancto operi.

16. Aduerte 2. circa eundem §. quatenus loquitur de Conuersis quòd circa illum Greg. §. 6. ita disposuit, iubendo nimirum Ordinariis, vt quibus Monasteriis prædictarum monialium cognouerint circa victum, & vestitum fuisse sufficienter prouisum, computatis quotidianis ipsarum monialium laboribus, horum Monasteriorum Conuersas reducant sub eadem clausura cum aliis monialibus, neque inde amplius exire permittant. Conuersas verò non professas & profiteri nolentes, dimisso habitu, domum remittant, neque alias in futurum, nisi professionem suo tempore emissuras, atque sub perpetua clausura mansuras, in Monasteria huiusmodi recipi permittantur.

§. VI.

17. Ita decernit Gregorius eodem §. 6. *Quòd autem idem Pius prædecessor statuit, de cætero nullas alias Conuersas recipi amplius etiam de consensu suorum Superiorum posse; Ita esse intelligendum declaramus, præter illas Conuersas, quæ extra Monasterium in domibus contingunt degerent*, Ex quibus colligit Nau. *comm.4. de regul. num. 56. versu Ex quibus colligo*: quòd iam non possunt recipi amplius Conuersæ aliquæ in Monasteriis, nisi tantùm illæ, quæ debent manere extra Monasterium in domibus contiguis causa quæstus eleemosynarum faciendi. Sed meliùs de Conuersis distinguit Rodriq. *tom. 1. quæst. reg. quæst. 44. art.4. assert. 2.* duplicis generis dari Conuersas: Alias, quæ Donatæ dicuntur, & seruiunt pro eleemosynis quærendis, & duo tantùm vota emittunt, castitatis nimirum, & obedientiæ. Alias verò, quæ Sorores seruitiales dicuntur, quæ emittunt omnia vota, sicut aliæ moniales ad chorum destinatæ, & clausuram quoque perpetuam seruant. Et ait, quòd de primis loquuntur Pontifices, non de secundis, quæ omnia vota essentialia faciunt, sicut cæteræ moniales. Sed quicquid sit de ista distinctione; consuetudo, quæ est optima legum interpres, obtinuit, quòd in Monasteriis Conuersæ recipiantur, & ideo licitè fieri posse dicendum est. Ita Sanch. *6. in decal. cap.15. num. 59.* Videatur Suar. *tom.4. de Relig. tract.1. lib.1. cap.8. num. 19. & 20.*

§. VIII. & IX.

18. Nota sanctissimum remedium ad obseruantiam Regularium omnium, præsertim monialium penes necessarium. Vide Nauar. *loc. cit. num. 57. & de reddit eccles. quæst.1. monitu 62.* Quod inculcauit etiam Greg. *loc cit.* & Trid. *vbi de Reg. cap.5.* & pro Regularibus viris Clem. VIII. Paul. V. Greg. XV. & nouissimè sacra Congregatio de mandato Vrbani VIII. prout suis locis annotatum est; Addit verò vnum Greg. nimirum, quòd Ordinarij statuant in Monasteriis sibi subiectis, & etiam in exemptis, cum Superioribus eorum, quot moniales in eis de suis redditibus, & eleemosynis consuetis sustentari valeant; & quòd nulla vltra illum, etiam de consensu Superiorum, recipi valeat; ad quod faciendum Ordinarij sub pœna peccati mortalis obligantur per illa verba, *Super quo eorundem Ordinariorum conscientiam oneramus.* Sed circa hoc adest decretum sacræ Congregationis *supra num.9.*

19. Nota, quòd mortaliter peccant Episcopi, & alij, ad quos spectat, hanc extrauagantem non publicantes, vbi publicari præcipitur, & singulis annis publicari iussit idem Pontifex *in extrauag. Decori*, huius declaratiua; quod sustulit Greg. §. 11. Ita Nauarr. *comm. 4. de regul. num. 54. & 58.* Sanch. *loc.cit. num. 23.* qui etiam *num. 20.* dubitat, cuius sit moniales ad hanc clausuram cogere; & resoluit *num. 21.* id pertinere ad Episcopum quò ad moniales illi, vel Sedi Apostolicæ immediatè subiectas; quò verò ad subiectas Regularibus, ad suos Superiores.

§. X.

20. Nota, quòd Principes non præcipiuntur, sed rogantur tantùm. Et congruit *clem.1. de test.* vbi Glossa *verbo Exhortamur*, ait, quòd Papa loquitur curialiter; & licèt hæc exhortatio videatur consilium, est tamen reuerentiæ, cui necessariò patendum. At Nau. *comm.4. cit. num.46. verf. Ex quibus nota*, ait quòd non peccant mortaliter vi huius legis ob negligentiam hoc faciendi, quia exhortatio non importat præceptum. *§. fin. d. 4. cap. Quod præcipitur 14. quæst. 1.* Possent tamen peccare mortaliter vi aliarum legum, vt si suum brachium sæculare ordinatè petitum, & inuocatum, absque iusta excusatione non præstarent, vel si eorum omissio esset causa dissolutionis. Ita Nau. *comm.4. de reg. num. 46. versu Ex quibus.* Magistratus verò sæculares ad suum brachium præstandum sub pœna excommunicationis ipso facto tenentur, per Trid. *sess.25. de reg cap. 5.* Ita Sanch. *6. in decal. cap. 15. num. 22.* Sed quia supradicta multas pariuntur difficultates, ideo aliqua speciatim enucleare decreui ad materiam facilitandam.

21. Quæres 1. Quinam sint limites, intra quos clausura monialium continetur, & quousque prætergrediendo clausuram violent.

Respondeo. Id declarasse Greg. XIII. *in bulla Deo sacris*, §. 9. vbi ait; *Declaramus præterea nullis monialibus*, &c. Ex quo deducitur, locum clausuræ esse, eum, qui ianua clausa continetur, ad quem sæcularibus non patet accessus; Atque ita si locus huiusmodi sit, in quem sæculares admittuntur, est extra monialium clausuram, illucque exeundo eam violant. Videatur

deatur Suar. *to. 4. de Relig. tract. 1. lib. 1. cap. 10. num. 6.*

22. Quæres 2. Cuiusnam sit dare licentiam monialibus exemptis, & Regularibus ad egrediendum clausuram.

Respondeo Multos contendere, ad Superiores regulares pertinere. Llamas *in append. sui meth. §. 6.* Rodriq. *tom. 1.quæst.reg.quæst.49.art. 6.* Sed vere ista opinio non est tuta; nam Trid. *sess.25. de reg. cap. 5.* ait: *Nemini autem sanctimonialium liceat post professionem exire à Monasterio, etiam ad breue tempus, quocumque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda.* Et Pius V. in suo motu proprio, qui incipit, *Decori, & honestati*; postquam decidit, nulli monialium licere exitum, nisi ex causa magni incendij, vel infirmatis lepræ, aut epidemiæ, ait: *Quæ tamen infirmitas præter alios Ordinum Superiores, quibus cura Monasteriorum incumbet, etiam per Episcopum, seu alium loci Ordinarium, etiamsi prædicta Monasteria ab Episcoporum, & Ordinariorum iurisdictione exempta esse reperiantur, cognita, & expressè in scriptis approbata sit.* Quæ verba ita clara sunt, vt expositione non egeant. Quare responsiones allatæ à Rodriq. & aliis apud Sanch. *6. in decal.cap. 15, num. 25.* & *27.* extortę nimium sunt, & ad fauendum Regularibus videntur inductæ. Verum nobis veritas colenda est, *cap. Ad conditorem, de verb. signifi. extr. Ioan. XXII.* Quare puto simpliciter, & absolutè, in Monasteriis Regularibus subiectis, ad hoc vt monialis exire possit, requiri licentiam Superiorum regularium, & Episcoporum, seu Ordinariorum loci, idest, Vicariorum generalium Episcoporum, qui sunt Ordinarij, Ita Azor *tom. 1. instit.moral. lib. 13. cap. 8. quæst. 1. versu item quærebatur.* Zer. *part. 2. prax. verbo Moniales, dub. 8* Suar. *tom. 4. de Relig tract. 1. lib. 1. cap. 9. num. 13.* Si autem in partibus Hispaniarum consuetudine approbatum sit, quòd huiusmodi licentia detur à solis Prælatis regularibus, vt Rodriq. & Llamas dicunt, seruanda est, si est legitima; Quod testantur etiam Sanch. *loc. cit. num. 28.* & Cruz *lib. 1. de statu Relig. cap. 5. dub. 3.*

23. Quæres 3. quænam sit iusta causa licentiam concedendi moniali ad exeundum è clausura.

Respondeo Tres explicari in bulla Pij V. quæ incipit, *Decori*, vt dixi *quæsito præced.* Nimirum magni incendij, lepræ, & epidemiæ. Sed difficultant Doctores, quid nomine epidemiæ intelligatur. Dicendum est, nomine epidemiæ non solùm intelligi morbum pestis, sed etiam quemcumque morbum plurimos inuadentem, vt morbus Gallicus. S. Lazari, &c. licèt pestifer non sit. Ita Rodriq. *tom. 1. quæst. reg. quæst. 49. art. 4. versu Ex dictis sequitur.* Sanch. *6. in decal. cap. 15. num. 35* Et aduerte, quòd causæ istæ non erunt legitimæ, si Monasterium ita sit capax, ac ea sit in illo eis medendi morbis commoditas, vt nullum esset periculum alias moniales inficiendi. Nam tunc non esset licitus exitus. Llamas *in append. meth. §. 10.* Sanch. *loc. cit. num. 32.* Et probant *ex cap. Periculoso, de statu reg. in 6.* Quod fuit innouatum à Trid. & Pontificibus Pio, & Gregor. in quo conceditur exitus moniali infirmæ, quando infirmitas est talis conditionis, vt non possit monialis cum aliis absque graui periculo commorari.

24. Quæres 4. an prædicti tres casus possit ad alios similes extendi.

Respondeo Quòd sic; nam dictio taxatiua se extendit etiam ad casus similes, vbi eadem, & vrgentior est ratio, Abbas *in cap. fin. num. 3. de donat. & in cap. Cum dilecta, num. 8. de confir. vtil. vel inutil.* Sanch. cum multis *loc. cit. num. 37.* Vnde primò iustè poterit concedi moniali licentia exeundi è claustro causa medendi morbo ita periculoso, vt eius salus desperetur, ea non egressa; tum quia credendum non est, summos Pontifices cum tanto dispendio voluisse moniales ad clausuram obligare; tum quia leges ecclesiasticæ non obligant cum tanto periculo; tum quia quod pro charitate inuentum est, contra illam retorqueri non debet; tum quia defensio naturalis nemini tollenda est. Ita Nau. *comm. 4. de reg. num. 49.* Llamas *in append. meth. §. 10.* Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 13. cap. 8. quæst. 1. ad finem, versu Tertio quæres* A Sorbo *in comp. verbo Ingredi Monast. monial. pag. 363. versu Et sic etiam*; Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 1. cap. 9. num. 9.* Videatur Gutier. *lib. 1. canon. quæst. cap. 14.*

25. 2. Iustè poterit concedi licentia exeundi monialibus ob belli imminentis timorem, siue à catholicis inimicis, siue ab hæreticis bellum gestum sit. Ita Llamas *in append. meth. §. 11.* Nauarr. *comm. 4. de regul. num. 48.* Sanch. *6. in decal. cap. 15. num. 44.* si bellum ab hæreticis, vel infidelibus gestum sit. Azor. *to. 1. lib. 13. c. 8. quæst. 1. versu Tertiò quæres*, qui absque tali limitatione loquitur. Et verè talis limitatio necessaria non est; nam milites omnes milites sunt; & qui dixit.

Nulla fides, pietasque viris, qui castra sequuntur. de omnibus loquutus est, sicut etiam ille: *Iocus, & ludus sunt in militia, domos diripere, fana spoliare, virgines rapere, solidas Vrbes, atque Oppida incedere. Hæc sunt militum decora, profuisse nemini, nocuisse quamplurimis, nullo respectu, aut recordatione præsidentis mundo Dei.* Ita gerunt in pollutis corporibus cæcos animos, vt Dei iustitiam non videant, & admoneri indignè ferant. Isti sunt, qui dicunt Deo, recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Et qua insolentia, & ore quàm importuno diuinas leges negligunt, & humanas aspernantur, vt militari videatur esse, nihil arbitrari æqui, ac boni propter se esse sancitum, nullo se iuri esse subditum, se in vagina leges cum ferro gestare, quicquid conscelerato animo collibuerit, id solum esse ius, atque æquum. Vnde rectè dixit quidam, *Diaboli regnum non est, si in bello non est.* Quod tantum malorum in se comprehendit, vt à commemoratione humanum quoquè pectus abhorreat. Et alter in carminibus.

Arma amens amat, & gaudet fera bellua bello.
Bellum mors vita est, bellum sentina malorum.
Pernicies hominum, vitij fons, hydra quietis.
Et scelerum torrens, & vina puerpera mortis.

Nec putandum est, hæc solùm esse speculatiuè dicta; nam hæc propriis oculis vidimus, & manus nostræ contrectauerunt in bello illato Reipublicæ Genuensi *à die 25. Martij, anni* 1625. à Rege Gallorum, & Duce Sabaudiæ. Meritò itaque dixi, quòd tempore ingruentis belli possunt moniales clausura egredi.

Et sic cordatè, & prudenter statutum est ab illustrissimis nostræ Reipublicæ Senatoribus, vt moniales, quæ extra Ciuitatem haberent Monasteria, intra Ciuitatem introducerentur, vt fuerunt introductæ moniales terræ Nouarum, & moniales Monasterij noui, & S. Claræ. Vidisses sanctissimas & sacratissimas illas virgines, Dei sponsas, Spiritus sancti habitacula, binas esseda vectas, oculo demisso, facie decora, lacrymabundas, trementes, ac pallentes; quasi nouum mundum aspicientes, mirantes, stupentes, ecstaticas; parentibus, consanguineis, & affinibus; ac viris religiosis, & decoris senibus comitatas, in Ciuitatem quamque ad designata Monasteria concedere. Vidisses ex alia parte senes & mulieres illas cum lacrymis aspiciẽtes diuinam iustitiam implorantes, temporum miseriam lugentes, vitam propriam despicientes: Iuuenes in hostes, tot, tantorumque malorum causas ferocientes, ad bellum se præparantes, inuicem se animantes, mori pro lege, & patria disponentes.

26. 3. Iusta

26. 3. Iusta etiam erit causa exitus, quando monialis esset electa in Abbatissam, seu Priorissam, vel Correctricem alterius Conuentus eiusdem Religionis. quia sic congruit bono communi illius Religionis. Ita Nau. *comm.4.de regul. num.*48. Rodtiquez *tom.* 1. *quæst.regul.quæst.*49.*art.*5.*coroll.* 1. Sanch. 6. *in decal. cap.*15.*num.*45. Llamas *in append meth* §. 11. Gutier. *loc.cit.num.*10 Et habetur expressè in Trid. *sess.* 25. *de regul.cap.*70 Nec solùm potest egredi vt sit Abbatissa, sed etiam, vt sit Magistra nouitiarum, si id bono communi congruat, Rodriq. *ibid.* Sanch. *num.* 46 Poterit etiam egredi ad nouum Monasterium fundandum, quia hoc etiam ad bonum commune pertinet; Qui casus expressus est in nostra Regula monialium, *num.* 31. vbi licèt sit particula exceptiua, Nisi, quæ solùm communiter ad casum expressum extenditur; puto tamen, quòd etiam in casibus dictis, & dicendis possint nostræ moniales egredi, quia sunt maximæ necessitatis. Rodriq. *ar. cit.* Sanch. *num.* 47. qui addit, posse etiam monialem egredi clausura causa correctionis, si in proprio Monasterio non potest commodè corrigi, & potest mutari in aliud eiusdem Religionis, quia hoc etiam ad commune bonum spectat. Et idem Sanch. ait, hos casus esse in praxi receptos. Et *num.* 72. ait, quòd si necessitas egressus vrgeret, & ratione longæ distantiæ Superioris, non posset adiri absque graui periculo, posset, eo Superiore inconsulto, monialis egredi, quia necessitas caret lege. Ita etiam Sylu. *verbo Religio* 7.*quæst.*16.*d.* 2.*fall.* 1. Rodriq. *tom.* 1. *quæst.reg.quæst.*46.*art.*2.*versu Aduertendum* 2.

27. Quæres 5. quas pœnas incurrat monialis egrediens clausura absque licentia debita.

Respondeo: Id constare ex his, quæ dixi *supra, n.* 3. Et quò ad pœnas officiorum, & dignitatum videnda sunt, quæ dixi *in constit.*6.*Iulij.II.num.* 23. Hic solùm aduerte circa receptantes, aut comitantes, quòd non incurrunt has pœnas, quæ non sunt causa egressus, nec vt monialis extra Monasterium perseueret, sed eam recipiunt, aut comitantur post egressum, vt eius honori, & castitati consulant. Ita Nauarr. *comm.* 4. *de regul.num.*51 Graff. *part.*1.*decis.lib.*4.*cap.*23.*num.*17. Llamas *in append.meth.*§. 11. *fine*; Sanch. 6. *in decal. cap.*15.*num.*71. Rodriq. *tom.* 1. *quæst. reg. quæst.* 49. *art.* 7. *versu Aduertendum denique.* Et ratio est, nam excommunicatio contra recipientes hæreticos non comprehendit, nisi eos recipientes vt hæreticos, & vt talibus illis fauentes, non autem recipientes vt amicos & consanguineos, quadam naturali sanguinis inclinatione seu amicitia, vt communiter: Et dixi *tom.* 1. *Relig. quæst.* 1. *cap.*26. *concl.*5 *vers. Notat autem.* Notat etiam Sanchez *num.* 74. quòd incurrunt has pœnas Episcopi, Religiosi, & aliæ personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ comitantes, aut recipientes moniales modo dicto iniustè egressas, & etiam Episcopi illicitam egressus licentiam concedentes.

28. Quæres 6. an monialis iusta causa egressa Monasterio, possit in aliud monialium Monasterium ingredi.

Respondet bene Sanch. 6.*in decal.cap.*16. *num.* 10. Vel loquimur de moniali iter agente, accedente ad Monasterium Ordinis, vt hospitio recipiatur; Et licitè potest ingredi, & admitti absque alia Superioris licentia, quia ista extranea non est, & debitum fraternitatis id postulat. Vel loquimur de moniali egressa pro recuperanda salute, quæ recreandi animi gratia, vel moniales inuisendi vellet aliud Monasterium sui Ordinis ingredi; Et dicendum est, quòd possit, propter eandem rationem. Vel loquimur de moniali iter agente per loca, vbi non esset Monasterium eiusdem Ordinis, sed alterius; Et poterit admitti de licentia Superioris illius Monasterii, quia religiosa charitas, quæ personas religiosas maximè decet, & honestas status monialis id petit. Vel loquimur de moniali, quæ recreandi animi tantùm causa, vel inuisendæ monialis cognatæ, vellet Monasterium alterius Ordinis, aut habitus ingredi; Et tunc non est ingressus causa, nec Superior eam dare potest.

29. Quæres 7. Quis possit licentiam concedere ingrediendi Monasteria monialium.

Respondeo. Episcopum in sibi, & immediatè Sedi Apostolicæ subiectis. In subiectis verò Regularibus posse illorum Superiores, iuxta Trid. *sess.* 25. *de regul. cap.*5. Ita Nauar. *comm.*4.*de regul. num.*60.*versu Quinto quòd ille.* Llamas *in append.meth.*§.5. Rodriq. *tom.*1. *quæst. regul.quæst.*46.*art.*2. Azor. *tom.*1.*institut.moral. lib.*13.*cap.*8.*quæst.*7 Suar. *tom.*4.*de Relig.tract.*1.*lib.*1. *cap.* 10. *num.* 12. Nam cum hæc Monasteria Episcopis subiecta non sint, non possunt in ea vllam iurisdictionem exercere, nisi quatenus specialiter deputantur tamquam Sedis Apostolicæ delegati, sed esse deputatos non constat, ergo. Et ita declarauit Pius V. *infra constitut eius* 7.§.7. Adde, quòd in praxi in nostris Monasteriis monialium ita seruatur. Prælati autem ad quos pertinet talem licentiam concedere, sunt Generales, & Prouinciales, vel quibus ipsi commiserint vt Rodriquez *loc.cit.* Qui tamen semper committunt Correctoribus localibus, cum ipsi non possint vbique esse præsentes. Sed Sanch.6.*in decal. c.*16.*n.*15. putat, id Correctori locali iure competere, si sit Superior illius Monasterij monialium, & illi talis facultas per superiores Prælatos, vel Capitula generalia ablata non sit; nam Trid.*loc.cit.* absolutè loquitur de Superioribus; & Superiores locales Superiores sunt. Verùm cum Concilium non specificet, integrum est Capitulo generali declarare; de quibus Superioribus id intelligendum sit: Ipsi tamen Superiores in nostro Ordine ingredi non possunt; per expressum Regulæ textum, vt dixi *supra.in const.*4.*Pauli III.*§.4.*num.*2. Poterunt tamen ingredi tanquam confessarij, seu socij sacramenta ministrantium, quia hoc nullo iure video esse prohibitum, & confessarios posse ingredi, probaui *in dicta constit.Pauli III.loc.cit.num.* 3. licèt Regula etiam id prohibeat. De Superioribus autem aliorum Ordinum, quòd possint ingredi absque alia licentia, constat manifestè *ex bulla Gregor. XIII. Dubiis, quæ emergunt*, de qua dixi *num.*4. & docet Sanch. 6. *in decal.cap.*16.*num.*25.

30. Quæres 8. Propter quas causas, seu in quibus casibus possint Superiores concedere licentiam ingrediendi.

Respondeo. Propter casus vrgentis necessitatis; Trid. *sess.* 25. *de regul. cap.* 5. & Greg. XIII. in sua constit. *Vbi gratia*, de qua *supra, num.* 4. Sed hæc necessitas non est metaphysico modo sumenda, idest, vt sit extrema, seu strictissima, sed satis est, quòd sit moralis. Rodriq.*tom.*1.*quæst.reg.quæst.*46. *art.* 4. Llamas *in append.meth.*§.6.*versu Addimus insuper.* Sanch.6.*in decal.c.*16.*n.*40. Quia, cum præceptum sit ecclesiasticum, more aliorum præceptorum ecclesiasticorum accipiendum est. At reliqua præcepta tantùm necessitatem moralem ad excusandam transgressionem petunt; necessitas autem moralis erit, quando ministerium exercendum concernit moralem Cœnobij necessitatem, nec per moniales commodè exerceri potest, nec absque Monasterij ingressu: Secus, si per illas possit exerceri, vel absque Monasterij ingressu. Confect. *in comp. titul.* 22. *capitul.* 7. Hinc dicas, habere iustam causam ingrediendi in dicta monialium Monasteria confessarios pro audiendis confessionibus monialium infirmarum de lecto, etiam in principio infirmitatis, etiamsi dicti confessarij Regulares sint, etiam cum socio, & ad ministrandam Eucharistiam, & ad commendationem animæ; medici,

chirurgi,

chirurgi, fabri, cœmentarij, hortulani, baiuli ad deferenda onera, vel auferenda, & alij quicumque ministri moraliter necessarij ad aliquod ministerium intra clausuram exercendum. Hinc etiam dicas; esse iustam causam ingrediendi, vt deferatur aliqua insignis reliquia moniali infirmæ de lecto, eam in magna veneratione habenti ab eaque expectanti firmiter sanitatem; vt contingit frequenter hic Genuæ, in qua est in maxima deuotione Caputium S. P. N. Francisci de Paula, per cuius merita dictum Caputium quotidie multa mirabilia operatur, multas confert gratias, & patrat miracula, ex quorum multitudine insigniora quædam collegi, lucem aliquando aspectura, ad Dei gloriam, Sancti honorem, & populi deuotionem. Dico itaque, quòd deuotio monialis huiusmodi reliquiæ est causa iusta ingressus, tum quia nos Minimi habemus strictissimum præceptum dictum Caputium non confidere cuiquam personæ, cuiuscumque dignitatis, & auctoritatis existat, tum quia huiusmodi reliquiæ more Ecclesiæ per manus fœminarum non tractantur; tum quia potest sacerdos ingredi ad confirmandam, & consolandam infirmam vicinam morti, vt Sanch. *loc. citato numero* 48. & Llamas, cum hoc officium per mulieres, etiam impleri possit; tum quia potest Episcopus ingredi ad ministrandum sacramentum confirmationis moniali in periculo mortis existenti; & tamen hoc sacramentum non est necessitatis; tum quia pie possumus interpretari, piam voluntatem Ecclesiæ non esse denegaturam tam pium officium tam piæ deuotioni monialis ita indigentis; tum denique quia ingrediuntur medici corporales. Videatur Sanch. *loc. cit. à num.* 42. & Llamas *loc. cit.*

31. Quæres 9. An liceat in Conuentibus monialium admittere famulas ad monialibus seruiendum.

Respondeo, Si adsint Conuersæ quæ possint ministeriis Monasteriorum inseruire, non posse introduci dictas famulas; Secus si non adsint; Nam tunc propter necessitatem admitti possunt; non enim possunt choro destinatæ his ministeriis implicari; vltra quod sæpe delicatæ sunt, nec his exercitiis assuetæ. Ita Sanch. *6. in decal. cap.* 19. *num. 66.* Quod etiam inuenio concessisse Gregor. XIII. per suam const. apud Rodriq. *in bull. in Greg. bulla eius 6. pag. mihi* 458. tenoris sequentis: *Significasti nobis, te in omnibus ferè monialium Hispaniæ Monasteriis, quæ curæ, & regimini fratrum tui Ordinis subsunt, eum inuenisse morem, vt coquina, refectorio, & aliis cuiusmodi adhibeantur ancillæ, quia talibus rebus moniales nolunt se immiscere: quæ tamen ancillæ, dum ibi operantur, clausuram egredi solitæ non sunt: Et cum incertum sit, veranè concessione, vel potius consuetudine, seu abusu hæc inualuerint, supplicasti etiã, vt aliqua opportuna inciatur ratio, qua ipsarum monialiũ conscientiæ securitati melius cõsulatur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi, vt in quibusuis Monasteriis hoc necessarium esse duxeris, & donec Conuersas apud se receperint, denis monialibus singulas habere ancillas indulgeas; quæ ancillæ, sicut moniales, clausuræ legem seruent; & ibi perpetuò, durante ipsarum vita, maneant, & Conuersarum loco sint; Sed tamen, infirmitate incurabili, vel perpetua ingruenti, aut ob corruptos mores, inde educi Superiorum iudicio possint, ita vt in eisdem* Monasteriis, *aut aliis amplius non recipiantur, auctoritate Apostolica, tenore præsentium facultatem tribuimus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum sub annulo Piscat. die* 31. *Decembr.* 1583. *Pont. nostri anno* 13. Quod etiam puto procedere in nostro Ordine, in quo strictissima clausura seruatur, & ita, vt nulla possit persona ingredi absque licentia Papæ, vt patet *in Regula, num.* 1. Sed in casu necessitatis id non procedit, quia necessitas non habet legem. Et ista clausura quò ad confessores, medicos, & chirurgos, &c. moderata est per Clement. VII. vt supra dixi *in Paulo III. const. eius* 4. *num.* 2. *&* 3. Et ita intelligo statutum factum *in cap. Rom. 6. num.* 14. *dub.* 9.

32. Quæres 10. an ingredientes Monasteria monialium ex legitima causa teneantur finito negotio exire.

Respondeo teneri. Rodriq. *tom.* 1. *q.* 47. *art.* 11. Sanch. *loc. cit. num.* 68. Sicut enim monialis, quæ habet legitimam causam egrediendi, ea cessante, statim redire tenetur, vt constat *ex cap. Periculoso*, §. *Verùm quando, de statu regul. in 6.* & expressè etiam in motu proprio Pij V. qui incipit, *Decori*. Vbi postquam interdixit egressum, nisi ob triplicem causam ibi declaratam, subdit hæc verba: *Sed nec in prædictis casibus extra illa ministeria, nisi ad necessarium tempus stare licet.* Ita videtur dicendum in hoc casu: Sed cum hoc morale præceptum sit, morali etiam modo interpretandum, vnde si quis aliquantulùm demoretur circuiens officinas ex aliqua curiositate, non peccabit. Ita Rodriq. & Sanch. *loc. cit. num.* 69. qui addit, neque etiam incurrere pœnas, & censuras, contra ingredientes inflictas, si diuturnam moram etiam cum praua intentione in Monasterio trahat: quia hæ pœnæ solùm sunt contra ingredientes sine licentia. Sed hoc mihi non probatur; nam probant Doctores, ingredientes Monasteria monialium, statim, loquendo moraliter, finito negotio, teneri exire, ex eo quòd etiam monialis egressa, finito negotio, statim etiam, moraliter loquendo, reuerti tenetur ad clausuram. Sed monialis tenetur id facere ex præcepto iure communi *in dicto cap. illo Periculoso, de statu regul. in 6.* & per constit. Pij V. *Decori*: Ergo monialis legitimè egressa, si, cessante causa, non reuertitur, transgreditur præceptum Papæ, & consequenter incurrit pœnas contra transgressores. Quo eodem pacto philosophandum est de ingresso legitimè in Monasteria monialium, si finito negotio, non reuertitur, reus erit transgressionis præcepti, & consequenter incurret pœnas transgressoribus inflictas. Naldus *in sum. verbo Clausura, num. vltim. & verbo Monialis, num.* 15. Secundò quia negotio finito, licentia non præsumitur ampliùs legitima 3. ex fine huius prohibitionis, qui fuit ad tollendam omnem occasionem monialibus peccandi. Posset quidem dici, quòd si durante negotio, v. g. durante animæ comendatione, quæ solet durare per vnam, aut duas noctes, seu durante fabrica Monasterij, quis cum moniali fornicaretur, dictas pœnas non incurreret, quia hic legitimus ingressus est, nec tenetur exire, nisi negotio finito.

33. Quæres 11. quas pœnas incurrat ingrediens Monasteria monialium absque licentia.

Respondeo. Per Trid. *sess.* 25. *de reg. cap.* 5. incurrere pœnam excommunicationis ipso facto, qui sine licentia Superioris in scriptis obtenta, Monasteria Monialium ingreditur. Greg. XIII. in sua constit. quæ incipit, *Vbi gratia*, de qua *supra numero.* 4. excommunicat omnes personas cuiuscumque gradus, & conditionis, etiamsi Comitissæ, & Ducissæ, quæ ingredi audent monialium Monasteria, virtute facultatum à Sede Apostolica concessatum, & sibi absolutionem reseruat. Excommunicat etiam ipso facto, *vt supra*, dictus Greg omnes Abbatissas, & Abbates, eos officiis, quæ habent, priuando, & ad futura inhabilitando, si in sua respectiuè Monasteria quenquam prætextu huiusmodi licentiarum admiserint. Excommunicat etiam eodem modo, & priuat, ac inhabilitat idem Pontifex eos, qui ex licentia Superiorum ingrediuntur eadem Monasteria absque vrgenti necessitate; quibus pœnis subiacere etiam vult moniales, absque dicta necessitate admittentes. In bulla

verò, quæ incipit, *Dubiis, quæ emergunt*, ponit alias pœnas contra Superiores ingredientes, de quibus *supra numero*. 4.

34. Quæres 12. an fœmina bona fide intrans monialium Monasteria animo profitendi in eo, absque vlla Superioris licentia, incurrat pœnam in Trident. positam.

Respondeo, Bonam fidem posse hanc fœminam excusare, præsertim, si timeat ne scientes parentes ingressum prohibeant; cessante autem bona fide, non vitabit pœnas. Sanch. 6. *in decal.cap.* 16. *num.* 74.

35. Quæres 13. An pœnæ inflictæ à Greg. XIII. in sua constit. *Vbi gratia*, incurrantur ab eo, qui ingreditur Monasteria monialium, non virtute alicuius facultatis, sed absque vlla prorsus licentia.

Respondeo, Certum est, hunc incurrere pœnam excommunicationis positam à Trid. *sess.* 25. *de reg. cap.* 5. quæ tamen nemini reseruata est. Mihi etiam certum est, incurrere pœnas inflictas à Gregorio, easque etiam subire admittentes; Nam credendum est, Pontifices principaliùs intendisse ad vetandum factum, quod est ingredi, quam illius solemnitatem, quæ est prætextu licentiarum, & magis impudenter videntur peccare ingredientes sine licentia, quam qui illa cooperti. Et idem est de admittentibus. Atque ita tenet Nauar. *comm.* 4. *de reg.num.* 72. *vers. Quarto quod*; qui ait, hanc fuisse mentem Pij V. in suo motu proprio contra ingredientes Monasteria virorum prætextu quarumcumque licentiarum. Et ita seruari in prætorio Pœnitentiariæ de sententia S. D. N. Gregor. XIII. Ex professo Beia 1. *part. cas. casu* 3. *versu Hæc omnia*; qui ita in tota Italia practicari ait, *versu Nihilominus*. Azor. *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 13. *cap.* 8. *q. vlt.* Quar. *in sum. verbo Monast. monial. pag.* 448. Contrarium tenet Sanch. 6. *in decal. cap.* 16. *num.* 79. & alij apud Quar.

36. Quæres 14. an Regulares, stante decreto Congreg. de non accedendo ad Monasteria monialium, ad colloquendum cum eis, de quo *supra, num.* 6. fine expressa licentia Congreg. peccent mortaliter, si sine dicta licentia id faciant; vel etiam non obseruatis circumstantiis positis in decreto eiusdem Congreg. sub Vrbano VIII. de quo *num.* 7.

Respondeo, Casum fuisse aliquando dubium; modo tamen esse clarum: Nam Congreg. *anno* 1606. *die* 1. *Iulij* declarauit in hæc verba: *Attentis narratis, ac dubio præfato maturè discusso, & examinato, censuit, ac declarauit, Regulares accedentes ad Monasteria monialium contra formam decreti, quo huiusmodi accessus per sacram Congreg. prohibetur, vltra pœnas priuationis officiorum, ac vocis actiuæ, & passiuæ, incurrere etiam pœnam peccati mortalis.* Refert Longus *de casib. reseru. p.* 2. *casu* 3. *num.* 29. Et docet etiam, absque ista declar. Nald. *in summ. verb. Monialis,num.* 17. quod procedit etiam post decretum Congreg. sub Vrb. VIII. *modo dicto*. Notat etiam Longus *num.* 3. quòd non incurritur peccatum, neque pœna prædicta propter aliquod verbum causa vrbanitatis dictum, dummodo limites non transcendantur, in quo boni viri iudicio standum est, quia paruitas rei in quacumque materia excusat à mortali: Nec etiam incurritur, si quis Religiosus declaret aliquem casum conscientiæ alicui moniali, cum talis alloquutio speciem habeat sermonis, & exhortationis. Neque etiam incurrit ille, qui per interpositam personam loquitur, cum odia sint restringenda. Videatur Suarez *tomo* 4. *de Religion. tract.* 1. *lib.* 1. *capit.* 10. *à numero* 14. Qui loquitur cum moniali nihil respondente, peccat, secus si monialis, cum nil respondente loquatur; nam prohibitio loquendi viros afficit, non mulieres. Diana *tom.* 3. *tract.* 2. *resol.* 48. *not.* 1. neque peccat, qui petuntus loquitur, sumus, enim in odiosis: Nec similiter peccat, qui loquitur cum Abbatissa: nam in odiosis nomine monialium non venit Abbatissa, Ita Diana *loco citato not.* 3. apud quem vide plura huiusmodi.

37. Quæres 15. An Regulares accedentes ad Monasteria monialium absque Episcopi licentia, incidant in excommunicationem, quam Episcopus proposuit contra tales.

Respondeo, Non incurrere, si habeant priuilegium, vt non possint excommunicari ab Episcopis, quale habent omnes Mendicantes, vt videre est apud Cæsar. *verbo Exemptio*, *num.*9.23. & 24. & Festum 4. *part. sui summ. cap.* 1. & patet *ex bulla* 2. *Sixti IV.* §. 10. Ita Rodriq. *tom.* 1. *quæst. reg.quæst.* 45. *art.* 2. *fine*. Quar. *in sum. bull. verbo Monast. monial. pag.* 453. Et refert Suar. *loco. citato, numero* 27. declarationem sacræ Congreg. datam *die* 9. *Aprilis*, *anno* 1587. in hæc verba: *Regulares adeuntes Monasteria monialium sine licentia Episcopi incidunt in pœnam excommunicationis, quam Episcopus suo edicto proposuit, nisi Regulares illi haberent ex priuilegio, quòd non possent excommunicari & tunc deberent puniri à suis Superioribus alia pœna. Qui Regulares sic excommunicati non possunt absolui à suis, Superioribus, sed ab Episcopo, qui sibi hanc absolutionem reseruauit.* Vide Dianam *loco citato*, *not.* 8. Quid si moniales sint exemptæ. Dic quod sic, quia procedit tunc tanquam delegatus sedis Apostolicæ, *cap.* 5. *sess.* 25. *de reg. Concil. Trid.* Riccius 2. *part. praxis resolut.* 181.

38. Quæres 16. ad quem pertineat concedere licentiam adeundi Monasteria monialium sæcularibus, seu aliis ecclesiasticis ad colloquendum cum eis, quando moniales sunt subiectæ Regularibus.

Respondeo, Congregationem censuisse, id spectare ad Superiores regulares ipsarum monialium, nisi consuetudo legitime præscripta haberet, hanc facultatem concedere pertinere ad Episcopum, vel ad Superiorem Regularium, & Episcopum coniunctiuè. Ita Quar. *in summ. verbo Monasteria monial. pag.* 453.

39. Quæres 17. An moniales admittentes aliquem intra clausuram, incurrant aliquas pœnas.

Respondeo, Si moniales Superiores sint, incurrere pœnam excommunicationis ipso facto, & priuationem dignitatis, quam habent, & inhabilitatis ad alia; posset tamen excusari ex inaduertentia, vel etiam negligentia; nam solùm feruntur istæ pœnæ contra præsumentes admittere, vel facientes ingredi ex præsumptione, quæ temerarietatem magnam dicit. Cæteræ verò moniales, ad quas ex officio impedire non pertinet, non incurrent istas pœnas, etiamsi, cum possent, non impediuerint; secus autem si inuitarent, vel aliquo positiuo modo illam personam facerent ingredi, quia tunc directè admitterent, Naldus *in sum. verbo Monialis,num.* 16. Sanch. 6. *in decal. c.*16. *num.* 96.

40. Quæres 18. Qui violaret clausuram monialium ingrediendo duos passus, & statim reuertendo, incurret ne istas pœnas?

Respondeo, Certissimum esse in omni materia paruitatem materiæ excusare à peccato mortali; Atque ita hoc casu dicendum est. Naldus *verbo Clausura, numero* 1. Graff. *de casib. reseru. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 45. & 1. *part. decis. libro.* 4. *cap.* 23. *num.* 15. & idem dicendum est de moniali ad dictos passus egressa. Et similiter de muliere intra virorum clausuram ingressa. Aliter videtur sentire Sanch. 6. *in decal. c.* 16. *num.* 70.

41. Quæ

41. Quæres 19. Quis poterit abſoluere ab excomunicatione, quam incurrit, monialis è clauſura egreſſa, ſed perſona illicitè ipſarum Monaſteria ingrediens, vel fœmina ingrediens virorum Monaſteria, & dictas perſonas admittentes contra has enim omnes perſonas adſunt excommunicationes Trid. Pij V. & Gregorij XIII. vt patet hic *ſupra, num. 3. & 4.*

Reſpondeo, Circa ingredientes Monaſteria virorum iam dixi *ſup. in conſt. 6. Iulij II. à num. 21.* Circa monialem egreſſam ait Sanch. *6. in decal. cap. 15. num. 76.* Si delictum eſt occultum, poſſe Epiſcopum, per Concil. Trid. *ſeſſ. 24. de reform. cap. 6.* poſſe etiam confeſſores regulares, per priuilegium Pauli III. quo poſſunt abſoluere ab omnibus caſibus Pontifici reſeruatis, exceptis contentis in bulla Cœnæ. Quod idem Paulus nobis etiam conceſſit in quibuſdam anni feſtiuitatibus, vt patet *ex eius conſtit. 2. § 5.* Et dixi *in append. tom. 1. Religioſi*, etiam poſt decretum ſacræ Congreg. ſub Clem. VIII. *de caſibus reſeru.* de quo ibi ex profeſſo. Circa inhabilitatem dixi *ſupra in conſtitut. cit. Iulij II. à num. 23.* At verò circa ingreſſum virorum intra dicta Monaſteria monialium ad malum finem, eſt ſpecialis difficultas. Nam confeſſores regulares etiamſi poſſint abſoluere ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, ab hoc tamen non poſſunt abſoluere, quia ſpecialiter reſeruatur in dicto 2. decreto Congreg. quod incipit, *Cum autem.* Et refert Quarant. *in ſum. verbo Caſus reſeruati, pag. 200.* Et habes *in noſtro Religioſo loco cit. pag. 682.* Puto tamen, quòd poſſint Epiſcopi vigore *dicti cap. 6. Concilij Trid.* quia in dicto decreto eis non adimitur facultas. Quicquid dicat Graff. *lib. 1. de caſibus reſeru. cap. 5. num. 17.*

42. Sed dices. Poteritne Prælatus regularis abſoluere ſuum ſubditum, qui monialium clauſuram ad malum finem violauit?

Certè iſte caſus propter atrocitatem mihi ſemper viſus eſt difficilis, & neminem diſcutientem vidi. Cum tamen ſupra dixerimus *in conſtit. 4. Sixti IV. à num. 6.* poſſe Prælatos regulares abſoluere ſuos ſubditos ab omnibus caſibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis *in bulla Cœna*, præter aliquos; Dicendum etiam eſt ab hoc abſoluere poſſe. Neque obſtant dictum decretum Congreg. neque bulla Clem. VIII. *Quæcumque* quam refert. Cherub. *tom. 3. bull. in Clem. conſtit. eius 115. pag. 164.* Nam loquuntur clarè de poteſtate Regularium in ordine ad ſæculares, cum alioquin certum ſit, poſſe dictos Prælatos regulares abſoluere ſuos ſubditos, ab omnibus caſibus, quos ſibi reſeruant Epiſcopi, à quibus tamen illis locis prohibentur Regulares abſoluere. Et quod quinque caſus reſeruati à Clem. VIII. non afficiant regulares, dicit Naldus *in ſum. verb. Reſeruatio, verſu, Et præter, & verſu ſequenti* ait, ita fuiſſe declaratum à Congreg. Regul. & ab hoc caſu ſi ſit occultus poſſe Epiſcopum abſoluere vigore Trid. *ſeſſ. 24. ca. 6. de refor.* tenet Homob. *tom. 1. exam. tract. 7. cap. 26. quæſt. 110. verſu quinimo.* Si autem dictæ cenſuræ ſint deductæ ad forum contentioſum, quis poterit ab eis abſoluere, vide quæ dico *ſupra, in conſt. 6 Iulij II. num. 21.*

CONSTITVTIO VII.

Quâ numerat quadraginta grauamina illata Mendicantibus ab Epiſcopis, & Parochis, à quibus eos liberat, multa loca Concilij Trid. declarando ; poſtremò confirmat omnia Mendicantium priuilegia.

PIVS EPISCOPVS, SERVVS ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Motiua.

ETſi Mendicantium Ordines, qui ſedulum in vinea Domini quotidie exhibere non ceſſant famulatum, ſummo ſemper ſtudio, etiam dum in minoribus eſſemus, amplexi ſumus, ad ſummi tamen Apoſtolatus apicem, meritis licèt imparibus, diuina fauente clementia aſſumpti, dum id mente recolimus; facere non poſſumus, quin eo propenſiori charitate, & paterno affectu amplectamur, ac exinde pro ſuis ſanctis ſtudiis, honeſtiſque laboribus, proque ſalute animarum ab Apoſtolica Sede, cuius continuè pacem, & dignitatem Ordines ipſi fortiter tutati ſunt, tam ſpiritualia, quam temporalia ſubſidia, ornamentaque acceperint, & accipiant, quibus & ſancta ſua officia, ac vitam ſuam regularem faciliùs, atque expeditiùs exequi, & tranſigere poſſint, & cætera religioſa perſona, Ordineſque alij exemplo ipſorum promptiores, alacrioreſque ad ſua officia perſoluenda reddantur.

Ponit 40. grauamina Mendicantib. illata.

§. 1. *Hinc eſt, quòd nos attendentes, pleroſque ex venerab. fratribus noſtris Archiepiſcopis, & Epiſcopis, qui eoſdem Ordines præcipuè tanquam fructiferos in agro Domini palmites & colere, & adiuuare deberent, non ſolùm id exequi negligere, verumetiam, Concilij Trid. decretis in prauum ſenſum retortis, eos, & eorum quemlibet variis afficere incommodis, & perturbationibus, eorumque priuilegiis non modicum afferre grauamen conantur. Quidam enim Epiſcopi, vt accepimus, nolunt admittere quoſdam Regulares ad prædicationem etiam in ſuis Eccleſiis faciendam, quamuis de eorum habilitate ad huiuſmodi opus exercendum habeant bonum teſtimonium à ſuis Superioribus.* Primum grauamen. Vide §. 3. *Alij verò volunt, vt nedum ſemel, ſed etiam pluries in anno coram ipſis, vel eorum Vicariis prædicatores præſententur, ac pro licentia prædicandi, quam non niſi in ſcriptis dare volunt, aliquid quandoque exigunt.* 2. Vide §. 4. *Alij etiam Epiſcopi maximam Regularibus iniuriam irrogare videntur, dum præter ordinem, & veterem conſuetudinem, abſque vlla ratione quoſdam reiiciunt, & quoſdam pro eorum libito admittunt ad prædicationem huiuſmodi habendam in locis ſuæ Diœceſis.* 3. Vide §. 4. *Quorundam etiam locorum Ordinarij quoſdam Religioſos probos* 4. Vide §. 4

 viros,

viros, & idoneos, etiam à suis Superioribus ap-
probatos, ad confessiones audiendas admittere
5. Vide §. 4. nullo modo volunt. Quidam ex eis volunt, non
solùm singulis annis, sed etiam pluries in anno
in aliquibus partibus eosdem confessores sibi
6. Vide §. 3. præsentari. In aliquibus verò Oppidis, tam Epis-
copi, seu eorum Vicarij, quàm presbyteri Curati
nolunt, vt fratres Mendicantes vocati ad au-
diendas confessiones infirmorum, maximè si in-
firmitas est grauis, aut etiam sanorum in pri-
uatis illorum domibus, vel alibi, præterquam
in suis Ecclesiis, aut Monasteriis possint acce-
7. Vide §. 5. dere. Nonnulli etiam audent confessores monia-
lium, qui pleno iure subsunt Regularibus, exa-
minare, cum tamen id minimè per Concilium
decernatur; sicut & de fratribus, qui sunt au-
8. Vide §. 6. dituri confessiones aliorum fratrum. Quidam
etiam in aliquibus partibus nituntur asserere,
seu facere, ne quisquam infra annum possit sa-
cram Eucharistiam in Ecclesiis Mendicantium
recipere, neque etiam moniales Tertiarias nun-
cupatas suorum Ordinum, vt aliqui asserunt,
in aliquibus partibus fieri, cum tamen solùm in
Paschate quò ad sæculares dumtaxat, iuxta
priuilegia summorum Pontificum prædecessorum
nostrorum eisdem Ordinibus concessa, id obser-
9. Vide §. 7. uari debent. Alij verò Episcopi, seu eorum Vi-
carij audent ad eorum libitum dare licentiam
quibuscumque quæcumque Monasteria monia-
lium, etiam S. Claræ ingrediendi, etiamsi Re-
10. Vide §. 8. gularium curæ subdita sint. Quidam verò sub
prætextu exquirendi voluntates puellarum, an-
te professionem earum volunt eas extrahere à
Monasteriis, & per longum tempus alibi deti-
nere, ipsasque puellas, seu nouitias de plerisque
rebus interrogant, neque necessariis, neque in
decreto Concilij Trid. desuper contentis, ex
quibus non modica potest oriri occasio scandali.
11. Vide §. 9. Alij verò plerique noluerunt quosdam Regula-
res aliarum Diœcesum sacris ordinibus initiare,
ac etiam à sui Ordinis Prælatis approbatos ad-
12. Vide §. 10. mittere nolunt. Aliqui verò singulis Dominicis
diebus in suos parochianos ad sonum campanæ
excommunicationem promulgant, vt possint
interesse missis, concionibus, & diuinis officiis,
13. Vide §. 10. nisi in propria Parochia. Alij verò in aliqui-
bus partibus in eorum Ecclesiis conciones sacræ
scripturæ, sermones pro mortuis haberi nolunt;
Et si aliquid ipsis relictum fuerit, vt ab ip-
sis missæ dicantur, vel alia officia pro mortuis
celebrentur, ipsi sibi ea vsurpant, dicentes,
quòd ipsi ea exequi non possunt, quia ipsi sunt
14. Vide §. 10. pastores. Alij verò sub excommunicationis la-
tæ sententia, & exilij per decennium à Diœ-
cesi pœna inhibuerunt, ne missæ in eorum Ec-
clesiis celebrentur in diebus festiuis, ante-
quam Rector parochialis Ecclesiæ celebrauerit.
15. Vide §. 10. Alij etiam nolunt, vt dum prædicatio in Ec-
clesia cathedrali habetur, alibi prædicetur.
16. Vide §. 11. Ac insuper in quibusdam omnem ordinem, &
quietem perturbant, dum controuersias tan-

diu sopitas, & extinctas super præcedentia ex-
citarunt, & vbi nulla erant, pepererunt, dum
pro arbitrio, & voluntate eorum hos illis præ-
ferre voluerunt. Quidam etiam Episcopi vo- 17. Vide §. 12.
lunt, Regulares à cura animarum excludi, &
illam solis presbyteris sæcularibus committi.
Quidam verò quartam funeralium extendere 18. Vide §. 13.
volunt etiam ad missas, legata, & alia quæ-
cumque quæ domibus Regularium relinquuntur.
Alij autem volunt quartam partem omnium 19. Vide §. 14.
eorum, quæ etiam pro ornamento Ecclesiæ,
palliorum, planetarum, cortinarum, panno-
rum, & eorum etiam, quæ pro victu fratrum
relinquuntur. Aliqui etiam in quibusdam par- 20. Vide §. 15.
tibus volunt, vt non solùm ius sepulturæ solui
consuetum, quod semper soluitur, neque dene-
gatur, sed etiam omne illud, quod Ecclesiis
Ordinum ad eorum libitum partes dant, quan-
do sepeliuntur ibidem defunctorum corpora, id
totum Curatis etiam de nouo soluatur, instan-
ter conantur, impedientes, ne aliter corpora
defunctorum ad Monasteria fratrum deferan-
tur; vnde in hoc maximè tam partes, quàm
ipsos fratres grauari contingit. Aliqui verò 21. Vide §. 16.
etiam ex locis Mendicantium, qui curam ha-
bent animarum, volunt pro seminario decimas
exigere, ac in casu renitentiæ etiam pignus exi-
gunt. Alij autem præfatos fratres, ac moniales 22. Vide §. 16.
sub eorum cura degentes subsidium regium per-
soluere cogunt, cum multæ earundem monialium
vix habeant pro earum victu, & vestitu ne-
cessaria vitæ. Alij etiam in quibusdam partibus 23. Vide §. 17.
pauperes Mendicantes eleemosynas petere pro-
hibent pro eorum dumtaxat sustentatione, &, si
inuenerint, eos panem, vel aliquid aliud simile
amore Dei sibi collatum portantes, quandoque ab
eis auferre minantur, afficientes graui iniuria,
& contumelia. Nonnulli verò Episcopi, vel Ca- 24. Vide §. 16.
pitula Canonicorum pauperes Mendicantes, tam
fratres, quàm moniales suorum Ordinum,
tam de redditibus bonorum, si quæ habent,
quam de possessionibus, vineis, agris, & aliis suis
bonis quibuscumque non solùm largitione fide-
lium sibi concessis, sed etiam aliàs iustis de cau-
sis ab eis acquisitis, ac pecuniis emptis, sibi de-
cimas, ac primitias aliis respectiuè soluere co-
gunt. Alij autem ausi sunt inquirere, & proces- 25. Vide §. 18.
sus facere contra aliquos Regulares intra clau-
stra delinquentes, vel de quorum delictis aliqua
erat suspicio, non expectata suorum Superiorum
censura. Alij verò Episcopi monialium Monaste- 26. Vide §. 7.
ria ingredi, & illa ingrediendi licentias aliis
concedere, & aduersùs illas processus formare,
ipsorum Ordinum Superioribus irrequisitis, præ-
sumunt. Aliqui etiam dominium temporale su- 27. Vide §. 7.
per moniales habere prætendunt. Nonnulli ve-
rò frequentissimè Regulares citant, & iurisdi- 28. Vide §. 7.
ctioni suæ subiicere tentant, ac eorum Conuen-
tus occupant, ipsos expellendo, ac in ip-
sos iurisdictionem, vel potestatem exercent. 29. Vide §. 19.
Aliqui verò ipsos carceribus absque causæ
cognitione

cognitione mancipant, ac manibus, pedibusque laborant, ut Regulares Mendicantes suæ ditioni subiiciant, & usque ad eo se intromiserunt in gubernatione Conuentuum, & in correctionibus fratrum, ut Prouincialibus, & Generalibus nullus ampliùs videatur relictus locus, 30. Vide §. 19. aut ulla iurisdictio. Aliqui autem Conuentuum Priores, & Guardianos rationes, & computa 31. Vide §. 20. facere cum Syndicis Conuentuum huiusmodi prohibent. Fratres quoque, qui ad Episcopos huiusmodi recursum habent, à Prioribus, & Guar- 32. Vide §. 20. dianis præfatis castigari, & puniri interdicunt. Inhibent quoque Superioribus Ordinum, ne faciant processus contra fratres, ac in ipsos impe- 33. Vide §. 21. rium, & brachium sæculare exerceant. Alij verò ipsas extra claustra degentes sub eorum protectione recipiunt, eosque sic permanere permittunt, eosque etiam, inuitis suis Superioribus, 34. Vide §. 22. detinent. Aliqui verò bonorum ipsorum fratrum, tanquam ad eos, si extra claustra defuncti fuerint, spectantium, possessionem occupare præsumunt, & ad habitum Religionis reuersis sua 35. Vide §. 23. bona consignare nolunt. Ac etiam uniones à Sede prædicta, aut aliàs ritè factas de beneficiis ecclesiasticis impediunt, & sibi relaxari debere volunt, & contradictores excommunicationis 36. Vide §. 24. gladio feriunt. Alij verò, Regulares campanas diebus festiuis pulsare, vel eodem tempore, quo 37. Vide §. 25. ipsi celebrant, missas celebrare nolunt. Aliqui etiam pro licentia danda ædificandi quandam domum Regularem, triginta, vel quadraginta 38. Vide §. 31. & 26. ducatos exigere non erubuerunt. Alij verò eos mortuorum corpora associare; alij autem illos cum Parocho similia munera subire non permittunt, nisi maior Canonicorum pars interue- 39. Vide §. 27. nerit. Alij verò mortuorum officia in Regularium Ecclesiis peragi nolunt, nisi cum ipsorum præsentia, & ipsorum moniales, vel alias personas, etiamsi in earum funere Parochus interuenire non deberet, sepelire prohibent, nisi ipsi Parocho priùs certum quid solutum fuerit, & si aliquem ipsi sciuerint in Regularium Ecclesiis sepulturam elegisse, eum, ut dicitur, non ante ad illas deferre sinunt, quàm ad Parochi Eccle- 40. Vide §. 28. siam delatum, ibique officium peractum fuerit. Postremò verò testamenta sine presbyterorum præsentia fieri prohibent, & si quid ipsis Regularibus relictum fuerit, id, asserentes contra Concilij Trid. Canones esse, reuocare omnino procurant.

Declarate Concilia ad Papam spectat.

§. 2. Ac propterea volentes præmissis, ac aliis similibus excessibus, & grauaminibus ex nostri pastoralis officij debito prouidere, attendentes etiam, illos, qui onus diei, & æstus tam in prædicationibus, quàm in cæteris spiritualibus muneribus quotidie sustinent, nisi etiam aliquantisper subleuentur, facile fore, ut oppressi, à suis officiis omnino desistant, ne in posterum eis aliquod inferatur grauamen. Concilij Trid. huiusmodi decreta, quorum falsa, seu minùs vera intelligentia præmissa irrepserunt, quorumque declaratio non nisi ad nos spectat, modo, & forma infrascriptis declaranda censuimus.

Mendicantes possunt in suis Ecclesiis ad suum libitum prædicare.

§. 3. Nos igitur motu proprio, non ad alicuius instantiam, sed de mera deliberatione, & ex certa scientia nostris, ac de Apostolica potestatis plenitudine declaramus, Canonem sess. 24. cap. 4. per quem omnibus Regularibus etiam in suorum Ordinum Ecclesiis, contradicente Episcopo, prædicationis officium interdicitur, Mendicantium Ordinum fratres huiusmodi, quando à suis Generalibus, vel eorum Ministris prouincialibus ad id deputati fuerint, non comprehendere, neque eos afficere posse: immo volumus, quòd in suis Ecclesiis, quando eis placuerit, licitè, & absque ullo impedimento, vel contradictione, etiam Episcopi, nisi ipse prædicauerit, prædicare possint.

Mendicantes possunt ubique confessiones audire.

§. 4. Quod verò in sess. 23. cap. 15. circa confessiones à Regularibus non audiendas statuitur, hoc etiam dictorum Ordinum fratres à præfatis suis Generalibus, vel Ministris prouincialibus ad audiendas confessiones utriusque sexus Christi fidelium approbatos, ut præmittitur, minimè comprehendat, ita ut à confessionibus audiendis, tam intra eorum Ecclesias, domos, quàm extra minimè prohibeantur, super hoc literas fel. recor. Pauli Papæ IV. etiam prædecessoris nostri, concedentes eisdem fratribus Mendicantibus regularis obseruantiæ posse confessiones sæcularium personarum, etiam infirmarum, etiam extra domos, & Monasteria sua, & ubilibet audire, approbando, & de nouo concedendo. Statuimus etiam, quòd ille, qui semel in una Diœcesi admissus per Episcopum fuerit, semper in eadem Diœcesi habeatur pro admisso, nec ampliùs examinari, vel præsentari in dicta Diœcesi debeat, tam quò ad prædicationes faciendas, quàm quo ad confessiones audiendas: Nec aliquid pro prædictis exigi, vel recipi debeat.

Confessores fratrum, & monialium, neque etiam Lectores examinentur ab Episcopis. Quò ad confessiones monialium vacat per const. 2. Greg. XV. §. 4. infra, & etiam quò ad Lectores, hic infra. num 8. Eucharistiæ sacramentum ministrare possunt, & in festis suorum Ordinum interdicta suspenduntur.

§. 5. Confessores verò monialium, quæ degunt sub cura Regularium, ab Ordinario examinari nolumus: quemadmodum neque etiam fratres, si debeant audire confessiones aliorum fratrum, examinari debent. Lectores insuper ex eisdem fratribus, & theologia graduati, qui cum licentia suorum Superiorum ad gradum admissi fuerint, cum de ipsorum doctrina ambigendum non sit, tam confessiones audituri quàm prædicationis munus subituri, ab Episcopis minimè examinentur.

§. 6. Ipsique Christi fideles sacramentum Eucharistiæ, Resurrectionis Dominicæ, festiuitate dumtaxat excepta, sumere, eisque illud per fratres huiusmodi administrari valeat, nec ad illud faciendum per locorum Ordinarios, aut ecclesiarum Rectores præfatos, seu alios quoscumque (illorum licentia minimè requisita) etiam sub censuris ecclesiasticis, & aliis pœnis cogi, vel compelli possint, seu debeant, etiam decernimus, & declaramus. Et licèt in sess. 25. cap. 12. caueatur, quòd censuræ, & interdicta Eccle-

Quò ad Euch. vide constit. 1. Iul. II. §. 1. nu. 8 1. Quò ad interdicta, vide constit. 2. Sixti IV. à n. 50.

stasticæ, etiam à locorum Ordinariis promulgata, mandante Episcopo, à Regularibus in eorum Ecclesiis publicari debeant, tamen si tempore celebrationis alicuius ex festis Sanctorum Ordinum eorundem, ac aliis festiuitatibus iuxta eorundem Ordinum priuilegia Apostolica, interdictum huiusmodi emanauerit, illud in præfatis festiuitatibus, & earum octauis suspendimus.

In moniales Superioribus regularibus subiectas episcopi nullatenus se impediant.

§. 7. *Cumque inhonestum sit, quemlibet in alienam messem falcem inijcere: cumque monialium Monasteria non nisi de Episcopi, vel Superioris licentia, & in casibus necessariis aliquis ingredi præsumat, in sess. 25. cap. 5. prohibetur; hoc tantùm in illis Monasteriis locum habere volumus, quæ Ordinariis ipsis pleno iure subsunt, in quibus in casibus necessariis ipsi dare licentiam possint, & non in aliis Monasteriis: Ita vt in præfatis Monasteriis, quæ Ordinariis ipsis pleno iure non subsunt, ipsi Ordinarij illa ingredi non possint, prout in Regulis earum, seu de iure statuitur, & eis aliquos processus aduersùs moniales ipsas, seu fratres huiusmodi propterea, seu aliàs, ipsorum Ordinum Superioribus irrequisitis, quoquomodo formare, aut facere possit omnino prohibemus, ita vt aliquam iurisdictionem, seu aliquod quodcumque dominium in moniales, & fratres huiusmodi respectiuè habere, exercere, aut exequi nullatenus possint, aut debeant, immo illas, & illos omnes ab eorum superioritate, dominio, & iurisdictione, & potestate eximimus, & liberamus, prout eis concessum est per sua priuilegia à Sede præfata obtenta. Et ita præfatæ moniales, ac fratres sint exclusi à superioritate, & iurisdictione Ordinariorum respectiuè huiusmodi, vt etiam in illarum, vel illorum Syndicis, aut Procuratoribus deputandis, vel in disponendis illorum facultatibus, vel ad alia sibi non competentia faciendum vllatenus non se intromittant. Nec etiam Ordinarij ipsos Regulares præfatos citare, & iurisdictioni suæ subijcere, ac eorum Conuentus occupare, ipsos ab eis expellendo, ac in ipsos iurisdictionem aliquam, & potestatem exercere, vt præmittitur, aut ipsos carceribus mancipare, & contra eos aliud facere possint, vt suæ ditioni subiiciantur.*

Examen puellarum Deo dicandarum quomodo, & quando ab episcopis fieri debeat.

§. 8. *Volumus etiam quòd puellarum Deo dicandarum, an scilicet coacta, vel seducta fuerint, examen faciendum, non nisi infra quindecim dies, postquam iuxta Concilium Trid. Episcopi, vel eorum Vicarij requisiti fuerint, fieri possit. Quibus elapsis, ampliùs in hoc illis se intromittere non liceat. Cuius occasione nec Episcopus, nec eius Vicarius intra septa Monasteriorum ingrediantur, sed stent ante cratem ferream. Et interrogationes alias, quàm eas, quas præfatum Concilium Trid. iubet, eis fieri omnino prohibemus. Ac similiter volumus, quòd puella, seu nouitia ipsa ad alias interrogationes respondere minimè teneantur.*

Mendicantes à quocumque episcopo ordines possunt sumere. Vide sup. in const. 2. Sixti IV. à num. 33.

§. 9. *Sessione verò 23. cap. 8. Neminem, nisi à proprio Episcopo ordinari posse statuens, in Regularibus locum non habere omnino declaramus. Ita quòd fratres huiusmodi præfatos etiam sacros ordines à quolibet Antistite gratiam, & communionem Apostolicæ Sedis habente, Ordinarij loci minimè requisita licentia, in locis, seu domibus fratrum huiusmodi, aut alibi recipere possint.*

Possunt semper, & vbique missas celebrare, etiam antequam Parochus celebrauerit.

§. 10. *Et insuper sess. 22. decretum, per quod populum sæpe ad suas Ecclesias, saltem Dominicis, & maioribus festiuis diebus conuenire debere monet, insequendo, volumus, quod fratribus Mendicantibus huiusmodi non solum prohiberi non possit, ne missas, & alia diuina officia faciant in eorum Ecclesiis, verumetiam in quibuscumque aliis, vbi celebrari missas solitum est, etiam ipsis non vocatis, seu ad id requisitis, celebrare valeant; Ac etiam quòd conciones, & lectiones sacræ Scripturæ, & sermones pro mortuis etiam in Ecclesiis facere, ac eleemosynas pro celebrandis huiusmodi missis, & aliis diuinis officiis peragendis, si eis illas donari, seu relinqui contingat, recipere. Necnon missas, & diuina officia huiusmodi etiam in diebus Dominicis, et festiuis, etiam antequam Rector parochialis Ecclesiæ celebrauerit, celebrare, & facere, & quando eis videtur, etiamsi tunc in Ecclesia cathedrali prædicetur, prædicare, ac etiam quicumque vtriusque sexus Christi fideles totius anni tempore illas, & illa in Ecclesiis fratrum huiusmodi audire possint; Ipsique Christi fideles vllatenus desuper molestari, aut impediri per locorum Ordinarios, seu Rectores parochialium Ecclesiarum, aut alios quoscumque vllo pacto, causa, vel occasione non valeant, seu debeant, sed præfati Christi fideles audiendo missas, & alia diuina officia in Ecclesiis fratrum huiusmodi diebus Dominicis, aut festiuis, præcepto Ecclesiæ de illis audiendis satisfecisse censeantur.*

Controuersiæ de præcedentia ab episcopis quomodo dirimendæ. Vide sup. in constit. 2. Sixti IV. num 58. & hic infra. §. 19.

§. 11. *Controuersias autem omnes de præcedentia, quæ eadem sess. 25. cap. verò 13. per Episcopum terminari mandatur, non nisi durantes per illum dirimi, finitas autem nullo pacto innouari posse statuimus.*

Regulares possunt admitti ad curam animarum sæcularium suis Conuentibus annexam. Vide sup. in const. 2. Sixti IV. à num. 23.

§. 12. *Cumque licèt cap. 11. sess. 25. statuat, quod in domibus virorum, seu mulierum, quibus animarum personarum sæcularium cura imminet nulli etiam ad nutum amouibiles inibi deputentur, nisi de Ordinarij consensu, ac præuio examine huiusmodi præcedente, ad curam huiusmodi admitti posse omnino volumus præfatos Regulares.*

Quarta funeralium quomodo soluenda.

§. 13. *Quartam autem funeralium, de qua sess. 25. cap. 13. nequaquam soluere teneantur Monasteria, quæ à quadraginta annis citra fundata existant, postquam Concilium ipsum loquitur tantùm de Monasteriis ante annos quadraginta fundatis, quæ ipsam quartam soluere consueuerunt; & vbi solui consueuit, id tantùm ceræ, & aliorum, quæ in aliquibus partibus deferri*

contigerit

contigerit tempore, quo defunctorum corpora ad ſupulturam deſeruatur, non autem de miſſis, ſeu legatis, vel aliis, fratribus ipſis, ſeu monialibus huiuſmodi relictis, aut aliàs quomodolibet donatis, ſolui debet: ſicque intelligi Concilij decretum quò ad quartam huiuſmodi ſoluendam debere decernimus. Vbi verò non eſt conſuetudo ſoluendi quartum huiuſmodi, nullo ſupraſcriptorum ſolui debere declaramus.

Nec etiam tenentur ad quartam relictorum. Vide in conſt. Pyethi, n. 54.

§. 14. *Nec ad quartam, ſeu aliam omnium eorum, quæ etiam pro ornamento Eccleſiæ, palliorum, planetarum, cortinarum, pannorum, & aliorum, quæ dictis Eccleſiis relinqui, vel dari contigerit, etiamſi pro victu fratrum, aut aliàs relinquantur, aliquid contribuere teneantur.*

Non poſſunt impediri quominus corpora defunctorũ ad ſuas Eccleſias tumulanda deferant.

§. 15. *Ac etiam ius ſepulturæ ſolui tantùm conſuetum Curatis, & non aliquid aliud eis ſolui debeat, quamvis partes ad earum libitum Eccleſiis Ordinum huiuſmodi, ſeu eorum fratribus alia quæcumque tribuant ſeu eleemoſynas elargiantur, quando ſepeliuntur ibidem corpora mortuorum huiuſmodi. Nos propterea impediri debeant, quin poſſint defunctorum corpora præfata ad eorum Eccleſias tumulanda deferri facere.*

Non tenentur ad contributionem pro ſeminario, aut decimarum, &c.

§. 16. *Inhoneſtum quoque eſſe cenſentes, Mendicantium Ordines ad aliquorum onerum contributionem teneri, illorumque loca, etiamſi curam animarum habeant, ac quæcumque beneficia illis vnita ad contributionem pro ſeminario, aut decimarum aliquarum ſolutionem, immo illos, & eorum domos, Monaſteria, beneficia, & loca quæcumque, & ab illis quomodolibet dependentia, eorumque poſſeſſiones, vineas, agros, & prata, ac alia bona quæcumque tam ad ipſos, quàm ad moniales præfatas, etiam largitione fidelium, ſeu aliàs iuſtis de cauſis ab eis acquiſita, ac pecuniis empta, vel aliàs quomodolibet pertinentia minimè teneri, illoſque & illas à quibuſcumque decimis, primitiis, quartis, mediis, & aliis fructuum partibus, necnon ſubſidiis charitatiuis, etiam per nos conceſſis, ad quarumcumque etiam Regum, Principum, & Dominorum temporalium inſtantium, quacumque etiam vrgentiſſima, & de neceſſitate exprimenda cauſa, ac etiam aliis quibuſcumque oneribus, tam ordinariis, quam extraordinariis, etiam ratione fructuum, olerum, virgultorum, lignorum, beneficiorum, & aliarum quarumcumque rerum, tum pro victu, quàm veſtitu, aut aliàs ſibi neceſſariarum quomodolibet, etiam auctoritate Apoſtolica nunc, & pro tempore impoſitis, ita vt penitus, & omnino ad alicuius rei contributionem minimè teneantur, omnino eximimus, & liberamus, illoſque & illas, ad illa, etiamſi ſæculares, & aliæ perſonæ quæcumque in eas exigendi poſſeſſione fuerint, minimè teneri debere volumus. Nec ſub cap. 12. ſeſſ. 25. comprehendi poſſe, vel debere decernimus.*

Mendicantes poſſunt eleemoſynas quærere.

§. 17. *Quod verò de vſu quæſtorum eleemoſynarum auferendo loquitur ſeſſ. 21. c. 8. id ad Mendicantium Ordines nullo modo referri poſſe, vel debere, etiam decernimus: quia potiùs, cum eleemoſynis huiuſmodi viuere coguntur, eis id facere liberum omnino eſſe declaramus.*

Epiſcopi quomodo Regulares notoriè delinquentes punire poſſint. Vide ſup. in conſt. 2. Sixti IV. à num. 61.

§. 18. *Quoniam verò ex nimia Epiſcoporum ſibi arrogata auctoritate, ipſi perſonas Regulares ſuæ iuriſdictioni ſubiicere omnino ſtudent, ac decreto Concilij præfati ſeſſ. 25. c. 14. edito, quo cauetur, quòd ſi Regularis intra clauſtra exiſtens, & extra ea ita notoriè deliquerit, vt populo ſcandaloſus ſit, termino ab Epiſcopo præfigendo, à ſuo Superiore omnino puniatur; ſin minùs, ab Ordinario delinquens puniri poſſit, confiſi, variis, indebitiſque grauaminibus Regulares afficiunt: Ordinarios præfatos aliquid, contra Regulares in clauſtris degentes huiuſmodi, quovis prætextu, occaſione, vel cauſa innouare non poſſe, vel debere, nec aliquos proceſſus contra ipſas perſonas regulares formare, aut facere poſſe volumus, niſi propter manifeſtum ſcandalum, & ſuorum Ordinum Superioribus priùs cõſultis, & negligentibus, alioquin omnia, & ſingula contra præmiſſa facta, & geſta, ac facienda in futurum pro nullis, & infectis habeantur.*

Epiſcopi non ſe intromittãt in gubernatione Regularium.

§. 19. *Neque etiam ſe intromittant vllo pacto, aut aliqua ratione in gubernatione Conuentuum, tam fratrum, quàm monialium huiuſmodi, & illorum correctionibus; ſed omnia, & alia neceſſaria ad correctionem & gubernationem fratrum, aut monialium huiuſmodi, eorum Generalibus, ac Miniſtris, ſeu Prouincialibus, vel aliis eorum, aut earum reſpectiuè Superioribus, etiam ratione computa faciendi cum Syndicis Conuentuum huiuſmodi omnino relinquantur, nec vllo modo in prædictis per ſe, vel alios ſe intromittant.*

Fratres recurrentes ad Epiſcopos à ſuis Superioribus puniantur.

§. 20. *Fratres quoque ſi contigerit eos ad huiuſmodi Ordinarios recurſum habere, à præfatis Generalibus, Miniſtris, ſeu Prouincialibus, Prioribus, Guardianis, & aliis Superioribus caſtigari, & puniri poſſe, & debere, neq; ipſos Ordinarios præfatis Superioribus Ordinũ huiuſmodi vllatenus inhibere; Quin immo præfatos Superiores proceſſus contra fratres ſuos, & moniales huiuſmodi, quando opus fuerit, circa delictorum, inquiſitionem, vel caſtigationem facere poſſe decernimus, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis.*

Epiſcopi fratres extra clauſtra degentes ſub protectione non recipiant.

§. 21. *Inhibemus etiam ipſis Ordinarijs, ne fratres extra clauſtra degentes ſub eorum protectione recipiant, eoſque inuitis ſuis Superioribus, detineant.*

Bona fratrum decedentium extra clauſtra etiam ſine habitu ad Ordinem, quem profeſſi ſunt, pertinent.

§. 22. *Prohibemus quoque eiſdem Ordinariis, ne aliquomodo ſe intromittant in bonis dictorum fratrum extra clauſtra ſuorum Monaſteriorum pro tempore degentium, ſiue decedentium, & quamvis in habitu, ſiue abſque habitu moriantur, volumus, quòd eorum bona mobilia, & immobilia, ad Ordinem, quem profeſſi ſunt,*

pertineant, disponenda iuxta constitutiones, seu ordinationes præfatorum Ordinum, neque illa Ordinarij præfati occupare præsumant, immo huiusmodi, & ad habitum Religionis venerentium bona omnia Monasteriis ipsis, cum ea, quæ acquiris Monachus, de iure Monasterio acquirantur, pertinere etiam decernimus.

Episcopi uniones non impediant, & possint Regulares curam animarum suis ecclesiis annexam per se ipsos, vel Capellanos ad suum nutum amouibiles exercere.

§. 23. *Ac ipsis Ordinariis, ne quascumque uniones, etiam perpetuas, à Sede prædicta, vel aliàs, vt præfertur, hactenus factas, & pro tempore faciendas de beneficiis ecclesiasticis, seu illorum fructibus, quin suum sortiantur effectum impediant, omnino etiam prohibemus, & censuras Ecclesiasticas, & alias pœnas per eos in contradictores pro tempore latas, nullius esse roboris, vel momenti similiter decernimus, & declaramus. Insuper volumus, quòd præfati Regulares, quibus cura animarum est, possint per se ipsos iuxta suorum Superiorum ordinationem, aut alios Vicarios, seu Capellanos sæculares, ipsorum Regularium nutu amouibiles, ab eis deputatos, & ab Ordinario pro idoneis nominatos, & approbatos, præfatam curam exercere, neque in eorum deputatione, vel amotione, neque alicuius partis fructuum consignatione pro præfatis Capellanis, seu Vicariis sæcularibus, si per tales curam exerceri contigerit, Episcopi vllo pacto se intromittant.*

Ordinarij non possunt impedire fratres quocumque tempore pulsare campanas, & missas celebrare, &c. Quò ad campanas vide sup. in constit. 26. Leon. X. § 15. n. 91.

§. 24. *Prohibemus insuper eisdem Ordinariis, ac aliis quibuscumque personis, ne impediant ipsos fratres quando eis placuerit, tam in diebus Dominicis, seu festiuis, aut aliis totius anni temporibus campanas pulsare, & etiam tempore, quo ipsi celebrauerint, missas celebrare, nec non mortuorum corpora associare, & illa per fratres ipsos, quando in Ecclesiis suis præfatis delata fuerint, absque præsentia Rectorum Ecclesiarum huiusmodi sepeliri facere, ac officia mortuorum huiusmodi peragi posse, necessariamque præsentiam Rectorum, aut aliorum Clericorum, quin infirmi liberè sua possint condere testamenta, minimè esse, ac ipsos Regulares legata, aut quæuis alia sibi in testamentis relicta exigere, & obtinere, neque aliquod ius in contrarium esse decernimus, & declaramus.*

Licentiam construendi Conuentus gratis dare debent Episcopi, quam sine legitima causa negare non possunt.

§. 25. *Licentias verò pro construendis domibus regularibus, quæ 3. cap. sess. 25. nisi de Ordinarij licentia construi prohibentur, gratis omnino dari, & non nisi legitima subsistente causa, Superioribus explicanda, illas recusari posse.*

Fratres possunt etiam soli corpora associare, & mandatum in die Cœnæ facere.

Vide hic infr. §. 15. num. 15. & sup. in constit. 10. Leon. X. §. 1. nu. 1.

§. 26. *Necnon fratres præfatos etiam solos mortuorum corpora associare, ac mandatum in die Cœnæ Domini fieri solitum, in Ecclesiis, seu domibus fratrum cuiuslibet Ordinis prædictorum solemniter facere, & prædicta die prædicare hora, quæ eis videbitur, nec per locorum Ordinarios, aut Rectores Ecclesiarum, seu alios quoscumque prohiberi posse etiam decernimus, & declaramus.*

Officia defunctorum in ecclesiis fratrum Parochi facere non possunt, nec corpora sepelire absque fratribus ad ea sepelienda vocatis. Vide const. 2. Iul. II. §. 21. n. 17.

§. 27. *Mandantes etiam vniuersis locorum Ordinariis, ne mortuorum officia agere Rectores parochialium in Ecclesiis ipsorum fratrum contra illorum voluntatem permittant Ac moniales dictis fratribus subditas, vel personas sepulturam in eorum Ecclesiis eligentes, nulla soluta Parocho portione, sepelire, vel, si fratres ad mortuorum corpora associanda vocati fuerint, illa absque fratrum huiusmodi præsentia sepeliri facere audeant, vel præsumant.*

Vide sup. in const. 4. Sixti IV. num. 39.

Abrogat vsum non faciendi testamenta sine Parochis.

§. 28. *Cumque maximè deceat, liberam esse cuiusvis testantis voluntatem, prauum illum vsum paruo adhuc tempore, vt præfertur, introductum, per quem testamenta absque presbyterorum præsentia fieri interdicuntur, omnino abrogamus.*

Ad quas processiones vocati fratres accedere teneantur.

§. 29. *Postremò quod cap. 13. sess. 25. cautum fuit, quòd omnes scilicet tam Clerici, quàm Regulares quicunque ad publicas processiones vocati, accedere compellantur, id quò ad fratres præfatos, de illis tantum processionibus intelligi volumus, ad quas secundùm consuetudinem antiquam locorum soliti sunt accedere, vel quæ pro bono pacis Ecclesiæ, vel pro victoria contra infideles indicuntur. Quod etiam de illis Conuentibus, qui Collegia nuncupantur, minimè intelligi volumus, in quibus fratres sub arctiori clausura degunt, ita vt nec in choro cantent, nec ad mortuos accedant; sed tantum studiis, & lectionibus vacent.*

Extinguit lites super dictis pendentes.

§. 30. *Præterea si fortè inter Episcopos, vel Collegia, aut Capitula, vel alias quasvis personas, & præfatos fratres, seu moniales, aut eorum aliquos super præmissis, vel aliquo eorum coram quocumque, seu quibuscumque iudicibus, etiam causarum Palatij Apostolici Auditoribus, ac S.R.E. Cardinalibus, tam in Romana Curia, quàm extra eam vbilibet, lis, seu lites respectiuè pendeant, nos litem, seu lites, & causam, vel causas huiusmodi ad nos aduocamus, ac illam, & illas, quarum statum, ac nomina, & cognomina iudicum, & collitigantium præsentibus haberi volumus pro sufficienter expressis, cassamus, & extinguimus, ac partibus ipsis perpetuum silentium desuper imponimus.*

Confirmat omnia priuilegia Mendicantium.

§. 31. *Ac insuper, vt faciliùs præmissa omnia illibata persistant, omnia, & singula priuilegia, immunitates, indulgentias, facultates, libertates, indulta, dispensationes, fauores, & gratias, quæ decretis Concilij Trid. alias, quam vt superiùs est dictum, concessum, & declaratum, non contrariantur expressè, eisdem fratribus, necnon monialibus quibuscumque & sororibus tertij Ordinis prædictorum Ordinum respectiuè, Ordinibus, ac illorum Ecclesiis, domibus, & personis etiam viuæ vocis oraculo, in genere, vel in specie, tam per recolendæ mem. Eugenium IV. Sixtum IV. Leonem X. Paulum III, ac dictum Paulum IV. & Pium etiam IV. quàm alios quoscumque Romanos Pontifices etiā*

prædecessores

prædecessores nostros, ac nos, & Sedem eandem quomodolibet concessa, confirmata, & innouata, necnon nostras, & prædecessorum nostrorum, ac alias quascumque desuper confectas literas, quarum omnium tenores, ac eorundem prædecessorum nostrorum nomina, & alia de necessitate exprimenda, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, etiam præsentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illisque perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus, eaque perpetuis futuris temporibus inuiolabiliter obseruari debere, ac fratribus, Superioribus, & personis Ordinum huiusmodi, necnon aliis quibuscumque quos illa concernunt, suffragari debere, seu posse volumus. Necnon priuilegia, immunitates, facultates, libertates, indulta, dispensationes, exemptiones, fauores, & gratias, tam spirituales, quàm temporales, modo, & forma, quibus concessa sunt, etiam per viam communicationis, extensionis actiuè, & passiuè inter se, & alios quoscumque Ordines respectiuè de nouo concedimus, illaque omnia, & singula ad domos, & loca quacumque dictorum Mendicantium Ordinum, & monialium quarumcumque, ac sororum de tertio Ordine nuncupatarum in Congregatione viuencium dictorum Ordinum, vt præfertur, hactenus recepta, & in posterum recipienda: Necnon eorum personas, & bona, etiamsi priuilegiorum, & aliarum gratiarum præfatorum authentica originalia propter temporis antiquitatem, vel varias Vrbis ruinas deperdita existant, dummodò de eis aliàs legitimè constet, extendimus, & ampliamus.

Decretum irritans.

§. 32. *Et sic in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque iudices, & personas quauis auctoritate fungentes, etiam Cardinales, & Auditores præfatos, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, necnon quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.*

Commissarios deputat.

§. 33. *Quocirca dilectis filiis nostris Prædicatorum Cardinali Protectori, & S. Hieronymi Generali Ordinum, ac Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ etiam generali Auditori, nunc, & pro tempore existentibus per Apostolica scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorundem fratrum, aut monialium, vel alicuius eorum fuerint desuper requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentes, & in eis contenta huiusmodi firmiter obseruari, ac singulos, quos literæ ipsæ concernunt, pacificè frui, & gaudere; non permittentes, eos, vel aliquem eorum desuper contra præsentium tenorem per quoscumque etiam locorum Ordinarios quomodolibet indebitè molestari; contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis seruatis processibus censuras, & pœnas ipsas, etiã iteratis vicibus, aggrauando, & interdictum ecclesiasticum apponendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.*

Derogat contrariis.

§. 34. *Non obstantibus præmissis, & aliis Apostolicis, necnon in prouincialibus, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eisdem Episcopis, vel quibusuis aliis personis sub quibuscumque tenoribus, & formis ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibus & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu simili, ac aliis quomodolibet concessis; approbatis, & innouatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica expressa, & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quauis expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, Necnon omnibus illis, quæ in literæ confirmationis, & innouationis priuilegiorum eorundem, aliàs per eosdem Paulum IV & Pium etiam IV. prædecessores nostros prædictos Ordini fratrum Minorum huiusmodi concessorum concessum est, non obstare, contrariis quibuscumque. Aut si locorum Ordinariis, vel quibusuis aliis communiter, vel diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas, Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.*

Pro intelligentia huius clausulæ Aut si &c. Vide cap. Ne aliqui de priuil. in 6.

Transumptis fidem adhiberi iubet.

§. 35. *Et quia difficile foret, earundem præsentium literarum notitiam ad quascunque personas peruenire, & vbique illas præsentare, etiam motu, & scientia similibus volumus, & decernimus, quod transumptis earundem præsentium literarum, etiam per impressionem factis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, aut sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ sigillatis, quemadmodum adhiberetur*

præsentibus

præsentibus literis originalibus, si præsentarentur, vbique adhibeatur, tam in iudicio, quàm extra illud, plena, & indubitata fides. Nulli ergo omnino hominum liceat, &c. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incar. Dom. 1567. 17. Kal. Iunij, Pontific. nostri anno 2.

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1. NOto 1. quòd ista constitutio variè proponitur à Doctoribus quò ad ordinem ipsum materialem. Ego in hoc sequutus sum Cherub. qui mihi visus est diligens auctor, & qui bullas emendatiores aliis proponit, vtpote qui Romæ, & huic rei in specie studuerit, & qui vltimò, visis aliis, scripsit. Quod admonendum esse censui, ne quis Passar. Rodriq. & Quar. legens, meo marte me illam peruertisse suspicetur.

2. Noto 2. communiter teneri, istam constit. Pij V. cum aliis concernentibus Regularium priuilegia, fuisse reuocatam per const. Gregor. XIII. quæ incipit, *In tanta*, & esse reductam ad terminos priuilegiorum ante dictam bullam Regularibus concessorum, & Concilij Trid. decreta. Sed dicunt alij, quòd dicta constitutio *In tanta*, non fuit sufficienter promulgata, nec in praxi recepta. Ita Henriq, *lib. 7. de indulg. cap. 24. num.* 8. Thomas à Iesu *de procur. omnium gent. sal. lib. 12. cap. 8. tit. Sequitur collectio, pag. 787. versu Nec solùm in foro interiori.* Apertissime Llamas 1. *p. meth. cap. 7. §. 6.* qui sic ait: *Bullam, siue motum proprium Greg. XIII. dictum nunquam fuisse publicatum, neque in praxi receptum quò ad forum conscientiæ, affirmat pius, & doctus Nauarrus eiusdem Gregorij XIII. Pœnitentiarius, & Consultor, manua. cap. 27. fine. Cum enim præmisisset cap. 21. num. 5. quòd in fine cap. 27. motum proprium Gregorij XIII. poneret, dicit, quòd nondum ille motus proprius exierat, neque publicatus fuerat anno 1587. Pontific. Greg. anno 1. vt ex literis, quæ nunc circumferuntur, constat.* Quod vt clariùs constet, affero verba ipsa Nauarr. desumpta ex manuali impressionis de anno 1588. vbi cap. 27. fine ait: *Quoniam vero in cap. 21. num. 5. promisimus inserere hic tenorem cuiusdam bullæ fel. rec. Pij V. & moderationes eorum, de quibus in subiecta Gregorij XIII. bulla; si exiret, interea, quia quia non exiuit, solam hanc illius summam subicimus.* Et subiicit bullam Gregor. XIII. *In tanta*, quam referunt Quar. *in sum. bull. verbo Priuil. Regul. pag. mihi.* 539. Cherub. *tom. 2. bull. in Greg. XIII. const. eius 9. pag. mihi 370. sub data* 1571. *Kalen. Martij.* Ex quibus constat, quòd, cum ista moderatio facta fuerit anno 1572. si anno 1588. nondum exierat, nec erat publicata, vt colligitur ex verbis Nauarri, non potuit amplius sub nomine Greg. exire, neque publicari, cum dicto anno 1588. iam esset vita functus Gregorius, & regnaret Sixtus V. eius successor. Vnde, cum non constet, ab aliis Pontificibus fuisse sufficienter publicatam, nullo modo obligabit, cum de essentia legis sit, vt promulgetur; *cap. Inistis, §. Leges. d. 4.* Tanta tamen inest auiditas in pectoribus aliquorum priuilegia Regularium exossandi, vt inde putem prouenisse, quod dictam bullam, decretam quidem à Gregorio, sed propter legitimas rationes à sanctissimo, & doctissimo Pontifice non promulgatam, diuulgauerint.

3. Noto nihilominus 3. quòd etiam dato, quòd dicta bulla fuerit sufficienter promulgata, vt communiter creditur, dubitatur, an ista sit solùm reuocata quatenus concedit aliquid, quod est contra Concilium Trid. an verò sit omnino reuocata, ita vt, etiamsi concederet aliquid, quod non esset contra Concilium tamen illud post dictam reuocationem nihil valeret. Et dico, quod tantùm reuocat ea, quæ Pius V. Regularibus concesserat contra Concilium Trid. Ita Rodriq. *tom. 1. quæst. reg. quæst. 8. art. 9. fine; & quæst. 42. art. 7. & quæst. 39. art.* 2. Mirand. *tom. 2. man. quæst. 48. art. 7.* Sanch. 5. *in decal. cap. 4. numero* 16. Thomas à Iesu *de conuers. omn. gen. libro. 12. tit. Sequitur collectio, pag.* 846. Molf. 2. *part. summ. tract. 13. cap. 6. numero.* 30. qui ait, ita fuisse declaratum ex sacra Congreg. Concilij, & constat ex his, quæ dico hic *infra, numero. 8. fine, & numero.* 25. Et ad minus dicta const. *In tanta*, declarationes Concilij, quæ in hac const. continentur, vtpote factas à doctissimo, & sanctissimo Pontifice, nullo modo reuocauit. Paulus V. dictas declarationes approbauit per const. quam ex certa scientia, confirmauit Vrban. VIII. per suam const. 21. *Dilecti filius*, quam habes 4. *bull. §. 1. fol.* 258.

§. II. & III.

4. NOto 1. quòd Papa vult subleuare Mendicantes à prædictis grauaminibus. Ex quo collige, quod si Mendicantes erant grauati, necessariò id erat, quia Episcopi illorum priuilegia obseruare nolebant; alioqui enim in quo poterant grauari? exemptus enim in tantum ordinario Prælato non subditur, in quantum priuilegio à Superiore concesso se defendit. Quare videtur sequi, quòd ista constitutio nihil de nouo concesserit, sed tantùm ius antiquum Mendicantibus ab aliis Pontificibus concessum conseruauerit, & dubia circa illud, Canones, & priuilegia emergentia declarauerit. Vnde etiam secundùm illos, qui dicunt constit. Gregorij XIII. *In tanta*, relinquere Mendicantes in statu, quo erant ante hanc constitutionem, clarè patet, quòd solùm per dictam moderatoriam Gregorij reuocantur ea, quæ contra Trid. fuerant Mendicantibus concessa. Quod etiam fecerat ipsum Trid. *sess. 25. de regul. cap.* 22. & Pius IV. per suam const. *In Principis Apostolorum*, quam refert Cherub. *tom. 2. bull. in Pio IV. const. eius 94. pag.* 136.

5. Noto 2. quòd Mendicantes portant onus diei, æstus, tam in prædicationibus, quam in cœteris spiritualibus muneribus; ac proinde tanquam palmites fructiferi in agro Domini colendi, & adiuuandi essent, vt vberiores in dies fructus producerent.

6. Noto 3. quòd Episcopi falsa, seu minùs vera intelligentia Concilij Trid. decreta in Mendicantium priuilegiorum grauamen interpretabantur: Vnde Pontifex, ad quem spectat Canones iuridicè interpretari, vt hic patet, & habetur *in cap. Venerabilem, qui filij sint legitimi*: Concilij Trid. decreta in prauum sensum contra Regulares retorta, secundùm veram intelligentiam declarat; Vnde confirmo quod dixi *numero.* 3. has declarationes non reuocari per const. Gregorij, *In tanta*, Nam si reuocaret, concludendum esset, quòd doctissimus, & sanctissimus Pontifex Pius non bene fuisset Concilium interpretatus, & ideo illius interpretationes, tanquam contra Concilij mentem, fuisse per Gregorium reuocatas; quod non videtur dicendum.

7. Noto 4. quò ad §. 3. quæ dico *supra in const. 2. Sixti IV. à num.* 21. Et adde, quòd idem Pontifex Pius in sua constit. declaratiua huius, quæ incipit, *Ad hæc nos Deus*, §. 8. quam refert Cherub. *tom. 2. bull. in Pio V. pag.* 234. ait: *Et insuper, quòd fratres dicti Ordinis (ab eorum Superioribus tamen approbati) in eorum Ecclesiis, quando eis placuerit, etiam quòd in cathedrali Ecclesia (non tamen ab Episcopo met) prædicetur, libere, & licitè absque aliquo impedimento, sine etiã ipsius Episcopi contradictione, & absque eo quòd coram*

dicto

dicto Episcopo se non praesentauerint, nec eidem licentiam muneris praedicationis huiusmodi exhibuerint, & ab eodem Episcopo benedictionem, vt praefertur, non obtinuerint, praedicare, & munus praedicationis huiusmodi exequi. Hæc tamen declaratio moderanda est ad formam const. Gregorij XV. *Inscrutabili, infra in Gregorio, const. eius 2. §. 8.* quòd nimirum teneantur dicti Regulares benedictionem ab Episcopo petere, quam tamen obtinere necesse non est, vt dictum est *in const. 2. Sixti IV. loco. citato.* Quòd si non petierint, possunt ab Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ delegato puniri.

§. IV.

8. Vide quæ dico *supra in const. 2. Sixti IV. §. 11. à num. 41. & const. 16. Leonis X. §. 7. num. 14.* Et nota, quòd approbat const. Pauli IV. quæ incipit, *Cum sicut exponi*, quam refert Rodriquez *in bull. in Paulo IV. const. eius 3.* in qua concedit, quòd fratres possint sacramentum confessionis, tam intra eorum Ecclesias, quàm extra, etiam in domibus infirmorum ministrare. Et aduerte etiam, quòd idem Pontifex hanc concessionem moderauit quò ad confessorum pro sæcularibus approbationem, per suam const. quæ incipit, *Romani Pontificis*, quam refert Cherub. *tom. 2. bull. in Pio V. const. eius 133. pag. 345.* vbi sic habet: *Declaramus, decretum Concilij Trid. sess. 23. cap. 15. de approbatione Regularium audiendis confessionibus saecularium praepositorum ab Episcopis facienda. obseruari debere in omnibus Regularibus quorumuis Ordinum, etiam Mendicantium, etiam sub regulari disciplina viuentibus, etiam si sint Lectores, aut in theologia, etiam de Superiorum licentia, graduati, vel promoti, vel à suis Magistris generalibus, vel prouincialibus Ministris saecularium confessionibus audiendis expositi. Volumus tamen, eos, qui semel ab Episcopo in Ciuitate, & Dioecesibus suis, praeuie examine, approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterum non examinari; Ab Episcopo autem successore pro maiori conscientia sua quiete examinari de nouo poterunt.* Circa quod adest etiam declaratio sacræ Congr. quam habes *supra in const. 2. Sixti IV. num. 41.* ex qua constat aperte id quod dixi *numero. 3.* nimirum hanc constitutionem non esse reuocatam, nisi quatenus determinat aliquid contra Concilium Tridentinum.

§. VII. & VIII.

9. Nota quò ad §. 7. quæ dico *supra in const. 6. huius Pontificis, quaest. 7. numero. 29.* Quò ad illud quòd Episcopi non possint se intromittere in disponendis monialium facultatibus, Nota quòd Greg. XV. *in sua const. 2. §. 5.* voluit, quòd administratores dictarum facultatum sint obligati singulis annis rationem suæ administrationis reddere Episcopo loci.

10. Aduerte quò ad §. 8. quòd hic determinata sunt in suo robore; vt etiam dicit Zerola 1. *part. prax. verbo Monialis, numero. 2.* Solùm inuenio, per declarationem Congreg. quam refert *ibidem*, idem Zerola, additum, quòd Episcopus habens causam, iustam, vel certam suspicionem, quòd stando puella intra Monasterium, non liberè suam voluntatem manifestabit, poterit illam examinare in Ecclesia Monasterij exteriori, vel in alia proxima, præsentibus duabus matronis, ætate grauibus, & honestis, & illæ duæ matronæ non debent esse consanguineæ, vel coniunctæ puellæ. Quod idem agendum est, antequam dicta puella iam induta habitu monachali, solemniter profiteatur. Et idem Zerol. *ibidem ad 14.* refert aliam sacræ Congreg. declarationem, in qua dicitur, bis esse explorandam voluntatem puellæ, & antequam suscipiat habitum, & antequam professionem emittat, & hoc ab Episcopo, vel eius Vicario, iuxta decretum Trid. *sess. 25. cap. 17. de regul.* Declaratio autem ita habet: *Primum moniales subiecta iurisdictioni Regularium exemptorum, si sine licentia Ordinarij egressa fuerint è Monasteriis, debent ipsa, & earum Superiores, de eorum licentia de Monasteriis egressa fuerint, per censuras ecclesiasticas, & alia iuris remedia ab eorum Ordinario puniri, non obstantibus quibuscumque priuilegis, &c. Secundum, si Superiores earundem monialium alicui monialium habitum dederint, antequam ab Ordinario examinata fuerit, contra decreta sacri Concilij Trid. faciunt. Tertium item, si praedicta moniales professionem emiserint, antequam iterum ab Ordinario examinaeatur, contra eiusdem Concilij decreta faciunt. Quartum, quod, casus si euenerit, tenetur Ordinarius explorare voluntatem earum, qua habitum tantùm susceperint, antequam in Religione profiteantur, Quintum, ab illis verò virginibus sacris, à quibus non modo habitus est susceptus, sed iam facta est professio, & si examinata non fuerint, tamen ab eis nihil sciscitari debet Ordinarius, sed eas permittere in suo statu manere. Sextum, & prout à Concilio Trid. statuitur, in Abbatissae, & Praefectas animaduertere potest, debetque idem Ordinarius; & debent etiam moniales, & earum Superiores moneri, ne vllis virginibus sacrum habitum, ac multò minùs patiantur in Religione profiteri, nisi priùs earum voluntas perspecta, & explorata sit ab eodem Ordinario, quo facto, contrafacientes poteris idem Ordinarius coercere, non solùm poenis à Concilio Trid. statutis, & praescriptis, sed etiam ecclesiasticis censuris, & aliis iuris remediis, non obstantibus quibuscumque priuilegiis, &c.*

§. X.

21 Quò ad id, quod dicitur, fratres celebrare posse missas, &c. & quòd fideles satisfaciant, &c. vide quæ dico *supra in constit. 21. Leonis X. num. 1.* Quò ad prædicationes vide hic *supra §. 3.* Quò ad id verò, quòd dicitur, Mendicantes celebrare posse missam, etiam antequam Rector parochialis celebrauerit in diebus festiuis, aduerte, quòd inter quædam dubia missa à Curatis Bononiensis Dioecesis ad Congregationem Concilij, adest etiam declaratio huic priuilegio conformis. Et quoniam hæ declarationes sunt multùm vtiles ad tollendas quamplurimas lites inter Mendicantes, & Rectores parochialium Ecclesiarum, ideo has omnes hic inserendas censui eo modo, quo sunt impressæ.

DICHIARATIONI

Della sacra Congregatione dell' illustriss. & reuerendissimi Signori Cardinali interpreti de sacro Concilio di Trento, riceuute da Roma dall' illustriss. & Reuerendiss. Signor Cardinal Ludouisio Archiuescouo di Bologna, è Principe, alli 2. di Luglio, 1620.

ILLVSTRISS. ET REVEREND. Signori.

I Curati della Città, e Diocese di Bologna supplicano humilmente le Signorie vostre illustrissime à fare loro gratia di determinare, se li frati, che hanno Chiese non curate dentro le loro

Parochie

Parochie, possano fare li infrascritti atti, per prouedere alle controuersie, che nascono spesso trà di loro. 1. Annunciar le feste, & digiuni all' altare nella celebratione della messa. 2. Raccogliere le offerte, & dar la pace al popolo alla messa. 3. Portar piuiale, ò stola per la Parochia fuori della Chiesa, ò claustro. 4. Quando sono chiamati alla sepoltura di qualche morto, se habbiano d'andare alla casa del morto, ò trasferirsi alla Chiesa parochiale, doue si raduna il Clero, ò pur aspettare per la strada. 5. Celebrare la prima messa nella loro Chiesa auanti quella del Curato. 6. Publicare frà la messa li ordini del Signor Cardinale Areiuescouo, i matrimonij, & altro, che occorta. 7. Predicare nelle loro Chiese l'Auento, la Quaresima, & frà l'anno, quando si predica nella Chiesa parochiale. 8. Portar fuori delle loro Chiese, ò claustri piuiale, ò stola quando fanno le processioni del loro Ordine, ò del cordone, ò della centura, ò del rosario. 9. Riceuere nelle loro Chiese le donne alla purificatione dippo il parto. 10. Morendo fratti, com' auuiene alle volte, & in particolar de Canonici Regolari Lateranensi fuori del Monasterio in casa de loro parenti, & hauendo i Curati amministrati loro i santissimi Sacramenti, se possano i loro Superiori farli portare di notte alla loro Chiesa senza dirne cosa alcuna al Curato, & senza darli le ragioni parochiali. 11. Quando muore alcun loro Superiore, ò Maestro, ò Theologo collegiale in Conuento, se possano farlo portar per la Città per diuerse Parochie, è per la piazza con musiche, & riti straordinary, & metterli anche il piuiale senza interuento del Curato. 12. Essendo publicato vn ordine generale dal Signor Cardinal Arciuescouo, che niuno lasci celebrar messa à preti forasteri, senza prima vedere, che ne habiano hauuta licenza da sua Signoria illustriss. ò dal suo Vicario generale, se li frati siano tenuti ad osseruarlo. 13. Se possano racorre grano, vua, legne, & simili altre cose, prima che il Curato habbia raccolto le sue primitie. 14. Se possano benedir le case nella Diocese la settimana santa, essendo questo vfficio del Curato, come si legge nel Rituale Romano nouo.

13. *Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Trid. interpretum ad singula capita superiùs proposita hunc in modum respondit, videlicet.*

Ad 1. Regulares non prohiberi dies festos, & ieiunia in suis Ecclesiis annuntiare.

Ad 2. Respondit posse, dummodò à perambulationibus per Ecclesiam, ac similibus Eleemosynarum extorsionibus abstineant.

Ad 3. Non posse.

Ad 4. debere ad parochialem Ecclesiam accedere, vbi Clerus congregari consueuit.

Ad 5. Prohiberi non posse, quominùs missa in Ecclesiis Regularium celebretur ante missam parochialis Ecclesia.

Ad 6. Non posse publicare matrimonia.

Ad 7. Posse petita tamen benedictione ab illustrissimo Archiepiscopo.

Ad 8. non licere Regularibus huiusmodi processiones facere extra Ecclesias, & ambitum illarum.

Circa processionem autem Rosarij refert Festus *in const. sui Ord. part. 1. cap. 23. declar. congr.* qua declarator, posse dictam processionem fieri per totam Ciuitatem, si ita habeat consuetudo à decem retrò annis seruata, in quatuor festiuitatibus B. M. nimirum Natiuitatis, Anountiationis, Purificationis, & Assumptionis.

Ad 9. Regulares non prohiberi in eorum Ecclesiis mulieres post partum ad purificationem admittere.

Ad 10. Regulares extra claustra decedentes posse ad eorum Ecclesias deferri, etiam Parochis inconsultis.

Ad 11. Non posse.

Ad 12. Non licere Regularibus in suis Ecclesiis ad celebrandum admittere presbyteros saeculares contra prohibitionem illustriss. Archiepisc.

Ad 13. Non esse id prohibitum Regularibus.

Ad 14. Non posse. Hor. Card. Lancellottus. loco † sigilli. In Bologna per Vittorio Benacci Stampator Archiepiscop.

§. XIII.

14. Vide quæ dicoi *supra in const. Pyrrhi*, §. 12. à *num.* 54. Et nota huius §. declarationem in const. huius Pontificis *ad hec nos Deus praeulit*, §. 10. quam Cherob. *in Pio V. pag.* 234. vbi ait: *Quartam autem funeralium quò ad domos, siue Conuentus, & Monasteria ipsius Ordinis tempore dicti Concilij Trid. ante 40. annos fundata, & erecta, & ratione illorum, vbi consuetudo illam soluendi tantum extitit, ac de ceris, & aliis, qua deferuntur iuxta cadauer, dum ad sepulturam defertur, non autem de aliis quibusuis, eisdem fratribus, seu monialibus, aut eorum domibus, Conuentibus, Monasteriis, Ecclesiis, & locis, etiam pro funeris, siue anniuersary, aut missarum celebratione donatis, legatis; siue alias quomodolibet largitis, & vbi dua quarta forsan solui consueuerint, vna scilicet parochiali Ecclesia, alia verò Episcopo, siue cathedrali, aut collegiata Ecclesia, siue Canonicis, & Capitulo eiusdem vna tantùm, scilicet Episcopo: vbi verò consuetudo illam soluendi non fuit, siue domus, Conuentus, & Monasteria dictorum fratrum, & monialium post 40. annos erecta, siue fundata fuerint, nequaquam, nec vllo modo soluere, seu tradere. Omnem aliam præmissis contrariam consuetudinem, siue morem harum serie cassantes, & extinguentes: Ac omnibus, & singulis, quorum interest, desuper perpetuum silentium imponentes.*

§. XV.

15. Nota eiusdem Pontificis huius §. declarationem in const. cit. *Ad hoc nos Deus*, §. 9. vbi ait: *Necnon fratres ipsi quæcumque corpora defunctorum, qui se in eorum Ecclesiis sepeliri ordinauerint, vel si à defunctorum haredibus, siue curam funeris habentibus vocati fuerint ipsorum fratrum Cruce eleuata, etiam sine dictorum Canonicorum, ac capitularium personarum, necnon Curatorum, vel aliorum presbyterorum interuentu, ex ipsorum defunctorum domibus leuare, eaque accipere, & associare, ac ad ipsorum fratrum Ecclesias directè ferri, & in eorum Ecclesiis (non tamen tempore interdicti) sepeliri facere, saluo dumtaxat*

iure parochiali: Nec fratres ipsi ad alterius cuiusvis contraria consuetudinis, usum, sive moris obseruationem teneri, vel super præmissis à quoquam quavis auctoritate molestari, seu perturbari possint, vel debeant, Hæc tamen moderanda sunt iuxta dicta *supra in const.* 26. *Leonis X.* §. 10. *num.* 20. si scilicet, requisito Parocho, venite expressè recusauerit.

§. XVI.

16. Vide *supra in const.* 1. *Iulij II.* §. 33. & *in const. eius* 2. §. 30. *à num.* 113. Et attende aliam declarationem eiusdem Pij in const. sæpius cit. *Ad hoc nos Deus prætulit*, §. 11. vbi ait; *Minusque fratres, & moniales ipsi ad aliquorum onerum realium, vel personalium, etiam ratione eorundem domorum, seu Conuentuum, Monasteriorum, Ecclesiarum, & locorum, ac quorumcumque beneficiorum eisdem, etiamsi, vt præfertur, curam animarum habeant, contributionem, siue solutionem, etiam pro seminario, & decimarum quarumcumque, aut cuiuscumque subsidij, etiam charitatiui, & triennalis nuncupati, nunc, & pro tempore per nos, & quoscumque Romanos Pontifices, aut Sedem præfatam impositorum, & imponendorum ex quavis causa, quantumcumque vrgentissima, teneantur, vel desuper molestari possint, seu debeant.*

§. XVII. & XIX.

17. Vide quæ dico *tom.* 1. *Relig. quæst.* 1. *cap.* 22. *versu Circa* 6. Et declaratum extitit à sacra Congreg. quòd Mendicantes nullatenus à quæstuatione, quæ de licentia suorum Superiorum fit, & in dies fieri continget, ab Episcopis prohibeantur. Ita refert Quar. *in sum. bull. verbo Confessor*, *pag.* 235. Vide *supra in const.* 4 *Sixti IV.* §. 8. *à num.* 41.

18. Quò ad §. 19. nota declarationem Concilij apud Quar. *loc. cit.* quæ sic habet. *Ordinarij in cognitionibus causarum fratrum Mendicantium, tam ciuilium, quàm criminalium minime se se ingerant: pariter in visitatione eorundem fratrum, vel Ecclesiarum suarum, nisi quatenus eis per Concilij Trid. decreta conceditur*; Vide hic *supra* §. 7. *num.* 9.

§. XX. & XXI.

19. Nota, quòd fratres appellantes ad tribunalia ecclesiastica, quibus non subduntur, sunt excommunicati, quia excommunicatione feriuntur iudices appellationes acceptantes, per constit. Bonif. IX. & Leonis X. vt dico *tom.* 1. *Relig. quæst.* 1. *cap.* 20. *concl.* 3.

20. Quò ad §. 21. vide *supra in const.* 13. *Leonis X.* §. 2. & quæ noto *num.* 8. *eiusdem.* Hic quæro, an Superiores capere possint propria auctoritate suos fratres ab Episcopis, vel aliis retentos, absque auxilio brachii sæcularis. Respondeo quòd sic, vt etiam dixi *supra in const.* 13. *Leonis X. num.* 7. Qui enim debent obedientiam perpetuam, si ab obedientia fugiant, possunt propria auctoritate capi, & ad obedientiam reduci. Sic maritus vxorem, dominus seruum, Prælatus subditum vbique capiunt etiam in Ecclesia. Glossa *in leg.* 1. § 1. *ff. de rei vendic. ver. Vendicare posse*; Nald. *ver. Cleric. num.* 25. Et hoc non solùm quando Religiosus fugit sine licentia, sed etiam quando init cum licentia per certum terminum; &, eo transacto, non vult ad obedientiam redire. Auil. *de cens. p.* 2. *cap.* 3. *disp.* 2. *dub.* 4.

21. Quæres etiam an subditi Religiosorum exemptorum, extra loca, in quibus degunt, delinquentes, ligentur excommunicationibus suorum Prælatorum. Videtur enim, quòd non, per ea, quæ dicta sunt *supra, in constit.* 2. *Sixti IV. num.* 9. *de Clerico.* Sed dic, quòd sic. Ita Auila *loc. cit.* Ang. *verb. Sententia, num.* 5. Quia Monachus vbicumque est, semper est de iurisdictione Abbatis, quem vice Dei super caput suum imposuit; *cap. Statuimus*, 19. *q.* 3. *cap. Si Religiosus, de elect. in* 6 Et fictione iuris semper est in claustro; Ang. *loc. cit.* Clerici autem non sunt tam stricto vinculo astricti suis Episcopis, sicut Religiosi suis Prælatis, vnde absque licentia ab vna in aliam se conferunt Diœcesim, & solum sunt adstricti suis Episcopis ratione iurisdictionis, veluti subditi Regis. At Regulares etiam ratione dominii. Adde, quòd contrarium dicere, esset in totum ferè eneruare disciplinam regularem. Prælati enim regulares non habent territorium, vnde subditi ad obseruationem præceptorum suorum non tenerentur solùm in propriis domibus, quod absurdum est.

Tom. II.

§. XXII. & XXIII.

22. Hoc temperandum est iuxta const. Greg. XIII. quæ incipit, *Officii nostri*, apud Cherub. *to.* 2. *bull. in Gregor. const.* 43 *pag.* 411. in qua disponitur, quòd bona eorum Religiosorum, qui extra Religionem decedunt; pertineant ad Cameram Apostolicam. Quatenus autem decernit, quòd bona eorum, qui ad Religionem reuertuntur, ad Religionem pertineant, nihil est immutatum. Vide quæ dico *to.* 1. *Relig. quæst.* 1. *cap.* 26. *concl.* 8.

23. Quò ad §. 23. nota, quòd in Concilio Trid. *sess.* 7. *cap.* 6. *de reform.* statuitur, quòd *vniones perpetuæ à* 40. *annis citra factæ, examinari ab Ordinariis, tanquam a Sede Apostolica delegatis, possint, & quæ per subreptionem, vel obreptionem obtentæ fuerint, irritæ declarentur.* Quod decretum confirmatur *sess.* 24. *cap.* 13. *de reform.* ibi, *Et quæ vnitæ sunt, reuideantur ab Ordinariis.* Quibus auctoritatibus freti aliqui Episcopi, non cessabant grauissimas molestias Regularibus inferre, qui Ecclesias parochiales, seu alia beneficia suis Ecclesiis habent aliquando vnita. Vnde Papa hic prouidet, quòd non possint Episcopi super dictis vnionibus, etiam perpetuis, tam à Sede Apostolica, quàm ab ipsismet Episcopis, vel eorum antecessoribus, vel aliis factis, fratres Mendicantes amplius molestare. Et declarat nullas sententias ad hunc effectum contra Mendicantes latas. Decernit etiam, quòd Ecclesiæ Regularium, quibus est cura animarum annexa, possint regi per ipsosmet Regulares, seu per Clericos sæculares ab ipsis deputatos, & ipsorum nutu amouibiles. Quod etiam dixerat, sed non tam clarè, §. 12. & vide locum quem ibi cito in Sixto IV. Et nota, quòd, petentibus Iesuitis, an Parochia Toletana in Monasterium erecta, & vnita eorum Collegio, gubernari possit à deputato ab ipsis, modò sit approbatus ab Ordinario, sacra congregatio Cardinalium censuit posse: Sicut etiam Monachi possent, si ad id approbarentur.

§. XXV.

24. Videnda sunt omnino quæ dico *supra in const. Pyrrhi.* §. 9. *num.* 48. Quia multa sunt circa hoc de nouo statuta, quæ omnino seruanda, non obstante declaratione facta ab eodem Pontifice in sua const. *Ad hoc nos Deus*, sæpe cit. §. 12. his verbis: *Quodque fratres, & moniales præfati vbique locorum nouas domos, siue Conuentus, & Monasteria, ac Ecclesias dictorum Ordinis, cum claustris, cellulis, refectoriis, dormitoriis, aliisque officinis necessarijs, Ordinarij loci, siue cuiusvis alterius licentia desuper minimè requisita, construere, ædificare, erigere, & instituere, nec pariter super his molestari possint, siue debeant, eisdem auctoritate, & tenore etiam perpetuò statuimus, ordinamus, & declaramus: eisque fratribus, & monialibus super præmissis omnibus, & singulis licentiam, & facultatem concedimus, & impertimur.*

§. XXIX.

25. VIde notata hic ad §. 11. Et nota, quòd non possint Episcopi compellere Regulares accedere ad alias processiones, quàm ad hic notatas, vt declarauit sacra Congregatio Concilij in hæc verba: *Ordinarius potest præcipere Regularibus, vt eant ad processiones publicas, vt puta in festo Corporis Christi, in litaniis, & iubilæis publicis faciendis in plebibus, in quibus ipsi habent Monasteria, dummodo processiones sint eius generis, quòd in bulla. S. D. N. Pii V. Mendicantibus concessa, quæ incipit, Etsi Mendicantium, publicata 17. Kal. Iunii anno 1567. comprehendantur: Et dummodò Regulares non sint ex illis Conuentibus Collegia nuncupatis, quæ in eadem bulla excipiuntur.* Ex qua declaratione apertè constat, hanc const. non esse reuocatam à Greg. XIII. nisi quatenus statuit aliquid, quod sit contra Concilium Trid.

26. Nota etiam, quòd per publicas processiones intelliguntur etiam hæ, quę pro bono publico de nouo indictæ sunt, vt declaratum esse à sacra Congreg. testatur Quar. *verb. Præcedentia, versu De præcedentia, in processionibus, pag. 505.*

CONSTITVTIO VIII.

Quâ concedit nouitiis monialibus in articulo constitutis, vt professionem possint emittere ante annum probationis expletum, dummodò sint in ætate legitima constitutæ, iisque etiam indulgentiam plenariam concedit in forma iubilæi.

PIVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procœmiũ.



SVmmi sacerdotij cura, meritis licèt imparibus, nobis ex alto commissa, requirit, vt votis illis, per quæ animarum Christi fidelium, præsertim sanctimonialium virtutum, Domino sub suaui Religionis iugo, virgineaque perpetuæ castitatis laureola famulantium saluti, spiritualique consolationi consulitur, libenter annuamus, illaque fauoribus prosequamur opportunis.

Supplicatio.

§. 1. *Sanè exhibita nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum monialium nouitiarum nuncupatarum ad Regulam profitendam Ordinis S. Dominici fratrum Prædicatorum petitio continebat, quòd quoniam aliquando accidit, illa, durante tempore probationis illarum ad emittendam professionem regularem, & ante illius emissionem, ab hac vita migrant, & in dicto tempore probationis, obstantibus constitutionibus, siue statutis, & ordinationibus dicti Ordinis, non valentes dictam professionem emittere, carent, cælesti merito, quo ex dono, & benignitate Sedis Apostolicæ cæteræ dicti Ordinis moniales professæ, in dicta professione, & Regula decedentes gaudent. Quare nobis humiliter supplicari fecerunt, sibi in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.*

§. 2. *Nos igitur, qui salutem animarum dictarum monialium nouitiarum sic ante professionis emissionem, & durante tempore probationis earundem decedentium, sincero desideramus affectu, ipsasque moniales nouitias, & earum singulas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eisdem monialibus nouitiis, nunc, & pro tempore existentibus, & earum singulis, vt quando, & quoties aliqua ex eis nondum professa, de alicuius medici consilio ab hoc sæculo transitura conspicitur, ipsa pro consolatione animæ suæ professionem prædictam ante tempus requisitum, quatenus tamen in ætate legitima constituta sit ad illam emittendam, in manibus Abbatissæ, seu Priorissæ, vel alterius Superioris nouitiarum ipsius Monasterij, seu domus, ita tamen quòd ipsa moniales nouitia sic decedentes indulgentiam, & alias gratias, quas moniales verè professæ decedentes consequuntur, consequi possint, emittere in articulo mortis liberè, & licitè valeant, Apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuò concedimus, & indulgemus: Necnon eisdem monialibus nouitiis ita tunc professis, decedentibus plenariam peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem in forma iubilæi misericorditer in Domino eisdem auctoritate, & tenore elargimur.* Concedit Prout in summario.

§. 3. *Ac concessionem, indultum, & elargitionem huiusmodi, ac præsentes literas sub quibusuis similium, vel dissimilium indulgentiarum & gratiarum suspensionibus, reuocationibus, & limitationibus, etiam in fauorem quorumcumque factis, & factis, & faciendis nullatenus comprehensas, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & de nouo concessas existere, ipsisque monialibus, & professionem emittentibus suffragari posse.* Clausulæ præseruatiuæ.

§. 4. *Et sic per quoscumque iudices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales & sacri Palatii Apostolici causarum Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, ac quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum, & inane decernimus.* Clausula sublata, cum decreto irritante.

§. 5. *Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Monasterii, seu domus, & Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione,* Derogat. contrar.

confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus: priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis, illis, eorumque Superioribus, & personis sub quibusunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque.

Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 23. Augusti 1570. Pontificatus nostri, anno 5.

§. II.

1. Noto 1. quòd professio monialis facta in tali articulo cum conditionibus & solemnitatibus hic requisitis, valida est, etiamsi monialis non decedat. Nam nihil deest ad validam professionem, nisi tempus nondum completum, quod, cum de iure positiuo sit, supplet Papa per suum priuilegium. Vnde producit dicta professio omnes illos effectus, quos produceret, si fieret anno completò; & Monasterio acquiruntur tam eleemosyna pro moniali dari solita, quàm alia iura ipsi moniali competentia. Nam sicut matrimonium in articulo mortis contractum verè matrimonium existit; cumaliter in iure non reperiatur expressum; & filij illegitimi ex eisdem personis procreati, per illud subsequens matrimonium legitimi efficiuntur, adeo quòd in omnibus parentum bonis succedere possunt; ita pariter professio nouitiæ in articulo mortis emissa, qua matrimonium spirituale cum Christo sponso contractum dicitur, virtute priuilegij omnes parit effectus, quos produxisset, si expleto anno probationis emissa fuisset; vnde vt Monasterium suæ professæ succedat, eleemosyna non soluta ei debetur; & tanquam de iure debita peti, & exigi posse videtur. Ita Confect. *in comp. tit. 22. cap. 13.* Sanch. 5. *in decal. cap. 4. numero 16.* Henriq. *librd 13. cap. 40. numero. 2. in comm. litera R.* Quicquid in contrarium dicat Rodriq. *tom. 3. quæst. reg. quæst. 15. art. 6. versu Secundò notandum est.* Et quòd hoc priuilegio fruantur omnes participantes, tradit A Sotbo *in comp. verbo Abbatissa, versu Est hic aduertendum, pag. 3.*

2. Noto 2. quòd hoc priuilegium est in suo robore, nec est reuocatum per constit. Greg. XIII. *in tanta.* Ita Henriq. Sanch. & Rodriq. *locis cit.* Et si obiicias, hoc priuilegium esse contra Concilium Trid. *sess. 25. cap. 15. de Regul.* & ideo reuocatum. Respondet Rodriq. Gregorium tantùm reuocasse ea, quæ Pius concesserat contra Concilium super statu, & regimine monialium, non autem super professione in articulo mortis emittenda. Sed melius mihi videtur posse dici, mentem legislatoris esse semper prouidere iis, quæ communiter accidunt: *Leg. Nam ad ea, ff. de leg.* Et D. Th. 1. 2. *quæst. 120. art. 1. corp.* docet; non casibus particularibus. Quare licet concedamus, Gregorium reuocasse quæ contra Concilium concesserat Pius, non per hoc cogimur concedere, etiam reuocasse hoc priuilegium pro casu aliquo particulari, ad monialis particularis consolationem, & bonum spirituale concessum.

3. Si quæras, an nouitij hoc priuilegio fruantur. Neminem vidi tractantem. Sed si à paritate rationis argumentari licet; Sicut moniales fruuntur omnibus priuilegiis concessis fratribus, cum proportione, vt patet *ex constit. 4. Sixti IV. §. 7. & ex constit. 1. Iulij II. §. 40.* Et constat etiam ratione: quia quando conceditur aliquod priuilegium viris, censetur etiam esse concessum fœminis ab illis viris dependentibus, si illius sint capaces. Ita Rodriq. *tom. 1. quæst. reg. quæst. 13. art. 2. 1.* & Suar. *lib. 8. de legib. cap. 10. numero. 7.* Ita fratres debent gaudere priuilegiis concessis monialibus cum eadem proportione. Quod postea reperi docere Pereg. *in comp. priuil. sui Ord. tit. Nouitij, §. 2.* Et sequitur ex natura priuilegij simpliciter fauorabilis.

4. Noto 3. quòd nouitij habentes animum perseuerandi, in articulo mortis possunt eligere confessorem, qui eos absoluat ab omnibus peccatis, & censuris ecclesiasticis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, siue ex alia quacumque causa prouenientibus, quique eis plenariam omnium peccatorum indulgentiam largiatur. Quam indulgentiam prædicti nouitii consequentur, etiamsi dictum confessorem eligere non potuerint; seu obliti fuerint, dummodo moriantur in statu gratiæ. Ita refert Casarub. *in comp. verbo Absolutio extraord. quò ad fratres, numero. 2.* concessisse Eugen. IV.

5. Sed quæres, quænam erit vtilitas huius priuilegii quò ad absolutionem; cum pro illo articulo nullus sit casus reseruatus.

Respondet Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 2. cap. 19. numero 14.* quòd duplex est vtilitas; 1. quia quilibet confessarius ordinarius, etiam præsente Prælato habente auctoritatem absoluendi à reseruatis, poterit infirmum absoluere. 2. quòd nulla infirmo remanebit necessitas comparendi. Ita etiam Nugnus *in explic. bullæ Cruciatæ, §. 11. versu Secundò, notandum est, fine.*

6. Noto 4. quòd hic Pontifex concedit dictis nouitiis sic professis indulgentiam in forma iubilæi, quæ nihil aliud significat, quàm quòd Papa tribuit illis facultatem, vt possint absolui, & dispensari ab, & super omnibus his, à, & super quibus possunt tempore iubilæi. Quod nota pro omnibus similibus indulgentiis.

CONSTITVTIO IX.

Quâ concedit, quòd Superiores regulares in vnaquaque Prouincia possint constituere etiam plures sui Ordinis fratres, ab eis approbatos, in Notarios publicos pro intimandis mandatis, & rescriptis Apostolicis, publicam, vel priuatam dicti Ordinis vtilitatem concernentibus.

PIVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Debitum pastoralis officij nobis, meritis licèt imparibus, ex alto commissi, nos admonet, & inducit, vt circa Religionum quarumlibet præsertim Ordinis fratrum Prædicatorum S. Dominici, ad Procemiũ.

quem patrio quodam iure peculiarem gerimus paterna charitatis affectam, statum prosperè dirigendum, & rescripta Apostolica quacumque publicum, ac aliàs priuatam dicti Ordinis, & fratrum, siue monialium eiusdem vtilitatem concernentia, per probos, & idoneos eiusdem Ordinis Religiosos personis, quibus opus fuerit, intimanda, & insinuanda, ac debitè exequenda, studiis inuigilemus assiduis, ac aliàs omnibus illorum incommodis, & necessitatibus consulamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Motiua. §. 1. Cum itaque, sicut nobis, dum in minoribus constituti essemus, satis comprobatum fuit, fratres, Religiosi, & moniales dicti Ordinis fratrum Prædicatoram Sancti Dominici, siue Ordinem ipsam, vel illius Regulam profitentes, quem quidem Ordinem expressè professi fuimus, tam vniuersaliter, quam particulariter quamplura damna, incommoda, & detrimenta patiantur, & impensas sustineant, ex eo quòd Notarij, tam Clerici, quàm laici sæculares, etiam Apostolica, Imperiali, Regali, aut alia auctoritate creati, & constituti, in plerisque mundi partibus, Regionibus, Regnis, Prouinciis, Dominiis, & locis existentes, ex eis oriundi, siue aliàs inibi commorantes, mandata, concessiones, gratias, priuilegia, & indulta, aliaque rescripta Apostolica, tam ad publicam, quàm priuatam vtilitatem emanata siue concessa, & bonum, siue commodum publicum, siue priuatum concernentia, Dominis temporalibus, siue Potestatibus, Regibusque Ducibus, Principibus, Marchionibus, ac aliis Dominis, & personis, quibus intimanda, siue insinuanda veniunt, ac intimare, & insinuare oportet, intimare, notificare, siue insinuare, variis confictis respectibus, recusant, siue non audent, contra eorundem officij liberam, & publicum exercitium, debitamque Sedi Apostolicæ obedientiam, ac in non modicum publicæ, & priuatæ vtilitatis, & commodi præiudicium, & detrimentum.

Concedit prout in summario. §. 2. Nos igitur cupientes, quantum cum Deo possumus, in præmissis Ordini, & fratribus præfatis, ac etiam monialibus ipsis de opportuno remedio prouidere, & incommodis, detrimentis, expensis, & damnis eorum obuiare, neque mandata, priuilegia, gratias, concession s, indulta, & rescripta Apostolica, in genere, vel in specie dicto Ordini, seu ipsius Ordinis Magistro generali, Prouincialibus, aliisque Superioribus, Prioribus, & fratribus, & eorum singulis, dictisque Monialibus, siue earundem Abbatissis, Priorissis, & earundem etiam singulis eiusdem Ordinis, siuè dictum Ordinem, & illius Regulam profitentibus quomodolibet, in genere, vel in specie concessa, aliaque mandata, & rescripta Apostolica, publicam, vel priuatam ipsius Ordinis vtilitatem quomodolibet concernentia, & emanata, ob id debito careant effectu, & vacua remaneant, prouidere volentes, ipsosque Ordinem ac illius Magistrum generalem, Vicarium, Procuratorem, & fratres, ac Abbatissas, Priorissas, & moniales, eorumque singulos specialibus fauoribus, & gratiis prosequentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, necnon nomina, cognomina Magistri generalis, Prouincialium, Vicariorum Procuratorum & aliorum Superiorum, ac dictarum Abbatissarum, Priorissarum, & monialium, inuocationesque, denominationes, & dependentias Monasteriorum, domorum, Conuentuum, & aliorum regularium locorum, tam virorum, quàm mulierum dicti Ordinis, ac etiam mandatoram, concessionum, indultorum, & rescriptorum, aliarumque gratiarum tenores præsentibus pro expressis habentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, modernis, & pro tempore existentibus d. Ordinis Magistro generali, Vicariis, & Prouincialibus, tam citra, quam vltra, ac aliàs vbilibet constitutis, quòd in vnaquaque eorum Prouincia vnum, tres, quatuor, vel quinque aut plures eis bene visos d. Ordinis Religiosos, seu fratres, probatos tamen, hac fide, & doctrina idoneos, & ab ipsis approbatos in Notarios creare, constituere, & deputare: Qui sic creati, constituti, & deputati, sine aliquo respectu, & omni cessante recusatione, liberè, quoties requisiti fuerint, & singula mandata, priuilegia, concessiones, gratias, & indulta Apostolica, aliaque tam vniuersalia, quàm particularia dicto Ordini, ac quibusvis aliis, quæ de obseruantia sunt tantum, locis, domibus, Conuentibus, Monasteriis, & Ecclesiis, tam virorum, quàm mulierum, seu eiusdem Ordinis Magistro generali, Prouincialibus, Vicariis, Prioribus, & aliis Superioribus, fratribus, ac Abbatissis, Priorissis, monialibus, & aliis personis sub Regula dictorum fratrum degentibus, & quæ sunt obseruantiæ tantùm, in genere, vel in specie, & ad vniuersam, siue priuatam vtilitatem concessa, & emanata rescripta Apostolica eisdem Regibus, Ducibus, Principibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, & Dominis, aliisque personis ecclesiasticis, & sæcularibus quibuscumque vbi, & quoties opus fuerit, ac ad id requisiti fuerint, notificare, & intimare; ac eosdem iuxta mandatorum, concessionum, indultorum, priuilegiorum, & rescriptorum huiusmodi formam, continentiam, & tenorem, monere, & requirere, aliaque omnia, & singula circa ea requisita,

& opportuna facere, agere, exercere, & exequi, ac de eisdem omnibus, & singulis publicos, & publica, actus, & instrumenta coram testibus, ad hoc requisitis conficere, & stipulari, ac in notam redigere, & exinde semel, vel pluries, prout ad id requisiti fuerint, vnum, vel plures, ac plura, publicos, & publica, actus, & instrumenta, quibus eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio, & extra, ac vbique, ac si per alios quoscumque publicos, & authenticos rogatos Notarios stipulata, confecta, & publicata, & authenticata fuissent, conficere, & debitis signis, & characteribus subscribere, publicare, & authenticare, liberè, & licitè possint, & valeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium licentiam, & facultatem impertimur, concedimus, & indulgemus; eisdemque actis, notis, instrumentis, & scripturis per dictos Religiosos, vt præfertur, Notarios deputatos stipulatis, confectis, & vt præfertur, authenticatis, plenam, & indubitatam fidem vbique, tam in iudicio, quàm extra adhiberi, ac eosdem sic intimatos, monitos, & requisitos eis affici, & arctari debere volumus, statuimus, & ordinamus.

Iubet prædictos Notarios non impediri.

§. 3. *Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ, & indignationis nostræ, ac suspensionis à diuinis, quò ad Archiepiscopos, & Episcopos; quò ad alios vero inferiores sub maioris excommunicationis latæ sententiæ pœnis, locorum Ordinariis, & aliis quibusuis personis, cuiuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis existentibus, & quacumque etiam dictæ Sedis auctoritate, facultate, seu potestate, etiam Legatis de latere, ac Cardinalatus honore fulgentibus, ne ipsos Notarios, vt fertur, deputatos, & electos, sine eoram aliquam, in executione supradictorum omniam quouis modo impediant, seu impedire, aut perturbare audeant, vel præsumant.*

Clausulæ præseruatiuæ.

§. 4. *Ac decernentes, præsentes literas nullo vnquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, seu intentionis nostræ vitio, seu defectu notari, seu impugnari posse; ac sub quibusuis reuocationibus, derogationibus & aliis contrariis dispositionibus à nobis, vel successoribus nostris emanandis comprehensas, sed semper ab illis exceptas existere, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum, & validissimum; etiam sub data per eosdem Magistrum generalem, Prouinciales, & alios supranominatos eligenda concessas, restitutas, plenariè reintegratas existere.*

Clausula sublata, & decretum irritans.

§. 5. *Et sic per quoscumque iudices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere: Ac irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Commissarios deputat.

§. 6. *Quocirca dilectis filiis Iacobo tit. S. Mariæ in Cosmedin Presb. Card. de Sabellis nuncupato, nostro in alma vrbe Vicario, & Curiæ causarum Cam. Apost. generali Auditori, & Cancellariæ Apostolicæ Regenti, nunc, & pro tempore existentibus per præsentes motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios, præsentes literas, & in eis contenta quacumque vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Magistri generalis, Procuratoris, Prouincialium, & aliorum prædictorum, seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos, & eorum singulos indultos, concessione, voluntate, statuto, ordinatione, mandato, & decreto nostris huiusmodi iuxta earundem præsentium tenorem pacificè frui, & gaudere. Non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebitè molestari; contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, ac alia iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis seruatis processibus, sententias, censuras, & pœnas, etiam iteratis vicibus, aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.*

Derogat contrariis.

§. 7. *Non obstantibus, fel. rec. Bonif. Papæ VIII. prædecessoris nostri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodò quis auctoritate præsentium vltra tres dietas ad iudicium non trahatur, aliisque quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon in prouincialibus, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, etiam dictæ Sedis de latere Legatis, Nuntiis, locorum Ordinariis, & aliis quibusuis personis in præiudicium præmissorum, per quoscumque Rom. Pont. etiam prædecessores nostros, ac nos, & Sedem præfatam, tam sub plumbo, quàm in forma Breuis & etiam motu, & scientia similibus concessis, approbatis, & innouatis; quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti, forent, præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Aut si aliquibus communi-*

ter, vel diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptis fidem adhiberi iubet.

§. 8. *Volumus autem, quòd transumptis præsentium manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra vbique locorum adhibeatur, & adhiberi debeat, quæ literis ipsis originalibus adhiberetur, si exhibita forent, vel ostensa.*

Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscat. die 21. Martij, 1571. Pontif. nostri anno 6.

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1. NOto 1. quòd Cher. *tom. 2. bull. in Pio V. const. eius* 124. *pag.* 336. hanc eandem bullam refert, & notat in margine *ad* §. 2. quòd hoc idem priuilegium concesserat Iulius III. *die* 27. *Febr.* 1554.

2. Noto 2. quòd hoc priuilegio gaudent alij Mendicantes communicationem cum Prædicatoribus habentes in concessis, & concedendis, vt Passar. notat *pag.* 244 & Rodriquez *tom.* 3. *quæst. reg. quæst.* 8. *art.* 1.

3. Noto 3. quòd Notarij possunt deputari non solùm pro negotiis communibus Religionis, sed etiam pro particularibus.

4. Noto 4. quòd informationes intrantium Religionem, quas præcipit fieri Clemens VIII. approbando quò ad hoc bullam Sixti V. vt constat. *ex const.* 10. *Vrb. VIII. num.* 80. possunt fieri ab istis Notariis Religionis; nam verba legis intelliguntur iuxta subiectam materiam, vt dicitur *in cap. Intelligentia, de verb. sign.* Ita Cruz *lib.* 2 *de statu Relig. cap.* 2. *dub.* 3. *concl.* 4. *reg.* 4. & pro hoc puncto vide *infra in const.* 2. *Sixti V. num.* 7.

5. Noto 5. quòd isti Notarij possunt etiam authenticare priuilegia Apostolica, eaque transumptate, quando talis transumptatio conceditur cum subscriptione alicuius Notarij publici.

6. Noto 6. quòd isti Notarij possunt creari à Generalibus, Prouincialibus, & Correctoribus, non solùm pro causis ciuilibus, sed etiam pro criminalibus. Castell. *in tract. de elect. cap.* 20 *pag.* 444.

7. Noto 7. quòd Notarius est persona publica, cuius scripturis legitimè factis auctoritate iuris plena, & indubitata fides adhibetur, & de iure communi Monachus à tali officio repellitur; tum quia censetur mortuus mundo *leg. Deo nobis C. de Episc. & Cler.* tum quia non est sui iuris; *cap. Non dicatis* 12. *quæst.* 2. *cap. Ex parte de accus.* tum quia non se debet impedire in negotiis sæcularium, *leg. Repetita, Cap. de Epis. & Cler.* Ita Ioann. Iac. Canis. *in libel. de tabell. tit. Quis possit facere Notarium*: Vnde necesse omnino fuit hoc priuilegium. Vide Host. *in sum. lib.* 3. *Ne Clerici, vel Mon bi umero* 5.

8. Noto 8. quòd non potest ad tale munus assumi bastardus, nisi sit rehabilitatus, iuxta dicta *in constitut.* 2. *Iul. II* § 6. *à num.* 39. ita Mussus *in formul. instrum. cap.* 5: & debent habere omnes conditiones, quas hic requirit Papa §. 2. nimirum vt sint moribus probati, ac fide, & doctrina idonei.

9. Noto 9. circa modum istos Notarios creandi, quòd Superiores ad quos eos creare pertinet, adhibitis testibus sufficientibus, & idoneis, etiam ex Religione, recipiunt iuramentum ab eo, qui in Notarium creandus est, vtpotè quod est de essentia talis officij, vt bene Aldt. *lib.* 1. *de discip. cap.* 8. *num.* 8 *&* 9. Quod iuramentum potest fieri sub hac forma. *Ego N. promitto, & iuro Deo omnipotenti, & S. D. D. N. Papa N. & tibi P. quòd meum fideliter exercebo officium in omnibus, & per omnia, ad hæc sancta Dei euangelia.* Ita Specul. *part.* 2. *de instrum. edit.* §. *Restat, num.* 37. & Mussus *loc. cit.* Iuramento hoc pacto recepto, Prælatus, tradendo illi calamum, & attramentarium, dicit: *Accipe potestatem notificandi, & intimandi in ista Prouincia quibuscumque personis, etiam Regibus, mandata, indulta, ac priuilegia Apostolica, iuxta bullam sanctæ mem. Pij Papæ V. faciendique publicos actus, & instrumenta. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.* Forma autem litterarum pro fide facienda, quòd talis fuit in tale munus assumptus, poterit fieri hoc pacto. *Nos fratres N. Prouincialis, &c. auctoritate S. M. N. Papæ Pij V per suas litteras datas Romæ die* 21. Martij *anni* 1571. *quæ incipiunt, Debitum pastoralis, creauimus, constituimus, & deputauimus in Notarium P. F. N. virum moribus probum, fide, & virtute idoneum, ad intimanda, & notificanda quæcumque indulta &c. & faciendi quæcumque instrumenta, &c. recepto prius ab eo coram nobis genuflexo corporali iuramento fidelitatis ad sacra Dei Euangelia coram testibus infrascriptis. Datum, &c. In quorum fidem, &c.* Vel potest fieri alia forma ad placitum, modò substantialia non desint.

CONSTITVTIO X.

Quâ statuit, quòd Religiosi non possint vti bulla Cruciatæ, nec aliis indultis particularibus quò ad electionem confessorum, & quò ad absolutionem à reseruatis: possunt tamen absolui, & dispensari à suis Prælatis, sicut possunt Clerici, & sæculares à suis Episcopis per Concilium Trid.

PIVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmiũ.

ROmani Pontificis circumspecta benignitas honesta petentium vota, quæ personarum sub Religionis iugo Altissimo famulantium statum, & salubrem directionem respiciunt, ad exauditionis gratiam, libenter admittit, & fauoribus prosequitur opportunis.

Supplicatio.

§. 1. *Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Prior prouincialis Prouinciæ Hispaniæ Ordinis fratrum Prædicatorum, quòd, cum in bulla Cruciatæ sanctæ, & aliis priuilegiis, quæ ab Apostolica Sede concedi solent, detur facultas eligendi confessorem idoneum, ab Ordinario approbatum, qui possit Christi fideles absoluere à casibus Ordinario reseruatis, & à quibusdam etiam, quæ dictæ Sedi reseruata sunt, Religiosi dicti Ordinis, seu eorum nonnulli etiam h s facultatibus vti præsumunt, & illam prætextu eli-*

gunt

gunt confessorem aliquando præter eos, qui à suis Prælatis pro audiendis eorum confessionibus deputati sunt, quod aliquando in spectale eorum vergit detrimentum. Quare prædictus Prior nobis humiliter supplicari fecit, quatenus in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Non possunt Religiosi vti bulla Cruciatæ. Vide sup. in const. 13. Iul. II. §. 2. num 3.

§. 2. *Nos igitur huiusmodi obuiare volentes, ac eumdem Priorem à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, talem concessionem Cruciatæ sanctæ, & aliorum indultorum particularium, quantùm ad prædictum articulum eligendi confessorem, & absoluendi à casibus reseruatis, cum fratribus, & sororibus monialibus totius Ordinis prædicti, tam Prouincia Hispania huiusmodi, quàm extra eam vbilibet, locum minimè habere, nec censeri, sed nostræ intentionis existere, quòd ijdem fratres, & moniales quantùm ad sacramenti pœnitentiæ, seu confessionis administrationem, dispositioni suorum Prælatorum subiecti sint, Apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuò declaramus. Eisdem tamē Prælatis, vt in vsu huius potestatis se cum subditis benignos, & faciles exhibeant, præcipientes, & mandantes.*

Possunt tamen absolui ab omnibus casibus, sicut subditi Episcopi. Vide sup. in constit. 4. Sixti IV. §. 5. à numer. 6.

§. 3. *Et insuper quia sacrum œcumenicum generale Trid. Concilium concessit Episcopis, vt absoluere possint in foro animæ, seu conscientiæ ab omnibus peccatis, & dispensare in irregularitatibus, prout sess. 24. cap. 6. habetur: ac Prior conuentualis, & superiores Prælati dicti totius Ordinis, tum in dicta Prouincia, quàm extra eam vbilibet in hac parte deterioris conditionis, quàm Clerici, aut seculares existant, eisdem Priori conuentuali, & superioribus Prælatis, vt ipsi per se ipsos idem omnino possint in fratres, & moniales dicti Ordinis sibi subditos, quod possunt Episcopi in Clericos, & laicos sibi subiectos, tam quò ad absoluendi, & dispensandi huiusmodi, quàm alias quascumque facultates, eisdem auctoritate, & tenore etiam perpetuò concedimus, & indulgemus, ac etiam declaramus.*

Clausulæ præseruatiuæ.

§. 4. *Decernentes, præsentes literas perpetuò durare, & valere, & sub quibusuis illarum consimilium, vel dissimilium concessionum, indulgentiarum, & gratiarum reuocationibus, suspensionibus, alterationibus, derogationibus, vel alijs contrarijs dispositionibus, etiam per nos, & successores nostros Rom. Pontif. pro tempore existentes, aut Sedem Apostolicam, etiam ex quauis causa, aut aliàs quomodolibet, canonicè, vel de facto, nunc, & pro tempore factis, & faciendis nullatenus comprehensas, sed semper ab illis exquisitas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, & de nouo concessas existere, & fore, ac censeri, & suffragari debere; Irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

§. 5. *Non obstantibus præmissis, & quibusuis Apostolicis, ac vniuersalibus, prouincialibus, & synodalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus; necnon quibusuis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, quibusuis personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac aliàs quomodolibet concessis, & approbatis, & innouatis, quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, indiuidua, & expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores suos, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in eis tradita obseruata insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.*

Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 21. Iunij, 1571. Pontificatus nostri anno 6.

GREGORII XIII.

Itali, ex ciuitate Bononiæ, Christophori de Boncompagnis filij, ad Pontificatum assumpti anno 1572. die 13. Maij, qui dedit Ordini nostro infrascripta.

CONSTITVTIO I.

Qua confirmat, & innouat de plenitudine potestatis Minimorum priuilegia, cum clausula, Non obstante Concilio Lateranensi.

GREGORIVS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procœmiū. *REgimini militantis Ecclesiæ, disponente Domino, præsidentes, circa statum fidelium quorumlibet, præsertim Religiosorum, studio piæ vitæ vacantium, prosperè dirigendum attentiùs cogitamus, & eos, vt quietiùs vota sua Domino persoluere possint, eorumque loca, & domos benignis fauoribus confouemus, ac his quæ propterea per prædecessores nostros prouidè concessa fuisse dignoscuntur, vt firmiora persistant, cum à nobis petitur, Apostolici muniminis præsidium propensiùs impertimur.*

Hi summi Pont. multas gratias Ordini nostro concesserunt. §. 1. *Dudum siquidem, sicut accepimus, felic. recordat. Sixtus IV. Innocen. VIII. Alexand. VI. Iul. II. Leo X. Clemen. VII. Paul. III. Iul. etiam III. Paul. IV. Pius etiam IV. ac Pius V. prædecessores nostri, Ordini fratrum Minimorum S. Francisci de Paula, illiusque Correctori generali, & aliis fratribus, eorumque Ecclesiis, & Conuentibus nonnullas gratias, concessiones, indulgentias, peccatorum remissiones, absolutiones etiam plenarias, libertates, prærogatiuas, fauores, immunitates, exemptiones, declarationes, facultates, diuersaque alia priuilegia, & indulta, tam spiritualia, quàm temporalia, etiam per solam signaturam, aut viuæ vocis oraculo, tam pro foro conscientiæ, quàm foro fori, in genere & specie, etiam per modum communicationis siue extensionis priuilegiorum, etiam cum aliis quibuscumque Ordinibus Mendicantibus, & non Mendicantibus concesserunt, aut iam concessa confirmarunt, & approbarunt, prout in singulis concessionibus, & literis ipsorum prædecessorum desuper confectis pleniùs continetur.*

Supplicatio. §. 2. *Cum autem, sicut dilecti filij modernus Corrector generalis, & Zelosi dicti Ordinis Minimorum nobis nuper exponi fecerunt, ea firmiora censeantur, quæ Sedis Apostolicæ confirmatione sæpius roborantur; ideo nobis ipsi Corrector generalis, & Zelosi humiliter supplicari fecerunt, vt prædictis gratiis, concessionibus, & priuilegiis, & aliis præmissis, & in dictis prædecessorum literis contentis, nostræ approbationis robur adiicere, aliàsque in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.*

§. 3. *Nos igitur ad vberes fructus, quos Ordo fratrum Minimorum huiusmodi in agro militantis Ecclesiæ producere non cessat, debitum respectum habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, præmissa, ac omnia, & singula alia priuilegia, immunitates, exemptiones, libertates, prærogatiuas, fauores, conseruationes, declarationes, facultates, dispensationes, gratias, concessiones, indulgentias, & indulta spiritualia, & temporalia, etiam per modum communicationis, & extensionis inter se, & cum aliis Ordinibus Mendicantibus, & non Mendicantibus, eisdem Correctori generali, & Zelosis, ac aliis fratribus, Ecclesiis, domibus, Conuentibus, & locis dicti Ordinis Minimorum, ipsiusque Ordinis Minimorum monialium, Monasteriis, & Ecclesiis, ac ipsis monialibus, seu fororibus, & locis eorum quibuscumque in genere, & in specie, etiam per solam signaturam, etiam viuæ vocis oraculo, vt præfertur, aut aliàs, tam per præfatos, & alios quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & Sedem præfatam, quam Imperatores, Reges, & alios principes, sub quacumque forma, & expressione verborum concessa, ac etiam iteratis vicibus approbata, necnon cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis, decretis, & declarationibus, singulas desuper confectas literas, & in eis contenta, & inde secuta quæcumque illorum omnium tenores, & formas, datas, effectus, & decreta in illis apposita, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, dicta auctoritate Apostolica, ac potestatis plenitudine, quatenus sint in vsu, & sacris Canonibus, & decretis sacri Concilij Trident. non aduersentur, approbamus,* Confirmat, & innouat de plenitudine potestatis omnia priuilegia etiā per modum viuæ vocis oraculi.

mus, confirmamus, & innouamus, perpetuamque roboris firmitatem obtinere, & firmiter obseruari, necnon ipsis Correctori, Zelosis, fratribus, monialibus, sororibus, eorumque Ecclesiis, domibus, Monasteriis, & locis præfatis, etiam per modum communicationis, & extensionis huiusmodi suffragari, illisque frui, vti, & gaudere, quando, ac quoties opus fuerit, posse, & debere in iudicio, & extra, ac etiam in foro conscientiæ in omnibus, & per omnia perinde, ac si specialiter, & expressè eisdem Correctori, Zelosis, fratribus, monialibus, siue sororibus, Ecclesiis, Monasteriis, domibus, & locis præfatis concessa fuissent, decernimus; necnon priuilegia, immunitates, indulgentias, facultates, libertates, indulta, exemptiones, fauores, & gratias huiusmodi modo, & forma, quibus confirmata à nobis sunt, id domos, & loca quæcumque dicti Ordinis fratrum Minimorum hactenus recepta, & in posterum recipienda extendimus, & ampliamus.

Derogat contrariis; §. 4. *Non obstantibus præmissis, ac quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, etiam generalis Concilij Lateran. vltimò celebrati, ac Ordinum prædictorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, necnon omnibus illis, quæ singuli prædecessores prædicti in suis literis prædictis voluerunt non obstare, cæterisque contrarijs quibuscumque.*

Transumptis fidem adhiberi iubet. §. 5. *Cæterùm quia difficile foret præsentes literas ad quæcumque loca, vbi illæ necessariæ fuerint, deferre; volumus, & prædicta auctoritate Apostolica, decernimus, quòd earum literarum transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, ac sigillo alicuius Prælati ecclesiastici, seu Curiæ ecclesiasticæ munitis, ea prorsus in iudicio, & extra fides adhibeatur plenaria, ac illis stetur in omnibus, & per omnia, sicut originalibus ipsis literis adhiberetur, & staretur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.*

Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscat. die 10. Octobr. 1575. Pontificatus nostri anno 4.

§. III.

1. NOto 1. quòd per illam clausulam *Quatenus sint in vsu* significatur, Pontificem intendere solùm confirmare priuilegia, quæ sunt in viridi obseruantia, suumque valorem retinent. Non autem illa, quæ inualida sunt per non vsum, vel per contrarium vsum. Secus autem si sint in vsu, & inualida per quamcumque aliam causam; Nam tunc, cum confirmet ex certa scientia, ea reualidat & innouat, si sint in vsu. Ita Rodriquez *tom. 1. q. reg. quæst. 8. art. 3.* Suarez *lib. 7. de leg. cap. 18. num. 16* Videatur Cruz *lib. 2. de statu Relig. cap. 3. dub. 2. concl. 6.*

2. Noto 2. circa illam clausulam *Et sacris Canonibus*, quòd sacri Canones, de quibus hic loquitur Pontifex, non sunt illi, qui sunt inserti in iure communi, & illud constituunt; Nam, cum omnia ferè priuilegia sint contra ius commune, parùm proficeret dicta, confirmatio; sed sunt Canones inserti in Concilio Trid. Atque ita illa dictio & est coniunctiua, & coniungit Canones Concilij cum ipsius decretis. Ita A Sotbo *in comp. verbo Priuilegia fratrum, versu est etiam aduertendum, pag. 487.* Rodriq. *tom. 1. quæst. reg. quæst. 8. art. 8.*

3. Noto 3. circa illam particulam, *Et decretis sacri Concilij Trident.* quòd per illam clausulam reuocantur tantùm priuilegia, quæ à Concilio: Trident. sunt reuocata per clausulam *Non obstantibus*, aliud enim est, quòd priuilegia sint contraria Concilio Trident. & aliud, quòd sint ab illo reuocata: Quæ clausula propterea interdum additur, & interdum non, vt patet *ex sess. 23. cap. 8. de reform. & sess. 24. cap. 11.* Nam illa sunt simpliciter Concilio contraria, quæ ab illo reuocantur. Quæ autem non reuocantur, tacite admittuntur; atque ita illi non sunt contraria. Neque obstat, quòd *sess. 25. de regul. cap. 22.* sancta Synodus præcipit obseruari omnia, & singula in superioribus decretis contenta, non obstantibus quibuscumque priuilegiis, &c. Nam solùm reuocat illa, quæ sunt contra decreta illa *sess. de regul.* non autem illa, quæ contra alias sessiones. Neque etiam obstat bulla Pij IV. *In Principis Apostolorum* Sede, quæ reuocat omnia priuilegia, quæ Concilij Trid. decretis contrariantur; Nam, cum ista bulla sit facta in robur, & obseruationem decretorum Concilij, vt patet, debet intelligi secundùm quòd intelligitur illud, & terminis illius est concludenda, vt docet Glossa *in cap. Statutum eod. verbo, de elect. in 6.* Rodriquez *tom. 1. quæst. reg. quæst. 8. artic. 6.* Suar. *lib. 8. de leg. cap. 18. num. 18.* Nauarr. *in summ. cap. 27. num. 190.* Thomas à Iesu *lib. 12. de controuers. omn. gen. tit. Sequitur collectio, pag 847. versu Illud tamen.* Sed sensus communis istius clausulæ modò obtinet in praxi, vt deroget non solùm quæ derogantur à Trident. sed etiam, quæ illi sunt simpliciter contraria.

CONSTITVTIO II.

Qua statuit, quòd Generalis Ordinis Minimorum possit deputare quoscumque Visitatores in omnibus Prouinciis, & appellantes ad tribunalia sæcularia, & se dictis Visitatoribus opponentes sint excommunicati.

GREGORIVS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX pastoralis officij nostri debito ad ea aciem nostræ mentis, dirigimus, per quæ personæ ecclesiasticæ præsertim Regulares, sub obedientia, quam profitentur, quietè, & pacificè vitam ducant. Proœmium.

§. 1. Sanè ad aures nostras peruenit, quòd in Capitulo generali fratrum Ordinis Minimorum nuncupatorum, Ianuæ nuperrimè celebrato, inter alia nonnulli Vicarij generales in diuersis orbis Prouinciis deputati fuerunt, qui durante triennio officij Correctoris generalis dicti Ordinis, alterius nationis in illis partibus res præfatorum fratrum gubernarent, & moderarentur. Verum quia modernus generalis Corrector eiusdem Ordinis intendit personaliter visi- Memorat statutum Capit. generalis 4. Genuæ. num. 35.

tare,

tare aliquas ex dictis Prouinciis, ex eo quia aliqui ex dictis Vicariis, sui officij immemores, in multis casibus, præter, & contra dicti Ordinis instituta procedunt, ac processus contra aliquos fratres formatos communicant cum iudicibus sæcularibus: ita quòd aliqui fratres huiusmodi perterriti fugam arripiunt, & ab obedientia suorum Superiorum se alienant, & apostatare coguntur in maximum plurimorum scandalum: dubitetque quòd, si ipse, vel pro tempore existens generalis Corrector dicti Ordinis ad illas partes accedat, vel alios Visitatores deputet, prout suo officio incumbit, aliquis Vicarius, cornua contra ipsum erigendo, ipsi obedire recuset, sicque dissidia, & scandala varia oriantur.

Generalis potest deputare quoscumque Visitatores. Vide to. 1. Relig. cap. 18. §. 1. v. At obiiis. Vide etiam sup. in constit. 14. Leo X & quæ ibi noto.

§. 2. Ideo nos volentes desuper opportunè prouidere, tenore præsentium, Apostolica auctoritate statuimus, decernimus, & ordinamus, quòd generalis Corrector nunc, & pro tempore existens, quoscumque Visitatores sibi bene visos in quacumque Prouincia, ad eius nutum amouibiles, vbi, & quando sibi expedire videbitur, cum generali, vel limitata auctoritate, potestate, & iurisdictione cuiuscumque nationis deputare possit, & valeat, iuxta priuilegia, & regularia instituta dicti Ordinis: Qui omnes Visitatores in omnibus sibi obedire debeant, & teneantur, & vbi ipse generalis Corrector, tam in partibus Hispaniarum, quàm alibi præsens fuerit, cesset quæcumque auctoritas, potestas, & iurisdictio prædictorum Vicariorum, & Visitatorum, vel aliorum quorumcumque Officialium dicti Ordinis, etiam in Capitulo generali deputatorum.

Nullus potest appellare ad tribunalia sæcularia, vel ea adire pro negotiis fratrum sub pœnis &c. Vide to. 1. Relig. cap. 20. concl. 4. & Rodr. in bul. in Gr. XIII. bulla 2. Quoniam.

§. 3. Necnon præcipimus, & mandamus præfatis Vicariis, & quibusvis aliis Prouincialibus, Visitatoribus, & dicti Ordinis Prouincialibus, quovis nomine nuncupentur, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis latæ sententiæ, à qua contrauenientes non nisi à nobis, seu pro tempore existente Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo, absolui possint; necnon priuationis perpetuæ officiorum per eos obtentorum, & inhabilitatis ad illa, & alia quæcumque dicti Ordinis officia, & vocis actiuæ, & passiuæ eo ipso incurrendis, ne quis Prouincialis, aut alius cuiuscumque dignitatis, status, gradus, & conditionis Ordinis huiusmodi Religiosus, aut Religiosa ad tribunalia sæcularia, seu iudices sæculares pro negotiis fratrum dicti Ordinis, seu ipsum Ordinem concernentibus, quovis prætextu, vel occasione appellare, vel illa quoquo modo adire audeant, seu præsumant.

Ordinem recurrendi præscribit.

§. 4. Sed vbi opus fuerit, ad generalem Correctorem, & dicti Ordinis Protectorem, seu ad nos, & pro tempore existentem Romanum Pontificem recursum habeant.

Fautores etiam dictas pœnas incurrunt.

§. 5. Declarantes, non solùm contrafacientes, verumetiam eorum fautores directè, vel indirectè, easdem pœnas incurrere.

Nullus potest Visitatorib. à Generali missis resistere.

§. 6. Et insuper sub eisdem pœnis præcipimus, & mandamus cuilibet Prouinciali, aut Correctori locali, & quibusvis Religiosis dicti Ordinis, ne Visitatoribus, aut Officialibus cuiusvis regionis, aut nationis à prædicto Correctore generali pro visitandis Prouinciis missis resistere, aut se opponere audeant, sed illis faueant, & obediant, & assistant.

Qui resistis de facto non de iure.

§. 7. Quibusvis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque non obstantibus.

Derogat contrariis.

§. 8. Irritum, & inane decernentes quicquid secus à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

Transumptis fidem adhiberi iubet.

§. 9. Cæterùm quia difficile esset præsentes literas ad quæcumque loca, vbi illæ necessaria fuerint, deferre, volumus, & prædicta auctoritate decernimus, quòd earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici, & alicuius Prælati subscriptis, & sigillo dicti Prælati signatis fides indubitata in iudicio, & extra adhibeatur in omnibus, & per omnia perinde, ac si originales fuerint.

Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 27. Martij, 1576. Pontificatus nostri, anno 4.

§. IV.

1. Vide *tom.* 1. *Relig. cap.* 20. *concl.* 1. Et scias, recursum ad Romanum Pontificem posse esse immediatum, per statutum *Cap. generalis Romani* 6. *numero* 14. *dub.* 7. Et congruit *cap. ad Romanam, & cap. Quoties.* 2. *quæst.* 6. *& cap. Si duobus, de appell.* Docent etiam Nauarr. *libro* 2. *consil. de appell. cons.* 2. *numero.* 1. *& consil.* 4. *numero.* 3. in casu nostræ Religionis? Pegna *in direct. part.* 3. *com.* 31. *ver. Quòd si.* Cum hac limitatione tamen, quòd non sit de re leui, & si recurrens non probauerit, seueriori pœna plectatur.

§. V.

2. Quæres 1. an ista clausula *Verumetiam fautores* extendatur non solum ad fautores eorum, qui ad tribunalia sæcularia appellant; an verò etiam ad eos, qui fauent resistentibus Visitatoribus.

Respondeo Solùm extendi ad fautores eorum, qui appellant ad tribunalia sæcularia. Quia quando in vna dispositione sunt diuersa negotia, tunc clausula proposita ad vnum negotium, non extenditur ad aliud, maximè quando est odiosa, vt hæc. At appellare, & resistere sunt omnino diuersa. Ita Panor. *in cap. Secundò requiris, de appell. numero* 10. Nec obstat dictum caput *Secundò requiris*, quatenus ait, quòd nihil interest ad hoc vt clausula concernat omnia contenta in vna dispositione habente plures articulos, an ponatur in principio, medio, vel fine: nam intelligitur, quando nulla omnino potest reddi ratio, quare magis debeat concernere vnum articulum, quàm alios. Sed hic potest reddi; Tum quia *in §. seq.* præcipit omnibus, tum Superioribus, tum subditis, vt dictis Visitatoribus non solùm non resistant, se illis positiuè opponendo, sed etiam vt illis faueant, obediant, & assistant. Vnde, cum omnes fratres vnius Conuentus, vel Prouinciæ teneantur prædicta facere, nullus fautor videtur quasi remanere; Tum quia dictio, *Insuper*, importat

importat diuersitatem; vnde clausula posita in principio, vel ad finem vnius articuli, non refertur ad sequentia, quando in illis adest dictio *Insuper*. Ita Tusch. *ver. Dictio, concl.* 195. Et ita videtur intellexisse hanc constitutionem *Capit. generale Barchin.* 1. *numero* 16.

3. Quæres 2. Quinam dicantur fautores.

Respondeo 1. dici fautores, qui omissione, seu negligentia ex officio potentes impedire, ne quis ad dicta tribunalia recurreret, & non facerent, v. g. Prouinciales, aut Corrector. 2. dicuntur fautores, qui cooperantur de facto. 3. qui consilio, & verbis ad appellandum impellerent. Ita Farin. *tract. de hær. quæst.* 182. §. 1. *numero* 1.

4. Quæres 3. an fautor, non secuto effectu, incidat in has pœnas.

Respondeo non incurrere. Quia punitur seorsim à principali delinquente; per doctrinam Cai. *in sum. verbo Excomm. cap.* 25. *notab.* 1. & Nau. *in sum. cap.* 27. *numero* 51. *versu Adde, quòd refert*. Idem dic, si consilium in tempore opportuno, quantum in ipso fuit, contrarium suadendo, reuocauit. Innoc. *in cap Ad audientiam, de homic. numero* 2.

5. Quæres 4. an qui ex negligentia, vel quia non vult se immiscere rumoribus, potens tamen obuiare dictam appellationem, non obuiaret, incurreret pœnas hic positas.

Respondeo, Licèt prima facie possit videri alicui, quòd iste talis incurrat cum *in cap. Quanta, de sent. excomm.* dicatur, quòd fauere præsumitur, qui, cum possit, manifesto facinori desinit obuiare; Censeo tamen, quòd, si absit dolus, & solùm sit pura negligentia, & solùm pura commoditas intendatur, non incurrer istas pœnas. Ita Panormit. *dicto cap. Quanta, numero* 7. Secus tamen, si id dolosè fiat; nam tunc dicetur indirectè fauere, vel si vadat ad associandum recurrentem; nam, cum dolus per coniecturas probetur, iste, cum fuerit præsens, & non obuiauerit, cum potuerit, dolosè id egisse præsumetur; & sic saltem indirectè censensisse, & fauisse. Ita Panorm. *loco citato, numero* 8. & eius Additionator *lit. C.* Et nota hic, quod quatuor potest quis consentire delinquenti, vt dixit Innocent. *in cap.* 1. *de off. deleg. in glossa, verbo Pœna* 2. negligendo prohibere, vel punire delinquentem. 2. consulendo. 3. cooperando. 4. præstando auctoritatem, vel mandando, vel defendendo delinquentem. 1. & 2. modo minus punitur, quam agens. 3. æqualitet. 4. plus. Ita Steph. de Feder. *de interpr. iur. part. vlt. num.* 45.

CONSTITVTIO III.

Quæ decernit, quòd descendentes ex genere Iudæorum, & hæreticorum in Religione recipiantur, & ad dignitates admittantur, non tamen descendentes ex dictis relapsis, vsque ad quartam generationem inclusiuè.

GREGORIVS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prœmium.

Vneris nostri esse putamus sedulò, ac diligenter omnia curare, quæ Religionum conseruationi, earumque professorum quieti, ac tranquillitati conferant, illamque in primis curam suscipere, vt iis, quæ materiam scandali præbere possunt, quamprimum via præcludatur.

§. 1. *Cum itaque, sicut nuper accepimus, statutis in Capitulo generali Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula editis caueatur, vt nullus de genere Iudæorum, aut Mahumetanorum in eum Ordinem recipiatur; ac vt nouitius tam ad habitum, quàm ad professionem admittendus, interrogetur à Prælato, an ex huiusmodi genere descendat, qui, si negatiuè responderit, recipiatur, præmissa etiam priùs protestatione, quòd quotiescumque postea inuentum fuerit, eum ex tali genere originem ducere, professio ab eo facta erit nulla ex parte Religionis. Quod non mediocrem dicti Ordinis tranquillitati, & multis, qui ex huiusmodi genere originem duxere, perturbationem attulit.* Memorat statutum factum in Capitulo generali Foriiolis, num 14. quòd descendentes ex genere confessorum non recipiantur.

§. 2. *Nos, qui desideranter in votis gerimus, vt præfatus Ordo nostris prosperetur temporibus, & materia scandali penitus succisa, radicitùsque euulsa longiùs propellatur, postquam præfatorum, qui ex genere Iudæorum, & Mahumetanorum originem trahunt, & scientes, vel ignorantes se ex huiusmodi genere oriundos esse, professionem in dicto Ordine emiserunt, statui, & quieti nuper, cum de eorum professionis validitate, & statu consulti essemus, viua vocis oraculo sufficienter, satis superque prouidimus, attendentes, leges, & statuta non ideo debere fieri, vt per ea scandala gignantur, & publica præsertim animarum tranquillitas perturbetur, aut commoueatur, sed potiùs ad ea tollenda, & ipsam communem quietem augendam; ac propterea statuta prædicta quò ad ea tantùm, in quibus præsentibus nostris literis aduersantur, Apostolica auctoritate, tenore præsentium abrogantes, & abolentes, & ex nunc in posterum nullius roboris, vel momenti fore decernentes, motu proprio, & ex certa nostra scientia volumus, statuimus, & ordinamus, vt de cætero in nouitiis recipiendis in Ordinem præfatum S. Francisci de Paula fiat inquisitio de moribus, & vita eorum, & de suorum progenitorum defectu. Volentes, quòd iis, qui ex Iudæorum, vel Mahumetanorum genere descendunt, cum post susceptum ab eis baptisma, Græci, & Iudæi distinctio esse non debeat, nullatenus defectus generis huiusmodi, quominùs in Ordinem prædictum recipiantur, & ad consequendas in dicto Ordine dignitates, gradus, & officia Religionis, nocere possit, vel debeat. Quantùm verò attinet ad filios, & descendentes hæreticorum, præcipimus, vt filiis, & descendentibus talium conuersorum, & Ecclesiæ vnitati restitutorum pariter minimè circa præmissa quicquam obstet.* Descendentes ex genere Iudæorum &c. recipiantur in Religione.

§. 3. *Quò verò ad illos, qui ex Iudæis, ex eo quod post baptisma ab eis susceptum iterum à fide catholica recesserint, per sententiam in foro ecclesiastico latam damnatis; Mahumetanis item,* Descendentes ex relapsis non recipiantur.

item, & hæreticis similiter damnatis, viuis, vel defunctis, vel quorum ossa, vel statuæ combusta sunt, originem ducunt per lineam paternam, vel maternam vsque ad quartam generationem inclusiuè, in Ordinem ipsum recipi, & admitti non posse: Et idem in iis professoribus eiusdem Ordinis, qui ad sacros, etiam presbyteratus, ordines admittuntur, seruari decernimus.

Derogat contrariis. §. 4. *Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac priuatis, & quibusuis aliis dicti Ordinis, in generalibus, vel prouincialibus Capitulis editis, tam generaliter de vniuerso Ordine, quam specialiter de singulis eiusdem Ordinis domibus, vel Conuentibus, seu Monasteriis disponentibus, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.*

Transumptis fidem adhiberi iubet. §. 5. *Volumus autem, vt præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides vbique adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibita, vel ostensa.*

Datum Romæ, apud S. Marcum, sub annulo Pisc. die 1. Augusti, anno 1583. Pontific. nostri anno 12.

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1. Vide similem const. Pij V. apud Passar. *pag.* 255. Vide etiam const. Pij IV. apud Rodr. *in bull. in Pio IV. bulla eius* 3. & 4. Vide Rodr. *to.* 1. *quæst. reg. quæst.* 14. *ar.* 1. & *per totam.* Vide quæ dico, *to.* 1. *Rel. cap.* 25. §. 3. *versu Circa* 2. *interrogationem.*

2. Aduerte etiam, quòd ista constitutio non fuit recepta *à Cap. gener. Genuæ* 5. *celebrato, numero* 31. & statutum, quòd pet P. Zelosum supplicaretur Sanctissimo, vt eam dignaretur reuocare pro Religionis quiete. Sed, cum Papa reuocare noluerit, dicendum est, quòd sit in suo robore. Videatur Passar. *in schol. ex Genuen. numero* 31.

CONSTITVTIO IV.

Quâ concedit indulgentiam plenariam visitantibus Ecclesias Ordinis Minimorum in die sanctissimi Patriarchæ nostri Francisci.

GREGORIVS PAPA XIII.
Vniuersis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis sal. & Apostol. bened.

Concedit proet in summario. §. 1.  *Ad augendam fidelium religionem, & animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus verè pænitentibus, confessis, ac sanctissima communione refectis, qui singulas Ecclesias Monasteriorum, seu domorum fratrum Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula vbicumque constitutas, die festo eiusdem S. Francisci de Paula à primis vesperis, vsque ad occasum Solis eiusdem diei singulis annis deuotè visitauerint, & ibi pro christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, sanctæque matris Ecclesiæ tranquillitate pias ad Deum preces effuderint, quoties id fecerint, toties plenariam suorum peccatorum indulgentiam, & remissionem concedimus, & elargimur.*

Derogat contrariis, & transumptis fidem adhiberi iubet. §. 2. *Contrariis non obstantibus quibuscumque præsentibus perpetuò valituris. Volumus autem quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides vbique adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Pisc. die 1. Aprilis, 1579. Pontif. nostri anno 7.*

§. I.

1. Noto 1. quòd Pontifex Gregorius concedit indulgentiam plenariam verè pœnitentibus, confessis, ac sanctissima communione refectis, qui in die S. Francisci de Paula visitauerint vnam ex Ecclesiis sui Ordinis, & hoc toties, quoties illo die id fecerint. Et aduerte, quòd indulgentiæ tantum valent, quantùm sonant, & est communissimum dicterium in hac materia apud Theologos, & contrarium dicere, ait D. Th. *in* 4. *dist.* 20. *quæst.* 1. *art* 3. *quæst.* 2. *in princip.* est valde periculosum.

2. Noto 2. Nullum me vidisse Doctorem negantem, quinimmo nec dubitantem, an Papa possit huiusmodi indulgentias concedere: Cum enim secundum D. Th. *loc. cit.* ad concedendam indulgentiam requiratur auctoritas, & vnio eius, cui dispensatur, ad eum, qui merebatur, quod est per charitatem, & ratio dispensationis, secundùm quam saluetur intentio illorum, qui opera meritoria fecerunt; & hic interueniant omnia, auctoritas in Papa, qui est thesauri Ecclesiæ dispensator, gratia in recipientibus, mediante sacramentali pœnitentia, sacra communione; & ratio dispensationis, quia nimirum ista indulgentia conceditur ad honorem Dei, qui honoratur in Sanctis suis, & ad vtilitatem Ecclesiæ: Non video, cur scioli quidam, vel meliùs sciolos se reputantes, audientes hanc nostram indulgentiam, tam capetata fronte & paruo, ac obliquo ore, quasi ironicè fateantur, id se non intelligere; quos me hic doctorum spero, nisi malitia sit in voluntate, vel in malè affecto intellectu inscitia.

3. Noto proinde 3. quod dubitant inter se Doctores, an qui eodem die pluries facit actum, per quem conceditur indulgentia, v. g. pluries visitat Ecclesiam, cui concessa est indulgentia, pluries etiam indulgentiam consequatur. Et optima resolutio est, quam tradit Tab. *de monte D. Thomæ, verbo Indulgentia, numero.* 15. Vel enim in indulgentia dicitur, quòd quoties quis visitauerit talem Ecclesiam, toties indulgentiam lucretur; & clarum est, quòd toties lucratur, quot visitat: Vel in concessione indulgentiæ exprimitur, quòd tantùm conceditur indulgentia pro vna vice; & tunc clarum etiam est, non posse pluries consequi: Vel nihil horum exprimitur, & tunc adhuc distinguendum est: vel indulgentia est perpetua, & tunc consequitur toties, quoties facit; vt D. Thom.

vt D. Thom. *in 4. d. 20. q. 1. art. 3. quæstiunc. 2. ad quartum.* Ang. *verb. Indulgentia, n. 4.* Tab. cit. Rosell. *n. 12.* Henriq. 7. *de Indulg. c. 10. n. 2.* Graff. *in append. ad suas decis. lib. 2. c. 5. n. 53.* Cord. *in suo quæst. theol. lib. 5. q. 53.* Et quòd possit bis, aut ter in die prudenter, & deuotè quis talem indulgentiam consequi, docet Nauarr. *tom. 3. tract. de indulg. notab. 31. n. 36.* Suar. *tom. 4. in 3. par. disp. 57. sect. 1. n. 7.* Filliuc. *tom. 1. tract. 8. c. 8. n. 197.* Vel est determinata; Et tunc adhuc distinguendum videtur; Nam vel est determinatè ad vnum solum diem v. g. à primis vesperis, vsque ad occasum Solis alterius diei; & tunc dicunt omnes cit. quòd solùm semel quis consequitur indulgentiam, etiamsi millies visitet illo die Ecclesiam designatam, nisi aliter se explicet indulgentiam concedens, vt in specie Cord. Tab. & Ang. Vnde Suar. quem sequitur Filliuc. dicit semper tenorem indulgentiæ esse inspiciendum: Vel est determinata ad tres, quinque, vel octo dies, & negat posse pluries illis diebus consequi Tab. Rosi. Ang. Probabile posse singulis illis diebus consequi dicit Alph. Leo *in tract. de iubil. par. 1. q. 5. num. 208.* Immò dicunt Rosi. Ang. Cord. *locis cit.* & Cæsar. *verbo Indulgentia, notab. 6.* censuisse Innoc. & Specul. quòd etiam quando indulgentia est determinata pro aliquo particulari die, potest quis eam lucrari toties, quoties dictam Ecclesiam de die visitauerit. Et sic aiunt Cæsar. & Cord. practicari in indulgentia Portiunculæ: Ad quam tamen praxim respondent, fortè ibi haberi ad hoc specialem concessionem Papæ; vel certè adest eius voluntas tacita, seu interpretatiua, dum scit, & tolerat ex causa rationabili, nam sæpe communis error facit ius arg. *cap. Ecce ego, dist. 95.* quia scilicet sæpe est causa aliqua, quæ facit, quòd Princeps consentiat etiam licitè, vt validè fiat, quòd aliàs non valeret, vt Cord. *loc. cit.* Ex quibus satis constat, quòd quando tenor indulgentiæ est clarus, vt hic noster, nulla potest esse difficultas, quin toties quis lucretur indulgentiã, quoties in die S. Francisci P. N. prudenter visitabit vnam ex nostris Ecclesiis.

4. Sed dubium modò restat. Si quis visitando prima vice cum debitis circumstantiis lucratus est indulgentiam plenariam, & per consequens omnem remissionem pœnæ, suis peccatis debitæ, quid consequetur 2. vice, & 3. si vt supponimus, nihil pœnæ remanet remittendum?

Certè hoc dubium fastidiosum est, loquendo de indulgentia plenaria: nam de limitata, v. g. tertia parte peccatorum, facilè soluit Cord. *in suo quæst. theol. lib. 5. quæst. 34.* quòd prima vice remittitur illi tertia pars pœnarum, v. g. si est debitor 60. annorum, consequitur 20. annos de Indulgentia; 2. vice lucratur non quidem totidem 20. annos, sed lucratur tertiam partem de residuo pœnarum, quibus tenetur, quando lucratur indulgentiam, puta de 40. annis residuis lucrabitur 14. circiter, & sic de reliquis.

5. De indulgentia verò nostra plenaria optimè P. Montoya *in Chronicis Minimorum, libro 2. c. 25.* dicit se consuluisse viros doctissimos Vniuersitatis Complutensis, quorum placita refert, ex quibus & respondet, supposito, quod dicit communis sententia; Quòd, quando conceditur indulgentia pro vno die, nullus potest eam lucrari nisi semel, etiamsi decies visitet, quod hoc plus concedit nostra indulgentia: Quòd si quis, postquam semel consecutus fuerit plenariam indulgentiam, & consequenter remissionem omnium pœnarum, eodem die aliud mortale, vel veniale peccatum committat, poterit, iterum conterendo, vel se confitendo de illo mortali, etiamsi Eucharistiam non sumat, lucrari dictam indulgentiam, & hoc toties quoties id illi eo die acciderit, vel etiamsi non mortale, sed venialia plura committat. Quòd si nullum mortale, vel veniale committat certum est non posse pluries indulgentiam lucrari, si nihil remittendum remaneat. Vndè verba illa, *toties, quoties,* sic sunt interpretanda. Concedo, ait Papa, indulgentiam plenariam visitantibus Ecclesiam S. Francisci de Paula suo die & illo die toties indulgentiam cócedo, quoties erit materia pœnarum, per indulgentiam delenda. Posset etiam dici, quòd conceditur toties, quoties, vt si casu quis prima vice non fuisset bene dispositus, & per consequens indulgentiam non fuisset lucratus, additis gradibus charitatis ad gradus, per plures visitationes tandem bene dispositus indulgentiam lucretur. Seu etiam posset dici, quòd lucretur quis hanc indulgentiam prima vice pro se, secunda pro defunctis: Sed non inuenio fundamentum, licèt in S. Maria de Portiuncula, in qua non habentur ista verba, vt dicunt Cord. & Cæsar. *locis cit.* etiam vigeat opinio, quòd possint dictam Ecclesiam visitantes indulgentiam lucrari pro mortuis. Et in multis locis etiam id practicatur in nostra hac indulgentia in die S. Francisci.

6. Et nota vnum particulare, quòd similis indulgentia nullibi reperitur concessa, nisi Ecclesiæ S. Laurentij patrimonij Regis Hispaniarum *die 24. Febr. à Pio IV. anno 1560. die 7. Februarij.*

7. Nota etiam, quòd, vt dixi, debet ista indulgentia prudenter sumi, non ingrediendo, & statim egrediendo, & sic deinceps, Nam hoc esset magis derisorium, quàm pium, nec hoc casu præsumendum est, mentem Papæ esse talem indulgentiam concedere, vnde, tum defectu intentionis Papæ, tum defectu causæ iustæ, quæ hoc casu non adesset, qui sic ingrediendo, & statim egrediendo, & iterum ingrediendo, visitaret, non lucraretur hanc indulgentiam.

8. Solùm restat discutere, an quando transfertur festum S. Francisci de Paola, transferatur etiam ista indulgentia. Sed hoc dubium discussum est per Apostolicum diploma ab eodem Greg. XIII. quod sic habet.

Gregorius Papa XIII. ad perpetuam rei memoriam. Aliàs omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac sanctissima communione refectis, qui singulas Ecclesias Monasteriorum, seu domorum fratrum Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula vbicumque constitutas de festo eiusdem S. Francisci de Paula à primis vesperis, vsque ad occasum Solis eiusdem die singulis annis deuotè visitarent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, sanctæque matris Ecclesiæ tranquillitate, pias ad Deum preces effunderent, quoties id facerent, toties plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem concessimus, prout in nostris inde sub data die 1. Aprilis 1579. Pontific. nostri anno 7. in forma Breuis confectis literis plenius continetur. Cum autem, sicut accepimus, festum eiusdem S. Francisci de Paula, quod die 2. Mensis Aprilis quotannis celebrari solet, in Quadragesimam incidat, illudque post octauam Resurrectionis D. N. Iesu Christi transferri soleat, & propterea in dubium verti possit, an eadem indulgentia die, quo ipsum festum transferri contigerit, ab eisdem Christi fidelibus consequi valeat. Nos in præmissis opportunè prouidere volentes, ac supplicationibus dilecti filij Ioannis Ropitelli dicti Ordinis Zelosi, & Procuratoris generalis, in hac parte inclinati, harum serie volumus, & declaramus, vt dicta indulgentia ad eum diem, quo festum ipsum, vt præfertur, transferri, & post octauam eiusdem Resurrectionis celebrari contigerit, translata esse, & ab eisdem Christi fidelibus eodem modo, quo die festo prædicto consequi eisque suffragari posse censeatur. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscat. die 20. Augusti 1580. Pontificatus nostri anno 9.

CONSTITVTIO V.

Quâ concedit, quòd electiones factæ in Capitulis generalibus à deputatis valeant.

GREGORIVS PAPA XIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Memorat statutum Capituli generalis Barchin. 1. celebrati.

§. 1. *EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Idelphonsus Villamaior Corrector generalis Ordinis fratrum Minimorum S. Francisci de Paula, quòd licet electio nonnullorum Vicariorum prouincialium eiusdem Ordinis, & illorum Collegarum, ex ipsius Ordinis institutis, & consuetudinibus ad Correctorem generalem, ac Superiores, & Præsidentes Capituli generalis eiusdem Ordinis, capitulariter facienda, pertinere dignoscatur; nihilominus in Capitulo Generali eiusdem Ordinis nouissimè in ciuitate Barchinonen. celebrato, cum pro ipsius Ordinis felici directione, ac morum correctione multa ibidem statuta, & ordinata fuissent, ac propter temporis angustiam, & rerum penuriam ac electionem Vicariorum prouincialium, & Collegarum huiusmodi commodè procedi non posses, Superiores, & alij Præsidentes præfati eidem Idelfonso Correctori generali, & duobus aliis sibi ad id adiunctis Collegis, de gremio dicti Capituli generalis existentibus, ius, ac omnimodam facultatem, & auctoritatem Vicarios prouinciales eorumque Collegas præfatos eligendi concesserunt, & in eos transtulerunt; ipsique Idelphonsus Corrector generalis, & eius in ea parte Collegæ, facultatis huiusmodi vigore, in Catalaunia, & Tuscia, ac Hispalen. necnon Siciliæ, atque Lombardia, & Bethica, ac Castellæ, necnon Aragoniæ prouinciis singulos suos Vicarios prouinciales cum eorum Collegis elegerunt, & deputarunt, eademque electione facta, postmodùm idem generale Capitulum eosdem denuò approbauit, prout in documentis publicis desuper confectis pleniùs dicitur contineri.*

Supplicatio.

§. 2. *Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Idelphonsus Corrector generalis, ne de viribus earundem electionum, & deputationum, ob non seruatam in eis institutorum, & consuetudinum huiusmodi, seu Conc. Trid. in similibus electionibus, & deputationibus forsan requisitam formam, aut aliàs dubitari contingat, cupiant electionibus, & deputationibus prædictis pro earum subsistentia robur Apostolicæ confirmationis adiici.*

Concedit prout in summario.

§. 3. *Nos, qui honestis petentium votis libenter annuimus, eaque fauoribus prosequimur opportunis, eundem Idelphonsum correctorem generalem à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, necnon formam electionum, & deputationum, ac tenores documentorum huiusmodi præsentibus pro expressis habentes, ipsius Idelphonsi supplicationibus in hac parte inclinati electiones, & deputationes præfatas Apostolica auctoritate, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, omnesque & singulos, tam iuris, quàm facti, ac solemnitatum, etiam substantialium, aliosque defectus, si qui interuenerint in eisdem supplemus. Decernentes, easdem electiones quovis prætextu impugnari, retractari, aut inualidari nullatenus posse, sed illas validas, & efficaces esse, ac fore, suosque plenarios effectus in omnibus, & per omnia perinde, ac si per eos, ad quos spectabat, & seruatis seruandis, facta, & celebrata fuissent, sortiri, ac ab omnibus, ad quos spectat, & spectabis quomodolibet in futurum inuiolabiliter obseruari debere: ipsosque ad id censuris ecclesiasticis aliisque opportunis, iuris, & facti remediis, appellatione postposita, cogi, & compelli posse.*

Decretum irritans.

§. 4. *Irritum quoque, & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Derogat contrariis.

§. 5. *Non obstantibus præmissis, & Apostolicis, ac in prouincialibus, synodalibus, & vniuersalibus Conciliis editis specialibus, vel constitutionibus, & ordinationibus, necnon dicti Ordinis iuramentum, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eidem Ordini, illiusque Correctori generali, præsidentibus, Superioribus, vicariis, Prouincialibus, conuentibus, fratribus, & personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, in genere, vel in specie, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac consistorialiter, vel aliàs quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione aliàs, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda esses, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma illius tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris,*

hac

hac vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ, apud S. Petrum; ſub annulo Piſc. die 15. Aug. 1580. Pontif. noſtri anno 10.

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1. NOta quòd iſte modus eligendi Superiores, qui deſunt in Capitulis generalibus, vel per mortem, vel priuationem, vel per electionem ad maiora, eſt poſitus in praxi, licèt in aliquibus Capitulis generalibus non annotetur. Vnde ſtatutum Barchinonen. quod citatur §. 1. *in dicto Capitulo* non eſt inſertum, ſed eſt maxima incuria Scribæ. Et iſte modus eligendi eſt conformis *cap. Quia propter, de elect.* vbi approbatur electio per compromiſſum; qualiſ eſt hæc. Sed quia Trid. iubet, omnes electiones fieri per vota ſecreta *ſeſſ. 25. cap. 6. de Regul.* ideo fuit neceſſaria iſta conſtit. cum derogatione Concilij generalis. Sed aduertant dicti electores, in quos compromittetur per Capit. generale, quòd non poſſunt facere dictas electiones per communem inſpirationem, licèt hic modus eligendi *in dicto cap. Quia propter* approbetur. Tum quia eſt contra Trid. *loc. cit.* Tum quia apud nos non eſt in vſu: Tum quia, dato, quòd licitè poſſet fieri, deberet fieri à toto Cap. non à ſolis compromiſſariis. Nam in hos Capit. compromittit, vt ſolùm faciant electiones ſecundùm vſum, & conſuetudinem Religionis, quæ ſolùm vtitur electione per ſcrutinium.

SIXTI V.

Itali ex Ciuitate Montis alti in Prouincia Piceni Pereti, Peretidetis filij, Ordinis fratrum Minorum Conuentualium, ad ſummum Pontificatum aſſumpti die 24. Aprilis, anno 1585. qui dedit Ordini noſtro infraſcripta.

CONSTITVTIO I.

Quâ mandat, feſtum S. Franciſci de Paula celebrari ſub ritu duplici, & in Calendario Romano adſcribi.

SIXTVS EPISCOPVS,

Seruus ſeruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Procemiũ. Vide 3. p. Rit. ante offic. huius Sancti not. 1.

IN Cæli throno cui ſedet Rex omnipotens, terramque ſcabellum pedum ſuorum calcat, ſupremo è ſolio puſillorum ſeruorum reſpicis humilitatem, eoſque in quibus illa elucet, ad excelſa ſublimium honorum, & gaudiorum culmina extollit, quod in Sanctis ſuis omni tempore demonſtrauit: Recenti verò Patrum noſtrorum memoria in B. Franciſco de Paula amplè teſtificari dignatus eſt. Is enim ab ineunte ætate cœleſtium rerum amore incenſus, ex minimo, qualem ſe in Dei, hominumque conſpectu fecerat, magnus euaſit: Interque alia, quibus claruit, virtutum ornamenta, vnam mirificè amplexus eſt Regi Regum ſemper acceptam humilitatem, quam, ſicuti non erat primam ingreſſam fuiſſe Chriſti Saluatoris noſtri in mundum ita in anguſto ad pietatem, & ſanctitatem introitu patefaciendo primam ſibi, & ducem, & ſociam adſciuit. Hac, atque aliis diuina gratia præſidiis B. confeſſor munitis, apud magnos Principes, & Reges, cum adhuc in mundo quaſi hoſpes peregrinaretur; in patria verò celeſtes inter Choros poſt abſolutam peregrinationem à Deo, cui fideliter ſeruierat, ſeque in primis humiliauerat, eſt exaltatus, magnaſque virtutes, vt etiam in vita cum ſumma omnium, qui viderunt, admiratione meruit operari.

§. 1. *Quibus virtutibus, fratrum Minimorum, congruente ſua humilitati denominatione, Ordinem, quem viuens inſtituerat, mirum in modum auxit, ita vt ex ſancti viri imitatione, deuotiſque fratrum ipſorum ſtudiis, multis tam in Italia, quæ de eius natiuitate, atque in Gallia, quæ de ſancta obdormitione in Domino gloriantur, totiaſque Chriſtiani orbis Regionibus ædificatis templis, Cœnobiiſque conſtructis, eius memoria in dies magis propagetur.* Ordinem Minimorum inſtituit.

§. 2. *Ipſe autem à fel. record. Leone Papa X. prædeceſſore noſtro, Sanctorum, quos catholica veneratur Eccleſia, catalogo ſolemni ritu adſcriptus, in Cælo pro ipſa ſemper Eccleſia, aſſiduiſque paſtoralis ſeruitutis, & ſollicitudinis noſtra laboribus apud Deum, vnà cum omnibus Sanctis, & ſibi cognomine, atque æterna felicitatis conſorte B. Franciſco Ordinis fratrum Minorum Fundatore intercedit.* A Leone X. canonizatus.

§. 3. *Quare nos eius nomen, & ſanctitatem dignis, quantum noſtra patitur infirmitas, honoribus decorare volentes, hac præſenti conſtitutione mandamus, vt eiuſdem B. Franciſci de Paula Confeſſoris glorioſi feſtus dies qui* Feſtum S. Franciſci ſub ritu duplicis celebretur.

quarto Nonas Aprilis peragitur, duplici posthac, & proprio & vbi propria non erunt, de communis Confessorum non Pontificum, officio per cunctas totius Christiani orbis Ecclesias quotannis celebretur, & in Calendario cum duplicis festi adiectione inscribantur.

Præsentes publicentur. §. 4. *Præcipientes omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Ecclesiarum Prælatis in vniuerso terrarum orbe constitutis, vt faciant in suis quisque Ecclesiis, Prouinciis, Ciuitatibus, & Diœcesibus præsentes nostras solemniter promulgari, & ab omnibus ecclesiasticis personis sæcularibus, & quorumcumque Ordinum Regularibus omnino obseruari.*

Transumptis fidem adhiberi iubet. §. 5. *Volumus quoque, vt præsentium exemplis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus vbique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ, apud S. Marcum, anno Incarn. Dom. 1585. Pontif. nostri anno 1.*

CONSTITVTIO II.

Quâ transfert celebrationem Capituli generalis, quæ fiebat die Ascensionis ad diem Pentecostes.

SIXTVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmiũ.  *N his, quæ ad sacrarum Religionum regimen non mediocriter pertinere cognoscimus, partes nostras, prout suadet vtilitas, & necessitas exigit libenter interponimus.*

Transfert Romam celebrationem Capituli generalis. §. 1. *Cum itaque, sicut accepimus, dilecti filij fratres Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, qui vigesimum septimum eorum Capitulum generale, iuxta ordinationem, & definitionem vltimo loco celebrati Capituli generalis, in Ciuitate Aquensi celebrare debebant, nosque illud ob varia impedimenta, præsertim epidemiæ contagionis in eadem Prouincia grassantis incommoda, in alma Vrbe nostra in domo SS. Trinitatis in monte Pincio dicti Ordinis celebrari mandauimus, in proximo festo Ascensionis D. N. Iesu Christi præsentis anni Domini 1587. celebraturi sint, in quo generalis Corrector, & alij eiusdem Ordinis Officiales ad triennium; vel aliàs iuxta eius Religionis morem canonicè deligendi sunt.*

Et à die Ascensionis ad diem Pentecostes. §. 2. *Animaduertentes autem, vigente nunc in plerisque finitimis Italiæ partibus ingrauis pestis suspicione, fratribus dicti Ordinis, quibus eum ob causam in dictu nostra alma Vrbe ex Galliis, & Hispaniarum Regnis, aliisque Prouinciis, & locis conueniendum esset, liberum non patere iter, aut accessum, ac propterea multos pro purganda malignitate contracti aëris in ipsius Italiæ oris retardari; Motu proprio, & ex certa scientia nostra celebrationem proximi generalis Capituli præsentis, quod ad dictam almam Vrbem per nos translatum fuit, cui is iam dictus est dies, in aliud tempus, videlicet in festiuitate Pentecostes eiusdem præsentis anni 1587. Apostolica auctoritate, tenore præsentium transferimus.*

§. 3. *Ac, ne interim idem Ordo in spiritualibus, vel temporalibus aliquod incommodum sentiat, dilectum filium Stephanum de Francica nunc dicti Ordinis generalem Correctorem, vnà cum eius Socijs, necnon Zelosum, videlicet Procuratorem generalem eiusdem Ordinis, vsque ad dictum festum Pentecostes ipsius anni 1587. vt præfertur, quo tempore idem Capitulum celebrandum erit, cum eisdem facultatibus, & auctoritate, quibus in obtentis per eos officijs, & muneribus exercendis, vt præfertur, confirmamus. Decernentes, per Correctorem generalem; & alios officiales præfatos vsque ad tempus celebrationis dicti Capituli per nos præscriptum, gerenda quæcumque valere, ac subsistere perinde, ac si illi in generali Capitulo iuxta eiusdem Ordinis statuta, & constitutiones denuo electi, & confirmati fuissent.* Prouidet interim de Superiore.

§. 4. *Sicque per quoscumque iudices, & Commissarios quauis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & definiri debere: Irritumque & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.* Clausula sublata, & decretum irritans.

§. 5. *Non obstantibus constitutionibus, & ordinationib. Apostolicis, dictique Ordinis iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis eidem Ordini, illiusque Superioribus, & personis concessis, & confirmatis; quibus omnibus illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.* Derogat contrariis.

§. 6. *Et quia difficile foret has literas ad singula quæque loca, quibus illis vtendum erit, deferri, volumus præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, siue quo Ordo præfatus vtitur, obsignatis, eandem prorsus fidem haberi, quæ originalibus literis haberetur, si ostenderentur. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscat. die 5. Maij 1587. Pontificatus nostri anno 3.* Transumptis fidem adhiberi iubet.

§. II.

§. II.

1. Noto, quòd ex ista constitutione non videtur sufficienter probari, translationem Capituli à die Ascensionis ad diem Pentecostes debere esse perpetuam; nam solum prolongatum est tempus ad expectandos Patres Hispanos detentos causa pestis pro facienda quarantena in Ciuitate Genuensi. Et solùm est prolongatum pro celebrando Capitulo 27. post cuius quidem celebrationem, cessante etiam causa dictæ prolongationis, videbatur Capitulum generale esse celebrandum secundùm ordinationem Regulæ in die Ascensionis.

2. Sed responderi potest, quòd licèt verissimum sit, quòd cessante causa finali primaria, & propria non secundaria, & impulsiua, cessat etiam priuilegium ipso facto, vt habetur *in cap. Cum cessante, de appell.* & docent Panot. *in cap. Suggestum, de decim. num. 5. & in cap. Recolentes, de statu Monach. num. 1.* Fel. *in cap. Quæ in Ecclesiarum, de constit. num. 29.* Suar. *lib. 8. de leg. cap. 30. num. 1.* Dicta tamen causa finalis debet cessare non tantùm negatiuè, sed etiam contrariè, ad hoc vt cesset priuilegium habens tractum successiuum (idest quòd non vnico solo actu consummatur, sed datur per modum potestatis ad successiuè operandum, vel omittendum.) Tunc autem dicitur causa finalis cessare negatiuè, quando ratio, quæ induxit Principem ad priuilegium concedendum iam non subsistit: Nihilominus tamen vsus priuilegij non est iniustus, nec per se contra aliquam virtutem, v. g. priuilegium non soluendi decimas datum Monasterio propter indigentiam, non cessat, etiamsi Monasterium iam non indigeat. Item priuilegium retinendi simul plura beneficia, quia neutrum sufficiebat ad sustentationem, non extinguitur, etiamsi beneficium crescat, & fiat sufficiens ad congruam sustentationem. Item priuilegium ad anticipandum tempus recitandi diuinum officium vltra ius commune datum alicui propter nimiam occupationem alicuius muneris non videtur cessare, etiamsi munus relinquat, nisi in ipso priuilegio dicatur, Quandiu tale munus exercueris, vel aliquid æquiualens. Tunc autem dicitur priuilegium cessare contrariè, quando vsus priuilegij propter mutationem materiæ, vel circumstantiarum factus est perpetuò iniustus, vel iniquus, vt v. g. si Monasterio applicata esset aliqua pars decimarum alicuius Ecclesiæ, quia tempore concessionis ex reliquo poterat Ecclesia sufficienter sustentari, postea verò, mutatis rebus, sustentari non possit, si tota illa parte decimarum defraudetur, tunc cessat causa priuilegij contrariè, & consequenter priuilegium; Ita Suar. *lib. 8. de leg. cap. 39. num. 9.* Ex qua doctrina ad casum nostrum applicata optimè constat, quòd hoc nostrum priuilegium, licèt, si cessauerit causa finalis, & primaria, quia tamen non cessauit nisi negatiuè, & in eo nihil apparet, per quod conici possit, quòd Papa pro solo illo Capitulo concedere voluerit, non censendum est cessare.

3. Si dicas, mentem Papæ constare, tum ex eo quòd prolongauerit dictum tempus pro celebrando Capitulo 27. tum ex eo quòd in derogatione contrariorum ait: *Hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus.*

4. Vt respondeam, noto doctrinam Suar. 8. *de leg. cap. 26. num. 2.* quòd priuilegium concessum à Pontifice simpliciter, & sine limitatione ad certum locum, valet vbique: Et similiter priuilegium concessum sine limitatione temporis, censetur perpetuum, nisi aliud constet de mente concedentis; Quia propositio indefinita æquipollet vniuersali, vt est apud Iuristas commune dicterium. Cum ergo hic Pontifex indefinitè dicat, Transferimus Capitulum in festiuitate Pentecostes, absque aliqua limitatione, v. g. pro hac vice solùm, vel dumtaxat pro hoc anno, vel Capitulo, &c. dicendum videtur, quòd ista translatio perpetua sit. Neque quidquam facit, quòd in derogatione contrariorum dicat, Hac vice dumtaxat. Nam ista clausula generalis est, & solita apponi de communi stylo Curiæ in quacumque derogatione, & significat, quòd Papa derogat omnibus alus constitutionibus, &c. non simpliciter, sed solùm in quantum continent aliquid contrarium constitutioni, cui talis clausula apposita est.

5. Sed quicquid sit de dictis, consuetudo, quæ est optima legum interpres, vt habetur *in cap. Cum dilectus, de consuetud.* ita obtinuit, vt celebrentur Capitula post hanc constitutionem semper in die Pentecostes.

6. Duæ constitutiones huius Pontificis hic ponendæ essent circa eos qui ad habitum Religionis admitti debent, quas refert Cherub. *tom. 2. bull. in Sixto V. constit. eius 61. fol. 601.* quarum prima incipit, *Cum de omnibus. 2. ad Romanum.* Quas moderatus est quò ad illegitimos Greg. XIV. per suam constit. quæ incipit, *Circumspecta*, quam Cherub. *ibid. in Greg. const. 3. pag. 687.* Et quo ad nullitatem professionis moderatus est Clem. VIII. per suam constit. quæ incipit, *In suprema*, apud Cherub. *tom. 3 bull. in Clem. VIII. constit. 83. pag. 119.* relictis in suo robore pœnis transgressoribus impositis. Sed quia de his dixi aliqua *tom. 1. Relig. qu. 1. cap. 25. §. 3. ad 3. interrog.* Et quia hæc explicantur à Rodriq. *tom. 3. q. reg. q. 54. per totam:* & à Sanch. *4. in decal. cap. 19.* de quibus etiam aliqua Llamas *in append. suæ meth. à §. 14.* Potest videri etiam Scort. *in select. bull. à theor. 371.* & plenè mihi dicendum est *tom. 2. Relig.* ideo pro nunc eas omitto.

7. Hic solùm aduerto quò ad receptionem nouitiorum, quòd Clem. VIII. per suam constit. quæ incipit, *In his, quæ*; quam refert Rodriq. tom. 3. quæst. reg. quæst. 54. in fine: *Priori, & Conuentui fratrum Prædicatorum S. Stephani Salmanticensis, in perpetuum, vt quoscumque iuuenes, etiam 16. ætatis suæ annum excedentes, ad habitum in eodem Conuentu admitti petentes, recepto ab eis iuramento quòd criminosi, ratiocinijs reddendis obligati, furto, latrocinio, aut homicidio notati, aut alijs impedimentis, in dicta bulla Sixti V. contentis, detenti non sint, recipere, ac postea per aliquem eiusdem Conuentus Religiosum ad hoc deputatum, ad inuestigationem anteactæ illorum vitæ, ac morum, & reliquorum promissorum, absque strepitu iudiciario, sed per scrutinium secretum procedi facere, qui ad hoc deputatus processum, & informationem captam dictis Priori seu Præsidenti, ac Superiori, & Magistro nouitiorum, & studentium, à quibus approbari, & reprobari possint, referre fideliter debeat, liberè, & licitè possint, & valeant, auctoritate Apostolica concessit, & indulsit.*

8. Et idem Clem. per suam constit. *Assidua*, quam Cherub. tom. 3. bull. in append. in Clem. VIII. constit. eius 3. pag. 44. *Præpositis, & Religiosis Cong. Clericorum ministrantium infirmis concessit, & indulsit, vt in qualibet eorum domo, vbicumque locorum existentes tres ex antiquioribus Patribus à Capitulo conuentuali deputari possint, qui eandem habeant facultatem, & potestatem in admittendis nouitijs, qua commissa fuit Capitulis generalibus, & prouincialibus, alijsque deputandis iuxta constitutionem super nouitiorum receptione, à fel. rec. Sixto Papa V. sub data sexto Kal. Decemb. anno 3. alteram eius declarationem sub data 12. Kal. Nouemb. anno 4. eius Pontific. dummodo in reliquis earundē constitutionum formā seruent; Ad hocque plenā, & amplam dictis deputatis facultatem & auctoritatem impertiuit.*

9. Aliam etiam circa modum recipiendi nouitios edidit idem Clem. apud Cherub. *in eodem, constit. eius 106. pag. 156.*

10. Aliam declarationem pro nouitiis recipiendis circa dictas bullas Sixti V. pro Clericis regularibus Cong. S. Pauli decollati edidit Paul. V. apud Cherub. *in Paul. V. constitut. 85. pag. 317.* quæ incipit, *Aliàs fel.*

11. His adde decretum sacræ Congreg. de propaganda fide, habitæ *die* 13. *Decemb.* 1624. quòd sic habet. *Nihil tam magna cura est sacra de propaganda fide Congregationi, quàm vt operarios plures linguis instructos habeat, quos in messem Domini, præsertim sub hæreticis, & infidelibus Principibus constitutam, mittere possit; Proinde animaduertens, aliam quoque esse eosdem multiplicandi, & augendi breuiorem viam, Generales omnes, annuente S. D. N. admonendos esse censuit, vt præter studia linguarum aliàs à sacra Congreg. Regularibus indicta, speciali sub decreto præcipere velint, vt in nouitiorum receptionibus in posterum faciendis, aliqui semper ex variis nationibus, & linguis, pro modulo tamen suarum Religionum, vnà cum aliis, qui hactenus recipi consueuerunt, ad habitum assumantur, qui, peracto studiorum cursu, & in simplici sacerdotio constituti, & episcopali dignitate ornati, ad eorum Prouincias propaganda fidei gratia mitti possint. Nam sic facientes certò sciant, se Christo Domino obsequium gratissimum, & acceptissimum præstituros, & fidei catholicæ & suarum Religionum generi, & amplificationi summopere esse consulturos.*



GREGORII XIV.

Itali, Mediolanensis, Francisci de Sfondratis filij, ad summum Pontificatum assumpti anno 1590. die 5. Decembr. qui dedit Ordini nostro infrascripta.

CONSTITVTIO I.

Quâ confirmat, & innouat priuilegia, & statuta Minimorum.

GREGORIVS PAPA XIV.

Dilectis filiis fratribus Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula salutem, & Apostolicam benedictionem.

Procemiũ.  *Rdinem vestrum optimæ famæ odore redolentem, ac in Patris, & Institutoris vestri Beati Francisci de Paula vestigijs ambulantem meritò complectimur, ac fauoribus, & gratijs prosequimur opportunis.*

Confirmat prout in summario. §. 1. *Vestris itaque supplicationibus in hac parte inclinati, omnia, & singula priuilegia, gratias, exemptiones, immunitates, concessiones, indulta, & indulgentias, vobis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam nos, & Sedem Apostolicam concessa, confirmata, & approbata, necnon etiam statuta, Regulas, constitutiones, & ordinationes vestri Ordinis, quatenus sunt in vsu, & sacris Canonibus, Concilijque Trid. decretis sint conformia, auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuò confirmamus, approbamus, & innouamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, illisque, Apostolicæ ac inuiolabilis firmitatis robur adijcimus, eaque omnia & singula perpetuò valida, & efficacia fore, vobisque suffragari, ac ab omnibus, ad quos spectat, aut in futurum spectabit, obseruari debere.*

§. 2. *Irritumque & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.* Decretum irritans.

§. 3. *Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quæ in literis gratiarum, priuilegiorum, & indultorum huiusmodi concessum est non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ, in Monte Quirin. sub annulo Piscat. die 5. Iulij, 1581. Pontific. nostri anno 1.* Derogat contrariis.

§. I.

1. NOto circa illam clausulam *Confirmamus & innouamus*, quòd innouatio, sicut confirmatio, est duplex. Vna in forma communi. Alia ex certa scientia. Innouatio in forma communi non restituit priuilegia reuocata, vel quomodocumque amissa, nec dat nouum ius, sed solùm antiquum conseruat, *cap. Quia intentionis, de priuileg.* Innouatio autem ex certa scientia confert ius nouum de se, & æquiualet concessioni, ideoque restituit priuilegium perditum. Ita Suar. *lib. 8. de leg. cap. 10. num. 2. & 8.* Ista est innouatio in forma communi.

Clementis

CLEMENTIS VIII.

Itali Florentini, Sylueſtri de Aldobrandinis filij, ad ſummum Pontificatum aſſumpti anno 1592. die 30. Ianuar. qui dedit Ordini noſtro infraſcripta.

CONSTITVTIO I.

Quâ confirmat priuilegia Minimorum ex certa ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine.

CLEMENS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Procemiū.  *Niuncti nobis Apoſtolici muneris ratio poſtulat, vt ſacrarum Religionum in militanti Eccleſia ſuaues in Domino fructus aſſiduè præſtantium paternam curam gerentes, priuilegia, gratias, & indulta illis à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, & Apoſtolica Sede conceſſa, quò validiùs perpetuò ſubſiſtant, Apoſtolicæ confirmationis robore libenter communiamus.*

Confirmat prout in ſummario. §. 1. *Volentes igitur vniuerſum Ordinem fratrum Minimorum S. Franciſci de Paula, ex quo vberrimi in eadem Dei Eccleſia fructus, ad ipſius omnipotentis Dei laudem, & Chriſtianæ Reipublicæ ſpirituale commodum, & vtilitatem, ab ipſius Ordinis initio ſemper prodierunt, & in dies prodeunt, ac ipſius Ordinis Correctorem generalem, & fratres vniuerſos ſpecialibus fauoribus, & gratiis proſequi; ac eorum vniuerſos, & ſingulos à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine per dilectum filium Franciſcum Humblot fratrem, & Procuratorem generalem eiuſdem Ordinis nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, omnia, & ſingula priuilegia, immunitates, exemptiones, libertates, prærogatiuas, fauores, conſeruationes declarationes, facultates, diſpenſationes, gratias, conceſſiones, indulgentias, & indulta ſpiritualia, & temporalia, etiam per modum communicationis, & extenſionis inter ſe, & cum aliis Ordinibus Mendicantium, & non Mendicantium, eidem Ordini Minimorum, eiuſque Correctori generali, ac fratribus, & ſororibus, aliiſque Religioſis vtriuſque ſexus, eorumque domibus, Monaſteriis, & locis regularibus quibuſcumque per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos, & Apoſtolicam Sedem ſub quacumque verborum forma, & expreſſione, in genere, & in ſpecie, aut alias quomodolibet conceſſa, ac pluries confirmata, cum omnibus, & ſingulis in eis contentis clauſulis, decretis, declarationibus, ac ſingulas literas, tum ſub plumbo, quàm in forma Breuis, aut alias deſuper confectas, quarum tenores præſentibus, pro expreſſis haberi volumus, quatenus tamen ſint in vſu, & non ſint reuocata, ſeu ſub aliquibus reuocationibus comprehenſa, ac ſacris Canonibus & Concilij Trid. decretis non aduerſentur, ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tenore præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus, ac illis perpetuæ, & inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos, tam iuris, quàm facti defectus, ſi qui interuenerint in eiſdem, ſupplemus.*

§. 2. *Quocirca venerab. fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis quibuſcumque necnon dilecto filio cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori per præſentes committimus, & mandamus, quatenus quilibet eorum, quandocumque fuerint requiſiti, per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Correctoris generalis, & fratrum prædictorum fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant eaſdem plenum earum effectum ſortiri, illiſque omnes, quos concernunt, pacificè frui, & gaudere; Non permittentes, quenquam deſuper contra præſentium tenorem ſub quouis prætextu, & cauſa, etiam defectu intentionis noſtræ, per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari, ac nihilominus quicquid in contrarium attentari, vel fieri contingeret omnino* Deputat Commiſſarios.

ſemper in priſtinum reponi: Contradictores quoſlibet, & rebelles etiam per quaſcumque de quibus eis videbitur, cenſuras & pœnas eccleſiaſticas, & alia opportuna iuris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac, legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis.

Derogat contrariis.

§. 3. *Non obſtantibus præmiſſis, ac piæ mem. Bonif. Papæ VIII etiam prædeceſſoris noſtri de vna, & in Concilio generali de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad iudicium non trahatur, aliiſque Apoſtolicis conſtitutionibus, & ordinationibus, ac Ordinum prædictorum ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, quomodolibet, etiam pluries conceſſis, confirmatis, & innouatis; quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quavis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, etiam quòd in eis caueatur expreſsè, quòd illis nullatenus, aut non niſi ſub certis modo, & forma derogari poſſit, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, motu, ſcientia, & auctoritate ſimilibus derogamus, contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.*

Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. 4. *Verùm quia difficile foret, præſentes literas, vbicumque opus eſſet, deferri, volumus, & pariter auctoritate Apoſtolica decernimus quòd illarum tranſumptis, manu alicuius ex Secretariis cuiuſvis prædictorum Prælatorum generalium, ac Romanæ curiæ Commiſſarij, & ſucceſſorũ, aut Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo officij alterius eorundem, aut perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ, ſeu Curiæ eccleſiaſticæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra illud adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ, apud S. Marcum ſub annulo Piſcat. die 15. Iunij, anno 1603. Pontificatus noſtri anno 12.*

Ordinationi, auuertimenti, è ricordi, che ſi danno dalla Santità di N.S. Clemente Papa VIII. alli Padri del capitolo generale di S. Franciſco di Paola radunati in Genoua queſt'anno 1596.

Electiones fiant, omni paſſione depoſita, nec pro validis ex habeantur, in quas non concurrerint vota vltra medietatem.

§. 1. *Tvtte l'elettioni, così nel Capitolo generale, come poi nelli altri prouinciali, è conuentuali, ſi faccino depoſta ogni paſſione, & affettione, conforme alla diſpoſitione del ſacro Concilio di Trento. Ne s'intenda per valida, è canonica quell'elettione, nella quale non ſeranno concorſi più della metà dei voti, non oſtante qual ſi voglia vſo, ò conſuetudine in contrario.*

Superiores non poſſint mutare fratres per tres menſes ante diem electionis, nec in electionibus votum habeant, qui non fuerunt locati per tres menſes ante diem electionis.

§. 2. *Nè poſſano li Superiori leuare i frati del Conuento per tre meſi auanti il tempo dell'elettione, che quiui s'harà da fare, eccetto ſe haueſſe commeſſo ſcandalo notorio; è nell'elettione d'eſſe, che s'haranno da fare ne i Capitoli conuentuali, non hubbino voto quei frati, che non ſaranno ſtati locali in quel Conuento per tre meſi auanti il giorno dell'elettione.*

Generalis faciat publicare, & obſeruare decreta.

§. 3. *Il Generale, che ſarà eletto, faccia ſubito publicare i decreti di N. S. è procuri poi con efficacia poſſibile, è con le prouiſioni opportune l'eſſecutione d'eſſi.*

Vitium proprietatis extirpetur.

§. 4. *Principalmente auuertiſca di fare, che in ogni modo ſia in tutto, è per tutto leuata ogni radice del vitio della proprietà, non ſolo apparentemente nell'eſteriore, ma anco interiormente con leuare à i frati tutte l'occaſioni, per le quali poſſi pullulare queſto pernicioſo vitio nelli animi loro; poiche da eſſo procedono ſcandali infiniti nelle perſone regolari.*

Infirmi veſcentes carnibus in infirmaria Conuentu non egrediantur.

§. 5. *E perche il quarto voto della vita quadrageſimale è quello, che fa riſplendere l'inſtituto, è la Regola della Religione; però per ouuiare alli abuſi, è frandi de i frati poco zelanti della buona oſſeruanza, ſi rinoui, è reſtituiſca intieramente, per oſſeruarſi poi eſattamente, li ordini della Regola, è Correttorio: Cioè che ogni frate, qual ſarà giudicato dal Medico douer mangiar cibi paſcali, ſia tenuto ſtarſene all'infermaria per tutto quel tempo, che magnerà detti cibi, ſenza vſcir mai di Conuento, è ſenza mangiar fuora di detta infermaria, ſotto pena di priuatione di voce attiua, è paſſiua per tre anni ſubſequenti; dallaqual pena non poſſa eſſere habilitato, ſe non per gratia ſpeciale di queſta ſanta Sede.*

Generalis tenetur viſitare perſonaliter

§. 6. *Il Generale ſia tenuto viſitare perſonalmente tutti Conuenti più principali dell'Ordine; maſſime in Itali, Francia, &*

Spagna,

Conuen. principaliores. Vide sup. constit. 14. Leonis X. num. 8.

Spagna, & portar poi in questa santa Sede tutte le sue visite con lo stato de i Conuenti, conforme all'instruttione, che è stata data da i Prelati della reforma: & il tutto debba essequire, se non sarà ritenuto da giusto impedimento, del quale porti, ò mandi prove legitime, è concludenti per sua escusatione: è se sarà possibile, che giusta causa non l'impedisca, finite dette visite, se ne venghi il Generale con esse à Roma, per dar conto della buona essecutione delle commissioni di N.S. & informar la Santità sua di quello, chè conuerrà, che s'habbia à fare per seruitio, è buon gouerno della Religione.

Collegæ Generalis non sint ipsius consanguinei, nec creaturæ.

§. 7. *Li tre Compagni del Generale s'eleggano persone mature, è di gouerno, che non siano attinenti di sangue al Generale istesso, ne notoriamente creature sue, ò da lui dipendenti.*

Dicti collegæ tenentur semper ire cum Generali sub pœna priuationis.

§. 8. *Li predetti tre Compagni vadano personalmente col Generale in visita tutt'il triennio del suo Generalato, & se alcuno mancherà, non hauendo legitimo impedimento, da prouarsi dalla Santità sua, caschi in pena della priuatione della voce attiua, è passiua per cinque anni subsequenti, ipso facto, senz altra dichiaratione, & nella visita aiutino il Generale, facendo le parti loro, come dispone la Regola, & Correctorio.*

Tres Collegæ Prouincialis, & Correctorum non sint ipsorum consanguinei, nec creaturæ.

§. 9. *Li tre compagni de Prouinciali, & Correttori s'elegghino persone non attinenti, ne dependenti notoriamente dal Prouinciale, ò Correttori, come s'è detto de Compagni del Generale, & faccino l'vfficio loro, come di sopra s'è esplicato.*

Superiores in Prouinciis studia erigant.

§. 10. *Li Superiori vsino diligenza per mettere in ogni Prouincia, oue non sono, li studij dell'humanità, filosofia, teologia, ò alcune ei dette professioni, secondo la capacità de i luoghi con fare ogn'opra, che li frati attendano à studiare.*

Examinent constitutos in sacris.

§. 11. *Li medesimi Superiori essaminino li frati constituiti in ordini sacri, & suspendino quelli trouaranno ignoranti delle funtioni delli ordini, procurando poi ch'imparino, & si faccino sufficienti, nè li rehabilitino, sin tanto che non siano idonei.*

Nouitij professi sint sub cura Magistri.

§. 12. *Li nouitij etiamdio doppo fatta la professione, stiano sotto la disciplina del Maëstro loro de nouitij per due, ò tre anni appresso, secondo, che ricercherà la conditione, & natura del soggetto, à giuditio del Correttore. S. Tharuggio Commiss. di S. Spirito. M.A. Muffa.*

Generalis faciat publicare decreta, eorumque copiam singulis Prouincialibus mittat, qui de statu Religionis moneant.

§. 13. *Reuerendiss. Padre osseruandiss. D'ordine di N. S. si mandano à V.P. reuerendiss. alcuni decreti, ordini, & auuertimenti, fatti per il buon gouerno, & reforma di cotesta sua Religione, quali vuole la Santità sua, che ella li facci publicare nel Capitolo generale, facendone dar copia à tutti li Prouinciali, con ordine, che debbano essequire, & mettere in vso in tutti li Conuenti delle Prouincie loro, & insieme con li altri, che furono molti giorni sono consignati al P. Zeloso, & massimamente il fatto particolare di leuare tutti li Conuenti piccioli, nelli quali non possono sostentarsi almeno dodici frati ei famiglia, è di porre in scritto lo stato di tutta la Religione, distinto per Prouincia, è poi per Conuenti, secondo la forma, che si dirà di sotto. Et caso che per l'essecutioni di detti decreti, & ordini vi fosse qualche difficoltà, V. P. reuerendiss. li faccia metter in scritto con li temperamenti, che desiderarebbono, mandandone quà poi plena informatione, acciò si possa risoluere, & ordinare appresso, quanto si giudicherà espediente. Mà frà tanto vuole, è commanda sua Beatitudine senza replica alcuna s'osseruino detti decreti, & ordini, è che à carico del Generale stia il farli essequire intieramente, conforme alla eia, & santa intentione di sua Beatitudine, con farli anco inserire frà le constitutioni dell'ordine loro. Si vuol sapere, quante Prouincie sono quelle, nelle quali si diuide tutta la Religione, è come sia ciaschedunn Prouincia nominata, quanti Conuenti siano per ciaschedna Prouincia, quali, è quanti luogi di studij, quanti, è quali luoghi di nouitij, quanti, è quali luoghi di nouitij: Si mandi nota, & informacion del sito, & fabrica di ciascheduno Conuento, da chi, & quando siano stati fondati, se vi sono Religiosi insigni, & quali: Se hanno oblige di messe, è di quante: Se vi sia cura d'anime essercitata da frati, ò da altri: Quanti frati vi siano residenti, quanti di essi siano Sacerdoti, Diaconi, Subdiaconi, Clerici, quanti Conuersi, & quanti seruienti: Se l'intrate sono certe, è se consistono in beni stabili, danari, ò elemosine, & quante siano: Se dette intrate siano sufficienti per il numero delli dodeci frati: Con tutto quello di piu, che parerà poterso dire, & aggiongere alli sopradetti capi. Con che per fine, li baciamo le mani, è preghiamo, dal Signor Iddio ogni vero contento.*

Da Roma, li 4. di Maggio, 1596. Di V.P. reuerendiss. per seruirla S.Tharugg. Commiss. S. Spiritus. M. Ant. Muffa.

§. 14. *De mandato S.D.N. Papa Clementis diuina prouidentia Papa VIII. pracipitur, & mandatur Superioribus Carmelitarum Mantuan. Sanctiss. Trinit. S. Francisci de Paula Minimorum. S.Onofrij Aucrd. vt ex cætero eligant, & eligere debeant ex Conuentibus, siue Conuentitiis, de quibus notam dederunt, illos, quos eis visum fuerit posse sustentare numerum duodecim fratrum illos autem, quos numerum huiusmodi sustentare non posse indicauerint, dimittere, & vlteriùs infra mensem post festum Pentecostes procurent à die ipsius festi, videlicet Prima die festi Pentecostes prædicta computandum, distinctam notam de Conuentibus electis, cum nominibus fratrum ibi residentium, ac de dimissis, & reelectis, cum specificatione etiam locorum, in quibus existunt, Admodùm Ill. Et R. P. D. Sorbolongo visitationis Apostolica S. D.N. Papa Secretario, omni, & quacumque* Dimittantur Conuentus, qui numerum 12. fratrum nequeunt sustentare.

acceptione

acceptione mora cessante, sub pœna priuationis officiornm, ac alia S.D. reseruata, realiter, & cum effectu, traditione, & consignatione, tradere, & consignare. In quorum fidem, &c. Datum Romæ, die 22. Maij, anno 1596.

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1. NOto 1. quòd ista decreta fuerunt missa ad Capitulum generale, quod Genuæ 6. celebtabatur, & lecta coram toto Capitulo Patres acceptauerunt, & obseruari mandauerunt, vt patet ex Actis illius Capit. *num.* 1. Quare nulla potest esse difficultas quin ad ea obseruanda teneantur fratres nostri.

2. Noto 2. qoòd simul cum istis decretis fuerunt missa alia pro maiori obseruantia regulari, quæ pariter acceptata fuerunt, vt patet *ibidem.* Quæ quoniam pro omnibus Regularibus deinde publicata sunt, ideo ea hic omitto. Et quia postea dicta decreta fuerunt ionouata; & aucta a Paulo V. & nouissimè à sacra Congreg. sub Vrb. VIII. & de mandato illius, ideo ea ponenda censui sob dicto Vrb. *infra in eius constit.* 10.

3. Noto 3. quòd leges iustæ nimia seueritate, & asperitate obseruatæ, sunt damnosæ non minùs bonis, quàm malis, cum pauci admodùm sint, quibus quandoque illas, suadentibus vrgentibus occasionibus, præuaricari non opotteat; vnde qui legislatot vellet eas absque epicheia, & exclusis citcumstantiis, obseruari, approbate videretur Stoicorum dogma, Omnia peccata æqualia esse confitentium; Prætetquam quòd vel imprudentis, vel crudelis notam non effugeret; primum, si legem à se latam vt intolerabilem corrigere teneretur; secundum, si videns damnum, quod sequitur ex literali legis obseruatione, vellet nihilominus illam de toto rigore obseruari. Quæ tamen quia de mente Pontificum, qui in omnibus rationabiliter procedunt, quique suas leges moderari consueuerunt, si ex iis speratum, & intentum finem prouenire non perspiciunt, præsumenda non sunt, ideo neque præsumendum est, quòd velint statuta pro reformatione Religionum inducta, cum toto rigore literæ obseruari, si ex tali obseruatiooe intolerabilia teddantur.

4. Noto 4. quòd lex potest tripliciter interpretari. 1. Secundum totum verborum rigorem, nulla circumstantia admissa; quo pacto dicitur summum ius, summa iniuria; & Ecclesiastici 7 *Noli esse iustus multum*, vnde imprudentes admodùm iudicantur Iephte *Iudic.* 11. Et Saül 1. *Reg.* 14. qui hoc nimio rigote sua iuramentum, & edictum interpretati sunt. Ait enim D. Th. 2. 2. q. 120. ar. 1. *quòd in aliquibus casibus seruare legem est contra æqualitatem iustitiæ, & contra bonum commune, quod intendit lex* 2. modo interpretatur lex, solo verborum tenore attento, & spreto legislatoris, & legis fine; quo pacto dicitur leg. Non dubium Cod. de leg. *Fraudem facit legi, qui, saluis verbis legis, mentem eius circumuenit*, 3. modo interpretatur lex medio quodam modo, qui dicitur epicheia, seu æquitas, considerando citcumstantias temporum, locorum, petsonarum, attendendo præcipuè ad finem legis; quo pacto si Iephte suum iuramentum fuisset interpretatus, quòd non se extendebat ad sacrificandum, nisi vnum ex animalibus solitum Deo sacrificari, quod sibi primò occurrisset. Et Saül, quòd suum edictum non comptehendebat, nisi eos, qui comedendo bellum potuissent turbare, & quòd paruitas materiæ Ionathan excusabat. De ista æquitate ait D. Th. 2. 2. *quæst* 120. *art.* 1. quòd est virtus. Et *art.* 2. quòd est pars iustitiæ legalis. Et Paulus Iurisc. *leg. In omnibus, ff. De regul. iur.* ait: *In omnibus quidem maximè tamen in iure, æquitas est expetenda.* Et Poëta Horatius.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines.
Quos vltra, citraque nequit consistere virtus.

§. I.

5. NOta, quòd obseruatur ad vnguem quò ad formam extrinsecam. An verò omni passione, & affectione deposita, nescio. Est enim tam radicatum in humanis pectotibus illud dominandi desiderium, vt qui eo non trahitur, omnino perfectus dicendus sit. Quare etiam dubito, an electores publicum bonum, vel priuatum potiùs respiciant. Deus nos adiuuet. Moneo hic vnum electores, quod vellem decerni, & obseruari in Religione nostra, vt decretum esse lege imperiali, & canonica docet Menoch. *lib. 2. de arbitr. cas.* 564. vt honores, & dignitates gradatim conferrent, & qui de se experimentum non dedit bonum in dignitate inferiori, ad superiorem non assumeretur: Assumuntur enim aliqui quandoque tam ex abrupto, & primo ictu ad Prouincialatus & Generalatus, vt meritò & ipsi lugendi sint, & multò magis, qui illis subduntur. Vnde potest tunc dici, Væ terræ, cuius Rex puer est, puer non ætate, sed experientia.

§. II.

6. NOto 1. quòd mens Pontificis in hoc statuto condendo fuit, obuiare abusibus, qui paulatim in Religione irrepserant; Prouinciales enim, quos videbant sibi futuros contrarios, vel requisita recusare, vel etiam vltrò se non offerre, ne prætensam electionem impedirent, amouebant à Conuentibus, in quibus electionem poterant impedire. Quem abusum vt tolleret Pontifex, statuit, vt non possint amoueri per tres menses ante tempus electionis, nisi ratione notorij scandali.

7. Noto 2. quòd hoc non debet intelligi cum tanto rigore, vt Prouinciales non possint intra dictum tempus, etiam sine scandalo, amouere fratres à dictis Conuentibus, & in alios Conuentus mittere, aliqua rationabili suadente ratione, tempore electionis reuersuros. Nam hoc non esse contra mentem Pontificis, constat ex fine, qui non frustratur per istam amotionem.

8. Noto 3. quòd dubitari potest, an scandalum notorium, de quo hic, debeat esse notorium inter sæculares, an sufficiat, quòd sit notorium inter fratres; Sed dico, sufficere, quòd sit notorium inter fratres; Nam notoriè scandalosus, etiam inter fratres, indignus est vt ad eligendum Prælatum admittatur: quomodo enim pensandum est, debere bono communi consulere, qui honori proprio, tanti æstimando, non consuluit; & qui sibi nequam est, quomodò aliis bonus erit.

9. Si quæras, an iste talis in Conuentu ad quem transmissus fuerit, poterit habere vocem in electione Correctoris. Dico quòd non. Quia Papa *hoc eodem* §. statuit, vt nullus vocem habeat in electione Correctorum, qui non fuerit in illo Cunuentu locatus per tres menses ante diem electionis.

10. Noto 4. quòd ista amotio fratrum non potest fieri, nisi per tres menses ante tempus electionis; & ita, vt amotis remaneat tempus commode se transferendi ad locum, in quo fiunt locales, idest ante tres menses diei electionis, vt dicit Papa hic. Et ratio est, quia fratres non possunt sine causa priuari iure eligendi; vnde si amouerentur intra tempus, quo non possent commodè ad locum, quò mittuntur, proficisci, ita vt illuc non appellerent per tres menses ante diem electionis, illis maxima irrogaretur iniuria;

iure

iure in suo fine causa priuarentur; quod est iniquum. *cap. Satis peruersum, d. 56. & cap. Inuentum 16. q. 7.* & per consequens possent protestari de grauamine, & de nullitate electionis, & appellare ad Superiorem, qui teneretur electionem illam nullam declarare, si illi constaret, quòd appellans fuisset amotus à Conuentu tam tempore coarctato, vt non potuisset in alium commodè se transferre, in cuius electione votum haberet, arg. *cap. Quod sicut*, §. *Quod si*, *de elect.*

11. Noto 5. quòd per illam clausulam, *ante tempus electionis*, significatur, quòd amouendus debeat amoueri per tres menses antecedentes diem electionis inclusiue. Et sic quando dicitur, quòd electores debent esse locati per tres menses ante diem electionis, intelligitur etiam inclusiuè. Qui itaque fuerit locatus *die 15. Iunij*, dicetur locatus per tres menses ante diem electionis quæ fit 15. Septembris, & similiter qui eo die fuerit amotus, si commodè potuit se transferre ad locum in quo locatur, dicetur amotus per tres menses ante diem electionis. Ante diem enim apud Iuristas idem significat, quod ipso die. Ita Cuiac. *to. 1. suorum operum, leg. Qui ante, ff. de verb. obliqu. pag 856.* id multis probat Lexicon iuris.

12. Noto 6. quòd de tali assignatione ante tres menses debet constare Superiori & Conuentui, in quo talis est assignatus, ad tollendas fraudes. Vnde ego in talibus assignationibus semper curaui, vt assignatus literas suæ assignationis coram Superiore, & fratribus localibus dicti Conuentus simul vnitis publicaret. Quod postea vidi esse statutum apud fratres Prædicatores, provt refert Castell. *cap. 5. de elect. numero. 78. versu Quod totum, pag. 151.* Quòd si quis de sua assignatione constare non fecerit Capitulo Conuentus, in quo est assignatus, tempore electionis non erit admittendus, præsumitur enim in fraudem suam assignationem tacuisse. Ita Castell. modò citandus *pag. 134. versu Aliæ assignationes.*

13. Noto 7. quòd potest Prouincialis mittere aliquem fratrem localem in aliquem Conuentum ante tres menses diei electionis, qui sic missus, localitate sumpta, & ibi per tres, aut quatuor dies permanens, potest redire, suadente id aliqua ratione, ad alium Conuentum, reuersurus tempore electionis ad eligendum in illo Conuentu, in quo fuit localis assignatus. Ita declaratum est *in Cap. 6. Romano.* me præsente, instante Vicario prouinciali Aragoniæ, licèt hoc decretum negligentia Scribæ inter alia decreta dicti Capituli insertum non fuerit. Quod lætus reperi deinde tenere Castell. *el. cit. cap. 5. numero. 37. versu Assignatus vero, pag. 133.* Ex quo etiam confirmo id, quod dixi *numero 7.* Si enim potest quis pro suo libito id facere, quare non licebit Prouinciali aliqua iusta ratione ductio, eum mittere? Hæc enim non sunt contra mentem Pontificis, quæ solùm fuit obuiare abusibus, qui auiditate regnandi in huiusmodi electionibus fiebant: Ita enim ante hoc decretum Prouinciales disponebant res, vt vnus in tribus, aut quatuor electionibus votaret; Nondum enim erat statuta dies electionis, quæ fuit statuta *in Cap. Rom. 6. numero. 16.* sed eam statuere ad Prouinciales pertinebat.

14. Si dicas, illud decretum Romanum non valere, nam Papa videtur tempus illud trium mensium requirere, vt fratres possint cognoscere Conuentuum necessitates, & ita secundùm suam conscientiam illis prouidere de Superioribus.

Respondeo id nullo modo posse esse verum; nam 1. Prouinciæ non sunt tam magnæ in nostra Religione, vt fratres non sciant plùs, quid cuique Conuentui esset vtile; id enim vel sciunt per experientiam, quia ibi aliàs fuerunt locales, vel saltem ab iis, qui ibi fuerunt, audierunt. Deinde non coguntur fratres eligere in Correctorem de corpore Conuentus, sed sufficit, quòd de corpore Prouinciæ; & fratres vnius Prouinciæ susque deque se cognoscunt.

15. Si quæras, quid dicendum de Collegis Generalis & de P. Zeloso, qui, cum sua officia terminentur in Capitulo generali, quod fit in die Pentecostes, non possunt vt plurimum ad suas Prouincias appellere in tempore, quo possint per Prouinciales assignari locales in aliquo Conuentu ante tres menses electionis.

Respondeo *In Cap. Rom. 7. sess. 9.* maturina statutum esse, quòd Patres Collegæ præteriti Generalis, & P. Zelosus sint locales, & habeant vocem in illis Conuentibus, in quibus fuerint assignati à Patre Prouinciali, post ipsorum reditum ad Prouincias proprias, etiam si non fuerint locati per tres menses ante diem electionis. Et ratio, quæ ibi redditur, est: qua fuerunt occupati in negotiis Religionis; & nemo debet absque culpa iure eligendi priuari. Quod statutum est valde conforme regulæ iuris Cæsarei 183. quæ dicit, quòd *absentia eius, qui Reipublicæ causa abest, neque ei neque alij damnosa esse debet:* & habetur expressè *in cap. Exposuit, de dilat.* vbi Glossa *verbo vtilitate* multa congerit; Et docet Bart. *ad leg. Testamento, ff. de alim. & cib. legat. num. vn.* Secus autem est de iis, qui negotiorum propriorum gratia ad Capitulum generale accedunt: Hi enim vel remanent locales in iis Conuentibus, à quibus discesserunt, in quibus erant locales; vel, si ad alienam Prouinciam mittantur, pro eo anno, si tempore debito non appulerint, debent carere iure eligendi; proprij enim commodi gratia, non publici, absfuerunt. Ita expressè *in leg. Qui libera, ff. de legat.*

16. Si quæras etiam, Obtinuit quis obedientiam à P. Generali pro localitate alicuius Prouinciæ, ad quam iter capiendo attingit *die 15. Iunij*, & appellit primò Conuentum, in quo Prouincialis illius Prouinciæ non repetitur, qui eum possit assignare localem, votabitne iste in Conuentu, ad quem primò appellit, an verò pro illo anno non votabit?

Respondeo hunc casum fuisse definitum *in c. Val. 3. num. 23.* his verbis: *Concluserunt insuper, quòd si quis fratrum per obedientiam P. Generalis ex vna Prouincia in aliam venerit, cum primum in aliquem talis Prouinciæ Conuentum se contulerit, & ad Prouincialem commodè adire non possit, instetque electionis tempus, voce actiua, & passiua in eadem illius Conuentus electione gaudebit, licèt à P. Prouinciali nondum sit assignatus.*

§. VI. & V.

17. Nota sanctum statutum. Nam proprietas est Religionis ruina; vnde bene Papa ait, eam esse auferendam, non tantùm extrinsecè per præcepta, sed etiam intrinsecè, dando Religiosis id, quod sufficit ad victum, & vestitum vnicuique secundùm sufficientiam. Verum est enim, quod dixit quondam Gregorius XIII. in quadam bulla, quæ incipit, *Deo sacris, quominus Religiosi distrahuntur in quærendis sibi necessariis, eò ferventius in Dei seruitio occupantur.*

18. Nota quò ad §. 5. quæ dico *to. 1. Relig. quæst. 4. cap 8.* vbi ex professo hoc statutum declaro. Et adde conclusioni 2. quòd propter rationes ibi dictas puto, quòd conualescentes ex longa infirmitate possunt etiam egredi Conuentu ad corporis exercitationem, & mentis exhilarationem de licentia Medici, & Superioris. Puto etiam, posse egredi prædicatores, qui infirmitate correpti necessitantur comedere carnes, est enim rationi consonum; Et has omnes declarationes, & illas ibi dictas admitrit grauissimum hoc pœnale statutum secundùm æquitatem interpretatum.

item, & hæreticis similiter damnatis, viuis, vel defunctis, vel quorum ossa, vel statua combusta sunt, originem ducunt per lineam paternam, vel maternam vsque ad quartam generationem inclusiuè, in Ordinem ipsum recipi, & admitti non posse; Et idem in iis professoribus eiusdem Ordinis, qui ad sacros, etiam presbyteratus, ordines admittuntur, seruari decernimus.

Derogat contrariis. §. 4. *Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac priuatis, & quibusuis aliis dicti Ordinis, in generalibus, vel prouincialibus Capitulis editis, tam generaliter de vniuerso Ordine, quam specialiter de singulis eiusdem Ordinis domibus, vel Conuentibus, seu Monasteriis disponentibus, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.*

Transumptis fidem adhiberi iubet. §. 5. *Volumus autem, vt præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides vbique adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibita, vel ostensa.*

Datum Romæ, apud S. Marcum, sub annulo Pisc. die 1. Augusti, anno 1583. Pontific. nostri anno 12.

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1. VIde similem const. Pij V. apud Passar. *pag.* 255. Vide etiam const. Pij IV. apud Rodt. *in bull. in Pio IV. bulla eius* 3. *&* 4. Vide Rodt. *to.* 1. *quæst. reg. quæst.* 14. *ar.* 1. *& per totam.* Vide quæ dico, *to.* 1. *Rel. cap.* 05. §. 3. *versu Circa* 2. *interrogationem.*

2. Aduerte etiam, quòd ista constitutio non fuit recepta à *Cap. gener. Genuæ* 5. *celebrato, numero* 31. & statutum, quòd per P. Zelosum supplicaretur Sanctissimo, vt eam dignaretur reuocare pro Religionis quiete. Sed, cum Papa reuocare noluerit, dicendum est, quòd sit in suo robore. Videatur Passar. *in schol. ex Genuen. numero* 31.

CONSTITVTIO IV.

Quâ concedit indulgentiam plenariam visitantibus Ecclesias Ordinis Minimorum in die sanctissimi Patriarchæ nostri Francisci.

GREGORIVS PAPA XIII.

Vniuersis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis sal. & Apostol. bened.

Concedit prout in summario. §. 1.  *AD augendum fidelium religionem, & animarum salutem cælestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus verè pænitentibus, confessis, ac sanctissima communione refectis, qui singulas Ecclesias Monasteriorum, seu domorum fratrum Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula vbicumque constitutas, die festo eiusdem S. Francisci de Paula à primis vesperis, vsque ad occasum Solis eiusdem diei singulis annis deuotè visitauerint, & ibi pro christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, sanctæque matris Ecclesiæ tranquillitate pias ad Deum preces effuderint, quoties id fecerint, toties plenariam suorum peccatorum indulgentiam, & remissionem concedimus, & elargimur.*

Derogat contrariis, & transumptis fidem adhiberi iubet. §. 2. *Contrariis non obstantibus quibuscumque præsentibus perpetuò valituris. Volumus autem quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides vbique adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibita, vel ostensa. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Pisc. die 1. Aprilis, 1579. Pontif. nostri anno 7.*

§. I.

1 NOto 1. quòd Pontifex Gregorius concedit indulgentiam plenariam verè pœnitentibus, confessis, ac sanctissima communione refectis, qui in die S. Francisci de Paula visitauerint vnam ex Ecclesiis sui Ordinis, & hoc toties, quoties illo die id fecerint. Et aduerte, quòd indulgentiæ tantum valent, quantùm sonant, & est communissimum dicterium in hac materia apud Theologos, & contrarium dicere, ait D. Th. *in* 4. *disp.* 20. *quæst.* 1. *art* 3. *quæst.* 2. *in princip.* est valde periculosum.

2. Noto 2. Nullum me vidisse Doctorem negantem, quinimmo nec dubitantem, an Papa possit huiusmodi indulgentias concedere: Cum enim secundum D. Th. *loc. cit.* ad concedendam indulgentiam requiratur auctoritas, & vnio eius, cui dispensatur, ad eum, qui merebatur, quod est per charitatem, & ratio dispensationis, secundùm quam saluetur intentio illorum, qui opera meritoria fecerunt; & hic interueniant omnia, auctoritas in Papa, qui est thesauri Ecclesiæ dispensator, gratia in recipientibus, mediante sacramentali pœnitentia, sacra communione; & ratio dispensationis, quia nimirum ista indulgentia conceditur ad honorem Dei, qui honoratur in Sanctis suis, & ad vtilitatem Ecclesiæ: Non video, cur scioli quidam, vel meliùs sciolos se reputantes, audientes hanc nostram indulgentiam, tam caperata fronte & paruo, ac obliquo ore, quasi ironicè fateantur, id se non intelligere; quos me hic docturum spero, nisi malitia sit in voluntate, vel in malè affecto intellectu inscitia.

3. Noto proinde 3. quod dubirant inter se Doctores, an qui eodem die pluries facit actum, per quem conceditur indulgentia, v. g. pluries visitat Ecclesiam, cui concessa est indulgentia, pluries etiam indulgentiam consequatur. Et optima resolutio est, quam tradit Tab. *de mento D. Thomæ, verbo Indulgentia, numero.* 15. Vel enim in indulgentia dicitur, quòd quoties quis visitauerit talem Ecclesiam, toties indulgentiam lucretur; & clarum est, quòd toties lucratur, quot visitat: Vel in concessione indulgentiæ exprimitur, quòd tantùm conceditur indulgentia pro vna vice; & tunc clarum etiam est, non posse pluries consequi: Vel nihil horum exprimitur, & tunc adhuc distinguendum est: vel indulgentia est perpetua, & tunc consequitur toties, quoties facit; vt D. Thom.

vt D. Thom. *in 4. d. 20. q. 1. art. 3. quæstiunc. 2. ad quartum.* Ang. *verb. Indulgentia, n. 4.* Tab. cit. Rosell. *n. 5. 2.* Henriq. *7. de Indulg. c. 10. n. 2.* Graff. *in append. ad suas decis. lib. 2. c. 5. n. 5 3.* Cord. *in suo quæst. theol. lib. 5. q. 3 3.* Et quod possit bis, aut ter in die prudenter, & deuotè quis talem indulgentiam consequi, docet Nauarr. *tom. 3. tract. de indulg. notab. 3 1. n. 36.* Suar. *tom. 4. in 3. par. disp. 57. sect. 5. n. 7.* Filliuc. *tom. 1. tract. 8. c. 8. n. 197.* Vel est determinata; Et tunc adhuc distinguendum videtur; Nam vel est determinatè ad vnum solum diem v. g. à primis vesperis, vsque ad occasum Solis alterius diei; & tunc dicunt omnes cit. quòd solùm semel quis consequitur indulgentiam, etiamsi millies visitet illo die Ecclesiam designatam, nisi aliter se explicet indulgentiam concedens, vt in specie Cord. Tab. & Ang. Vnde Suar. quem sequitur Filliuc. dicit semper tenorem indulgentiæ esse inspiciendum: Vel est determinata ad tres, quinque, vel octo dies, & negat posse pluries illis diebus consequi Tab. Ros. Ang. Probabile posse singulis illis diebus consequi dicit Alph. Leo *in tract. de iubil. par. 1. q. 5. num. 208.* Inmò dicunt Ros. Ang. Cord. *locis cit.* & Cæsar. *verbo Indulgentia, notab. 6.* censuisse Ionnc. & Specul. quòd etiam quando indulgentia est determinata pro aliquo particulari die, potest quis eam lucrari toties, quoties dictam Ecclesiam die visitauerit. Et sic aiunt Cæsar. & Cord. practicari in indulgentia Portiunculæ: Ad quam tamen praxim respondent, fortè ibi haberi ad hoc specialem concessionem Papæ; vel certè adest eius voluntas tacita, seu interpretatiua, dum scit, & tolerat ex causa rationabili, nam sæpe communis error facit ius arg. *cap. Ecce ego, dist. 95.* quia scilicet sæpe est causa aliqua, quæ facit, quòd Princeps consentiat etiam licitè, vt validè fiat, quòd aliàs non valeret, vt Cord. *loc. cit.* Ex quibus satis constat, quòd quando tenor indulgentiæ est clarus, vt hic noster, nulla potest esse difficultas, quin toties quis lucretur indulgent á, quoties in die S. Francisci P. N. prudenter visitabit vnam ex nostris Ecclesiis.

4. Sed dubium modò restat. Si quis visitando prima vice cum debitis circumstantiis lucratus est indulgentiam plenariam, & per consequens omnem remissionem pœnæ, suis peccatis debitæ, quid consequetur 2. vice, & 3. si, vt supponimus, nihil pœnæ remanet remittendum?

Certè hoc dubium fastidiosum est, loquendo de indulgentia plenaria: nam de limitata, v. g. tertia parte peccatorum, facilè soluit Cord. *in suo quæst. theol. lib. 5. quæst. 34.* quòd prima vice remittitur illi tertia pars pœnarum, v. g. si est debitor 60. annorum, consequitur 20. annos de indulgentia; 2. vice lucratur non quidem totidem 20. annos, sed lucratur tertiam partem de residuo pœnarum, quibus tenetur, quando lucratur indulgentiam, puta de 40. annis residuis lucrabitur 14. circiter, & sic de reliquis.

5. De indulgentia verò nostra plenaria optimè P. Montoya *in Chronicis Minimorum, libro 2. c. 25.* dicit se consuluisse viros doctissimos Vniuersitatis Complutensis, quorum placita refert, ex quibus & respondet, supposito, quod dicit communis sententia; Quòd, quando conceditur indulgentia pro vno die, nullus potest eam lucrari nisi semel, etiamsi decies visitet, quod hoc plus concedit nostra indulgentia: Quòd si quis, postquam semel consecutus fuerit plenariam indulgentiam, & consequenter remissionem omnium pœnarum, eodem die aliud mortale, vel veniale peccatum committat, poterit, iterum conterendo, vel se confitendo de illo mortali, etiamsi Eucharistiam non sumat, lucrari dictam indulgentiam, & hoc toties quoties id illi eo die acciderit, vel etiamsi non mortale, sed venialia plura committat. Quòd si nullum mortale, vel veniale committat certum est non posse pluries indulgentiam lucrari, si nihil remittendum remaneat. Vndè verba illa, *toties, quoties*, sic sunt interpretanda. Concedo, ait Papa, indulgentiam plenariam visitantibus Ecclesiam S. Francisci de Paula suo die & illo die toties indulgentiam cócedo, quoties erit materia pœnarum, per indulgentiam delenda. Posset etiam dici, quòd conceditur toties, quoties, vt si casu quis prima vice non fuisset benè dispositus, & per consequens indulgentiam non fuisset lucratus, additis gradibus charitatis ad gradus, per plures visitationes tandem benè dispositus indulgentiam lucretur. Seu etiam posset dici, quòd lucretur quis hanc indulgentiam prima vice pro se, secunda pro defunctis: Sed non inuenio fundamentum, licèt in S. Maria de Portiuncula, in qua non habentur ista verba, vt dicunt Cord. & Cæsar. *locis cit.* etiam vigeat opinio, quòd possint dictam Ecclesiam visitantes indulgentiam lucrari pro mortuis. Et in multis locis etiam id practicatur in nostra hac indulgentia in die S. Francisci.

6. Et nota vnum particulare, quòd similis indulgentia nullibi reperitur concessa, nisi Ecclesiæ S. Laurentij patrimonij Regis Hispaniarum die 24. *Febr. à Pio IV. anno 1560. die 7. Februarij.*

7. Nota etiam, quòd, vt dixi, debet ista indulgentia prudenter sumi, non ingrediendo, & statim egrediendo, & sic deinceps, Nam hoc esset magis derisorium, quàm pium, nec hoc casu præsumendum est, mentem Papæ esse talem indulgentiam concedere, vnde, tum defectu intentionis Papæ, tum defectu causæ iustæ, quæ hoc casu non adesset, qui sic ingrediendo, & statim egrediendo, & iterum ingrediendo, visitaret, non lucraretur hanc indulgentiam.

8. Solùm restat discutere, an quando transfertur festum S. Francisci de Paola, transferatur etiam ista indulgentia. Sed hoc dubium discussum est per Apostolicum diploma ab eodem Greg. XIII. quod sic habet.

Gregorius Papa XIII. ad perpetuam rei memoriam. Aliàs omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac sanctissima communione refectis, qui singulas Ecclesias Monasteriorum, seu domorum fratrum Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula vbicumque constitutas de festo eiusdem S. Francisci de Paula à primis vesperis, vsque ad occasum Solis eiusdem die singulis annis deuotè visitarent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, sanctæque matris Ecclesiæ tranquillitate, pias ad Deum preces effunderent, quoties id facerent, toties plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem concessimus, prout in nostris inde sub data die 1. Aprilis 1579. Pontific. nostri anno 7. in forma Breuis confectis literis plenius continetur. Cum autem, sicut accepimus, festum eiusdem S. Francisci de Paula, quod die 2. Mensis Aprilis quotannis celebrari solet, in Quadragesimam incidat, illudque post octauam Resurrectionis D. N. Iesu Christi transferri soleat, & propterea in dubium verti posset, an eadem indulgentia die, quo ipsum festum transferri contigerit, ab eisdem Christi fidelibus consequi valeat. Nos in præmissis opportunè prouidere volentes, ac supplicationibus dilecti filij Ioannis Ropitelli dicti Ordinis Zelosi, & Procuratoris generalis, in hac parte inclinati, harum serie volumus, & declaramus, vt dicta indulgentia ad eum diem, quo festum ipsum, vt præfertur, transferri, & post octauam eiusdem Resurrectionis celebrari contigerit, translatam esse, & ab eisdem Christi fidelibus eodem modo, quo die festo prædicto consequi eisque suffragari posse censeatur. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscat. die 20. Augusti, 1580. Pontificatus nostri anno 9.

CONSTITVTIO V.

Quâ concedit, quòd electiones factæ in Capitulis generalibus à deputatis valeant.

GREGORIVS PAPA XIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Memorat statutum Capituli generalis Barchin. celebrati. §. 1. *Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Idelphonsus Villamator Corrector generalis Ordinis fratrum Minimorum S. Francisci de Paula, quòd licet electio nonnullorum Vicariorum prouincialium eiusdem Ordinis, & illorum Collegarum, ex ipsius Ordinis institutis, & consuetudinibus ad Correctorem generalem, ac Superiores, & Præsidentes Capituli generalis eiusdem Ordinis, capitulariter facienda, pertinere dignoscatur; nihilominus in Capitulo Generali eiusdem Ordinis nouissimè in ciuitate Barchinonen. celebrato, cum pro ipsius Ordinis felici directione, ac morum correctione multa ibidem statuta, & ordinata fuissent, ac propter temporis angustiam, & rerum penuriam ac electionem Vicariorum prouincialium, & Collegarum huiusmodi commodè procedi non posset, Superiores, & alij Præsidentes præfati eidem Idelfonso Correctori generali, & duobus aliis sibi ad id adiunctis Collegis, de gremio dicti Capituli generalis existentibus, ius, ac omnimodam facultatem, & auctoritatem Vicarios prouinciales eorumque Collegas præfatos eligendi concesserunt, & in eos transtulerunt; ipsique Idelphonsus Corrector generalis, & eius in ea parte Collega, facultatis huiusmodi vigore, in Catalaunia, & Tuscia, ac Hispalen. necnon Siciliæ, atque Lombardiæ, & Bethicæ, ac Castellæ, necnon Aragoniæ prouinciis singulos suos Vicarios prouinciales cum eorum Collegis elegerunt, & deputarunt, eademque electione facta, postmodùm idem generale Capitulum eosdem denuò approbauit, prout in documentis publicis desuper confectis pleniùs dicitur contineri.*

Supplicatio. §. 2. *Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Idelphonsus Corrector generalis, ne de viribus earundem electionum, & deputationum, ob non seruatam in eis institutorum, & consuetudinum huiusmodi, seu Conc. Trid. in similibus electionibus, & deputationibus forsan requisitam formam, aut aliàs, dubitari contingat, cupiant electionibus, & deputationibus prædictis pro earum subsistentia robur Apostolicæ confirmationis adiici.*

Concedit prout in summario. §. 3. *Nos, qui honestis potentium votis libenter annuimus, eaque fauoribus prosequimur opportunis, eundem Idelphonsum correctorem generalem à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, necnon formam electionum, & deputationum, ac tenores documentorum huiusmodi præsentibus pro expressis habentes, ipsius Idelphonsi supplicationibus in hac parte inclinati electiones, & deputationes præfatas Apostolica auctoritate, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, omnesque & singulos, tam iuris, quàm facti, ac solemnitatum, etiam substantialium, aliosque defectus, si qui interuenerint in eisdem supplemus. Decernentes, easdem electiones quouis prætextu impugnari, retractari, aut inualidari nullatenus posse, sed illas validas, & efficaces esse, ac fore, suosque plenarios effectus in omnibus, & per omnia perinde, ac si per eos, ad quos spectabat, & seruatis seruandis, factæ, & celebratæ fuissent, sortiri, ac ab omnibus, ad quos spectat, & spectabit quomodolibet in futurum inuiolabiliter obseruari debere; ipsosque ad id censuris ecclesiasticis aliisque opportunis, iuris, & facti remediis, appellatione postposita, cogi, & compelli posse.*

§. 4. *Irritum quoque, & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.* Decretum irritans.

§. 5. *Non obstantibus præmissis, & Apostolicis, ac in prouincialibus, synodalibus, & vniuersalibus Conciliis editis specialibus, vel constitutionibus, & ordinationibus, necnon dicti Ordinis iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis eidem Ordini, illiusque Correctori generali, præsidentibus, Superioribus, vicariis, Prouincialibus, conuentibus, fratribus, & personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, in genere, vel in specie, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac consistorialiter, vel aliàs quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione aliàs, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quauis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma illius tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris,* Derogat contrariis.

hac

hac vice dumtaxat, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ, apud S.Petrum; sub annulo Pisc. die 15.Aug.1580. Pontif. nostri anno 10.

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1. Nota quòd iste modus eligendi Superiores, qui desunt in Capitulis generalibus, vel per mortem, vel priuationem, vel per electionem ad maiora, est positus in praxi, licèt in aliquibus Capitulis generalibus non annotetur. Vnde statutum Barchinonen. quod citatur §.1. *in dicto Capitulo* non est insertum, sed est maxima incuria Scribæ. Et iste modus eligendi est conformis *cap. Quia propter, de elect.* vbi approbatur electio per compromissum; qualis est hæc. Sed quia Trid. iubet, omnes electiones fieri per vota secreta *sess.25. cap.6. de Regul.* ideo fuit necessaria ista constit. cum derogatione Concilij generalis. Sed aduertant dicti electores, in quos compromittetur per Capit. generale, quòd non possunt facere dictas electiones per communem inspirationem, licèt hic modus eligendi *in dicto cap. Quia propter* approbetur. Tum quia est contra Trid. *loc.cit.* Tum quia apud nos non est in vsu: Tum quia, dato, quòd licitè posset fieri, deberet fieri à toto Cap. non à solis compromissariis. Nam in hos Capit. compromittit, vt solùm faciant electiones secundùm vsum, & consuetudinem Religionis, quæ solùm vtitur electione per scrutinium.

SIXTI V.

Itali ex Ciuitate Montis alti in Prouincia Piceni Pereti, Peretidetis filij, Ordinis fratrum Minorum Conuentualium, ad summum Pontificatum assumpti die 24. Aprilis, anno 1585. qui dedit Ordini nostro infrascripta.

CONSTITVTIO I.

Quâ mandat, festum S.Francisci de Paula celebrari sub ritu duplici, & in Calendario Romano adscribi.

SIXTVS EPISCOPVS,

Seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Procemiũ. Vide 3.p. Rit.ante offic.huius Sancti not.1. *IN Cæli throno cui sedet Rex omnipotens, terrumque scabellum pedum suorum calcat, supremo è solio pusillorum seruorum respicit humilitatem, eosque in quibus illa elucet, ad excelsa sublimium honorum, & gaudiorum culmina extollit, quod in Sanctis suis omni tempore demonstrauit: Recenti verò Patrum nostrorum memoria in B. Francisco de Paula amplè testificari dignatus est. Is enim ab ineunte ætate cælestium rerum amore incensus, ex minimo, qualem se in Dei, hominumque conspectu fecerat, magnus euasit: Interque alia, quibus claruit, virtutum ornamenta, vnam mirificè amplexus est Regi Regum semper acceptam humilitatem, quam, sicuti non erat primum ingressum fuisse Christi Saluatoris nostri in mundum ita in angusto ad pietatem, & sanctitatem iatrosu patefaciendo primum sibi, & ducem, & sociam adsciuit. Hac, atque aliis diuina gratia præditis B. confessor munitis, apud magnos Principes, & Reges, cum adhuc in mundo quasi hospes peregrinaretur; in patria verò celestes inter Choros post absolutam peregrinationem à Deo, cui fideliter seruierat, seque in primis humiliauerat, est exaltatus, magnasque virtutes, vt etiam in vita cum summa omnium, qui viderunt, admiratione meruit operari.*

§. 1. Quibus virtutibus, fratrum Minimorum, congruente sua humilitati denominatione, Ordinem, quem viuens instituerat, mirum in modum auxit, ita vt ex sancti viri imitatione, deuotisque fratrum ipsorum studiis, multis tam in Italia, qua de eius natiuitate, atque in Gallia, quæ de sancta obdormitione in Domino gloriantur, totiusque Christiani orbis Regionibus adificatis templis, Cænobiisque constructis, eius memoria in dies magis propagetur. Ordinem Minimorum instituit.

§. 2. Ipse autem à fel. record. Leone Papa X prædecessore nostro, Sanctorum, quos catholica veneratur Ecclesia, catalogo solemni ritu adscriptus, in Cælo pro ipsa semper Ecclesia, assiduisque pastoralis seruitutis, & sollicitudinis nostra laboribus apud Deum, vnà cum omnibus Sanctis, & sibi cognomine, atque æterna felicitatis consorte B.Francisco Ordinis fratrum Minorum Fundatore intercedit. A Leone X. canonizatus.

§. 3. Quare nos eius nomen, & sanctitatem dignis, quantum nostra patitur infirmitas, honoribus decorare volentes, hac præsenti constitutione mandamus, vt eiusdem B Francisci de Paula Confessoris gloriosi festus dies qui quarto Festum S. Francisci sub ritu duplicis celebretur.

quarto Nonas Aprilis peragitur, duplici posthac, & proprio & vbi propria non erunt, de communi Confessorum non Pontificum, officio per cunctas totius Christiani orbis Ecclesias quotannis celebretur, & in Calendario cum duplicis festi adiectione inscribantur.

Præsentes publicentur.

§. 4. *Pracipientes omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Ecclesiarum Pralatis in vniuerso terrarum orbe constitutis, vt faciant in suis quisque Ecclesiis, Prouinciis, Ciuitatibus, & Diœcesibus prasentes nostras solemniter promulgari, & ab omnibus ecclesiasticis personis sacularibus, & quorumcumque Ordinum Regularibus omnino obseruari.*

Transumptis fidem adhiberi iubet.

§. 5. *Volumus quoque, vt prasentium exemplis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo persona in dignitate ecclesiastica constituta munitis, eadem prorsus vbique fides adhibeatur, qua ipsis prasentibus adhiberetur, si forent exhibita, vel ostensa. Datum Roma, apud S. Marcum, anno Incarn. Dom. 1585. Pontif. nostri anno 2.*

CONSTITVTIO II.

Quâ transfert celebrationem Capituli generalis, qua fiebat die Ascensionis ad diem Pentecostes.

SIXTVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmiū.

*N his, qua ad sacrarum Religionum regimen non mediocriter pertinere cognoscimus, partes nostras, prout suadet vtilitas, & necessitas exigit libenter interponimus.*

Transfert Romam celebrationem Capituli generalis.

§. 1. *Cum itaque, sicut accepimus, dilecti filij fratres Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, qui vigesimum septimum eorum Capitulum generale, iuxta ordinationem, & definitionem vltimo loco celebrati Capituli generalis, in Ciuitate Aquensi celebrare debebant, nosque illud ob varia impedimenta, prasertim epidemia contagionis in eadem Prouincia grassantis incommoda, in alma Vrbe nostra in domo SS. Trinitatis in monte Pinceo dicti Ordinis celebrari mandauimus, in proximo festo Ascensionis D.N. Iesu Christi prasentis anni Domini 1587. celebraturi sint, in quo generalis Corrector, & alij eiusdem Ordinis Officiales ad triennium, vel aliàs iuxta eius Religionis morem canonicè diligendi sunt.*

Et à die Ascensionis ad diem Pentecostes.

§. 2. *Animaduertentes autem, vigente nunc in plerisque finitimis Italia partibus ingentis pestis suspicione, fratribus dicti Ordinis, quibus eam ob causam in dicta nostra alma Vrbe ex Galliis, & Hispaniarum Regnis, aliisque Prouinciis, & locis conuenientendum esset, liberum non patere iter, aut accessum, ac propterea multos pro purganda malignitate contracti aëris in ipsius Italia oris retardari; Motu proprio, & ex certa scientia nostra celebrationem proximi generalis Capituli prasentis, quod ad dictam almam Vrbem per nos translatum fuit, cui is iam dictus est dies, in aliud tempus, videlicet in festiuitate Pentecostes eiusdem prasentis anni 1587. Apostolica auctoritate, tenore prasentium transferimus.*

§. 3. *Ac, ne interim idem Ordo in spiritualibus, vel temporalibus aliquod incommodum sentiat, dilectum filium Stephanum de Francica nunc dicti Ordinis generalem Correctorem, vnà cum eius Socijs, necnon Zelosum, videlicet Procuratorem generalem eiusdem Ordinis, vsque ad dictum festum Pentecostes ipsius anni 1587. vt prafertur, quo tempore idem Capitulum celebrandum erit, cum eisdem facultatibus, & auctoritate, quibus in obtentis per eos officijs, & muneribus exercendis, vt prafertur, confirmamus. Decernentes, per Correctorem generalem, & alios officiales prafatos vsque ad tempus celebrationis dicti Capituli per nos prascriptum, gerenda quacumque valere, ac subsistere perinde, ac si illi in generali Capitulo iuxta eiusdem Ordinis statuta, & constitutiones denuo electi, & confirmati fuissent.* Prouidet interim de Superiore.

§. 4. *Sicque per quoscumque iudices, & Commissarios quauis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & definiri debere: Irritumque & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.* Clausula sublata, & decretum irritans.

§. 5. *Non obstantibus constitutionibus, & ordinationib. Apostolicis, dictique Ordinis iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis eidem Ordini, illiusque Superioribus, & personis concessis, & confirmatis; quibus omnibus illorum tenores prasentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.* Derogat contrariis.

§. 6. *Et quia difficile foret has literas ad singula quaque loca, quibus illis vtendum erit, deferri, volumus prasentium transumptis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo persona in dignitate ecclesiastica constituta, siue quo Ordo prafatus vtitur, obsignatis, eandem prorsus fidem haberi, qua originalibus literis haberetur, si ostenderentur. Datum Roma, apud S. Petrum, sub annulo Piscat. die 5. Maij 1587. Pontificatus nostri anno 3.* Transumptis fidem adhiberi iubet.

§. II.

§. II.

1. NOto, quòd ex ista constitutione non videtur sufficienter probari, translationem Capituli à die Ascensionis ad diem Pentecostes debere esse perpetuam; nam solùm prolongatum est tempus ad expectandos Patres Hispanos detentos causa pestis pro facienda quarantena in Ciuitate Gennensi. Et solùm est prolongatum pro celebrando Capitulo 27. post cuius quidem celebrationem, cessante etiam causa dictæ prolongationis, videbatur Capitulum generale esse celebrandum secundùm ordinationem Regulæ in die Ascensionis.

2. Sed responderi potest, quòd licèt verissimum sit, quòd cessante causa finali primaria, & propria non secundaria, & impulsiua, cessat etiam priuilegium ipso facto, vt habetur *in cap. Cum cessante, de appell.* & docent Panor. *in cap. Suggestum, de decim. num. 5. & in cap. Recolentes, de statu Monach. num. 1.* Fel. *in cap. Quæ in Ecclesiarum, de constit. num.* 29. Suar. *lib. 8. de leg. cap. 30. num.* 1. Dicta tamen causa finalis debet cessare non tantùm negatiuè, sed etiam contrariè, ad hoc vt cesset priuilegium habens tractum successiuum (idest quòd non vnico solo actu consummatur, sed datur per modum potestatis ad successiuè operandum, vel omittendum.) Tunc autem dicitur causa finalis cessare negatiuè, quando ratio, quæ induxit Principem ad priuilegium concedendum iam non subsistit: Nihilominus tamen vsus priuilegij non est iniustus, nec per se contra aliquam virtutem, v. g. priuilegium non soluendi decimas datum Monasterio propter indigentiam, non cessat, etiamsi Monasterium iam non indigeat. Item priuilegium retinendi simul plura beneficia, quia neutrum sufficiebat ad sustentationem, non extinguitur, etiamsi beneficium crescat, & fiat sufficiens ad congruam sustentationem. Item priuilegium ad anticipandum tempus recitandi diuinum officium vltra ius commune datum alicui propter nimiam occupationem alicuius muneris non videtur cessare, etiamsi munus relinquat, nisi in ipso priuilegio dicatur, Quandiu tale munus exercueris, vel aliquid æquiualens. Tunc autem dicitur priuilegium cessare contrariè, quando vsus priuilegij propter mutationem materiæ, vel circumstantiarum factus est perpetuò iniustus, vel iniquus, vt v. g. si Monasterio applicata esset aliqua pars decimarum alicuius Ecclesiæ, quia tempore concessionis ex reliquo poterat Ecclesia sufficienter sustentari, postea verò, mutatis rebus, sustentari non possit, si tota illa parte decimarum defraudetur, tunc cessat causa priuilegij contrariè, & consequenter priuilegium; Ita Suar. *lib. 8. de leg. cap. 39. num.* 9. Ex qua doctrina ad casum nostrum applicata optimè constat, quòd hoc nostrum priuilegium, licèt, si cessauerit causa finalis, & primaria, quia tamen non cessauit nisi negatiuè, & in eo nihil apparet, per quod coniici possit, quòd Papa pro solo illo Capitulo concedere voluerit, non censendum est cessare.

3. Si dicas, mentem Papæ constare, tum ex eo quòd prolongauerit dictum tempus pro celebrando Capitulo 27. tum ex eo quòd in derogatione contrariorum ait: *Hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus.*

4. Vt respondeam, noto doctrinam Suar. 8. *de leg. cap. 26. num.* 2. quòd priuilegium concessum à Pontifice simpliciter, & sine limitatione ad certum locum, valet vbique: Et similiter priuilegium concessum sine limitatione temporis, censetur perpetuum, nisi aliud constet de mente concedentis; Quia propositio indefinita æquipollet vniuersali, vt est apud Iuristas commune dicterium. Cum ergo hic Pontifex indefinitè dicat, Transferimus Capitulum in festiuitate Pentecostes, absque aliqua limitatione, v. g. pro hac vice solùm, vel dumtaxat pro hoc anno, vel Capitulo, &c. dicendum videtur, quòd ista translatio perpetua sit. Neque quidquam facit, quòd in derogatione contrariorum dicat, Hac vice dumtaxat. Nam ista clausula generalis est, & solita apponi de communi stylo Curiæ in quacumque derogatione, & significat, quòd Papa derogat omnibus aliis constitutionibus, &c. non simpliciter, sed solùm in quantum continent aliquid contrarium constitutioni, cui talis clausula apposita est.

5. Sed quicquid sit de dictis, consuetudo, quæ est optima legum interpres, vt habetur *in cap. Cum dilectus, de consuetud.* ita obtinuit, vt celebrentur Capitula post hanc constitutionem semper in die Pentecostes.

6. Duæ constitutiones huius Pontificis hic ponendæ essent circa eos qui ad habitum Religionis admitti debent, quas refert Cherub. *tom. 2. bull. in Sixto V. constit. eius* 61. *fol.* 601. quarum prima incipit, *Cum de omnibus.* 2. *ad Romanum.* Quas moderatus est quò ad illegitimos Greg. XIV. per suam constit. quæ incipit, *Circumspecta,* quam Cherub. *ibid. in Greg. const. 3. pag.* 687. Et quò ad nullitatem professionis moderatus est Clem. VIII. per suam constit. quæ incipit. *In suprema*, apud Cherub. *tom. 3 bull. in Clem. VIII. constit.* 83. *pag.* 129. relictis in suo robore pœnis transgressoribus impositis. Sed quia de his dixi aliqua *tom. 1. Relig. qu. 1. cap. 25. §. 3. ad 3. interrog.* Et quia hæ explicantur à Rodriq. *tom. 3. q. reg. q. 54. per totam:* & à Sanch. *4. in decal. cap.* 19. de quibus etiam aliqua Llamas *in append. suæ meth. à §.* 14. Potest videri etiam Scort. *in selec. bull. à theor.* 371. & plenè mihi dicendum est *tom. 2. Relig.* ideo pro nunc eas omitto.

7. Hic solùm aduerto quò ad receptionem nouitiorum, quòd Clem. VIII. per suam constit. quæ incipit, *In his, quæ*; quam refert Rodriq. tom. 3. quæst. reg. quæst. 54. in fine: *Priori, & Conuentui fratrum Prædicatorum S. Stephani Salmanticensis, in perpetuum, vt quoscumque iuuenes, etiam 16. ætatis suæ annum excedentes, ad habitum in eodem Conuentu admitti petentes, recepto ab eis iuramento quòd criminosi, rationibus reddendis obligati, furto, latrocinio, aut homicidio notati, aut aliis impedimentis, in dicta bulla Sixti V. contentis, detenti non sint, recipere, ac postea per aliquem eiusdem Conuentus Religiosum ad hoc deputatum, ad inuestigationem anteactæ illorum vitæ, ac morum, & reliquorum præmissorum, absque strepitu iudiciario, sed per scrutinium secretum procedi facere, qui ad hoc deputatus processum, & informationem captam dictis Priori seu Præsidenti, ac Superiori, & Magistro nouitiorum, & studentium, à quibus approbari, & reprobari possint, referre fideliter debeat, liberè, & licitè possint, & valeant, auctoritate Apostolica concessit, & indulsit.*

8. Et idem Clem. per suam constit. *Assidua*; quam Cherub. tom. 3. bull. in append. in Clem. VIII. constit. eius 3. pag. 44. *Præpositis, & Religiosis Cong. Clericorum ministrantium infirmis concessit, & indulsit, vt in qualibet eorum domo, vbicumque locorum existente, tres ex antiquioribus Patribus à Capitulo conuentuali deputari possint, qui eandem habeant facultatem, & potestatem in admittendis nouitiis, quæ commissa fuit Capitulis generalibus, & prouincialibus, aliisque deputandis iuxta constitutionem super nouitiorum receptione, à fel. rec. Sixto Papa V. sub data sexto Kal. Decemb. anno 3. alteram eius declarationem sub data 12. Kal. Nouemb. anno 4 eius Pontific. dummodo in reliquis earundẽ constitutionum formã seruent; Ad hocque plenã, & amplam dictis deputatis facultatem & auctoritatem impertiuit.*

9. Aliam etiam circa modum recipiendi nouitios edidit idem Clem. apud Cherub. *in eodem*, *constit. eius* 106. *pag.* 156.

10. Aliam declarationem pro nouitiis recipiendis circa dictas bullas Sixti V. pro Clericis regularibus Cong. S. Pauli decollati edidit Paul. V. apud Cherub. *in Paul. V. constitut.* 83. *pag:* 317. quæ incipit, *Aliàs fel.*

11. His adde decretum sacræ Congreg. de propaganda fide, habitæ *die* 13. *Decemb.* 1624. quòd sic habet. *Nihil tam magna cura est sacræ de propaganda fide Congregationi, quàm vt operarios plures linguis instructos habeat, quos in messem Domini, præsertim sub hæreticis, & infidelibus Principibus constitutam, mittere possit; Proinde animaduertens, aliam quoque esse eosdem multiplicandi, & augendi breuiorem viam, Generales omnes, annuente S. D. N. admonendos esse censuit, vt præter studia linguarum aliàs à sacra Congreg. Regularibus indicta, speciali sub decreto præcipere velint, vt in nouitiorum receptionibus in posterum faciendis, aliqui semper ex variis nationibus, & linguis, pro modulo tamen suarum Religionum, vnà cum aliis, qui hactenus recipi consueuerunt, ad habitum assumantur, qui, peracto studiorum cursu, & in simplici sacerdotio constituti, & episcopali dignitate ornati, ad eorum Prouincias propagandæ fidei gratia mitti possint. Nam sic facientes certò sciant, se Christo Domino obsequium gratissimum, & acceptissimum præstituros, & fidei catholicæ & suarum Religionum generi, & amplificationi summopere esse consulturos.*

GREGORII XIV.

Itali, Mediolanensis, Francisci de Sfondratis filij, ad summum Pontificatum assumpti anno 1590. die 5. Decembr. qui dedit Ordini nostro infrascripta.

CONSTITVTIO I.

Quâ confirmat, & innouat priuilegia, & statuta Minimorum.

GREGORIVS PAPA XIV.

Dilectis filiis fratribus Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula salutem, & Apostolicam benedictionem.

Prooemiũ. *ORdinem vestrum optima fama odore redolentem, ac in Patris, & Institutoris vestri Beati Francisci de Paula vestigijs ambulantem meritò complectimur, ac fauoribus, & gratijs prosequimur opportunis.*

Confirmat prout in summario. §. 1. *Vestris itaque supplicationibus in hac parte inclinati, omnia, & singula priuilegia, gratias, exemptiones, immunitates, concessiones, indulta, & indulgentias, vobis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam nos, & Sedem Apostolicam concessa, confirmata, & approbata, necnon etiam statuta, Regulas, constitutiones, & ordinationes vestri Ordinis, quatenus sunt in vsu, & sacris Canonibus, Concilijque Trid. decretis sint conformia auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuò confirmamus, approbamus, & innouamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, illisque, Apostolicæ ac inuiolabilis firmitatis robur adijcimus, eaque omnia & singula perpetuò valida, & efficacia fore, vobisque suffragari, ac ab omnibus, ad quos spectat, aut in futurum spectabit, obseruari debere.*

§. 2. *Irritumque & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.* Decretum irritans.

§. 3. *Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quæ in literis gratiarum, priuilegiorum, & indultorum huiusmodi concessum est non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ, in Monte Quirin. sub annulo Piscat. die 5. Iuly, 1581. Pontific. nostri anno 1.* Derogat contrariis.

§. I.

1. NOto circa illam clausulam *Confirmamus & innouamus*, quòd innouatio, sicut confirmatio, est duplex. Vna in forma communi. Alia ex certa scientia. Innouatio in forma communi non restituit priuilegia reuocata, vel quomodocumque amissa, nec dat nouum ius, sed solùm antiquum conseruat, *cap. Quia intentionis, de priuileg.* Innouatio autem ex certa scientia confert ius nouum de se, & æquiualet concessioni, ideoque restituit priuilegium perditum. Ita Suar. *lib. 8. de leg. cap.* 20. *num.* 2. & 8. Ista est innouatio in forma communi.

Clementis

CLEMENTIS VIII.

Itali Florentini, Syluestri de Aldobrandinis filij, ad summum Pontificatum assumpti anno 1592. die 30. Ianuar. qui dedit Ordini nostro infrascripta.

CONSTITVTIO I.

Quâ confirmat priuilegia Minimorum ex certa scientia, & de Apostolica potestatis plenitudine.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmiũ.  *Niuncti nobis Apostolici muneris ratio postulat, vt sacrarum Religionum in militanti Ecclesia sanaes in Domino fructus assiduè præstantium paternam curam gerentes, priuilegia, gratias, & indulta illis à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, & Apostolica Sede concessa, quò validiùs perpetuò subsistant, Apostolicæ confirmationis robore libenter communiamus.*

Confirmat prout in summario. §. 1. *Volentes igitur vniuersum Ordinem fratrum Minimorum S. Francisci de Paula, ex quo vberrimi in eadem Dei Ecclesia fructus, ad ipsius omnipotentis Dei laudem, & Christianæ Respublicæ spirituale commodum, & vtilitatem, ab ipsius Ordinis initio semper prodierant, & in dies prodeunt, ac ipsius Ordinis Correctorem generalem, & fratres vniuersos specialibus fauoribus, & gratiis prosequi; ac eorum vniuersos, & singulos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine per dilectum filium Franciscum Humblot fratrem, & Procuratorem generalem eiusdem Ordinis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia, & singula priuilegia, immunitates, exemptiones, libertates, prærogatiuas, fauores, conseruationes declarationes, facultates, dispensationes, gratias, concessiones, indulgentias, & indulta spiritualia, & temporalia, etiam per modum communicationis, & extensionis inter se, & cum aliis Ordinibus Mendicantium, & non Mendicantium, eidem Ordini Minimorum, eiusque Correctori generali, ac fratribus, & sororibus, aliisque Religiosis vtriusque sexus, eorumque domibus, Monasteriis, & locis regularibus quibuscumque per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & Apostolicam Sedem sub quacumque verborum forma, & expressione, in genere, & in specie, aut alias quomodolibet concessa, ac plaries confirmata, cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis, decretis, declarationibus, ac singulas literas, tam sub plumbo, quàm in forma Breuis, aut alias desuper confectas, quarum tenores præsentibus, pro expressis haberi volumus, quatenus tamen sint in vsu, & non sint reuocata, seu sub aliquibus reuocationibus comprehensa, ac sacris Canonibus & Concilij Trid. decretis non aduersentur, ex certa nostra scientia, ac de Apostolica potestatis plenitudine, tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, ac illis perpetuæ, & inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & singulos, tam iuris, quàm facti defectus, si qui interuenerint in eisdem, supplemus.*

§. 2. *Quocirca venerab. fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque locorum Ordinariis quibuscumque necnon dilecto filio causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenus quilibet eorum, quandocumque fuerint requisiti, per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Correctoris generalis, & fratrum prædictorum fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant easdem plenum earum effectum sortiri, illisque omnes, quos concernunt, pacificè frui, & gaudere; Non permittentes, quenquam desuper contra præsentium tenorem sub quovis prætexta, & causa, etiam defectu intentionis nostræ, per quoscumque quomodolibet indebitè molestari; quinimmo quicquid in contrarium attentari, vel fieri contingat omnina* Deputat Commissarios.

ſemper in priſtinum reponi: Contradictores quoſlibet, & rebelles etiam per quaſcumque de quibus eis videbitur, cenſuras & pœnas eccleſiaſticas, & alia opportuna iuris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac, legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis.

Derogat contrariis.

§. 3. *Non obſtantibus præmiſſis, ac piæ mem. Bonif. Papæ VIII etiam prædeceſſoris noſtri de vna, & in Concilio generali de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad iudicium non trahatur, aliiſque Apoſtolicis conſtitutionibus, & ordinationibus, ac Ordinum prædictorum ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, quomodolibet, etiam pluries conceſſis, confirmatis, & innouatis; quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, etiam quòd in eis caueatur expreſsè, quòd illis nullatenus, aut non niſi ſub certis modo, & forma derogari poſſit, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, motu, ſcientia, & auctoritate ſimilibus derogamus, contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.*

Transumptis fidem adhiberi iubet.

§. 4. *Verùm quia difficile foret, præſentes literas, vbicumque opus eſſet, deferri, volumus, & pariter auctoritate Apoſtolica decernimus quòd illarum tranſumptis, manu alicuius ex Secretariis cuiuſuis prædictorum Prælatorum generalium, ac Romanæ curiæ Commiſſarij, & ſucceſſorũ, aut Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo officij alterius eorundem, aut perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ, ſeu Curiæ eccleſiaſticæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra illud adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ, apud S. Marcum ſub annulo Piſcat. die 15. Iunij, anno 1603. Pontificatus noſtri anno 12.*

Ordinationi, auuertimenti, è ricordi, che ſi danno dalla Santità di N.S. Clemente Papa VIII. alli Padri del capitolo generale di S. Franciſco di Paola radunati in Genoua queſt'anno 1596.

Electiones fiant, omni paſſione depoſita; nec pro validis eæ habeantur, in quas non concurrerint vota vltra medietatem.

§. 1. *Tvtte l'elettioni, così nel Capitolo generale, come poi nelli altri prouinciali, è conuentuali, ſi faccino depoſta ogni paſſione, & affettione, conforme alla diſpoſitione del ſacro Concilio di Trento. Ne s'intenda per valida, è canonica quell'elettione, nella quale non ſeranno concorſi più della metà dei voti, non oſtante qual ſi voglia vſo, ò conſuetudine in contrario.*

Superiores non poſſint mutare fratres per tres menſes ante diem electionis, nec in electionibus votum habeant, qui non fuerint locati per tres menſes ante diem electionis.

§. 2. *Nè poſſano li Superiori leuare i frati del Conuento per tre meſi auanti il tempo dell'elettione, che quiui s'harà da fare, eccetto ſe haueſſe commeſſo ſcandalo notorio; è nell'elettione d'eſſe, che s'haranno da fare ne i Capitoli conuentuali, non habbino voto quei frati, che non ſaranno ſtati locali in quel Conuento per tre meſi auanti il giorno dell'elettione.*

Generalis faciat publicare, & obſeruare decreta.

§. 3. *Il Generale, che ſarà eletto, faccia ſubito publicare i decreti di N.S. è procuri poi con efficacia poſſibile, è con le prouiſioni opportune l'eſſecutione d'eſſi.*

Vitium proprietatis extirpetur.

§. 4. *Principalmente auuertiſca di fare, che in ogni modo ſia in tutto, è per tutto leuata ogni radice del vitio della proprietà, non ſolo apparentemente nell'eſteriore, ma anco interiormente con leuare à i frati tutte l'occaſioni, per le quali poſſi pullulare queſto pernicioſo vitio nelli animi loro; poiche da eſſo procedono ſcandali infiniti nelle perſone regolari.*

Infirmi veſcentes carnibus in infirmaria Conuentu non egrediantur.

§. 5. *E perche il quarto voto della vita quadrageſimale è quello, che fa riſplendere l'inſtituto, è la Regola della Religione; però per ouuiare alli abuſi, è frandi de i frati poco zelanti della buona oſſeruanza, ſi rinoui, è reſtituiſca intieramente, per oſſeruarſi poi eſattamente, li ordini della Regola, è Correttorio: Cioè che ogni frate, qual ſarà giudicato dal Medico douer mangiar cibi paſcali, ſia tenuto ſtarſene all'infermaria per tutto quel tempo, che magnerà detti cibi, ſenza vſcir mai di Conuento, è ſenza mangiar fuora di detta infermaria, ſotto pena di priuatione di voce attiua, è paſſiua per tre anni ſubſequenti; dalla qual pena non poſſa eſſere habilitato, ſe non per gratia ſpeciale di queſta ſanta Sede.*

Generalis tenetur viſitare perſonaliter.

§. 6. *Il Generale ſia tenuto viſitare perſonalmente tutti Conuenti più principali dell'Ordine; maſſime in Itali, Francia, &*

Spagna,

Conuen. principaliores. Vide sup. constit. 14. Leonis X. num. 8.

Spagna, & portar poi in questa santa Sede tutte le sue visite con lo stato de i Conuenti, conforme all'instruttione, che è stata data da i Prelati della reforma: & il tutto debba essequire, se non sarà ritenuto da giusto impedimento, del quale porti, ò mandi proue legitime, è concludenti per sua escusatione: è se sarà possibile, che giusta causa non l'impedisca, finito dette visite, se ne venghi il Generale con esse à Roma, per dar conto della buona essecutione delle commissioni di N.S. & informar la Santità sua di quello, chè conuerrà, che s'habbia à fare per seruitio, ò buon gouerno della Religione.

Collegæ Generalis non sint ipsius consanguinei, nec creaturæ.

§. 7. *Li tre Compagni del Generale s'eleggano persone mature, è di gouerno, che non siano attinenti di sangue al Generale istesso, ne notoriamente creatore sue, ò da lui dipendenti.*

Dicti collegæ teneantur semper ire cum Generali sub pœna priuationis.

§. 8. *Li predetti tre Compagni vadano personalmente col Generale in visita tutt'il triennio del suo Generalato, & se alcuno mancherà, non hauendo legitimo impedimento, da prouarsi dalla Santità sua, caschi in pena della priuacion della voce attiua, è passiua per cinque anni subsequenti, ipso facto, senz altra dichiaratione, & nella visita aiutino il Generale, facendo le parti loro, come dispone la Regola, & Correctorio.*

Tres Collegæ Prouincialis, & Correctorum non sint ipsorum consanguinei, nec creaturæ.

§. 9. *Li tre compagni de Prouinciali, & Correttori s'elegghino persone non attinenti, ne dependenti notoriamente dal Prouinciale, ò Correttori, come s'è detto de Compagni del Generale, & facemo l'vfficio loro, come di sopra s'è esplicato.*

Superiores in Prouinciis studia erigant.

§. 10. *Li Superiori vsino diligenza per mettere in ogni Prouincia, oue non sono, li studij dell'humanità, filosofia, teologia, ò alcune di dette professioni, secondo la capacità de i luoghi con fare ogn'opra, che li frati attendano à studiare.*

Examinent constitutos in sacris.

§. 11. *Li medesimi Superiori essaminino li frati constituiti in ordini sacri, & suspendino quelli troueranno ignoranti dalle funtioni delli ordini, procurando poi ch'imparino, & si faccino sufficienti, nè li rehabilitino, sin tanto che non siano idonei.*

Nouitij professi sint sub cura Magistri.

§. 12. *Li nouitij etiamdio doppo fatta la professione, stiano sotto la disciplina del Maestro loro de nouitij per due, ò tre anni appresso, secondo, che ricercherà la conditione, & natura del soggetto, à giuditio del Correttore. S. Tharuggio Commiss. di S. Spirito. M.A. Massa.*

Generalis faciat publicare decreta, eorumque copiam singulis Prouincialibus mittat, qui de statu Religionis moneant.

§. 13. *Reuerendiss. Padre osseruandiss. D'ordine di N. S. si mandano à V.P. reuerendiss. alcuni decreti, ordini, & auertimenti, fatti per il buon gouerno, & reforma di cotesta sua Religione, quali vuole la Santità sua, che ella li facci publicare nel Capitolo generale, facendone dar copia à tutti li Prouinciali, con ordine, che debbano essequire, & mettere in vso in tutti li Conuenti delle Prouincie loro, & insieme con li altri, che furono molti giorni sono consignati al P. Zeloso, & massimamente il fatto particolare di leuare tutti li Conuenti piccioli, nelli quali non possono sostentarsi almeno dodici frati di famiglia, è di porre in scritto lo stato di tutta la Religione, distinto per Prouincia, è poi per Conuenti, secondo la forma, che si dirà di sotto. Et caso che per l'essecutioni di detti decreti, & ordini vi fusse qualche difficoltà, V. P. reuerendiss. li faccia metter in scritto con li temperamenti, che desiderarebbono, mandandone quà poi plena informatione, acciò si possa risoluere, & ordinare appresso, quanto si giudicherà espediente. Mà frà tutto vuole, è commanda sua Beatitudine senza replica alcuna s'osseruino detti decreti, & ordini, è che à carico del Generale stia il farli essequire intieramente, conforme alla cia, & santa intentione di sua Beatitudine, con farli anco inserire frà le constitutioni dell'ordine loro. Si vuol sapere, quante Prouincie sono quelle, nelle quali si diuide tota la Religione, è come sia ciaschedunna Prouincia nominata, quanti Conuenti siano per ciaschedunna Prouincia, quali, è quanti luogi di studij, quanti, è quali luoghi di nouitij, quanti, è quali luoghi di nouitij: Si mandi nota, & informacion del sito, & fabrica di ciascheduno Conuento, da chi, & quando siano stati fondati, se vi sono Religiosi insigni, & quali; Se hanno oblige di messe, è di quante: Se vi sia cura d'anime essercitata da frati, ò da altri? Quanti frati vi siano residenti, quanti di essi siano Sacerdoti, Diaconi, Sobdiaconi, Clerici, quanti Conuersi, & quanti seruienti: Se l'intrate sono certe, è se consistono in beni stabili, danari, ò elemosine, & quante siano: Se dette intrate siano sufficienti per il numero delli dodeci frati; Con tutto quello di piu, che parerà potersi dire, & aggiongere alli sopradetti capi. Con che per fine, li baciamo le mani, è preghiamo, dal Signor Iddio ogni vero contento.*

Da Roma, li 4. di Maggio, 1596. Di V.P. reuerendiss. per seruirla S.Tharugg. Commiss. S. Spiritus. M. Ant. Massa.

§. 14. *De mandato S.D.N. Papa Clementis diuina prouidentia Papa VIII. præcipitur, & mandatur Superioribus Carmelitarum Mantuan. Sanctiss. Trinit. S. Francisci de Paula Minimorum. S. Onofrij Auerd. vt ex cætero eligant, & eligere debeant ex Conuentibus, siue Conuentitiis, de quibus notam dederunt, illos, quot eis visum fuerit posse sustentare numerum duodecim fratrum: illos autem, quos numerum huiusmodi sustentare non posse iudicauerint, dimittere. & vlteriùs infra mensem post festum Pentecostes procurent à die ipsius festi, videlicet Prima die festi Pentecostes prædicta computandum, distinctam notam de Conuentibus electis, cum nominibus fratrum ibi residentium, ac de dimissis, & reelectis, cum specificatione etiam locorum, in quibus existunt, Admodùm Ill. Et R. P. D. Sorbolongo visitationis Apostolicæ S. D.N. Papæ Secretario, omni, & quarumque acceptione*

Dimittantur Conuentus, qui numerum 12. fratrum nequeunt sustentare.

iure in ſuo fine cauſa priuarentur; quod eſt iniquum. *cap. Satis peruerſum, d.* 56. *& cap. Inuentum* 16. *q.* 7. & per conſequens poſſent proteſtari de grauamine, & de nullitate electionis, & appellare ad Superiorem, qui teneretur electionem illam nullam declarare, ſi illi conſtaret, quòd appellans fuiſſet amotus à Conuentu tam tempore coarctato, vt non potuiſſet in alium commodè ſe transferre, in cuius electione votum haberet, arg. *cap. Quod ſicut*, §. *Quod ſi*, *de elect.*

11. Noto 5. quòd per illam clauſulam, *ante tempus electionis*, ſignificatur, quòd amouendus debeat amoueri per tres menſes antecedentes diem electionis incluſiue. Et ſic quando dicitur, quòd electores debent eſſe locati per tres menſes ante diem electionis, intelligitur etiam incluſiuè. Qui itaque fuerit locatus *die* 15. *Iunij*, dicetur locatus per tres menſes ante diem electionis quæ fit 15. Septembris, & ſimiliter qui eo die fuerit amotus, ſi commodè poterit ſe transferre ad locum in quo locatur, dicetur amotus per tres menſes ante diem electionis. Ante diem enim apud Iuriſtas idem ſignificat, quod ipſo die. Ita Cuiac. *to.* 1. *ſuorum operum*, *leg. Qui ante*, *ff. de verb. obliga.* *pag* 856. id multis probat Lexicon iuris.

12. Noto 6. quòd de tali aſſignatione ante tres menſes debet conſtare Superiori & Conuentui, in quo talis eſt aſſignatus, ad tollendas fraudes. Vnde ego in talibus aſſignationibus ſemper curaui, vt aſſignatus literas ſuæ aſſignationis coram Superiore, & fratribus localibus dicti Conuentus ſimul vnitis publicaret. Quod poſtea vidi eſſe ſtatutum apud fratres Prædicatores, prout refert Caſtell. *cap.* 5. *de elect. numero.* 78. *verſu Quod totum*, *pag.* 151. Quòd ſi quis de ſua aſſignatione conſtare non fecerit Capitulo Conuentus, in quo eſt aſſignatus, tempore electionis non erit admittendus, præſumitur enim in fraudem ſuam aſſignationem tacuiſſe. Ita Caſtell. modò citandus *pag.* 154. *verſu Alia aſſignationes.*

13. Noto 7. quòd poteſt Prouincialis mittere aliquem fratrem localem in aliquem Conuentum ante tres menſes diei electionis, qui ſic miſſus, localitate ſumpta, & ibi per tres, aut quatuor dies permanens, poteſt redire, ſuadente id aliqua ratione, ad alium Conuentum, reuerſurus tempore electionis ad eligendum in illo Conuentu, in quo fuit localis aſſignatus. Ita declaratum eſt *in Cap.* 6. *Romano.* me præſente, inſtante Vicario prouinciali Aragoniæ, licèt hoc decretum negligentia Scribæ inter alia decreta dicti Capituli inſertum non fuerit. Quod lætus reperi deinde tenere Caſtell. *cit. cap.* 5. *numero.* 37. *verſu Aſſignatus verò*, *pag.* 133. Ex quo etiam confirmo id, quod dixi *numero* 7. Si enim poteſt quis pro ſuo libito id facere, quare non licebit Prouinciali aliqua iuſta ratione ducto, eum mittere? Hæc enim non ſunt contra mentem Pontificis, quæ ſolùm fuit obuiare abuſibus, qui auiditate regnandi in huiuſmodi electionibus fiebant: Ita enim ante hoc decretum Prouinciales diſponebant res, vt vnus in tribus, aut quatuor electionibus votaret; Nondum enim erat ſtatuta dies electionis, quæ fuit ſtatuta *in Cap. Rom.* 6. *numero.* 16. ſed eam ſtatuere ad Prouinciales pertinebat.

14. Si dicas, illud decretum Romanum non valere, nam Papa videtur tempus illud trium menſium requirere, vt fratres poſſint cognoſcere Conuentuum neceſſitates, & ita ſecundùm ſuam conſcientiam illis prouidere de Superioribus.

Reſpondeo id nullo modo poſſe eſſe verum; nam 1. Prouinciæ non ſunt tam magnæ in noſtra Religione, vt fratres non ſciant plùs, quid cuique Conuentui eſſet vtile; id enim vel ſciunt per experientiam, quia ibi aliàs fuerunt locales, vel ſaltem ab iis, qui ibi fuerunt, audierunt. Deinde non coguntur fratres eligere in Correctorem de corpore Conuentus, ſed ſufficit, quòd de corpore Prouinciæ; & fratres vnius Prouinciæ ſuſque deque ſe cognoſcunt.

15. Si quæras, quid dicendum de Collegis Generalis & de P. Zeloſo, qui, cum ſua officia terminentur in Capitulo generali, quod fit in die Pentecoſtes, non poſſunt vt plurimum ad ſuas Prouincias appellere in tempore, quo poſſint per Prouinciales aſſignari locales in aliquo Conuentu ante tres menſes electionis.

Reſpondeo *In Cap. Rom.* 7. *ſeſſ.* 9. matutina ſtatutum eſſe, quòd Patres Collegæ præteriti Generalis, & P. Zeloſus ſint locales, & habeant vocem in illis Conuentibus, in quibus fuerint aſſignati à Patre Prouinciali, poſt ipſorum reditum ad Prouincias proprias, etiam ſi non fuerint locati per tres menſes ante diem electionis. Et ratio, quæ ibi redditur, eſt: qua fuerunt occupati in negotiis Religionis; & nemo debet abſque culpa iure eligendi priuari. Quod ſtatutum eſt valde conforme regulæ iuris Cæſarei 183. quæ dicit, quòd *abſentia eius, qui Reipublicæ cauſa abeſt, neque ei neque alij damnoſa eſſe debet:* & habetur expreſsè *in cap. Expoſuit*, *de dilat.* vbi Gloſſa *verbo vtilitate* multa congerit; Et docet Bart. *ad leg. Teſtamento*, *ff. de alim. & cib. legat. num. vn.* Secus autem eſt de iis, qui negotiorum propriorum gratia ad Capitulum generale accedunt: Hi enim vel remanent locales in iis Conuentibus, à quibus diſceſſerunt, in quibus erant locales; vel, ſi ad alienam Prouinciam mittantur, pro eo anno, ſi tempore debito non appulerint, debent carere iure eligendi; proprij enim commodi gratia, non publici, abfuerunt. Ita expreſsè *in leg: Qui libera*, *ff. de legat.*

16. Si quæras etiam, Obtinuit quis obedientiam à P. Generali pro localitate alicuius Prouinciæ, ad quam iter capiendo attingit *die* 15. *Iunij*, & appellit primò Conuentum, in quo Prouincialis illius Prouinciæ non reperitur, qui eum poſſit aſſignare localem, votabitnè iſte in Conuentu, ad quem primò appellit, an verò pro illo anno non votabit?

Reſpondeo hunc caſum fuiſſe definitum *in c. Val.* 3. *num.* 23. his verbis: *Concluſerunt inſuper, quòd ſi quis fratrum per obedientiam P. Generalis ex vna Prouincia in aliam venerit, cum primum in aliquem talis Prouinciæ Conuentum ſe contulerit, & ad Prouincialem commodè adire non poſſit, inſtetque electionis tempus, voce actiua, & paſſiua in eadem illius Conuentus electione gaudebit, licèt à P. Prouinciali nondum ſit aſſignatus.*

§. VI. & V.

17. NOta ſanctum ſtatutum. Nam proprietas eſt Religionis ruina; vnde bene Papa ait, eam eſſe auferendam, non tantùm extrinſecè per præcepta, ſed etiam intrinſecè, dando Religioſis id, quod ſufficit ad victum, & veſtitum vnicuique ſecundùm ſufficientiam. Verum eſt enim, quod dixit quondam Gregorius XIII. in quadam bulla, quæ incipit, *Deo ſacris, quominùs Religioſi diſtrahuntur in quærendis ſibi neceſſariis, eò ferventius in Dei ſeruitio occupantur.*

18. Nota quò ad §. 5. quæ dico *to.* 1. *Relig. quæſt.* 4. *cap.* 8. vbi ex profeſſo hoc ſtatutum declaro. Et adde concluſioni 2. quòd propter rationes ibi dictas puto, quòd conualeſcentes ex longa infirmitate poſſunt etiam egredi Conuentu ad corporis exercitationem, & mentis exhilarationem de licentia Medici, & Superioris. Puto etiam, poſſe egredi prædicatores, qui infirmitate correpti neceſſitantur comedere carnes, eſt enim rationi conſonum; Et has omnes declarationes, & illas ibi dictas admittit grauiſſimum hoc pœnale ſtatutum ſecundùm æquitatem interpretatum.

tatum. Ad quod facit optima doctrina Paoor *in cap. Suggestum, de appll. num.* 2 vbi ait quòd : *Dispositio generalis restringenda est ad limites rationis illius ; quod si nullam rationem exprimat , restringi debet ad rationem naturalem , propter quam coniecturare possumus, dictam dispositionem fuisse factam ; & illam dispositionem ita seruare , vt ratio naturalis interpretata militet.*

19. Adde hic etiam alium casum , scilicet. Quòd Religiosus modis debitis dispensatus ad comedendas carnes , si debet peregrinari , potest vbique carnes comedere. Nec est necesse , vt in singulis Conuentibus dispensationem petat à Medico , & Superiore; quia ista dispensatio est personalis , quæ personam sequitur : Sicut à simili , si Episcopus dispenset cum aliquo ad comedendas carnes , vel ad non ieiunandum tempore Quadragesimæ propter infirmitatem, quocumque iste vadat , potest carnes comedere , absque alia licentia Ordinariorum , in quorum Diœcesibus deget. Atque ita docet Suar. *lib. 8. de leg. cap.* 26. *num.* 14. *&* 15. multis id confirmans. Et denique conclusionem 3. qua probo , Superiores dicto statuto non comprehendi , probat etiam *ex clem.* 1. *de Regul.* quæ loquendo de Monachis , & aliis habentibus administrationem , non comprehendit Abbatem , quia ibi non nominatur , & sumus in odiosis. Ita Card. *in d. clem. nn.* 7. Gomes. *q.* 4. *ad reg. Cancell. versu Et in eadem ratione , pag. mihi* 16.

§. VII. & VIII.

20. NOta , quòd Collegæ Generalis , & Collegæ Prouincialis , vt *infra* , §. 9. non possunt esse nec fratres , nec nepotes , nec consobrini , nec consanguinei vsque ad secundum consanguinitatis gradum , nec ipsius Generalis , vel Prouincialis creaturæ, v. g. quòd ab illis habitum , & professionem receperint , quòd sub illorum tutela semper permanserint, quòd communiter ab illis dependere existimentur; & hoc vt absque respectu Superioris , quod iustum, & rectum illis visum fuerit , pro sua parte decernant.

21. Nota quò ad §. 8. quod Passar. *in schol. ex Barchin. num.* 17. defendit, quòd Collegæ Generalis, & Prouincialis non sunt comparticipes officij , sed solùm puri consiliarij. Hæc quæstio indiget longiori discussione , quæ huius loci non est. In expositione Regulæ , Deo dante , pro veritate resoluam. Hic solùm dico , communem vsum esse contra doctrinam Passar. Et in Correct. *num.* 23. dicitur , quòd pœnitentiæ in dicto Correctorio taxatæ , de consensu Collegarum , qui intelliguntur nomine Seniorum , vt patet *ex Regula* , *nu.* 51. imponantur.

§. X.

22. NOta sanctissimum statutum , quod congruit *cap.* 1. *&* 2. *de Magis.* Et merito pro reformatione Religionis inductum. *Ignorantia* enim *mater omnium delictorum est* , vt bene Lactan. *lib.* 3. *diuin. instit. cap.* 26. & Clem. Alex. *p.* 3. *de offic. Sacer.* multis de ignorantia dictis , ait. *Ex his colligitur, quod origo totius mali ab ignorantia descendit* , Et Trismegistus in Pimandro dixit, *Ignorantiam mundum destruxisse.* Quare *Isai. cap.* 33. Timendum , aiebat , de destructione Ierusalem , quia literatus in ea non erat. Ecce verba. *Cor tuum meditabitur timorem. Vbi est literatus ? Vbi legis verba ponderans ? Vbi Doctor paruulorum ?* Quasi dicat. Timebis , & merito , destructionem tuam , ô Ierusalem , quia non est in te vir literatus , qui scientiam scripturam ignorantes doceat. Qui igitur cadentem Religionem sustinere desiderat , & relaxatam reformare , studia instituat necesse est. *Scientia* enim *Scripturarum*, in quam specialiter incumbunt Religiosi, *opprimit* , vt ait Lactan. loc. cit. *cupiditates, temperat iram , coercet libidinem, vitia omnia domat, & alterius natura hominem reddit.* Quare nobis magnificandus est valde hic Pontifex , qui studia in Religione instituenda mandat , sicut magnificatur a Scriptura S. Rex Iosaphat , de quo dicitur 2. Paralip. 17. *Quòd tertio anno Regni sui misit de Principibus suis , vt docerent in Ciuitatibus Iuda , & cum eis Leuitas , & Sacerdotes ; docebantque populum in Iuda , habentes librum legis Domini , & circuibant cunctas Vrbes, atque erudiebant populum.* Et subditur. *Creuit ergo Iosaphat , & magnificatus est vsque in sublime.* Et de Enoch dicitur Eccl. 49. *Nemo natus est in terra sicut Enoch : nam & ipse receptus est à terra.* Cuius rei si rationem quæras ; Respondet Sulpicius Seuerus Archiepiscopus Bituricensis *in Apolog. Gilberti Abbatis*, quòd ab Enoch Ciuitas condita est, auctoris nomine vocata , vbi Vniuersitatem instituit ad veram scientiam Dei docendam.

23. Sed quid dicemus de Prælatis , qui negligentes fuerunt , & sunt in exequendo hoc saluberrimo statuto , & vnico Religionis remedio. Certè à grauissima culpa non excuso , & pessimi regiminis condemno. Vt quid enim tot iuuenes bonæ indolis, & optimæ expectationis ad Religionem recipere , & deinde sine literis , & virtutibus nutrire ? Nesciunt, quòd

Fertilis , assiduè si non renouetur aratro,
Nil nisi cum spinis gramen habebit ager.

Audiant , quid de eis Oseas dicat cap. 4. *Conticuit populus meus , eo quòd non habuerit scientiam ; Quia tu scientiam repulisti , repellam te , ne sacerdotio fungaris mihi , & oblita es legis Dei tui, obliuiscar filiorum tuorum & ego.* Quasi dicat Deus , cum Prælatis istis loquens. Ego , ô Prælati , interrogaui populum , quem meum voco , quia ad mihi in Religione seruiendum duxi , Quare tantis me malis , & peccatis affecerit ; quare sic Religionem meam à seruo meo Francisco institutam pro parte sua destruxerit. Qui conticuit, dicens , id euenisse , quia non habuit scientiam , idest qui illum scientiam doceret. Tu, Prælate , qui repulisti scientiam , & noluisti iuuenes scientiam doceri, in id exequendo deses fuisti , scito , quia & ego repellam te ab officio , quod habes, priuabo te sacerdotio , & emeritas faciam luere & hic , & in inferno pœnas. Et tu Minimorum Religio , quia propter istorum Prælatorum nequitiam oblita es legis Dei tui, & filios tuos peccare , relaxatè , sine disciplina & sine mortificatione viuendo , fecisti , aut saltem permisisti, scias, quod ego filiorum tuorum , non meorum, quia deprauati sunt , obliuiscar.

24. At fortè respondebunt isti , quòd nostra Religio in humilitate fundata , ad se conseruandum literis non indiget , & quòd S. P. N. vir literarum expers erat. O Deus bone. Vitia se virtutes deprædicant? Ignorantia vitiorum mater dicitur humilitas , virtutum nutrix ? Malus quando bonum se simulat, pessimus efficitur. Vbi vitia virtutibus vestiuntur , actum est. Vnde ex Aug. 4. *contra Iul. cap.* 3. refertur quòd *nullum vitium præsentius venenum habet , quam quod sub virtutis , vel pietatis titulo venditatur* , & Basil. *epist.* 76. ait , Duplo puniendus venit , qui prætextu boni , quod malum est , facit , cum quod operatur, quod bonum non est , tum quòd ad perficiendum peccatum , bono , vt dicitur , vtitur cooperario. Vide Glossam *in Clem.* 1. *de relig. domib. verbo , sanctitatis,* quæ dicit , quod secundùm Greg. simulata æquitas duplex est iniquitas , quia malum facit , & abutitur bono. Vide P. Greg. *lib.* 13. *de repub. cap* 1. §. 1. *&* 2. Et Seneca ep. 56. *Omnia, vitia, in aperto leuiora sunt. morbi quoque tunc ad sanitatem inclinant , cum ex abdito erumpunt : Et auaritiam itaque & ambitionem,*

&

& cætera mala mentis humanæ perniciosissima scias esse, cum simulata sanitate subsidunt. Impudens mendacium est, fuisse S. P. N. omnium literarum expertem, Inter Scriptores ecclesiasticos eum reposuit Posseuinus *in bibliotheca sancta.* Et meritò. Tres enim Regulas cælesti doctrina plenas, Correctorium, & cæremonias conscripsit; Doctores Sorbonicos interrogantes de abstrusioribus theologiæ sacræ quæstionibus confudit. Lectores instituit, atque Prædicatores. Hæc non sunt ignorantium signa. Sed esto, quòd humanarum scientiarum ignarus esset, quia tamen ad Religionem regendam literas esse omnino necessarias conspexit, infusas à Deo petiit, & obtinuit. Qui talem habet spiritum, per easdem gradiatur semitas. Cæterum cautum est in iure, *cap. Cum ex eo, de elect. in 6.* quòd plùs proficit in legendo Doctor, quàm simpliciter Curatus in Sacramentis ministrandis. Et ad regendam Religionem, iure naturali, & diuino requiri scientiam, & consilij maturitatem, docet ex Arist, & Scriptura sacra Gutier. *part. 1. de tutel. cap.* 18. *num.* 2.

§. XII.

25. NOta, quòd nouitij, iuniores præsertim, etiam post professionem debent manere sub cura Magistri nouitiorum, & in ipso nouitiatu per duos, aut tres annos, secundum iudicium Correctoris. Quod maximè obseruandum est in iis Conuentibus, in quibus Clericatus separati à dormitoriis aliorum fratrum non reperiuntur. Nec obstat illud decretum factum ab hoc eodem Pontifice in decretis generalibus pro educatione nouitiorum, de quo *infra in Vrb. VIII. constit. eius* 10. §. 98. quatenus dicit, quòd, durante nouitiatu, non liceat nouitiis vnà cum professis commorari, intelligitur enim de professis, qui à cura Magistri nouitiorum, & nouitiatu ipso exierunt, non de illis, qui nec à nouitiatu, nec à dicta cura vnquam egressi sunt. Neque etiam obstat aliud decretum *ibid.* §. 106. quatenus dicitur, quòd nouitij statim, professione emissa, in alium nouitiatum, si non, in alium Conuentum transferantur: Nam supponimus, alium nonitiatum non adesse, neque etiam Conuentum, quo ita disciplinatè possint nutriri. Quæ omnia confirmantur ex alio decreto *ibid.* §. 107. vbi concedit Papa, quòd si consuetudo sit in aliqua Religione, quòd recenter professi remaneant in nouitiatu sub cura Magistri per duos, aut tres annos, aut vsque ad Subdiaconatum, vt id facere possint. Quod in hac nostra Prouincia quò ad iuniores semper obseruari vidi.

§. XIV.

26. NOto, quòd non fuit executioni mandatum. Vnde Sacra Congr. Regularium de mandato Greg. XV. *infra in illo, constit. eius* 6. statuit, vt non reciperentur Conuentus, nisi in quibus duodecim fratres sustentari possunt. Et nouissimè Congreg. Concilij sub Vrb. VIII. vt *infra in vrban. constitut.* 9. addidit ad dictum decretum, quòd Conuentus recipiendi post dictum decretum Congregationis, in quibus duodecim fratres sustentari non poterunt, subiiciantur correctioni, & iurisdictioni Ordinariorum.

CONSTITVTIO III.

Quâ concedit Generali Ordinis Minimorum, vt possit examinare rehabilitationes fratrum priuatorum voce actiua, & passiua, obtentas à sacris Congregationibus, seu etiam à Papa ipso.

CLEMENS PAPA VIII.

Dilecto filio Correctori generali Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula salutem & Apostolicam benedictionem.

§. 1. *EXponi nobis nuper fecisti, quòd multi tui Ordinis fratres, qui à Superioribus propter demerita eorum, ac excessus, & delicta ab ipsis patrata, priuationis vocis actiua, & passiua, ac primogenitura, aliisque pœnis, & censuris, iuxta regularia dicti Ordinis instituta, fuerunt affecti, ac alij etiam, qui tales pœnas ipso iure ob transgressionem constitutionum eiusdem Ord. incurrerant, veluti apostata, & fugitiui, & ij, qui votis essentialibus per eos emissis contrauenerunt, videntes se ab ipsis eorum Superioribus ordinariis, attento quòd non sunt emendati, quinimmo de malo in peius quotidie prolabuntur, & in eorum pertinacia perseuerant, rehabilitationem non facilè obtenturos esse, ambitionis spiritu moti, ad Apostolicam Sedem accedunt, ac fauoribus, ac aliis mediis ad sacram Pœnitentiariam nostram, & alias sacras Congregationes recurrunt, ab illis absolutionem, ac rehabilitationem, & restitutionem vocis actiua, & passiua, ac primogenitura, sæpe etiam antequam aliquam pœnitentiam propter eorum delicta facere incipiant, impetrant, vt pacto ipsis Superioribus manus ligent, qui contra eos procedere non possunt, in graue totius Ord. detrimentum, & bonorum offensionem, prout nouissime frater G. frater M. & frater I. fecerunt, qui frater I. cum simili rehabilitatione Corrector Prouinciæ Venetiarum eiusdem Ordinis factus fuit, ad quam Prouinciam isti tales ferè omnes confugiunt. Quare nobis humiliter supplicare fecisti, vt pro tui Ordinis quiete, & conseruanda Superiorum auctoritate, & ne aliis delinquendi occasio ex facilitate veniæ consequendæ præbeatur, in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.* Supplicatio.

§. 2. *Nos igitur de tua fide, integritate, & Religionis zelo plurimùm in Domino confisi, ac huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi quascumque absolutiones, & rehabilitationes, tam à prænominatis G. M. & I. quàm aliis quibuscumque eiusdem Ordinis fratribus, & tam à* Concedit prout in summario.

Ee sacra

sacra Pœnitentiaria, ac aliis Congregationibus, quam à nobis, & Apostolica Sede impetratas, & literas etiam desuper Apostolicas, & in forma Breuis forsan expeditas renidendi, & examinandi, ipsos impetrantes ad illas tibi exhibendas etiam sub censuris, & pœnis ecclesiasticis, aliisque opportunis iuris, & facti remediis cogendi, & compellendi, plenam, & liberam facultatem, auctoritatem, & licentiam auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus, & impertimur.

Derogat contrariis. §. 3. *Non obstantibus præmissis, ac quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ipsiusque Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, vt antequam de vtilitate, aut inualiditate dictarum gratiarum obtentarum aliquid statuas, vel decernas, ad nos referre, simulque tuam circa eas opinionem nobis significare quamprimum cures. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscat. die 5. Decembr. 1600. Pontif. nostri anno 9. M. Vestrius Barbianus.*

CONSTITVTIO IV.

Quâ concedit, vt, decedente aliquo fratre, seu aliquo ex parentibus alicuius fratris, vel aliquo habente literas fraternitatis, vel qui fratres ad hospitium recipiunt, possint fratres illius loci, in quo vna ex talibus personis decesserit, missam vnam celebrare pro anima dictæ personæ defunctæ, quæ illam liberet à Purgatorij pœnis.

CLEMENS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmiũ. D*E omnium salute paterna charitate sollicitì, spiritualia de thesauro Ecclesiæ libenter erogamus, per quæ animæ fidelium defunctorum (præsertim Religiosorum) D.N. Iesu Christi, & gloriosissimæ eius genitricis Mariæ, ac Sanctorum omnium suffragia meritorum consequi, & illis adiuta ex Purgatorij pœnis ad æternitatis gloriam feliciter valeant peruenire.*

Concedit prout in summario. §. 1. *Supplicationibus igitur pro parte dilectorum filiorum Ministri prouincialis, & fratrum Prouinciæ S. Gabrielis Hispaniarum Ordinis S. Francisci Discalceatorum nuncupatorum nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, concedimus, vt, decedente aliquo dicti Ordinis Religioso, vel alicuius Religiosi parentibus, vel altero ipsorum, aut persona, quam ipsi Religiosi fratrem appellant, & in quolibet loco dictæ Prouinciæ ad eorum receptaculum, & subuentionem paratam habent, ab aliquo, seu aliquibus eius Conuentus, in quo Religiosi parentes, vel alter ipsorum decesserit, vel persona præfata in fratrem descripta fuerit, missam defunctorum pro anima ipsius defuncti, quæ Deo in charitate coniuncta ab hac luce migrauerit, celebrante, seu celebrantibus, anima ipsa de thesauro Ecclesiæ indulgentiam consequatur, ita vt, D.N. Iesu Christi, ac B.V.M. & Sanctorum omnium meritis sibi suffragantibus, à Purgatorij pœnis liberetur.*

§. 2. *In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ, apud S. Marcum, sub annulo Piscat. die 20. Iun. anno 1596. Pontif. nostri anno 5.* Derogat contrariis.

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1. NOto 1. quòd ista constitutio refertur à Rodriquez *in bull. in Clem. VIII. constit. eius* 8. *pag. mihi* 554. & *in princ.* 3. *part. quæst. reg.*

2. Noto 2. quòd isto priuilegio gaudent omnes Mendicantes communicationem habentes nec est reuocatum per constitr. Pauli V. reuocantis omnes indulgentias concessas fratribus, & nouas concedentis: Nam illa constitutio non comprehendit indulgentias concessas pro defunctis, prout idem Paulus declarauit, & dicam in ea, quæ est 8. *illius Pontific. num.* 5.

3. Noto 3. quòd potest quilibet sacerdos Ordinum Mendicantium, habitans in Conuentu, in quo decedit aliquis frater, celebrare missam defunctorum pro anima illius, & eam liberare à pœnis Purgatorij per modum suffragij. Similiter poterit eamdem missam defunctorum dicere pro anima patris, vel matris, vel vtorumque alicuius Religiosi, eamque vel eas liberare, vt supra. Similiter poterit eandem missam celebrare pro animabus illorum benefactorum, seu benefactricum, qui, vel quæ ipsos fratres recipiunt hospitio in suis domibus, quando illae contingit eis transire: Et similiter pro habentibus literas fraternitatis.

4. Noto 4. quòd Callistus III. concessit indulgentiam plenariam pro patribus, matribusque fratrum Minorum præsentium, & futurorum, & etiam defunctorum, vt refert Rodriq. *tom.* 3. *quæst. reg. quæst.* 27. *art.* 2. qui etiam declarat quomodo sit intelligenda. Et *tom.* 3. *sum. cap.* 11. vb ait, quòd hæc indulgentia est pro articulo mortis cum potestate eligendi confessarium qui eos absoluat ab omnibus casibus, & censuris.

5. Noto 5. quod de mandato huius Pontificis *anno* 1601. *die* 17. *Aprilis* factum fuit edictum à Congreg. Regularium de non retinendis in locis ecclesiasticis, in Italia tamen, bannitis, & decoctoribus, seu fallitis, idque Regularibus quidem sub pœna priuationis officiorum; cæteris verò ecclesiasticis sub pœna suspensionis. Ita dicit Scott. *in select. bull. theor.* 357. *versu Porro.* Sed ego decretum non vidi. Solùm vidi quasdam literas scriptas à Cardinali de Florentia Vicario Archiepiscopatus Genuensis, quæ sic habent: *Benche nostro Signore voglia, che sia osseruata l'immunità ecclesiastica, è che la constitutione di Greg. XIV. felice memoria sia essequuta, non li piace però, che le Chiese, ne li altri luoghi sacri seruano di asilo, ne di recettacolo à tristi. Onde vuole, che facciate prohibire, & intimare per parte di sua Beatitudine alli*

de

de Monasteri de Regolari di tutti li Ordini, è delle altre Chie se, è luoghi sacri in cotesta Città, è Diocesi, che per l'auuenire non diano ricetto à sorte alcuna di condennati, ne banditi, ladri, ne altra gente di mal'affare, ne à fallitine debitori, sotto pena della priuatione dell'vfficio à i Superiori regolari, è di sospensione alli altri, è sotto altre pene magagiori ancora ad arbitrio della Santità sua, ancora che i delinquenti non fussero trouati in fatto ne i Monasteri, è luoghi sacri, purche vi fussero stati. E di piu vuole sua Beatitudine, che siate auuertito, per punire quelli, ch'hauuranno ardire di contrauenire à quest'ordine. Potrete dunque cosi esseguire: E conseruateui sano, Di Roma li 17. Aprile, 1601. Al piacer vostro il Cardinal di Firenze.

6. Noto 6. quòd Farin. *de immun. eccles. n.* 348. & 349. refert eiusdem fere tenoris literas datas Nuntio Neapolit. *die* 11. *Aprilis* 1601. ab eodem Cardinali de Florentia, & alias datas Vicario Archiep. Bononiensis à Cardinali Alexandrino *die* 7. *Maij*, *anno* 1595.

7. Noto 7. quòd per dictas literas non est derogatum constitutioni Greg. XIV. *de immun. eccles.* quò ad condemnatos, bannitos, latrones, aliosque facinorosos homines, fallitos, & debitores, ita vt prædictæ personæ ad Ecclesiam confugientes illius immunitate generaliter gauderenon debeant, sed etiam inuiti extrahi, & Curiæ sæculari tradi. Sed solùm prohibetur illarum personarum receptatio, & manutentio à Superioribus ecclesiasticis in præiudicium iustitiæ, & contra sacrorum Canonum mentem. Atque ita, si dictæ personæ ad Ecclesias confugiant, gaudent quidem Ecclesiæ immunitate, sed iubentur dictis literis Regulares eos licentiare, & expellere, sub pœnis in eis contentis. Ita Farin. *de immun. eccles. num.* 57. 64. & 150.

8. Noto 8. quòd meo videri Superior regularis, qui reciperet, & retineret in suo Conuentu per aliquot dies bannitum, aliàs sibi beneuolum, & benefactorem, aliquem propter homicidium, v. g. factum sanguine calido, vel propter sibi grauissimam illatam iniuriam, seu etiam fallitum absque dolo, non incurreret dictas pœnas; mens enim Pontificis fuit solùm prohibere Regularibus, aliisque ecclesiasticis, ne illorum domus fierent receptacula hominum facinorosorum; facinorosus autem ex vi propriæ significationis significat hominem scelestum, flagitiosum, sceleratum, seditiosum. Puto itaque, prohiberi solùm ecclesiasticos receptare in suis domibus homines istos facinorosos, quales sunt latrones, assassini, decoctores dolosi, debitores fraudulenti. Atque ita videtur colligi ex literis dictis Vicario Bononiensi ibi, *personæ facinorose, è debitori fugitiui.* Et ita video obseruari hic Genuæ. Videtur etiam dicere Farinac. *loc. cit. num.* 150. qui *num.* 151. notat, dictas literas esse locales, & non per vim legis generalis emanatas. Quod probat; quia Paulus V. similes etiam dedit Nuntio Neapolitano, quæ superuacaneæ fuissent, si dictæ literæ Clementis per modum legis fuissent emanatæ. Sed posset dici, quòd eas innouauerit. Scott. autem, qui testatur de decreto Congreg. dicit, illud obligare in tota Italia. Et contra fauentes bannitis in statu ecclesiastico adest constit. Sixti V. quæ incipit. *Hoc nostri*, quam refert Quar. *verbo Bannitorum fautores, pag.* 92.

9. Noto 9. hac occasione, quòd contra Regulares tenentes arma prohibita in suis Ecclesiis, Monasteriis, locis sacris, aut aliis domibus suis in statu Mediolanensi, adest decretum sacræ Congreg. Regul. quod refert Nald. *in princ. sua sum.* quo id illis prohibetur sub pœna excommunicationis, & sub pœna priuationis officiorum, & inhabilitatis ad alia quæcumque obtinenda, ipso facto, absque alia declaratione incurrenda. Sed hoc decretum locale est, & alios regulares non comprehendit; cum enim pœnale sit, vltra casum expressum non est extendendum, iuxta ea, quæ dicit Suar. *tom.* 5. *in* 3. *p. disput.* 23. *sect.* 5. *num* 8. vbi ex eo quòd *in clem. Ne in agro, de statu Monach.* prohibeantur Monachi tenere arma intra claustra Monasteriorum, colligit, dicta excommunicatione non comprehendi Canonicos regulares, quia in ea non nominantur. Et in specie, quòd hoc decretum non extendatur nisi ad Regulares commorantes in dicto statu, colligo ex eodem vbi bis replicatur, *In statu Mediolanensi*; & repetitio eiusdem verbi magnum mysterium indicat, vt bene Glossa *in clem.* 1. *verbo Diœcesanis, de iur. patr.* mysterium autem est, vt solùm illos in eodem statu commorantes comprehendat.



PAVLI V.

Romani, Marci Antonij de Burghesiis filij ad summum Pontificatum assumpti die 15. Maij, 1605. qui dedit Ordini nostro infrascripta.

CONSTITVTIO I.

Quâ confirmat priuilegia Minimorum.

PAVLVS PAPA V.
Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmiũ.  *Niuncti nobis Apostolici muneris ratio postulat, vt sacrarum Religionum in militanti Ecclesia suaues in Domino fructus assiduè præstantium paternam curam gerentes, priuilegia, gratias, & indulta illis à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, & Apostolica Sede concessa, quò validiùs perpetuò subsistant, Apostolicæ confirmationis robore libenter communiamus.*

§. 1. *Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Hieronymus Durandus Procurator generalis Ordinis fratrum Minimorum S. Francisci* Supplicatio.

eisci de Paula, quòd dictus Ordo multis sibi à nostris prædecessoribus Romanis Pontificibus concessis gaudet priuilegijs, quæ sicut aliorum prædecessorum nostrorum confirmatione roborata fuere, ita & nostrarum vigore literarum communiri, & confirmari desiderat. Quare nobis idem Hieronymus totius Ordinis nomine humiliter supplicari fecit, vt desuper opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmat prout in summario. §. 2. *Nos igitur honestæ huiusmodi petitionis æquitatem attendentes, ac dicti Ordinis singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia, & singula, immunitates, exemptiones, libertates, fauores, prærogatiuas, facultates, gratias, concessiones, aliaque priuilegia, & indulta spiritualia, & temporalia, eidem Ordini, illiusque Superioribus, fratribus, domibus, Ecclesijs, Oratoriis, & locis regularibus quibuscumque etiam per modum communicationis, & extensionis inter se, & cum aliis Ordinibus Mendicantium, & non Mendicantium, ac aliàs quomodolibet concessa, ac semel, vel pluriès confirmata, & approbata, dummodò tamen sint in vsu, & sacris Canonibus, ac Concilij Trid. decretis, ac Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, & nostris constitutionibus, nec debitæ nobis, & S.R.E. obedientiæ, & fidelitati repugnent, aut regularibus dicti Ordinis institutis non aduersentur, neque reuocata, & abolita, aut sub aliquibus reuocationibus comprehensa sint, Apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illisque perpetuæ, & inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus: ac omnes, & singulos tam iuris, quàm facti, & solemnitatum etiam de iure necessariarum, & requisitarum, aut quosuis alios defectus, si qui in eis interuenerint, supplemus, illaque eidem Ordini, illiusque Superioribus, fratribus, regularibusque personis, necnō domib. Ecclesiis, Monasteriis, & locis huiusmodi suffragari, eosque vniuersos, & singulos illis vti, frui, potiri, & gaudere, vbi, quando, & quoties opus fuerit, posse, & debere in omnibus, & per omnia.*

Clausula sublata & decretum irritans. §. 3. *Sicque per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere. Ac irritum, & inane, si secus super his à quocumque quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Commissarios deputat. §. 4. *Quocirca dilectis filiis Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori ac nostris, & Apostolicæ Sedis etiam de latere Legatis, & Nuntijs per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque plenum eorum effectum sortiri, illisque omnes, quos concernunt, pacificè frui, & gaudere faciant: Non permittentes, quemquam illorum desuper contra præsentium tenorem per quoscumque quomodolibet indebitè molestari, perturbari, vel inquietari: Contradictores quoslibet, & rebelles etiam per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachij sæcularis.*

Derogat contrariis. §. 5. *Non obstantibus fel. rec. Bonif. Papæ VIII. prædecessoris nostri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur alijsque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innouatis; quibus omnibus, & singulis eorum tenores præsentibus pro expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.*

Transumptis fidem adhiberi iubet. §. 6. *Volumus autem, vt præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ, apud S. Marcum, sub annulo Piscat. die 16. Iulij, 1609. Pontific. nostri anno 5.*

CONSTITVTIO II.

Quâ concedit indulgentiam plenariam visitantibus nostras Ecclesias singulis primis sextis feriis cuiuslibet mensis; & dictas Ecclesias visitantibus singulis aliis sextis feriis totius anni septem annos, & totidem quadragenas de iniunctis pœnitentiis.

PAVLVS PAPA V.

Vniuersis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis salutem & Apost. bened.

Concedit indulgentiam plenariam. §. 1. *ALiàs ad augendam fidelium religionem, & animarum salutem cælestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, supplicationibus quoque dilecti*

filij

filij nostri Scipionis tit. S. Chrysogoni Presb. Card. Burghesii nuncupati (nostri secundum carnem ex sorore germana nepotis) nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus verè pænitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, qui Ecclesiam SS. Trinitatis in monte Pinceo de Vrbe singulis primis sextis ferijs cuiuslibet mensis, ab ortu Solis, vsque ad occasum dierum huiusmodi singulis annis deuotè visitassent, & ibi pro christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. matris Ecclesiæ exultatione pias ad Deum preces effudissent, quo die præfatorum id egissent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessimus.

Concedit indulgentiam temporaneam. §. 2. *Insuper eisdem Christi fidelibus similiter verè pænitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, qui dictam Ecclesiam in singulis alijs ferijs sextis totius anni, vt præfertur visitassent, & vt præfertur, orassent, quo die id egissent, septem annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis, seu aliàs quomodolibet debitis pænitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxauimus, & aliàs, prout in aliis nostris in simili forma Breuis desuper expeditis literis, quas ad decennium tantum valere voluimus, penitùs continetur.*

Confirmat prædictas indulgentias. §. 3. *Cum autem, sicut accepimus, dictum decennium propediem sit expiraturum, nos Ecclesiam huiusmodi ampliori dono illustrare cupientes, ac dictarum literarum tenorem præsentibus pro expresso habentes, omnibus, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus, verè pænitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, qui Ecclesiam SS. Trinitatis huiusmodi singulis primis sextis feriis cuiuslibet mensis ab ortu Solis, vsque ad occasum dierum huiusmodi singulis annis deuotè visitauerint, & ibi pro christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. M. Ecclesiæ exultatione pias ad Deum preces effuderint, quo die præfatorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.*

Confirmat etiam alias supradictas indulgentias. §. 4. *Insuper eisdem Christi fidelibus similiter verè pænitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, qui præfatam Ecclesiam in singulis alijs ferijs sextis totius anni, vt præfertur, visitauerint, & orauerint, quo die id egerint, septem annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis, seu aliàs quomodolibet debitis pænitentijs in forma Ecclesiæ consueta, seruata in reliquis, in omnibus, & per omnia præfatarum literarum forma, relaxamus, præsentibus ad aliud decennium à fine dicti decennij computandum, tantùm valituris. Datum Romæ, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscat. die 8. Augusti, 1615. Pontif. nostri anno 11.*

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1. NOto, quòd Vrbanus VIII. hanc indulgentiam concessit ad aliud decennium vt habes *infra, Tom. II, in eius const. 3.* Et quia speramus ex benignitate Apostolica aliquando concedendam fore perpetuò, ideo hic eam reposuimus. Circa quam possunt videri quæ dixi *supra. in const. S. Leonis X à num. 11.*

CONSTITVTIO III.

Quâ mandat celebrari festum S. Francisci de Paula sub ritu duplici.

PAVLVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

NOmen S. Francisci de Paula Confessoris, sanctitate vitæ, & miraculis clarissimi, amplioribus honoribus decorare, quantum cum Domino possumus, cupientes, ac totius Ordinis fratrum Minimorum nuncupatorum, ab eodem S. Confessore ad decorem, & vtilitatem domus Dei vniuersæ fundati, supplicationibus nobis humiliter porrectis incitati. Proœmium.

§. 1. *De venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium sacris ritibus præpositorum consilio, quòd, de cætero perpetuis futuris temporibus eiusdem. S. Francisci de Paula Confessoris festus dies sub ritu duplici per vniuersum orbem ab omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus, tam regularibus, quàm sæcularibus, qui officium diuinum recitare tenentur, seu recitare voluerint, celebrari, ac recitari possit, & debeat, Apostolica auctoritate, tenore præsentium statuimus, & ordinamus; atque idcirco in Breuiariis, & Kalendariis in posterum imprimendis eius festum duplex describi, omnibusque Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Ecclesiarum Prælatis in vniuerso terrarum orbe constitutis, vt in suis quisque Ecclesiis, Prouinciis, & Diœcesibus præsentes nostras literas solemniter publicare, & ab omnibus ecclesiasticis personis sæcularibus, & quorumuis Ordinum Regularibus omnino obseruari faciant, præcipimus, & mandamus.* Concedit prout in summatio. Vide in nostro Rit. ante off. S. P. Francisci, not. 1.

§. 2. *Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrarijs quibuscumque.* Derogat contrariis.

§. 3. *Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ, apud S. Marcum, sub annulo Piscat. die 4. Maij, 1613. Pontif. nostri anno 8.* Transumptis fidem adhiberi iubet.

cisci de Paula, quòd dictus Ordo multis sibi à nostris prudecessoribus Romanis Pontificibus concessis gaudet privilegiis, quæ sicut aliorum prudecessorum nostrorum confirmatione roborata fuere, ita & nostrarum vigore literarum communiri, & confirmari desiderat. Quare nobis idem Hieronymus totius Ordinis nomine humiliter supplicari fecit, ut desuper opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmat prout in summario.

§. 2. *Nos igitur honesta huiusmodi petitionis æquitatem attendentes, ac dicti Ordinis singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia, & singula, immunitates, exemptiones, libertates, fauores, prærogatiuas, facultates, gratias, concessiones, aliaque privilegia, & indulta spiritualia, & temporalia, eidem Ordini, illiusque Superioribus, fratribus, domibus, Ecclesiis, Oratoriis, & locis regularibus quibuscumque etiam per modum communicationis, & extensionis inter se, & cum aliis Ordinibus Mendicantium, & non Mendicantium, ac aliàs quomodolibet concessa, ac semel, vel pluriès confirmata, & approbata, dummodò tamen sint in usu, & sacris Canonibus, ac Concilii Trid. decretis, ac Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, & nostris constitutionibus, nec debitæ nobis, & S.R.E. obedientiæ, & fidelitati repugnent, aut regularibus dicti Ordinis institutis non aduersentur, neque reuocata, & abolita, aut sub aliquibus reuocationibus comprehensa sint, Apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illisque perpetuæ, & inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus; ac omnes, & singulos tam iuris, quàm facti, & solemnitatum etiam de iure necessariarum, & requisitarum, aut quosvis alios defectus, si qui in eis interuenerint, supplemus, illaque eidem Ordini, illiusque Superioribus, fratribus, regularibusque personis, necnō domib. Ecclesiis, Monasteriis, & locis huiusmodi suffragari, eosque vniuersos, & singulos illis uti, frui, potiri, & gaudere, vbi, quando, & quoties opus fuerit, posse, & debere in omnibus, & per omnia.*

Clausula sublata & decretum irritans.

§. 3. *Sicque per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere. Ac irritum, & inane, si secus super his à quocumque quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Commissarios deputat.

§. 4. *Quocirca dilectis filiis Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori ac nostris, & Apostolicæ Sedis etiam de latere Legatis, & Nuntiis per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque plenum eorum effectum sortiri, illisque omnes, quos concernunt, pacificè frui, & gaudere faciant: Non permittentes, quemquam illorum desuper contra præsentium tenorem per quoscumque quomodolibet indebitè molestari, perturbari, vel inquietari: Contradictores quoslibet, & rebelles etiam per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii sæcularis.*

Derogat contrariis.

§. 5. *Non obstantibus fel. rec. Bonif. Papæ VIII. prædecessoris nostri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur aliisque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innouatis: quibus omnibus, & singulis eorum tenores præsentibus pro expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.*

Transumptis fidem adhiberi iubet.

§. 6. *Volumus autem, vt præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ, apud S. Marcum, sub annulo Piscat. die 16. Iulii, 1609. Pontific. nostri anno 5.*

CONSTITVTIO II.

Quâ concedit indulgentiam plenariam visitantibus nostras Ecclesias singulis primis sextis feriis cuiuslibet mensis; & dictas Ecclesias visitantibus singulis aliis sextis feriis totius anni septem annos, & totidem quadragenas de iniunctis pœnitentiis.

PAVLVS PAPA V.

Vniuersis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis salutem & Apost. bened.

Concedit indulgentiam plenariam.

§. 1. *ALiàs ad augendam fidelium religionem, & animarum salutem cælestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, supplicationibus quoque dilecti*

filii

filij nostri Scipionis tit. S. Chrysogoni Presb. Card. Burghesij nuncupati (nostri secundum carnem ex sorore germana nepotis) nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus verè pænitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, qui Ecclesiam SS. Trinitatis in monte Pincco de Vrbe singulis primis sextis ferijs cuiuslibet mensis, ab ortu Solis, vsque ad occasum dierum huiusmodi singulis annis deuotè visitassent, & ibi pro christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effudissent, quo die præfatorum id egissent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessimus.

Concedit indulgentiam temporaneam. §. 2. *Insuper eisdem Christi fidelibus similiter verè pænitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, qui dictam Ecclesiam in singulis alijs ferijs sextis totius anni, vt præfertur visitassent, & vt præfertur, orassent, quo die id egissent, septem annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis, seu aliàs quomodolibet debitis pænitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxauimus, & aliàs, prout in aliis nostris in simili forma Breuis desuper expeditis literis, quas ad decennium tantùm valere voluimus, penitùs continetur.*

Confirmat prædictas indulgentias. §. 3. *Cum autem, sicut accepimus, dictum decennium propediem sit expiraturum, nos Ecclesiam huiusmodi ampliori dono illustrare cupientes, ac dictarum literarum tenorem præsentibus pro expresso habentes, omnibus, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus, verè pænitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, qui Ecclesiam SS. Trinitatis huiusmodi singulis primis sextis feriis cuiuslibet mensis ab ortu Solis, vsque ad occasum dierum huiusmodi singulis annis deuotè visitauerint, & ibi pro christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. M. Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die præfatorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.*

Confirmat etiam alias suprædictas indulgentias. §. 4. *Insuper eisdem Christi fidelibus similiter verè pænitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, qui præfatam Ecclesiam in singulis alijs ferijs sextis totius anni, vt præfertur, visitauerint, & orauerint, quo die id egerint, septem annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis, seu aliàs quomodolibet debitis pænitentijs in forma Ecclesiæ consueta, seruata in reliquis, in omnibus, & per omnia præfaturum literarum forma, relaxamus, præsentibus ad aliud decennium à fine dicti decennij computandum, tantùm valituris. Datum Romæ, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscat. die 8. Augusti, 1615. Pontif. nostri anno 11.*

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1. Noto, quòd Vrbanus VIII. hanc indulgentiam concessit ad aliud decennium vt habes *infra, Tom. II, in eius const. 3.* Et quia sperannus ex benignitate Apostolica aliquando concedendam fore perpetuò, ideo hic eam reposuimus. Circa quam possunt videri quæ dixi *supra, in const. 8. Leonis X. à num. 12.*

CONSTITVTIO III.

Quâ mandat celebrari festum S. Francisci de Paula sub ritu duplici.

PAVLVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. *Nomen S. Francisci de Paula Confessoris, sanctitate vitæ, & miraculis clarissimi, amplioribus honoribus decorare, quantum cum Domino possumus, cupientes, ac totius Ordinis fratrum Minimorum nuncupatorum, ab eodem S. Confessore ad decorem, & vtilitatem domus Dei vniuersæ fundati, supplicationibus nobis humiliter porrectis incitati,*

Concedit prout in summario. Vide in nostro Rit. anto off. S. P. Francisci, not. 1. §. 1. *De venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus præpositorum consilio, quòd, de cætero perpetuis futuris temporibus eiusdem. S. Francisci de Paula Confessoris festus dies sub ritu duplici per vniuersum orbem ab omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus, tam regularibus, quàm sæcularibus, qui officium diuinum recitare tenentur, seu recitare voluerint, celebrari, ac recitari possit, & debeat, Apostolica auctoritate, tenore præsentium statuimus, & ordinamus; atque idcirco in Breuiariis, & Kalendariis in posterum imprimendis eius festum duplex describi, omnibusque Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Ecclesiarum Prælatis in vniuerso terrarum orbe constitutis, vt in suis quisque Ecclesijs, Prouincijs, & Diœcesibus præsentes nostras literas solemniter publicare, & ab omnibus ecclesiasticis personis sæcularibus, & quorumvis Ordinum Regularibus omnino obseruari faciant, præcipimus, & mandamus.*

Derogat contrariis. §. 2. *Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrarijs quibuscumque.*

Transumptis fidem adhiberi iubet. §. 3. *Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ, apud S. Marcum, sub annulo Piscat. die 4. Maij, 1613. Pontif. nostri anno 8.*

CONSTITVTIO IV.

Quâ extendit Generalatum Ordinis Minimorum ad sexennium.

PAVLVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Generalis triennalis erat, nec poterat totam Religionem visitare.

§ 1. Vm sicat accepimus, ex Regula, seu constitatione Ordinis fratrum Minimorum, S. Francisci de Paula à Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris sanctaque Sede Apostolica hucusque confirmata disponatur, quolibet triennio, & in festo SS. Pentecostes dicti Ordinis, Capitulum generale celebrari; & in eo illius Corrector generalis, eiusque Collega, ac etiam ipsius Ordinis Zelosus, seu Procurator generalis, in loco depatato, vt moris est, omnibus dicti Ordinis Prouincialibus, eorumque Commissis congregatis, eligi debeant, prout in huiusmodi festo die penultima mensis Maij proximè praeteriti obseruato dictum Capitulum generale celebratum, & in eo Corrector generalis eiusque Collega, & Zelosus, seu Procurator generalis praedicti electi fuerunt. Nihilominus, cum dictus Ordo, illiusque domus regulares non solùm in Italia, sed etiam in Gallia, & Hispania in dies propagentur, ac etiam amplientur, ipsi Generales eorumque Collegae suas integras in praedictis nationibus visitationes nullo modo infra dictum triennium, prout ipsorum regularis Ordo requirit, efficere possunt, immo verò quae ab eis in aliqua praedictarum nationum visitatione efficiuntur, ita festinanter propter temporis eis praescripti breuitatem fiunt, vt in suum Ordinem nullum, vel saltem minimum possit inde resultare emolumentum, ita vt nedum ex incommodis huiusmodi, verametiam ex ipso triennali sic; vt praefertur, totius Ordinis praedicti Prouincialium, eorumque Commissorum ad Capitulum generale huiusmodi celebrandum conuentu, ingentes sumptus, grauesque molestias dictus Ordo subire cogatur. Quibus, & alijs forsan causis per nos prouidè consideratis, & re ipsa à dilectis filijs Praelatis Congregationis reformationis maturè discussa, ad euitandos huiusmodi sumptus, & expensas, ac incommoda, quae praemissorum occasione oriri possunt, modo infrascripto prouidendum esse duximus.

Extendit Generalatum, & Zelosatum ad sexennium Vide to. 1. §. 1. pag. 176. Relig. cap. 18.

§. 2. Nos igitar ia supremo dignitatis culmine, diuina fauente clementia, constituti, ad ea, per quae Religiosorum pia vita, diuinique numinis obsequiis sub regularis obseruantiae norma vacantium status salubriter dirigi valeat, libenter attendentes; Motu proprio, & ex certa scientia, ac mera deliberatione nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, quòd de caetero perpetuis faturis temporibus dictum Capitulum generale, non quolibet triennio, prout hactenus obseruatum fuit, sed de sexennio in sexennium celebretur, in eoque Corrector generalis, illiusque Collega, ac Zelosus, seu Procurator generalis, praedicti Ordinis Prouincialibus, eorumque Commissis congregatis, ac reliquis obseruari solitis seruatis, ad huiusmodi sexennium eligantur, ac celebrari, & eligi debeant; ita vt electio dilecti filij Stephani Augerij moderni dicti Ordinis Correctoris generalis, eiusque Collegarum, ac dilecti etiam filij F. Hieronymi Durandi Zelosi, seu Procuratoris generalis, à die festiuitatis SS. Pentecostes huiusmodi proximè praeterita computanda, duret, prout nos illam ad huiusmodi sexennium extendimus, & ampliamus. Quo quidem sexennio durante, ipsi, & eorum quilibet eisdem priuilegiis, praerogatiuis, antelationibus, fauoribus, auctoritate, officio, praeminentia, & iurisdictione, aliisque gratiis, tam spiritualibus, quàm temporalibus, quibus dicti Ordinis Corrector generalis, eiusque Collega, & Zelosus, seu Procurator generalis hactenus vsi, potiti, & gauisi fuerunt, ac quibus de iure, vsu, consuetudine, priuilegio, aut aliàs quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, ipsi pariter, & pariformiter, absque vlla prorsus differentia, vtantur, potiantur, & gaudeant; dictoque sexennio elapso, & non antea, dictum Capitulum generale celebretur, & celebrari debeat, in eoque quae de more fieri solent, dicto triennio penitus exclaso, fiant, & obseruentur. Alij verò Officiales, Prouinciales, eorumque Collegae de triennio in triennium, ac Correctores domorum dicti Ordinis de anno in annum, prout ex Regula dicti Ordinis disponitur, creentur, & deputentur, perpetuò statuimus, & ordinamus.

Apponit pœnas pro obseruatione.

§. 3. Et ita sub indignationis nostrae, necnon priuationis vocis actiuae, & passiuae, ac inhabilitatis ad quaecumque dicti Ordinis dignitates praeminentias, officia, & munia recipienda, & retinenda, ipso facto incurrenda poena, per quoscumque dicti Ordinis fratres, & Regulares, ac quosuis alios obseruari praecipimus, & mandamus.

Clausulae praeseruatiuae.

§ 4. Decernentes, praesentes literas de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari, aut aliàs quomodolibet infringi, vel retractari, seu inualidari, aut ad viam, & terminos iuris reduci, seu in ius, vel controuersiam vocari, aut aduersus eas quodcumque iuris, & facti, vel iustitiae, aut gratiae remedium intentari, impetrari, vel concedi nullatenus vnquam posse.

Clausula sublata, & decretum irritans.

§. 5. Sicque per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, dictaeque Sedis de latere Legatos, sublata eis, & eorum

eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere. Ac irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Commissarios deputat. §. 6. Quocirca dilectis filiis nostris, & Apostolicæ Sedis in Regnis Franciæ, & Hispaniarum Nuntiis, & causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi vel duo, unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Correctoris generalis, eiusque Collegarum, ac Procuratoris prædictorum, aut alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque & cuilibet eorum in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos, & eorum quemlibet præmissorum omnium, & singulorum effectu pacificè frui, & gaudere. Non permittentes, illos, aut eorum quemlibet desuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè molestari; Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes per censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Derogat contrariis. §. 7. Non obstantibus fel. rec. Bonif. Papæ VIII. prædecessoris nostri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodò ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac prædicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis, eidem Ordini, illiusque Correctori, Collegis, Procuratoribus, aliisque Superioribus, & personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis, in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis; quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem adhiberi iubet. §. 8. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ, apud S. Marcum, sub annulo Piscat. die 1. Octob. 1605. Pontif. nostri anno 1.

CONSTITVTIO V.

Quâ mandat Superioribus Ordinis Minimorum sub merito sanctæ obedientiæ, & pœna excommunicationis maioris ipso facto incurrenda, ne ad instantiam quarumcumque personarum extra Ordinem existentium dignitates suis subditis conferant, nec pœnas remittant; quibus pœnis subiacere vult etiam subditos fauores procurantes.

PAVLVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.



Admonemur pastoralis officij nostri debito diligentiùs prospicere, ne Religiosis, qui regularem vitam professi sæculo renuntiarunt, ad dignitates, & officia per emendicata suffragia ambitiosus pateat accessus. Proœmium.

Statuit prout in summario. §. 1. Quocirca motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, dilectis filiis Correctori generali, ac Provincialibus, & reliquis Ordinis fratrum S. Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum Prælatis, nunc, & pro tempore existentibus in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda præcipimus, & mandamus, ne ad instantiam, & requisitionem quarumcumque personarum, tam laicarum, quàm ecclesiasticarum, extra dictum Ordinem constitutarum, etiam Cardinalatus honore, & quacumque sæculari dignitate, & excellentia, etiam Ducali, Regali, & Imperiali fulgentium, cuiusvis dicti Ordinis Religioso ullam gratiam concedere, vel pœnas aliquas remittere, seu gradus, honores, dignitates, officia, administrationes, functiones, & prælaturas eiusdem Ordinis concedere audeant: Quin immo dicti Ordinis fratres, & Religiosos, qui contra decreta hac via, & his mediis, & per conquisitos fauores, & suffragia aliquid sibi procurauerint, ad talia, & similia, ac etiam maiora in eodem Ordine consequenda perpetuò inhabiles declaramus.

Fauores sponte oblatos recusare tenentur. §. 2. Insuper dictis Religiosis, & fratribus eiusdem Ordinis quibuscumque sub eisdem pœnis præcipimus, & expressè interdicimus, ut non solùm in præmissis omnibus fauores huiusmodi minimè procurare, sed nec etiam sponte oblatos, aut ab eis minimè procuratos recipere: & similiter

ne ad hunc effectum munera aliqua prædictis personis exhibere audeant, seu præsumant.

§. 3. *Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, dictique Ordinis statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, cæterisque contrarijs quibuscumque. Aut si Ordini, & fratribus prædictis communiter, aut diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.*

Transumptis fidem adhiberi iubet.

§. 4. *Volumus autem, quòd præsentibus literarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides vbique adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.*

Datum Romæ, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Pisc. die 6. Septembr. anno 1619. Pont. nostri anno 15.

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1. Nota 1. quæ dico *tom. 1. Relig. quæst. 2. cap. 2. §. 11.* vbi istam constit. declaro. Vide etiam similem constit. huius Pontific. pro Canonicis regularibus, quæ incipit, *Quoniam nemo*, apud Cherub. *tom. 3 bull. in Paulo V. constit. eius 25. pag. 224.* Et aliam eiusdem Pontific. pro Prædicatoribus, quæ incipit, *Admonemur*, apud Cherub. *ibid. in eodem, constit. eius 39. pag. 228.* Et aliam eiusdem pro Eremitis S. Augustini, quæ incipit, *Admonemur*, apud eundem Cherub. *ibid. in eodem, constitut. eius 48. pag. 240.* Vide etiam similem constitut. Clem. VIII. pro Cruciferis, quæ incipit, *Quoniam nemo*, apud Cherb. *tom. 3. bull. in Clem. VIII. constit. eius 109. pag. 158.* Et aliam eiusdem apud eundem Cherub. pro Carmelitis, quæ incipit etiam, *Quoniam nemo*, & est 23. *pag. 31.* Et aliam etiam similem Gregor. XIII. pro Prædicatoribus, quæ incipit, *Cum nihil*, apud Cherub. *tom. 2. bull. in Greg. XIII. constit. eius 62. pag. 439.* Hinc coniectari poterit, quàm semper zelauerint summi Pontifices vitium ambitionis, quod est falx Religionis ignea, à Religiosorum pectoribus auellere. Et verè, vt ait dictus Clemens, deberent potius Regulares studere promereri dignitates, quam eas appetere. An autem intentum dicti Pontifices sint consecuti, nescio: Sicut neque etiam scio, quomodo possint Religiosi contrafacientes se excusare.

2. Nota 2. quòd videns S. in Christo P. Vrbanus Papa VIII. quàm parum profecerint dictæ const. suorum prædecessorum ad arcendum à pectoribus Religiosorum ambitionis vitium; (vitium hominibus congenitum) tanquam pius pater zelans filiorum suorum Regularium animarum salutem, hoc anno 1627. cogitauit edere constit. valde terribilem, morbis enim inueteratis, & fistulosis non remediis ordinariis, sed igne, & ferro medendum; Quam tamen postea non edidit propter rationes, quas ignoro, paternam tamen clementiam respicere coniicio. Constitutio autem incipiebat: *Mendicmis fauoribus, quos rerum experientia docuit funditus regularem disciplinam conuellere*, & infra. *Hac perpetuò valitura constitutione, auctoritate Apostolica, sub pœnis excommunicationis, priuationisque dignitatum, & vocis actiuæ, & passiuæ, ipso facto, absque alia declaratione incurrendis, quarum absolutionem, & remissionem nobis, & successoribus nostris Romanis Pontificibus reseruamus, districtè inhibemus omnibus Religiosis, cuiusuis gradus, & conditionis existant, etiamsi Generales sint, ne de cætero pro Prælaturis, dignitatibus, gradibus, honoribus, officiis, administrationibus, muneribus, prærogatiuis, exemptionibus, priuilegiis, vel obedientiis seu facultatibus quibuscumque in sua Religione, vel extra eam assequendis, vel retinendis, aut etiam pro quacumque alia gratia, vel iustitia, in his, quæ ad regularem disciplinam, vel obseruantiam pertinent, impetranda, vel impedienda, ad fauores quarumuis personarum, siue sæcularium, etiamsi Ducali, Regia, vel Imperiali dignitate, siue ecclesiasticarum, extra gremium suæ cuiusque Religionis existentium, etiamsi Cardinalatus honore præfulgeant, vel etiamsi sint eiusdem Religionis, sed ad Episcopatus, vel Cardinalatus assumpti extra claustra degant, per se vel interpositam personam, directè, vel indirectè, & priuatim, & occultè, pro se, vel pro aliis Religiosis recurrant, neuè eisdem fauoribus, etiam sponte oblatis, & minimè conquisitis, vtantur, aut ad prædicta præbeant auxilium, consilium, vel fauorem, siue huiusmodi fauores sint apud Generalem, vel alium Superiorem, siue apud Capitulum generale, vel Prouinciale, vel conuentuale, siue etiam apud Cardinalem Protectorem, siue ad Papam, siue id fecerint non priuato nomine, sed Monasterij, Conuentus, Prouinciæ, Congregationis, Capituli, vel totius Religionis; & etiamsi fauores effectum consecuti non sint.*

Ac similiter omnibus, & singulis earundem Religionum Generalibus, Abbatibus, Præsidentibus, Commissariis, Procuratoribus generalibus, Definitoribus, Prouincialibus, Ministris, Præpositis, Prioribus, Guardianis, & aliis quibuscumque Superioribus, aut electoribus, seu vocalibus, sub iisdem pœnis, ipso facto, vt supra, incurrendis inhibemus, ne quemque Religiosum fauoribus huiusmodi adiutum, ad Prælaturas, &c. eligant, aut eidem exemptionem, vel obedientiam concedant, aut quamcunque aliam gratiam, vel iustitiam, in his quæ regularem disciplinam concernunt, intuitu huiusmodi fauorum faciant. Decernentes electiones, & exemptiones nullas, & irritas: ita vt obtinentes, ante vllam declarationem, etiam in foro conscientiæ his renuntiare teneantur.

Præterea sub iisdem pœnis eo ipso incurrendis, vt præfertur, statuimus, vt quisquis quoquo modo notitiam habuerit, aliquem suæ Religionis ad fauorem, vt supra, recurrisse, illum infra terminum quindecim dierum Generali, vel Prouinciali, &, si Generalis ille fuerit, Sedi Apostolicæ denuntiare teneatur. Idemque Generalis, vel Prouincialis, cui denuntiatum fuerit, constito de eodem recursu, illum eiusque fautores, consultores & complices, in pœnas excommunicationis, priuationis, & inhabilitatis huiusmodi incurrisse declaret.

Demum volumus, vt ad probandum, & conuincendum, Religiosos prædictos in sententias, & pœnas huiusmodi damnabiliter incidisse, sola Principum, neque aliorum vt præfertur, litera, vel preces, plenam, indubitam, & sufficientem in iudicio, & extra fidem faciant, nec ad id vlterius probationis adminiculum requiratur.

Hæc constitutio, vt dixi, non exiuit; vnde non obligat; Hic tamen in summa posui, quia fortè aliquando exibit, vel si non, videant Regulares, quàm oderint summi Pontifices istam diligentiam in procurandis fauoribus pro dignitatibus assequendis. Et ex ea vnum bonum effectum sperarem, si exiret *Cum enim recta ingenia*, vt ait Plinius, *debilitentur verecundia, & peruersa confirmentur audacia. Imperitia* namque, vt ait Hieronym. in reg. Monach. *confidentiam, & eruditio timorem creat.* Ignorantissimi quidam, sed verbosissimi, & audacissimi impudentissimè Curias Principum quotidie cursitare non erubescunt, eosque tot, tantisque verbis, & mendaciis student

allicere

allicere (*impudentes enim, & verbosi non habent in oculis pupillas virgines, sed meretrices*, ait Plut. de vitios. verec.) quovsque eos sibi beneuolos reddant. Quod facilè quandoque obtineot (Regibus enim communiter mali, quàm boni, chariores esse solent.) Quo obtento, nil aliud die, noctuque cogitant, quàm ambitiosam sitim extinguere dignitatibus; Vnde quod virtute non possunt, literis, & fauoribus suorum Dominorum (vt sine verecundia aiunt) acquirere satagunt. Quas si obtineaot, vt non semel aduenit, quomodo exerceant, ex eo Taciti colligi potest. *Nemo vnquam imperium flagitio quæsitum, bonis artibus exercuit.* Et quæ, Deus bone, non faciunt, vt eas acquirant? quam fidem, quam legem non frangunt. Vere meritò dixit Sallust. in Catil. *Ambitio multos mortales falsos fieri subegit; aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere; amicitias, inimicitiasque non ex re, sed ex commodo æstimare, magisque vultum, quàm ingenium, bonum habere.* Et hoc pacto à dignitatibus arcent viros literatos, & benemeritos, qui in suis cellulis, & Conuentibus commorantes, Deo, & Religioni student inseruire. Isti, inquam, timore pœnarum huius const. cogerentur à dictis fauoribus abstinere, Curiasque circumcursare, in Conuentibus remanere, diuinis interesse, Superioribus obedire. Ex alia verò parte dubitarem, si dicta constit. exiret, ne breui Superiores verterentur in tyrannos, & subditi in desperationem. Sunt enim quandoque Superiores Regularium (illi præsertim, qui mendicatis fauoribus dignitatem consequuntur) indiscreti, imprudentes, immisericordes, inhumani, vt nisi subditi aliquod fauorabile diffugium haberent, prope in desperationem deuenirent.

CONSTITVTIO VI.

Quâ prohibentur fratres tertij Ordinis S. Francisci portare habitum nostri coloris.

PAVLVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemiū. *INter graues pastoralis officij nostri curas, quibus assiduè premimur, hac potissimum nos vrget, vt Christi fideles, præsertim regularem vitam profitentes, semotis litium anfractibus, vnanimi voce, sub concordiæ legibus Altissimo vota exoluant, & si quæ inter eos orta sint lites, & discordiæ, illæ, prout ius, & æquitas postulant, eliminentur, & ne in futurum resurgant, opportunis remedijs prouideatur.*

Orta fuit differentia inter fratres tertij Ordinis S. Francisci, & nostros super distinctione habitus. §. 1. *Aliàs siquidem per nos accepto, quòd lis, & causa inter dilectos fratres tertij Ordinis S. Francisci de pœnitentia nuncupatos, vltramontanæ familiæ ex vna, & fratres Ordinis S. Francisci de Paula partibus ex altera super colore habitus gestandi à dictis fratribus tertij Ordinis, vt à prædictis fratribus S. Francisci de Paula apertè distingui possent, pendebat, Nos litem, & causam, seu causas huiusmodi venerabili fratri nostro Mariano Episcopo Tusculano de Camerino, & dilecto filio nostro Hieronymo tit. S. Blasij de anulo, S. R. E. Presb. Cardinalibus Pamphilio nuncupatis, Minimorum S. Francisci de Paula, & fratrum Minorum de Obseruantia Ordinum huiusmodi apud nos, & Apostolicam Sedem respectiuè Protectori, & Viceprotectori audiendas, cognoscendas, decidendas, fineque debito terminandas, omni, & quacumque appellatione remota, commisimus.*

§. 2. *Qui quidem Marianus, & Hieronymus Cardinales in executionem commissionis huiusmodi negotij pro maiori dictorum fratrum inter se quiete, & tranquillitate, iudicarunt, decreuerunt, & statuerunt, vt iuxta ipsorum Regulam, indultaque summorum Pontificum, præsertim fel. rec. Clementis Papæ VIII. prædecessoris nostri, habitus prædictorum fratrum tertij Ordinis, de pœnitentia nuncupati, sit ex humili panno confectus hoc modo, videlicet, vt ex quatuor partibus lanæ naturaliter nigræ, & sine aliqua tinctura contexta, & vna parte lanæ etiam naturaliter candidæ, ita quòd singulis quatuor libris lanæ naturaliter nigræ addatur vna libra lanæ albæ, & aliàs, prout in eorundem Mariani, & Hieronymi decreto desuper facto pleniùs dicitur contineri.* Pronūntiatum est pro nostra Religione.

§. 3. *Cum autem vtriusque Ordinis prædicti fratres, vt nobis nuper exponi fecerunt, plurimum cupiant, decretum huiusmodi pro illius firmiori subsistentia, & inuiolabili obseruatione à nobis cōfirmari, & approbari; ideo nobis humiliter supplicari fecerunt, vt super præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.* Vterque Ordo supplicauit pro approbatione dictæ sententiæ.

§. 4. *Nos igitur illorum votis quò quietiùs, & securiùs in humilitatis spiritu Altissimo famulari valeant, annuere, eosque specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, &c. absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decretum prædictum, & omnia, & singula in illo contenta Apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illisque omnibus, & singulis perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adijcimus, omnesque & singulos tam iuris, quàm facti, & quoscumque alios etiam quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet interuenerint, aut interuenisse dici, vel censeri possent, supplemus; omnia, & singula valida, & efficacia fore, & esse, perpetuamque roboris firmitatem obtinere, ac ab omnibus, & singulis vtriusque Ordinis prædicti fratribus, nunc, & pro tempore existentibus inuiolabiliter obseruari debere decernimus.* Quam Pontifex approbat.

§. 5. *Mandantes nihilominus omnibus, & singulis ipsius Ordinis de pœnitentia fratribus, Ministris, & Prælatis vltramontanæ familiæ, præsertim Hispanorum, & Gallorum, tam præsentibus, quam futuris in virtute sanctæ obedientiæ, & sub priuationis officiorum, inhabilitatisque ad illa, & alia in posterum obtinenda, nec non latæ sententiæ incurrendis pœnis, vt posthac, elapsis sex mensibus, dicti fratres omnes tertij Ordinis habitu illo prædicto modo* Fratres tertij Ordinis iubet dicto habitu vti.

commixto

contexto induantur, & in faturum vtantur.

Commissarios deputat. §. 6. *Quocirca venerab. fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filys nostris, & Apostolicæ Sedis Nuntys per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quatumque vbi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte vtriusque seu alterius Ordinis fratrum huiusmodi fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos præmissorum omnium, & singulorum effectu pacificè frui, & gaudere: Non permittentes, illos desuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè molestari: Contradictores quoscumque per censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, innocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachy sæcularis.*

Derogat contrariis. § 7. *Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non Ordinum prædictorum, etiam iuramento, &c. roboratis statutis, & consuetudinibus; priuilegys quoque, indultis, & literis Apostolicis, illis, illorumque Superioribus, & fratribus, & quibusuis alys personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac quibusuis etiam derogatoriarum derogatorys, alysque efficacioribus, & insolitis clausulis; ac irritantibus, & alys decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis; quibus omnibus, & singulis, eorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarys quibuscumque. Datum Romæ apud S. Marcum, die 14. Augusti, 1610. anno 6.*

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1. Vide supra, *in constit. 2. Iul. II. §. 18. num. 53. & const 9. Leon. X.* Vide etiam Io. de Morales *in fund. Andal. tex. 4 §. 4.* vbi eleganter probat, quòd habitus antiquorum Monachorum, & B. M. V. fuit ex lana naturaliter nigra, id est, fului, furui, seu pulli coloris, vt noster, Et Card. *in clem. 1. de statu Monach. in princ.* dicit, quòd dictus color est cœteris vilior, & magis fuscus, & fuit electus à Monachis ad denotandam mortificationem carnis, & tristem vitam, quam debent in se habere huius militiæ professores; quod idem confirmat Cassan. *in catal glor. mun. p. 12. consid. 93. ver. Color etiam obscurus.*

2. In laudem huius coloris dicit Fuln. Pelegr. *in suo tract. de signif. color.* quòd Reges Gallorum, & Imperatores Turcarum, ac alij illustrissimæ nobilitatis Principes eo, vt grauiori, honoratiori, conuenientiori, & omnium pulchriori frequentissimè vtuntur. Et addit, quòd dicitur pullus, seu leonatus; à leone, non iuuene, sed sene, & quòd significat taciturnitatem, & ignauiam sapientem, vnde ait.

Copre il sancto in sè saggia sciocchezza.

Ex quibus licet inferre, quòd assumendo S.P.N. habitum istius coloris pro se, & suis, significauit, debere suo sub habitu militantes esse senes, taciturnos, & stultos sapientes.

3. Senes, inquam, non annosi, sed iudiciosi, non albati, & barbati, sed modesti, & morigerati. *Diuitia enim senum,* vt ait Cassian. coll. 2. c. 13. *non sunt canities capitis, sed industria iuuentutis, ac præteritorum laborum stipendiis metienda: quæ enim non congregasti in iuuentute, quomodo inuenies in senectute tua. Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata, cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. & idcirco non omnium seniorum, quorum capita canities tegit, quosque vitæ longæuitas sola commendat, nobis sunt sectanda vestigia, seu traditiones, ac monita suscipienda; sed eorum, quos laudabiliter vitam suam, ac probatissimè comperimus in iuuentute signasse, nec præsumptionibus propriis, sed maiorum traditionibus institutos. Sunt enim nonnulli, quorum etiam (quod est lugubrius) maior est multitudo, qui in tempore suo, quàm ab adolescentia conceperunt, atque ignauia senescentes, auctoritatem sibi, non maturitate morum, sed annorum numerositate conquirunt.* Hæc Cassian. Qui subdit, quòd hos potius dæmon in exemplum iunioribus ad eos subuertendos. Et Hieron. relatus à Lorino in cap. 4. Sap. ver. 8. ait: *Non sunt à vetustate hominum æstimanda ingenia, sed à probitate, eruditione, & morum grauitate.* Et Bern. ep. 44. versùs finem: *Nec dicamus,* inquit, *quamcumque ætatem Dei gratia præmaturam, sicut nec seram. Cum multos videamus iuniorum super senes intelligere, moribus antiquare dies, præuenire tempora meritis, & quod ætati deest, compensare virtutibus. Meliores bonæ indolis adolescentes inueteratis dierum malorum.* Anacl. Papa, vt habetur in c. Porro, dist. 84. *Porro,* ait, *Mosi præcipitur, vt eligat presbyteros, idest seniores; vnde & in Prouerb. dicitur, Gloria senum canities; hæc verò canities sapientiam designat, de qua scriptum est, Canities hominum prudentia est.* Et Iob. 31. dicitur: *Sperabam, quòd ætas prolixior loqueretur, & annorum multitudo doceret sapientiam. Sed, vt video, spiritus est in hominibus, & inspiratio omnipotentis dat intelligentiam. Non sunt longæui sapientes, nec senes intelligunt iudicium.* Quasi dicat, scientiam, & rerum prudentiam non esse ponderandam, tam ex multis annis, quàm vel ex studio ipsius, quo homo redditur facilis, & idoneus ad intelligenda diuina, vel ex Dei beneficio, à quo omnis sapientia est; *Eccl. 1.* Vnde Dauid psalm. 118. *Super senes intellexi, quia mandata tua quæsiui.* Et profectò indigui sunt senum vocabulo imprudentes, inexperti, indocti, immoderati. Sic Plato in Timæo pueros nominabat Græcos ignaros antiquitatis. Zeno apud Senec. *epist. 33.* Turpe esse dicebat seni, aut prospicienti senectutem, ex commentario sapere. Et Seneca epist. 36. *Turpis,* ait, *& ridicula res est elementarius senex. Iuueni parandum, seni vtendum est.*

4. Sint itaque senes, quales eos describit Apost. ad Tit. 2. *Senes,* inquiens, *sobrij sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia.* Cum enim *vino,* vt ait Cæl. lib. 28. cap. 29. *senum frigus recalescat, spirituum exhilaretur tristitia, bilis atræ vis redundans reprimatur, somni concilietur appetentia, profracti meatus recludantur, siccitas nimia mitigetur, vniuersa denique senecta lassitudo renideat, ætas illa facilè ebrietate corripitur,* vt ait Plutarc. *lib. 3. conuiu. q. 3.* & meraciori vino oblectatur, vt idem Plutarc. *lib. 5. q. 4.* Sed quia ex altera parte *vinum non modicè sumptum rationem conturbat, intellectum hebetat, memoriam eneruat, obliuionem immittit, errorem infundit, & ignorantiam inducit: modicè verò sumptum acuit ingenium,* vt Boët. *de discipl. cap. 2. ex Beda axiom. philosoph. lit. R. fine.* Ideo decet senes esse sobrius, vt sint vigilantes, & alacres.

5. Et nota hic de passu, quod Religiosi vinum temperare debent aqua, *cap. A crapula, de vit. & honest. Cler.*

Cler. Vnde, si vinum putum bibant, peccant mortaliter, quia faciunt contra dictum cap. quod est statutum Concil. gener. Later. sub Innoc. III. Ita Guttier. *lib. 2. can. q. cap. 4. n. 57.* Quod tamen intellige, si bibendo putum inebrientur, vel periculum inebriandi incurrunt, vt Abbas *dicto cap. A crapula, num. 1.* & Amil. *ver. Ebrietas, n. 7.* Neque debent dicti Religiosi in conuiuiis alios ad bibendum inuitare, seu non debent aliis brindare; dicto c. *A crapula*, ibi, *Neque ad bibendum quis incitetur*; Gutier. *loc. cit. num. 58.* Neque debent se obligare ad teddendam rationem brindantibus, seu ad rebrindandum. Guttier. *num. 59.*

6. Et si roges, an Religiosi possint agere contra Superiorem, vt det sibi bonum vinum, & bonam pitantiam, sicut alij Superiores præcedentes. Dico, quòd sic. Ita Barthol. de Capua *sing. 35.* qui probat *ex lege. Sed et si hareditas, ver. Proinde, ff. Ad exhibendum*; Et consuetudines decem, vel viginti annorum, si contra ius non sunt, vim legis, & constitutionis obtinent; *c. Consuetudo, in illa Glossa dist. 12.* Nec potest eas Prælatus mutare. Et bona Monasteriorum vniuersorum Religiosorum sunt, Superior putus minister. Hæc tamen intellige, si cætera sint paria.

7. Si quæras quoque, an possit Superior obligare fratres ad bibendum vinum nouum mense Septembris, vel Octobris. Dico, quòd non; nam vinum nouum non debet incipi potari, nisi à prima die mensis Nouembris. Ita Roman. *sing. 380.* Probat *ex lege Inbemus, de erogat. milit. annon. Cod. lib. 12.* Nam ante est sanitati nociuum.

8. Et si vis etiam scire, quæ conditiones requirantur ad hoc vt vinum sit bonum, lege versus sequentes.

Vina probantur odore, sapore, nitore, colore.
Si bona vina cupis, hæc quinque probantur in illis,
Fortia, formosa, fragantia, frigida, frisca.

9. Sed reuertamur iam ad nostros senes. Debent etiam secundùm Apostolum esse *pudici*, 1. graues, & honesti, vt ætatis grauitatem morum grauitas decoret. Dedecet enim multùm, amore capi ætatem illam, vnde versus.

Turpe senex miles, turpe senilis amor.

Et Seneca ep. 4. *Adhuc enim* inquit, *non pueritia in nobis, sed, quod est grauius, puerilitas remanet; & hoc quidem peius est, quod auctoritatem habemus senum, vitia puerorum, nec puerorum tantum, sed infantium. Illi leuia, hi falsa formidant: nos vtraque.* Et Eccl. 25. dicitur, *Tres species odiuit anima mea, pauperem superbum, diuitem mendacem, senem fatuum, & insensatum*: fatuum, inquam, idest, amoribus, & concupiscentiis deditum; quæ enim maior fatuitas, quàm in ea ætate libidini vacare cum iuniorum scandalo, in qua natura ipsa, frigescente iam sanguine, Veneri parcendum iubet.

10. *Prudentes* etiam sint senes, non prudentia mundana, qua se totos auaritiæ dedant, eogendisque pecuniis intendant, eoque plus colligant viatici, quò illis minus remanet viæ; sed morali, ad dirigendas, & regulandas, non suas tantum, sed iuuenum actiones, & spirituali qua bene operentur & orationi inuigilent. Prudentes sint, sicut serpentes, ne à quoquam fallantur, & simplices, sicut columbæ, ne cuiquam malum machinentur. Prudentia namque absque bonitate, malitia est: & simplicitas absque ratione, iustitia nominatur. *Opera enim sunt virorum*, vt dixit quidam Poëta Græcus, *bella iuuenum, consilia senum.*

11. Debent etiam esse *sani in fide.* 1. constantes in promissis, sanæ etiam mentis ne leuiter offensi, odium concipiant, ne leui verbo, aut commotæ, aliave iniuria appetiri, aut læsi, murmurent, stomachentur, maledicant, vindictam expetant. *In dilectione* idest in charitate feruentes, amando, & benefaciendo proximis suis. Denique *in patientia*, quia, vt Plutarc. ait lib. de non irasc. *Fœmina, ægri, senes, & fortunati sunt ad irascendum procliues.* Et in senibus id accidit, tum ex ipsa senectute, quæ morbus est; tum quia pristinæ felicitatis memores, se illa carere ægrè ferunt; tum quia non ita æstimantur, vt vellent, atque ita facilè indignantur, tum quia, cùm vitæ periculum sibi imminere videant, mœrore afficiuntur. Sed domandi naturales appetitus ratione & coërcendi prudentia: Sique tolerabilem volunt senectutem agere, præceptum Cicer. *de senect.* seruent; moderati scilicet, & non difficiles, nec inhumani sint.

12. Senes itaque quos hic descripsimus, honorandi, æstimandi, & reuerendi; & talis senectus venerabilis est; & coram istis iubet consurgere Deus Leuitici 19. Et Iob. 32. *Iunior sum tempore, vos autem seniores, idcirco, demisso capite, veritus sum vobis indicare sententiam meam.* Et S. Ephrem. tom. 3. de timore Dei, in princ. *Honora senes, tanquam qui diu, multumque Christo seruierunt*; & pagel. 4. *Honorem senibus defer propter Dominum, & ob peritiores quosdam ex fratribus, ne senes ad opus compellas, nam carnes iuuentutis sua in exercitatione attriuerunt, & sufficit recta conscientia timenti Dominum*; & pagella 8. *iuniorem laboriosum ne nimis oneres, & cum sene stulto ne incedas, sapientes verò senes post Deum fratrum sunt firmamentum*; & pagel. 13. *Senes honora propter Dominum, & iuueni egenti compatere.* Et Iuuenal.

Credebant hoc grande nefas; & morte piandum,
Si iuuenis vetulo non assurrexerat, & si
Barbato cuicumque puer.

Et *in leg. Semper, ff. de iur. immun. in princ.* Senes iubentur venerari vt Superiores. His in rebus dubiis definiendis & terminandis, plusquam iuuenibus, est deferendum, *cap. De quibus*; vbi Gloss. *d. 20.* De istis semper præsumitur, quòd virtutibus, bonisque moribus iuniores vincant; *cap. Nisi cum pridem, vers. Alia, de renunt.* Isti semper anteferuntur iunioribus in honoribus, officiis, & dignitatibus; Menoc. *de præsump. lib. 6. præsump. 47. num 6.*

13. Sed pone, quòd quis relaxatè vixerit in iuuentute, eritne honorandus, & venerandus, vt diximus, in senectute, eritne præferendus ratione ætatis in dignitatibus conferendis. Dico, quòd qui serò post multam ætatem resipiscunt, exiguam sanè prudentiam, & sapientiam colligant necesse est; Vnde *Prouerb. 19.* dicitur, *Audi consilium, & suscipe disciplinam, vt sis sapiens in nouissimis tuis.* Si tamen, superabundante gratia Dei, habeat supradictas conditiones, quas in senibus requirit Apostolus, erit, vt diximus, honorandus, & dignitatibus etiam decorandus, iuxta *leg. Semper cit.* Quod tamen quò ad dignitates limito, si similes senes, qui semper virtuosè vixerunt, inibi non reperiantur.

14. Cum senum à nobis descriptorum verba tanquam oracula recipiantur à iunioribus, oportet eos in primis taciturnitatem seruare, & dogma Bern. *in tract. de perfect.* optimè custodire, *Bis ad limam veniant verba, quam semel ad linguam.* Silentium namque stultissimum quemque sapientiæ, atque prudentiæ laude exornat; Vnde refertur dictum Simonidis, *Si es stultus, sapienter facis, si sapiens, insipienter*; Et Seneca, & refert A Lapide Threnorum 3. versu 26. *Summa summarum*, ait, *hæc erit, tardiloquacitatem esse iubeo.* Et Euripides *Decorum silentium corona est viri. Loquacitas enim est certum argumentum ignorantia*, vt ait Climac. gradu 11. *Et taciturnitas scientia adiectio, & speculationis opifex*, Et certa omnino sunt, quæ de silentio dixerunt antiqui; Aristides, *Tutum silenti præmium.*

Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum.

15. Non

15. Non semper tamen tacendum: nam *tempus tacendi, & tempus loquendi*, vt dicitur Ecclesiastis 3. & Eccles. 20. *Homo sapiens tacebit vsque ad tempus.* Et Prouerb. 25: *Mala aurea in lectis argenteis, verbum dictum in tempore suo*, idest verba tempestiuè dicta sunt tanquam mala aurea insculpta vasis argenteis. Et eodem loco dicitur: *Sicut Vrbs patens, & absque murorum ambitu, ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.* Et Ps. 140. *Pone, Domine, custodiam ori meo, & ostium circunstantiæ labijs.* Ad quem locum ait Chrysost. *Quemadmodum non iuuat Vrbs, non mœnia, non porta, nisi sint, qui eas custodiant, & sciant quando oportet ea quidem claudere, quando verò aperire, ita etiam oris, & linguæ nulla est vtilitas, nisi sit ratio, cui scienter, accuratè, & circumspectè ea claudere, & aperire permissum sit, & sciat, quæ sint efferenda, quæ verò tenenda, & admittenda.* Et Ecclesiastici 6. *Si tibi est intellectus, responde proximo, sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato, & confundaris.* Sed quoniam maius semper periculum est in loquendo quàm in tacendo, ideo priùs discendum est tacere, quàm loqui: Quod optimè obseruarunt Pythagorici.

16. Significat etiam color habitus nostri sapientem stultitiam, de qua Paulus 1.Cor. 3. *Nemo se seducat, si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, vt sit sapiens.* Quasi dicat, Constitutissimum est, & absque controuersia, nemo se fallat, sibi blandiendo, quia illi, qui mundo secundùm mundanas rationes iudicanti videntur sapientes, tales non sunt, si id in vera, & spirituali statera mensuretur, nisi priùs stulti mundo fiant per contemptum illius, humilitatem, & sui abiectionem; quid enim stultius iudicio mundi, quàm mentem verbis ostendere, nihil calida machinatione simulare, nullas iniuriis contumelias reddere, pro maledicentibus orare, paupertatem quærere, possessa relinquere, rapienti non resistere, percutienti maxillam alteram præbere: Hæc tamen est vera sapientia. Et Chrysos. homi. 10. in cap. 3. 1.Cor. ait: *Stultus mundo ille est, qui, exteriori contempta sapientia, sibi persuadet, nihil ei ad fidei susceptionem profuturum.* Hæc signat habitus nostri color, nimirum canitiem in sensibus, opportunam taciturnitatem, sanctamque insipientiam.

17. Ad vltimum aduerte, quòd, cum magis, & minus speciem non differat secundùm philosophos, nihil refert, an color nostri habitus sit niger, vel minùs niger, clarior, vel obscurior, & pannus sit bonus, vel melior, vilis, vel minùs vilis, iuxta Prouinciarum varietatem. Modò vniformitas seruetur in omnibus prouincialibus, quò ad fieri potest, tincturæ indiuiduales vitentur. Ita Panorm. *in clem. 1. de statu Monach. numero 8.*

CONSTITVTIO VII.

Quâ decernit, quòd Conuentus SS. Trinitatis de Vrbe regatur, & inhabitetur per Patres Gallos, & quod solùm sit subiectus P. Generali, ac eius oculato Visitatori.

PAVLVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemiũ. *Romani Pontificis, in quo, diuina dispositione, potestatis plenitudo consistit, prouidentia circumspecta, ad ea, quæ statui prospero, præsertim regularium locorum quorumlibet, & in illis studio piæ vitæ deditarum personarum, profutura conspicit, operosis studiis intendit, & his, quæ propterea ordinata fuisse dicuntur, vt illibata persistant, Apostolici munimimis adijcit firmitatem, & aliàs desuper disponit, prout in Domino conspicit salubriter expedire.*

§. 1. *Sanè pro parte charissimi in Christo filij nostri Henrici Francorum, & Nauarræ Regis christianissimi nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd cum aliàs, seu nuper, postquam lites, & controuersia inter ipsum Regem, & dilectos filios fratres nationis Gallicanæ Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, domus, seu Conuentus SS. Trinitatis in Monte Pinceo de Vrbe ex vna, & fratres aliarum nationum eiusdem Ordinis partibus ex altera, occasione habitationis, residentiæ, regiminis, & præeminentiæ dictæ domus, seu Conuentus ortæ extitissent, & grauiores in dies oriri formidarentur, fel. rec. Clemens Papa VIII. & Leo XI. prædecessores nostri, desiderantes litibus, & controuersiis huiusmoli finem imponere, ac quieti, & tranquillitati dictæ domus, siue Conuentus in perpetuum consulere: Dilectis filijs nostris Pompeio tit. S. Balbinæ Arigonio, necnon Hieronymo tit. S. Blasii de annulo Pamphilio nuncupatis, S.R.E. Presb. Cardinalibus, differentiarum, & controuersiarum huiusmodi causam per specialia rescripta terminandam commiserint: Ipsique Cardinales, præuia per eos super præmissis matura deliberatione habita, definitiuam in scriptis tulerint, & pronuntiauerint sententiam tenoris subsequentis.*

Orta fuit lites inter Regem Galliarum & fratres Gallos ex vna, ac inter fratres aliarum nationũ, ex alia, quas Clemens VIII. & Leo XI. dirimendas mandarunt duobus Cardinalibus.

§. 2. *Die 20. Iulij, 1605. videlicet. Christi nomine inuocato, pro tribunali sedentes, & solum Deum præ oculis habentes, per hanc nostram definitiuam sententiam, quam vnanimiter in his scriptis de iurisperitorum consilio, & assensu ferimus in hac causa, & causis, quæ coram nobis virtute specialium Breuium, seu commissionum fel. rec Clementis VIII. & Leonis XI. vertuntur inter christianissimum Galliarum Regem, & fratres nationis Gallicanæ Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula Conuentus SS. Trinitatis in Monte Pinceo ex vna & fratres aliarum nationum eiusdem Ordinis partibus ex altera, de, & super habitatione, residentia, regimine, & præeminentia dicti Conuentus, seu domus SS. Trinitatis, rebusque alijs, in actis causa, & causarum præfatarum latius coram nobis deductis, dicimus, sententiamus, decernimus, & declaramus, Conuentum præfatum SS. Trinitatis in Monte Pinceo de Vrbe per fratres Gallicæ nationis regendũ, & habitandũ, quandiu inueniãtur, qui inibi residere, & cultui diuino insistere voluerint, ita vt de cætero, quandiu fratres dicti Ordinis præfatæ nationis Gallicanæ idonei reperirentur, vt præmissum est, nullus alius, quàm eiusdem nationis Gallicæ in Correctorem eligi,*

Declarauerunt dicti Cardinales prout in summario.

eligi, seu admitti, aut electus confirmari quoquo modo possit, seu præsumatur: Necnon domum, seu Conuentum præfatum SS. Trinitatis ab omni & quacumque superioritate, iurisdictione, visitatione, correctione, subiectione, & obedientia, præterquam pro tempore exsistentis R. P. Correctoris generalis, vel eius oculati Visitatoris penitus esse liberum, immunem, & exemptum vexationes, & impedimenta, perturbationes, & molestationes quascumque per dictos fratres aliarum nationum, de, & super præmissis, & illorum occasione quomodolibet factas, & præstitas, factaque & præstita, fuisse, & esse temerarias, illicitas, indebitas, iniquas, & iniustas, temerariaque illicita, indebita, iniqua, & iniusta, ac de facto præsumptas, & præsumpta; illasque & illa ipsis fratribus aliarum nationum minimè licuisse facere, neque licere, & propterea illis, & quibuscumque prætensionibus eorumdem fratrum aliarum nationum, de, & super præmissis imponendum perpetuum silentium fore, & esse, prout imponimus; mandatumque quodcumque desuper necessarium, & opportunum, & de manutenen. decernendum, & relaxandum fore, & esse, prout decernimus, & relaxamus, dictosque fratres aliarum nationum ab expensis hactenus factis absoluimus. Et ita dicimus, declaramus, decernimus, pronuntiamus, ac definitiuè sententiamus, non solùm modo, & forma præmissis, sed etiam omni meliori modo, &c. Ita pronuntiamus. Pompeius Cardinalis Arigonius. Ita pronuntiamus, Hieronymus Cardinalis Pamphilius.

Confirmat prædictam sententiam.

§. 3. *Nos attendentes, præfatos nationis Gallicanæ dicti Ordinis fratres hactenus piè, & religiosè, cum odore bonæ famæ sub suaui dicti Ordinis iugo in dicto Conuentu vixisse & de præsenti viuere aliisque aliarum nationum eiusdem Ordinis fratribus pietate, moribus, & obseruantia regulari præluxisse, & prælucere, ob idque Ordinem huiusmodi in suo laudabili statu, ac illius fratres præfatos in perpetuis tranquillitate, & pace fouere, necnon quibusuis litibus, discordiis, & scandalis obuiare, dictorumque prædecessorum, ac Regis præfati voluntati annuere volentes, eiusdem Henrici Regis christianissimi supplicationibus hac in parte inclinati, præfatam sententiam, ac omnia, & singula in ea contenta, & expressa quæcumque ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique perpetuæ, & inuiolabilis Apostolicæ potestatis robur adiicimus, omnesque & singulos solemnitatum, ac alios defectus, si qui desuper quomodolibet interuenerint supplemus.*

Prohibet quod in dicto Conuentu non possint esse Correctores, neque locales fratres aliarum nationum.

§. 4. *Districtiùs inhibentes pro tempore existentibus generali Correctori, & fratribus dicti Ordinis, ac eorum singulis sub maioris excommunicationis latæ sententiæ, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, necnon priuationis dignitatum, officiorum, vocisque actiuæ & passiuæ, & perpetuæ inhabilitatis ad illa, vel alia in posterum obtinenda per eorum quemlibet, si contrauenerint, seu aliquis eorum contrauenerit, eo ipso incurrendis pœnis, ne de cætero quosuis alios, quàm præfatæ nationis Gallicanæ dicti Ordinis fratres in Conuentu huiusmodi Correctores, seu alios locales, & conuentuales, vel habitatores eligere, aut electos confirmare, inibi recipere, vel eis locum, & domicilium assignare, seu etiam quoquo modo eos admittere, vel tolerare præsumant.*

Fugitiui Galli in dicto Conuentu non admittantur.

§. 5. *Nolumus tamen, quòd fratres dictæ nationis Gallicanæ, qui fugitiui, seu quauis alia iuris, aut facti infamia notati fuerint, in dicta domo, seu Conuentu recipiantur, vel admittantur.*

Decretum irritans.

§. 6. *Decernentes ex nunc irritum, & inane quicquid secus super his à quocumque quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Commissarios deputat.

§. 7. *Quocirca venerab. fratri Episcopo Sabinensi, ac dilectis filiis nostro in alma Vrbe Vicario, & causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque vbi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dicti Regis christianissimi, & Correctoris, & fratrum dictæ domus SS. Trinitatis, aut alicuius eorum requisiti fuerint, solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra, illis, & eorum quemlibet præmissorum omnium, & singulorum effectum pacificè frui, & gaudere. Non permittentes, eos desuper à quocumque quauis auctoritate quomodolibet molestari, perturbari, vel inquietari: Contradictores quoscumque per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.*

Derogat contrariis.

§. 8. *Non obstantibus præmissis, ac quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; necnon priuilegiis, indultis, & literis Apostolicis in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis; quibus, omnibus, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, & expressè derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romæ, apud S. Marcum, sub annulo Piscat. die 13. Iulii, 1606. Pont. nostri anno 2.*

§. III.

1. QVæres 1. an Corrector SS. Trinit. de Vrbe habeat præcedere Prouinciales ibi residentes, præsertim tempore Capituli generalis.

Videtur quòd sic. 1. per statutum *Cap. Auenien.* 2. *num.* 11. vbi disertis verbis statuitur; & talis huius rei redditur ratio; Quia nimirum ille Conuentus sedes est R.P. Generalis, & ei immediatè subiectus.

2. Secundò quia dictus Corrector est in possessione.

3. Dico tamen Correctorem SS. Trinitatis de Vrbe perperam sibi vsurpare locum ante Prouinciales, non solùm tempore Capituli generalis, sed etiam extra illud. Probatur 1. quia Correctores locales in Ordine nostro non sunt Prælati, nisi inferiores ad plus, vt patet ex textu claro Correct. *num.* 11. cui titulus est, *De nomine Prælatorum*, vbi dicitur. *Hic etiam est pro generali regula habendum, quòd vbicumque in præsenti Correctorio fit mentio de huius Ordinis superioribus Prælatis, intelligendum est de prænominatis, videlicet de generali Correctore, ac de propriis Vigilibus, & Prouincialibus.* Quàm autem absurdum sit, & quàm contra bonum regimen Reipublicæ, simplices Superiores, seu Prælatos inferiores præcedere superiores Prælatos, iudicet vnusquisque per se. Videatur Nald. *in sum. verbo Præcedentia*, *n.* 3.

4. Secundò, Ex eodem Correct. *n.* 62. vbi dicitur, *Præterea prouideatur, quòd vbicumque simul præsentes fuerint Corrector localis, & Prouincialis, aut eius Vicegerens, Prouinciali cedat ipse localis Corrector, suoque Vicegerenti, vt minor maiori.* Vbi notat P. Passar. quòd si contigerit, alienæ Prouinciæ Prouincialem in refectorio comedere, siue in Processionibus ire, absente proprio Prouinciali, Corrector Conuentus debet ei dare locum, cum ille non sit locus iudicij, sed dignitatis. Et notat vlterius id etiam habere fratres Prædicatores. Quod deinde fuit disertis verbis statutum *in Cap. Val.* 4 *num.* 48.

5. Tertiò, Nam in 1. Capitulo generali Ordinis celebrato Apostolica auctoritate, vt videre est *num.* 1. Cardinalis tunc præsidens dicto Capitulo assignauit omnibus fratribus Prælatis, & Correctoribus proprium locum, futuris perpetuis temporibus tenendum, & Correctoribus assignauit post Prouinciales, & post ipsorum Commissos, vt videre est *in dicto Capitulo* 1. *num.* 9.

6. At inquies, Commissi non tenent locum post Prouinciales, sed suæ professionis, prout determinatum est *in Cap. Paulæ*, *num.* 15. Ergo sicut Cap. Paulæ potuit derogare huic de Commissis, licèt auctoritate Apostolica confirmato, potuit & Cap. Auenionense derogare in casu isto particulari illi de Prouincialibus, cum non minoris fuerit auctoritatis.

Respondeo, Quando Capitula celebrantur eadem auctoritate, tum neutrum habet in alterutrum auctoritatem; quia par in parem non habet imperium; *cap. Innotuit*, §. *Quamuis*, *de elect.* Quando autem vnum celebratur auctoritate Papæ, seu eadem auctoritate confirmatur, tunc quod tali auctoritate non est celebratum, vel confirmatum, iis derogare non potest, quia inferior in superiorem iurisdictionem non habet, *cap. Inferior*, *d.* 21. Cum ergo Cap. 1. Romanum fuerit auctoritate Papæ celebratum, Cap. verò Paulitanum fuerit eadem auctoritate confirmatum, non est mirum, quòd hoc potuerit illi derogare. At Cap. Auenionen. nec fuit auctoritate Papæ celebratum, nec eadem confirmatum, vnde nullo pacto potuit Cap. Romano derogare. Quæ est doctrina Passar. *in schol. ex Barchinon. num.* 25.

7. Quartò, Quia Episcopus extra propriam iurisdictionem præcedit Abbates in propria iurisdictione, quia locus ille dignitatis est, non iurisdictionis. Ergo & Prouincialis, qui habet auctoritatem quasi episcopalem, vt est communis opinio, etiam extra propriam iurisdictionem debet præcedere Correctores in propria.

8. Quintò, Quia Prouinciales tempore Capituli generalis non sunt extra suam iurisdictionem, sed in propria, repræsentant enim totam Religionem, & pro illius negotiis sunt congregati. Vnde absurdum est, quòd Corrector eos præcedat; quam rationem fortificat mirabiliter Cassan. *in catal. glor. mundi*, 4. *par. consid.* 32. *in princ.* Nauar. *lib.* 1. *consil. de maior. & ob. cons.* 4. *num.* 2. Et potest confirmari ex eo, quia Cardinales commorantes Romæ, etiamsi Episcopi sint, dicuntur residere, eo quia singulis Ecclesiis videntur deseruire: vt Germ. *de indultis*, §. *Tibi quoad dixeris*, *nu.* 12. *&* § *Volumus*, *num.* 15. Ergo similiter Prouinciales in Cap. generali, cum toti Religioni, & singulis Prouinciis inseruiant, videntur esse in propria residentia, & sic loco sibi debito priuari non debent.

9. Sextò Probatur ex textu claro *in cap. Ex ore, de priu.* vbi absurdum dicitur, quòd Abbas supra Episcopos sedeat. Sed non minùs absurdum est, Correctorem SS. Trinit. præcedere Prouinciales, qui sunt Episcopi suorum subditorum, vt Rodriq. *tom.* 1. *q. reg. q.* 49. *art.* 6. Ergo absurditas ista, quæ videtur induci per illud statutum Auenion. omnino vitanda est. Ita Panor. *d. cap. Ex ore*, *num.* 2.

10. Ad 1. in contrarium Respondeo statutum illud esse contra Regulam, & contra statutum Cap. 1. Romani auctoritate Apostolica celebrati loc. cit. & ideo nihil valere, vt patet ex dictis.

Respondeo 2. Si quid valet, ad summum valet in Prouincialibus degentibus Romæ extra Capitulum generale, & hoc solùm intendit ipsum statutum, vt patet ex ipso contextu. Sed nec hoc est concedendum per dicta.

Respondeo 3. Quòd nihil valet ratio, pro hac præcedentia allata; Quia Collegæ Generalis sunt immediatè illi subiecti, & tamen nullam præeminentiam habent supra Correctores, neque supra Prouinciales.

Resp. 4. Ex eo quòd sit sedes Generalis, non licet illi habere aliquam præeminentiam. Quia pari modo Conuentibus, qui sunt sedes Prouincialium, posset concedi aliqua præeminentia supra alios Correctores, quod nemo dicit.

Dico, 5. Capitulum generale non posse concedere priuilegium alicui contra Regulam, præsertim quando est in præiudicium tertij, vt est hoc; priuilegia enim intelliguntur semper concessa, saluo iure tertij nisi ab habente potestatem aliter declaretur.

11. Ad 2. dico, quòd possessio ad hoc vt præscribat, debet esse pacifica per multos annos continuata, absque interruptione, clamore, & litigio per multos actus confirmata, vt probo *to.* 1. *Relig. q.* 1. *cap.* 8. §. 4. qualis non est possessio Conuentus SS. Trinitatis. Adde, quòd non valet consuetudo contraria, quòd minùs dignus præcedat suum maiorem. Decius *consil.* 21. *num.* 64. *& seq.* Tusch. *verbo Renunciare*, *concl.* 171. *num.* 4.

12. Quæres 2. an possint permittere fratres Galli, vt in dicto Conuentu habitet localiter alius quispiam frater alterius nationis.

Respondeo, Meo videri posse: Nam hoc est priuilegium dictæ nationi concessum, & vnusquisque potest suo priuilegio renuntiare; *cap. Si de terra*, & *cap. Accedentibus, de priuil. & cap. Ad Apostolicam*, *de regul.* Et in praxi renunciarunt dicti fratres quò ad habitationem P. Zelosi, cuiuscumque nationis sit (nisi id sit etiam declaratum à summo Pontifice

quod

(quod non scio.) Neque obstat, hoc priuilegium non esse solis fratribus concessum, sed etiam Regi Galliarum. Nam Rex non fuit pars principalis in hac causa sed solùm coadiuuâs ratione protectionis dicti Conuentus nec in his se immiscuit nisi quatenus à fratribus rogatus, vt per ipsius auctoritatem faciliùs obtinerentintentum. Neque obstat, quòd priuilegio habenti clausulam, *irritum, atque inane*, non potest renuntiari, etiam de consensu partium. Mand. *in praxi, tract. de monit. nu.46. verbo Exemptus à iurisd. Episc.* Nam intelligitur positiuè, non permissiuè, seu de consensu totali, non aliquali. Et censuræ positæ sunt contra præsumentes. Quare ignorantia etiam crassa excusaret; & cum ignorantia crassa talis legis possent etiam positiuè aliquem admittere.

13. Sed tunc tria oriuntur dubia. 1. Ad quosnam fratres pertineret admittere aliquem alium fratrem ex alia natione ad inhabitandum in dicto Conuentu. 2. an Postquam dictum admiserint, possent eum eiicere. 3. an, & quomodò sibi præiudicarent.

14. Ad 1. dico hoc priuilegium esse concessum toti nationi Gallicanæ. Quare puto, quòd permissio ad totam nationem pertineret. Nec ad id sufficeret Conuentus SS. Trinitatis, qui non est tota natio, sed minima illius pars. Vnde toti nationi præiudicare non posset. Ita Suar. 8. *de leg. cap. 35. num. 6.*

15. Ad 2. dico, quòd postquam quis fuisset legitimè admissus à tota natione Gallicana, non possetampliùs ab ea expelli. Nam communis opinio est, quòd per vsum directè contrarium in priuilegiis negatiuis, vt est hoc, non faciendi, ab habente auctoritatem factum animo volenti, & lubenti, perditur priuilegium. Ita Glossa per textum *in cap. Gratum, de off. deleg. verbo Recessum.* Et latè Suar. 8. *de legib. cap. 35.* per multa. Facit regula *Quod semel placuit, amplius displicere non potest*, quæ est 21. *de reg. iuris in 6.* Verum quidem est, quòd non perderent priuilegium, nisi quò ad illum, non autem quò ad alios? Id etiam dic, si negatiuè permitterent; *cap. Ex ore, cum Glossa ver. Renuntiare, de his, quæ fiunt à mai. &c. Gratum, cum Glossa ver. Recessum, de off. deleg.* Glossa *in cap. Accedentibus, ver. Renuntiasse, de priu.* Videatur Suar. *loc. cit. num. 9.*

16. Ad 3. Respondeo quòd dicti fratres Galli sibi præiudicarent, faciendo actum priuilegio contrarium per tempus ad præscriptionem necessarium, v.g. si P. Generalis faceret localem in dicto Conuentu aliquem fratrem non Gallum, qui ibi permaneret per decem, aut viginti annos & deinde continuaret ad faciendum locales alios vsque ad tempus necessarium ad præscribendum, quod est annorum 40. continuatorum absque litigio, & interruptione, vt *in cap. Accedentibus, de priuileg.* videntibus Gallis, & tacentibus, ac consentientibus, tunc per præscriptionem, censerentur hoc priuilegium amisisse. Habetur *in cap. Si de terra, & cap. Accedentibus, de priuileg.* Cum præsertim hoc priuilegium sit præiudiciale fratribus aliarum nationum. Secus autem esset, si intra dictum tempus protestarentur; Nam tunc à tali tempore non posset inchoari præscriptio. Videatur Suar. 8. *de leg. cap. 35. num. 10 & seq.*

17. Quæres 3. an Galli non subditi Regi Galliarum possint localiter permanere in dicto Conuentu.

Respondeo, Supponendo primò Galliam secundùm Ptolemæum *lib. 1. geographia in Gallia descriptione*, diuidi in quatuor partes quas hic non numero, quia ad me non spectat; sufficit, quòd in Gallia continentur Flandria, Brabantia, Hollandia, Lotharingia, Sabaudia, & Comitatus Auenionensis, in quibus tamen non dominatur Rex Galliæ. Suppono 2. quòd priuilegia præiudicium alicui afferentia, seu potestati ordinarij derogantia odiosa sunt quò ad interpretationem, & ideo restringenda potiùs quàm extendenda, & ita interpretanda, vt quàm minùs potest, communi iuri aduersentur, vt docent Sanchez 8. *de matrim. disput. 1. num. 1. & 4.* Nau. *in sum. cap. 12. num. 79.* Et habetur *in cap. Sanè, &c. Porro, de priuil. & cap. 1. de priu. in 6.*

Respondeo, Ergo, quòd Galli etiam non subditi Regi Galliarum comprehenduntur in isto priuilegio, & possunt localiter assignari à Generali in dicto Conuentu, & in Correctores eligi. Patet *ex dicta const. §. 3.* vbi dicitur, quòd *non possint in dicto Conuentu localiter permanere, nisi fratres Gallicanæ nationis*, sed Auenionentes, Sabaudiensea, Lotharingij, Flandtobergij, &c. Gallicanæ nationis sunt. Ergo in eo possunt permanere; Si enim voluisset Papa, quòd non possent ibi habitare, nisi subditi Regi, vtique dixisset cum notissimum sit, nationem Gallicanam non esse totam subditam Regi Galliæ. Sed cum Pontifex excluderet omnes Hispanos, Italos, Germanos, &c. voluit omnes Gallos subditos, & non subditos Regi includere. Addo, *in cap. generali Romæ 7. sess. 7.* matutina, cum quæsitum fuisset, ad quendam Collegatum Generalis deberent assumi Religiosi oriundi ex Lotharingia, Belgio, ex Comitatibus Auenionensis, & Burgundiæ, ex Ducatu Sabaudiæ, ex Eluetia. Responderunt vnanimiter Patres, tam Galli, quàm Hispani, & Itali, debere assumi ad Collegatum Galliæ, cum ista omnia sint intra gremium, & viscera Galliæ. Ex quo non parum confirmatur nostra sententia, vt patet.

18. Quæres 4. an in Correctorem SS. Trinitatis, seu etiam S. Andreæ de Vrbe possit ab Vrbe absens, & in dictis Conuentibus non localis eligi.

Respondeo, Affirmatiuè. 1. Quia ad hoc vt aliquis possit in Correctorem nostri Ordinis canonicè eligi, sufficit, quòd sit eiusdem Ordinis; *clem. 1. de elect.* & habeat conditiones requisitas *cap. Cum in cunctis, eodem tit.* & conditiones requisitas *in cap. 9. nostræ Regulæ, num. 39.* Ergo qui omnes dictas conditiones habet, siue in dictis Conuentibus commoretur, siue non, poterit in eorundem Correctorem eligi.

19. 2. Quia dicti Conuentus sunt sedra R.P. Generalis, & illi immediate subiecti *Cap. Paula, num. 43. Bonon. 1. num. 43. Barchin. 1. num. 26.* Vnde Correctores illorum habent iurisdictionem quasi prouincialem. Quare etiam prætendunt Prouinciales in suis Conuentibus præcedere (licèt id falsum sit, vt constat *ex num. 3.*) Nouitios ad habitum recipiunt; *Cap. Auenion. 1. num. 10.* Vestimenta sacerdotalia benedicunt, vt colligitur *ex cap. Barchin. 1. num. 26.* & id conuenire omnibus Correctoribus in communi, probaui *2. part. Ritualis, not. 9.* & notaui *supra in constit. 1. Iulij II. §. 19. num. 44.* Soluunt Generali eandem ratam, quam cæteri Prouinciales; *Auenion. 2. num. 11.* Electiones illorum fiunt in die S. Michaëlis, & statim publicantur, vt electiones Prouincialium, quod est omnino singulare. Sed Prouinciales possunt eligi ex alienis Prouinciis, *Cap. Val. 3. num. 8.* Ergo & isti Correctores Quod autem Corrector S. Andreæ fruatur omnibus priuilegiis, quibus Corrector SS. Trinitatis, constat *ex Cap. Auenion. 2. n. 11.*

20. 3. Quià de iure communi omnes sacerdotes habentes conditiones dictas *nu. 18.* possent in Correctores eligi, quantumcumque in alienis, & remotissimis Prouinciis existerent (nisi *Cap. Auenion. 2. num. 29.* id specialiter prohibuisset) per textum clarum *in cap. 1. de procur. in 6.* Statutum verò Auenion. declaratur *in cap. Barchinon. 2. num. 23.* his verbis. *Ad clariorem Auenion. statuti intelligentiam, quo canetur ne quis in aliena Prouincia Corrector eligatur, nisi prius*

in illa per annum saltem permanserit, de iis intelligitur, qui nunquam in simili Prouincia fuerunt. Ex quo sine controuersia constat, quod si quis aliàs in dictis Conuentibus per annum commoratus fuisset, posset nunc in Correctorem dictorum respectiuè Conuentuum eligi, quantumvis in remotissimis agerет. Sed plus prætendo, nimirum quòd dicta statuta Auenion. & Barchinon. nullo modo loquantur de Conuentibus, qui sunt sedes Generalis, & puto constare 1. ex verbis ipsis. 2. Quia si dicta statuta voluissent comprehendere Conuentus, qui sunt sedes Generalis, debuissent illos nominatim exprimere, quæ enim habent specialem aliquam prærogatiuam, in generali locutione non veniunt; *cap. Sedes Apostolica, de rescript. cap. De multa, de præb.* Guttier. *lib. 3. practicarum quæst. 16. num. 51.*

21. 4. Quia negatiua iuris, & qualitatis, vt in casu nostro, probari debet ab eo, qui negat iuxta Gloss. *in cap. Bona memoria, el. 1. de elect. verb. Per rerum naturam*; Omnis enim præsumitur idoneus, nisi aliud in contrarium ostendatur; *cap. fin. de præsumpt.* Et omnia concessa sunt, quæ non sunt prohibita; arg. *cap. cum Ecclesia Sutrina, de causa possess.* vbi Glos. *verbo, Ne veniret*; at hoc nullo loco reperitur prohibitum; quod sciam; ergo.

22. 5. Quia id sæpius factum est in Conuentu S. Andreæ, vt *anno* 1603. & *anno* 1626. & etiam aliàs; Ergo videtur legitima consuetudine introductum: Pro quo facit fortiter *dictum cap. Cum Ecclesia, Sutrina, iuncta Glos. verb. De consuetudine*; & *verb. Breuitatem.*

23. Quæres 5. ex abundanti, vt multis importunantibus satisfaciam, an Prouinciales in Ordine Minimorum possint auferre auctoritatem à Correctoribus localibus, eorumque officium exercere, pecunias Conuentus expendere contra dictorum Correctorum voluntatem; dictisque Correctoribus omnino prohibere, ne fratres extra Conuentus mittant.

24. Videtur primâ facie, quòd sic; per textum satis clarum in Correct. *num.* 64. vbi dicitur, *Correctores locales ita suum exerceant officium, in quantum sibi à suis superioribus Prælatis fuerit permissum.*

25. 2. In dicto Correct. *num.* 105. præcipitur, quod Correctores in præsentia Prouincialium nullas graues pœnitentias absque scientia, & consensu Prouincialium cuiquam imponant; & contrarium facientes iubentur plecti pœna, qua plecti meruerat delinquens. Ex quo videtur colligi, quòd ministratio Conuentus in præsentia Prouincialis, ad ipsum, non ad Correctorem, pertineat, si Prouincialis ita velit.

26. 3. In dicto Correct. *num.* 62. dicitur; quòd *vbicumque simul præsentes fuerint Corrector localis, & Prouincialis. Prouincialis cedat ipse localis Corrector*, & fratres egressuri, vel reuersuri, à Prouinciali, præsente Correctore, benedictionem petant. Ergo signum est, quòd præsente Prouinciali, Corrector fratres foras mittere non potest, si Prouincialis contradicat.

27. 4. In Cap. Tholos. *num.* 35. statuitur, quòd: *Corrector recedens extra Conuentum, non ponat Vicecorrectorem in loco suo, præsente in eodem Conuentu maiore suo Superiore, nisi de speciali assensu ipsius; ita semper, prout est de iure, quod maior potestas minori ad obediendum præponatur, vt Superior minor, & ordinarius de permissione dicti Superioris sui suum exerceat officium.*

28. 5. In Cap. Bonon. 1. *num.* 14. ita habetur: *Corrector non faciat signum, nec loquatur in mensa, nisi expressâ mente sui superioris Prælati, nihilque concludatur notabile in Conuentu per Correctorem, & Capitulum & conclusum non mandetur executioni, nisi ex scientia, & assensu superioris Prælati, si præsens fuerit; sciant enim Correctores, se suis Prælatis esse subditos.*

29. 6. In Cap. Valent. 2. *num.* 10. statuitur, quòd Prouinciales possint constituere Vicarium super Correctorem, pro quanto tempore id expedierit, sed hic Vicarius, ne frustra constitutus sit, aliquod debebit officium exercere in ipso Conuentu: non poterit aliud quàm Correctoris. Ergo & id multò magis poterit Prouincialis ipse: nemo enim potest plus iuris transferre in alium, quàm sibi competere dignoscatur; per regul. *Nemo, 79. de regul. iuris in 6.*

30. 7. In Cap. Rom. 6. *num.* 14. *dub.* 3. statutum est, quòd Corrector non possit congregare Capitulum, inuito Prouinciali, neque tempore visitationis, neque extra illud.

31. 8. In Cap. Bonon. 1. *num.* 15. statuitur, quòd Corrector non possit exire Conuentu, etiam de consensu Seniorum, sine expressa licentia Prouincialis præsentis; & quòd contra Seniorum voluntatem possit Corrector à Prouinciali foras mitti, sicut cæteri fratres.

32. 9. Ex iure communi. Quia quod licet minori ex officio, multò magis licet maiori, *cap. Illud superfluum, dist.* 95. *arg. cap. Historia* 33. *quæst.* 2.

33. 10. Quia maior facit cessare minorem, vt est commune dicterium apud Iuristas, de quo Tuschus *verbo Maior, concl.* 16.

34. 11. Quia lumen maius offuscat minus, *cap. Solita, §. Præterea, de maior. & obed.*

35. 12. Quia Corrector videtur assimilari Curato, cum Prouincialis assimiletur Episcopo, & Curatus est coadiutor Episcopi; *cap. fin. de offic. Archipresb.* Sed absurdum videtur Episcopum non posse facere, quæ Curatus: immo, Curatus non debet præsumere quidquam facere contra ordinationem Episcopi, vt dicitur *in dicto cap. fin. de off. Archipresb.*

36. Quibus tamen non obstantibus, dico, quod Prouincialis non potest sine legitima causa auferre auctoritatem à Correctore, nec officium Correctoris exercere. Nec in specie potest expendere pecunias Conuentui prouenientes, nec in generali vetare Correctori, ne fratres extra Conuentum mittat.

37. 1. Ex textu claro in Correct. *num.* 64. vbi dicitur. *Non per hoc intendatur, quin ipsi locales Correctores (in quantum sibi à suis prædictis superioribus Prælatis, & eorum Vicesgerentibus permissum fuerit) suum ordinarium officium exerceant: & ter in qualibet hebdomada locale Capitulum celebrent, ac suos fratres corrigant, & de suo Monasterij bonis licitè disponant.* Qui textus probaret euidenter intentum, nisi includeret illam clausulam; *In quantum sibi à suis Superioribus Prælatis permissum fuerit.* Sed hæc clausula obstat, vt dicam in responsione ad primum. Ergo textus euidenter concludit.

38. 2. Correctores habent ordinariam iurisdictionem, vt patet ex Regula *num.* 49. & Correct. *num.* 64. Et constat, quia potestas ordinaria est illa, quæ habetur beneficio legis, vt docent scribentes *in cap. Cum ab Ecclesiarum, de off. Ord.* vbi Gloss. *verb. Ecclesiastica sententia, fine*: Et in specie Rodriquez *tom.* 1. *quæst. reg. quæst.* 17. *art.* 6. Mir. *tom.* 2. *man. q.* 19. *art.* 4. *conclus.* 1. à iurisdictione Prouincialium distinctam, ex Correct. *num.* 47. 48. & 49. Sed ordinarius non potest sine manifesta, & rationabili causa impediri suum munus exercere, vt constat clarè ex Correct. *num.* 64. & *cap. Monachi, §. Priores, de statu Monach.* Nam nemo sine culpa iure suo priuari debet, *cap. Satis peruersum, dist.* 56. & *cap. Inuentum* 16. *quæst.* 7. & docet Rodriq. *loc. cit. art.* 7. & Mir. *art.* 5.

39. 3. Spe

39. 3. Specialiter; quòd bona Monasteriorum administrate ad Correctorem pertineat, constat manifestè ex Correct. num. 47. vbi obligatur de ipsis rationem reddere singulis tribus mensibus coram locali cap. & in termino sui officij coram proprio Prouinciali. Et num. 48. iubetur puniri, qui sibi datas eleemosynas Correctori non præsentauerit, & qui easdem absque Correctoris licentia retinuerit. Et num. 49. iubentur puniri Correctores, qui eleemosynas inæqualiter distribuerint. Et num. 50. non possunt neque Generalis, neque Prouinciales bona vnius Conuentus in alium transferre absque Correctoris, & Capituli consensu. Et num. 109. iubentur etiam Correctores puniri super inæquali honorum distributione. Ex quibus satis patet, administrationem bonorum ad Correctores omnino pertinere, independenter à Prouinciali, & est conforme cap. Nullam 18. quæst. 2. Quod caput intelligi de nostris Correctoribus, colligitur ex Nau. comm. 3. de Regul. num 4. Et est etiam conforme consuetudini legitime præscriptæ. Nam Correctores talem administrationem de facto habent: etiam in Conuentibus, vbi ordinariè Prouinciales resident. Nec vnquam vidi super hoc Correctores à Prouincialibus directè molestari.

40. 4. Quia Prouincialis non potest impedire iurisdictionem spiritualem Correctoris; ergo neque temporalem. Antecedens probatur. Quia quod à Superiori conceditur, ab inferiori reuocari non potest, cap. Inferior, dist. 21. clem. Ne Romani de elect. Mir. tom. 2. man. quæst. 19. art. 5. Consequentia patet; quia sunt connexa: non enim separari potest spiritualitas à temporalitate sine corruptione, & connexa esse inseparabilia, docet Menoch. lib. 2. de arbitr. cas. 95. num. 5.

41. 5. Denique, quia improbum, & difficile est, vt vnus homo duorum gerat officium; leg. Si plures, ff. De pactis, cap. Singula dist. 89. Facit cap. Cum singula de preb. in 6. Docet Arist. 4. polit. cap. 15. Vide plura apud P. Gregor. syntag. iur. lib. 47. cap. 10. num. 21. Immo punitur, qui de alterius officio quidquam vsurpat; cap. Peruenit ad nos, 11. quæst. 1. cap. Episcopi, qui, 9. quæst. 3. ne confundatur ordo ecclesiasticæ Hierarchiæ; Et plura huius generis habes dist. 89. per totam: Penna leg. Omnes iudices, C. De Decur. lib. 10. col. 13. Immo etiamsi Superior in tali officio esset idoneus, decet tamen, vt sua onera partiantur, cap. fin. de off. Archipresb. cap. Mandata, de præsumpt. Legant per charitatem Prouinciales cap. Diaconi sunt, à §. Nunc autem, dist. 93. Dico itaque quòd Prouincialis prædicta exercens vsurparet sibi Correctoris iurisdictionem, & per consequens mortaliter peccaret, iuxta leg. fin. ff. de iurisd. omn. iud. & D. Tho. 2. 2. quæst. 60. art. 6. & Nau. lib. 5. consil. de bar. consil. 2. num. 4.

42. At inquies, si Prouincialis præsens videat Correctorem malè administrare dicta bona, tolerabitne hoc sibi in faciem fieri? Nequaquam. Sed Correctorem hoc casu puniet, & si factum exiget, officio priuabit, cum illius Superior sit.

43. Fateor tamen, quòd potest in aliquo casu particulari, iusta, & euidenti aliqua ratione suadente, Prouincialis impedire Correctori vsum sui officij, v. g. potest præcipere Correctori, vt soluat debita Conuentus: quòd illum cadentem reparet, quòd tali fratri indigenti det talem vestem, & similia: Vel quòd tempore visitationis, & bacchanalium fratres foras non mittat; quòd talem, vel tales fratres nunquam mittat, quæ Corrector, velit, nolit, obseruare tenetur. Potestas enim Correctoris est eminenter in Prouinciali; Vnde in aliquo casu particulari, iusta, & euidenti ratione suadente, potest Correctoris auctoritatem impedire. Ita Sanch. 5. in decal. cap. 4. numer. 70. Et dixi tom. 2. Relig. cap. 26. §. 2. concl. 4.

44. Nec sufficeret Prouincialis in his casibus dicere, se habere ad id iustam causam, sed illam debet assignare, vt dixi loc. cit. ex Nauar. libr. 3. consil. de Reg. consil. 56. num. 2.

45. Et si quæras, quid faceret Corrector in casu, quo Prouincialis de facto procederet expendendo pecunias Conuentus, & censuris prohibendo, ne fratres foras exirent, etiam mandante Correctore?

Respondet Rodriq. to. 1. q. reg. qu. 17. art. 7. quòd Prouincialis peccabit; & quòd tempore visitationis poterit conueniri, & puniri. Quia ordinarius non potest sine iusta causa impediri, ne sua vtatur iurisdictione. Sed ego addo vnum punctum (quem tamen nollem practicari à Correctoribus ad vitandas lites) quòd poterit in dicto casu Corrector resistere, si absit scandalum; nam, si secutum esset scandalum, tenetetur obedire; per ea, quæ dico to. 1. Relig. cap. 7. pag. 61. & tunc posset facere id, quod dicit Rodriq. Sicut enim Superiorum iura decet seruari, ita non decet permittere, inferiores iniurias sustinere; cap. In singulis, §. Si verò, de stat. Monach. Et procedenti de facto etiam resistendum est. Leg. 1. §. Et hoc edictum, ff. Si mulier ventris nomine. Marcus de Mantua sing. 446.

46. Ad 1. ergo in contrarium, quod est Achilles, contrariæ opinionis, Respondeo supposito 1. quòd dicit Augustin. 3. de doctr. christian. cap. 26. nimirum quòd vbi Scriptura apertius ponuntur, ibi discendum est, quomodo in locis intelligantur obscuris. 2. quòd in dicto num. 64. Correct. declaratur, quòd eodem modo se habeant Prouinciales respectu, & in præsentia Generalis, sicut se habent Correctores respectu, & in præsentia Prouincialium, idest suum exerceant officium, in quantum illis per Generalem permissum fuerit. Suppono 3. quod in numero 102. Correct. determinatur, quòd: Prouincialis in præsentia Generalis possit liberè suum exercere officium, & quòd possit liberè de suis fratribus disponere in his, quæ diuinum cultum, salutem subditorum, & huius Ordinis commodum concernere noscuntur. Suppono 4. quòd in eodem Correct. n. 105. statuitur, quòd Correctores in præsentia Generalis, vel Prouincialis, pœnas carceris, & alias graues pœnitentias cuiquam non imponant: nec similiter easdem possint imponere Prouinciales in præsentia Generalis. Ex quibus omnibus colligo, quòd clausula illa Correctorij num. 64. In quantum sibi à suis superioribus Prælatis permissum fuit, intelligitur vel tempore visitationis: vel in casibus aliquibus particularibus: iuxta nu. 43. vel in pœnitentiis grauibus non imponendis à Correctoribus in præsentia Prouincialium, nisi de consensu, & scientia, illorum, prout declaratur in dicto nu. 105. Nam alioquin dicti textus non sibi cohærent. Si enim eodem modo philosophandum est de Prouinciali in præsentia Generalis, sicut de Correctore in præsentia Prouincialis, vt dicitur dicto num. 64. & num. 105. Cum num. 102. dicatur, Prouinciales coram Generali posse liberè suum exercere officium, sequitur meo videri manifestè, quòd idem officium possint etiam Correctores liberè exercere coram Prouinciali, & quod quæ dicuntur num. 64. declarentur num. 105. Immo addo, quòd illud statutum num. 105. videtur solùm ibi positum ad declaranda iura dubia, posita supra n. 64. & 102. Nam si Correctores nullo modo possunt in præsentia Prouincialium suum exercere officium, nisi in quantum illis permissum fuerit, neque etiam poterunt aliquas pœnitentias graues imponere, nisi in quantum eis per illos

illos permissum fuerit. Ergo statutum illud *n.* 105. est omnino superfluum; quod cum dicendum non sit, dicendum est voluisse declarare, id, quod dixerat *num.* 64. de Correctoribus in præsentia Prouincialium, intelligi solùm de pœna carceris, & aliis pœnitentiis grauibus; & limitare quod dixerat *num.* 112. de Prouincialibus, quò ad pœnam carceris, & pœnitentias graues. Quam explicationem confirmat mirabiliter statutum Tholosanum *n.* 35. Vbi postquam dictum est. *Superior minor, & ordinarius de permissione dicti Superioris sui suum exerceat officium*; declarans quid significaret illa clausula *de permissione dicti Superioris*, subiungit. *Ita quod, si Superior huiusmodi maior inuenerit dictum minorem Superiorem super pœnitentijs alicui impositis, & alijs delinquentem & fratribus sibi subditis necessaria iniustè distribuentem, corrigat, &c.* Adde denique, quòd ratio dictat dicta statuta ita debere intelligi. Nam alioqui Corrector staret in præsentia Prouincialis tanquam Asinus in lyra; posset enim Prouincialis illi in totum auctoritatem auferre, & eam sibi vsurpare; quod est contra Canones determinantes, Superiorem ordinarium non posse absque causa legitima auctoritate priuari, vt dixi *num.* 38. & est etiam absurdum, absurda autem vitanda sunt; *cap. Ex ore, de priuil.* Et per hæc patet etiam ad 2. Quod est omnino obseruandum..

47. Ad 3. Immo textus ille *nu.* 62. fauet valde nobis. Nam dicitur ibi, quòd *si aliquando fratres benedictionem petant à Correctore, præsente Prouinciali, Corrector supplicat nutu, vel verbo Prouinciali, vt dictos fratres benedicere dignetur*, non dicit, Vt licentiet ad exeundum, sed quòd benedicat, quæ sunt inter se valde diuersa, & à diuersis non fit illatio; *cap. Ad audientiam, de decim.* Vnde supponit, quòd dicti fratres iam fuerint licentiati ad exeundum à Correctore, quòd si accedentes ad sumendam benedictionem immediatè egressuri à Correctore, illum inueniant cum Prouinciali, à Prouinciali, tanquam maiori, benedictionem petant.

48. Ad 4. Respondeo, per illud statutum non tolli facultatem à Correctore, exeunte à Conuentu, constituendi Vicarium; hoc enim habet à iure, quo Superior ordinarius potest suas vices alteri mandare; Regula *Potest*, quæ est 68. *de reg. iuris in* 6. sed solùm obligari Superiorem localem ad id faciendum de assensu Prouincialis, ob reuerentiam, quæ illi præsenti debetur: Et ille assensus requiritur potiùs quò ad personam eligendam, quam quò ad potestatem eligentis.

49. Ad 5. concedendum est totum; quia Prouincialis superior Prælatus est, ideo illi sua iura seruanda. Sed ex hoc non sequitur, quòd possit expendere pecunias Conuentus ad suum libitum contra Correctoris voluntatem, de hoc enim nullum inuenio vestigium in Regula, neque constitutionibus: Nec quòd possit in totum auferre potestatem à Correctore fratres foras mittendi.

50. Ad 6. Concedo, posse Prouincialem constituere Vicarium super Correctorem pro quanto tempore id expedierit, sed solùm pro emergentibus negotiis, vt cantat textus Correct. *num* 106. An iste Vicarius pro emergentibus nullam habet præeminentiam, neque auctoritatem, nisi eo tempore, quo dicta emergentia negotia durant. Quæ autem sint emergentia negotia, pro quibus dictus Vicarius poterit constitui, determinatur in Cap. Auenion. 2. *num.* 31. his verbis. *Fuit dubium expositum ad tollendas lites, quidnam censeretur, cum superiores Prælati Vicarium deputarint in emergentibus. Visumque fuit Patribus, ea dici, indicarique emergentia, in quibus vrgent, & premunt negotia, egentque maxima celeritate, nec ad Superiorem commodè recurri potest.*

51. Ad 7. Respondeo Illud statutum esse rationabile; pertinet enim ad reuerentiam debitam Prælato, omnia, quæ in Conuentu fiunt, quæ sunt alicuius importantiæ, cum illius scientia, & assensu fiant; Sed nihil inde contra nos. Immo dictum statutum patitur suas difficultates: Nam potest congregari Capitulum, inuito etiam Prælato, quando ageretur de illius depositione, vt constat ex Correctot. *num.* 9.

52. Ad 8. Dico, illud statutum Bononiense esse rationabile si sano modo intelligatur; iustum enim est? vt Prælatus inferior Prælatum superiorem recognoscat; *cap. Ad hoc, d.* 89. sed si intelligatur, vt videtur sonare, nimirum quòd dictus Corrector debeat obtinere ad exeundum domo dictam expressam licentiam, ita vt eam illi possit Prouincialis pro suo libito denegare; dico, quòd nihil valet; nam est contra statutum Capit. Thuronen. *num.* 37. quod fuit confirmatum à Iul. II. vt *supra in eius const.* 8. & in dicto statuto dicitur, quòd solùm pro honestate tenetur Corrector intimare Prouinciali præsenti, per se, vel per alium fratrem, velle se exire: quam intimationem tenetur etiam facere Prouincialis Correctori, quando exire voluerit. Et hoc statutum Thuronen. fuit confirmatum in Cap. Tholos. *nu.* 64. Addito, quòd Corrector benedictionem petere teneatur per se, vel per interpositam personam. Intelligo itaque illud statutum Bononiense de benedictione, largè interpretando nomen illud licentiæ; quam benedictionem tenetur expressè petere: & licèt non obtineat, poterit exire, eo modo, quo prædicatores Regulares ad prædicandum in suis Ecclesiis tenentur petere benedictionem ab Episcopo Diœcesano ex Trid. *sess.* 5. *de refor. cap.* 2. quam tamen non est necesse obtinere, vt dico *supra in const.* 2. *Sixti IV. num.* 20. Pro qua doctrina facit, quod dicit Passar. *in notab. primo not.* 26. Neque obstant hic dictis, quæ dico *supra in dicta const.* 8. *Iul. num.* 3. nimirum quòd acta in vno Cap. confirmato à Papa in forma communi, possunt in aliis Capit. reprobari. Nam intelligitur quando non constat de mente confirmantis; constat autem *ex* § 4. *dictæ const.* quòd Papa Papa posuit in libertate cap. subsequentis, quod Tholosæ celebrari debebat, approbare, vel reprobare dicta statuta Capit. Thuronen. Quod Capit. Tholos. cum confirmasset dictum statutum Thuronen. cum limitatione dicta sumendi benedictionem à Prouinciali, videtur, quòd non reliquerit potestatem aliis Cap. dicta statuta Thuronen. infirmare. Et potest hic adduci illud iuris dicterium, quòd Exceptio firmat regulam in contrarium. Sed quicquid sit de hic dictis. Licèt concederemus, dictum statutum Bononien. de toto rigore debere obseruari, nihil inde contra nos.

53. Ad 9. Quod licet minori quo ad forum interius animæ, licet multò magis maiori, & est casus illius cap. & est verum; nihil enim potest Corrector in illo foro, quod non possit multò magis Prouincialis; At quò ad forum exterius, & iurisdictionem temporalem multa possunt inferiores, quæ non possunt superiores, vt est textus clarus *in cap. Episcopus gubernationem, d.* 88. *& cap. fin. de offic. Archipresb.* Et ratio redditur à Turrecr. *in cap. Volumus, d.* 89. *num.* 1. vt superior Prælatus maioribus negotiis superintendat.

54. Ad 10. Dic, quòd maior facit cessare minorem, à se in esse, & conseruari dependentem. At quando ab eo non dependet, vt in casu nostro, neque in esse, neque in conseruari, illa regula non valeret. Valeret in Vicario prouinciali; nam vbi Prouincialis adesset, statim cessaret illius auctoritas. Ita Glossa *in cap. Denique verbo, maiore, d.* 21.

55. Ad 11. Verum est, lumen maius offascare minus, sic Sol offuscat lumen cuiuscumque luminosi: Sed

Sed nō tollit actiuitatem, quam oon tribuit. Sic Prouincialis offuscat, non est dubium, auctoritatem Correctoris: at hoo tollit actiuitatem, quam non dat.

56. Ad 12. Verum est Correctores assimilari Curatis, vedicunt Rodriq. *to. 1. q. regul. q. 17. art. 3.* Miran. *tom. 2. man. q. 19. art. 3.* Sed Curati per dictum *cap. fin. de off. Archipresb.* minora negotia, secundùm Glossam *ibid. verbo Referant*, determinare possunt per se ipsos, cum habeant iurisdictionem ordioariam. Sic Correctores poterunt minora negotia terminare. Et si quæratur, quæ sint minora negotia, quæ possunt Correctores per se determinare. Respondent Rodriq. & Mir. *loc. cit.* esse omnia ea, quæ pertinent ad obseruantiam disciplinæ regularis, ad quæ possunt suos subditos censuris cogere, eaque omnia definire, quæ pertinent ad ordinariam gubernationem Conuentus, quæ non possunt generalitet impediri à Prouincialibus exercere; cum præsertim per Regulam, vt vidimus, eis specialiter concedantur. Pro quo facit *cap. Cum ad Ecclesiarum, iuncta Glossa, verbo Non relaxes, de offic. Ord.* Ad id, quod dicitur, Curatum non debere facere quidquam contra ordinationem Episeopi. Respondeo, id esse intelligendum, quando, suadente aliqua rationabili, & euidenti ratione, in casu aliquo particulari ordinariam auctoritatem suspendit, iuxta dicta *supra num. 43.*

57. Nota etiam, quòd hanc constitutionem confirmauit, inserto toto tenore Gregorius XV. ac propterea ex certa scientia confirmauit per suam constit. quæ incipit. *Aliàs*, sub data 15. *Septembr. 1621. anno 1. sui Pontificatus*

CONSTITVTIO VIII.

Quâ reuocat omnes indulgentias Regularibus concessas, & alias de nouo concedit.

PAVLVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemiū. *Romanus Pontifex in B. Petri Sede constitutus, cui inter alia cœlestis indulgentiarum thesauri dispendi cura incumbit, sollicitè prospicere debet, ac solerter, vt huiusmodi indulgentiarum dispensatio, & vsus ad Dei gloriam, & animarum salutem præcipuè dirigatur, & ne ex illarum multiplicitate confusio, aut inanis interpretatio exoriatur.*

Clemens VIII. præscripsit formam aggregandi Cōgregationes per suam constitut. Quæcumque, quæ est 125. apud Cherub. fol. 164. De indulgentiis tamen Regularibus concessis deliberare non potuit.

§. 1. *Proinde cum fel. rec. Clemens Papa VIII. prædecessor noster, magna cum diligentia, & sollicitudine procurauerit abusus, & corruptelas, tum in communicando indulgentiarum thesauros, tum in modo illos recipiendi irreptos tollere; & propterea sua quadam constitutione formam aggregandi, instituendi, & rectè administrandi Societates, & Confraternitates præscripserit, licèt morte præuentus hunc piam eius voluntatem ad finalem executionem deducere, neque etiam, vt cogitauerat, circa indulgentias, à plerisque Romanis Pontificibus prædecessoribus Religionibus, & Ordinibus Monasticis, & Mendicantibus diuersis temporibus concessas, aliquid deliberare potuerit.*

Hic Pontifex hoc negotium Cardinalibus commisit.

§. 2. *Nos, qui nullis nostris meritis, sed sola Dei benignitate ad summi Apostolatus officium vocati sumus, susceptum à tanto Pontifice pium hoc opus ad optimum finem perducere cupientes, vbi primum catholicæ Ecclesiæ regimen suscepimus, venerab. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus ad hoc opus à dicto Clemente prædecessore deputatis, de quorum numero tempore ipsius Clementis prædecessoris eramus, iniunximus, vt in illo opere ad vlteriora progrederentur, & indulgentias Regularibus concessas cognoscerent, iisque recognitis, rem nobiscum communicarent.*

Qui Indulgentias omnes reuocandas, & nouas concedendas censuerunt.

§. 3. *Cum itaque præfati Cardinales priuilegia, concessiones, & gratias, prædictis Religionibus, & Ordinibus concessas diligenter inspexerint, & examinauerint, ac eorundem Ordinum Superiores, & Officiales pluries audiuerint, ac circa easdem indulgentias varia dubia, & incertitudines, & confusiones adesse comperierint, & ex iudicio eorundem etiam Regularibus, vel aliquorum ex illis nobis proposuerint, valde expedire pro eorum maiori securitate, & beneficio, vt indulgentias ipsis Religionibus, & Ordinibus ad instar, vel per communicationem, aut alio modo hactenus concessas annullaremus, & reuocaremus, ac alias particulares illis concederemus.*

Nouas igitur hic Pontifex concedit.

§. 4. *Nos, matura super hoc consultatione præhabita, cupientes personis regularibus quibuscumque quorumvis Ordinum, tam Monasticorum, quàm Mendicantium spirituale solatium, & iuuamen afferre, infrascriptas indulgentias, & gratias, quas personis regularibus intra claustra, aut extra, cum licentia tamen suorum Superiorum, legitima de causa illis concessa, degentibus tantummodò suffragari debere declaramus; concedendas duximus.*

Et primò suscipientibus habitum regularem, plenariam.

§. 5. *Omnibus igitur Christi fidelibus, qui canonicè, & iuxta ordines cuiuslibet Religionis, & constitutiones Apostolicas, habitum regularem à legitimis Superioribus causa profitendi in illo, susceperint; die primo earum ingressus in ipsum Religionem, si verè pœnitentes, & confessi sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sumpserint, plenariam.*

Professionem emittentibus item plenariam.

§. 6. *Ac cuilibet nouitio, qui pœnitens, & confessus, ac sacra communione refectus, post completum probationis annum professionem emiserit, etiam plenariam.*

In festo principali sui Ordinis celebrantibus item plenariam.

§. 7. *Necnon cuilibet Religioso intra claustra sui Monasterij viuenti, qui in festo principali sui Ordinis confessus, & sacra communione refectus fuerit, aut missam recitans, pro christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac S. M. Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderit, etiam plenariam.*

In mortis articulo pœnitentibus item plenariã.

§. 8. *In cuiuslibet verò mortis articulo, si pariter verè pœnitens, & confessus, ac sacra communione refectus, vel, quatenus id facere nequiuerit, saltem contritus, nomen Iesu ore, si potuerit; sin autem, corde deuotè inuocauerit, etiam plenariam.*

Missam primam celebrantibus, vel interessentibus item plenariã.

§. 9. *Qui verò ad Presbyteratus ordinem canonicè promotus, & confessus, primam missam celebrabit, necnon etiam iis Religiosis, qui pariter confessi, ac sacra communione refecti, eidem missæ interfuerint, aut ipso die missam similiter celebrabunt, etiam plenariam.*

Speciale exercitium de quo hic, facientibus item plenariam.

§. 10. *Iis verò, qui de suorum Superiorum licentia à negotiis per decem dies alieni, in cella commorabuntur, aut ab aliorum conuersatione separati, in piorum librorum, & aliarum rerum spiritualium, animos ad deuotionem, & spiritum inducentium, lectionibus operam suam dederint, addendo sæpe considerationes, & meditationes mysteriorum fidei catholicæ, diuinorum beneficiorum, quatuor nouissimorum, Passionis D.N. Iesu Christi, & aliorum exercitiorum, orationum iaculatoriarum, aut vocalium, saltem per duas horas in diem, & noctem, orationibus mentalibus sese exercendo, faciendo eodem tempore confessionem generalem, aut annualem, vel ordinariam, sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sumpserint, aut missam celebrauerint, toties pro quolibet prædictorum exercitiorum plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.*

Eorum Ecclesias visitantibus indulgentias stationum.

§. 11. *Præterea iidem Religiosi intra claustra viuentes, qui suam Ecclesiam deuotè visitauerint, & vt præfertur, orauerint, consequantur easdem indulgentias, quas visitantes Ecclesias Vrbis, & extra eam diebus stationum consequuntur in omnibus diebus, perinde, ac si ipsas Vrbis Ecclesias personaliter visitarent.*

Ante altare eorum Ecclesiæ orantibus quinque annos, & totidem quadragenas.

§. 12. *Omnibus item Religiosis intra claustra, vt supra, viuentibus, qui quinquies orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam ante altare eorum Ecclesiæ dixerint in quolibet die, quinque annos, & totidem quadragenas.*

Similiter Lectoribus & Prædicatoribus in itinere existentibus.

§. 13. *Iis verò, qui de suorum Superiorum licentia in itinere existentes, aut extra claustra degentes tanquam Prædicatores, & Lectores, quinquies eandem orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam ante quodlibet altare similiter dixerint, etiam quinque annos, & totidem quadragenas.*

Orationem mentalem per mensem facientibus 60. annos, & totidem quadragenas.

§. 14. *Necnon etiam Religiosis, qui per mensem integrum singulis diebus spatio mediæ horæ orationem mentalem fecerint, ac confessi, & sacra communione vltima Dominica mensis huiusmodi refecti fuerint, sexaginta annos, & totidem quadragenas.*

Culpas proprias in Capitulis accusantibus 3 annos, & totidem quadragenas.

§. 15. *Qui verò contrito corde, & pænitentes, eorum culpas, & peccata, ac imperfectiones in Capitulis culparum accusabunt, & spiritualiter communicabunt & exercitium virtutum facient, tres annos, & totidem quadragenas.*

Missiones ad terras infidelium &c. acceptantibus pro duabus vicibus plenariam.

§. 16. *Quotiescumque autem de licentia summi Pontificis, aut suorum Superiorum, in ditiones, & terras infidelium, aut hæreticorum ad concionandum, aut catholicos docendum, vel infideles, & hæreticos ipsos ad fidem catholicam conuertendum, & Ecclesiæ gremio reducendum missi fuerint, si pænitentes, & confessi, ac sanctissima communione refecti fuerint, vel missam celebrauerint, vt melius ad huiusmodi opus sese parare valeant, pro duabus vicibus, videlicet quando itineri se accingent, & quando in Prouinciam, vbi prædicta opera eis exercenda erant, ingressi fuerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino pariter concedimus, & elargimur.*

Orationibus 40. horarum à Superioribus tempore visitationum collocatis interessentib. plenariam.

§. 17. *Et insuper, cum Superior in visitationibus generalibus orationes quadraginta horarum pro bono visitationis progressu collocare voluerit, iis Religiosis, qui dictis orationibus saltem spatio duarum horarum in diuerso tempore interfuerint, & ibi pro christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac S.M. Ecclesiæ exaltatione, necnon disciplinæ, & obseruantiæ regularis augmento pias ad Deum preces, vt supra dictum est, effuderint, si confessi, & sacra communione refecti fuerint, aut missam celebrauerint, plenariam similiter omnium peccatorum indulgentiam, & remissionem, vt præfertur, concedimus.*

Has indulgentias concedit etiam monialib.

§. 18. *Volumus autem, vt omnes supradictæ indulgentiæ, & gratiæ, Religiosis regularibus cuiusuis Ordinis, tam Monastici, quam Mendicantis dumtaxat, vt præfertur, concessæ, etiam omnibus monialibus cuiusuis Regulæ approbatæ, & intra claustra cum tribus votis solemnibus viuentibus, & perpetuam clausuram seruantibus, tam Ordinariis locorum, quàm etiam Regularibus cuiuscumque Ordinis, Regulæ, & Instituti subiectis suffragentur. Præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.*

Reuocat quascumque alias indulgentias.

§. 19. *Cæterùm omnes, & singulas indulgentias, quibuscumque Ordinibus, & Institutis regularibus huiusmodi, etiam Mendicantibus, & quibuslibet personis regularibus, tam rigore priuilegiorum, & literarum Apostolicarum, quam viuæ vocis oraculo, aut aliàs quouis modo per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & Apostolicam Sedem hactenus concessas, confirmatas, approbatas, & innouatas, auctoritate, & tenore prædictis perpetuò reuocamus, cassamus, annullamus, & abrogamus, & ad præsentium nostrarum literarum præscriptam reducimus, & moderamur.*

Derogat contrariis.

§. 20. *Non obstantibus quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac eorundem Ordinum, & Institutorum regulariumetiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consue-*

tudinibus:

tudinibus, priuilegÿs quoque, indultis, & literis Apostolicis, etiam Maremagnum, & bulla aurea nuncupatis, eisdem Ordinibus, & Institutis, eorumque Monasteriis, Conuentibus, Collegiis, domibus Superioribus, & personis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis; quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi præsentibus pro expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarÿs quibuscumque.

Transumptis fidem adhiberi iubet.

§. 21. *Volumus autem, vt præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarÿ publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides habeatur vbique, quæ præsentibus ipsis originalibus literis haberetur. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscator. die 23. Maÿ, 1606. Pontif. nostri anno 2.*

§. IV.

1. NOto, quòd indulgentiis hic concessis à *num.* 5. possunt etiam frui Religiosi, quando extra proprias domos, & Ecclesias commorantur; visitando altaria Ecclesiarum illorum, in quibus commorantur, siue ibi sint per modum itineris, siue per modum status ad breue tempus. Ita refert Pereg. 1. *part. sui comp. tit. Indulgentia, num.* 7. concessisse suæ Congregationi Pium IV. & confirmasse Pium V. & viuæ vocis oraculo declarasse Paulum V. post hanc indulgentiarum reuocationem. Quod viuæ vocis oraculum, quia factum est Generali dictæ Congregationis Clericorum regularium, suspicabitur quispiam esse reuocatum per bullam huiusmodi vocis oracula reuocantem, de qua *infra in Gregorio XV. const. tim* 3. Sed perperam; nam solùm ibi reuocat indulta, facultates, priuilegia, gratias, & concessiones quascumque viuæ vocis oraculo factas, de quibus non testatur aliquis S. R. E. Cardinalis, In ista autem declaratione nulla continetur gratia; solùm declarat Pontifex, per suam constitutionem non esse derogatum huic priuilegio, quod est valde diuersum à concessione gratiæ; Qui enim declarat, nihil de nouo concedit Ludouicus Gomez *in regul. Cancell. de non tollen. iure quæsit. quæst.* 13. *in princ. pag. mihi* 54. & Guido Pap. *sing.* 772. A diuersis autem non fit illatio; *cap. Ad audientiam, de decimis, cap. 2. de transl. Episcopi, & leg. Papinianus exul. ff. De minoribus.* Panor. *in cap. Venerabilis de iud. num.* 6. Alphonsus Leo *in tract. de iub. part. 1. quæst. 6. num.* 247. *pag.* 61. qui ait, dictum viuæ vocis oraculum Pauli V. fuisse factum Cardinali, quem non nominat: Vt vt sit: ratio facta conuincit.

2. Nota etiam, quòd infirmi, & decrepiti nostræ Religionis, qui non possunt Ecclesiam adire ad lucrandas indulgentias à Paulo V. Regularibus concessas, possunt eas consequi in lectulo suo, dummodò agant aliquod opus pium arbitrio confessarij. Ita declarauit Paulus V. Congregationi S. M. Fulien. *anno* 1609. *Pontif. sui anno* 5. vt habetur *in eorum comp. tit. Infirmi*, §. 4. Peregr. *eod.* §. 1.

§. XI.

3. QVæres 1. an indulgentiis, de quibus hic, possint Regulares gaudere singulis diebus totius anni, an verò solùm diebus stationum. Respondeo, Meo videri solum posse frui diebus stationum, 3. Tum quia quando vult Pontifex concedere indulgentiam pro quolibet die, id explicat, vt patet ex § *sequ.* Lex enim vbi aliquid vult, id exprimit, vt Mandol. *in reg. 32. Cancell. quæst.* 28. *num.* 2. Gutier. *lib. 1. can. quæst. cap.* 30. *num.* 21. *cap. Ad audientiam, de decim.* Tum quia, si Regulares possent his frui singulis diebus, non curarent frui aliis minoribus, vnde hæ solùm ad pompam viderentur concessæ.

4. Quæres 2. an in istis indulgentiis includantur indulgentiæ plenariæ concessæ dictis diebus Ecclesiis Vrbis, & extra eam.

Respondeo, Suarez *tom. 4. in 3 part. disp.* 52. *sect.* 8. *num.* 12. Molfes. *part. 1. summ. tract.* 7. *cap.* 26. *n.* 92. quòd non includuntur, nisi id in specie exprimatur, quia sic est stylus, & praxis Curiæ Romanæ, & regul. Cancellariæ. Sed meo videri (saluo semper stylo dictæ Romanæ Curiæ) in prædictis diebus stationum possint Regulares lucrari indulgentias etiam plenarias; Tum quia dictio, *Perinde*, omnem similitudinem importat. Tusc. *verb. Dictio, concl.* 375. *num.* 13. Tum quia, cum constet de potestate concedentis, & solùm dubitetur de voluntate, latè est interpretanda: Tum quia ita videtur intellexisse communis Religiosorum sensus.

§. XIX.

5. QVæres 1. an per istam reuocationem reuocentur indulgentiæ concessæ Regularibus pro defunctis.

Respondeo Paulum V. declarasse Congr. S. M. Fulien. viuæ vocis oraculo facto Card. Bandino *die* 23. *Febr.* 1609. non reuocari. Ita Peregr. 1. *part. sui comp. verbo Indulgentia, num.* 9.

6. Et sic modò possunt Regulares frui priuilegio Leonis X. concesso Congreg. S. Iustinæ, quòd celebrantes tres missas pro anima alicuius defuncti consanguinei intra tertium gradum super vno altari, per Superiorem in propria Ecclesia assignato, liberant ipsius animam à pœnis purgatorij, ac si celebrassent super altari S. Gregorij, aut S. Sebastiani Romæ. Ita refertur *in compend. priuil. Congreg. S. M. Fulien. tit. indulg. pro defunct.* §. 6. Peregr. *eod.* §. 15.

7. Noto etiam, quòd Leo X. concessit, vt omnes indulgentiæ ab ipso, & prædecessoribus suis concessæ Mendicantibus vsque ad quartum sui Pontificatus annum, *die 3. Febr.* pro viuis, possint ab iis pro defunctis per modum suffragij applicari. Ita refert Peregr. *loc. cit.* §. 10. Et refertur *in comp. Soc. Iesu, tit. Indulgentia*, §. 10. *Et in comp. priuil. S. M. Fulien. tit. Indulg pro defunct.* §. 4.

8. Quare omnes Sacerdotes, qui Dominicis diebus, aut in solemnitatibus D. N. Iesu Christi, & B. M. celebrant, & non Sacerdotes quotiescumque communicant, consequuntur plenariam indulgentiam; per concessionem Innoc. VIII. factam Minoribus, vt refert dictus Peregr. *loc. cit.* §. 12. Sed istam non possunt lucrari pro se, quia quò ad viuos reuocata est per istam constit. Possunt autem illam applicare pro defunctis.

9. Quoties etiam Regulares dicunt coronam B. M. quæ continet 63. Aue, & 7. Pater, vel coronam Domini, quæ continet 33. Pater, & 5. Aue, vel septem psalmos pœnitentiales, aut psalmos graduales, aut officium defunctorum pro defunctis, consequuntur indulgentiam plenariam, defunctis applicandam,

Insign.

Infirmi vero, & senes decrepiti eandem indulgentiam consequuntur, quoties psalmum 50. aut canticum B. V. aut hymnum Aue maris stella dixerint, & hoc per concessionem Iulij II. & Leonis X. vt refert Peregr. 1. *part. sui compend. tit. Indulgentia*, §. 13. & refertur etiam *in comp. priuil. S. M. Fulien. tit. Indul. pro defunct.* §. 2. & 3. & *in comp. priuil. Soc. Iesu, tit. Indulgentia*, §. 9.

10. Quæres 2. an per istam reuocationem reuocentur indulgentiæ concessæ pro articulo mortis.

Respondeo Non reuocari: Nam quæ speciali digna sunt nota, non censentur tacitè esse sublata vt dicitur *in leg. Item apud Labeonem. §. Ait Prætor. ff. de iniuriis.* Ita Alph. Leo. 1. *part de iubil. quæst. 6. num. 243. versu Ex qua declaratione sequitur primo.* Qui id colligit ex quadam declaratione facta ab Vrb. VIII. publicata Romæ ab illust. Coccino Vicegerente Pœnitentiariæ, *anno iubilei* 1625. quòd anno iubilæi non suspenduntur indulgentiæ concessæ pro articulo mortis. Quare poterunt in dicto articulo frui indulgentia plenaria concessa à Sixto IV. &c. quòd possint Regulares in dicto articulo confessorem eligere, qui eis possit concedere indulgentiam plenariam, & quòd, si occurrerit casus, quòd non possint confessorem eligere, seu habere, tunc etiam consequantur prædictam indulgentiam, si sint in statu gratiæ, vt refert Casar. *verbo Indulgentia quò ad fratres*, *num.* 1. & Suar. *tom.* 4. *de Relig. tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 8.

11. Quæres 3. an per istam reuocationem prohibeantur Regulares consequi indulgentias concessas alicui Ecclesiæ, vel populo, seu hospitali. &c.

Respondeo, Per istam constitutionem non reuocari, nisi indulgentias personales concessas Regularibus, & ipsorum intuitu. Vnde non videtur mens Papæ fuisse prohibere, quin dicti Regulares possint lucrari indulgentias locales. Ita Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 8. *cap.* 6. *num.* 130. Aduertit tamen D. Th. *supple.* 3. *part. quæst.* 27. *art.* 2. *ad* 2. quòd *Religiosi existentes in suis Monasteriis promerentur amplius, quàm discurrendo aut peregrinando ad lucrandum indulgentias.* Vnde deberent esse contenti de indulgentia temporanea, quam consequuntur suas Ecclesias visitando. Idem existima dicendum de imaginibus, medaliis, &c. Quia indulgentiæ illis concessæ reales sunt, non personales.

CONSTITVTIO IX.

Quâ mandat Superioribus Regularium, ne cognoscant causas suorum subditorum, ad Inquisitores hæretica prauitatis pertinentes.

PAVLVS EPISCOPVS,

Seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmiũ.

ROmanus Pontifex ea interdum, quæ à prædecessoribus suis, temporum, & rerum qualitate id tunc exposcente, prouidè pro hæresum extirpatione sancita sunt, nouis emergentibus, reuocat, & immutat, aliaque desuper disponit, & ordinat prout in Domino salubriter conspicit expedire.

§. 1. *Dudum siquidem fel. rec. Pius Papa IV. prædecessor noster sua perpetuò valitura constitutione statuit, ordinauit, & declarauit, quòd ex tunc deinceps in omnibus christiani orbis partibus Inquisitores hæreticæ prauitatis, tam generales, quàm in quibusuis Prouinciis, Ciuitatibus, Oppidis, Terris, & locis pro tempore deputati particulares, contra omnes quorumcumque Ordinum, etiam exemptorum, etiam Mendicantium, professores, & Religiosos, ac etiam alios quoscumque quouis modo priuilegiatos, & exemptos, de hæresis crimine quomodolibet suspectos, aut culpabiles, dummodò ab eorundem professorum, & Religiosorum Superioribus, vel Prælatis in causis huiusmodi præuenti non fuissent, iuxta facultates officij inquisitionis ipsius prauitatis inquirere, & procedere, ac culpabiles, & delinquentes repertos secundùm canonicas sanctiones castigare, atque punire possent, & valerent, ac aliàs, prout in literis ipsius Pij prædecessoris latiùs continetur.*

Pius IV. iussit Inquisitores procedere contra quoscumque Regulares, dummodo ab eorum Superioribus non essent præuentum.

§. 2. *Cum autem rerum vsu compertum sit, occasione præuentionum huiusmodi nonnulla interdum impedimenta orta esse, quominus causæ huiusmodi ea, qua decet, diligentia cognoscantur. Nos de consilio venerab. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, contra hæreticam prauitatem generalium Inquisitorum, illa de medio tollere volentes, motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac matura deliberatione, has nostra etiam perpetuò valitura constitutione, omnia, & quæcumque priuilegia, indulta, facultates, & concessiones Generalibus, Superioribus, & Prælatis quorumcumque Ordinum, siue Mendicantium, siue Clericorum regularium, cuiusuis Ordinis, & Instituti, etiam in dicta constitutione non expressorum, & quantumvis exemptorum, & quocumque nomine nuncupentur, per dictum Pium, ac quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, & Sedem Apostolicam concessa, approbata, & innouata, & quantumvis etiam longissimo tempore obseruata causas ad dictum officium quouis modo spectantes cognoscendi, & terminandi, seu in illis quoquo modo se intromittendi, quorum omnium, & singulorum tenores, etiamsi de illis specialis, & expressa mentio habenda esset, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, Apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuò cassamus, reuocamus, & abolemus: ipsisque Generalibus, Superioribus, & Prælatis, vt de cætero, quouis quæsito colore, vel prætextu præuentionis, vel consuetudinis, & præscriptionis immemorabilis, seu cognoscendi, an delusiones huiusmodi calumniosæ sint, necne, in eiusdem causis tam motis, quam mouendis quoquo modo se intromittere, seu immiscere, denuntiationes recipere, testes examinare, processus conficere, causas ipsas cognoscere, definire, vel terminare minimè audeant, seu præsumant, simili auctoritate districtiùs inhibemus.*

Hic modo Pont. facultatem quibuscumque Ordinum Prælatis cognoscendi causas Regularium, ad officium inquisitionis spectantes, quoquo modo concessam reuocat.

§. 3. Volentes,

Regulares omnes Ordinariis, & Inquisitoribus liberè denuntiari mandat.

§. 3. *Volentes, & expressè mandantes, vt ipsi Religiosi possint, & debeant omnes etiam Ordinum huiusmodi professores, de hæresi suspectos Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum viciniotibus liberè denuntiare, absque eo quòd Superiores prædicti personas denuntiandas, & causas perquirere, vel quoquo modo id impedire, vel retardare audeant, seu præsumant.*

Et causas coram ipsis Prælatis pendentes Inquisitoribus, & Ordinariis committit.

§. 4. *Insuper omnes, & quascumque causas ad dictum officium quomodolibet spectantes, & pertinentes, coram Generalibus, Superioribus, & Prælatis huiusmodi in quibuscumque locis existentibus, ac contra quoscunque Religiosos, vt præfertur, exemptos motas, & pendenses, ad nos harum serie auocamus, easque omnes in statu & terminis, in quibus de præsenti reperiuntur, ipsius prauitatis Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum viciniorsbus terminandas committimus.*

Prælatis ad transmittendum omnia acta, & omnes Regulares de hæresi suspectos iisdem Ordin. & Inquisitoribus mandat.

§. 5. *Præterea ipsis Generalibus, Superioribus, & Prælatis pari auctoritate præcipimus, atque mandamus, vt omnes processus, & acta causarum huiusmodi Inquisitoribus, vel Ordinariis prædictis respectiuè remittant, & consignent; necnon professores, fratres, Religiosos supradictos, quos hæresis labe infectos, vel suspectos etiam in visitatione esse nouerint, absque alia consultatione cum propriis Superioribus facienda, eisdem Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum viciniotibus respectiuè denuntient.*

Contrauenientibus pœnas imponit.

§. 6. *Quòd si Generales, aliique prædicti præsentibus literis non paruerint, eos omnes priuationis quarumcumque dignitatum, seu Prælaturarum, vel officiorum suorum Ordinum, ac vocis actiuæ, & passiuæ, perpetuaque inhabilitatis ad easdem, necnon contra fautores hæreticorum, & impeditores officij statutas, & inflictas pœnas, aliasque censuras ecclesiasticas; etiam excommunicationis maioris latæ sententiæ, à qua non, nisi à nobis, vel à Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo, absolutionis beneficium valeant obtinere, eo ipso incurrisse.*

Clausulas præseruatiuas apponit.

§. 7. *Necnon præsentes literas, licèt Generales, Superiores, & Prælati prædicti, aut quicumque alij. quavis auctoritate, dignitate, vel officio, seu honore fulgentes, in præmissis quomodolibet interesse habentes, vel habere prætendentes ad hoc vocati non fuerint, semper, & perpetuò validas, & efficaces existere, suosque plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere, ac ab omnibus inuiolabiliter obseruari. Sicque per quoscumque iudices, & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam S.R.E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere. Irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus.*

Derogat contrariis.

§. 8. *Non obstantibus prædicta, ac quibusvis aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinum, & Institutorum quorumcunque iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, etiam Marem magnum, vel aliàs quomodolibet nuncupatis, eisdem Ordinibus, eorumque Generalibus, Superioribus, & Prælatis, ac personis etiam per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac Sedem prædictam, & per nos quovis modo concessis, confirmatis. & iteratis vicibus approbatis, & innouatis; quibus, ac aliis omnibus, quæ præsentibus quomodolibet obstare possent, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac indiuidua, & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, eorum tenores pro plenè, & sufficienter præsentibus expressis, & totaliter insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.*

Formam ad effectū publicationis præscribit.

§. 9. *Vt autem præsentes literæ ad omnium notitiam deducantur, nevè aliquis ignorantiam earum prætendere, aut contra eas se excusare valeat, illas in valuis S. Ioannis Lateranen. & Principis Apostolorum Basilicarum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, ac acie campi Floræ de more affigi, & publicari, earumque exempla inibi affixa dimitti, ac post publicationem huiusmodi omnes, & singulos, quos concernunt, & concernent in futurum, perinde arctent, & afficiant, ac si eorum cuilibet personaliter intimatæ fuissent.*

Transumptis fidem adhiberi iubet.

§. 10. *Quòdque earum transumptis, etiam impressis, Notarij publici manu subscriptis, & sigillo alicuius Prælati, seu personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eandem prorsus fidem in iudicio, & extra vbique gentium, & locorum adhiberi volumus, & mandamus, quæ eisdem originalibus literis adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Et nihilominus, vt ad maiorem notitiam singulorum, & quorumcumque Religiosorum prædictorum præsentes deueniant, etiam volumus, & in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, & mandamus Generalibus, Superioribus, & Prælatis prædictis, vt in primis proximis futuris Capitulis, seu Congregationibus prouincialibus, vel generalibus cuiuscumque Prouinciæ, tam in Italia, quam extra, præsentes nostras literas legi, & publicari faciant, & procurent. Nulli ergo, &c. Datum Romæ, apud S. Marcum, anno Incarn. Dom. 1606. Kalend. Sept. Pontif. nostri anno 2.*

§. I.

1. NOto, quòd Pius IV. per suam const. quæ incipit, *Pastoris æterni*, quam refert Cherub. *tom. 2. bull. in Pio IV. const. eius 51. pag. 66.* dedit facultatem

licentias huiusmodi permissos legentes, aut habentes, pœnas in sacris Canonibus, & const. Apost & indicibus librorum prohibitorum contentas incurrere volumus, & declaramus. Et, paucis interpositis, iubet qui tales libros habuerint, ad Inquisitores, seu Ordinarios, qui eos quàm citiùs comburere debeant, deferre, & qui sciuerint similes libros habere, denuntiare teneantur. Et quòd in posterum similes licentiæ non concedantur, nisi à Congreg. S. Officij. Est data Romæ 30. *Decembris*, 1623. Non obstat, inquam, quia loquitur de licentiis particularibus concessis ad legendos libros hæreticos, vel de hæresi suspectos, seu aliàs quomodocumque prohibitos; non autem de priuilegiis Regularibus concessis; neque his derogat. Et in omni casu suspensos, donec corrigantur, non prohibet legi ab his, qui aliàs habent per priuilegia facultatem.

11. Regulas librorum prohibitorum ex indice Clementis VIII. & propositiones, quæ expurgatione, & correctione indigent, vide *in expurgatorio Brasichel in principio. Et in expurgatorio Sandoual.*

12. Septimò in diffamatos de hæresi. Diffamati autem de hæresi dicuntur illi, de quibus est publica vox, & fama & communiter apud omnes, vel maiorem, & saniorem partem Ciuitatis, vel viciniæ, aut villæ, quòd tales hæresim prædicauerint, seu defensauerint, vel aliter illi hæresi adhæserint, Direct. Inquisitorum *p. 2. q. 77. n.* 1. Farinac *de hæresi, quæst.* 187. §. 5. *num.* 53.

13. Octauò in suspectos de hæresi. Suspecti autem de hæresi dicuntur. 1. qui fidelium consortia deuitant, sua peccata non confitentur, diuina officia non audiunt, non ieiunant, diebus vetitis carnes comedunt. 2. qui facilè, & sæpe carnaliter cognoscunt mulieres consanguineas, affines, moniales, commatres, aliasque similes. 3. qui horrenda iuramenta, execrabiles blasphemias, verba impudissima proferunt. 4. sortilegi, & inuocantes dæmones. 5. testes recusantes se examini subijcere in causa hæresis. 6. qui primò de se, vel de aliis hæresim confessi sunt, & postea negant. 7. non recusantes hæreticum. 8. libros hæreticorum retinentes 9. duas ducentes vxores. 10. qui Christi fidem ore negant, licèt non corde. 11. apostatæ à Religione, si per annum in excommunicatione perstiterint, negligentes ad Religionem redire. 12. fideles cum hæreticis matrimonium contrahentes. 13. Officiales, & Domini temporales negligentes, in puniendis & fugandis hæreticis, & requisiti recusantes eos apprehendere. 14. qui hæreticorum conciones audiunt, qui hæreticos receptant, illis fouent eos defendunt, cum ipsis conuersantur, eos visitant, eis munera mittunt, cum illis confœderationes contrahunt, qui eos sepeliunt. 15. qui impediunt officium sanctæ inquisitionis non tamen si id faciant ex amicitia, & consanguinitate, vel pretio. Ita Sanctar. *in tract. de hæresi, c. 41. dub.* 3. Videatur Menoch. *de præsumpt. lib. 5. præsum. 2. a num.* 16. & 15. ponit tres gradus suspicionis, aliqui enim dicuntur violenter suspecti, aliqui vehementer suspecti, aliqui verò leuiter suspecti.

14. Nonò in schismaticos. Ii autē dicuntur, qui diuisi ab vnitate Ecclesiæ Romanæ, summo Pontifici subesse renuūt & Farin. *de hæresi, q.* 184. *n* 8 &. 9.

15. Decimò in apostatas à fide. Hi autem sunt, qui fidem relinquunt christianam, quam in baptismo promiserunt, & transeunt ad Iudæos, Turcas, Saracenos, idololatras, hæreticos; Farin. *de hæresi, q.* 183. *num.* 13. & hoc etiamsi id faciant ex libidine, vel desperatione, animo non linquentes catholicam fidem, quia quantùm ad Ecclesiam apostatæ sunt.

Farin. *ibid. numer* 22.

16. Vndecimò in blasphemos, siue maledicos, qui proferunt verba hæresim continentia. Blasphemi autem, qui Inquisitorum iudicio subduntur, sunt illi, qui hæreticales blasphemias euomunt, vt qui verba proferunt contra articulos fidei, vt Deum non esse omnipotentem, B. V. non esse putam, sed meretricem, &c. Direct. Inquisit. *p. 2. q. 41. num.* 2. vel proferunt verba, quæ habent significationem infidelitatis, & fidei abnegationem, & directè opponuntur concessioni fidei, vt abnego Deum, non credo in Deum, discredo de Deo, renego fidem, vel crucem D. Iesu Christi, vel chrisma, quod frunte recipi. Ita Pegna *in directorio comm.* 66. meretrix autem Dei, an sit hæreticalis dubitant aliqui: puto, quod non. Nam communiter non significatur, Deum meretricem habere, quo sensu sine dubio hæreticalis esset, sed aliqua mulier, quæ aliquando fuit meretrix, nunc gratia Dei conuersa Deo est.

17. Duodecimò in sortilegos, diuinatores, magos, &c. qui in suis sortilegiis faciunt, vel admiscent aliqua; quæ hæresim continent, aut sapiunt, vt si dæmonibus honorem latriæ, aut duliæ impendant, puerum rebaptizent; vel in sortilegio amatorio Deum abnegent, & Ecclesiæ sacramenta: aut in eodem sortilegio Ecclesiæ sacramenta, vt oleum sanctum, sacram Eucharistiam; vel sacram entalia, vt aquam benedictam, cereum paschalem, vel candelas de arundine, vel Sanctorum reliquias, & agnos Dei admisceant. Ita direct. Inquis. *p. 2. q. 42. n.* 2. vbi Pegna *comm.* 67. Sortilegi autem, de quibus hic, dicuntur qui sub nomine fictę religionis, per quasdam, quas Sanctorum sortes vocant, diuinationis scientiam profitentur, aut quarumcumque scripturarum inspectione futura promittunt, vel qui diabolicam professi religionem, noxia quæque superstitiosa, aut elusoria dæmonis instructione parant. Sortilegiorum autem species tres potissimùm sunt, diuinatoria, amatoria, venefica. Ita Godof. *in theor. crim.* §. *Sortilegium, n.* 2. & 5. Videatur Farin. *de hær. q.* 181.

18. Et si vis scire, quæ sortilegia contineant hæresim, & quæ hæresim sapiant, adi Martin. del Rio *lib. 5. magic. disquis. sect. 5. axiom.* 1.

19. Si etiam vis scire, quæ propositio sit hæretica, quæ sapiat hæresim quæ erronea, quæ temeraria, quæ schismatica, quæ scandalosa, quæ iniuriosa, quæ impia, quæ blasphema, adi Riccul. *lib. 5. de iure pers. c. 8. per totum*, Bariol. *in flor. Inquis. post 3. par. pag.* 187.

20. Decimotertiò in Regulares matrimonium contrahentes, siue publicè, siue secretè, sunt enim suspecti de hæresi, Rodriq. *to. 3. q. regul.* q 1. *art.* 1. Menoch. *de præsump. lib. 5. præsump. 6. num.* 35. Contra quos adest etiam excommunicatio ipso iure *in Clem.* 1. *de consang. & affin.*

21. Decimoquartò in sollicitantes, tam fœminas, quàm viros ad inhonesta, aut cum eius illicitos, & inhonestos sermones, aut tractatus habentes, siue id faciant pro se, siue pro aliis lenonum officium exercentes, in actu sacramentalis confessionis, siue ante, vel post immediatè seu occasione, vel pretextu confessionis huiusmodi, etiam ipsa confessione non secuta, siue extra occasionem confessionis in confessionaria, aut loco quocumque vbi confessiones sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire. Ita Gregor. XV. per suam constitutionem 4 §. 6. *infra*, vbi multo dicam.

22. Decimoquintò in eos, qui non ordinati missa n celebrant, & confessiones audiunt, Ita declarauit Greg. XIII. per suam constit. 21. apud Cherub,

 tom.

tom. 2 *Bull.pag.* 387. quæ incipit. *Officij nostri partes*; & Clem. VIII. per suam const. 81. apud eundem Cherub. *tom.* 3 *bull.p.* 128. quæ incipit, *Et si alias*, iussit hos dagradari, & brachio sæculari tradi.

23. Decimotextò in exercentes Astrologiæ iudiciariæ artem, etiamsi asserant, & protestentur, sed id certò non affirmare? necnon in scienter legentes, aut retinentes libros consimiles, & de diuinatione tractantes, per constitut. 27. Sixti V. apud Cherub. *tom.* 2 *bull. pag.* 510. quæ incipit *Cœli, & terra creator.*

24. Aduerte hic, quòd dubitant Doctores, an hic motus proprius obliget in foro conscientiæ, quando Astrologi asserunt, se id certo non affirmare. Negant Valen. *tom. disp.* 6. *q.* 11. *p.* 3. *col.* 3. *versu si autem*; Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de superst. cap.* 11. *numero* 3. Del Rio *lib.* 4 *mag.disq. cap.* 2. *quæst.* 3. *versu Secundo quo ad ipsam*, Naldus *in sum. verbo Astrologus*, *num.* 4. Affirmant Sanch. *lib.* 2 *in decal.cap. cap.* 38. *num.* 34. Farin. *tract. de her. q.* 181. §. 1. *num.* 59. Salas 1. 2. *q.* 9. *art.* 5. *tract.* 5. *disp.* 2. *sect.* 3. *num.* 36. Hæc 2. opinio tutior est, cum præsertim non omnes Doctores pro 1. clarè loquantur. Vide alios casus huiusmodi apud Riccium 1. *p. sua praxis decis.* 671. & 2. *p. resol.* 178. pro superstitionis signis.

25. Quæres, an quis teneatur sub pœna peccati mortalis denunciare incursum in vnum ex supradictis casibus, quem solus ipse nouit.

Respondeo affirmatiuè. Ita Suarez *de fide, disp.* 20. *sect.* 4. *num.* 7. Sanctar. *de her cap.* 9. *num* 1. licèt alij contrarium sentiant apud Suar. *loc. cit num.* 6. Probatur *ex cap.* 2. *de heret. & cap. Quapropter.* 2. *q.* 7. Quod tamen limitandum puto, si talis pertinax sit vt Tol. *in sum. lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 1. & adhibita priùs fraterna correctione, vt Glossa *in d. c. Quapropter, ver. Protinus*; & dico *infra in constit.* 4. *Greg. XV.* §. 9. *num.* 26.

26. Nota etiam, quòd Greg. XV. per suam const. datam Romæ *die* 20. *Martij*, 1623. præcepit denuntiari sortilegos, & maleficos his verbis: *Omnipotentis*; & infra *Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine, tenore præsentium decernimus, præcipimus, & mandamus, vt si quis aliquis pactum cum diabolo fecerit, & a fide apostatando, maleficijs, siue sortilegijs, vnam, seu plures personas ita læserit, vt ex maleficio vel sortilegio mors secuta sit, etiam pro primo lapsu, Curiæ sæculari tradatur, debitis pœnis puniendus. Qui verò similiter apostatando, pactum cum diabolo, vt præfertur, fecerit & maleficium, seu sortilegium commiserit, ex quo, licèt mors secuta non sit, infirmitas tamen, diuortia, impotentia generandi, siue animalibus frugibus, vel aliis fructibus damnum notabile prouenerit, muro claudi, siue perpetuis carceribus in sancto inquisitionis officio, vbi illud existit, fabricandis mancipari debeat. Qui verò similium delinquentium notitiam habuerint, eos Episcopo siue Inquisitori denuntiare teneantur.*

27. Nota etiam præceptum illustris. & reuerendis. DD. Cardinalium Inquisitorum generalium quod sic habet *Præceptum de hæreticis, seu de hæresi suspectis sancto officio propalandis. Octauius Episcopus Prænestinus Bandinus, Carolus tit. S. Cæsarei Madrutius Io Garsia tit SS. quatuor Coronatorum Millinus; Fabritius tit. S. Augustini Verallus; Gaspard tit. S. Crucis in Ierusalem Borgia; F. Felix Centinus tit. S. Anastasiæ Asculanus; Scipio Cobellutius tit. S. Susannæ, F. Desiderius Scaglia tit. S. Clementis de Cremona; Ludouicus tit. S. Laurentij in Damaso Ludouisius Presbiteri, & Ludouicus S. Adriani Diaconus de Lauallette nuncupati, miseratione diuina S. R. E. Cardinales, in vniuersa Republica christiana aduersus hæreticam prauitatem Inquisitores generales, à S. Sede Apostolica specialiter deputati. Vniuersis, & singulis Christi fidelibus, tam ecclesiasticis, quam sæcularibus vtriusque sexus, cuiusuis status gradus, ordinis, conditionis, & præminentia existentibus, & quacumque dignitate, & auctoritate, etiam maxima, fulgentibus, harum serie, ac tenore, auctoritate nostra, & huiusmodi nostri officij, quo fungimur in hac parte, præcipimus, & mandamus, quatenus infra duodecim dies proximè computandos, quorum primos quatuor pro primo, & reliquos quatuor, primis quatuor immediatos pro secundo, & vltimos quatuor pro tertio termino, & peremptorio, ac trina monitione canonica assignamus, omnes, & singulos hæreticos, seu de hæresi quomodolibet suspectos, de quibus notitiam habuerint, debeant nobis, vel R. Commissario nostro quò ad habitantes in Vrbe, quò verò ad alios extra Vrbem. & vbiuis locorum degentes, Inquisitoribus, vel locorum Ordinarijs, vel eorum Vicariis generalibus, sub excommunicationis maioris latæ sententiæ pœna, quam in contrarium facientes ipso facto incurrant, iudicialiter propalare, cuius excommunicationis maioris absolutionem S. D. N. Papæ, & nobis reseruamus. Certificantes huiusmodi conscientia sua immemores, ac dictam excommunicationis pœnam contemnentes, quòd contra ipsos, tanquam contra hæreticorum fautores, & alias. prout, meliùs visum, & iuris fuerit, procedetur; Ideo, &c. Datum in nostra, & officij S. Romanæ vniuersalis Inquisitionis Congregatione die 3. Ianuarij 1623. Octauius Episcop. Prænestin. Cardinalis Bandinus, C. Card. Madrutius: Io. Garsia Card Millinus. Fabr. Card. Veralius. G. Card. Borgia; Frater Felix Card. Asculanus. Scip. Cardin. S. Susannæ; Frater D. Card. de Cremona; L. Card. Ludouisius; L. Card. de Lauallette. Andreas de Pettinis S. R. & vniuer. Inquisitionis Not.* Aduerte autem circa has obligationes denuntiandi, eas debere limitari, prout dictum est *numero* 25. Aduerto etiam, quòd licèt supradicta dispositio proponatur sub nomine præcepti, vnde aliqui opinati sunt, eam non esse perpetuam, mihi tamen omnino certum videtur, eam esse perpetuam; Tum quia si diceret, Decretum, nullus dubitaret, quin esset perpetuum; at præceptum, & decretum sæpius confunduntur in iure, vt ex Tusch. *ver. Præceptum, concl.* 480. *num.* 4. & 11. Et clariùs ex quadam const. Sixti V. circa agitationes taurorum, quæ incipit, *Nuper siquidem*, quam refert Gutier. *lib.* 1. *can. q. cap.* 7. *num.* 36. vbi postquam retulisset Papa const. quandam Pij V. & Greg. XIII. ait *Nos vt Romanorum Pontificum præcepta, prout decet, inuiolabiliter obseruentur*; vbi constit. Pontificum vocat præcepta: Contrarium tamen videtur dicere Abbas *in cap. Venerabilis de iudic. num.* 61. & Nald. *in sum. verbo, lex, num.* 2. Tum quia ex dicto præcepto nullum apparet signum, quare non debeat esse perpetuum; illud enim *præcipimus, vt infra duodecim dies proximè computandos*, intelligo à die notitiæ delicti, non à die datæ dicti præcepti. Et colligitur ex eo, quia obligat vbique locorum; & pœna indefinitè posita perpetua est secundùm multos; proponitur autem sub nomine præcepti, fortè quia id est familiarius illi sancto tribunali.

28. Nota etiam, quòd Regulares recurrentes ad sanctum officium, vt in eo testimonium perhibeant, non possunt à suis Superioribus grauari. Ita decreuit Pius V. *die* 17. *Augusti, anno* 1567. sub his verbis. S. D. *N. Pius Papa V. in generali Congreg.*

greg. sancti officij consulens libertati ipsius sancti officij, & indemnitati recurrentium ad illud, vel in eo testimonium perhibentium. statuit, & decreuit, vt regulares quorumvis etiam Mandicantium Ordinum persona, qua pro tempore ad officium sancta Inquisitionis pro quocumque negotio recurrerint, seu confugerint, vel in eo testimonium perhibuerint, veritatis, aut aliàs quomodolibet deposuerint, nequaquam à suis Superioribus per quinquennium continuum à die recursus, seu depositionis huiusmodi molestari, vel ex quacumque causa, vel excessibus prætensis personarum istarum, & de debitis propterea pœnis, seu pœnitentiis eisdem imponendis nisi ipsi illustriss. Cardinales Inquisitores generales certiores facti fuerint, vel eis aliter clarè notificatum, & ab ipsis Cardinalibus desuper responsum fuerit

29. Nota etiam, quòd regulares pœnitentiati a sancto officio sunt omnino inhabiles ad dignitates, etiamsi pœnitentias compleuerint. Ita *die* 1. *Octobris* decreuit Vrban. VIII. *anno* 1626. sub his verbis: *In generali congregatione S. R. & vniuers. Inquisitionis habita in Palatio Apost. montis Quirin. coram S. D. N. D. Vrbano diuina prouidentia Papa VIII. Illustr. DD. S. R. E. Cardinalibus in vniuersa Rep. aduersus hæreticam prauitatem Inquisitoribus generalibus à S. Sede Apostolic. specialiter deputatis S. D. N. iustis de causis animum suum mouentibus decreuit, & statuit, vt in posterum Regulares omnes cuiusvis Odinis, Religionis, Societatis, & Institut. quibus pro delictis ad S. Inquisitionis officium spectantibus pœnitentia genus aliquod impositum fuerit (salutaribus pœnitentiis exceptis) eo ipso ad omnes Religionis sua gradus, & officia inhabiles censeantur, & deinceps (etiamsi pœnitentia tempus expleuerint, vel gratiam receperint) ad illa tamen promoueri nullatenus possint, nisi prius obtenta à S. D. N. vel ab hac Sacra congregat. coram Sanctitate sua habenda, speciali, & expressa rehabilitationis gratia; Aliàs promotio qualibet nulla sit, & promouentes ipsi priuationem suorum officiorum, ac præterea vocis actiue, & passiua ipso facto incurrant, ad quæ restitui, nisi ab eodem S. D. N. vel ab eadem sacra Congreg. coram Sanctitate sua habenda, non possint. Præsens autem decretum omnibus Religionum Superioribus intimari mandauit idem S. D. N. Thomas de Federicis S. R. ac vniuers. Inquisitionis Nos. substit. de mandato.*

30. Aduerte, quòd pœnitentiæ salutares dicuntur, quæ solæ extraiudicialiter infliguntur, & priuatim & in secreto complentur; ieiunia, disciplinæ recitationes psalmorum, &c.



GREGORII XV.

Itali, Bononiensis, Nicolai de Ludouisiis filij, ad summum Pontificatum assumpti die 9. Februarij, anno 1621.

CONSTITVTIO. I.

Quâ confirmat priuilegia Minimorum.

GREGORIVS PAPA XV.
Ad futuram rei memoriam.

Procemium.  *Niuncti nobis Apostolici muneris ratio postulat, vt sacrarum Religionum in militanti Ecclesia suaues Domino fructus assidua præstantium paternam curam gerentes, priuilegia, gratias, & indulta, illis à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris concessa, quò validiùs subsistant, Apostalica confirmationis robore libenter communiamus.*

Supplicatio. §. 1. *Cum itaque, sicut dilecti filij Procurator generalis, & fratres Ordinis S. Francisci de Paula Minimi nuncupati, nobis nuper exponi fecerunt, ipsi diuersis priuilegiis, gratiis, & indultis sibi, & eorum domibus regularibus, & Ordini à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris concessis gaudeant, eademque priuilegia, gratias, & indulta, pro maiori eorum validitate, Apostolica nostra confirmationis robore communiri plurimùm desiderant.*

§. 2. *Nos Procuratoris, & fratrum prædictorum votis quantum cum Domino possumus, benignè annuere, ipsosque specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; omnia, & singula priuilegia, gratias, & indulta, per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros fratribus prædictis, eorumque domibus regularibus & Ordini cõcessa dũmodò sint in vsu, & non sint reuocata, aut sub aliquibus reuocationibus cõprehensa &* Confirmat priuilegia.

sacris Canonibus, ac Concily Trid. decretis & constitutionibus Apostolicis non aduersentur, Apostolica authoritate, tenore præsentium approbamus & confirmamus, illisque inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adycimus.

Decretum irritans.

§. 3. *Decernentes, præsentes literas validas, firmas & efficaces existere & fore, ac fratribus prædictis in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari debere. Necnon irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Derogat cōtrariis.

§. 4. *Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarÿs qui. buscumque Datum Romæ, apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris die 11. Augusti 1622. Pontificatus nostri anno 2.*

CONSTITVTIO II.

Quâ moderatur exemptorū priuilegia circa animarum curam & sacramentorum administrationem, sanctimonialium Monasteria, & prædicationem verbi Dei.

GREGORIVS EPISCOPVS

Seruus seruorum Dei; ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

INscrutabili Dei prouidentia vniuersalis Ecclesiæ regimini, meritis licet imparibus præsidentes, pastoralis nostræ sollicitudinis partes esse dignoscimus, in eam curam præcipuè incumbere, vt a dignis & probatis tantùm sacerdotibus sanctè administrentur Ecclesiastica sacramenta; Atque vt virginum Deo sacrarum Monasteria diligentissimè custodiantur; Et viri assumantur idonei ad prædicationis officium salubriter exequendum.

Memorat multa loca Trid. sess. 23. de reform. cap. 15.

§. 1 *Sanè Tridentinæ Synodi decretis prouidè cautum est, nullum presbyterum, etiam Regularem, posse confessiones sæcularium, etiam sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur obtineat; Necnon vt in Monasterÿs, seu domibus virorum, seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum sæcularium, præter eas, quæ sunt de illorum Monasteriorum, seu locorum familia, personæ tam regulares, quàm sæculares eiusmodi curam exercentes, subsint immediatè in ÿs, quæ ad dictam curam & sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cuius Diœcesi sunt sita; Itemque vt Episcopi vniuersi sub obtestatione diuini iudicÿ, & interminatione maledictionis æternæ in omnibus monasterÿs sibi subiectis ordinaria, in alÿs verò Sedis Apostolicæ authoritate clausuram sanctimonialium vbi violata fuerit, diligenter restitui, & vbi inuiolata est, conseruari maximè procurent, inobedientes atque contradictores per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas quacumque appellatione postposita compescentes; Atque vt Regulares in Ecclesiis suorū Ordinum prædicare volentes, se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur; in Ecclesiis verò quæ suorum Ordinum non sunt; nullo modo prædicare possint sine Episcopi licentia, contradicente autem Episcopo, nulli etiam in suorum Ordinum Ecclesiis prædicare præsumant.*

sess. 25. cap. 11. de Reg.

Sess. 25. de Regul. c. 5.

Sess. 5. de refor. cap. 2.

Sess. 24. c. 4. de refor.

Exēpti omnes circa sacramentorū administratione' o'em Ordinariis subÿciantur.

§. 2. *Verùm quia experientia compertum ecclesiastici regiminis rationes postulare, vt decretis eiusmodi aliquid adiungatur; matura deliberatione nostra, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac generali, ac perpetuò valitura constitutione decernimus, statuimus, & declaramus, vt deinceps tam Regulares, quàm sæculares quomodolibet exempti, siue animarum curam personarum sæcularium Monasterÿs, seu domibus Regularibus, aut quibusuis alÿs Ecclesiis, vel beneficÿs, siue regularibus, siue secularibus incumbentem exerceant; siue aliàs Ecclesiastica sacramenta, aut vnum ex illis ministrent, præuia Episcopi licentia & approbatione; siue quoquo modo in dicto curæ exercitio aut in eorundem sacramentorum, vel alicuius ex illis administratione de facto, absque vlla authoritate se ingerant; in his, quæ eiusmodi curam seu administrationem concernunt, omnimodæ iurisdictioni, visitationi & correctioni Diœcesani Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, plenè in omnibus subÿciantur.*

Vide sup. in const. 2. Sixti IV. n. 24.

Exēpti omnes si deliquerint circa moniales, & earum bona, ab Episcopo puniantur.

§. 3. *Ad hæc tam Regulares, quàm sæculares huiusmodi, nullis priuilegiis aut exemptionibus tueri se possint, quominùs si deliquerint circa personas, intra septa degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem Monasteriorum monialium, etiam Regularibus subiectarum, ab Episcopo loci similiter, tanquam ad hoc Sedis Apostolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri & corrigi valeant.*

Confessores tam ordinarÿ, quam extraordinarÿ monialium ab Episcopis specialiter approbentur.

§. 4. *Confessores verò, siue Regulares, siue sæculares, quomodocūq; exempti, tam ordinarÿ, quā extraordinarÿ, ad confessiones monialiū, etiā Regularibus subiectarū, audiendas nullatenùs deputari valeāt, nisi priùs ab Episcopo diœces. idonei iudicentur, & approbationē, quæ gratis cōcedatur, obtineāt.*

Administrātes bona monialium tenentur Episcopis rationem reddere.

§. 5. *Sed & administrantes bona, ad eiusmodi Monasteria sanctimonialium, vt præfertur, etiam Regularibus subiectarum, pertinentia, siue Regulares extiterint, siue sæculares quomodolibet exēpti Episcopo loci, adhibitis etiam superioribus Regularibus, singulis annis rationem administrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque iuris remedÿs cogi & compelli queant.*

§. 6.

Moneant Episcopi Superiores Regularium, vt confessores monialium, & administratores amoueant.

§. 6. *Liceatque Episcopo ex rationabili causa Superiores regulares admonere, vt eiusmodi confessores, atq; administratores amoueant, ipsisque Superioribus id facere decretantibus, aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores & administratores mouendi, quoties & quando opus esse iudicauerit.*

Potest Episcopus interesse per se, vel per aliũ electioni Abbatissarũ

§. 7. *Ac similiter possit Episcopus, vnà cum Superioribus Regularibus, quarumcunq; Abbatissarũ, Priorissarũ, Præfectarum, vel Præpositarũ earundẽ Monasteriorũ, quocunq; nomine appellẽtur, electionibus per se vel per aliũ interesse, ac præsidere, absq; vlla tamen ipsorũ Monasteriorũ impẽsa.*

Episcopus potest punire Regulares prædicantes sine eius licentia, vel benedictione. Vide suprà in const. 2. Sixti IV. num. 20. 21.

§. 8. *Ac demùm habeat Episcopus, tanquam dictæ Sedis delegatus, authoritatem coërcendi, ac puniendi quoscumque exemptos, tam sæculares, quam Regulares, qui in alienis Ecclesiis, aut quæ suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, & in Ecclesiis suis, aut suorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumpserint.*

Episcopus potest delinquentes in supradictis casibus punire.

§. 9. *Itavt Episcopi in suprascriptis casibus, & in prænominatas personas in præmissis omnibus & singulis, aut circa ea quoquo modo delinquentes, quoties & quando opus fuerit, etiam extra visitationem, per censuras Ecclesiasticas, aliasq; pœnas vti eiusdẽ Sedis delegati procedere, omnẽq; iurisdictionem exercère liberè & licitè valeant.*

Clausula sublata, & decretum irritans.

§. 10. *Decernentes sic per quoscumque iudices, quavis authoritate fungentes, etiam sacri Palatij Auditores, necnon S.R.E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate & authoritate iudicari & definiri debere. Irritum quoque & inane, si secùs super his à quoquam quavis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Derogat cõtrariis.

§. 11. *Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, in fauorẽ quarumcunq; personarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum etiam S. Ioannis Ierosolimit. Congregationum, Societatum, ac cuiusvis alterius instituti, etiam necessariò & indiuiduò exprimendi, Monasteriorum, Conuentuum, Capitulorum, Ecclesiarum & aliorum quorumcunq; tam sæcularium, quàm Regularium locorum, necnon illorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus, etiã immemorabilibus exemptionibus quoq; indultis & priuilegijs, etiam in corpore iuris clausis, aut ex causa & titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam Marimagno seu Bulla aurea, aut alias nuncupatis, Conseruatorum deputationibus, eorumque atque alijs inhibitionibus, quibus Episcopi deferre minimè teneantur, & quibusvis alijs, sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiã derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus & insolitis clausulis, nec non irritãtibus decretis, etiam motu proprio & ex certa sciẽtia, ac de Apostolica potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis & innouatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus & formis specialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forẽt, præsentibus pro expressis habentes, quibus quoad ea, quæ eisdem præsentibus aduersantur, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque.*

Dat formam has literas publicandi; & transumptis fidem adhiberi iubet.

§. 12. *Cæterùm quia difficile foret præsentes literas ad singula queq; loca deferri, vt ea tamen omnibus innotescant, mandamus illas ad valuas Lateranen. & Principis Apostolorum de Vrbe Basilicarum, atque Cancellariæ Apostolicæ, & in acie cãpi Floræ publicari, & inibi affigi, & per aliquod temporis spatium dimitti, eisque detractis, earum exẽpla eo in loco relinqui. Ac volumus vt earundẽ præsentium literarum transumptis, & sigillo Prælati seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, in iudicio & extra illud, vbi opus fuerit, eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.*

Sanctio pœnalis.

§. 13. *Nulli ergo omninò hominũ liceat hanc paginam nostrorum statuti, declarationis, decretorũ, derogationis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apostolorũ eius se nouerit incursurum. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incar. Dom. 1622. Nonis Febr. Pontif. nostri anno 2.*

DECLARATIONES

Aliquot Sacræ Congregationis Concilij super constitutione S.M. Gregorij XV. de exemptorum priuilegijs, &c. Romæ, ex typographia R. Cameræ Apostolicæ 1623.

Posito constitutione fel. rec. Gregorij XV. de exemptorum priuilegijs, &c. dubitatur.

1. *An liceat Episcopis visitare altaria Regularium Ecclesiarum, quibus cura animarum personarum sæcularium non incumbit, aut loca, vbi in ijsdem Ecclesijs asseruatur sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, vel vbi audiuntur confessiones personarum sæcularium.*

2. *An Episcopi possint Regularibus præscribere, vt certis tantùm in locis ac temporibus, aut certarum personarum confessiones audiant, vel aliàs*

In mortis articulo pœnitentibus item plenariā.

§. 8. *In cuiuslibet verò mortis articulo, si pariter verè pœnitens, & confessus, ac sacra communione refectus, vel, quatenus id facere nequiuerit, saltem contritus, nomen Iesu ore, si potuerit; sin autem, corde deuotè inuocauerit, etiam plenariam.*

Missam primum celebrantibus, vel interessentibus item plenariā.

§. 9. *Qui verò ad Presbyteratus ordinem canonicè promotus, & confessus, primam missam celebrabit, necnon etiam iis Religiosis, qui pariter confessi, ac sacra communione refecti, eidem missæ interfuerint, aut ipso die missam similiter celebrabunt, etiam plenariam.*

Speciale exercitium de quo hic, facientibus item plenariam.

§. 10. *Iis verò, qui de suorum Superiorum licentia à negotiis per decem dies alieni, in cella commorabuntur, aut ab aliorum conuersatione separati, in piorum librorum, & aliarum rerum spiritualium, animos ad deuotionem, & spiritum inducentium, lectionibus operam suam dederint, addendo sæpe considerationes, & meditationes mysteriorum fidei catholicæ, diuinorum beneficiorum, quatuor nouissimorum, Passionis D.N. Iesu Christi, & aliorum exercitiorum, orationum iaculatoriarum, aut vocalium, saltem per duas horas in diem, & noctem, orationibus mentalibus sese exercendo, faciendo eodem tempore confessionem generalem, aut annualem, vel ordinariam, sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sumpserint, aut missam celebrauerint, toties pro quolibet prædictorum exercitiorum plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.*

Eorum Ecclesias visitantibus indulgentias stationum.

§. 11. *Præterea iidem Religiosi intra claustra viuentes, qui suam Ecclesiam deuotè visitauerint, & vt præfertur, orauerint, consequantur easdem indulgentias, quas visitantes Ecclesias Vrbis, & extra eam diebus stationum consequuntur in omnibus diebus, perinde, ac si ipsas Vrbis Ecclesias personaliter visitarent.*

Ante altare eorum Ecclesiæ orantibus quinque annos, & totidem quadragenas.

§. 12. *Omnibus item Religiosis intra claustra, vt supra, viuentibus, qui quinquies orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam ante altare eorum Ecclesiæ dixerint in quolibet die, quinque annos, & totidem quadragenas.*

Similiter Lectoribus & Prædicatoribus in itinere existentibus.

§. 13. *Iis verò, qui de suorum Superiorum licentia in itinere existentes, aut extra claustra degentes tanquam Prædicatores, & Lectores, quinquies eandem orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam ante quodlibet altare similiter dixerint, etiam quinque annos, & totidem quadragenas.*

Orationem mentalem per mensem facientibus 60. annos, & totidem quadragenas.

§. 14. *Necnon etiam Religiosis, qui per mensem integrum singulis diebus spatio mediæ horæ orationem mentalem fecerint, ac confessi, & sacra communione vltima Dominica mensis huiusmodi refecti fuerint, sexaginta annos, & totidem quadragenas.*

Culpas proprias in Capitulis accusantibus 3 annos, & totidem quadragenas.

§. 15. *Qui verò contrito corde, & pœnitentes, eorum culpas, & peccata, ac imperfectiones in Capitulis culparum accusabunt, & spiritualiter communicabunt & exercitium virtutum facient, tres annos, & totidem quadragenas.*

Missiones ad terras infidelium &c. acceptantibus pro duabus vicibus plenariam.

§. 16. *Quotiescumque autem de licentia summi Pontificis, aut suorum Superiorum, in ditiones, & terras infidelium, aut hæreticorum ad concionandum, aut catholicos docendum, vel infideles, & hæreticos ipsos ad fidem catholicam conuertendum, & Ecclesiæ gremio reducendum missi fuerint, si pœnitentes, & confessi, ac sanctissima communione refecti fuerint, vel missam celebrauerint, vt melius ad huiusmodi opus sese parare valeant, pro duabus vicibus, videlicet quando itineri se accingent, & quando in Prouinciam, vbi prædicta opera eis exercenda erunt, ingressi fuerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino pariter concedimus, & elargimur.*

Orationibus 40. horarum à Superioribus tempore visitationum collocatis interessentib. plenariam.

§. 17. *Et insuper, cum Superior in visitationibus generalibus orationes quadraginta horarum pro bono visitationis progressu collocare voluerit, iis Religiosis, qui dictis orationibus saltem spatio duarum horarum in diuerso tempore interfuerint, & ibi pro christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac S. M. Ecclesiæ exaltatione, necnon disciplinæ, & obseruantiæ regularis augmento pias ad Deum preces, vt supra dictum est, effuderint, si confessi, & sacra communione refecti fuerint, aut missam celebrauerint, plenariam similiter omnium peccatorum indulgentiam, & remissionem, vt præfertur, concedimus.*

Has indulgentias concedit etiam monialib.

§. 18. *Volumus autem, vt omnes supradictæ indulgentiæ, & gratiæ, Religiosis regularibus cuiusuis Ordinis, tam Monastici, quam Mendicantis dumtaxat, vt præfertur, concessæ, etiam omnibus monialibus cuiusuis Regulæ approbatæ, & intra claustra cum tribus votis solemnibus viuentibus, & perpetuam clausuram seruantibus, tam Ordinariis locorum, quàm etiam Regularibus cuiuscumque Ordinis, Regulæ, & Instituti subiectis suffragentur. Præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.*

Reuocat quascumque alias indulgentias.

§. 19. *Cæterùm omnes, & singulas indulgentias, quibuscumque Ordinibus, & Institutis regularibus huiusmodi, etiam Mendicantibus, & quibuslibet personis regularibus, tam rigore priuilegiorum, & literarum Apostolicarum, quam viuæ vocis oraculo, aut aliàs quouis modo per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & Apostolicam Sedem hactenus concessas, confirmatas, approbatas, & innouatas, auctoritate, & tenore prædictis perpetuò reuocamus, cassamus, annullamus, & abrogamus, & ad præsentium nostrarum literarum præscriptum reducimus, & moderamur.*

Derogat contrariis.

§. 20. *Non obstantibus quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac eorundem Ordinum, & Institutorum regularium etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consue-*

tudinibus.

tudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis, etiam Maremagnum, & bulla aurea nuncupatis, eisdem Ordinibus, & Institutis, eorumque Monasterijs, Conuentibus, Collegiis, domibus Superioribus, & personis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis; quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi præsentibus pro expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque.

Transumptis fidem adhiberi iuber.

§. 21. Volumus autem, vt præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides habeatur vbique, quæ præsentibus ipsis originalibus literis haberetur. Datum Romæ, apud S.Petrum, sub annulo Piscator. die 23. Maij, 1606. Pontif. nostri anno 2.

§. IV.

1. NOto, quòd indulgentiis hic concessis à *num.* 5. possunt etiam frui Religiosi, quando extra proprias domos, & Ecclesias commorantur; visitando altaria Ecclesiarum illorum, in quibus commorantur, siue ibi sint per modum itineris, siue per modum status ad breue tempus. Ita refert Pereg. *1. part. sui comp. tit. Indulgentia, num. 7.* concessisse suæ Congregationi Pium IV. & confirmasse Pium V. & viuæ vocis oraculo declarasse Paulum V. post hanc indulgentiarum reuocationem. Quod viuæ vocis oraculum, quia factum est Generali dictæ Congregationis Clericorum regularium, suspicabitur quispiam esse reuocatum per bullam huiusmodi vocis oracula reuocantem, de qua *infra in Gregorio XV. const. eius* 3. Sed perperam; nam solùm ibi reuocat indulta, facultates, priuilegia, gratias, & concessiones qualcumque viuæ vocis oraculo factas, de quibus non testatur aliquis S.R.E. Cardinalis. In ista autem declaratione nulla continetur gratia; solùm declarat Pontifex, per suam constitutionem non esse derogatum huic priuilegio, quod est valde diuersum à concessione gratiæ; Qui enim declarat, nihil de nouo concedit Ludouicus Gomez *in regul Cancell. de non tollen. iure quæsit. quæst. 13. in princ. pag. mihi* 54. & Guido Pap. *sing.* 772. A diuersis autem non fit illatio; *cap. Ad audientiam, de decimis, cap. 2. de transl. Episcopi, & leg. Papiaianus exul. ff. De minoribus.* Panor. *in cap. Venerabilis de iud. num.* 6. Alphonsus Leo *in tract. de sub. part. 1. quæst. 6. num. 247. pag.* 61. qui ait, dictum viuæ vocis oraculum Pauli V. fuisse factum Cardinali, quem non nominat: Vt vt sit: ratio facta conuincit.

2. Nota etiam, quòd infirmi, & decrepiti nostræ Religionis, qui non possunt Ecclesiam adire ad lucrandas indulgentias à Paulo V. Regularibus concessas, possunt eas consequi in lectulo suo, dummodò agant aliquod opus pium arbitrio confessarij. Ita declarauit Paulus V. Congregationi S.M. Fulien. *anno* 1609. *Pontif. sui anno* 5. vt habetur *in eorum comp. tit. Infirmi*, §. 4. Peregr. *eod.* §. 1.

§. XI.

3. QVæres 1. an indulgentiis, de quibus hic, possint Regulares gaudere singulis diebus totius anni, an verò solùm diebus stationum. Respondeo, Meo videri solum posse frui diebus stationum, 3. Tum quia quando vult Pontifex concedere indulgentiam pro quolibet die, id explicat, vt patet ex § *sequ.* Lex enim vbi aliquid vult, id exprimit, vt Mandos. *in reg. 32. Cancell. quæst. 28. num. 2.* Gutier. *lib. 1. can. quæst. cap. 30. num. 21. cap. Ad audientiam, de decim.* Tum quia, si Regulares possent his frui singulis diebus, non curarent frui aliis minoribus, vnde hæ solùm ad pompam viderentur concessæ.

4. Quæres 2. an in istis indulgentiis includantur indulgentiæ plenariæ concessæ dictis diebus Ecclesiis Vrbis, & extra eam.

Respondeo, Suarez *tom. 4. in 3 part. disp. 52. sect. 8. num. 12.* Molfes. *part. 1. summ. tract. 7. cap. 26. n.* 92. quòd non includuntur, nisi id in specie exprimatur, quia sic est stylus, & praxis Curiæ Romanæ, & regul. Cancellariæ. Sed meo videri (saluo semper stylo dictæ Romanæ Curiæ) in prædictis diebus stationum possunt Regulares lucrari indulgentias etiam plenarias; Tum quia dictio, *Perinde*, omnem similitudinem importat. Tusc. *verb. Dictio, concl. 375. num.* 13. Tum quia, cum constet de potestate concedentis, & solùm dubitetur de volontate, latè est interpretanda: Tum quia ita videtur intellexisse communis Religiosorum sensus.

§. XIX.

5. QVæres 1. an per istam reuocationem reuocentur indulgentiæ concessæ Regularibus pro defunctis.

Respondeo Paulum V. declarasse Congr. S. M. Fulien. viuæ vocis oraculo facto Card. Bandino *die* 23. *Febr.* 1609. non reuocari. Ita Peregr. 1. *part. sui comp. verbo Indulgentia, num.* 9.

6. Et sic modò possunt Regulares frui priuilegio Leonis X. concesso Congreg. S. Iustinæ, quòd celebrantes tres missas pro anima alicuius defuncti consanguinei intra tertium gradum super vno altari, per Superiorem in propria Ecclesia assignato, liberant ipsius animam à pœnis purgatorij, ac si celebrassent super altari S.Gregorij, aut S.Sebastiani Romæ. Ita refertur *in compend. priuil. Congreg. S. M. Fulien. tit. indulg. pro defunct.* §. 6. Peregr. *eod.* §. 15.

7. Noto etiam, quòd Leo X. concessit, vt omnes indulgentiæ ab ipso, & prædecessoribus suis concessæ Mendicantibus vsque ad quartum sui Pontificatus annum, *die* 3. *Febr.* pro viuis, possint ab iis pro defunctis per modum suffragij applicari. Ita refert Peregr. *loc. cit.* §. 10. Et refertur *in comp. Soc. Iesu, tit. Indulgentia*, §. 10. *Et in comp. priuil. S. M. Fulien. tit. Indulg. pro defunct.* §. 4.

8. Quare omnes Sacerdotes, qui Dominicis diebus, aut in solemnitatibus D.N.Iesu Christi, & B.M. celebrant, & non Sacerdotes quotiescumque communicant, consequuntur plenariam indulgentiam; per concessionem Innoc. VIII. factam Minoribus, vt refert dictus Peregr. *loc. cit.* §. 12. Sed istam non possunt lucrari pro se, quia quò ad viuos reuocata est per istam constit. Possunt autem illam applicare pro defunctis.

9. Quoties etiam Regulares dicunt coronam B. M. quæ continet 63. Aue, & 7. Pater, vel coronam Domini, quæ continet 33. Pater, & 5. Aue, vel septem psalmos pœnitentiales, aut psalmos graduales, aut officium defunctorum pro defunctis, consequuntur indulgentiam plenariam, defunctis applicandam,

Infirmi

Infirmi vero, & senes decrepiti eandem indulgentiam consequuntur, quoties psalmum 50. aut canticum B. V. aut hymnum Aue maris stella dixerint, & hoc per concessionem Iulij II. & Leonis X. vt refert Peregr. 1. *part. sui compend. tit. Indulgentia*, §. 13. & refertur etiam *in comp. priuil. S. M. Fulien. tit. Indul. pro defunct. §. 2. & 3. & in comp. priuil. Soc. Iesu, tit. Indulgentia*, §. 9.

10. Quæres 2. an per istam reuocationem reuocentur indulgentiæ concessæ pro articulo mortis.

Respondeo Non reuocari: Nam quæ speciali digna sunt nota, non censentur tacitè esse sublata vt dicitur *in leg. Item apud Labeonem. §. Ait Prætor. ff. de iniuriis.* Ita Alph. Leo. 1. *part de iubil. quæst. 6. num. 243. versu Ex qua declaratione sequitur primo.* Qui id colligit ex quadam declaratione facta ab Vrb. VIII. publicata Romæ ab illust. Coccino Vicegerente Pœnitentiariæ, *anno iubilæi* 1625. quòd anno iubilæi non suspenduntur indulgentiæ concessæ pro articulo mortis. Quare poterunt in dicto articulo frui indulgentia plenaria concessa à Sixto IV. &c. quòd possint Regulares in dicto articulo confessorem eligere, qui eis possit concedere indulgentiam plenariam, & quòd, si occurreret casus, quòd non possint confessorem eligere, seu habere, tunc etiam consequantur prædictam indulgentiam, si sunt in statu gratiæ, vt refert Cæsar. *verbo Indulgentia quò ad fratres*, *num.* 1. & Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 2. cap. 19. num.* 8.

11. Quæres 3. an per istam reuocationem prohibeantur Regulares consequi indulgentias concessas alicui Ecclesiæ, vel populo, seu hospitali. &c.

Respondeo, Per istam constitutionem non reuocari, nisi indulgentias personales concessas Regularibus, & ipsorum intuitu. Vnde non videtur mens Papæ fuisse prohibere, quin dicti Regulares possint lucrari indulgentias locales. Ita Filliuc. *tom. 1. tract.* 8. *cap. 6. num.* 130. Aduertit tamen D. Th. *supple. 3. part. quæst. 27. art. 3. ad 2.* quòd *Religiosi existentes in suis Monasteriis promerentur amplius, quàm discurrendo aut peregrinando ad lucrandum indulgentias.* Vnde deberent esse contenti de indulgentia temporanea, quam consequuntur suas Ecclesias visitando. Idem existima dicendum de imaginibus, medaliis, &c. Quia indulgentiæ illis concessæ reales sunt, non personales.

CONSTITVTIO IX.

Quâ mandat Superioribus Regularium, ne cognoscant causas suorum subditorum, ad Inquisitores hæreticæ prauitatis pertinentes.

PAVLVS EPISCOPVS,

Seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Procemiū.

ROmanus Pontifex ea interdum, quæ à prædecessoribus suis, temporum, & rerum qualitate id tunc exposcente, prouidè pro hæresum extirpatione sancita sunt, nouis emergentibus, reuocat, & immutat, aliaque desuper disponit, & ordinat prout in Domino salubriter conspicit expedire.

§. 1. *Dudum siquidem fel. rec. Pius Papa IV. prædecessor noster sua perpetuò valitura constitutione statuit, ordinauit, & declarauit, quòd ex tunc deinceps in omnibus christiani orbis partibus Inquisitores hæreticæ prauitatis, tam generales, quàm in quibusuis Prouinciis, Ciuitatibus, Oppidis, Terris, & locis pro tempore deputati particulares, contra omnes quorumcumque Ordinum, etiam exemptorum, etiam Mendicantium, professores, & Religiosos, ac etiam alios quoscumque quovis modo priuilegiatos, & exemptos, de hæresis crimine quomodolibet suspectos, aut culpabiles, dummodò ab eorundem professorum, & Religiosorum Superioribus, vel Prælatis in causis huiusmodi præuenti non fuissent, iuxta facultates officij inquisitionis ipsius prauitatis inquirere, & procedere, ac culpabiles, & delinquentes repertos secundùm canonicas sanctiones castigare, atque punire possent, & valerent, ac aliàs, prout in literis ipsius Pij prædecessoris latiùs continetur.*

Pius IV. iussit Inquisitores procedere contra quoscumque Regulares, dummodo ab eorum Superioribus non essent præuentum.

§. 2. *Cum autem rerum usu compertum sit, occasione præuentionum huiusmodi nonnulla interdum impedimenta orta esse, quominus causæ huiusmodi ea, qua decet, diligentia cognoscantur. Nos de consilio venerab. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, contra hæreticam prauitatem generalium Inquisitorum, illa de medio tollere volentes, motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac matura deliberatione, hac nostra etiam perpetuò valitura constitutione, omnia, & quæcumque priuilegia, indulta, facultates, & concessiones Generalibus, Superioribus, & Prælatis quorumcumque Ordinum, siue Mendicantium, siue Clericorum regularium, cuiusvis Ordinis, & Instituti, etiam in dicta constitutione non expressorum, & quantumvis exemptorum, & quocumque nomine nuncupentur, per dictum Pium, ac quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, & Sedem Apostolicam concessa, approbata, & innouata, & quantumvis etiam longissimo tempore obseruata causas ad dictum officium quovis modo spectantes cognoscendi, & terminandi, seu in illis quoquo modo se intromittendi, quorum omnium, & singulorum tenores, etiamsi de illis specialis, & expressa mentio habenda esset, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, Apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuò cassamus, reuocamus, & abolemus; ipsisque Generalibus, Superioribus, & Prælatis, vt de cætero, quovis quæsito colore, vel prætextu præuentionis, vel consuetudinis, & præscriptionis immemorabilis, seu cognoscendi, an delusiones huiusmodi calumniosæ sint, necne, in eiusdem causis tam motis, quam mouendis quoquo modo se intromittere, seu immiscere, denuntiationes recipere, testes examinare, processus conficere, causas ipsas cognoscere, definire, vel terminare minime audeant, seu præsumant, simili auctoritate districtiùs inhibemus.*

Hic modo Pont. facultatem quibuscumque Ordinum Prælatis cognoscendi causas Regularium, ad officium inquisitionis spectantes, quoquo modo concessam reuocat.

§. 3. Volumus,

Regulares omnes Ordinariis, & Inquisitoribus liberè denuntiari mandat.

§. 3. *Volentes, & expressè mandantes, ut ipsi Religiosi possint, & debeant omnes etiam Ordinum huiusmodi professores, de hæresi suspectos Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum vicinioribus liberè denuntiare, absque eo quòd Superiores prædicti personas denuntiandas, & causas perquirere, vel quoquo modo id impedire, vel retardare audeant, seu præsumant.*

Et causas coram ipsis Prælatis pendentes Inquisitoribus, & Ordinariis committit.

§. 4. *Insuper omnes, & quascumque causas ad dictum officium quomodolibet spectantes, & pertinentes, eorum Generalibus, Superioribus, & Prælatis huiusmodi in quibuscumque locis existentibus, ac contra quoscunque Religiosos, ut præfertur, exemptos motas, & pendentes, ad nos harum serie avocamus, easque omnes in statu & terminis, in quibus de præsenti reperiuntur, ipsius pravitatis Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum vicinioribus terminandas committimus.*

Prælatis ad transmittendum omnia acta, & omnes Regulares de hæresi suspectos iisdem Ordin. & Inquisitoribus mandat.

§. 5. *Præterea ipsis Generalibus, Superioribus, & Prælatis pari auctoritate præcipimus, atque mandamus, ut omnes processus, & acta causarum huiusmodi Inquisitoribus, vel Ordinariis prædictis respectivè remittant, & consignent; necnon professores, fratres, Religiosos supradictos, quos hæresis labe infectos, vel suspectos etiam in visitatione esse noverint, absque alia consultatione cum propriis Superioribus facienda, eisdem Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum vicinioribus respectivè denuntient.*

Contravenientibus pœnas imponit.

§. 6. *Quòd si Generales, aliique prædicti præsentibus literis non paruerint, eos omnes privationis quarumcumque dignitatum, seu Prælaturarum, vel officiorum suorum Ordinum, ac vocis activæ, & passivæ, perpetuæque inhabilitatis ad easdem, necnon contra fautores hæreticorum, & impeditores officij statutas, & inflictas pœnas, aliasque censuras ecclesiasticas; etiam excommunicationis maioris latæ sententiæ, à qua non, nisi à nobis, vel à Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo, absolutionis beneficium valeant obtinere, eo ipso incurrisse.*

Clausulas præservativas apponit.

§. 7. *Necnon præsentes literas, licèt Generales, Superiores, & Prælati prædicti, aut quicumque alij, quavis auctoritate, dignitate, vel officio, seu honore fulgentes, in præmissis quomodolibet interesse habentes, vel habere prætendentes ad hoc vocati non fuerint, semper, & perpetuò validas, & efficaces existere, suosque plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere, ac ab omnibus inviolabiliter observari; Sicque per quoscumque iudices, & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam S.R.E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere. irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus.*

Derogat contrariis.

§. 8. *Non obstantibus prædicta, ac quibusvis aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinum, & Institutorum quorumcunque iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, etiam Maremagnum, vel aliàs quomodolibet nuncupatis, eisdem Ordinibus, eorumque Generalibus, Superioribus, & Prælatis, ac personis etiam per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac Sedem prædictam, & per nos quovis modo concessis, confirmatis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis; quibus, ac aliis omnibus, quæ præsentibus quomodolibet obstare possent, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac individua, & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores pro plenè, & sufficienter præsentibus expressis, & tot aliter insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.*

Formam ad effectum publicationis præscribit.

§. 9. *Ut autem præsentes literæ ad omnium notitiam deducantur, nevè aliquis ignorantiam earum prætendere, aut contra eas se excusare valeat, illas in valvis S. Ioannis Lateranen. & Principis Apostolorum Basilicarum de Urbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, ac acie campi Floræ de more affigi, & publicari, earumque exempla inibi affixa dimitti, ac post publicationem huiusmodi omnes, & singulos, quos concernunt, & concernent in futurum, perinde arctent, & afficiant, ac si eorum cuilibet personaliter intimatæ fuissent.*

Transumptis fidem adhiberi iubet.

§. 10. *Quòdque earum transumptis, etiam impressis, Notarij publici manu subscriptis, & sigillo alicuius Prælati, seu personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eandem prorsus fidem in iudicio, & extra ubique gentium, & locorum adhiberi volumus, & mandamus, quæ eisdem originalibus literis adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Et nihilominus, ut ad maiorem notitiam singulorum, & quorumcumque Religiosorum prædictorum præsentes deveniant, etiam volumus, & in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, & mandamus Generalibus, Superioribus, & Prælatis prædictis, ut in primis proximis futuris Capitulis, seu Congregationibus provincialibus, vel generalibus cuiuscumque Provinciæ, tam in Italia, quam extra, præsentes nostras literas legi, & publicari faciant, & procurent. Nulli ergo, &c. Datum Romæ, apud S. Marcum, anno Incarn. Dom. 1606. Kalend. Sept. Pontif. nostri anno 2.*

§. I.

1. NOto, quòd Pius IV. per suam const. quæ incipit, *Pastoris æterni*, quam refert Cherub. *tom. 2. bull. in Pio IV. const. eius* 51. *pag.* 66. dedit facultatem

licentias huiusmodi permissos legentes, aut habentes, pœnas in sacris Canonibus, & const. Apost & indicibus librorum prohibitorum contentas incurrere volumus, & declaramus. Et, paucis interpositis, iubet qui tales libros habuerint, ad Inquisitores, seu Ordinarios, qui eos quàm citiùs comburere debeant, deferre, & qui sciuerint similes libros habere, denuntiare teneantur. Et quòd in posterum similes licentiæ non concedantur, nisi à Congreg. S. Officij. Est data Romæ 30. *Decembris*, 1623. Non obstat, inquam, quia loquitur de licentiis particularibus concessis ad legendos libros hæreticos, vel de hæresi suspectos, seu alias quomodocumque prohibitos; non autem de priuilegiis Regularibus concessis; neque his derogat. Et in omni casu suspensos, donec corrigantur, non prohibet legi ab his, qui aliàs habent per priuilegia facultatem.

11. Regulas librorum prohibitorum ex indice Clementis VIII. & propositiones, quæ expurgatione, & correctione indigent, vide *in expurgatorio Brasichel in principio. Et in expurgatorio Sandoual.*

12. Septimò in diffamatos de hæresi. Diffamati autem de hæresi dicuntur illi, de quibus est publica vox, & fama & communiter apud omnes, vel maiorem, & saniorem partem Ciuitatis, vel viciniæ, aut villæ, quòd tales hæresim prædicauerint, seu defensauerint, vel aliter illi hæresi adhæserint, Direct. Inquisitorum *p. 2. q. 77. n.* 1. Farinac *de hæresi, quæst.* 187. §. 5. *num.* 53.

13. Octauò in suspectos de hæresi. Suspecti autem de hæresi dicuntur. 1. qui fidelium consortia deuitant, sua peccata non confitentur, diuina officia non audiunt, non ieiunant, diebus vetitis carnes comedunt. 2. qui facilè, & sæpe carnaliter cognoscunt mulieres consanguineas, affines, moniales, commatres, aliasque similes. 3. qui horrenda iuramenta, execrabiles blasphemias, verba impudissima proferunt. 4. sortilegi, & inuocantes dæmones. 5. testes recusantes se examini subijcere in causa hæresis. 6. qui primò de se, vel de aliis hæresim confessi sunt, & postea negant. 7. non recusantes hæreticum. 8. libros hæreticorum retinentes 9. duas ducentes vxores. 10. qui Christi fidem ore negant, licèt non corde. 11. apostatæ à Religione, si per annum in excommunicatione perstiterint, negligentes ad Religionem redire. 12. fideles cum hæreticis matrimonium contrahentes. 13. Officiales, & Domini temporales negligentes, in puniendis & fugandis hæreticis, & requisiti recusantes eos apprehendere. 14. qui hæreticorum conciones audiunt, qui hæreticos receptant, illis fouent eos defendunt, cum illis conuersantur, eos visitant, eis munera mittunt, cum illis confœderationes contrahunt, qui eos sepeliunt. 15. qui impediunt officium sanctæ inquisitionis non tamen si id faciant ex amicitia. & consanguinitate, vel pretio. Ita Sanctar. *in tract. de hæresi, c.* 41. *dub.* 3. Videatur Menoch. *de præsumpt. lib.* 5. *præsum.* 2. *à num.* 16. *&* 15. ponit tres gradus suspicionis, aliqui enim dicuntur violenter suspecti, aliqui vehementer suspecti, aliqui verò leuiter suspecti.

14. Nonò in schismaticos. Ii autē dicuntur, qui diuisi ab vnitate Ecclesiæ Romanæ, summo Pontifici subesse tenuūt & Farin. *de hæresi, q.* 184. *n* 8 & 9.

15. Decimò in apostatas à fide. Hi autem sunt, qui fidem relinquunt christianam, quam in baptismo promiserunt, & transeunt ad Iudæos, Turcas, Saracenos, idololatras, hæreticos; Farin. *de hæresi, q.* 183. *num.* 13. & hoc etiamsi id faciant ex libidine, vel desperatione, animo non linquentes catholicam fidem, quia quantùm ad Ecclesiam apostatæ sunt. Farin. *ibid. numer* 22.

16. Vndecimò in blasphemos, siue maledicos, qui proferunt verba hæresim continentia. Blasphemi autem, qui Inquisitorum iudicio subduntur, sunt illi, qui hæreticales blasphemias euomunt, vt qui verba proferunt contra articulos fidei, vt Deum non esse omnipotentem, B V. non esse puram, sed meretricem, &c. Direct. Inquisit. *p. 2. q.* 41. *num.* 2. vel proferunt verba, quæ habent significationem infidelitatis, & fidei abnegationem, & directè opponuntur concessioni fidei, vt abnego Deum, non credo in Deum, discredo de Deo, renego fidem, vel crucem D. Iesu Christi. vel chrisma, quod fronte recipi. Ita Pegna *in directorio comm.* 66. meretrix autem Dei, an sit hæreticalis dubitant aliqui: puto, quod non. Nam communiter non significatur, Deum meretricem habere, quo sensu sine dubio hæreticalis esset, sed aliqua mulier, quæ aliquando fuit meretrix, nunc gratia Dei conuersa Deo est.

17. Duodecimò in sortilegos, diuinatores, magos, &c. qui in suis sortilegiis faciunt, vel admiscent aliqua; quæ hæresim continent, aut sapiunt, vt si dæmonibus honorem latriæ, aut duliæ impendant, puerum rebaptizent; vel in sortilegio amatorio Deum abnegent, & Ecclesiæ sacramenta: aut in eodem sortilegio Ecclesiæ sacramenta, vt oleum sanctum, sacram Eucharistiam; vel sacram euralia, vt aquam benedictam, cereum paschalem, vel candelas de arundine, vel Sanctorum reliquias, & agnos Dei admisceant. Ita direct. Inquis. *p. 2. q. 42. n.* 2. vbi Pegna *comm.* 67. Sortilegi autem, de quibus hic, dicuntur qui sub nomine fictę religionis, per quasdam, quas Sanctorum sortes vocant, diuinationis scientiam profitentur, aut quarumcumque scripturarum inspectione futura promittunt, vel qui diabolicam professi religionem, noxia quæque superstitiosa, aut elusoria dæmonis instructione parant. Sortilegiorum autem species tres potissimùm sunt, diuinatoria, amatoria, venefica. Ita Godof. *in theor. crim.* §. *Sortilegium, n.* 2. *&* 5. Videatur Farin. *de hær. q.* 181.

18. Et si vis scire, quæ sortilegia contineant hæresim, & quæ hæresim sapiant, adi Martin. del Rio *lib.* 5. *magic. disquis. sect.* 5. *axiom.* 1.

19. Si etiam vis scire, quæ propositio sit hæretica, quæ sapiat hæresim quæ erronea, que temeraria, quæ schismatica, quæ scandalosa, quæ iniuriosa, quæ impia, quæ blasphema, adi Riccul. *lib.* 5. *de iure pers. c.* 8. *per totum*, Bariol. *in flor. Inquis. post* 3. *par. pag.* 187.

20. Decimotertiò in Regulares matrimonium contrahentes, siue publicè, siue secretè, sunt enim suspecti de hæresi, Rodriq. *to.* 3. *q. regul.* 9 1. *art.* 1. Menuch. *de præsump. lib.* 5. *præsump.* 6. *num.* 35. Contra quos adest etiam excommunicatio ipso iure *in Clem.* 1. *de consang. & affin.*

21. Decimoquarto in sollicitantes, tam fœminas, quàm viros ad inhonesta, aut cum eius illicitos, & inhonestos sermones, aut tractatus habentes, siue id faciant pro se, siue pro aliis lenonum officium exercentes, in actu sacramentalis confessionis, siue ante, vel post immediatè seu occasione, vel pretextu confessionis huiusmodi, etiam ipsa confessione non secuta, siue extra occasionem confessionis in confessionaria, aut loco quocumque vbi confessiones sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire. Ita Gregor. XV. per suam constitutionem 4 §. 6. *infra*, vbi multo dicam.

22. Decimoquintò in eos, qui non ordinati missam celebrant, & confessiones audiunt, Ita declarauit Greg. XIII. per suam constit. 21. apud Cherub,

tom. 2 Bull.pag. 387. quæ incipit. *Officij nostri partes*; & Clem. VIII. per suam const. 81. apud eundem Cherub. *tom. 3. bull.p.* 128. quæ incipit, *Et si alias*, iussit hos dagradari, & brachio sæculari tradi.

23. Decernoscarò in exercentes Astrologiæ iudiciariæ artem, etiamsi asserant, & protestentur, sed id certò non affirmare? necnon in scienter legentes, aut retinentes libros consimiles, & de diuinatione tractantes, per constitut. 27. Sixti V. apud Cherub. *tom. 2 bull. pag.* 510. quæ incipit *Cæli, & terræ creator.*

24. Aduerte hic, quòd dubitant Doctores, an hic motus proprius obliget in foro conscientiæ, quando Astrologi asserunt, se id certo non affirmare. Negant Valen. *tom. disp. 6. q. 12. p. 3. col. 3. versu si autem*; Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. de superst. cap. 11. numero 3.* Del Rio *lib. 4 mag. disq. cap. 2. quæst. 3. versu Secundo quo ad ipsam*, Naldus *in sum. verbo Astrologus, num. 4.* Affirmant Sanch. *lib. 2 in decal. cap. cap. 38. num. 34.* Farin. *tract. de hær. q. 181. §. 3. num. 59.* Salas *1. 2. q. 9. art. 5. tract. 5. disp. 2. sect. 3. num. 36.* Hæc 2. opinio tutior est, cum præsertim non omnes Doctores pro 1. clarè loquantur. Vide alios casus huiusmodi apud Riccium 1. *p. sua praxis decis. 671. & 2. p. resol.* 178. pro superstitionis signis.

25. Quæres, an quis teneatur sub pœna peccati mortalis denuntiare incursum in vnum ex supradictis casibus, quem solus ipse nouit.

Respondeo affirmatiuè. Ita Suarez *de fide, disp. 10. sect. 4. num. 7.* Sanctar. *de hær cap. 9. num 1.* licèt alij contrarium sentiant apud Suar. *loc. cit num. 6.* Probatur *ex cap. 2. de hæret. & cap. Quapropter. 2. q. 7* Quod tamen limitandum puto, si talis pertinax sit vt Tol. *in sum. lib. 4. cap. 5. num. 1.* & adhibita priùs fraterna correctione, vt Glossa *in d. c. Quapropter, ver. Protinus*; & dico *infra in constit. 4. Greg. XV. §. 9. num. 26.*

26. Nota etiam, quòd Greg. XV. per suam const. datam Romæ *die 20. Martij*, 1623. præcepit denuntiari sortilegos, & maleficos his verbis: *Omnipotentis*; & infra *Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine, tenore præsentium decernimus, præcipimus, & mandamus, vt constito aliquis pactum cum diabolo fecerit, & a fide apostatando, maleficijs, siue sortilegijs, vnam, seu plures personas ita læserit, vt ex maleficio vel sortilegio mors secuta sit, etiam pro primo lapsu, Curiæ sæculari tradatur, debitis pœnis puniendus. Qui verò similiter apostatando, pactum cum diabolo, vt præfertur, fecerit & maleficium, seu sortilegium commiserit, ex quo, licèt mors secuta non sit, infirmitas tamen, diuortia, impotentia generandi, siue animalibus frugibus, vel aliis fructibus damnum notabile prouenerit, muro claudi, siue perpetuis carceribus in sancto inquisitionis officio, vbi illud existit, fabricandis mancipari debeat. Qui verò similium delinquentium notitiam habuerint, eos Episcopo siue Inquisitori denuntiare teneantur.*


27. Nota etiam præceptum illustris. & reuerendiss. DD. Cardinalium Inquisitorum generalium quod sic habet *Præceptum de hæreticis, seu de hæresi suspectis sancto officio propalandis. Octauius Episcopus Prænestinus Bandinus, Carolus tit. S. Cæsarei Madrutius Io Garsia tit SS. quatuor Coronatorum Millinus; Fabritius tit. S. Augustini Verallus; Gaspard tit. S. Crucis in Ierusalem Borgia; F. Felix Centinus tit. S. Anastasiæ Asculanus; Scipio Cobellutius tit. S. Susannæ, F. Desiderius Scaglia tit. S. Clementis de Cremona; Ludouicus tit. S. Laurentij in Damaso Ludouisius Presbiteri, & Ludouicus S. Adriani Diaconus de Lauallette nuncupati, miseratione diuina S. R. E. Cardinales, in vniuersa Republica christiana aduersus hæreticam prauitatem Inquisitores generales, à S. Sede Apostolica specialiter deputati. Vniuersis, & singulis Christi fidelibus, tam ecclesiasticis, quam sæcularibus vtriusque sexus, cuiusvis status gradus, ordinis, conditionis, & præeminentia existentibus, & quacumque dignitate, & auctoritate, etiam maxima, fulgentibus, harum serie, ac tenore, auctoritate nostra, & huiusmodi nostri officij, quo fungimur in hac parte, præcipimus, & mandamus, quatenus infra duodecim dies proximè computandos, quorum primos quatuor pro primo, & reliquos quatuor, primis quatuor immediatos pro secundo, & vltimos quatuor pro tertio termino, & peremptorio, ac trina monitione canonica assignamus, omnes, & singulos hæreticos, seu hæresi quomodolibet suspectos, de quibus notitiam habuerint, debeant nobis, vel R. Commissario nostro quò ad habitantes in Vrbe, quò verò ad alios extra Vrbem. & vbiuis locorum degentes, Inquisitoribus, vel locorum Ordinarijs, vel eorum Vicariis generalibus, sub excommunicationis maioris latæ sententiæ pœna, quam in contrarium facientes ipso facto incurrant, iudicialiter propalare, cuius excommunicationis maioris absolutionem S. D. N. Papæ, & nobis reseruamus. Certificantes huiusmodi conscientia sua immemores, ac dictam excommunicationis pœnam contemnentes, quòd contra ipsos, tanquam contra hæreticorum fautores, & alias. prout, meliùs visum, & iuris fuerit, procedetur; Ideo, &c. Datum in nostra, & officij S. Romanæ vniuersalis Inquisitionis Congregatione die 3. Ianuarij 1623. Octauius Episcop. Prænestin. Cardinalis Bandinus, C. Card. Madrutius: Io. Garsia Card Millinus. Fabr. Card. Veralius. G. Card. Borgia; Frater Felix Card. Asculanus. Scip. Cardin. S. Susannæ; Frater D. Card. de Cremona; L Card. Ludouisius; L. Card. de Lauallette. Andreas de Pettinis S. R. & vniuer. Inquisitionis Not.* Aduerte autem circa has obligationes denuntiandi, eas debere limitari, prout dictum est *numero* 25. Aduerto etiam, quòd licèt supradicta dispositio proponatur sub nomine præcepti, vnde aliqui opinati sunt, eam non esse perpetuam, mihi tamen omnino certum videtur, eam esse perpetuam; Tum quia si diceret, Decretum, nullus dubitaret, quin esset perpetuum; at præceptum, & decretum sæpius confunduntur in iure, vt ex Tusch. *ver. Præceptum, concl. 480. num. 4. & 11.* Et clariùs ex quadam const. Sixti V. circa agitationes taurorum, quæ incipit, *Nuper siquidem*, quam refert Gutier. *lib. 1. can. q. cap. 7. num. 36.* vbi postquam retulisset Papa const. quandam Pij V. & Greg. XIII. ait *Nos vt Romanorum Pontificum præcepta, prout decet, inuiolabiliter obseruentur*; vbi constit. Pontificum vocat præcepta: Contrarium tamen videtur dicere Abbas *in cap. Venerabilis de iudic. num. 61.* & Nald. *in sum. verbo, lex, num. 2.* Tum quia ex dicto præcepto nullum apparet signum, quare non debeat esse perpetuum; illud enim *præcipimus, vt infra duodecim dies proximè computandos*, intelligo à die notitiæ delicti, non à die datæ dicti præcepti. Et colligitur ex eo, quia obligat vbique locorum; & pœna indefinitè posita perpetua est secundùm multos; proponitur autem sub nomine præcepti, fortè quia id est familiarius illi sancto tribunali.

28. Nota etiam, quòd Regulares recurrentes ad sanctum officium, vt in eo testimonium perhibeant, non possunt à suis Superioribus grauari. Ita decreuit Pius V. *die 17. Augusti, anno 1567.* sub his verbis. S. D. *N. Pius Papa V. in generali Congreg.*

greg. sancti officij consulens libertati ipsius sancti officij, & indemnitati recurrentium ad illud, vel in eo testimonium perhibentium, statuit, & decreuit, vt regulares quorumvis etiam Mandicantium Ordinum persona, qua pro tempore ad officium sancta Inquisitionis pro quocumque negotio recurrerint, seu confugerint, vel in eo testimonium perhibuerint, veritatis, aut aliàs quomodolibet deposuerint, nequaquam à suis Superioribus per quinquennium continuum à die recursus, seu depositionis huiusmodi molestari, vel ex quacumque causa, vel excessibus pratensis personarum istarum, & de debitis propterea pœnis, seu pœnitentiis eisdem imponendis nisi ipsi illustriss. Cardinales Inquisitores generales certiores facti fuerint, vel eis aliter clarè notificatum, & ab ipsis Cardinalibus desuper responsum fuerit

29. Nota etiam, quòd regulares pœnitentiati a sancto officio sunt omnino inhabiles ad dignitates, etiamsi pœnitentias compleuerint. Ita *die* 1. *Octobris* decreuit Vrban. VIII. *anno* 1626. sub his verbis: *In generali congregatione S. R. & vniuers. Inquisitionis habita in Palatio Apost. montis Quirin. coram S. D. N. D. Vrbano diuina prouidentia Papa VIII. Illustr. DD. S. R. E. Cardinalibus in vniuersa Rep. aduersus hareticam prauitatem Inquisitoribus generalibus à S. Sede Apostolic. specialiter deputatis S. D. N. iustis de causis animum suum mouentibus decreuit, & statuit, vt in posterum Regulares omnes cuiusvis Odinis, Religionis, Societatis, & Institut. quibus pro delictis ad S. Inquisitionis officium spectantibus pœnitentia genus aliquod impositum fuerit (salutaribus pœnitentiis exceptis) eo ipso ad omnes Religionis sua gradus, & officia inhabiles censeantur, & deinceps (etiamsi pœnitentia tempus expleuerint, vel gratiam receperint) ad illa tamen promoueri nullatenus possint, nisi prius obtenta à S. D. N. vel ab hac Sacra congregat. coram Sanctitate sua habenda, speciali, & expressa rehabilitationis gratia; Aliàs promotio qualibet nulla sit, & promouentes ipsi priuationem suorum officiorum, ac praterea vocis actiua, & passiua ipso facto incurrant, ad qua restitui, nisi ab eodem S. D. N. vel ab eadem sacra Congreg. coram Sanctitate sua habenda, non possint. Prasens autem decretum omnibus Religionum Superioribus intimari mandauit idem S. D. N. Thomas de Federicis S. R. ac vniuers. Inquisitionis Not. subscrip. de mandato.*

30. Aduerte, quòd pœnitentiæ salutares dicuntur, quæ solæ extraiudicialiter infliguntur, & priuatim & in secreto complentur; ieiunia, disciplinæ recitationes psalmorum, &c.



GREGORII XV.

Itali, Bononiensis, Nicolai de Ludouisiis filij, ad summum Pontificatum assumpti die 9. Februarij, anno 1621.

CONSTITVTIO. I.

Quâ confirmat priuilegia Minimorum.

GREGORIVS PAPA XV.
Ad futuram rei memoriam.

Procemium.



Niuncti nobis Apostolici muneris ratio postulat, vt sacrarum Religionum in militanti Ecclesia suaues Domino fructus assidua prastantium paternam curam gerentes, priuilegia, gratias, & indulta, illis à Romanis Pontificibus pradecessoribus nostris concessa, quò validiùs subsistant, Apostolica confirmationis robore libenter communiamus.

Supplicatio.

§. 1. *Cum itaque, sicut dilecti filij Procurator generalis, & fratres Ordinis S. Francisci de Paula Minimi nuncupati, nobis nuper exponi fecerunt, ipsi diuersis priuilegiis, gratiis, & indultis sibi, & eorum domibus regularibus, & Ordini à Romanis Pontificibus pradecessoribus nostris concessis gaudeant, eademque priuilegia, gratias, & indulta, pro maiori eorum validitate, Apostolica nostra confirmationis robore communiri plurimùm desiderant.*

Confirmat priuilegia.

§. 2. *Nos Procuratoris, & fratrum pradictorum votis quantum cum Domino possumus, benignè annuere, ipsosque specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum prasentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; omnia, & singula priuilegia, gratias, & indulta, per quoscumque Romanos Pontifices pradecessores nostros fratribus pradictis, eorumque domibus regularibus & Ordini cõcessa dũmodò sint in vsu, & non sint reuocata, aut sub aliquibus reuocationibus cõprehensa &*

ſacris Canonibus, ac Concilij Trid. decretis & constitutionibus Apoſtolicis non aduerſentur, Apoſtolica authoritate, tenore præſentium approbamus & confirmamus, illiſque inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus.

Decretum irritans.

§. 3. *Decernentes, præſentes literas validas, firmas & efficaces exiſtere & fore, ac fratribus prædictis in omnibus, & per omnia pleniſsimè ſuffragari debere. Necnon irritum & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Derogat contrariis.

§. 4. *Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque Datum Romæ apud S. Mariam maiorem ſub annulo Piſcatoris die 11. Auguſti 1622. Pontificatus noſtri anno 2.*

CONSTITVTIO II.

Quâ moderatur exemptorũ priuilegia circa animarum curam & ſacramentorum adminiſtrationem, ſanctimonialium Monaſteria, & prædicationem verbi Dei.

GREGORIVS EPISCOPVS

Seruus ſeruorum Dei; ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

INſcrutabili Dei prouidentia vniuerſalis Eccleſiæ regimini, meritis licet imparibus præſidentes, paſtoralis noſtræ ſollicitudinis partes eſſe dignoſcimus, in eam curam præcipuè incumbere, vt a dignis & probatis tantùm ſacerdotibus ſanctè adminiſtrentur Eccleſiaſtica ſacramenta; Atque vt virginum Deo ſacratarum Monaſteria diligentiſsimè cuſtodiantur; Et viri aſſumantur idonei ad prædicationis officium ſalubriter exequendum.

Memorat multa loca Trid. ſeſſ. 23. de reform. cap. 15.

§. 1 *Sanè Tridentinæ Synodi decretis prouidè cautum eſt, nullum presbyterum, etiam Regularem, poſſe confeſsiones ſæcularium, etiam ſacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur obtineat; Necnon vt in Monaſterijs, ſeu domibus virorum, ſeu mulierum, quibus imminet animarum cura perſonarum ſæcularium, præter eas, quæ ſunt de illorum Monaſteriorum, ſeu locorum familia, perſonæ tam regulares, quàm ſæculares eiuſmodi curam exercentes, ſubſint immediatè in ijs, quæ ad dictam curam & ſacramentorum adminiſtrationem pertinent, iuriſdictioni, viſitationi, & correctioni Epiſcopi, in cuius Diœceſi ſunt ſita; Itemque vt Epiſcopi vniuerſi ſub obteſtatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ in omnibus monaſterijs ſibi ſubiectis ordinaria, in alijs verò Sedis Apoſtolicæ authoritate clauſuram ſãctimonialium vbi violata fuerit, diligenter reſtitui, & vbi inuiolata eſt, conſeruari maximè procurent, inobedientes atque contradictores per cẽſuras Eccleſiaſticas, aliáſque pœnas quacumq; appellatione poſtpoſita compeſcentes; Atque vt Regulares in Eccleſiis ſuorũ Ordinum prædicare volentes, ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur; in Eccleſiis verò quæ ſuorum Ordinum non ſunt; nullo modo prædicare poſsint ſine Epiſcopi licentia, contradicente autem Epiſcopo, nulli etiam in ſuorum Ordinum Eccleſiis prædicare præſumant.*

Seſſ. 25. cap. 11. de Reg.

Seſſ. 25. de Regul. c. 5.

Seſſ. 5. de refor. cap. 2.

Seſſ. 24. c. 4. de refor.

§. 2. *Verùm quia experientia compertum eccleſiaſtici regiminis rationes poſtulare, vt decretis eiuſmodi aliquid adiungatur; matura deliberatione noſtra & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac generali, ac perpetuò valitura conſtitutione decernimus, ſtatuimus, & declaramus, vt deinceps tam Regulares, quàm ſæculares quomodolibet exempti, ſiue animarum curam perſonarum ſæcularium Monaſterijs, ſeu domibus Regularibus, aut quibuſuis alijs Eccleſiis, vel beneficijs, ſiue regularibus ſiue ſecularibus incumbentem exerceant; ſiue aliàs Eccleſiaſtica ſacramenta, aut vnum ex illis miniſtrent, prauia Epiſcopi licentia & approbatione; ſiue quoquo modo in dicto curæ exercitio aut in eorundem ſacramentorum, vel alicuius ex illis adminiſtratione de facto, abſque vlla authoritate ſe ingerant; in his, quæ eiuſmodi curam ſeu adminiſtrationem concernunt, omnimodæ iuriſdictioni, viſitationi & correctioni Diœceſani Epiſcopi, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati, plenè in omnibus ſubijciantur.*

Exẽpti omnes circa ſacramentorũ adminiſtrationem Ordinariis ſubijciantur.

Vide ſup. in conſt. 2. Sixti IV. n. 24.

§. 3. *Ad hæc tam Regulares, quàm ſæculares huiuſmodi, nullis priuilegiis aut exemptionibus tueri ſe poſſint, quominùs ſi deliquerint circa perſonas, intra ſepta degentes, aut circa clauſuram, vel circa bonorum adminiſtrationem Monaſteriorum monialium, etiam Regularibus ſubiectarum, ab Epiſcopo loci ſimiliter, tanquam ad hoc Sedis Apoſtolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri & corrigi valeant.*

Exẽpti omnes ſi deliquerint circa moniales, & earum bona, ab Epiſcopo puniantur.

§. 4. *Confeſſores verò ſiue Regulares, ſiue ſæculares, quomodocũq; exempti, tam ordinarij, quã extraordinarij, ad confeſsiones monialiũ, etiã Regularibus ſubiectarũ, audiẽdas nullatenùs deputari valeãt, niſi priùs ab Epiſcopo diœceſ. idonei iudicentur, & approbationẽ, quæ gratis cõcedatur, obtineãt.*

Confeſſores tam ordinarij, quam extraordinarij monialium ab Epiſcopis ſpecialiter approbentur.

§. 5. *Sed & adminiſtrantes bona, ad eiuſmodi Monaſteria ſanctimonialium, vt præfertur, etiam Regularibus ſubiectarum, pertinentia, ſiue Regulares extiterint, ſiue ſæculares quomodolibet exẽpti Epiſcopo loci, adhibitis etiam ſuperioribus Regularibus, ſingulis annis rationem adminiſtrationis, gratis tamen exigendam, reddere teneantur, ad idque iuris remedijs cogi & compelli queant.*

Adminiſtrãtes bona monialium teneantur Epiſcopis rationem reddere.

§. 6.

Moneant Episcopi Superiores Regularium, vt confessores monialium, & administratores amoueant.

§. 6. *Liceatque Episcopo ex rationabili causa Superiores regulares admonere, vt eiusmodi confessores, atq; administratores amoueant, ipsique Superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores & administratores mouendi, quoties & quando opus esse iudicauerit.*

Potest Episcopus interesse per se, vel per aliũ electioni Abbatissarũ.

§. 7. *Ac similiter possit Episcopus, vnà cum Superioribus Regularibus, quarumcunq; Abbatissarũ, Priorissarũ, Præfectarum, vel Præpositarũ earundẽ Monasteriorũ, quocunq; nomine appellẽtur, electionibus, per se vel per aliũ interesse, ac præsidere, absq; vlla tamen ipsorũ Monasteriorũ impẽsa.*

Episcopus potest punire Regulares prædicantes sine eius licentia, vel benedictione. Vide suprà in const. 2. Sixti IV. num. 20. 21.

§. 8. *Ac demùm habeat Episcopus, tanquam dictæ Sedis delegatus, authoritatem coercendi, ac puniendi quoscumque exemptos, tam sæculares, quam Regulares, qui in alienis Ecclesiis, aut quæ suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia; & in Ecclesiis suis, aut suorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumpserint.*

Episcopus potest delinquentes in supradictis casibus punire.

§. 9. *Itaut Episcopi in suprascriptis casibus, & in prænominatas personas in præmissis omnibus & singulis, aut circa ea quoquo modo delinquentes, quoties & quando opus fuerit, etiam extra visitationem, per censuras Ecclesiasticas, aliasq; pœnas vti eiusdẽ Sedis delegati procedere, omnẽq; iurisdictionem exercere liberè & licitè valeant.*

Clausula sublata, & decretum irritans.

§. 10. *Decernentes sic per quoscumque iudices, quavis authoritate fungentes, etiam sacri Palatij Auditores, necnon S.R.E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate & authoritate iudicari & definiri debere. Irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quavis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Derogat cõtrariis.

§. 11. *Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, in fauorem quarumcumq; personarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum etiam S. Ioannis Ierosolimit. Congregationum, Societatum, ac cuiusuis alterius instituti, etiam necessariò & indiuiduò exprimendi, Monasteriorum, Conuentuum, Capitulorum, Ecclesiarum & aliorum quorumcunq; tam sæcularium, quàm Regularium locorum, necnon illorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus, etiã immemorabilibus exemptionibus quoqs, indultis & priuilegijs, etiam in corpore iuris clausis, aut ex causa & titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam Marimagno seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, Conseruatorum deputationibus, eorumque atque aliis inhibitionibus, quibus Episcopi deferre minimè teneantur, & quibusuis aliis, sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusuis et iã derogatoriarum derogatorijs, aliisq; efficacioribus & insolitis clausulis, nec non irritantibus decretis, etiam motu proprio & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis & innouatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus & formis specialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forẽt, præsentibus pro expressis habentes, quibus quoad ea, quæ eisdem præsentibus aduersantur, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque.*

Dat formam has literas publicandi, & transumptis fidem adhiberi iubet.

§. 12. *Cæterùm quia difficile foret præsentes literas ad singula quæq; loca deferri, vt eæ tamen omnibus innotescant, mandamus illas ad valuas Lateranen. & Principis Apostolorum de Vrbe Basilicarum, atque Cancellariæ Apostolicæ, & in acie cãpi Floræ publicari, & inibi affigi, & per aliquod temporis spatium dimitti, eisque detractis, earum exẽpla eo in loco relinqui. Ac volumus vt earundẽ præsentium literarum transumptis, & sigillo Prælati seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, in iudicio & extra illud, vbi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.*

Sanctio pœnalis.

§. 13. *Nulli ergo omninò hominũ liceat hanc paginam nostrorum statuti, declarationis, decretorũ, derogationis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apostolorũ eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incar. Dom. 1622. Nonis Febr. Pontif. nostri anno 2.*

DECLARATIONES

Aliquot Sacræ Congregationis Concilij super constitutione S.M. Gregorij XV. de exemptorum priuilegijs, &c. Romæ, ex typographia R. Cameræ Apostolicæ 1623.

P*osita constitutione fel. rec. Gregorij XV. de exemptorum priuilegijs, &c. dubitatur.*

1. *An liceat Episcopis visitare altaria Regularium Ecclesiarum, quibus cura animarum personarum sæcularium non incumbit, aut loca, vbi in ijsdem Ecclesijs asseruatur sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, vel vbi audiuntur confessiones personarum sæcularium.*

2. *An Episcopi possint Regularibus præscribere, vt certis tantùm in locis ac temporibus, aut certarum personarum confessiones audiant, vel aliàs illorum*

illorum priuilegia restringere, ac moderari in sacramentis administrandis.

3. *An facultas Episcopis per constitutionem attributa exemptos tam seculares, quàm Regulares, intelligatur etiam tributa in personas nullius Diœcesis.*

4. *An eadem facultas competat inferioribus Prælatis, proprium territorium, ac iurisdictionem quasi episcopalem habentibus.*

5. *An per eamdem constitutionem in illis verbis, Possit Episcopus, vna cum Superioribus regularibus, quarumcumque Abbatissarum, &c. electionibus, per se, vel per alium interesse, ac præsidere, ius Abbatissas confirmandi Episcopis attributum censeatur.*

6. *An confessores monialium ante editam constitutionem deputati, debeant ab Episcopo examinari, & approbari.*

7. *An Superiores regulares similiter ante ipsius constitutionis publicationem electi, seu deputati, alia indigeant Episcopi approbatione pro confessionibus sanctimonialium sibi subiectarum audiendis.*

8. *An confessiones, quas audiunt Superiores regulares electi, seu deputati, vel confirmati post publicationem, & scientiam tenoris dictæ bullæ non obtenta Episcopi approbatione, sint nullæ, atque irritæ, necne.*

9. *An Regulares generaliter ab Episcopo approbati ad confessiones personarum secularium audiendas, censeantur etiam approbati ad audiendas confessiones monialium sibi subiectarum.*

10. *An regularis, ad audiendas confessiones monialium vnius Monasterij ab Episcopo approbatus, confessiones monialium alterius Monasterij audire possit.*

11. *An confessores regulares extraordinarij semel ab Epis. deputati, & approbati ad audiendas monialium confessiones pro vna vice infra annum ad præscriptum Sacri Concilij Trid. possint virtute dictæ approbationis pluries, tanquam confessores extraordinarij, earumdem confessiones audire, absque noua Episcopi licentia.*

12. *Cum in eadem constit. statutum sit, vt liceat Episcopo ex rationabili causa Superiores regulares admonere, vt amoueant confessores monialium, atque administratores bonorum, ad earumdem monialium Monasteria pertinentium, ijsque Superioribus id facere detrectantibus habeat Episcopus facultatem prædictos confessores, & administratores amouendi, quoties, & quando opus esse iudicauerit; an eiusmodi causam Episcopus Superioribus regularibus significare teneatur.*

13. *An eadem constitutio, qua parte supponit Episc. iurisdictioni regulares delinquentes circa personas degentes intra septa Monasteriorum monialium, aut circa clausuram, vel bonorum administrationem eorumdem Monasteriorum habeat locum in omnibus delictis, an verò solùm in notorijs & cum scandalo populi.*

SACRA CONGR. CARDINALIVM.

Concilij Trid. interpretum censuit, constitutionem S. M. Gregorij XV. de exemptorum priuilegijs, nequaquam subijcere Regulares exemptos quibus cura animarum personarum secularium non incumbit, Episcoporum iurisdictioni in his, quæ Sacramentorum administrationem concernunt, nisi cum in Sacramentis personis secularibus administrandis ijdem Regulares delinquunt: Ac propterea. Const. Gregor. non subijcit Regul. iurisdictioni Episc. nisi cũ delinquunt in administrandis sacramentis personis secularibus.

Ad 1. dubium respondit, Episcopis non licere in vim eiusdem constitutionis visitare altaria Ecclesiarum Regularium, quibus non incumbit animarum cura personarum secularium, nec loca, vbi in ijsdem Ecclesijs asseruatur sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, vel vbi confessiones personarum secularium audiuntur. Episcopi non possunt visitare altaria Regul. nec loca vbi confessiones secularium audiunt. Vigore dictæ constit. non possunt Epis. restringere facultatem confessorum regul. Personæ nullius Diœces. non comprehenduntur. Hæc facultas non competit Prælatis iurisdictioné quasi Episc. habentibus. Per eam non competere Episc. ius Abbatissas cõfirmandi. Confessores extraordinarij non possunt monial. confess. audire sine ordin. approb. ordinarij verò pergant durante triennio.

Ad 2. Hac in parte constitutionem nihil noui iuris induxisse, nec vllam nouam auctoritatem Episcopis in Regulares attribuisse; ideoque in vim ipsius constitutionis non posse Episcopos Regularibus præscribere, vt certis tantum in locis, ac temporibus, aut certarum personarum confessiones audiant, vel aliàs illorum priuilegia in sacramentis administrandis restringere, aut moderari: Quòd si aliunde Episcopis huiusmodi facultas competat, illam non fuisse ab eadem constitutione sublatam.

Ad 3. Censuit eiusmodi facultatem non intelligi tributam Episcopi, in personas nullius Diœcesis.

Ad 4. Non competere.

Ad 5. Ius confirmandi Abbatissas minime fuisse Episcopis per constitutionem attributum.

Ad 6. Confessores quidem extraordinarios monialium nullatenus posse post constitutionem illarum confessiones audire, nisi priùs ab Episcopo Diœcesano idonei iudicentur, & approbentur. Ordinarios verò confessores ante constitutionis publicationem deputatos, posse durante triennio, ob eorum deputatione inchoando pergere in confessionibus sanctimonialium audiendis, absque alio examine, & approbatione Episcopi. Quòd si contingat, vt illorum facultas à Sede Apostolica vltra triennium prorogetur, tunc debere eos ab Episcopo examinari, approbari?

Ad 7. Superiores regulares electos seu deputatos ante ipsius constitutionis publicationem, quibus alioquin facultas competit audiendi confessiones monialium sibi subiectarum, posse, durante eorum officio, pergere, sine alia Episcopi approbatione, in confessionibus audiendis illarum tantum, quæ sponte, ac proprio motu id ab eis petierint: At verò eos, qui post constitutionem eligentur, aut quoquo modo deputabuntur, vel qui in eorum officijs, seu dignitatibus, expleto iam tempore, à constitutionibus cuiusque Ordinis, vel aliàs legitimè præfinito, ad aliud tempus confirmabuntur, nequaquam posse sanctimonialium Superiores reg. durante eorum officio, confessiones monial. quæ id petierint audiant sine alia approbatione Episcopi.

onfes

confessiones audire, nisi prius à Diœcesano Episcopo idonei iudicati approbati fuerint.

Confessiones factæ contra formam hic præscriptam sunt nullæ.

Ad 8. Confessiones huiusmodi nullas, atque irritas esse.

Reg. approbati generaliter ad audiendas confessiones non sunt approbati pro monialibus.

Ad 9. Regulares generaliter ab Episcopo approbatos ad confessiones personarum sæcularium audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones monialium sibi subiectarum, sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione.

Approbatus pro vno Monasterio non est approbatus pro alio.

Ad 10. Regularem ad audiendas confessiones monialium vnius Monasterij ab Episcopo approbatum, minimè posse audire confess. monialium alterius Monasterij.

Confessiones extraordinarij pro vna vice approbati non possunt alia vice audire.

Ad 11. Confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad monialium confessiones pro vna vice audiendas, haud posse pluries in vim approbationis eiusmodi illarum confessiones audire: sed ab Episcopo toties esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.

Episcopi nõ tenentur significare superioribus, quare debeant amouere confess. vel administratores.

Ad 12. Non teneri eiusmodi causam significare Superioribus Regularibus; sed hoc relinqui arbitrio & prudentia Episcoporum, quorum conscientiam Sacra Congregatio seriò onerauit, ne facultate sibi hac in parte attributa quoquamodo abutantur, eius rei in districto Dei iudicio rationem reddituri.

Ista constit. habet locum in omnibus delictis.

Ad 13. Constitutionem habere locum in omnibus delictis, non autem in notorijs tantum, & cum populi scandalo.

Quæ sacræ Congregationis responsa ad se relata fel. rec. Gregorius XV. & S. D. N. Vrbanus VIII. in omnibus approbarunt. A. Card. Caetanus. Prosper Fagnanus Sanctæ Cong. Secret.

14. *An liceat Episcopo in vim constitutionis S. M. Gregorij XV. de exemptorum priuilegijs, punire Regulares qui ad Abbatissæ electionem procedunt ante tempus ipsi Episcopo significatum, aut die electionis eidem nullatenus prænonciata.*

Tenentur Reg. Episc. significare diẽ electionis Abbatissæ, si Episc. declarauerit, se velle ei interesse.

Ad 14. Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum respondit, Regulares ex eadem constit. ita demùm teneri Episcopo significare diem electionis Abbatissæ, eumque vsq; ad præfinitum tempus expectare, si antea ipse expressè declarauerit se vti velle facultate sibi hac in parte attributa, Abbatissarumque electionibus per se, vel per alium interesse ac præsidere. Post eam verò declarationem licere Episcopo animaduertere in Regulares, qui ante tempus significatũ, aut die electionis eidem non prænuntiata, ad Abbatissæ electionem procedunt. Cos. Card. de Torres, loco ✝ sigilli. Prosper Fagnanus Sacræ Congreg. Secr. Romæ ex Typographia R. Cameræ Apostolica 1626.

CONSTITVTIO III.

Quâ reuocat concessiones quascunque viuæ vocis oraculo, non tamen S.R.E. Cardinalibus factas, vel ipsorũ manu firmata.

GREGORIVS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium

ROmanus Pontifex in specula militantis Ecclesiæ diuina prouidentia constitutus, gratias & indulta à se & prædecessoribus suis concessa, iustis interdum suadentibus causis, iuxta creditum sibi pastoralis officij debitum, moderatur, aut reuocat, prout rerum & temporum qualitatibus debitè pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

Annullat prout in sũmario.

§.1. Itaque motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine omnia & singula indulta, facultates, priuilegia, gratias & concessiones quascũque spirituales & ecclesiasticas, tam ad forum interius, quàm ad exterius spectantes, ac tam ad supplicationem partium quàm motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus à Sede Apostolica, quæ tamen viuæ vocis oraculo hactenùs quãdocunq; ex quauis etiã de necessitate exprimenda causa, quibusuis Collegijs, Capitulis, Ordinibus, tã mendicantiũ, quàm non mendicantiũ, Societatib. etiam Societati Iesu, ac Congregationibus quibuslibet, siue eorũ & earũ respectiue Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, Generalibus, vel Prouincialibus, quocũq; nomine nuncupatis Superioribus, etiã quomodolibet exẽptis, ac Sedi prædictæ immediatè subiectis cuiuscunque dignitatis, præeminentiæ, aut quouis priuilegio munitis, non tamen ad supplicationem Regũ concessas, in ijs videlicet, quæ non sunt sortita effectum, tenore præsentium reuocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac reuocata, cassa, sublata abrogata & annullata, viribusq; & effectu vacua perpetuò fore & esse, neq; in posterũ cuiquam suffragari posse, vel debere, neque aliquẽ ijs de cætero vti nullo modo posse, etiamsi expressa & specifica mentio, etiã de verbo ad verbum de ijs facienda esset, decernimus, & declaramus: firmis tamen, & in suo robore permanentibus omnibus indultis & alijs concessionibus prædictis, viuæ vocis oracula S.R.E. Cardinalibus ad ipsorum, vel aliorũ quorumcunq; fauorẽ propria S.R.E. Cardinalium manu firmatis, pro ipsis vel alijs factis, & de quibus ijdem S.R.E. Cardinales testimonium in scriptis præbuerunt.

Clausulæ præseruatiuæ.

§.2. Decernentes, præsentes literas, & in eis contẽta quæcunq; etiam ex eo quòd quicunq; in præmissis interesse habẽtes, seu habere prætendẽtes ad hoc vocati & auditi nõ fuerint de subreptionis,

vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, seu alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui iure, vel in controuersiam reuocari, ad terminos iuris reduci, aut aduersus illas quo icumque iuris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas & efficaces existere & fore, suósque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere.

Clausula sublata, & decreti irritans.

§. 3. *Sicque per quoscumque iudices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos & Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate & authoritate iudicari & definiri debere. Ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Derogat cōtrariis.

§. 4. *Non obstantibus præmissis, ac quibusvis constitutionibus Apostolicis; priuilegijs quoque, indultis & literis Apostolicis, Ordinibus, Societatibus & Congregationibus prædictis, eorumque Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus & alijs Superioribus prædictis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatorijs, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, ac irritantibus, & alijs decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innouatis; quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illarum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque.*

Transumptis fidem adhiberi iubet.

Volumus autem, vt præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio, & extra illud, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ; quódque eædem præsentes literæ, seu illarum exempla ad valuas Basilicarum S. Ioannis Lateranen. ac Principis Apostolorum de vrbe, & in acie campi Floræ affixa, omnes ita arctent & afficiant, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent. Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo Pisc. die 2. Iulij, 1622. Pontific. nostri anno 2.

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1 Nota, quòd *pro parte Fr. Dominici de Molina Ordinis Prædicatorum, & Procuratoris omnium Religionum Mendicantium, & non Mendicantium, Prouincia Bœtica, stante constitutione fel. rec. Gregorij XV. reuocatoria oraculorum viuæ vocis, petitur declarari, an gratiæ, & priuilegia viuæ vocis oraculo facta Magistris generalibus, Vicarijs generalibus, & Procuratoribus generalibus concessa, eorum Ordinibus, quæ fortita fuerunt effectum ante reuocationem, licet effectus habeat tractum successiuum, vel aliàs respiciant particulares personas, vt sunt præsentatura, vel magisteria obstante prædicta reuocatione, maneant in suo robore, & valida censeantur, vti in dicta reuocatoria constitutione non comprehensa, vel aliqua indigeant reualidatione, tum in temporalibus, quàm in spiritualibus.*

Sacra Congregatio Cardinalium negotii Regularium præposita, Illustrissimo de Cremona disserente, prædictas gratias & priuilegia in dicta reuocatoria constitutione non comprehendi, nullaque reualidatione indigere, proindeque validas, & valida fore, & esse, eisdemque securè vti posse censuit, prout alias fuit responsum. Romæ die 2. Aprilis, 1625. Ita refert Castel. *de elect. cap. 5. num. 37. versu Pro parte.*

2 Noto 2. quod viuæ vocis oracula habent eamdem vim quàm aliæ constitutiones, vt dico *suprà in constitut. 17. Iulij 2. n. 1.*

3 Si quæras, an Cardinalibus in damnum tertij credendum sit, quando dicunt se habere viuæ vocis oraculum S. D. N. Papæ.

Respondeo in præiudicium tertij non esse Cardinalibus credendum, etiamsi dicant habere viuæ vocis oraculum Papæ. Ita Abbas *pag. 2. consil. 18. num. 2. & in cap. Quod super, de fide instrum. num. 5.* Vbi eius Addit. *versu Circa hos multos textus,* & Doctores adducit: Et idem Abbas *in cap. Sicut nobis, de sentent. excomm. num. 6.* Vbi etiam eius Addit. *verbo Cardinalis*, multa congregat. Felin. *in cap. Quod super his, de fide instrum. nu. 10. & 11.* Tusch. *verbo Cardinalis, conclus. 103. num. 3.* Gloss. *in cap. Sicut nobis de sentent. excomm. verbo Alio modo;* quæ respondet *ad caput Nobilissimus, d. 97.* quod intelligatur quando nulli fit præiudicium. Facit *cap. cum à nobis de testibus.*

4. Vbi autem non agitur de præiudicio tertij, de stylo Curiæ Cardinali creditur. Tusch. *loc. cit. num. 2.* Quo pacto possunt intelligi Doctores dicentes Cardinalibus esse credendum. Videatur Nau. *li. 1. consil. de off. iud. del consi. 9. num. 7.* Farin. *2. p. dec. p. 1. decis. 339.* Bellambera *concl.* Mascar. *de prob. concl. 269.*

5. An autem Papa possit statuere, quòd vni Cardinali plena fides adhibeatur in præiudicium tertij. Videtur quod non. Ita Addit. Panor. *ad cap. Sicut nobis de sentent. excomm. verbo Cardinalis;* Couarr. *in c. Cum esses de testam. n. 3.* Felin. *cap. vlt. de maior. & obedien.* Anguian. *lib. 3. contrmasi. 19. num. 3.* Rom. *singul. 715.* Vbi multa congerunt Addit. Facit Fortiter *cap. Indicas 3. q. 9.* & est expressè decisum *in cap. Admonere 33. q. 2.*

CONSTITVTIO

CONSTITVTIO IV.

Quæ est contra confessarios sollicitantes pœnitentes in confessionibus.

GREGORIVS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium. VNiversi Dominici gregis curam, quanquam immeriti, cœlesti dispensatione gerentes, sedulò invigilare tenemur, ut ab omnibus pravis contagijs conservetur immunis, multóque maiori studio providere, ut omnis pestis ab ijs aversatur quibus alios lavandi officium est commissum, ne quod evangelica scripta nos admonent, sale infatuato non sit in quo saliatur, & ad nihilum prosit ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.

Motiua. §. 1. *Quoniam autem à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris quibusdam in locis provisum fuit, ut impium ac nefandum scelus, quod non solum inter Christi fideles non esse, sed nec etiam nominari debet, procul ab ijs arceatur, videlicet ut aliquis sacerdos ad sacras audiendas confessiones deputatus, sacrosancto pœnitentiæ sacramento, sollicitando pœnitentes ad turpia abutatur ac pro medicina venenum, pro pane aspidem porrigat, & ex cœlesti medico infernalis veneficus, ex patre spirituali proditor execrabilis animarum reddatur. Idcircò nos ea, quæ his perniciosissimis diaboli insidijs arcendis certis locis salubriter constituta sunt, ut nullibi desiderentur, quantùm ex alto conceditur, providendum duximus.*

Refert ad literas constitut. Pij IV. §. 2. *Aliàs siquidem à fel. rec. Pio Papa IV. prædecessore nostro emanarunt literæ tenoris subsequentis, videlicet: Pius Papa IV. vener. fratri Archiepi. Hispalensi in Regnis Hispaniarum hæreticæ pravitatis Inquisitori generali. Cum sicut nuper non sine animi nostri molestia accepimus, diversi sacerdotes in Regnis Hispaniarum, atque etiam in eorum Civitatibus & Diœcesibus curam animarum habentes, sive eam pro alijs exercentes, aut aliàs audiendis confessionibus pœnitentiũ deputati, in tantam proruperint iniquitatem, ut sacramento pœnitentiæ in actu audiendi confessiones abutantur, nec illi, & qui id instituit Domino Deo & Salvatori nostro IESV CHRISTO iniuriam facere vereantur, mulieres videlicet pœnitentes ad actus inhonestos, dum earũ audiunt confessiones alliciendo & provocando, seu allicere & provocare tentando & procurando; ac loco earum per sacramentum huiusmodi Creatori nostro reconciliationis, graviori peccatorũ mole eas onerando, & in manibus diaboli tradendo, in divinæ Maiestatis offensam & animarum perniciem, Christi fidelium scandalum non modicum.*

Sunt suspecti de hæresi qui sollicitant in confessione. §. 3. *Nos in animum inducere nequeuntes, quod qui de fide catholica rectè sentiunt, sacramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur, aut illis iniuriam faciant, fraternitati tuæ, de cuius eximia pietate, virtute, atque doctrina plurimùm in Domino confidimus, per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs per te, vel per aliũ seu alios à te deputandum, seu deputandos, contra omnes & singulos sacerdotes dictorum Regnorum ac illarum Civitatum & Diœcesum de præmissis quomodolibet diffamatos, tam sæculares, quàm quorumvis etiam exemptorum, ac Sedi Apostolicæ subiectorum Ordinum Regulares, cuiuscumque dignitatis, status gradus, ordinis, conditionis & præeminentiæ existat, tam super præmissis, quàm super fide catholica, & quid de ea sentiant, diligenter inquiras, & iuxta facultatum tibi contra hæreticos, aut de hæresi quovis modo suspectas à Sede Apostolica concessarum continentiam & tenorem procedas, ac culpabiles repertos iuxta excessuum suarum qualitatem, prout iuris fuerit, punias, eos etiam, si & prout de iure fuerit faciendum, debita præcedente degradatione, sæcularis iudicis arbitrio puniendos tradendo. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiarum & Monasteriorum, necnon Ordinum quorumlibet, quorum ipsi sacerdotes fuerint etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus; privilegijs quoque, indultis & literis Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis clausulis & decretis, etiam motu proprio, aut aliàs quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis & innovatis; quibus omnibus eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus, cæterisq; contrarijs quibuscumque Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 16. Aprilis, 1561. Pontif. nostri anno 2.*

Confirmat prædictas literas Pij IV. & extendit ad omnes mundi partes. §. 4. *Igitur, ut literæ prædictæ perpetuis futuris temporibus, & ubique locorum inviolabiliter observentur, motu proprio, & ex certa scientia ac matura deliberatione nostra, ac de consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium contra hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum, præinsertas literas huiusmodi, ac omnia & singula in eis contenta Apostolica authoritate, tenore præsentium approbamus & confirmamus, illisque omnibus & singulis inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, illasque non solùm in prædictis Regnis Hispaniarum, sed in quibusvis Christiani orbis partibus firmiter & inviolabiliter observari præcipimus & mandamus.*

§. 5.

Declarat, quinam dicendi sint sollicitatores.

§. 5. *Ac præterea, ne in futurum de pœna his delinquentibus imponenda, & de modo contra eosdem procedendi ab aliquo dubitari possit, statuimus, decernimus & declaramus, quòd omnes & singuli sacerdotes tam sæculares, quàm quorumvis etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediatè subiectorum Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum Regulares, cuiuscumque dignitatis & praeminentiæ, aut quovis priuilegio muniti existant, qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta, siue inter se, siue cum alijs quomodolibet perpetranda in actu sacramentali confessionis, siue ante vel post immediatè, seu occasione, vel prætextu confessionis huiusmodi, etiam ipsa confessione non secuta siue extra occasionem confessionis in confessionario, aut in loco quocumque vbi confessiones sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare, vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint, in officio Sanctæ Inquisitionis seuerissimè, vt infra, puniantur.*

Contra tales iubet procedi, prout in causis fidei, & determinat pœnas.

§. 6. *Et præterea omnes hæreticæ prauitatis Inquisitores & locorum Ordinarios omnium Regnorum, Prouinciarum, Ciuitatum, Dominiorum & locorum vniuersi orbis Christiani in suis quemque Diœcesibus & territorijs per has nostras literas, etiam priuatiuè quoad omnes alios, specialiter, ac perpetuò iudices delegamus, vt super his contra prædictos simul, vel separatim in omnibus, prout in causis fidei, iuxta sacrorum Canonum formam, necnon officij Inquisitionis huiusmodi constitutiones, priuilegia, consuetudines & decreta diligenter inquirant, & procedant, & quos in aliquo ex huiusmodi nefarijs excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate & circumstantijs, suspendentes ab executione ordinis, priuationis beneficiorum, dignitatum & officiorum quorumcumque ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, necnon vocis actiuæ & passiuæ, si Regulares fuerint, exilij, damnationis ad triremes & carceres etiam in perpetuum, absque vlla spe gratiæ, aliasque pœnas decernant, eos quoque, si pro delicti enormitate graviores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione, Curiæ sæculari puniendos tradant.*

Dat facultatem ad probationé huius delicti admittendi testes singulares.

§. 7. *Dantes etiam facultatem venerab. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus generalibus Inquisitoribus, ne delictum tam enorme & Ecclesiæ Dei tam perniciosum remaneat ob probationum defectum impunitum, cum difficilis sit probationis, testibus etiam singularibus concurrentibus, præsumptionibus, indicijs & alijs adminiculis, delictum probatum esse arbitrio suo iudicandi, & Curiæ sæculari vt præfertur, reum tradendum esse pronuntiandi.*

Derogat contrariis.

§. 8. *Non obstantibus omnibus, quæ dictus prædecessor in suis literis prædictis voluit non obstare, cæterisque contrarijs quibuscumque.*

Confessores tenétur monere pœnitentes sollicitatos de obligatione denuntiandi.

§. 9. *Mandantes omnibus Confessarijs, vt suos pœnitentes quos nouerint fuisse ab alijs, vt supra, sollicitatos, moneant de obligatione denuntiandi sollicitantes, seu vt præfertur, tractantes Inquisitoribus, seu locorum Ordinarijs prædictis; quod si hoc officium prætermiserint, vel pœnitentes docuerint, non teneri ad denuntiandum Confessarios sollicitantes, seu tractantes vt supra, ijdem locorum Ordinarij & Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant.*

Transumptis fidé adhiberi, & publicari mandat.

§. 10. *Volumus autem vt præsentium transumptis, etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in Ecclesiastica dignitate constituta munitis eadem prorsus fides in iudicio & extra vbique habeatur, quæ præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ; quòdque eædem præsentes literæ, seu illarum exempla ad valuas Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie campi Floræ affixæ omnes ita arctent & afficiant, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent*

Datum Romæ apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris die 30. Augusti 1622. Pontificatus nostri anno 2.

§. II.

1. NOto 1. quòd hanc constitut. Pij IV. de qua hic, habes etiam apud Cherub. *tom. 1. bull. in Pio IV. constitut. eius 31. pag. 46.* Extat etiam alia dictæ omnino similis Pauli V. data Romæ, *die 16. Septembis anno* 1608. quæ etiam incipit, *Cum sicut nuper*; quam refert Rod. à Cunha *in princip. sui tract. de confess. sollicit.* & Scott. *in select. bull. theorem.* 197. meminit decreti eiusdem Pauli V. de eadem materia. Extat etiam alia constitut. de hac materia Clement. VIII. data *die* 3. *Decembris* 1592. de qua Molfes. *1. p. summ. tract. 7. cap. 24. num. 34.*

2. Noto 2. quòd cum sollicitudo dicat vehemens studium ad aliquid agendum secundùm D. Thom. 2. 2. *quæst. 47. artic. 9.* sollicitantes in proposito dicuntur, qui in actu confessionis, vel immediatè ante, vel post, vel eius occasione, &c. inducere procurant persuasionibus, vel mendaciis, vel precibus aut blanditiis, osculis & tactibus, aut aliis signis personam ad aliquid inhonestum perpetrandum, siue hoc faciant per seipsos immediatè, siue per interpositam personam? Quod secundum licèt videatur durum: colligo tamen tum ex vi vocabuli, sollicitare? dicitur enim mulierem quis sollicitare, siue per seipsum id faciat, siue per lenonem; tum ex §. 5. huius constitut. quæ in sollicitatoribus includit, qui occasione confessionis diceretur sollicitare confessor, qui audiens mulierem in confessione, eamque leuem ibi cognoscens, lenonem paulò post ad dictæ mulieris vestigia insequenda mitteret, eamque domum intrantem sollicitaret, seu etiam in itinere. Ita videtur dicere Graff. *tom. 1. consil. lib. 4 de cognat. spirit. consil. 1. à num. 37. & de casib. reser. lib. 2. cap. 12. num.* 30. E contra verò ex vi vocabuli non diceretur sollicitator, qui in confessionario de rebus turpibus cum aliqua muliere confabularetur, absque sollicitatione ad aliquid inhonestum perpetrandum;

licèt

licèt hic casus in const. etiam comprehendatur, vt patet ex §. 5. quem ideo ibi puto fuisse expressum.

§. III.

3. NOto 1. circa illa verba, *de præmissis quomodolibet diffamatos*, per quæ videtur significari, quòd constitut. non liget nisi eos, qui de hoc crimine iam fuerint aliqua notati infamia. Atque ita quòd mulieres sollicitatæ non teneantur denuntiare nisi eos qui tali fuerunt notati infamia, & contra tales solùm posse Inquisitores procedere. Noto, inquam, quòd hæc const. afficit omnes de hoc crimine suspectos, de quibus denuntiatum est: & quòd mulieres sollicitatæ tenentur denuntiare sollicitantes, etiamsi de iis nulla præcesserit infamia. Quia conceditur hac const. facultas Inquisitoribus procedendi contra istos eo modo, & forma quibus contra hæreticos denuntiatos, & suspectos. Quare illa verba, *Quomodolibet diffamatos* connecti debent cum aliis *inferius eodem* §. positis, *Diligenter inquiras*; ac si velit dicere, quo ad procedendum per viam inquisitionis contra tales criminosos, debet aliqualis infamia præcedere, nam de natura inquisitionis est, vt eam infamia præcedat: non per hoc vult Pontifex, quòd inquisitor non possit procedere contra denuntiatos, & accusatos, etiam non diffamatos: Atque hanc esse genuinam interpretationem illius clausulæ, docet A Cunha *quæst.* 4. *num.* 8.

4. Si quæras, an propter denuntiationem vnius fœminæ sollicitatæ possint Inquisitores procedere ad solicitantis capturam, torturam, & condemnationem.

Respondet Freita in addit. ad Cunha, *quæst.* 4. *à num.* 16. quod non. Nam ait, vel fœmina inhonesta est, & tunc reiicienda; vel honesta, & facit tantùm præsumptionem, & aliquale indicium; vnicum autem indicium ad torquendum non sufficit nec dictum vnius testis nisi sit omni exceptione maior; fœmina autem nunquam est omni exceptione maior; *cap. Forus, de ver. signif.* §. *Testes.* Farinac. *lib.* 1. *consil. consil.* 19. *num.* 20. Nec etiam, ait, delationem huiusmodi esse sufficientem ad carcerandum, sed solùm dicta delatio facit sufficiens indicium ad inquirendum: Quòd si per inquisitionem apparuerit confessarium esse malæ vitæ, tunc poterit capi, atque subinde torqueri. Ita Freita, *num.* 28. A Cunha *quæst.* 23. *num.* 9. ait, testimonium duarum mulierum non esse sufficiens ad incarcerandum reum.

5. Sed dic clarius, quòd vel mulier denuntians confessarium est malæ famæ, & confessarius bonæ, & tunc non creditur mulieri denuntiasse vel mulier est bonæ famæ, & confessarius malæ, & tunc proceditur ad capturam confessarij, & si examinatus neget, torquetur. Atque Inquisitores, quando denuntiatur aliquis pro hoc delicto in illo sancto tribunali, priusquam ad capturam deueniant, sumunt secreta, & verbo tenus informationes de denuntiante, & denuntiato, quibus habitis, procedunt vt dixi, & ita seruatur in praxi, prout testatur Molfes. *tom.* 1. *summ. tract.* 7. *cap.* 24. *à num.* 38. & Aloys. Ricc. *collect.* 149.

6. Noto 2. quòd confessarij sollicitantes sunt suspecti de hæresi. Patet ex illis verbis *Nos in animum inducere nequeuntes*, &c. & probant A Cunha *quæst.* 2. *num.* 7. Sanctar. *cap.* 44. *num.* 2. *de hæresi*; Rodriq. *tom.* 2. *quæst. reg. quæst.* 27. *art.* 1. *fine.* Pegna *in direct. Inquis. p.* 2. *comm.* 81. *col.* 4 *versu Ille quoque grauiter peccat*. Molfes. 1. *p. summ. tract.* 7. *cap.* 24. *num.* 33. Et ratio est; nam cum sacramentum pœnitentiæ sit institutum ad delenda peccata ex sua primaria, & formali institutione, contra sacramenti substantiam facit, qui eo vtitur ad perpetrandum peccatum; vnde meritò suspicatur, quòd de eo male sentiat; quia, quantum est ex se, conatur sacramentum profanare; & hoc etiamsi ardore solùm libidinis motus fuerit ad sollicitandū.

7. Noto 3. quòd confessor sollicitans mulieres in confessione ad alia pecata non carnalia, non subiacet pœnis huius const. A Cunha *quæst.* 8. *num.* 6. Sanctar. *de hær. cap.* 46. *dub. vn. num.* 1. nam solùm in istis const. fit mentio de sacerdotibus sollicitantibus pœnitentes ad actus venereos, vnde extendere ad alia peccata esset nimia extensio, quæ neq; expresse, neque tacitè in const. verbis continetur. Et in quodam decreto pro Inquisitoribus dato à Clem. VIII. quod referunt A Cunha. & Sanctar. dicitur, quod Inquisitores procedere debeant contra confessarios sollicitantes mulieres ad impudicitiam, & peccata carnis.

8. Noto 4. quòd mulieres sollicitantes confessarium ad venerea non comprehenduntur hac const. neq; confessores illas tenentur Inquisitoribus denuntiare. Ita A Cunha *quæst.* 9. *num.* 3. Sanctar. *ca.* 46. *dub. vn. num.* 4. quia constitutio loquitur de confessariis sollicitantibus fœminas, non de fœminis sollicitantibus confessarios, quòd rarè admodum solet accidere.

9. Sed quid, si confessarius consentiat mulieri sollicitanti in actu confessionis? Dico, quòd non incurrit pœnas huius const. quæ solùm intendit punire confessarios sollicitantes in confessione, non fornicarios. A Cunha *quæst.* 11. *num.* 7. Sanctar. *loc. cit. num.* 2. Idem dic, si fœmina infirmitatem fingens, confessarium domum aduocet, & animo prauo manifestato, recusante confessario, ista minetur clamare, ab illo sibi vim inferri, nisi consentiat, & iste leui isto timore correptus consentiat. Freita addit. ad Cunha, *p.* 9. *num.* 9.

10. Sed quid, si mulier incipiat quidem primò sollicitare & sollicitationem prosequatur deinde confessarius, ita vt mutuo se polluant. A Cunha *quæst.* 11. *num.* 11. Freita *ibi, num.* 24. putant, confessarium non subiici pœnis huius const. quia pœnæ appositæ in sollicitantem diriguntur; confessor autem hoc casu non potest dici sollicitator, sed sollicitationi consentiens, illectus à sollicitante muliere.

11. Quid etiam, si confessarius fœminam sollicitet, quam fortè antea cognouit, non paratur ad audiendas confessiones, nec putans, mulierem vellè confiteri, mulier autem, reiecta sollicitatione, eam audiat? Non incurrit has pœnas. Freita addit. ad Cunha, *quæst.* 14. *num.* 17. nam tunc non sollicitat confessionis intuitu. Sed si ista sollicitatio fiat in loco ad audiendas confessiones deputato, tunc incurret, per §. 5. *huius const.*

12. Noto 5. quòd si mulier consentiat confessario sollicitanti, adhuc tamen tenetur denuntiare: Non tenetur tamen proprium consensum manifestare; nec potest super hoc ab Episcopo, vel Inquisitore interrogari. Et in casu, quo pœnitens, qui consensit vellet consensum manifestare, non debet scribi in actis, tanquam res non spectans ad sanctum Inquisitionis tribunal. Quæ omnia debent à confessariis personis sollicitatis manifestari, ad eas inducendas ad denuntiandos sollicitantes. Quòd si adhuc sollicitati noluerint dictos sollicitantes manifestare, poterunt Episcopi, vel Inquisitores dare auctoritatem confessario recipiendi in scriptis cum iuramento denuntiationem personæ sollicitatæ, quæ consensit, quam statim confessarius tenebitur deferre Inquisitori, vel Episcopo. Ita decretum est in sacra Congr. *die* 27. *Septembr.* 1624. per literas datas omnibus

bus Archiepiscopis , subscriptas à Card. Millino. Videatur Sanctar. *tract. de har. cap. 44. dub. vn. num.* 12.

§. V.

13. NOto 1. quòd ante istam const. dubium erat, an sollicitantes ante, vel post confessionem immediatè, non actu ipso confessionis, comprehenderentur in const. Pij IV. Et multis, quos refert A Cunha *quæst. 5. num.* 4. visum est, quòd non. Alijs autem, quòd sic. Sed post bullam hanc Greg. sublata est omnis difficultas illis verbis positis in hoc §. *Sine ante, vel post immediatè*, &c.

14. Noto 2. quòd confessarij sollicitantes pueros subiacent pœnis huius const. Quod modò est sine controuersia, vt patet ex hoc §. 5. ibi. *Qui personas, quæcumque illæ sint*. Licèt ante hanc const. tenuerint, etiam viri doctissimi, quos citat, & sequitur A Cunha *quæst.* 6. *num.* 6. Quarant. *in summ. bull. ver. Confessor, versu Ampliatur, pag. mihi* 239. Lopez 1. *p. instr. cap.* 35. *versu, At hic iam* & alij, quos refert Sanctar. *cap.* 45. *dub. vn. num.* 1. tenet Rodriq. *tom.* 1. *quæst, reg. quæst.* 59. *art.* 4. *fine, & tom.* 2. *quæst.* 27. *art.* 3. Et ita declarasse Paulum V. *anno* 1612. *die* 29. *Nouembr.* constat ex literis Card. Millini, scriptis ad generalem Inquisit. Lusitaniæ *anno* 1613. *die* 18. *Febr.* vt refert Freita addit. ad Cunha, *q.* 6. *n.* 26. & Scor. *in select. bull. theor.* 197.

15. Noto 3. quòd ante bullam Greg. X V. vigore bullarum Pij IV. & Pauli V. probabile erat, quòd sacerdos sollicitans fœminam in loco solito audire confessiones, si verè eius confessionem non audiret, nec fœmina ad se confitendum accederet, licèt si fingeret eam absoluere pro vitando scandalo, non incurrere has pœnas. Ita sensit A Cunha, *quæst.* 15. licèt pro contraria multa etiam adducat, quæ non resoluit *à num.* 3. tenuit etiam Freita resolutè *ibid. num.* 11. & Sanctar. *cap.* 46. *dub. vn. num.* 6. quia in bullis Pij, & Pauli solùm puniebantur sacramentu pœnitentiæ abutentes. At post bullam Greg. non est locus ampliùs disputationi, exprimitur enim hic casus hoc §. ibi *Aut in loco, vbi confessiones sacramentales*, &c. Quod etiam declarasse Paulum V. *die* 10. *Iulii* 1614. refert Longus 1. *p. de cas. reseru. sect.* 2. *art.* 22. *num.* 4. *fine*; etiam non sollicitando, sed solùm de inhonestis in dicto loco tractando.

16. Noto 4. quòd si confessarius sollicitet fœminam in actu confessionis, vt tradat ei suam filiam, seu aliam personam, vel si sollicitet mulierem, vt consentiat tali amico suo, incurrit pœnas huius const. Ita A Cunha *quæst.* 17. *num.* 5. Freita *ibi, num.* 13. Graff. *de cognat. spirit. tom.* 1. *consil. lib.* 4. *consil.* 1. *num.* 41. & 41. Sanctar. *tract. de har. cap.* 44. *num.* 19. At post hanc bullam Greg. de hoc nulla est dubitatio, vt patet ex hoc §. ibi, *Sine inter se, siue cum aliis*. Castro *tract.* 4. *disp.* 9. *part.* 5. *num.* 1.

17. Noto 5. quòd sacerdos non incurrit pœnas huius const. si sollicitet fœminam, ministrando ei alia sacramenta; baptismi, Eucharistiæ, matrimonij, &c. Ita A Cunha *quæst.* 16. *num.* 4. Sanctar. *cap.* 46. *num.* 5. Quia, cum constat de Legislatoris mente, legis extensio fieri non debet, nec coniecturis locus relinquitur; At hic constat, Pontificem solum interdixisse obuiate abusibus, qui sacramento pœnitentiæ frequentiùs, faciliùs & commodiùs fieri possunt.

18. Noto 6. quòd non possunt Inquisitores procedere contra confessarios incestum cum filiabus spiritualibus committentes. Nau. *lib.* 5. *consil. de haret. cons.* 2. *num.* 1. Graff. *part.* 1. *lib.* 2. *c.* 48. *n.* 16. A Cunha *quæst.* 5. *n.* 14. Licèt enim commisceri cum filiabus spiritualibus sacrilegium sit ratione specialis prohibitionis Ecclesiæ, *cap. Omnes quoque cap. Non debet Episcopus* 30. *quæst.* 1. vnde est circumstantia necessariò in confessione aperienda, vt probat cum multis Sanch. *lib.* 7. *de matr. disp.* 55. *num.* 3. Lopez 1. *part. instr. cap.* 35. *versu, At hic iam*: licèt Sa *verbo Confessio, num.* 26. Henriquez *lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 8. & alijs apud ipsum Sanch. *loc. cit. num.* 2. contrarium teneant, existimantes, nullam cognationem spiritualem oriri inter confessarium, & pœnitentem, id conantes probare *ex cap. fin. in fine, de cognat. spir. in* 6. quod certè cum sua Glossa id aperte dicere videtur. Freita addit. ad Cunha, *quæst.* 5. *num.* 51. existimat in praxi vtramque opinionem posse seruari. Et aduerte, quòd confessarius si maribus, quos in confessione audiuit, se immisceat, non tenetur circumstantiam confiteri. Quia capita cit. inducentia cognationem spiritualem inter pœnitentem, & confessarium, loquuntur de fœminis, vt patet. Ita Freita *loc. cit. num.* 55. Licet, inquam, contrahatur hæc spiritualis cognatio inter pœnitentem, & confessarium, non possunt tamen Inquisitores contra tales confessarios procedere, vt dicunt præfacti Doctores; quia id nullo iure cauetur.

19. Si quæras, an filia spiritualis sit, quam sacerdos semel audiuit, & non absoluit. Graff. *tom.* 1. *consil. lib.* 4. *de cogn. spir. cons.* 1. *num.* 20. ait, quòd sic, quia talis confessio sacramentalis est, & ibi audita tenetur sacerdos tenere sub sigillo confessionis. Alij tamen negant apud ipsum, quibus assentio, quando non ex malitia, vt cum ea fornicaretur, confessarius absolutionem denegauit; nam verè illa filia spiritualis non est.

§. VI.

20. NOto 1. quòd inquirere de hoc delicto hodie pertinet ad Inquisitores hæreticæ prauitatis, & ad Ordinarios locorum simul, vel separatim, vt patet ex §. 6. Priuatiuè quò ad Regularium Superiores, vt etiam patet *ex const.* 9. *Pauli V. supra*, & refert decretum speciale circa hoc Clem. VIII. A Cunha *num.* 10. & patet ex hoc §. 6. illis verbis *etiam priuatiuè quò ad omnes alios specialiter*; Quare Episcopi possunt in causa sollicitationis procedere accumulatiuè cum Inquisitoribus, idest sicut Inquisitores, & inter eos datur locus præuentioni, quando simul non procedunt. Et pro intelligentia istorum terminorum, Accumulatiuè, & Priuatiuè, pono hoc exemplum. Datur alicui inferiori auctoritas faciendi aliquid accumulatiuè cum Superiore, significat, quòd inferior potest vti illa iurisdictione sicut Superior, & quòd inter eos datur locus præuentioni. Si verò detur priuatiuè, significat; quòd Superior non possit se intromittere in tali causa, sicut hic, cum dicitur *etiam priuatiuè quò ad omnes alios*, significatur, quòd Superiores regulares, qui alioquin iurisdictionem habent ordinariam in suos subditos, quò ad hunc casum illa priuantur. Videatur Couarruu. *in cap. Alma mater, part.* 1. §. 12. *num.* 3.

21. Noto 2. quòd Inquisitores possunt, & debent procedere contra confessarios, qui non verbis expressis, sed solùm tacitis, & occultis alliciunt pœnitentes ad actus inhonestos, vt si illos de pulchritudine, venustate, &c. laudent. Ita A Cunha *q.* 7. *num.* 13. Sanctarel. *tract. de har. cap.* 44. *n.* 9. tum quia talis videtur esse mens Pontificis, vt constat

stat ex illis verbis positis §. 1. *vt ab omnibus prauis contagijs*, &c. tum quia confessarij huiusmodi blanditijs abutuntur sacramento pœnitentiæ; tum quia præbent mulieribus accedentibus ad confessionem scandalum, & magnam suspicionem, quod velint ad actus turpes allicere. Neque valet, quòd lex pœnalis non est extendenda: Nam quando est sancita in animæ fauorem, extendi debet vt fauorabilis, vt dicunt Doctores *in cap. Si quis suadente*. Quod licèt loquatur solùm de Clericis intelligitur tamen etiam de nouitijs, & Conuersis. A Cunha *quæst.* 7. *num.* 12. Glossa *in cap. Sciant cuncti, de elect. in* 6. *verbo Alios*: *& in c. Si postquam, eodem tit. verb. prouisione, in fine*. Freita addit. ad Cunha, *q.* 7. *num.* 42. Itaque mulieres, quæ non solùm verbis claris, sed etiam tacitis, subobscuris, & ambiguis, seu etiam nutibus, vel tactibus fuerint ad libidinem à confessarijs sollicitatæ, debent eos Inquisitoribus denunciare. Limita tamen, nisi verba etiam inhonesta à confessore prolata, essent necessaria pro complemento sacramenti. v. g. si quærat, an intra vas, vel extra illud seminatum fuerit, &c. Pro quibus vide Molfes. 1. *p. summ. tract.* 7. *cap.* 24. *num.* 43.

§. VII.

22. NOto, hoc crimen posse plenè probari per fœminas, quæ sint testes singulares, adiunctis præsumptionibus, indicij, & alijs adminiculis iuris. Ita concessit Gregorius hoc §. 7. Id etiam potuisse fieri ante hanc bullam, docet A Cunha *quæst.* 22. *num.* 8. & in sequentibus id multis probat. Et ratio est, quia hoc delictum, cum fiat inter solam fœminam, & confessarium, aliter probari non potest, & frustra aliàs essent horum Pontificum constit. Testes adminiculantes dicuntur, qui super vnico deponunt actu, vt *in cap. vlt. de success. ab intest.* & Decius *consil.* 658. *num.* 10. Freita addit. ad Cunha, *quæst.* 22. *num.* 18. Testes verò singulares dicuntur, & sunt, qui de diuersis actibus diuerso loco, & tempore gestis deponunt *cap. Nihilominus* 3. *quæst.* 9. Panorm. *c. Bona mem. el* 1. *de elect.* Videatur Farin. *part.* 2. *prax. crimin. quæst.* 62. *à num.* 26. Nota etiam, quòd per testes singulares potest probari, aliquem esse hæreticum, vel hæresim olere. A Cunha *quæst.* 22. *num.* 12. qui multos citat. Et crimen violationis sigilli, nisi per testes singulares probari potest. A Cunha *loc. cit. num.* 10.

23. Si quæras, quot testibus indigeat huius criminis plena probatio.

Respondio varias esse Doctorum sententias. Param. de orig. Inquisit. apud Cunha *q.* 23. *n.* 3. *fine* existimat, per duos testes fœminas hoc delictum sufficienter probari; quem impugnat meritò à Cunha *à num.* 4. quantumvis illæ duæ mulieres sint magnæ conditionis. Nam testimonium mulierum muliebre est; licèt enim admittantur, vbi veritas aliter haberi non potest, vt Mascard. *concl.* 461. *num.* 6 *concl.* 762. *num.* 16. & 22. verùm in capitalibus tres fœminæ non conuincunt. Freita addit. ad Cunha, *quæst.* 23. *num.* 24. Lucius apud Freita *num.* 22. tres testes exigit ad hoc crimen probandum. A Cunha requirit quatuor earum fœminarum quas ducit diuini spiritus zelus, non odium, non iniqua alia quævis causa. Ita *quæst.* 23. *num.* 12. Meliùs linquitur Inquisitorum prudenti indicio, vt Freita *loc. cit. num.* 25. Sanctar. *de hær. cap.* 44. *dub. vn. num.* 6.

§. IX.

24. NOto 1. quòd mulieres, seu masculi sollicitati à confessarijs in sacramento pœnitentiæ tenentur sub peccato mortali eos inquisitoribus denuntiare, alioquin non possunt absolui à confessarijs, quantumcunque priuilegiatis. Rodriq. *tom.* 2. *quæst. reg. q.* 27. *art.* 1. *& in sum p.* 2. *cap.* 207. *concl.* 1. A Cunha *q.* 21. *num.* 6. Sanctar. *cap.* 46. *dub. vn. num.* 10. Probatur, quia ad id tenentur (abstrahendo ab edictis particularibus, quæ diuersa sunt in diuersis Prouincijs, & Regnis, & in partibus Hispaniarum præsertim continent pœnam excommunicationis) sub mortali: Nam Greg. XV. ait hoc §. *Mandantes omnibus confessarijs*, &c. Quod præceptum in re graui ad mortale obligat. Ergo si confessarij tenentur monere pœnitentes, quos nouerint, &c. de obligatione denunciandi sollicitantes, signum est, istam obligationem, cum sit in re graui, mortale peccatum inducere. Ergo si nolint denuntiare, cum nolint à mortali recedere, absoluendi non sunt: Nisi fortè firmiter promittant denuntiaturos, si adsit causa, propter quam prudenti confessario videatur, denunciationem esse differendam: vel si cessasset causa denunciandi; quia v. g. confessarius, qui sollicitauit, mortuus est.

25. Noto 2. quòd confessarius sollicitans ab omnibus absolui potest. A Cunha *quæst.* 21. *num.* 2. Rodriq. *in summ.* 1. *cap.* 108. *concl.* 1. Henriq. *lib.* 6. *cap.* 10. §. 2. *in comm. lit. H.* Freita addit. ad Cunha, *quæst.* 21. *num.* 21. Quia præceptum dirigitur in non reuelantem, non in sollicitantem.

26. Noto 3. quòd mulier à confessario sollicitata, priusquam illum Inquisitoribus denunciet [illegible] netur eum fraternè corrigere, si sp[illegible] nis probabilem habeat; quam sp[illegible] ex rubore peccantis, ex submissione, ex vi, & affectu, quo nititur impetrare veniam, ex longo temporis interuallo post commissum delictum, alijsque huiuscemodi indicijs: Quòd si, dictis, vel aliquibus ex dictis indicijs stantibus, mulier sollicitata fraternam correctionem prætermiserit, peccabit omnino mortaliter, ex illo principio ab omnibus theologis approbato, quòd Præceptum correctionis fraternæ obligat sub mortali, quando adest probabilis spes lucrandi fratrem. Quod docet D. Thom. *quodlibet.* 1. *art.* 16. Graff. 1. *p. decis. lib.* 2. *cap.* 69. *num.* 18. Hanc opinionem, quòd scilicet hoc peccatum admittat correctionem fraternam, tenui *tom.* 1. *Relig. q.* 1. *cap.* 16. §. 2. *in fine*, cum Ledes. *p.* 2. *summ. tract.* 4. *cap.* 4. *conclus.* 24. *dub.* 2. & in generali multos citaui, censentes etiam, peccatum hæresis fraternam correctionem admittere, & plures citat A Cunha *q.* 18. *num.* 4. quam nunc confirmo ex D. Paulo ad Titum 3. vbi ait: *Hæreticum hominem post vnam, aut secundam correctionem euita.* Quam doctrinam firmat A Cunha, dum *loc. citat. numer.* 14. ait, quòd si quis firmiter existimaret, quòd statim per secretam admonitionem posset huiusmodi mala impedire, correctionem adhibere teneretur; & dicit hanc verè veram esse opinionem D. Thom. 2. 2. *quæst.* 33. *art.* 7. Et verè, cum præceptum correctionis fraternæ sit iuris naturalis, ex Soto *de ratione reg. secr. membr.* 3. *quæst.* 1. *concl.* 1. à Domino renouatum *Matth.* 18. non video, quare in hoc peccato, cum adest spes probabilis lucrandi fratrem, omitti debeat. Cum præsertim præsumendum sit, confessarium vehementissima tentatione, quæ illum dementauerit, ad tale scelus perpetrandum fuisse impulsum. Facit etiam *cap.* 2. *de hæret.* vbi dicitur, *Qui alios, cum potest, ab er-*

rore non reuocat, se ipsum errare demonstrat. Vide Nau.*lib.5.consil.de heret.consil.3.*

27. Neque contra hoc faciunt edicta, quæ solent publicari ab Inquisitoribus, quibus præcipiunt sub anathematis censura, vt quilquis aliquid sciuerit eorum delictorum quorum in edicto mentio fit, statim deferat ad ipsos absque aliqua consultatione. Nam huiusmodi edicta humana intelligenda semper sunt cum modificatione, seruata forma euangelica in admonitione facienda. Quam responsionem admittit Ban. 2.2.q.33 *art.8. dub.1. ad 7.* dum respondet ad replicam argumenti in contrarium. Illud autem, quòd dicuntur huiusmodi delicta absq; consultatione non vult dicere, quòd qui sciuerit, non teneatur fraternè admonere peccantem, sed quòd non debeat cum aliquo consultare, eo quòd huiusmodi delicta multa attentione & consultatione præmissa, existimantur boni communis Christianæ Reipublicæ destructiua. Non tamen veniat in mentem alicuius fidelis mentem pijssimorum Patrum esse, vt in sacramentali confessione non liceat cuilibet statutum suæ conscientiæ scrupulosæ aptè discreto confessori, qui tenebitur, si res dubia est, mittere pœnitentem, vt consulat aliquem ex Patribus sancti officij. Hæc Bannes *loc.cit.*

28. Noto 4. aliquas posse assignari causas, propter quas persona sollicitata non teneatur, saltem statim sollicitantem denuntiare; sed possit & debeat à Confessarijs absolui cum opportunis cautelis. Et prima esse potest metus probabilis mortis, vel truncationis alicuius membri, seu etiam vulneris, præsertim in facie. Qui quidem metus, si cadat in constantem virum, excusabit personam sollicitatam à denuntiatione. Ita A Cunha, *q.59. num.5.* quod probat *ex cap. Cum dilectus, de his qua vi.* Idem dicendum est, si fœmina non suam propriam mortem, sed ipsam filiorum timeat, vel etiam si timeat mortem viri sui, seu etiam consanguineorum & affinium vel domesticorum vt probat Sanch.*lib.4.de matrim. disput.4.per totam*, & à Cunha *loc.cit. num. 6. 7. & 8.* Et ratio est, quia secundùm communem sententiam metus cadens in virum constantem excusat à legis obseruantia: Ita Sotus *lib. 7. de iust. quæst. 2.art. 1. in solut. ad 2.* Syluest. *verbo Metus, quæst. 7.* D.Thom. *2.2. q. 147. artic. 3. ad 2.* vbi ponit hanc conclusionem vniuersalem in omnibus præceptis positiuis & humanis. *Si quis ex rationabili causa statutum non reseruet, præcipuè in casu, in quo legislator adesset, non decerneret esse seruandum, talis transgressio non constituit peccatum mortale.* quando autem dico: In constantem virum, limita, attenta conditione personæ; nam alioquin metus, qui terrebit virum quietum, pacificum, inermem, non terrebit militem rixosum, assuetum armis; & sic de fœmina, in qua minor metus desideratur, quam in viro; Vnde optimè Sanch.*lib.4.de matrim.disp.3. n.2.* metum cadentem in constantem virum resoluit attendendum esse respectu patientis illum.

29. Excusabitur fœmina à denuntiatione, si timeat honoris amissionem. Ita Sanch.*loc.cit.disp.5.n.11.* A Cunha *quæst.59.num.9.* qui alios citat; Nam viro bono grauior est honoris iactura morte ipsa. Sed in hoc cauendum est, ne trepidetur à timore, vbi timor non est, & suadendum mulieri non esse inhonestum comparere coram Inquisitoribus pro catholicæ fidei defensione ad denuntiandum taliuer delinquentes.

30. 3. Si timeat infamiam iuris vel facti, cui non facilè occurri potest. Sanchez *loc.cit.n.14. & 15.* A Cunha *n.10.* Quia timor infamiæ æquiparatur metui mortis *leg. Iusta, ff. de manumissis vind.* Sanchez *num. 15.*

31. 4. Si mulieri sollicitatæ constet de emendatione sollicitantis. A Cunha *quæst. 3. num. 15.* Freita *num. 34.* Et ratio est, quia cum probauerimus, *num. 26.* hoc peccatum fraternam correctionem admittere, si hæc profuit vel sine hac peccatum est emendatum, quòd solùm fraterna correctio requirit, non est cur ad denuntiandum procedatur.

32. 5. Non tenetur mulier denuntiare confessarium sollicitantem, quando hic ex aliarum delatione confessus, vel conuictus abiurauit. Freita ald, ad Cunha, *quæst. 3. num. 34.* Quia tunc de emendatione constat: & sic fœmina, quæ noluit eum denuntiare, absolui poterit, cum iam cessauerit denuntiandi obligatio.

33. Ad vltimum nota, quòd optimè facit confessor, qui in tantum scelus prorupetit, si sponte coram Inquisitoribus compareat, & peccatum suum fateatur; mos enim est sanctissimi illius tribunalis, quod solum puritatem fidei, & fidelium emendationem intendit, vt cum sponte comparentibus mitissimè se habeat. Et prodest etiam ista spontaneà comparitio, quòd, si confessarius deinde denuntiatus fuerit. non recipietur denuntiatio, cum iam denuntiatus discesserit ab illo sanctissimo tribunali emendatus. Ita monet Molfes. *2.p. summ. tract. 7. cap. 14. num. 45.& 46.* qui addit, id procedere, etiamsi sollicitans fuisset denuntiatus hic Genuæ v. g. & ipse sponte comparuisset ante dictam denuntiationem Romæ. Nam non posset ab Inquisitore Genuensi ampliùs puniri iam emendatus cum in vno iudicio, non est molestandus in alio pro eodem delicto: *leg. Senatus, ff. de accusat.* Et docet Tusch. *verbo Condemnatus semel, concl. 573.*

34. Scias denique, datas esse literas omnibus Archiepiscopis, & Vicarijs generalibus eorum *die 3. Octobris. 1626.* subscriptas Cardinalis Millinus, quibus præcipitur dictis Ordinarijs de mandato S. D. N. Vrbani VIII. vt omnibus sacerdotibus tam regularibus, quàm sæcularibus approbandis ad confessiones audiendas, in actu ipso approbationis legatur, & intimetur hæc const. Gregor. XV præsertim §. 9. qui incipit, *Mandantes*; vt eodem tempore sciant confessarij pœnas propositas tanto excessui, & quòd non hortantes, vt debent, pœnitentes sollicitatos ad denuntiandum, vel docentes eos non teneri denuntiare, punientur ab Ordinarijs, vel Inquisitoribus.

CONSTITVTIO V.

Quâ dat formam eligendi Conseruatorem; & decernit, de quibus causis cognoscere possint.

§. 1. *SAnctissimus in Christo P. & Dom. N. Dom. Gregorius diuina prouidentia Papa Decimus quintus, ex certis rationibus causis animum suum mouen. & de voto venerabil. fratrum suorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinal. Concilij Tridentini interpretum, partim felic. recordationis Clementis Papa Octaui prædecessoris sui vestigijs inhærendo, renouauit, ac nullas, & inualidas decreuit omnes, & quascumque Iudicum conseruatorum electiones, nominationes, seu deputationes, tam in vim literarum conseruatoriarum, iuxta formam in quinterno Cancellariæ descriptam, quàm in vim quarumcunque*

cumque priuilegiorum, perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum Apostolica auctoritate concessorum, seu aliàs quocumque iure, vel titulo hactenus factas pro quibuscumque Conuentibus, Capitulis, Militijs, etiam S. Ioannis Ierosolim. Congregationibus, Collegijs, Ordinibus, Monasterijs, Hospitalibus, aut alijs quibusuis pijs, tam sæcularibus, quàm cuiusuis Ordinis, etiam Mendicantium, seu Instituti, vel Societatis regularibus locis, quantumvis exemptis, etiam de necessitate exprimendis, seu illorum personis, cuiusuis qualitatis, seu conditionis existant.

Conseruatores non solum sint in Ecclesiastica dignitate cõstituti, sed etiã iudices synodales.

§. 2. In futurum verò Sanctitas sua hac generali, & perpetuò valitura const. statuit & decreuit, vt Iudices conseruatores huiusmodi, siue principales, siue subrogati, eligi, nominari, aut deputari non possint, nisi non solùm habeant qualitates requisitas & descriptas in constit. similis rec. Bonif. Papæ VIII. etiam prædecessoris sui, quæ incipit, Statutum, ita vt vel dignitate Ecclesiastica præditi, vel personatum obtinentes, vel Ecclesiarum Cathedralium Canonici existant, sed etiam in Concilijs prouincialibus aut Diœcesanis iuxta decretum Concilij prædicti Iudices electi, seu designati sint: Quòdque deinceps literæ conseruatoriæ per Sedē Apostolicam concedendæ, suprascriptis tantùm dirigantur, & si quæ literæ aliter expedientur, illæ, ac deputationes huiusmodi, omniaque exinde sequenda nullius sint roboris, vel momenti.

Pœna contra eligentes Conseruatores non seruata formã hic præscripta.

§. 3. Et nihilominus qui secus, quàm iuxta formã superiùs præscriptam, Conseruatores huiusmodi cum effectu eligere, nominare, seu deputare, aut electis, nominatis, seu deputatis, vti ausi fuerint; Regulares quidē voce actiua & passiua sint ipso iure priuati, adeo vt habitationem à nemine præterquã à Romano Pontifice consequi valeant. Reliqui verò alijs pœnis arbitrio sanctitatis suæ coërceãtur & prædictorum omnium Conuentus, Monasteria, ac loca huiusmodi, eorũq; personæ, ac bona careant conseruatore ad annum, ita vt illorum causæ interea coram locorum Ordinarijs duntaxat cognosci, ac definiri debeant.

Episc. plures iudices Synodales constituãt, quorum si aliquis moriatur, cõstituãt alium cum consilio Capituli.

§. 4. Cæterùm, vt latiùs pateat Conseruatorum huiusmodi deligendorũ facultas, Sanctitas sua admonitos voluit omnes locorũ Ordinarios, vt in synodis prouincialibus, aut diœcesanis quam plures personas ex habentib. qualitates in prædicta const. eiusdē Bonif. prædecessoris contētas & alioquin ad id aptas designari procurent, & si aliquem interim ex designatis mori cõtigerit, substituat Ordinarius loci cũ consilio Capituli alium in eius locum vsq; ad futurã prouincialem, aut diœcesanam Synodũ.

Conseruatores postquã elegerint facultatem habentes debēt id notificare Ordin. & semel electi non possunt per quinquẽnium sine causa ab Ordinario, vel à Papa approbanda amoueri.

§. 5. Insuper Sanctitas sua inhærendo hac in parte decreto similis rec. Greg. XIII etiam prædecessoris sui, statuit & ordinauit, vt Regulares, ac personæ huiusmodi in Italia infra duas, extra Italiam verò infra sex menses, à die publicationis in vrbe præsentis constit. inchoandos, debeant sibi eligere, seu assumere Conseruatores iuxta formam superiùs propositam, eiusque electionis, seu assumptionis documentum infra tempus huiusmodi penes acta Curiæ Ordinariorum exhibere, & dimittere teneantur, alioquin eo termino elapso, quandiu Conseruatores secundum formam præscriptis constit. non elegerint, coram eisdem Ordinarijs conueniantur: Quòdque Conseruatores huiusmodi legitimè deputati, nisi ex legitima causa à Sede Apostolica, aut locorũ Ordinarijs, prout ijsdē Regularibus & alijs supradictis libuerit, approbanda, durante quinquennio à die deputationis amoueri, aut mutari nullatenus possint, aut valeant.

Coram Conseruatoribus possunt conueniri Regulares, non autem alios cõuenire, nec habent Conseruatores iurisdictionem extra Diœcesim.

§. 6. Ad hæc statuit Sanctitas sua, vt corã ipsis Cõseruatoribus Regulares ac personæ suprascriptæ, cõueniri quidē, aut trahi debeant, sed alios conuenire, aut trahere nõ possint, ita vt memorati Conseruatores in causis, in quibus Regulares, & alij actores fuerint, nullam prorsus iurisdictionem habeãt, sed in ijs tantùm, in quibus fuerint deputati, contra quoscumq; procedere præsumant.

Cõtrouersiæ inter Conseruatores, & Ordinarios per arbitros decidantur.

§. 7. Si quæ verò inter Iudices cõseruatores huiusmodi, & locorũ Ordinarios cõtrouersia super cõpetētia iurisdictionis orta fuerit, nequaquã in causa procedatur, donec per arbitros in forma iuris electos super iurisdictionis cõpetētia fuerit iudicatũ.

Conseruatores in suo officio excedētes suspendãtur per annũ.

§. 8. Quòd si qui Conseruatores, siue in hac parte, siue aliàs quomodolibet suos limites excesserint, per annum ab officio Conseruatoris huiusmodi suspensi sint, & pars quæ hoc fieri procurauerit, sententiam excommunicationis incurrat iuxta formam alterius constit. eiusdem Bonif. prædecessoris, quæ incipit, Hac cõstitutione, quam Sanctitas sua in his omnibus quæ præsenti constit. non aduersantur, innouauit, & innouat.

Possunt Regulares, trib. stantibus cõditionib. petere Iudicem à Principe sæculari.

§. 9. Per hoc tamen intendit Sanctitas sua prohibere, quominùs Regulares & alij supradicti in casibus à iure permissis petant iudicē non suspectum à Principibus, seu Magistratibus sæcularibus, dum tamen hæc tria copulatiuè concurrãt: videlicet, vt Regulares & alij prædicti sint actores, non autem rei, vtq; agant contra laicum, non antē contra Ecclesiasticum, vel aliàs à iurisdictione sæculari exemptum; atque vt causa, in qua iudex deputatur, fuerit profana, non autem Ecclesiastica, & in ea iuxta sacrorum Canonum dispositionem laicus vt præfertur, eligendus iudex competens existit.

Clausula sublata & decretum irritans.

§. 10. Quæ omnia & singula in præsenti constitut. contēta Sanctitas sua voluit inuiolabiliter obseruari, decernēs sic in ijs cæterisque omnibus præmissis per quoscunq; &c. etiã sacri palatij Apostolici Auditores, necnon S. R. E. Cardinales sublata, &c. iudicari, &c. necnon irritum & inane, &c.

Derogat contrariis.

§. 11. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac literis conseruatorijs, quas omnes ad formam præsentis constit. reduxit, in fauorē quorumcunq; Ordinum tã mendicantiũ, quã non mendicantium, militiarum etiã

S. Ioannis Ierosolimit. Congregationum, Societatum, aut cuiusuis alterius Instituti, etiam necessariò exprimendi, Collegiorum, Capitulorum, Ecclesiarum, Monasteriorum, ac piorum quorumcumque tam sæcularium, quàm regularium locorum, necnon illorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, priuilegijs quoq; etiā ex causa, & titulo oneroso, indultis, & literis Apostolicis, etiam Marimagno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, sub quibuscumq; tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, etiā motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque tenoribus, & formis specialis, & indiuidua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita, obseruata, inserti forent, præsentibus pro expressis habens, quibus quò ad ea, quæ præsentibus aduersantur, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, & expressè derogauit, cæterisque contrarijs quibuscumque.

Publicati mandat.

§. 12. *Cæterùm, vt præsens constitutio faciliùs omnibus innotescat, Sanctitas sua voluit, & mandauit, vt non solùm in Cancellaria Apostolica, sed etiam ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie campi Floræ publicetur, illiusque exempla in ijsdem locis affixa dimittantur; ac in quinterno Cancellariæ inter constitutiones perpetuas describatur, & annotetur. Placet publicetur, & describatur. A.*

Lecta & publicata fuit supradicta constit. in Cancellaria Apostolica ab altero ex R. P. D. maioris præsidentiæ Abbreuiatoribus die 10. mensis Septemb. anno Incarn. Dom. 1621. Pontif. verò prælibati S. D. N. D. Greg. Papæ XV. anno 1. Et postmodum die, & anno supradictis in quinterno eiusdem Cancellariæ inter alias constit. Apostolicas descripta, & annotata fuit, Nicolaus Vrsinus Procustos.

§. I.

1. NOto 1. quòd memorat ordinationem quandam Clem. VIII. quæ incipit, *Sanctissimus*, datam, *die* 19. *Martij anno* 1592. sui Pontificatus anno 1. quam refert Moneta *de Conseru. c.* 5. *num.* 145. & Cherub. *tom.* 3. *bull. in constit.* 3. *Clem. VIII. pag.* 3. in qua præcipit duo. Primum, quòd Conseruatores habeant conditiones requisitas *in cap. Statutum, de rescrip. in* 6. Secundum, quòd sint depotati Iudices synodales in aliqua Synodo prouinciali, vel diœcesana, iuxta decretum Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 10. *de reform.* Sed quia in aliquibus locis, etiam tempore ipsius Clem. non fuit vsu recepta, non habuit vim legis; saltem post decennium. Constitutio enim vsu non recepta, non ligat; *cap. In istis*, §. *Leges*, *dist.* 4. Tunc autem dicitur constitutio non esse vsu recepta, quando, Principe sciente, per aliquot actus contrarios excluditur; eo autem ignotante: vbi per decennium negligitur. Ita Gutier. *lib.* 1. *can. quæst. cap.* 8. *n.* 3. Couarr. *lib.* 1. *var. cap.* 16. *num.* 6. *versu Sunt, qui huius.* Panorm. *in cap.* 1. *de tregua, & pace, num.* 4. Ideo hic Pontifex de nouo reualidauit, & perpetuo durare decreuit. Pro Conseruatoribus vide Gratian. *in decis. Prouinciæ Marchiæ decis.* 170. & Io. Cruz *de statu Relig. lib.* 2. *cap.* 10.

2. Noto 2. quòd Conseruator secundùm ius commune est iudex à Papa datus ad defendendos aliquos contra manifestas iniurias, iudiciali nō vtens indagine. Ita habetur *in cap. Statuimus, de off. iud. deleg. in* 6. Azot *tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 35. *quæst.* 1. Moneta *de Conseru. cap.* 2. *num.* 8. Mir. *tom.* 2. *man. quæst.* 47. A Sotbo *in comp. verb. Conseruator, versu Sunt autem, pag.* 158. Passar. *in notab. priu. not.* 32. Secundùm autem priuilegia Regul. de quibus hic *infrà*, *num.* 4. est iudex datus ad tuendos Regulares ab iniurijs illis illatis: Et cum secundùm ius commune sit index delegatus solummodò ad manifestas iniurias repellendas, vt Azor *quæst.* 2. Moneta *num.* 11. (licèt si etiam in multis à delegato differat,) de quibus Azot *quæst.* 5. & Mir. *art.* 3. tamen secundùm priuilegia est iudex ordinarius, vt patet ex const. Greg. XIII. de qua hic *infrà, num.* 4. & est datus ad vniuersitatem causarum. Is autem dicitur datus ad vniuersitatem causarum, cui sub vno vniuersali verbo commissæ sunt causæ omnes, vt Menoch. *lib.* 1. *de arb. quæst.* 67. *num.* 48. Et Conseruatoribus Regul. mandantur omnes causæ ad ipsos Regul. pertinentes. Mon. *c.* 7. *de Conseru. num.* 40. Quare ex hoc etiam conoincitur, quòd dictus Conseruator in hoc ordinario iudici comparetur, vt Confect. *in comp. tit.* 4. *cap.* 7. *versu Præterea.* Vnde non erit necesse, quòd in citationibus inserat literas conseruatorias, sed sufficiet, quòd de eis constet in actis Notarij Curiæ Ordinarij. Poterit etiam subdelegare, vt dicam §. 2. *num.* 5.

3. Noto 3. quòd dare Conseruatorem nullus potest, præter Papam. Rodriquez *tom.* 1. *q. regul. q.* 65. *art.* 2. Mit. *concl.* 2. Vide Mon. *de Conser. cap.* 4. vbi probat, Papam posse dare Conseruatorem; & *quæst.* 2. quærit, an Concilium generale id possit; & *q.* 3. an Cœtus Cardinalium; & *q.* 4. an Legati Papæ: & *q.* 5. an, & quando Princeps supremus sæcularis id possit; & *q.* 6. an Principes sæculares superiorem recognoscentes.

4. Noto 4. quòd Regularibus possunt à summo Pontifice dari Conseruatores. Et quò ad personas ipsorum Regularium extra Conuentuum claustra degentium constat satis apertè ex Trid. *sess.* 7. *c.* 14. *de ref.* Quo verò ad ipsa Monasteria, seu Conuentus, vel Religiones, constat ex eodem Concilio, *sess.* 14. *cap.* 5. *de reform.* ibi, *Vniuersitates autem generales*, &c. Nec fuisse sublatos Conseruatores ab eodem Concil. *sess.* 14. *cap.* 5. *de reform. cap.* 20. quatenùs vbi dicitur, quod *omnes causæ ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, in prima instantia coram Ordinarijs locorum dumtaxat cognoscantur*, censuit sacra Congregat. Concilij, etiam quòd causæ graues sint, plenariam cognitionem requirant. Ita refert Farin. 2. *p. decis. decis.* 616. *num.* 4. & de facto à plurimis summis Pontificibus, tam ante, quàm post dictum Concilium omnibus Regul. dati sunt Conseruatores. Nobis Minimis à Iul. II. in constit. eius 4. §. 6. & Clem. VII. in constit. eius 1. in qua dat dictis Conseruatoribus modum procedendi in causis

fratrum

frattum Ordini Prædicatorum à Pio V. per illius constit. *Ad hoc nos Deus prætulit*, apud Cherub. *in Pio V. sub constit. eius* 41. *pag.* 333. *à* §. 14. Et Societati Iesu à Greg. XIII. per suam const. 1. apud Cherub. *tom.* 2. *bull pag.* 361. quæ incipit, *Æquum reputamus.* Alia vide apud Rodriq. *tom.* 1. *q. regul. q.* 65. *art.* 3. & Monet. *de Conser. cap.* 6. *q.* 3. *à n.* 12. Mir. *tom.* 2. *man. q.* 47. *art.* 4.

§. II.

5 NOto 1. quòd licèt Conseruator secundùm ius commune *cap. fin. de ind. deleg.* §. *Vices quoque suas*, non possit alium subdelegare; tamen quia per literas conseruatorias id Regularibus conceditur, vt patet supra ex constit. 1. Clem. VII. §. 3. ibi: *Quatenus vos, vel duo aut vnus vestrum, per vos vel alium, seu alios*, cum clausula, *Non obstantibus constit. de iudicibus delegatis, & Conseruatoribus*, vt patet ex §. 4. dicendum est, quòd Conseruator potest alium Subconseruatorem subdelegare, & probat bene Mon. *de Conser. c.* 7. *n.* 58. & Rodriq. *loc. cit. art.* 10. A Sotbo *in comp. tit. Conseruator, pagin.* 159. *versu Item Conseruator* 3. Passarell. *in notab. priu. notab.* 35. & supponit hic expressè Papa, ibi, *Siue principales, siue subrogati.* Vnde etiam confirmo quod dixi *supra num.* 3. Conseruatorem esse ordinarium, Subdelegatus tamen debet habere omnes conditiones requisitas ad Conseruatorem constituendum, vt patet *ex cap. Statutum*, §. *In nullo, fine, de rescrip. in* 6. vbi Glossa *verbo Designatis, & cap. fin.* §. *Vices quoque, de ind. deleg.* vbi Glossa *verbo Superius.*

6 Noto 2. quòd vult Papa, vt Conseruatores, seu subdelegati ab ipsis, habeant primò conditiones descriptas, & requisitas *in cap. Statutum. de rescript.* Et præterea quòd sint iudices synodales. Quò ad 1. in dicto cap. sic ait Bonif. VIII. illius capitis auctor: *Sancimus, vt nullus, nisi dignitate prœditis, aut personatum obtinentibus, seu Ecclesiarum cathedralium Canonicis, causa auctoritatem literarum Sedis Apostolicæ, vel Legatorum eiusdem de cætero committantur.*

7 Circa hoc statum 1. aduerte verbum illud, *Sancimus*, per quod nouam legem condi significatur; Abbas. 1. *p. consil. consil.* 102. *num.* 4.

8 Aduerte 2. quòd licèt dignitas, & personatus sæpe sint synonima, vt dixi *supra in constit.* 2. *Iulij II.* §. 29. *nu.* 97. & constat *ex cap. Cum accessissent, de constit.* tamen in propria significatione accepta distinguuntur. Vnde dignitatem habere dicitur is, qui habet aliquam præeminentiam, seu administrationem rerum Ecclesiasticarum, cum iurisdictione: Personatus est quædam prærogatiua in Ecclesia sine iurisdictione, vt qui habet stallum honorificum in choro præ alijs Canonicis, etiam ante receptis, minorem tamen dignitatibus. Ita Mon. *de Conser. c.* 5. *q.* 7. *à num.* 84.

9 Aduerte 3. quòd non est necesse, quòd prædictas dignitates, vel personatus obtineant, qui in Conseruatores eligendi sunt, in aliqua Ecclesia cathedrali; quod requirebatur *in cap. fin. de ind. deleg.* §. 1. Sed sufficit, quòd dictas dignitates, vel personatus habeant, vt patet ex ipso contextu verborum, qui est valde diuersus à contextu *cap. fin. cit.* Vnumquodque enim membrum hic ponitur omnino disiunctiuè, & absque aliqua dependentia ab alio; At in alternatiuis vnum sufficit verificari; Abbas *in cap. Inter cæteras, de rescrip. num.* 1. Graff. *libr.* 3. *de cas. rese. cap.* 2. *num.* 7. Et habetur *in reg. In alternatiuis*, quæ est 70. *de reg. iur. in* 6.

10 Aduerte 4. quòd Canonici de iure communi non possunt esse Conseruatores, siue sint Canonici cathedralis, siue collegiatæ Ecclesiæ, non enim nominantur *in cap. fin. de ind. deleg.* vbi dicitur, *Conseruatores de cætero deputari non possint, nisi Episcopi, vel eorum Superiores, aut Abbates, seu dignitates, vel personatus in cathedralibus, vel collegiatis Ecclesiis obtinentes*, vbi, patet, Canonici non nominantur, atque ita Glossa ibi, *verbo Obtinentes*, dicit, quòd hæc est vna differentia inter Conseruatorem, & iudicem delegatum, quòd Canonicus Ecclesiæ cathedralis potest esse iudex delegatus non potest tamen esse Conseruator; Intellige tamen, nisi Canonicanti dignitas, vel personatus annexa sint. Ita Mand. *de signat. gratiæ, verbo Conseruatoria, versu Sed quod Canonicus.* Mon. *de Conser. cap.* 5. *q.* 8. *n.* 117. Rodriq. *tom.* 1. *q. reg. quæst.* 65. *art.* 3. Vide Riccium 3. *p. praxis, resol.* 349. Et colligitur claré ex constitut. 1. Clem. VII. §. 4. ibi, *Quòdque vos filij Canonici*: derogat enim omnibus contrarijs; & ait etiam ijs: *Quòdque vos filij Canonici*, &c. Constat etiam ex constit. Innoc. VIII. suprà, §. 4. ibi: *Ac Canonicis Ecclesiarum.* Cum enim deputasset in Commissarios dictæ const. omnes in Ecclesiastica dignitate constitutos, subdit: *Ac Canonicis.* Et ex const. 4. Iulij II. §. 6. ibi, *etiam Canonicos.* At quòd secundùm priuilegia prædicti Canonici non solùm cathedralis Ecclesiæ, sed etiam collegiatæ possint esse Conseruatores, patet ex tit. prædictæ const. Clem. VII. & etiam ex conseruatoria Greg. XIII. data Iesuitis, de qua dixi *num.* 4. Quod etiam approbat Greg. XV. §. 2. quò ad Canonicos Ecclesiæ cathedralis. Et dicit Gratian. *in decis. pron. Marchiæ decis.* 70. *in addit. n.* 3. Itaque nunc Canonici collegiatæ non possunt esse Conseruatores. Plura videri possunt circa Canonicos apud Monet. *loc. cit. à num.* 118.

11 Ex dictis colligitur 1. quòd Prior conuentualis potest esse Conseruator. Ita Rodriq. *tom.* 1. *q. regul. quæst.* 65. *artic.* 3. *versu Secundò est notandum*, Capella Tolus. *decis.* 13. *num* 3. Mir. *tomo* 2. *manu. quæst.* 47. *artic.* 3. *conclus.* 3. Passar. *in not.* 33. *versu Tamen per priuilegium.* Mon. *de Conser. c.* 5. *quæst.* 2. *num.* 24. Sanchez *lib.* 6. *in decal. cap.* 13. *num.* 79. & quod possint esse Prælati, delegati apostolici *num.* 78. Et constat, quia sunt in dignitate Ecclesiastica constituti, & quia isti possunt esse iudices delegati; *clemen.* 2. *de rescr.* Et clariùs patet ex constitution. 1. Clem. VII. vbi Prioribus conuentualibus illa conseruatoria dirigitur. Et quod dico de Prioribus, & Correctoribus, intelligo de Prouincialibus, & Generalibus non tamen de Vicarijs aliquorum Conuentuum, si sint amouibiles ad nutum Prælati, nec de Prioribus claustralibus S. Benedicti; quia isti non possunt esse iudices delegati, vt constat *ex dicta clem.* 2. *de rescr.* Sed nunc ista doctrina cessat per declarationem S. Congregat. factam *anno* 1617. *die* 6. *Octobris*, quam refert Cochier *de exemp. p.* 1. *quæst.* 39. *num.* 5. *fine.*

12 Colligitur 2. Cardinales posse esse Conseruatores, quia maximam habent dignitatem; *cap.* 1. *de off. Leg. in* 6. *& c. Felicis, de pœnit. eod. lib.* Ita Mon. *loc. cit. quæst.* 3. *à num.* 33. qui id latè probat.

13 Colligitur 3. Episcopos, & Abbates posse esse Conseruatores, quia expressè nominantur *in cap. fin. de iud. deleg.* Et etiam eorum Superiores, vt Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi. Latè probat Mon. *loc. cit. quæst.* 4. *à num.* 40. Et patet etiam, quia dictis diriguntur literæ conseruatoriæ à Clem. VII. vt patet *suprà*, *ex eius constit.* 1. Et aduerte, quòd per Abbates intelliguntur non

solùm ij, qui in Monasteriis Regularium hoc nomine nuncupantur, sed etiam Abbates Clericorum secularium, vt S.Math. S.Antonij. Ita Mon. *loc.cit.q. 6.num.79. & 80.*

14. Colligitur 4. Vicarium generalem Episcopi posse esse Conseruatorem. Ita Sbrozz. *lib. de officio Vicarij q.27. num.9.* Mit. *tom. 2. man. q.47. art. 2. conclus.2.* Rodriq. *loc.cit.art.3. versu Ex his.* Probabilem putat Mon. *de Conser.c.5.q.5. num.66.* Et ratio est, quia Vicarius Episcopi habet dignitatem, quæ nihil aliud est, vt dixi, quàm administratio rerum Ecclesiasticarum cum iurisdictione. At secundum priuilegia non est dubium; Vicarijs enim Episcopi, seu eius Officialibus, quod idem est (vt probat Sanch.8. *de matr.disp.27. num.29.* Sbrozz. *de offic. Vic lib.1.q.2.num.40. & q.7. per totam*) diriguntur literæ conseruatoriæ Clem.VII. Secùs tamen est de Vicario foraneo; Sbrozz. *lib 2.de offic.Vic.q.27. nu. 25.* Mon. *loc.cit. num.62.* quia non potest esse delegatus Papæ, vt patet *ex Clem. 2. de rescr.*

15 Colligitur 5. Archidiaconum, Archipresbyterum, Primicerium, Præpositum, Decanum posse esse Conseruatores. Ita Confect. *in sum.priu. cap.5.* Mon. *de Conseru c.5.q.7 nu.*88. 89. 91. *&* 95. quia hi omnes dignitatem habent Ecclesiasticam. Posse etiam Priorem sæcularem Ecclesiæ Collegiatæ. Mon. *loco cit. num. 94.* quia hic habet dignitatem, vt Nauarr. *lib. 1. consil. de maior. & ob. consil. 4. num. 3.*

16 Colligitur 6. quòd obtinentes in Ecclesia cathedrali præbendam, seu ordinariam theologalem, aut pœnitentialem, cantoratum, aut succentoratum, possunt esse Cōseruatores; quia isti omnes personatum habent. Ita Mon. *de Conser. cap.5. à num.99. q.7.* Quod si qui forsan alij in aliquibus particularibus Ecclesiis habeant aliquod officium, quod secundùm communem existimationem dignitatem, vel personatum dicat, isti etiam poterunt in Conseruatores eligi.

17 Colligitur 7. Vicecancellarium Papæ, Camerarium, summum Pœnitentiarium, Clericos Cameræ, Auditorem Curiæ causarum dictæ Cameræ, Auditores Rotæ, Referendarios, Protonotarios posse eligi in Conseruatores, quia isti omnes habent dignitatem, vt probant Mon. *de Conser.cap.5. à n.*106. Et de Protonotariis Massob. *de Synodo diœces.cap.4. dub.12.* De ætate scientia & moribus Conseruatorum vide Mon. *loc.cit.q.11.à num.155.* Vnum Regulares admonendos velim, vt semper personas doctas & discretas eligere curent in Conseruatores, quę possint, velint & sciant ius suum vnicuique tribuere, & proprium defendere.

18 Itaque has omnes personas supradictas in Conseruatores, secundùm ius commune & priuilegiorum certum est posse eligi. Sed secundùm nouissimum ius huius constit. requiritur præterea, quòd prædicti ad hoc vt idonei censeantur, sint electi iudices synodales, iuxta statutum Concilij Trid. *sess. 25.c.10. de reform.* in aliqua prouinciali vel diœcesana Synodo. Quod etiam præceperat constit. Clem. VIII. cui ista dicitur inhærere, vt dixi *n.1.* Concil. autem Trid. solùm requirit, vt designandi in iudices synodales habeant conditiones requisitas *in c.Statutum, de rescr.in* 6. E præterea, quòd sint personæ ad id aptæ, id est secundum scientiam, ætatem & mores iuxta *c.Cum in cunctis, de elect.*

19 Et aduerte, quòd Canonicus Collegiatæ, qui sit Doctor, non potest constitui iudex synodalis, quia *in c.Statutum* dicitur, quòd: *Ecclesiarum Cathedralium Canonici solùm possint constitui iudices synodales*, vt patet *ex n* 6. Et cùm Trid *dicto c.10.sess.25. de reform.* requirat, quòd iudices synodales habeant conditiones *dicti c. Statutum*, sequitur clarè quod dixi. Ita etiam tenet Massob. *de Syn.diœc. c.4. dub.10.num 5.* qui *num.15.* refert declarationem sacræ Congreg. quam ipse dixit se consuluisse in hæc verba: *An possit eligi in iudicem synodalem Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ, qui sit Doctor, si non extant in cathedrali Doctores, saltem ita idonei. Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Trid. interpretum censuit, Canonicum Collegiatæ Ecclesiæ eligi non posse in iudicem Synodalem, Subscripta C. Cardinalis de Torres.* Contrariū sensit Ricc. *p.1. suæ praxis dec.637.n. 5.* sed non moueor, nihil enim affert quod concludat.

20 Aduerte etiam, quòd qui dignitatem dimisit, non potest constitui iudex synodalis, quia requiritur vt eligendi actu in dignitate sint, vt patet *ex dicto cap.statutum*, & Trid. *loc.cit.* Ita Massob. *de Syn. diœc.cap.4.dub.13.* Verum quidem est, quòd si is, qui dignitatem dimisit, antequam dimitteret, aliquam causam cœpisset, post dimissionem posset eam prosequi & terminare, quia sufficit, ab initio fuisse capacem. Ita declarauit sacra Congregatio die 21. Maij, anno 1587.

§. IV.

21 NOto 1. quòd Concilium Trid. *sess.25.c.10. de reform.* decernit, quòd creentur saltem quatuor, aut plures iudices synodales in qualibet Diœcesi, & si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci cum consilio Capituli alium in eius locum vsque ad futuram prouincialem, aut diœcesanam Synodum.

22 Noto 2. quòd Pontifex admonet Ordinarios, vt plures iudices synodales constituant, ne Regulares pro Conseruatorum penuria cogantur aliquam iacturam pati. Et verbum, *Moneo*, hic non incongruè posset intentari, pro *Præcipio*; est enim negotium graue, & quod multùm damni potest afferre indigētibus Conseruatorum, præsertim in magnis populis, vbi plurimi reperiuntur Regulares.

23 Noto 3. quod Consilium Capituli in casu mortis alicuius ex dictis iudicibus requiritur pro forma; quare Ordinarius illud præterire non poterit; *cap.nouit; cap. Quando, de his quæ fiunt à Prælat.* Poterit tamen non sequi, qui enim tenetur consilium petere, ad illud sequendum non obligatur. Panor. *in cap.Cum in veteri, de elect.* Rodriq. *tom.1.q.regul.q.3.artic.17.*

24 Si quæras, an Ordinarius possit id committere suo Vicario.

℞. Posse; qui tamen Vicarius tenebitur eiusdem Capituli consilium requirere. Habetur *c.Cùm in veteri, de elect.* vbi Panor. *n.3* Et nota hic etiam, quòd non sufficit consilium petere post actum deliberatum, sed debet postulari in ipso tractatu; Nec etiam sufficit petere debito tempore, nisi tempore congruo expectetur responsum; *dicto cap. cum in veteri*, vbi Panor. *n.7.*

25 Sed, quid, si Capitulum debito tempore non respondeat, vel plus debito differat? Dico, quod tunc potest Episcopus, ipsius Capituli responso non expectato, per seipsum prouidere. Panor. *loc.cit.n.8.*

26 Sed quid etiam, si Episcopus postulando consilium à Capitulo, arctaret se ad finem præfixum pro isto actu terminando, & ita vt Capitulum congruū tempus non habeat ad respondendum? Dico, quòd nihil valet prouisio ab Episcopo facta. Panor. *loc.cit. n.9.* quia sine consilio determinat; & ita dicitur declarasse sacram Congregationem.

27 Sed quid, si iudex synodalis non moriatur quidem, sed se per longum & diuturnum tempus absentet? Dico, quòd hoc casu idem faciendū est, ac in casu mortis nam diuturna absentia

æquiparatur

æquipatatur morti. Et ita etiam dicitur declarasse sacram Congreg.

28. Sed ad quosnam ex synodalibus, diœcesanis vel prouincialibus pertinet dictos synodales iudices nominare? Dico principaliter ad Episcopum, vel Archiepiscopum, seu Synodo præsidentem; non tamen priuatiuè ad alios. Atque ita declarauit sacra Congreg.

29. Sed quantum durat officium iudicium synodalium? Dico quòd vsque ad futuram Synodum prouincialem, vel diœcesanam, siue sint electi principaliter in Synodo, siue loco mortui, vel absentis suffecti. Ita statuitur in Trid. *sess.* 25. *de reform. cap.* 10. *& in hoc* §. 4.

§. V.

30. NOto 1. quòd decretum Greg. XIII. de quo hic refertur à Quaranta *verbo Priuilegia Regul. versu Insuper sciendum*, *pag.* 514. A Sorbo *in comp. tit. Conseruatores, in prin. pag.* 158. quòd sic habet: *Greg. XIII. omnibus Regularibus concessit, vt in Ciuitatibus Italiæ sibi Conseruatores eligerent, coram quibus conuenirentur, semelque electos non, nisi in Capitulis prouincialibus, mutarent, eorundemque nomina intra mensem à die electionis Episcopis locorum Ordinariis indicerent, alioquin coram ipsis Ordinariis conueniri possent.*

31. Noto 2. quòd tenentur Regulares instrumentum electionis Conseruatoris exhibere, & relinquere apud Notarium Curiæ Ordinariorum infra tempus hic statutum, ad tollendas fraudes, quæ in hoc possent fieri.

32. Noto quòd Conseruatores sic electos non possunt Regulares per quinquennium amouere; statim enim ac electi sunt, censentur ab Apostolica Sede deputati. Vnde ad libitum electorum amoueri non possunt. Concedit tamen Pontifex, vt ex legitima causa, puta negligentia, impotentia, inimicitia, approbanda ab Ordinario, vel à Papa, prout magis Regularibus, & aliis placuerit, amoueri possint.

§. VI.

33. PErit hic §. vt de iurisdictione Conseruatorum breuiter dicamus. Quæ iurisdictio quia alia est secundùm ius commune, *cap.* 1. *& fin. de iud. deleg. in* 6. Alia secundùm priuilegia Clem. VII. Pij V. Greg. XIII. & aliquorum Pontificum, de quibus dixi *num.* 4. Alia secundùm hanc constit. ideo debeo de illis distinctè dicere.

34 Noto ergo 1. quòd Conseruatores secundùm ius commune, *cap.* 1. *& fin. de iud. deleg.* non possunt cognoscere nisi de manifestis iniuriis, & violentiis. Nec possunt cognoscere de his, quæ iudicialem requirunt indaginem. Per iudicialem autem indaginem intelligitur ea causæ cognitio, & examinatio, quæ à iudicibus adhiberi solet in rebus dubiis. Ita Glossa *dicto cap.* 1. *verbo Indaginem.*

35. Iniuria verò dicitur, quicquid non iure fit. Ioan. Andr. *cap.* 1. *de iud. del. in princ. verbo Iniuriis.* Comprehenditque hoc nomen violationem priuilegiorum, nam iniuria est priuilegia violare. Io. And. *cap. fin. de iud. deleg. num.* 3. Comprehendit etiam culpam, & contumeliam, atque iniquitatem, & iniustitiam. Host. *in sum. tit. De iniuriis, num.* 1. Farin. 3. *p. prax. crimin. lib.* 3. *quæst.* 05. *inspect.* 1. *num.* 1.

36. Fit autem iniuria tribus modis; re, verbis, & literis. Ita Host. *loc. cit. num.* 3. Farinac. *num.* 2. Re fit iniuria quoties manus infertur. Verbis autem fit iniuria per conuicium. Literis verò fit iniuria, cum quis librum, vel carmen, vel historiam ad infamiam alicuius pertinentem scribit, vel componit, vel edit, mandat, vel consulit, vel dictat, vel exemplat, vel in publico legit, vel emit, vel vendit, vel retinet, vel affigit in publico, vel publicat, vel inuenit, & non comburit, vel carmina, seu cantiones in alterius infamiam compositas cantat. Et nota, quòd de famoso libello agi potest criminaliter secundùm leges ad pœnam capitis contra omnes dictos, vt Host. *loc. cit.* & Farinac. *loc. cit. à num.* 421. *inspect.* 11. Sed secundùm Canones supradicti omnes flagellantur, & excommunicantur, *cap. Qui in alterius: & cap. Si qui.* 5. *quæst.* 1. quas omnes pœnas, tam temporales, quàm Ecclesiasticas in talia præsumentes per sacras leges, & canonicas sanctiones latas confirmauit Pius V. per suam constit. 147. apud Cherub. *tom.* 2. *bull. pag.* 359. quæ incipit, *Romani Pontificis.* Vide Farinac. *loc. cit. inspect.* 11. *à num.* 442. vbi aduertit *num.* 469. quòd eisdem pœnis tenetur, qui fores stercorauit vel eisdem cornua affixit, vel qui obscœnas picturas in alterius infamiam in aliquo loco posuit; & *num.* 474. ait, idem esse, etiam si libellus, seu charta, seu scriptura nomen illius, cui infamia irrogatur, non contineat, dummodò aliunde constet, de quo libellus voluit intelligere. Vnde collige, quid sit libellus famosus; est enim cópositio in scriptis in infamiam alicuius facta, eius, quod probare non vult, in publico iactata, vel in loco, vbi inueniatur. Ita Sil. *verbo Libellus quæst.* 4.

37. Violentia est iniuria quædam cum vi, & impetu personis, vel rebus facta, & est quintuplex secundùm Menoc. *in præl. de recuper. possess. à num.* 38. Prima dicitur ablatiua, quando per vim aliquid aufertur. 2. est expulsiua, quando per vim de possessione eiicitur. 3. est compulsiua, quando per metum quis compellitur facere aliquid, quod sponte aliàs non erat facturus. 4. dicitur turbatiua, cum possessor in sua possessione turbatur. 5. inquietatiua, quæ parum ab hac 4. differt; est cum quis non sinit alium vti se sua quiete, vel alter, eo inuito, vult ædificare in suo fundo. Videatur Tusch. *verbo Vis, & violentia, concl.* 514.

38. Manifestum est quod per facti euidentiam ita notorium est, vt examinatione non indigeat, vel si indigeat, potest tamen probari claré, & certitudinaliter per multos testes, & ita quòd negari non possit. Ita Tusch. *verbo manifestum, concl.* 71. *num.* 7. Ioan. Monac. *cap.* 1. *num.* 3. *de iud. deleg.* His positis.

39 Certum omnino puto, Conseruatorem posse cognoscere de omnibus iniuriis, & violentiis dictis, & in his cognoscendis adhibere eam iudicialem indaginem, quæ in notoriis communiter adhiberi solet. Ita Moneta *de Conser. cap.* 7. *quæst.* 3 *num.* 90. *&* 93. Miran. *tom.* 2. *man. quæst.* 47. *art.* 7. *concl.* 1. *&* 3. Rodriq. *tom* 1. *quæst. regul. quæst.* 65. *art.* 11. Molin. *tom.* 6. *disp.* 29. *num.* 2. Et habetur manifestè *in dictis cap.* 1. *& final. de iud. deleg.*

40. Solùm potest esse difficultas in eo, quod dixi, in his cognoscendis posse Conseruatores adhibere eam indaginem quæ in notoriis communiter adhiberi solet, cum textus in dictis capitibus videantur esse contrarij. Sed hoc etiam est certum, & probat optimè Moneta *loc. cit. num.* 78. quia ita illud cap. 1. exposuit Innoc. qui & illius auctor fuit, explicando enim *num.* 4. verba illa: *Ad alia,* ait: *Præterquam in notoriis, quia in notoriis, bene habebunt indaginem, & num.* 6. *in fine* ait: *Expone ergo sic literam, quia non habebit indaginem, supple*

in non notoriis. Ita etiam, Io. Andr. *dicto cap. in princ.* & alii apud ipsum Mon. Et patet etiam ratione quia cum committatur iurisdictio in notoriis, necessariò committuntur ea, sine quibus illa non potest exerceri; non potest autem punire aliquos de notoriis, nisi eos citet, & citatos, & contumaces puniat in expensis. Ita Io. Andr. Innoc. Mon. *loc. cit.* Azor. *tom. 2. lib. 5. cap. 35. quæst.* 8. qui addit, quòd si delictum est notorium aliis, non sibi habet ius quærendi, & cogendi testes ad dicendum testimonium. Item quando notorium est delictum, & nescitur, quis illud patrauerit, procedere potest per inquisitionem generaliter, non specialiter, Insuper si reus, qui fuerit condemnatus, & excommunicatus, comparuerit intra annum, & dixerit se velle satisfacere, potest Conseruator cognoscere de grauitate damni illati, vel iniuriæ factæ. Sensus ergo illorum verborum *Nec ad alia*; &c. est, quòd Conseruatorum iurisdictio non se extendat ad dubia & obscura, in quibus verificandis & probandis omnino specialis requiritur indago. Quo eodem pacto intelligendum est *cap. fin.* quod solùm huius est enuntiatiuum; Pro qua explicatione adduco *cap. Ad nostram, el 3. de iure iur.*

41. Nec solùm possunt Conseruatores defendere Regulares à manifestis iniuriis, iam illatis, sed etiam ab his, quæ probabiliter creduntur inferendæ. Io. Andr. *dicto cap. 1. princ.* Io. Menoch. *ibi, num.* 5. Molin. *tom. 6. quæst.* 29. *num.* 2. Azor. *tom. 2. libr. 5. cap. 35. quæst. 7. versu Si iterum quæras* Mir. *tom. 2 man. quæst. 47. art. 7. conclus.* 4. Cum enim periculum est in mora, potest iudex incontinenti suis vti armis ad seruandos sua defensioni commissos. v. g. si videat aliquos paratos cum armis ingredi ad damnificandum aliquod Monasterium, potest hoc pacto in illos excommunicationem ferre, Excommunico omnes, qui cum armis talem locum intrauerint, vel aliquod damnum dederint; Et si iniuria fuerit illata, potest per censuras Ecclesiasticas compellere reum ad satisfaciendum. Azor, Mir. *locis cit.*

42. Neque solùm potest in prædictis causis contra Clericos procedere, sed etiam contra laicos. Rodriqu. *tom. 1 quæst reg. quæst. 65. art. 11. concl. 2.* Mir. *loc. cit. concl.* 3. Probatur *ex cap. Cum sit generale, & cap. Conquestus, de foro comp.* Facit etiam Trid. *sess. 22. cap. 11. de reform.*

43. Sed insurgit in hoc magna quæstio, quomodo Conseruator possit de supradictis causis cognoscere; an scilicet criminaliter, an ciuiliter, an mixtè: Sed priùs declarandi sunt termini, in quorum declaratione sudant Doctores. Clarus *lib. 5. pract. crim. §. fin. quæst.* 1. Menoc. *de arb. casu* 165. Nau. *in rubr. de iudic. à num.* 31. Fusè Farinac. *3. p. prax. crim. q.* 100. Mon. *de Conser. cap. 7. quæst 2. à num.* 208. Germon. *tom. 2. lib. 1. animad. cap.* 19.

Breuiter dico, quòd de delictis potest agi in iudicio criminaliter, ciuiliter, & mixtè. Agitur criminaliter, quando agitur principaliter de crimine, & particulariter ad publicam vtilitatem. Ciuiliter, quando agitur ad priuatam vtilitatem. Mixtè, quando de crimine agitur particulariter ad publicam vtilitatem, & particulariter ad priuatam. Exemplum sit in furto. Damnificatus à fure agit contra illum in iudicio, vt furca suspendatur, vel fustigetur, &c. Hic agitur de furto criminaliter ad publicam vtilitatem, cuius maximè interest, vt fures ad aliorum exemplum castigentur. 2. potest. damnificatus solùm de furto agere ciuiliter, vt sibi restituatur res ablata, de pœna iure furibus debita nihil curans, immo illam remittens; si autem contra dictum furem agat in iudicio particulariter, tum ad restitutionem pecuniæ, dicetur agere mixtè. Ita Nauar. *loc. cit. num. 31. & 34* Clarus *num. 2. & 7.* Farin. *num. 4. 6. & 54.*

44. Ad quæsitum ergo respondeo, quod Conseruatores non possunt cognoscere, stando in iure communi, de prædictis iniuriis, & violentiis manifestis criminaliter, neque mixtè. Ita Mon. *loc. cit. num.* 253. Tum quia punire delicta ad publicam vtilitatem ad Iudices ordinarios pertinet, *cap. Placuit 6. quæst.* 3. Conseruatores autem secundùm ius commune diximus esse delegatos. Tum quia Conseruatores dantur ad priuatam vtilitatem, vt patet *ex cap. 1. fin. de offic. del.* Ciuiliter autem de prædictis causis cognoscere sine dubio possunt Conseruatores. Ita Mon. *loc. cit. num.* 267. & sequitur clarè ex dictis, cum enim de prædictis iniuriis cognoscere possint per prædicta, *cap. 1. & fin de iud. del.* nec possint criminaliter, neque mixtè, sequitur necessario, quod possint ciuiliter cum non detur 4. species procedendi in iudicio, ab istis tribus totaliter distincta.

45. Pro prædictis verò causis, etiam ciuiliter procedendo, poterit censuris Ecclesiasticis vti, brachium sæculare inuocare. Azor *tom. 2. lib. 5. cap. 35. quæst.* 10. Mon. *de Conser. cap. 7. num.* 279. Probatur *ex cap. Sanè, el 2. de iud. deleg.* & supponitur *in cap. Auctoritate, de priuil. in 6.* Cum enim mandatur alicui negotium, mandatur etiam id, sine quo illud impleri non potest, & frustra datur iurisdictio, quæ non est cum coactiua coniuncta. Cum autem Conseruatores contra Episcopos debebunt agere, adhibeant semper cautelam requisitam *dicto cap. Sanè, vt* cum eis, tanquam cum Prælatis Ecclesiæ, modestè, & patienter, ac reuerenter se gerant.

46. Si quæras, an stando præcisè dispositioni dictorum capitum 1. *& fin de Iud. deleg.* possint Regulares, vt actores coram suo Conseruatore reos, siue Clericos, siue laicos trahere.

Respondeo posse. Io. Andr. *dicto cap. fin num.* 2. Io. Mon. *ibid.* Mon. *de Conser. cap. 7. quæst. 6. num.* 318. & probant ea illis verbis positis dicto cap. fin. *Conseruatores non præsumant trahere vltra vnã dietam.* Ergo à contrario sensu intra illam possunt trahere. Verbum autem, *Trahere*, proprium est actoris ad iudicium reum trahentis, vt constat clarè ex verbis huius §. quem explicamus, ibi *alios conuenire, aut trahere non possint.*

47. Aduerte etiam, quòd Conseruator debet in his causis pronuntiare, delictu messe notorium, aliàs sententia sua, quæ debet fundari super notorio, esset nulla. Tusch. *verbo Conseruatores, concl. 760. num.* 5.

48. Noto 2. quòd secundùm priuilegia Regularibus concessa certum est primò, Conseruatores esse iudices ordinarios. Ita eos vocat Greg. XIII. in conseruatoria pro Iesuitis apud Cherub. *in constit. 1. Greg. §. 2.* Secundò eos posse cognoscere de omnibus causis, tam manifestis, quàm non manifestis, patet ex illis clausulis. *Quæ specialem requirunt indaginem, Contradictores quoslibet compescendo, Conseruatores & iudices*, quæ habentur *supra in constit. 1. Clem. VIII.* per quas conceditur iurisdictio iudicialis etiam in non manifestis. Farinac. 2 *part. decis. decis. 616. numero 3. & 4.* Tertiò possunt cognoscere de omnibus causis, tam criminalibus, quam mixtis, atque ciuilibus. Patet *ex dicta const. 1. Clem. VII. §.* 2. & ex conseruatoria Greg. XIII. pro Iesuitis, ibi, *Vt in quibuscumque causis, tam ciuilibus, quàm criminalibus, ac mixtis* Quartò possint Cõseruatores cognoscere de omnibus

omnibus his causis, sint Regulares rei, vel actores; Patet *ex dicta const. Greg.* §. 2. Quintò possunt Conseruatores nostri Ordinis apostatas, & se ab obedientia subtrahentes, censuris Ecclesiasticis, & aliis pœnis ad Religionem reuocare quod est speciale in nostra conseruatoria Clem. VII. quod puto remanere in suo robore, etiam post istam constit. Greg. XV. nullum enim adest vestigium, quod monstret, intendisse Papam hoc reuocare. Sextò possunt Conseruatores per huiusmodi priuilegia articulum ab aliis inchoatum prosequi. Patet ex §. 5. conseruatoriæ *Clem. VII. supra*, Quod puto etiam permanere in suo esse, si elapso quinquennio, vellent Regulares alium sibi eligere Conseruatorem, qui haberet conditiones hac const. requisitas, vel loco defuncti, &c. Hic sic electus posset prosequi articulum à suo prædecessore inchoatum; de hoc enim nihil præscribitur hac constit. Videatur Rodriq. *quæst. tom.* 1. *quæst. reg. quæst.* 65. *art.* 9. Septimò possunt citare per edictum, vbi tutus non pateat accessus ad personaliter citandum. Constat *ex const. Clem. VII.* §. 3. & ex conseruatoria Greg. XIII. pro Iesuitis §. 3. Octauò possumus Conseruatores eligere, etiamsi non sint in Ciuitatibus, in quibus, deputati sunt Conseruatores. Patet *ex constit. 1. Clem. VII.* §. 2. & const. secu. Gregor. XIII. §. 3 Nono possunt etiam trahere ad suum iudicium personas existentes extra Ciuitates, & Diœceses, in quibus deputati sunt Conseruatores, dummodò non trahant vltra tres dietas, idest 60. milliaria. Patet *ex dicta const. Clem. VII.* §. 4. *& Greg. XIII.* §. 6.

49. Noto 5. quod Gregor. XV. hoc §.° statuit, quòd Regulares solùm possint conueniri tanquam rei coram suis Conseruatoribus, aliosque autem tanquam auctores coram eis possint conuenire, atque ita statuit prout de iure, *cap. Si Clericus, cap. Cum sit, de foro comp. & leg. 2. C. de iur. omn. iud.* quod actor sequatur forum rei.

50. Sed dubium est, an hoc procedat in omnibus causis. Saluo semper iudicio meliùs iudicantis, dico, quod hoc non procedit, nisi in causis ciuilibus eorum, qui aliquam pecuniæ summam ipsis Regularibus debent, siue eam debent ex locatione, legatis, testamentis, &c. De aliis autem manifestis iniuriis, & violentiis, Regularibus, siue eorum bonis illatis, possunt Conseruatores, cognoscere, etiamsi Regulares actores sint, secundùm formam iuris communis *cap. 1. & fin. de iud. deleg.*

51. Moneor 1. quia hic Pontifex videtur velle extendere ad Regulares statutum Conc. Trid. *sess. 14. cap. 4. de refor.* vbi determinarunt, quod qui habent Conseruatores, non possint in causis ciuilibus coram eis aliquem trahere; sed solùm possint coram eis trahi; in causis verò criminalibus, & mixtis dictæ personæ Conseruatorem habentes conueniant coram suo Episcopo vel alio Superiore suo ordinario. Vnde apparet, quod Concilium facit differentiam in modo procedendi quò ad causas criminales, & mixtas, à modo procedendi quò ad causas ciuiles in his enim vult, vt habentes Conseruatores actiuè quidem coram eis neminem trahere, sed forum rei sequantur? passiuè autem trahi equidem possint; in causis verò criminalibusè contra vult, vt prædicti habentes Conseruatores, passiuè quidem coram suis Episcopis, & ordinariis Superioribus trahantur, actiuè autem coram dictis Conseruatoribus trahant. Ad hoc enim dantur Conseruatores, vt à molestiis, iniuriis, & violentiis sub tutela receptos conseruent illæsos, & defendant, & hoc modo intelligit Concilium. Gutier. *pract. quæst. libr. 3. quæst. 9. num.* 15. *&* 16. quo eodem prorsus modo puto intelligendam hanc const. in qua Concilij multa verba referuntur, vt patet *ex* §. *sequ.*

52. 2. Quia alioquin non apparet, à quibusnam debeant Conseruatores conseruare; vnde potiùs dicendi erunt iudices dati pro ministranda iustitia Regularibus, quàm Conseruatores.

53. 3. Cum maxima esset quæstio inter Doctores, an Regulares possent coram suis Conseruatoribus suos debitores conuenire, stante dicta dispositione Concilij, vt videri potest apud Gutier. *loc. cit.* & Rodriqu. *tom. 1. quæst. reg. quæst. 65. art.* 12. licèt aliqui affirmarent, vt Guido Papæ *quæst.* 18. *fine*, & Rodriq. *loc. cit.* Qui negabant tamen, vt Gutier. concedebant, quod Regulares possent conuenire suos molestatores, & inquietatores in iniuriis notoriis, & manifestis, excludendo ab his eos, qui nollent notoriè, & manifestè, quæ debebant, Regularibus soluere, vt patet ex dicto Gutrier. *num.* 16. Vnde, cum hic Pontifex hanc litem quò ad debitores diremerit, reliqua in suo statu liquisse dicendum est. Vide Cochier *de exempt. p. 1. quæst. 39. num. 31. & de conser. quæst.* 4.

54. 4. Quia hic casus videtur in iure expressus? *cap. Conquestus; & cap. Cum sit, de foro comp.* vbi dicitur. *Cum sit generale, vt actor forum rei sequatur. Verum quoniam sæculares iudices in exhibenda iustitia personis Ecclesiasticis sæpe in iudicio sunt remissi, in fauorem Ecclesiæ est introductum, vt malefactores suos, qui sacrilegi sunt censendi, venerabilium locorum Rectores possint sub quo maluerint iudice conuenire*; Ergo cum ius commune ab illa generali regula, *Actor sequitur forum rei*, quam hic videtur approbare Pontifex, excipiat eos qui malefecerint publicè, & notoriè Regularibus, eorum bona diripiendo, dissipando, inuadendo, molestando, iniuriando, violentando; Dicendum est, quòd etiam hic Pontifex velit hunc casum excipere. Et quòd solùm intendat, , quòd Regulares actores forum rei sequantur in exigendis pecuniis, sibi à debitoribus debitis; in reliquis autem relinquat antiquos Canones; & constitutiones in sua dispositione. Videatur Mon. *de Conseru. cap. 7. quæst. 6. num.* 343. qui etiam hunc casum excipit.

55. 5. Id non obscurè innuitur in illis verbis in fine huius §. positis *Contra quoscumque procedere &c.* Et vult dicere, quòd Conseruatores non possint procedere ad instantiam eorum, quorum sunt Conseruatores, contra quoscumque reos existentes extra Ciuitatem, & Diœcesim in qua fuerint deputati Conseruatores, trahendo illos ad suum tribunal. Sicut enim dixi hic *supra num.* 46. quòd per illam clausolam positam in cap. fin. *Aut aliquos vltra vnam dietam trahere* possint Conseruatores cognoscere de manifestis iniuriis, etiam quando Regulares erunt actores, ita etiam dico hic; cum hæc clausula desumpta sit *ex dicto cap. fin.* in quo etiam per illam, *vltra vnam dietam trahere*, declaratur. Quæ clausula non ideo hic omittitur, quia nolit Papa fratres vt actores posse coram suis Conseruatoribus dictos reos trahere, sed quia non vult, vt possint eos vltra vnam dietam fine Diœcesum trahere, quod ibi conceditur.

56. 6. Tandem hanc sententiam certam omnino reddit hæc declaratio sacræ Congreg. *In constitutione de Conseruatoribus edita à S. M. Greg. XV. ex sententia sacræ Congreg. Concil. inter cætera statutum est, vt coram Conseruatoribus Regulares conueniri quidem, aut trahi debeant, sed alios conuenire, aut trahere non possint, ita vt memorati Conseruatores in causis, in quibus Regulares, & alij actores fuerint, nullam prorsus iurisdictionem habeant, sed in iis tantùm, in quibus rei extiterint.*

Dubitatur nunc, an per hæc verba sublata sit facultas,

cultas, quam habent Conseruatores defendendi Regulares, & alios à manifestis iniuriis, & violentiis, quæ illis de facto inferuntur, dum à suis possessionibus deiiciuntur, & propriis bonis vti, ac frui impediuntur.

Sacra Congreg. Card. Concil. Trid. interpretum censuit eiusmodi verbis minime sublatam fuisse facultatem, quàm habent Conseruatores, defendendi Regulares à manifestis iniuriis, ac violentiis, dummodò obseruent formam præscriptam constitutionibus Innoc. IV. & Bonif. VIII. relatis in cap. 1. & fin de off. deleg. in 6. C. Card. de Torres. loco † sigilli. Prosper Fagnatus S. Congreg. Secr. Romæ ex Typographia R. Cameræ Apostol. 1524.

57 Aduerte etiam circa illam clausulam, *Neque extra ciuitates, seu Diœceses*, &c. quòd habet duplicem sensum. Primum, quòd ipsi Conseruatores existentes extra Ciuitates, & Diœceses, in quibus fuerint deputati, non possint Conseruatores officium exercere, bene tamen poterunt tunc alteri existenti in loco, in quo ipsi deputati fuerint, suas vices committere, vt Mon. *de Conf. cap. 7. quæst. 2. num.* 61 Cochier *de exempt. quæst. 39. num.* 20. Secundum, quòd non possint suam iurisdictionem exercere, nisi cum existentibus in Ciuitatibus, & Diœcesibus, in quibus fuerint Conseruatores deputati; secundum quem vtrumque sensum seruanda est. Postulat enim æquitas, vt minùs quàm fieri potest, partibus, præsertim reis, præiudicetur. Videatur, Rodriq. *tom. 1. quæst. reg. quæst. 65. art. 7. & 8.* Mon *loc. cit. num.* 376.

§. VII.

58. NOtu, quòd idem statuitur in Concilio Trid. *sess. 14. c. de refor.* In Iure autem de arbitris agitur *in cap. Cum speciali, cap. Secundò requiris, de appell. cap. Si quis contra Clericum, de foro comp. cap. Suspicionis, de off. deleg.* Vide quæ dico *tom. 1. Relig. quæst. 1. cap. 19. §. 1.*

59. Quæres 1. an. Conseruator possit vt suspectus recusari.

Respondeo, si agatur de manifestis iniuriis Religiosis illatis secundùm formam *cap. 1. & fin. de off. deleg.* & pœna sit à iure imposita, non potest vt suspectus recusari; quia tunc videtur se habere tanquam merus executor, qui cum grauare non possit, neque etiam poterit recusari. Si verò pœna non sit à iure imposita, sed illius arbitrio relinquatur tunc poterit recusari; etiamsi iniuria sit manifesta. Ita Panor. *in cap. Si quis contra Clericum de foro comp. num.* 11. Farinac. 1. *pag. prax. crim. q.* 21. *num.* 130. Vide Cochier *de exempt. pag. 1. quæst. 39. num. 33. de confer. p. 2. q. 10.*

60. In aliis verò causis, de quibus potest cognoscere Conseruator iuxta hanc constit. & in quibus Regulares rei sunt, dico, quòd adhuc potest recusari, per communia iura, *cap. Si quis contra Clericum, de foro comp. & cap. Secundo requiris, §. Tertio Postulas, de appel.* & Concil. Trid. *sess. 14. cap. 5. de reform.* & tunc eligendi arbitri, qui de causa recusationis cognoscant. Vide *tom. 1. Relig. cit.* Et si vis scire propter quas causas potest iudex tanquam suspectus recusari, vide *loc. cit. Relig.* §. 2. Et aduerte, quod Conseruator, si recusetur, potest alteri causam subdelegare tamen, quia delegatus principis potest subdelegare Vide Cochier *de confer. q. 10. num. 5.*

61. Quæres 2. an à Conseruatore possit appellari.

Respondeo, In notoriis iniuriis, & violentiis appellari non potest; nam in notoriis non admittitur appellatio; *cap. Cum sis Romana, §. Sin autem; cap. peruenit; cap. Consuluit, el. 1. cap. Cum speciali, §. Porro de appell. & cap. Romana, §. Si autem, de appell. in 6.* Et probat, quamplurimis Doctoribus adductis, Farin. 1. *p. prax. crim. quæst. 21. numer.* 117. Quod tamen est intelligendum, nisi excederet in infligenda pœna. Idem Farin. *ibid. num.* 118. Abbas *in cap. Cum speciali, num. 3. & cap. Ad nostram, numer. 1. & cap. Reprehensibilis, fine, & cap. De priore, numer. 2. de appell.* In aliis autem causis dubiis, de quibus secundum hanc const. possunt cognoscere Conseruatores, potest ab eis appellari. Mon. *de Conf. cap. 9. numer.* 176. Probatur *ex cap. Venientes, de iureiur. cap. de re iud.* Appellandum autem ad Papam; Tusch. *verbo Conseruatores, concl. 760. numer. 6.* Anchar. *consil. 72. numer.* 1. Innuit Gratian. *in decis. prou. march. decis. 60. numer. 3.* Cochier *de exempt. quæst. 39. numer. 23. & de confer. pag. 2. quæst.* 16. quia Conseruatores dantur à Papa, cui immmediatè subduntur Regulares. Non est tamen appellandum ab his, nisi post definitiuam sententiam, vel interlocutoriam continentem grauamen, quod per definitiuam reparari non potest. Mon. *loc. cit. numer.* 180. Quæ autem sint grauamina, quæ per definitiuam reparari non possunt, Vide *tom. 1. rel. cap. 2. versu Aduertendum tamen, quæst.* 1.

§. VIII.

62. NOta, quòd Bonif. VIII. *cap. fin.* quod incipit, *Hac constit. de off. deleg.* statuit, quòd Conseruatores excedentes limites in sua iurisdictione sint eo ipso ab officio suspensi, & pars, quæ hoc fieri procurauerit, eo ipso excommunicationem incurrat. Erat autem magna quæstio inter Doctores, an illa suspensio, ab officio esset Ecclesiastica censura, & priuaret iis omnibus, quibus ipsa censura priuat, vt videri potest apud Mon *de Confer. cap. 7. quæst. 12. numer.* 160. Sed hic Pontifex hanc quæstionem soluit, declarando, quòd solùm sint suspensi per annum ab officio Conseruatoris, potestateque illud exercendi: & congruit, *cap. Prouida, de elect. in 6. cap. 1. de translation. Episcopi.*

63. Aduertendum tamen, quod ad dictam suspensionem incurrendam *in dicto cap. fin.* requiritur scientia, dicit enim ibi Bonif. VIII. *Conseruatores, qui scienter intromiserint*, & licèt ista particula *hic* sit omissa; cum tamen velit; vt pars, quæ hoc fieri procurauerit, sententiam excommunicationis incurrat, iuxta formam *dicti cap. fin.* dicendum est, quòd etiam iuxta eandem formam incurratur suspensio, si scilicet scienter se intromiserint. Atque ita non incurreret dictam suspensionem, qui id faceret ex ignorantia, etiam crassa, & supina, bene tamen qui ex affectata, aut si illa crassa, ita foret, vt esset ingens temeritas, iuxta sententiam Suar. *tom. 5. in 3. part. disp. 31. sect. 3. numer.* 17. & Sanch. *lib. 9. de matr. disp. 32. numer. 36. &* 39. Rodriq. *tom. 1. quæst. 65. art.* 19. illa enim dictio, *Scienter*, claram iuris notitiam denotat. Quando autem ignorantia sit crassa, & supina, vide Sanch. *loc. cit. num. 32. & 33.*

64. Aduerte etiam, quod Conseruator, qui fuerit sic suspensos ab officio, elapso anno, statim absque alia absolutione est restitutus per ea, quæ dixi *supra, in const. 1. Iulij II. §. 16. numer.* 21. quando enim suspensio est temporalis, elapso tempore, statim cessat, vt ibi probaui.

65. Noto 2. quòd pars, quæ scienter procuraoerit

uerit Conseruatores excedere limites potestatis traditæ hac constitutione, incurrit sententiam excommunicationis eo ipso, à qua non potest absolui, nisi ei, quem sic molestauit indebitè, primò satisfaciat integraliter de expensis, quæ est forma posita *in cap. Hac constitutione*, quod est *fin. de iud. deleg. in* 6. Et licèt *dicto cap fin.* non sit illa particula, *Ego ipse*, tamen ex eo quòd ibi dicitur, *incurrat*, significatur, illam pœnam eo ipso incurri, vt notat Glossa, ibi, *verbo incurrat*.

66. Aduerte etiã, quod qui id procurat, debet esse pars, non tertia persona, & procuratio debet esse cum effectu, idest, quod Conseruator, procurante parte, processerit, vt Suar *tom. 5. in 3. part. disp. 23. sect. 4. num.* 10 addita ratione; quam affert *num.* 7. & ista excommunicatio non incurritur, nisi a sciente; vnde etiam ignorantia crassa, & supina excusat, iuxta dicta *num.* 63. Ab ea autem ante compensationem impensarum nemo potest absoluere, nisi solus Papa; post compensationem poterit Episcopus Azor *part. 2. lib. 5. cap. 35. quæst. 13.* Mon. *de Conser. cap. 7. num.* 591. Licèt etiam possit dici in sententia eorum, qui tenent; quod ab excommunicatione nemini reseruata potest quilibet sacerdos absoluere, quòd cum hæc excommunicatio post compensationem nulli reseruetur, possit à quolibet sacerdote absolui. Vide Doctores hoc sentientes apud Mon. *loc. cit. num.* 590.

§. IX.

67. CONcedit quòd habentes Conseruatorem, in casibus à iure permissis, id est, in quibus dicti erunt actores, possint petere iudicem non suspectum à Principibus, seu Magistratibus sæcularibus, qui iudex non sit excommunicatus, neque suspensus, neque interdictus, modò has tres conditiones copulatiuè concurrant. Et si vis scire, quomodo causa dicatur profana, Vide decis. Rotæ coram Ludouisio, *decis.* 174. *num.* 7. Hic causa profana, dicitur ad differentiam causæ sacræ, seu spiritualis, & est idem, quod causa temporalis.

68. Sed quid? si causa merè profana non sit, sed mixta, & spirituali adhærens, poterunt ne hoc casu Regulares à Principe laico iudicem petere? Nequaquam Namque, quæ alteri digniori adhæret, sumit naturam eius, vnde desinit esse profana. Germ. *de sacror. imm. lib. 3 cap. 12. num.* 10. Ad vltimum nota, quod Conseru. tenentur sub mortali, quando fuerint electi, acceptare. Probat Rodriq. *loc. sæpius cit. art.* 4. nisi causa legitima excuset.

CONSTITVTIO. VI.

Quæ est decretum sacræ Congreg. Concil. in quo statuit, quòd non fundentur noui Conuentus, nisi in iis possint sustentari duodecim fratres, & quòd alij Religiosi ibi habitantes vocentur.

Memorat constit. Clem. VIII. quæ incipit. Quoniam, apud Cherub. tit. bull. const. pag. 146.

§. 1. *CVm aliàs fel. rec. Clemens Papa VIII. decreuerit Ordinarijs locorum licentiam ad nouos Conuentus cuiuscumque præsertim Mendicantium, Ordinis in Ciuitatibus, & locis eorum ordinariæ iurisdictioni subiectis erigendos impertiri non posse, nisi vocatis & auditis aliorum in eisdem Ciuitatibus & locis existentium Conuentuum Prioribus, seu Procuratoribus, & alijs interesse habentibus; & causa, seruatis seruandis, cognita, in ijsdẽ Ciuitatibus & locis, nouos huiusmodi erigendos Conuentus sine aliorum detrimento cõmodè sustentari posse constiterit: Si verò ab eorum sententijs ad Sedem Apostolicam prouocari & appellari contigerit, ipsos Ordinarios tandiu erectionem nouorum Conuentuum suspendere debere, quandiu à dicta Sede in ea causa pronuntiatum extiterit, ac aliàs, prout in decreto huiusmodi plenius continetur.*

Conuentus non fundantur nisi vbi tantum fratres sustentari possint, & vocentur alij fratres, etiã circumuicini ad quatuor millia passuum.

§. 2. *Verùm per piæ mem. Paulum Papam V. accepto, plerosque ex Ordinarijs prædictis fauore, vel nimia exposcentiũ importunitate, ad nouos Conuentus, seu domus, præter & contra tenorem prædicti decreti erigendo plerumque adduci, quo fit, vt non habita debita eleemosynarum, seu redituum cuiuscumq; Monasterij, Conuentus, seu domus ratione, Monachi, seu fratres, aut Religiosi ibi degentes manuteneri nequeant, & ad tam exiguum numerum redukantur, vt cultus diuinus in eorum Ecclesiis destituatur, ibique regularis disciplina, vt conuenit, conseruari non valeat. Sacra Congregatio illustr. DD. Cardinalium negotijs Regularium præpositorum, ad quos idem Paulus Papa V. negotium huiusmodi rejecerat, tot incommodis obuiam ire, eisque aliquod opportunum remedium adhibere cupiens, decreti huiusmodi veriores, ac totos tenores præsentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro plenè & sufficienter expressis habens, viuæ vocis oraculo à S. D. N. Gregorio Papa XV. habito, decretum prædictum, quatenùs opus sit, innouat & in vsum reducit Volens, quòd de cætero Monasterium, Conuentus, domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium cuiuscunq;, etiã mendicantium, Ordinis, Societatis & Instituti, quocunque nomine nuncupentur, etiãsi de illis particularis, expressa & specifica mentio habenda esset, in quacunq; Ciuitate, vel Oppido, seu quocunq; alio loco non erigantur, nisi in eo saltẽ duodecim fratres, aut Monachi, seu Religiosi inhabitare, ac ex reditibus, & ex cõsuetis eleemosynis sustẽtari valeant; ac Priores, seu Procuratores aliorũ Monasteriorum, Conuentuum, seu domorum aliarum Religionum vel Congregationum, aut Societatũ, seu Institutorũ huiusmodi, nõ solùm in prædictis, sed etiam in alijs per quatuor millia passuum circumuicinis locis ad id vocati & auditi fuerint, ac tali erectioni consenserint, vel aliàs Ordinarijs locorum constiterit, Religiosos Monasterij, Conuentus, seu domûs regularis sic erigendi, seu erigendæ, absque detrimento Religiosorum in Monasterijs, seu domibus anteà in Ciuitatibus, seu locis huiusmodi erectis degentiũ ibi in numero 12. commodè & congruè manuteneri & ali posse.*

§. 3.

Vbi nulli alij Regulares habitant, Episcopi ab incolis inquirant, an possint 12. fratres commodè alere.

§. 3. Si verò noui Conuentus, domus, Congregatio, vel Societas huiusmodi instituenda erunt, nullique alij Regulares inibi reperiantur, Ordinarij locorum nihilominùs diligenter inquirant, an locorum incolæ & habitatores, quorum & consensum requirant, ac adhibeant huiusmodi duodecim Religiosos in Conuentibus, vt præsumitur, instituendis, commode alere & manutenere valeant.

In casu appellationis totum negotium ad Cong. deuoluatur.

§. 4. Si verò à decreto, seu decretis per Ordinarios prædictos in causis huiusmodi ferendis legitimè appellari contigerit, ex nunc, prout ex ea die qua appellatio interponetur, ea ad eandem sacram Congregationem, unà cum toto negotio principali deuoluta censeatur; appellationeque huiusmodi pendente nihil innouandum esse.

Decretum irritans.

§. 5. Irritumque & inane quidquid secùs super his à quoquam quauis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernens; quibuscunque in contrarium facien. non obstantibus. Romæ 17. *August.* 1621. *Anton. Cardin. Santius. Locus † sigilli. N. Zambeccarius Secretar.*

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1. Vide quæ dico *suprà, in const. Pyrrhi num.* 48. *&* 49. Et nota, quòd non dicitur acquiri nouus Conuentus, quando in eadem Ciuitate vel Oppido fit mutatio de vno ad alium locum. Ita Rodriquez *tomo* 2. *quæst. regul. quæst.* 49. *artic.* 9. Quia tunc nullum fit præiudicium alijs Religiosis, nisi fortè per accidens, ratione propinquitatis. Et ratio est, quia locum mutantes iam habent ius eleemosynas quærendi in dicta Ciuitate vel Oppido.

2. Nota etiam, quod si aliqui Regulares omninò dereliquissent, & spontè aliquem Conuentum, non possent post multum temporis absque solemnitatibus hic requisitis illum reassumere; quia possent esse damni aliis Religiosis, eo tempore ibi habitantibus. Contrarium sentit Rodriq. *loc. cit.*



VRBANI VIII.

Itali, Florentini, Thadæi Barberini filij, ad summum Pontificatum assumpti anno Domini 1623. die sexta Augusti, qui dedit Ordini nostro infra scripta.

CONSTITVTIO I.

Quâ cõfirmat priuilegia Minimorum ex certa scientia.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.



Iniuncti nobis Apostolici muneris ratio postulat, vt sacrarum Religionum in militanti Ecclesia suaues in Domino fructus assiduè producentium, paternam curam gerentes, priuilegia, gratias & indulta, illis à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, & Apostolica Sede concessa, quò validiùs perpetuò subsistant, Apostolicæ confirmationis robore libenter communiamus.

Confirmat prout in summario.

§. 1. Volentes igitur vniuersum Ordinem fratrum Minimorum S. Francisci de Paula, ex quo vberrimi in eadem Dei ecclesia fructus ad ipsius omnipotentis Dei laudem, & Christianæ Reipublicæ spirituale commodum & vtilitatem, ab ipsius Ordinis initio semper prodierunt, & in dies prodeunt, ac ipsius Ordinis Correctorem generalem & fratres vniuersos specialibus fauoribus & gratijs prosequi, ac eorum quemlibet à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, alijsque ecclesiasticis sententijs, censuris & pœnis à iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, supplicationibus eorum nomine per dilectum filium Deodatum Lomellinum fratrem & Procuratorem generalem eiusdem Ordinis nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, omnia & singula priuilegia, immunitates, exemptiones, libertates, prærogatiuas, fauores, conseruationes, declarationes, facultates, dispensationes, gratias, concessiones, indulgentias, & indulta spiritualia, etiam per modum communicationis, & extensionis inter se, & cum alijs Ordinibus, Mendicantium, &

non

non Mendicantium, eidem Ordini Minimorum, eiusque Correctori generali, ac fratribus, & sororibus, aliisque Religiosis utriusque sexus, eorumque domibus, Monasteriis, Ecclesiis, & locis regularibus quibuscumque per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & Apostolicam Sedem, sub quibuscumque verborum formis, & expressionibus in genere vel in specie, ac aliàs quomodolibet concessa, ac pluries confirmata, cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis, decretis, & declarationibus, ac singulas litteras, tam sub plumbo, quàm in forma Brevis, aut aliàs desuper confectas quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, quatenus tamen sint in vsu, & non reuocata sint sub aliquibus reuocationibus comprehensa, ac sacris Canonibus, & Concilij Trid. decretis non aduersentur, ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illisque perpetuæ, & inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos, tam iuris, quàm facti defectus, si qui interuenerint in eisdem, supplemus.

Commissarios deputat. §. 2. *Quocirca venerab. fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque locorum Ordinariis quibuscumque, necnon dilecto filio causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel ipsorum quilibet eorum, quandocumque fuerint requisiti, per se, vel alium, seu alios, præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque vbi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Correctoris generalis, & fratrum prædictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant easdem plenum eorum effectum sortiri, illisque omnes, quos concernunt, pacificè frui, & gaudere; Non permittentes, quempiam desuper contra præsentium tenorem sub quovis prætextu, & causa, etiam defectu intentionis nostræ, per quoscumque quomodolibet indebitè molestari; quinimmo quicquid in contrarium attentari, vel fieri contigerit, omnino semper in pristinum reponi; contradictores quoslibet, & rebelles etiam per quascumque, de quibus eis videbitur, censuras & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, ac, legitimis super his habendis seruatis processibus, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.*

Derogat contrariis. §. 3. *Non obstantibus præmissis ac piæ mem. Bonif. Papæ VIII. etiam prædecessoris, nostri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur, aliisque Apostolicis constitutionibus, & ordinationibus, ac Ordinum prædictorum statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis; priuilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus, & formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis, & innouatis; quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, etiam quod in eis caueatur expressè, quòd illis nullatenus, aut non nisi sub certis modo, & forma derogari possit, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata insertis forent, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, motu, scientia, & auctoritate similibus derogamus, contrariis quibuscumque, Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.*

§. 4. *Verum quia difficile foret præsentes litteras, vbicumque opus esset deferri, volumus, & pariter auctoritate Apostolica decernimus quòd illarum transumptis manu alicuius ex Secretariis cuiusvis prædictorum Prælatorum generalium, ac Romanæ Curiæ Commissarij & successorum, aut Notarij publici subscriptis, & sigillo officij alterius eorundem, aut personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, seu Curiæ Ecclesiasticæ munitis eadem prorsus fides in iudicio, & extra illud adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibita vel ostensa. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscat. die 28. Iunij, 1624. Pontificat. nostri anno I.* Transumptis fidem adhiberi iubet.

CONSTITVTIO II.

Quâ concedit, quòd fratres Minimi se possunt obligare ad suffragia perpetua.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Apostolicam decet benignitatem vltimis piè testantium voluntatibus fauere, & vt illæ suum sortiantur effectum, etiam strictiorum Ordinum regularia instituta interdum relaxare, maximè cum relaxatio huiusmodi ad diuini cultus incrementum tendere dignoscitur, & vota personarum regularium, præsertim reformatarum, hoc à nobis exposcunt. Proœmium.

Motiua & facti narratio

§. 1. Sanè nobis exponi nuper fecit dilectus filius Bartholomæus Leuius Prouincialis Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula in Prouincia, & Comitatu nostro Venaissino, quòd de anno Domini 1609. tunc in humanis agens Magdalena de Lagnet, dum viueret Domina in temporalibus Oppidi de Causans, deuotionis zelo ducta, titulo donationis irreuocabilis, quæ dicitur inter viuos donauit, dicto Ordini septem millia scuta monetæ, duo millia videlicet ad effectum construendi Ecclesiam sub inuocatione Assumptionis Diuæ Genitricis Mariæ, & Conuentum dicti Ordinis in Ciuitate Carpentoract. & quinque millia scuta ad sustentationem 12. Religiosorum dicti Ordinis, electa per ipsam sepultura in dicta Ecclesia, sub Sedis Apostolicæ beneplacito sic construenda, pro eius corpore humando, oneratisque eius hæredibus, quiqui fuerint, vt si ipsa non dedisset dicta scuta septem millia Ordini prædicto statim, ea functa vita, darent ipsi duo millia scuta ad effectum prædictum Prouinciali dicti Ordinis pro tempore præsenti: reliqua verò quinque millia scuta darentur in pensionem annuam ad fauorem dicti Conuentus. Cumque pro dicta Ecclesia, & Conuentu construen. locus commodus in dicta Ciuitate non reperiretur, bonæ mem. Horatius tunc Episcopus Carpentoracten. Oratorium prope, & extra mœnia castri, seu fortalitij loci de Venasco Carpentoraten. Diœcesis, ad mensam illius episcopalem spectans, ac minimè collatiuum, eisdem fratribus obtulit; ipsaque Magdalena donatrix requisita de eius consensu dictis fundationi, & donationi eiusdem præstando, anno Domini 1613. declarauit, se gratum habere, dictam Ecclesiam, Conuentum, per eam fieri ordinatum, in Ciuitate Carpen. fieri & erigi in dicto Oratorio quatenus supradictus Horatius Episcopus illud, sub dictæ Sedis Apostolicæ beneplacito, à mensa episcopali dismembrare, & sine aliquo onere pro constructione dictæ Ecclesiæ liberare concederet. Et nihilominus idem Horatius Episcopus Oratorium prædictum non purè, & liberè dictis fratribus concessit iuxta mentem Fundatricis, immo sub diuersis oneribus & conditionibus: Vnde mortua dicta Magdalena de anno eiusdem Domini 1615. institutis hæredibus vniuersalibus dilectis filiis Presbyteris doctrinæ Christianæ Auenionen. introductoque iudicio in Rota pro consecutione dictorum septem millium scutorum ad effectum prædictum, fuit denegata pro tunc executio, quia assignatio dicti Oratorij non fuerat facta liberè: Quod vt componeret fel. rec. Gregorius Papa XV. prædecessor noster, ad supplicationem venerab. fratris Coturi moderni Episcopi Carpentoracten & dilecti filij Ioannis à Turre tunc Prouincialis Ordinis Minimorum in dicta Prouincia, & Conuentu Venaissino, onera quæcumque in dicto Oratorio apposita Apostolica auctoritate in Conuentum Auenionen. eiusdem Ordinis transtulit, Oratoriumq; prædictũ in omnibus, & per omnia exonerauit; iterumq; petita exequutione in Rota & ostẽsa liberatione Oratorij, fuit relaxatũ mandatum.

Motiua aduersariorum pro non soluendo legato.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti aduersarij more reorum solutionem dictorum septem scutorum millium effugere, aut saltem protrahere omni eorum conatu satagentes, dederint vltimo loco de obstantia Regulæ dicti Ordinis Minimorum, qua expressè cauetur, ne dicti Religiosi, qui sub perpetua quadragesimali vita, & ex mendicatis eleemosynis viuunt, perpetuas missas, seu aliqua suffragia perpetuò particulariter, in specie, ac vltra quinquaginta annos suscipere valeant; Cumque donatio prædicta habeat huiusmodi onera & conditiones requisitas, licet credatur, eas omnino fore reiiciendas, ac fauore piæ causæ, Ecclesiæ scilicet construendæ, ac alimentorum dictis duodecim Religiosis præstandorum, iuris interpretatione haberi pro non appositis, concurrente præsertim indulto ex literis bonæ mem. Cardinalis SS. quatuor Coronatorum olim summi Pœnitentiarij, quibus concedebatur fratribus prædictis facultas acceptandi in posterum dicta onera, quamvis perpetua, missarum, absque conscientiæ scrupulo, Regula prædicta non obstante, ac attenta etiam resolutione aliàs capta in generali Capitulo in Ciuitate Ianuen. celebrato, non esse essentiale in regula, quòd fratres non possint se obligare ad onera perpetua; Nihilominus, quia postmodum in actis Capituli generalis habiti Paulæ Regula prædicta confirmata fuit, & recessum à resolutionibus captis in Capitulo Ianuæ, actaque, & recessus prædicti fuerunt à fel. rec. Paulo Papa III. similiter prædecessore nostro, in forma specifica confirmati.

Concedit vt possint acceptare legatum cum perpetuo onere Missarum. Vide supra in cost. 4. Iul. II. n. 18.

§ 3. Idcirco ad tollenda omnia subterfugia partis, penes quam effici non potest, vt pecuniæ vt supra, donatæ remanere debeant, ac vt celerius pro diuini cultus incremento, & pro obseruatione voluntatis prædictæ donatricis, Ecclesia & Conuentus præfati ædificari possint, neq; diutius suum cadauer inhumatum deferatur, quæ ipso sepeliendo dictam Ecclesiam propriis impensis extrui mandauit. Nos eundem Bartholomæum Prouinciales specialis gratiæ fauore prosequi volentes, necnon à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisq; ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis à iure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, porrectis nobis pro parte sua super hoc supplicationibus inclinati, acceptationem prædictæ donationis in Capitulo generali dicti Ordinis iam factam cum onere celebrandi, seu celebrari faciendi vnam missam submissa voce omnibus diebus dominicis, & aliis de præcepto Ecclesiæ festiuis in perpetuum in Capella loci de Causans, conditione item superaddita, quòd preces, seu horæ publicæ, canonicæ, quæ

dietim

dietim in dicto Conuentu, & Ecclesia sic construenda dicuntur, matutinum scilicet, laudes, prima, tertia, sexta, nona, vespera, & completorium, necnon etiam missa, quæ conuentualis dicitur, & solet à dictis fratribus celebrari in omnibus eorum Ecclesiis pro salute animarum earundem Ecclesiarum fundatorum, ac aliæ omnes missæ, votiuis exceptis, dicantur, & applicentur ad intentionem ipsius Fundatricis, iuxta formam instrumentorum dictarum donationum, dummodo tamen dicta donatio, vt præfertur, in capitulo generali præterito fuerit acceptata, Apostolica auctoritate, tenore præsentium in omnibus, & per omnia approbamus, & confirmamus, ac illis perpetuæ, & inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, eidemque Religionis, & fratribus, sese ad onera in dicta donatione, vt præfertur, iniuncta, quamuis perpetua, præmissis non obstantibus, obligare possint, concedimus, & indulgemus eosdemque ad præmissa dicta auctoritate ad effectum executionis, donationis prædictæ efficaciter & opportunè habilitamus, ac omnes, & singulos tam iuris quàm facti, & solemnitatum defectus, si qui desuper quomodolibet interuenerint, supplemus; dictamque acceptationem cum oneribus, & conditionibus præfatis factam subsistere.

Decretum irritans cum derogatione contrariorū.

§.4. *Sicque per quoscumque Iudices & Commissarios iudicari, & definiri debere. Irritum quoque, & inane decernimus, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscat. die 14. Ianuar. 1625. Pontif. nostri anno 2.*

CONSTITVTIO III.

Quâ concedit indulgentiam plenariam visitantibus Ecclesias Minimorum singulis primis sextis feriis cuiuslibet mensis.

VRBANVS PAPA VIII.

Vniuersis Christi Fidelibus præsentes literas inspecturis, sal. & Apostol. bened.

Concedit prout in summario. Vide cōst. 2. Pauli V.

§. 1. *AD augendam fidelium religionem & animarum saluti cælestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus verè pœnitentibus & confessis, ac sacra communione refectis, qui Ecclesiam SS. Trinitatis in monte Pincio de Vrbe singulis primis sextis feriis cuiuslibet mensis ab ortu Solis vsque ad occasum dierum huiusmodi singulis annis deuotè visitauerint, & inibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. M. Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, ipso die prædictorum id egerint plenariam omnium peccatorum suorū indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus.*

§. 2. *Insuper eisdem Christi fidelibus similiter verè pœnitentibus & confessis, ac sacra communione refectis, qui dictam Ecclesiam in singulis aliis sextis feriis totius anni, vt præfertur, visitauerint & orauerint, quo die prædictorum id egerint septem annos & totidem quadragenas de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Præsentibus ad decennium citra annum Iubilæi valituris. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub annulo Pisc. die 7. Octobris 1625. Pontif. nostri anno 3.* Concedit 7. annos, & totidē quadragenas visitātibus singulis quibusq. diebus veneris Ecclesias Minimorum

CONSTITVTIO IV.

Quâ iubet sub pœna excommunicationis, & priuationis vocis actiuæ & passiuæ, ne ex Bibliotheca Genuensi Ordinis Minimorum extrahantur quomodolibet libri.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. *COnseruationi & manutentioni Bibliothecæ domus regularis Iesu Mariæ nuncupatæ Ianuensis, Ordinis fratrum Minimorum Sancti Francisci de Paula, quantum cum Domino possumus, consulere, ac dilectum filium Laurentium de Petrinis Prouincialem Prouinciæ Ianuensis eiusdem Ordinis specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, ipsumque, & dictæ domus singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis à iure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt. ad effectū præsentium duntaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes; supplicationibus eiusdem Laurentii Prouincialis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: Ne de cætero quisquam quavis auctoritate fungens, quosuis libros, quinterna, folia siue manu scripta, siue impressa dictæ Bibliothecæ hactenus assignata, & inposterū assignanda, quovis quæsito colore,* Mādat prout in summario

vel ingenio, causa, vel occasione è dicta Bibliotheca extrahere, siue vt extrahantur, vel remoueantur, permittere quoquo modo audeat, seu præsumat, sub excommunicationis & priuationis vocis actiuæ & passiuæ pœnis per contrafacientes incurrendis, Apostolica authoritate, tenore præsentium interdicimus & prohibemus.

Derogat contrarijs. §. 2. *Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, domus, ac Ordinis huiusmodi, etiam iuramenta, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem, quod præsentis prohibitionis copia in valuis dictæ Bibliothecæ, aut aliquo alio perspicuo loco, vnde ab omnibus cerni possit, continuò affixa remaneat. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Pisc at. die 13. Febr. 1625. Pontific. nostri anno 2.*

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1. NOto 1. quòd ista excommunicatio & pœna priuationis non incurrit ipso facto, sed est inferenda per iudicis sententiam; & ad eam incurrendam requiritur magna temeritas, hoc enim dicunt verba *Audeat, & præsumat*. Vnde bona fides & ignorantia, etiam crassa excusatet, vt dixi *supra in const. 5. Gregorij XV. numer. 63.* Est tamen pœna priuationis post declarationem perpetua, quia ponitur indefinitè, quod perpetuò æquiualet, vt dixi *supra in constit. 2. Sixti V. numer. 4.* Ab ea verò sic inflicta nullum Prælatum Religionis, neque etiam Capitulum generale puto posse rehabilitare, sed esse recurrendum ad Papam, per ea quæ dixi *supra in constit. 6. Iulij II. numer. 25.*

2. Noto 2. quòd censendi sunt libri dictæ Bibliothecæ assignati, quando in ea sunt repositi ab habēte authoritatem, Prælato nimirum & Bibliothecario, & descripti in manuali dictæ Bibliothecæ, & sūt omnino & liberè Conuentus.

3. Noto 3. quòd hi ad quos incumbit cura dictæ Bibliothecæ, vt Superiores & Bibliothecarij, si permittant extrahi, vel remoueri libros à dicta Bibliotheca incurrunt dictas pœnas; siue id faciant directè, siue indirectè: Vbi enim aliquid directè permissum non est, nec etiam conceditur per indirectum; *per regulam, Cum quid vna via*, quæ est 84. *de reg. iur. in 6.* & habet Menoch. *lib. 2. consil. consil. 181. num. 53.* Subditi autem & alij, ad quos non incumbit, id permittentes, putarem non incurrere has pœnas; nisi positiuè innitarent ad extrahendum & remouendum; tunc enim tanquam principaliter extrahentes iudicandi essent, & valeret illa regula, *Qui per alium facit, per seipsum facere videtur.* Permittentes autem solùm negatiuè, licèt excusarem ab his pœnis, non excusarem tamen à peccato, etiam mortali contra iustitiam, qua tenentur res & bona Religionis tueri & defendere pro posse; argum. *cap. Nulli dubium 3. quæst. 1.*

4. Noto 4. quòd iste Pontifex aliam similem constitutionem fecit pro Collegio nostro S. Francisci de Paula de Vrbe, sed pœnæ sunt ipso facto, & habetur *tom. 4. bull. in const. eius 95. fol. 42.*

CONSTITVTIO V.

Quâ reducit onera Missarum perpetuarum ad rationem scutorum quinquaginta monetæ Romanæ.

VRBANVS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. *EXpam nobis nuper fecit dilectus filius Deodatus Lomellinus, Oratnis S. Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum Procurator generalis, quòd domus regularis fratrum dicti Ordinis Ianuen. tot oneribus missas in eorum Ecclesia per fratres huiusmodi celebrari faciendi, ratione diuersorum legatorum, à diuersis personis dictæ domui ea propter relictorum, quorum aliqua exigua & aucri ex illis emergenti imparia sunt, grauata existit, vt fratres dictæ domus illis satisfacere nequeant. Quare dictus Deodatus nobis humiliter supplicari fecit, vt in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.* Supplicatio.

§. 2. *Nos igitur dictum Deodatum, ac ipsius domus Priorem, & fratres specialibus fauoribus & gratijs prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris & pœnis à iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerab. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacri Concilij Trid. interpretum consilio, onera, seu missas huiusmodi ad rationem scutorum quinquaginta monetæ Romanæ pro qualibet missa quotidiana perpetua reducimus. Decernentes, per celebrationem missarum sic reductarum, saluti animarum eorum quorum intentione missæ sic reductæ fundatæ fuerunt, suffragari perinde ac si illæ verè & realiter, ac cum effectu celebrarentur dictæque domus pro tempore Priorem & fratres desuper à quoquam quavis authoritate molestari, perturbari, vel inquietari non posse.* Cōcedit prout in summario.

§. 3. *Irritumque & inane quicquid secus super his à quoquam quavis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari* Decretum irritans.

§. 4. *Non obstantibus præmissis ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, domusque & Ordinis* Derogat contrariis.

Ordinis prædictorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscat. die 13. Iuly 1626. Pontificat. nostri anno 3.

CONSTITVTIO VI.

Quâ statuit quòd Collegium, seu Conuentus S. Francisci de Paula Ordinis Minimorum, situm in regione montium, iuxta palatium Monasterij S. Petri ad vincula, & per bonæ mem. Io. Pizzullum presbyt. Calabrum ex Oppido Reginæ, Bisinianen. Diœc. oriundum fundatum, perpetuis futuris temporibus à Religiosis dicti Ordinis ex Prouincia Calabriæ tantùm, & non ab alijs ex quacunque alia Prouincia, & natione gubernetur, & administretur.

VRBANVS EPISCOPVS

Seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. *INter cætera cordis nostri desiderabilia, ea quoque ex debito pastoralis officij, nostris humeris licèt imparibus diuina duntaxat dispositione impositi, non modicè nos vrget cura, vt inter Christi fideles quaslibet, præsertim religiosas personas, sub suaui vnius & eiusdem Instituti iugo & charitatis vexillo Altissimo famulantes, præcluso discordiarum & zizaniarum inimici hominis sementorum aditu, pax & concordia vigeant, piorum testantium voluntates adimpleantur, & inuiolabiliter obseruentur, ac Regularium loca ad diuinum cultum propagandum, & ignorantiæ caliginem discutiendum, sacræque paginæ doctrinam, qua mediante vberiores in vinea dextra Domini plantata fructus colligi, & animarum salus procurari noscuntur, adipiscendam, libere destinata promoueantur, & propterea ne successu temporis aliquid contra desideriorum nostrorum huiusmodi dispositionem ausu temerario fieri, vel attentari contingat, sæpe Apostolatus officij nostri partes interponimus, ac aliàs vltrò disponimus, prout rerum, temporum, locorum, & personarum qualitatibus debitè pensatis, conspicimus in Domino validiùs expedire.*

§. 1. *Cùm itaque, sicut nobis innotuit, quondam Io. Pizzullus Presbyter, dum vixit, Calaber, ex oppido Reginæ, Bisinianen. Diœc. ortundus, Vrbis tamen incola & ciuis, pio charitatis affectu, & spirituali erga nationem citerioris Calabriæ beneuolentia & amore ductus, in vltimo per eum condito, sub cuius dispositione ab humanis decessit, testamento in omnibus suis mobilibus & immobilibus, ac se mouentibus bonis, iuribus, actionibus, creditis, alijsque quibuscunque quomodolibet nuncupatis & qualificatis, dilectos filios, Correctorem & fratres, seu Conuentum domus regularis S. Andreæ de Frattis nuncupati de Vrbe, Ordinis fratrum Minimorum S. Francisci de Paula hæredes suos vniuersales instituerit, & inter cætera ordinauerit, quòd summa sex mille scutorum monetæ Romanæ ad minus in emptionem alicuius fundi in prædicta vrbe per dictos Correctorem & fratres, seu Conuentum impendi, & in ipso fundo Ecclesiam sub inuocatione eiusdem S. Francisci de Paula, vnà cum hospitio, seu Collegio extrui, ac in eodem hospicio, seu Collegio fratres Ordinis & nationis prædictorum studiorum causa recipi, & commorari, illisque de victu & alijs ad studiorum prosecutionem necessarijs prouideri, & ad eum effectum, ac pro seruitio & vsu solùm dictorum fratrum studentium omnes alij redditus hæreditatis suæ erogari & conuerti deberent, ac omnem bonorum dictæ hæreditatis in toto, vel parte alienationem ex quacunque etiam vrgentissima causa prohibuerit, volens, quòd bona huiusmodi semper ad effectum, vt ex fructibus inde pro tempore prouenientibus in dicto hospitio, seu Collegio fratres studentes Ordinis & nationis huiusmodi manutenere & ali possint, & debeant, conseruarentur, quodque numerus ipsorum fructibus huiusmodi, & expensis pro eorum manutentione necessarijs ad arbitrium Cardinalis Protectoris Ordinis, & executorum testamenti huiusmodi pro tempore existentium correspondere, seu proportionatus esset; necnon inter fratres studentes, eos, qui quovis modo domum maternam dicti testatoris, videlicet illorū de Grilli, etiam vsque ad quartum gradum exclusiuè, consanguinitate attigerint; & deinde eos qui ex dicto Oppido oriundi forent, ac successiuè illos qui ex Prouincia Calabriæ citerioris; & vltimò, si aliqua loca superessent, eos qui ex Prouincia vlterioris Calabriæ orti existerent, in ipso hospitio, seu Collegio præferri; & in euentum, in quem dicti hæredes, vel fratres dicti hospitij, seu Collegij pro tempore existentes hæreditatem huiusmodi cum conditionibus prædictis, & alijs oneribus per ipsum testatorem iniunctis, acceptare, vel ea acceptata, conditiones, ac onera huiusmodi adimplere nollent, aut etiam pro vna vice in quavis etiā, quantumvis minima parte*

Io. Pizzullus instituit hæredes fratres Conuētus S. Andreæ de Frattis cū conditione fabricandi Collegium inhabitandū solum à fratribus studētibus citerioris Calabriæ.

dispositionem testamentariam huiusmodi transgrederentur, tunc & eo casu etiam voluerit, & mandauerit, vt in omni commodo & beneficio hæreditatis prædictæ priuati remanerent, in eoq; fratres Congregationis Colloreti nuncupatæ, sub regula, & habitu S. Augustini militantes, & in Prouincia Calabriæ citerioris prædicta fundatæ succederent, eosdem fratres dictæ Congregationis ipsis hæredibus, vel fratribus hospitij, seu Collegij huiusmodi in dicta hæreditate ex tunc cum eisdem conditionibus & oneribus substituendo: Deinde parochiali Ecclesiæ S. Sergij & Bachi de eadem Vrbe, vnà cum dilectorum filiarum illius parochianorum animarum cura, per dilectum filium tunc existentem Ministrum generalem dicti Ordinis à fel. rec. Gregorio Papa XV. prædecessore nostro Ordini prædicto, ad effectum Collegium huiusmodi construendi concedi obtenta; Idem testator volens per se ipsum suam huiusmodi dispositionem ad effectum producere, quoddam palatium in dicta Vrbe & regione montium, iuxta Monasterium S. Petri ad vincula nuncupati situm, vnà cum viridarijs, membris & pertinentijs suis, à dilecto filio nobili viro Io. Georgio Cæsarino Duce Ciuitatis nouæ emerit, illudque sic emptũ dicto Ordini ad effectum inibi Ecclesiam & hospitium, ac Collegium huiusmodi construi faciendi cum onere, quòd ipsi Corrector & fratres, seu Conuentus dictum palatium ad vsum Collegij pro habitatione fratrum dicti Ordinis, theologiæ operam nauantium nationis citerioris Calabriæ huiusmodi, reducere, seu reduci facere debeant, & in reliquis sub eisdem conditionis oneribus, caducitatibus, modoque & forma in dicto testamento contentis; irreuocabiliter inter viuos perpetuò donauerit, subindeque dilectos etiam filios Io. à S. Agatha, & Franciscum de Spezzano, ac Dionysium de Paula, necnon Vincentium de Consentia & Laurentium de Spezzano, ac Michaëlem à Regina, & Paulum de Ruito, necnon Ioannem etiam à Regina, & Antonium de Morano fratres dictum Ordinem expressè professos, & ex citeriori Calabria huiusmodi oriundos, in dicta domo S. Andreæ tunc commorantes, in actualem & corporalem possessionem palatij & viridariorum, aliorumque membrorum & pertinentiarum prædictorum introduxerit; ipsique denique sic introducti Superiorum authoritate Capellam, seu Oratorium sub inuocatione eiusdem S. Francisci de Paula, in quadam parte eiusdem palatij existentem, seu existens ornauerint, & clausuram Conuentus appellauerint; illis verò ordinationem ipsius conditionis exactiùs adimplere desiderantibus, dictus testator, & donator, sicut Domino placuit, ab hac vita decesserit, ac post eius obitum fratres dictæ domus Sancti Andreæ considerantes, ipsum testatorem, & donatorem nationis suæ Religiosos ex dicto eorum Ordine existentes Collegio huiusmodi honorare voluisse, omniaque ad eorũ vsum & vtilitatem destinasse, & consequenter sicut onera diuersa, sic & bonorum huiusmodi administrationem eis demandare in animo habuisse, dictumque Io. Baptistam prædicti Collegij Vicarium deputatum, & pro tempore existentes illius Superiores idoneos & opportunos dictæ hæreditatis administratores & voluntatis eiusdem testatoris & donatoris diligentes obseruatores, & executores futuros esse perspicientes, de eiusdem tunc existentis Generalis, ac dilectorum similiter filiorum dicti Ordinis, illiusq; Collegarum assensu, & cum interuentu & præsentia tam dictorum Collegarum, quàm etiam dilecti pariter filij nostri Hippolyti S. Mariæ Nouæ Diaconi Cardinalis Aldobrandini nuncupati, moderni eiusdem Ordinis Protectoris, seu eius Auditoris ad id ab eodem Hippolyto Cardinale specialiter deputati, ac sub nostro, & Sedis Apostolicæ beneplacito acceptatam per eos dicti testatoris hæreditatem, omneque commodum, & incommodum illius, necnon sua, & dictæ domus S. Andreæ iura & actiones quæcumque eis, & eorum cuilibet quomodolibet attributa, ac competentia, & competitura, cum omnibus, & singulis conditionibus, oneribus, vinculis, & pœnis in dicto testamento contentis, in prædictum Io. Baptistam Vicarium, pro se ac successoribus suis, dictoque Collegio, & illius Religiosis acceptantem, & eiusdem Collegij Superiorem, & collegiales, seu Religiosos pro tempore existentes transtulerint; ac Io. Baptista, & pro tempore existentes dicti Collegij Superiores, & collegiales, seu Religiosos prædictos, veros & proprios administratores procuratores generales, gestores, & agentes totius hæreditatis prædictæ cum facultate illam regendi, gubernandi, & administrandi, regique gubernari, & administrari faciendi, necnon Conuentum, & & Ecclesiam, ac domum regularem erigendi, & fabricandi, omniaq; & singula faciendi, & adimplendi, ad quæ ex dispositione testamenti, & donationis prædictorum obligati fuerunt, constituerint; postmodùmque idem Gregorius prædecessor supplicationibus testatoris, & donatoris, ac Ioannis Baptistæ, & Francisci de Spezzana prædictorum inclinatus, donationem prædictam, ac desuper confectum instrumentum Apostolica auctoritate approbari, & confirmari mandauerit: Ac super nos translationem, & donationem, ac instrumentum huiusmodi eadem auctoritate approbauerimus, & confirmauerimus, prout testamenta, ac instrumentis, singulisq; literis Apostolicis exinde confectis pleniùs continetur. Ex forma verò, & tenore tam testamẽti, quàm donationis huiusmodi clarè, & manifestè appareat, dictum testatorẽ Collegium prædictũ pro Religiosis suæ nationis tantum, & non pro aliis fundare, & dotare, ac eandem nationem suam speciali hoc beneficia, ad testandum & declarandam sui ergà patriam animi pietatem, prosequi voluisse, & fratres

fratres dictæ domus S. Andreæ intentionem eiusdem testatoris, donatoris talem fuisse existimantes, adhærendo, ad translationem, & cessionem præ ictas sponte, & libenter deuenerint. Ac ab eo tempore citra dictus Io. Baptista Vicarius, & Franciscus, ac Dionysius, necnon Michaël, & Paulus, ac Ioannes; & Antonius prædicti hæreditatem huiusmodi, illiusque bona, ac dictum Collegium administrauerint, & gubernauerint. Et licèt tam ipsi, quàm postea alij Religiosi dicti Ordinis, ex dicta natione oriundi, super libero gubernio, regimine, & administratione eiusdem Collegij, & illius bonorum molestari, & in ipso Collegio alij Religiosi, quàm ex dicta Prouincia Calabriæ citerioris orti recipi, & commorari non posse videatur: Nihilominus quia successu temporis facilè contingere poterit, vt Religiosi aliarum Prouinciarum, & nationum in Collegio prædicto recipi, & ad illius regimen, & gubernium assumi petant, & procurent; Id autem non solum menti, & intentioni dicti testatoris omnino contrarium, sed etiam, Religiosis dictæ Prouinciæ Calabriæ graue præiudicium allaturum esse, exindeque probabile sit, inter Religiosos dicti Collegij rixas, odia, contentiones & dissidia, aliaque non leuia inconuenientia, cum graui status dicti Collegij perturbatione, & forsan totali illius ruina, & excidio, sine dubio passim oritura esse.

Concedit quòd dictũ Collegium solum habitetur & regatur à fratrib. citerioris Calabriæ: Qui fratres aliarum nationum recipere in eo non tenentur.

§. 2. Nos præmissis inconuenientibus, & incommodis, nostra, & Sedis prædictæ prouidentia, ministerio consultum esse desiderantes, Io. Baptistam, & Franciscum, ac Dionysium, necnon Vincentium, ac Michaëlem, & Paulum, ac Ioannem, & Antonium prædictos, aliosque dictæ nationis Calabriæ Religiosos, sub Regula dicti Ordinis S. Francisci de Paula nunc & pro tempore militantes specialis gratiæ fauore prosequi volentes, eosque & eorum quemlibet à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus, quomodolibet innodati existant, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, necnon testamenti, & instrumentorum; ac prædictarum literarum tenores etiam veriores, præsentibus pro expressis habentes; Motu nostro proprio non ad Ioannis Baptistæ, aut Francisci, vel Dionysii, seu Vincentij, nec ad Michaëlis, vel Pauli seu Ioannis, aut Antonij prædictorum, vel alicuius eorum aut cuiusuis alterius nobis pro eis oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione nostra, dictaque Apostolicæ potestatis plenitudine, quòd ex nunc de cætero perpetuis futuris temporibus dictum Collegium, necnon tam prædictæ hæreditatis, quàm alia Collegij huiusmodi proprietates, iura, & bona vniuersa, præsentia, & futura, in quibuscumque rebus consistentia, & vbicumque existentia, ac etiam officia, & munera, tam oneris, quàm honoris per Religiosos dicti Ordinis ex Prouincia citerioris Calabriæ prædicta nunc, & pro tempore oriundos tantùm, dummodò Superiores dicti Ordinis ex Calabria ad regendum, & gubernandum dictum Collegium, ac illius redditus & bona administrandum idonei reperiantur, & non per alios quarumcumque Prouinciarum, & nationum eiusdem Ordinis Religiosos, quos ad id omnino incapaces & inhabiles esse volumus, & declaramus, sub obedientia tamen, visitatione, correctione, & omnimoda superioritate eiusdẽ nunc, & pro tempore existentis dicti Ordinis Ministri generalis, regi, gubernari, & administrari, ac in eodem Collegio nulli alij Religiosi, quàm ex dicta Prouincia citerioris Calabriæ oriundi, & aliàs iuxta testamenti, & donationis prædictorum formam qualificati, recipi, commorari, ali, & manuteneri possint, & debeant. Et si vllo vnquam tempore alios Religiosos, quàm vt præfertur oriundos ad regimen, gubernium & administrationem Collegij, ac proprietatum, iurium, & bonorum, necnon ad officia, & onera huiusmodi, etiam per dictum Ministrum generalem, & prouinciales, aliosque Superiores dicti Ordinis nunc, & pro tempore existentes, eorum auctoritate, etiam ex quacumque quantumuis vrgenti, legitima, & necessaria causa deputari, & assumi, aut in Collegio prædicto manutenendos, & alendos, etiam studij causa, mitti, vel in eo consignari, aut deponi contigerit, Religiosi eiusdem Collegij, ex dicta Prouincia Calabriæ citerioris oriundi, ibi pro tempore commorantes, illos recipere & admittere nullatenus teneantur: Et si qui aliquando recepti, & admissi fuerint, eos inde dimittere, & expellere possint, & debeant auctoritate Apostolica, tenore præsentiũ perpetuò statuimus, & ordinamus. Necnon Ministro generali & dilectis filiis Prouincialibus aliisq; Superioribus nunc & pro tẽpore existentibus dicti Ordinis in virtute sanctæ obedientiæ ne ad regimen, gubernium, & administrationem Collegij iuriumq; & bonorũ, ac officia, & onera huiusmodi alios Religiosos, quam ex dicta Prouincia Calabriæ citerioris oriundos, & vt præmittitur, qualificatos, quouis prætextu, colore vel ingenio, & ex quacunq; etiam lecturæ, & studij causa, per se vel alios, deputare, & assumere, seu in Collegio huiusmodi manutenẽdos, & alẽdos mittere, aut in illis cõsignare seu deponere, aut deputari, assumi, mitti, consignari, & deponi facere quomodolibet audeant, seu præsumant, motu, deliberatione, ac de potestatis plenitudine, necnon auctoritate, & tenore similibus districtius præcipimus, & inhibemus.

§. 3. Decernentes, præsentes nostras literas, etiam ex eo quòd dictus Minister generalis, dilecti filij Prouinciales ac Superiores prædicti, aliiq; quicũq; in præmissis interesse habentes, vel habere prætẽdẽtes, illis non cõsenserint, nec ad ea; vocati, & causæ, propter quas illæ fiãt, examinatæ, iustificatæ aut aliàs approbatæ nõ fuerint, seu quouis alio prætextu,

Clausula præseruatiua.

& ex quacunque quantumvis legitima & iuridica causa, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, inualidari, retractari, in ius, vel in controuersiam vocari, ad viam & terminos iuris reduci, aut aduersus illas quodcunque iuris, gratiæ, vel facti remedium impetrari, aut concedi non posse, neque sub quibusuis similium vel dissimilium gratiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut alijs contrarijs dispositionibus per quoscunque Romanos Pontifices sub quibusuis tenoribus & formis, ac cum quibusuis clausulis & decretis irritantibus comprehendi, sed ab illis semper exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & eum, in quo ante præmissa quomodolibet erant, statum restitutas repositas, & plenariè reintegratas, & de nouo etiam sub quacunque posteriori data per dictos Io. Baptistam & Franciscum, ac Dionysium, necnon Vincentium & Michaëlem, ac Paulum & Ioannem, ac Antonium, eorumque successores eiusdem Collegij collegiales quandocunque eligenda concessas, sicque validas & efficaces esse & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere.

Clausula sublata & decretum irritans.

§. 4. *Sicque per quoscunque iudices Ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, dictæque Sedis nuntios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi & interpretandi facultate & authoritate iudicari & diffiniri debere: Ac irritũ & inane quicquid secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Commissarios deputat.

§. 5. *Quocirca dilectis filijs nostris Archipresbytero Ecclesiæ Lateranen. ac nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis in Vrbe, eiusque districtu Vicario in spiritualibus generali, S. R. E. Card. ac venerab. fratri Archiepiscopo Consentinen. per Apostolica scripta mandamus, quatenus, ipsi vel duo, aut vnus eorum per se, vel aliũ, seu alios easdẽ præsentes nostras literas, & in eis contenta quæcunque vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dicti Io. Baptistæ, & pro tẽpore existentis hospitij, seu Collegij huiusmodi Superioris, ac collegialium seu Religiosorum, aut alicuius eorum fuerint requisiti, solẽniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidia assistentes, faciant authoritate nostra easdem præsentes literas, & in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos nunc spectat, & pro tempore spectabit quomodolibet in futurum inuiolabiliter obseruari; necnon Io. Baptistam, ac pro tempore existentem hospitij seu Collegij huiusmodi superiorem & collegiales, seu Religiosos prædictos illis pacificè frui & gaudere, non permittentes eos aut eorum aliquos desuper quomodolibet indebitè molestari; contradictores quoslibet & rebelles per sententias, cẽsuras & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris & facti remedia appellatione postposita, compescẽdo, inuocato etiã ad hoc, si opus fuerit, brachij sæcularis auxilio: Nos enim Archipresbytero & Vicario, ac Archiepiscopo præfatis, & eorũ cuilibet quoscunque molestatores, perturbatores, cõtradictores & rebelles, etiã per edictum publicum, constito summariè de non tuto accessu, citãdi, eisque ac quibus & quoties inhibendũ fuerit, etiam per simile edictum quoad Archiepiscopos & Episcopos sub interdicti ingressus Ecclesiæ, quo vero ad alios inferiores etiã sub censuris Ecclesiasticis, & etiam pecuniarijs, eorũ arbitrio imponendis, moderandis, & applicandis pœnis inhibendi, necnõ eos, quos censuras & pœnas prædictas incurrisse constiterit, eas incurrisse, seruata forma Concilij Trid. declarandi, ac legitimis super literis habendis seruatis processibus, censuras & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggrauandi, reaggrauandi & interdicendi plenam & liberam motu scientia, authoritate & tenore præmissis concedimus facultatem.*

§ 6. *Non obstantibus præmissis, ac piæ mem. Bonif. Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri, quã cauetur expressè, ne quis extra suam Ciuitatem, vel Diœcesim, nisi in certis tunc expressis casibus, & in illis vltra vnam dietam à fine suæ Diœcesis ad iudicium euocetur, seu ne iudices à Sede prædicta deputati, extra Ciuitatem, vel Diœcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, aut alij, vel alijs vices suas committere audeant seu præsumant: Ac in Concilio generali de duabus dietis edita, dummodò quis vltra tres dietas vigore earundem præsentium extra suam Ciuitatem, vel Diœcesim ad iudicium non trahatur; Necnon quibusuis alijs constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, & iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis priuilegijs quoque, indultis & literis Apostolicis illi, illiusque Ministro generali, Prouincialibus & Superioribus prædictis, ac alijs personis sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusuis clausulis & decretis in contrarium forsan præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis; quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda esset, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expressè harum serie derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.*

Derogat contrariis.

§. 7.

Apponit pœnas. §. 7. *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, voluntatis, declarationis, statuti, ordinationis, præcepti, inhibitionis, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ, Apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis &c. 1624. Pridie Nonas Decemb. Pontif. nostri anno. 2.*

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1. QVæres 1. an dicti Patres Calabri habitantes in dicto Collegio teneantur recipere hospites aliarum nationum Romam adeuntes.

Respondeo, Sine dubio teneri: Non enim dicendum est, mentem Papæ & testatoris fuisse priuare dictum Conuentum tanto bono, quantum est hospitalitas, nec voluisse fratribus illis iubere aliquid, quod contra charitatem, & sanctum Euangelium, ac Regulam nostram esset. Cum enim hospes suscipitur, ipsomet testante Matt. 25. *hospes eram, & collegistis me*, Et Matth. 10. *qui vos recipit, me recipit*. Ad Rom. 12. *hospitalitatem sectantes*, Ad Hebt. 13. *Hospitalitatem nolite obliuisci*: Hæc fuit semper in maximo pretio habita, tum in veteri, tum in nouo testamento. Hac clari facti sunt Abraham, Loth. *Gen.* 18. 19. Rahad Ierichuntina, *Iosué* 2. Hac mulier Sunamitis filij mortui suscitationem promeruit ab Elisæo 4. *Regum* 4. Hac viduæ Eliæ toto tempore famis oleum, & farina non defuit. In primatiua Ecclesia adeo viguit hospitalitas inter Christianos, vt dixerit Tertull. *lib. de præscrip cap.* 20. tria tunc fuisse catholicæ fidei, & communicationis symbola, scilicet communicationem pacis, appellationem fraternitatis, & contesserationem hospitalitatis. *Quæ iura* inquit *non alia ratio regit, quam eiusdem sacramenti vna traditio*. Vbi aduerte, quòd per contesserationem hospitalitatis intelligit certum aliquod signum, quasi tesseram Christianismi, quod qui afferret, vbilibet à Christianis quasi christianus amicus, & frater, hospitio perbeneuolè excipiebatur. In Regula nostra *num.* 54. *Verumtamen*, dicitur, *hospites bilari corde, & vultu placido recolligantur, ac iuxta cuiusque loci facultatem, cibis quadragesimalibus, & non aliis per eos, quibus Superior id ipsum mandauerit, & non per alios, benignè tractentur*. D. Benedictus *in sua regula cap.* 43. multa circa hospites suis fratribus præcipit, præsertim, quòd ieiunium à Priore propter hospitem frangatur, (intellige de ieiuniis Regulæ;) quòd Abbas aquam in manibus hospitibus det, pedes verò hospitibus omnes, tam Abbas, quam cuncta Congregatio lauet. Quod vltimum de lotione pedum in nostra Religione seruatur, & est desumptum à scriptura *Gen.* 18. 19. 24. & 43. Videatur Abul. *cap.* 19. Iud. *quæst.* 13. Et Hieronym. *in apolog. contra Ruff.* de hac consuetudine ait. *Propositum quippe nobis pedes lauare venientium, non merita discutere*, Et in laudem hospitalitatis dicit Aug. *ser.* 32. de verbis Domini in Lucam. *Agnosce hospitalitatem, per quam peruentum est ad Dominum, suscipe hospitem, cuius & tu es comes in via*. Et Ambr. lib. de Abraham, c. 5. *Qui scis*, ait, *an Deum suscipias, cum hospitem putas?* Chrysost. *hom.* 58. *ad populum* de antiquis Monachis ait: *Omnes ex ministrantium sunt numero, & hospitum quisque pedes abluit, & multa de hoc contentio, & hoc facit non examinans, quis ille sit, & vtrum liber sit, an seruus sed vnicuique ministerium hoc exhibet: Nullus ibi magnus, nullus paruus*, Hilariter autem hospes recipiendus, vt in nostra Regula iubetur; & ait Apost. ad Rom. 12. *Qui miseretur in hilaritate*. Quæ hilaritas in tribus consistit, in animi lætitia, in alacritate vultus, in affabilitate verborum. Sic Abraham *Gen.* 18. cum vidisset tres illos viros, *cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi*. Renuens hospitari cogendus. Sic discipuli euntes in Emaus cogerunt Christum ad secum manendum. Receptus liberaliter, studiosè; & alacriter tractandus. Omnia Abraham, cucurrit, mactauit vitulum tenerrimum, fermentauit farinam, & comedentibus stando seruiuit. Nec est hospitalitatis officium propter inopiam deserendum. Nam Hieronym. explicans verba illa Matth. 10. *Quicumque dederit calicem aquæ frigidæ*, ait, *Rursus poteris alias causari, & dicere, paupertate prohibeor, tenuitas me retinet, vt hospitalis esse non possim; & hanc excusationem leuissimo præcepto diluit, vt calicem aquæ frigidæ toto animo porrigimus, frigide inquit, aquæ non calidæ, ne, & in calida paupertatis ex penuria lignorum occasio quæreretur*. Quinimmo hæc hospitalitas apud barbaras etiam gentes commendatur, & inuiolabilis est, vt Cassan. *in catal. glor. mundi part.* 11. *consid.* 46. Et colligitur *ex cap. Offerebat* 32. *quæst.* 7. vbi glossa ait *verbo apud barbaras*, quòd hospes tenetur hospitem defendere. Decet itaque omnes Christianos hospitales esse, sed maximè Clericos, & Religiosos, *cap. Hospitalem, dist.* 42. & Trid. *sess.* 25. *cap.* 8. *de reform.* admonet Religiosos vt hospitalitatis officium promptè, & benignè exercere assuescant. Et nemini hospitalitas denegandа est; *cap.* 1. *de empt. & vend. cap. Monachi, de præbend. & dignitat.* Et qui inhospitales, sunt ad dignitates promoueri prohibentur; *cap. Archidiaconum*, *d.* 85. Vnde constat manifestè, quòd Patres dicti Collegij tenentur dictos fratres aliarum nationum hospitari: Et possunt ad id excommunicatione, & aliis pœnis compelli *cap. Si quis despicit*, 5. *Hinc etiam disput.* 42. Glossa *in cap.* 1. *de empt. & vend. verbo Hospitales*; Menoch. *lib.* 2. *de arbitr. cas.* 182. *numer.* 43.

2. Quæres 2. an dicti Patres Calabri possint consentire, vt fratres aliarum nationum in dicto Conuentu localiter commorentur.

Respondeo ad id iam responsum esse *supra in const. Pauli V. numer.* 12. Sed nunc dico confidentius, & clarius, posse. Nec obstat decretum irritans. Quia intelligitur, quando dicti fratres eo vti volunt. Ita Io. Monach. *in cap. Statutum, de præb. num.* 4. vbi multa Probus *num.* 6. Guliel. Benedictus *in quæstione de Episcop. numer.* 60. & 61. qui id multis probat.

CONSTITVTIO VII.

Quâ prohibet fieri inuestituras bonorum iurisdictionalium ad Ecclesias inferiores spectantium in vniuersa Italia.

VRBANVS EPISCOPVS,

Seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Procemium. *HVmana salutis auctor Christus Dominus Romanam Ecclesiam amplissima temporalis ditionis prærogatiua decorauit, quam voluit inferioribus etiam Ecclesiis aliqua ex parte communicari, vt filiarum decor matris augeret in summis Pontificibus maiestatem, quibus cum Ecclesiarum omnium regimen incumbat, illarum quoque omnium tutelam ad Apostolicam eorum prouidentiam necesse est pertinere.*

Motiua. §. 1. *Olim equidem quamplurimi inferiorum Ecclesiarum Prælati, vt strenuos, ac præstantes virtute viros haberent, qui debitum sibi, & Ecclesiis suis impenderent famulatum, temporales ditiones ad easdem Ecclesias pertinentes eximiorum virorum fidei, atque administrationi commiserunt; tempore verò procedente dilabentibus in deterius bonis institutis, factum est, vt nonnullis Ecclesiarum Præsules humanis potiùs affectibus, quàm meritorum intuitu moti, ditiones temporales huiusmodi variis personis, & Vniuersitatibus in feudum, vel emphiteusim dare, vel vltra triennium locare, & rursus, occurrente earum ditionum temporalium deuolutione, ad nouam infeudationem, seu inuestituram, vel locationem vltra triennium sub specie, quòd ille in feudum, vel emphyteusim dari, vel vt præfertur, locari sint solitæ, seu alias causas prætexentes, deuenire consueuerint, quod in non modicum Ecclesiarum ipsarum damnum, & præiudicium tendere vsu compertum est.*

Prohibet prout in summario. §. 2. *Nos itaque, nostri muneris partes adimplendo, præmissis obuiam ire, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, & locorum piorum quorumcumque indemnitati, ac iurium eis quomodolibet competentium conseruationi, quantum nobis ex alto conceditur, prouidere volentes, motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura constitutione omnibus, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Abbatibus, etiam Generalibus, cæterisque Ecclesiarum & locorum piorum vtriusque sexus Præsulibus, Prælatis, Præsidentibus, Rectoribus, Præceptoribus, Commendatariis, & Administratoribus, cuiusque status, gradus, dignitatis, & præeminentiæ existant, etiamsi Cardinalatus honore præfulgeant, necnon Capitulis, etiam generalibus, & prouincialibus, Conuentibus, Collegiis, Sodalitatibus, etiam laicorum, & quibuscumque aliis Superioribus cuiusuis Ordinis, Societatis, vel Instituti, etiam de necessitate exprimendi, aut militiarum, etiam S. Ioannis Hierosolym. in vniuersa Italia, etiam in quorum Principum sæcularium, quomodolibet qualificatorum, etiam Ducali, Regia, Imperiali vel quauis dignitate, honore vel excellentia præstantium, ditione temporali existentibus, si pontificali, vel abbatiali immineant dignitate sub interdicti ingressus Ecclesiæ, acsi per 6. menses immediatè sequentes sub interdicto huiusmodi perseuerauerint, lapsis mensibus eisdē, sub regiminis & administrationis Ecclesiarū, vel Monasteriorum, quibus præsident in spiritualibus, & temporalibus, suspensionis; Capitulis verò, Conuentibus, Collegiis, Sodalitatibus, & Vniuersitatibus prædictis sub interdicti à diuinis, eorumque singularibus personis, ac inferioribus Prælatis, Commendatariis, & aliis prælatis sub excommunicationis latæ sententiæ, ac omnium dignitatum, beneficiorum & officiorum Ecclesiasticorum, de quorum rebus & bonis contra præsentis constitutionis tenorem eos disponere contigerit, vocisque actiuæ & passiuæ priuationis, & perpetuæ inhabilitatis ad illa, seu qualibet alia in posterum obtinenda, ipso facto, etiam absque iudicis ministerio vel sententia, incurrendis pœnis, ne de cætero Ciuitates, Terras, Castra, Oppida, Villas, Arces, Fortalitia, Monitiones, Territoria, Districtus, Iurisdictiones, aut quævis alia loca, vel bona iurisdictionalia, seu quouis modo iurisdictionem temporalem, etiam cum alio, vel aliis, coniunctim, seu diuisim, aut aliàs quomodolibet annexam habentia, aut eorum, seu iurisdictionis partem, etiam minimam, ad Patriarchales, Primitiales, Metropolitanas, Episcopales & alias Ecclesias, Monasteria, Collegia, vel loca pia supradicta, nunc, & pro tempore, quouis modo spectantia & pertinentia, tam quæ ad præsens per Ecclesias, Monasteria, & loca huiusmodi pleno iure possidentur, quàm ea quæ in feudum, vel emphyteusim concessa, vel vltra triennium locata, aut per quoscumque quomodolibet, & sub quibusuis prætextibus occupata, seu vsurpata reperiuntur, aut ad Ecclesias, Monasteria & loca prædicta tam de præsenti forsan de iure, vel de facto reuersa, seu deuoluta sunt, etiamsi Ecclesiis, Monasteriis, locisque piis huiusmodi adhuc incorporata, & de eorum mensa effecta non sint, aut quandocumque perpetuis futuris temporibus per lineam finitam, canonem non solutum, delictum perpetratum, vel alia quocumque modo reuertentur, seu deuoluentur in futurum, etiamsi ex antiqua,*

qua, seu immemorabili consuetudine, aut etiam priuilegio Apostolico quamcunque ob causam concesso, & iteratis vicibus approbato, in feudum, vel emphyteusim concessi, vel vltra triennium locari, aut finita concessione, vel locatione, huiusmodi feuda inuestitura, vel alia concessiones renocari consueuerint, quibusuis personis quavis Ecclesiastica, seu mundana dignitate, vel excellentia fulgentibus, ac speciali nota dignis, aut Capitulis, Collegijs, Ecclesiis, Congregationibus, Monasterijs, Conuentibus, Hospitalibus, & quibusvis Vniuersitatibus, tam sæcularibus, quàm Ecclesiasticis, aut quibuscunque alijs quocunque nomine ac titulo nuncupatis, & quomodolibet qualificatis, in feudum, vel emphyteusim concedere, aut vltra triennium locare, aut concessiones, inuestituras, & locationes huiusmodi post finitum illarum tempus, vel aliàs quandocunque renouare, prorogare, vel de nouo facere, etiam ad fauorem descendentium, hæredum, vel consanguineorm illorum, qui Ciuitates, Terras, & bona iurisdictionalia prædicta obtinuerint, possederint, vel occupata detinuerint, etiam intuitu meritorum, etiamsi concessiones & alia præmissa in euidentem, imò euidentissimam vtilitatem Ecclesiæ, Monasterij, vel loci pij cedant, aut concessionibus, inuestituris, locationibus, vel illarum renouationibus, aut prorogationibus consentire, aut aliud scripto, verbo, vel alio quovis modo, per quem dictæ Ciuitates, Terræ, & bona iurisdictionalia huiusmodi ad Ecclesias, Monasteria & loca pia prædicta, siue eorum Prælatos, Superiores, Rectores, seu administratores non reuertantur, etiamsi in prædictis concessionibus, inuestituris, renouationibus, prorogationibus, & alijs præmissis nostrum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum, etiam cum clausula, & non aliàs, aliter nec alio modo reseruetur, & nisi in illo in scriptis tantùm priùs obtento, facere audeant, vel præsumant, vltra alias pœnas per canonicas sanctiones desuper quomodolibet inflictas, districtè interdicimus & prohibemus.

Concessionès & inuestituræ contra hanc constit. factæ nullæ sunt.

§.3. Et insuper quascunque concessiones, inuestituras, locationes, vel illarum prorogationes, & renouationes, quas contra præsentium tenorẽ quocunque modo & quovis tempore fieri contigerit, prorsus nullas & irritas, & effectu omninò carere debere; Sicque in præmissis omnibus & singulis per quoscunq; Iudices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & eiusdem Cameræ Apostolicæ Thesaurariũ, & Clericos; necnon S.R.E. Cardinales, sublata eis, & eorum cujlibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere, & quicquid secùs super hisà quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter attentari contigeri, irritum & inane decernimus & declaramus.

Derogat contrariis.

§.4 Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, etiã in corpore iuris insertis, ac etiam in fauorẽ quarumcunq; Ecclesiarum, Prouinciarum, Ciuitatum Vniuersitatũ, Collegiorum, Capitulorum, & locorum piorũ, eorumque personarum, atque Ordinum, tam mendicantium, quàm non mendicantium, militiarum etiam dictæ S. Ioannis Hierosolymitan. necnon Cõgregationum & Societatum, & cuiusvis alterius instituti etiam necessariò, vt præfertur, & in indiuiduo exprimendi, eorumque Monasteriorum, Conuentuum & domorum Regularium, necnon illorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; indultis quoque & priuilegijs sub quibuscunque tenoribus & formis, ab cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, efficacissimis & insolutis clausulis etiam irritantibus decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet concessis & iteratis vicibus approbatis & innouatis; quibus omnibus & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa ac indiuidua, & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent. præsentibus pro expressis habentes, quoad ea, quæ ijsdem præsentibus aduersantur, illis aliàs in suo robore permansuris, harum serie specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque.

Prælati in iuramentis præstandis tenentur iurare de hac const. seruanda.

§.5 Volumus autem, quòd de cætero Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, necnon Abbates, Præsules, Prælati, alijque præfati in alijs iuramentis ab ijs præstandis, de præsenti etiam constitutione seruanda omnino iurare teneantur.

Forma publicationis ad effectum obligandi.

§.6. Ipsaque constitutio in quinterno Cancellariæ Apostolicæ describatur; quòdque præsentes ad valuas Lateranen. & Principis Apostolorum de Vrbe Basilicarum, & dictæ Cancellariæ, & in acie campi Floræ publicentur, & sic publicatæ omnes & singulos, quos concernunt & concernent in futurum perinde arctent & afficiant, ac si eis & eorum cuilibet personaliter intimatæ forent

Transumptis fidé adhiberi iubet.

§.7. Earundemque transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo Prælati, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, in iudicio, & extra illud eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§.8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri interdicti, prohibitionis, decreti, declarationis, derogationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis

autem

autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam maiorem anno Incarn. Dominici 1625. Kalend. Nouemb. Pontif. nostri anno 3.

CONSTITVTIO VIII.

Quæ est decretum Congreg. Concilij, editum de mandato Vrbani VIII. In quo prohibetur Regularibus alienatio.

Prohibet fieri alienationes, & factas nullas declarat. §. 1. *Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Trid. interpretum, rerum experimento edocta, quantum Religiones accipiant detrimenti ex bonorum immobilium & pretiosorum mobilium distractionibus, quas crebro faciunt Regulares, Apostolicis priuilegijs innixi, ac proinde opera pretium putans illorum facilitatem aliqua ratione compescere; Speciali S. D. N. iussu generalibus & prouincialibus Capitulis, vel Congregationibus, Abbatibus, Generalibus, & quibuscunque alijs Superioribus regularibus cuiusuis Ordinis, Congregationibus Societatis, vel instituti intra fines Europæ existentibus, omnium rerum & bonorum immobilium, ac pretiosorum mobilium alienationem, omneque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, censûs perpetuos, seu vitalitios, hypothecam, locationem & conductionem vltra triennium, concessionem in feudum, vel emphyteusim, præterquam in casibus à iure permissis, fieri perpetuò prohibet, atque interdicit, absque ipsius Congregationis Concilij expressa licentia in scriptis, & gratis concedenda, sub pœna priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, vocisque actiuæ & passiuæ, ac perpetua inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, quàm ipso facto, absque alia declaratione incurrant, sublata etiam Generali & Protectori moderandi, aut reseruandi facultate; pœnis nihilominus Apostolicorum constitutionum, & præsertim fel. rec. Pauli II. quæ incipit, Ambitiosæ, in suo robore permansuris. Alienationes verò, pacta, census, hypothecas, locationes, conductiones & concessiones quascunque contra huiusmodi prohibitionem faciendas Sanctitatis suæ auctoritate ipso iure nullas atque irritas decernit.*

Derogat cõtrariis. §. 2. *Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis fauorem quarumcumque personarum atque Ordinum, tam mendicantium, quam non mendicantium, militiarum etiam S. Ioannis Hierosolym. Congregationum, Societatũ, ac cuiusuis alterius Instituti, etiam necessario, & indiuiduo exprimendi, Monasteriorum, Conuentuum, Collegiorum, domorũ, ac locorum regulariũ quorumcunq; necnon illorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus: exceptionibus quoq; indultis & priuilegijs sub quibuscunq; tenoribus & formis, & cum quibusuis etiã derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus & insolitis clausulis, necnõ irritantibus decretis, etiã motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis pleuitudine, aut aliàs quomodolibet, etiã per viam cõmunicationis, seu extensionis concessis & iteratis vicibus approbatis & innouatis, etiamsi pro illorũ sufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus ac formis specialis & indiuidua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, & aliqua exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi præsentibus pro expressis habentes, quibus quoad ea qua præsenti decreto ac prohibitioni aduersantur, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter & expresse Sanctitatis sua authoritate derogat, cæterisque contrarijs quibuscunque. Datum Romæ die 7. Septembris 1624. Cosmus Card. de Torres. Prosper Fagnanus sacræ Congreg. Secret.*

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1. Vide *supra in constitut. 9. Iulij II.* Et qui sint casus à iure permissi, vide *ibid. num. 6.*

2. Nota etiam aliam declarationem eiusdem Congreg. quæ sic habet. *Cum post editum decretum de rebus Regularium non alienandis compertum sit Regulares, qui eodem decreto prohibentur census imponere super bonis ad eorum Monasteria pertinentibus, loco censuum huiusmodi, pecunias ad cambium vel mutuo accipere cum solutione lucri cessantis, & damni emergentis; cumque ex huiusmodi contractu eludatur, mens sacræ Congreg. cui in primis in votis fuit consulere Religionum indemnitati, quæ ex impositione censuum huiusmodi plurimum lædunitur, Sanctissim. Domin. Nostr. approbante, decreuit, ac declarauit, huiusmodi contractum esse contra mentem decreti, vt supra, editi, ideoque non licere Regularibus pecunias, vt proponitur, accipere; ac si acceperint, in ipsius decreti pœnas ipso facto incidere. Datum Romæ, die 21. Martij, 1626. Cosmus Card. de Torres. Prosper Fagnanus.*

CONSTITVTIO IX.

Quæ sunt decreta Congreg. Concilij, Iussu Vrb. VIII. edita de celebratione missarum, & numero fratrum vnicuique Conuentui designandorum.

Cum sæpè contingat in quibusdam Ecclesiis, tam magnum missarum celebrandarũ numerum ex varijs defunctorum relictis, aut piorum eleemosynis impositum esse, vt illis pro

pro singulis diebus præscriptis nequeat satisfieri, & tamen noua onera missarum in dies suscipiantur, inde, ne fiat, vt depereant piæ testantium voluntates, obstricta benefactoribus fides violetur, defunctorum animæ suffragijs priuentur, Ecclesiis debitus subtrahatur cultus, ac Christi fideles graui scandalo affecti plerumque à similibus charitatis operibus retrahantur; cumque his malis maximum inter cætera fomentum præbeat, aut quòd hi, qui missas supra vires celebrandas suscipiunt, sperent illas breui ad pauciorem numerum à Superioribus reductum iri, aut quòd Ecclesiis, forte pecuniarum absumpta, plerumque nuda remaneant onera missarum, absque vllo emolumento, aut quod eleemosyna pro illis celebrandis sit adeò tenuis, vt non facilè inueniantur, qui velint huic se muneri subijcere, & reditus Ecclesiæ, aut Monasterij adeo exigui, vt Sacerdotes pro necessaria sua sustentatione nouis se oneribus obstringere compellantur. Sacra Congreg. Card. Concilij Trident. interpretum animaduertens, facturam se rem Deo gratissimam, charitatique ac iustitiæ maximè consentaneam si pro viribus satagat hunc teterrimum abusum è Christiana Republica conuellere, atque eradicare S.D.N. Vrbani diuina prouidentia Papæ VIII. auctoritate sibi specialiter attributa, infrascripta decreta edidit.

Onera missarum non reducantur nisi ab Apostolica Sede.

§.1. *Ac 1. distinctè prohibet, atque interdicit, ne Episcopi in diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel aliàs quoquo modo reducant onera vlla missarum celebrandarũ, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis, sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Apostolicam Sedem recurratur, quæ re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur, alioquin reductiones, moderationes, & commutationes huiusmodi, si quas contra huius prohibitionis formã fieri contigerit, omnino nullas, atque inanes decernit.*

Tot missæ celebrentur, quot stipendia sunt recepta.

§. 2. *Deinde vbi pro plurimis missis etiam eiusdẽ qualitatis celebrandis plura stipendia, quãtumcunque incõgrua & exigua, siue ab vna siue à pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum, sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegijs Hospitalibus, Societatibus, Monasterijs, Conuentibus, Congregationibus, domibus, ac locis pijs quibuscunque, tam sæcularibus, quam regularibus sacra Congregatio sub obtestatione diuini iudicij mãdat, ac præcipit, vt absolutè tot missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint, ita vt alioquin ij, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quinimo grauiter peccent, & ad restitutionem teneantur.*

Reuocantur priuilegia satisfaciendi missis cum anniuersarijs vel collectis.

§.3. *Id verò vt deinceps obseruetur exactiùs, sacra Congregatio eadem auctoritate reuocat priuilegia & indulta omnia, quibusuis personis, Ecclesijs, ac locis pijs, tã sæcularibus, quàm regularibus cuiuscunq; Ordinis, Congregationis & Instituti quamcunq; ob causam concessa, quibus indulgetur, vt certarum missarum, vel anniuersariorũ celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus plurium missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.*

Qui certam pecuniã pro missa celebranda sumpsit, minorẽ pro ea alteri non det.

§.4. *Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia remouere volens, prohibet sacerdoti, qui missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem missam alteri, parte eiusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.*

An hoc decretum obliget ad mortale, aliqui putant quod non, quia verba nulla id indicantia adsunt: alij tamen, quod sic, quia tam subtilis districtio Congr. vt patet ex declarat. innuit Congregationem id serio intendisse; at transgressio Constit. in re graui mortale est.

Pecuniæ recipiendæ cũ onere perpetuo missarũ conuertantur in bona immobilia.

§.5. *Præterea, ne in Ecclesiis, in quibus onera missarum, in perpetuum imposita sunt, sacerdotes in eis, vt par est, adimplendis eò tepidiores, ac segniores reddantur, quod onera huiusmodi cum nulla, aut parua sint, vtilitate cõiuncta, statuit, atq; decernit, vt pecuniæ, ac bona mobilia Ecclesijs, Capitulis, Collegijs, Hospitalibus, Societatib. Cõgregationib. Monasterijs, Cõuentibus, ac locis omnibus, tam sæcularibus, quàm regularibus, atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo missarum celebrandarum ab ijs, ad quos pertinet, sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda, à die realis acquisitionis statim deponi debeant penes ædem sacram, vel personam fide & facultatibus idoneam, ad effectum illa, seu illorum pretium quamprimùm inuestiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa, & indiuidua mentione oneris, quod illis annexum reperitur, ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, eorundem pretium sub eadem pœna, vt supra, deponi, atque in alijs bonis stabilibus itidẽ fructiferis, cum eiusdẽ oneris repetitione, atq; annexione cõuerti debeat.*

Onera perpetua missarum non recipiantur sine Episcopi, vel Generalis, aut Prouincialis licentia; & missæ manuales quando recipiendæ.

§. 6. *Ad hæc sacra Congregatio quibusuis Capitulis, Collegijs, Societatibus & Congregationibus, necnon omnibus & singulis Ecclesiarum, ac piorum locorum, tam sæcularium, quàm regularium Superioribus, vel alijs, ad quos pertinet, districtè prohibet, ne in posterum onera perpetua suscipiant missarum celebrãdarum, sæculares quidem sine Episcopi, vel eius generalis Vicarij, Regulares verò sine Generalis, vel Prouincialis consensu & licentia, in scriptis, & gratis concedenda; alioquin sæcularis, qui huius prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit, eo ipso, Regularis verò pœnam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisque actiuæ ac passiuæ, absq; alia declaratione incurret.*

Eleemosynas verò manuales & quotidianas pro missis celebrandis ita demum ijdem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfececerint, vt noua quoque onera suscipero valeant; alioquin omnino abstineant ab huiusmodi eleemosynis etiam spontè oblatis in futurum recipien is, & capsulas auferant ab Ecclesiis cum inscriptione illa, Eleemosyna pro missis, vel alia simili, sub ijsdem pœnis ipso facto incurrendis, ne fideles hac ratione frustrentur. Episcopus verò, seu eius Vicarius, aut Generalis, vel prouincialis, vbi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant de singulis missarum celebrandarum obligationibus, cuique Ecclesiæ, Monasterio, aut loco pio incumbentibus, nec antea assensum huiusmodi, aut licentiam præbeant, quàm eis legitimè constiterit illius sacerdotes tam nouo oneri suscipiendo, quàm antiquis iam susceptis satisfacere posse; præcipuamque rationem habeant, vt redditus, qui Ecclesiis & locis pijs relinquuntur, omnino respondeant oneribus adiunctis secundum morem cuiusque ciuitatis, vel prouinciæ, intelligantque si in re tanti momenti desides, aut negligentes fuerint, in nouissimo die se huius prætermissi muneris rationem esse reddituros.

Vnicuique conuentui is numerus fratrũ assignetur, qui competenter possit sustentari.

§.7. *Postremò illustr. Patres non sine graui animi dolore intelligentes, mala ferè omnia, quæ regularem disciplinam euertunt, ac præcipuè nimiã hanc facultatem fouent in oneribus missarum supra vires suscipiendis, velut ex infecta radice, pullulare ex maiori Regularium numero, quàm ferant redditus & eleemosynæ cuiusq; Monasterij, inhærentes summorum Pontificum, ac sacri Trid. Concilij decretis hac de re editis, S. D. N. auctoritate præcipiunt, ac mandant omnibus & singulis Generalibus, Prouincialibus, Commissarijs, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicarijs, & quibuscunque alijs Superioribus Monasteriorum, Conuentuum, ac domorum regularium, bona immobilia possidentium, vel non possidentium, cuiuscunque Ordinis, Congregationis & instituti existentium intra fines Italiæ & Insularum adiacentium, vt singulis, ad quos pertinet in qualibet prouincia, adhibitis duobus aut tribus Regularibus sui Ordinis, vel Congregationis probatioribus, & rerum vsu peritioribus, bona immobilia, census, redditus & prouentus omnes, consuetas item eleemosynas & obuentiones, tam communes Monasteriorum, Conuentuum & domorum eiusdem Prouinciæ, quàm etiam singularibus personis Religiosis assignatas, seu permissas, in communem vsum deinceps conferendas, decem annorum immediatè præcedentium habita ratione, diligenter & maturè recognoscant, ijs omnibus detractis, quæ reparationes, præstationes, grandines, sterilitates, aliave cuiuslibet generis onera consueuerunt absorbere, eaque omnio scripto fideliter exarata idẽ Superior, cuius interest, in proximo Capitulo, seu Congregatione generali, vel prouinciali corã tribus iudicibus, ab ipsomet Capitulo, seu Congregatione deligendis proponat, qui computatis huiusmodi redditibus, eleemosynis, & obuentionibus vniuersis, & oneribus, vt supra, detractis, sedulò examinent, quot religiosi homines, connumeratis etiã laicis, alijsque necessarijs seruientibus, in vno quoque Monasterio, Conuentu, & domo regulari, iuxta Regionis & proprij Instituti morẽ victũ, & vestitum, & medicinalia in communi habentes, competenter valeant sustentari. Tum eorundem bonorum redditũum, eleemosynarum, & onerum præcisam notã ipsimet Capitulo, seu Congregationi exibeant, vt in illo diligenter omnibus discussis cuiusq; familiæ, Monasterij, Conuentus, ac domus regularis, in singula quaq; Prouincia certus earũ tantùm personarum numerus Patrum capitularium voto præfigatur, quæ redditibus, eleemosynis, & obuentionibus, vt superius, sufficienter ali possint. Ne verò Superiores qui id præstare debent, seriùs, aut remissiùs, quàm par est suo muneri satisfaciant, mandat sacra Congregatio, vt infra annum post proximum Capitulum generale, vel prouinciale computandũ, omnia hoc de genere capitulariter gesta, in authenticam formã redacta, ad sacram ipsam Congregationem Concilij singuli mittant; numerumque familiæ, singulorumque Conuentuum, Monasteriorum & domorum huiusmodi regularium, Capituli, seu Congregationis generalis, vel prouincialis sententia & auctoritate præfinitum ijdem Superiores, tam Generales & Prouinciales omnes, quàm locales perpetuò seruare omnino teneantur, nec possint illum quoquo modo augere, etiam prætextu augmenti redditũum, absque sacræ ipsius Congregationis licentia. Superiores autem huiusmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præstiterint, vel numerũ, vt supra, præscriptum quovis modo augere præsumpserint, priuationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, vocisque actiuæ, ac passiuæ, & ad omnia sua Religionis officia & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipso incurrere, atque alijs etiã grauioribus à Sede Apostolica infligendis pœnis sacra Congreg. subiacere voluit, & declarauit.*

Trid. sess. 25. de reg. cap. 3. Vrb. VIII. in constitut. 10. infr. § 31. Paul. V. per suam const. 9. apud Cherul. tom 3. bull. pag. 157. Vide tom. 1. Relig. quæst. 2. cap. 2. §. 2. pag. 521.

§.8. *Deinceps verò Monasteriũ, Conuentus, domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium nullibi recipiatur, nisi præter alia ad id requisita, in singulis eiusmodi locis duodecim saltem fratres, aut Monachi, seu Religiosi degere, & ex redditibus & consuetis eleemosynis, detractis omnibus, vt supra detrahendis, competẽter sustentari valeant ad præscriptum decreti fel. rec. Gregor. XV. hac de re editi; alioquin Monasteria & loca huiusmodi post hac recipienda, in quibus duodecim Religiosi, vt supra, sustentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitauerint, Ordinarij loci visitationi, correctioni, atque omnimodæ iurisdictioni subiecta esse intelligantur.*

Conuentus vbi saltem [illegible] non possunt 12. fratres nõ recipiantur, alioquin Ordinatio subsint.

§. 9.

Hæc decreta sexto quoque mense in publica mensa legantur. Et nullus interpretetur.

§ 9. *Porro, ne ullo unquam tempore hæc in obliuionem, seu desuetudinem abeant, Superiores locales cuiusque Monasterij, Conuentus, ac domus regularis curare, atque efficere teneantur sub pœna priuationis officij, vocisque actiua & passiuæ ipso facto incurrenda, vt in perpetuum sexta quoque mense, id est feria secunda post primam Dominicam Aduentus, & feria sexta post Octauam Corporis Christi, præsentes ordinationes in publica mensa perlegantur: Omnibus, tam Ecclesiasticis personis cuiuscunque sint Ordinis, conditionis & gradus, quam laicis quocunque honore ac potestate præditis, præsentia decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta.*

Derogat contrarijs.

§. 10. *Non obstantibus quoad suprascripta omnia, & singula in præsentibus decretis contenta, constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, in fauorem quarumcunque personarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Militiarum etiam S. Ioannis Hierosolymit. Congregationum, Societatum, ac cuiuslibet alterius Instituti, etiam necessario, & in indiuiduo exprimendi, Ecclesiarum, Monasteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Capitulorũ, Hospitalium, Confraternitatum & aliorum quorumcunque, tam sæcularium, quam regularium locorum, necnon illorum etiã iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, priuilegijs quoq; indultis & literis Apostolicis, etiã Marimagno, seu Bulla aurea, aut aliàs nũcupatis, sub quibuſcunq; tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus & insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, etiã motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolica potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis & innouatis, etiãsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorũque totis tenoribus & formis, specialis & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autẽ per clausulas generales mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsẽtibus pro expressis haben. quibus quoad ea, quæ præsentibus aduersantur, illis aliàs in suo robore permansuris, sacra Congregatio Sanctitatis suæ auctoritate specialiter & expresse derogat, cæterisque contrarijs quibuscunque.*

Dat formam publicãdi, & transumptis fidem adhiberi iubet.

§. 11. *Et, ne præmissorum ignorantia à quoquam prætendi possit, voluit eadem sacra Cong. vt præsentes ordinationes in valuis Basilicarum S. Ioannis Lateranen. & Principis Apostolorum de Vrbe, ac in acie campi Floræ, vt moris est, affixæ omnes, ad quos pertinet, ita arctent & afficiant, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent. Vtque earundem præsentium transumptis etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ die 21. Iunij, 1625. Cosmus Cardin. de Torres; Loco † sigilli. Prosper Fagnanus.*

DECLARATIONES.

Aliquot sacræ Congreg. Concilij S. D. N. Vrbani diuina prouidentia PP. VIII. auctoritate editæ super decretis eiusdem Congreg. de celebratione missarum.

§. 1. *Svper prima sacra Congreg. decreto de celebratione missarum, quo prohibetur, ne Episcopi in diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel aliàs quoquomodo reducant onera vlla missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis. Quæritur, quid si legatum sit ita tenue, vt non sit qui velit anus illi iniunctum subire, & si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum, aut ferè totum insumendum sit pro expensis ad id necessarijs? Et quid, si permittatur Episcopo in fundatione, vt possit huiusmodi onera moderari?*

§. 2. *Secundo super secundo eiusdem Congregationis decreto, quo cauetur, vt celebrentur tot missæ, quot ad rationem tributæ eleemosynæ præscripta fuerint. Quæritur, an verba illa (præscripta fuerint) intelligenda sint de præscriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario?*

§. 3. *Tertio, an cum Ordinarius præscripserit eleemosynam congruam, iuxta qualitatem loci, personarum, ac temporum, sacerdotes accipientes stipendium minus congruo teneantur missas illis ab offerente præscriptas celebrare?*

§ 4. *Quartò, an sacerdotes, qui tenentur missas celebrare ratione beneficij, seu Capellæ, legati, aut salarij, possint etiam manualem eleemosynam pro missis votiuis, aut defunctorum recipere, & vnica missæ sacrificio vtrique oneri satisfacere?*

§. 5. *Quintò, posito, quòd testator relinquat, vt celebrentur pro eius anima centum missæ absque vlla præscriptione eleemosynæ. Quæritur, an liberum sit hæredibus eleemosynam sibi benè visam præscribere; an verò eadem eleemosyna præscribenda sit ab Ordinario?*

§. 6. *Sextò super tertio Congregationis decreta, in quo eadem Congregatio reuocat priuilegia, quibus indulgetur, vt certarum missarum, vel anniuersariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus, plurium missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat. Quæritur, an verba, in futurum suscipiendis, intelligenda sint*

sint de oneribus suscipiendis post priuilegium?

§.7. *Septimò, super quarto eiusdem Congregationis decreto, quo prohibetur sacerdoti, qui missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem missam alteri, parte eiusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat. Quæritur, an permittendum sit administratoribus Ecclesiarum, vt retineant aliquam eleemosynarũ portionem pro expensis manutentionis Ecclesiæ, altarium inseruientium, paramentorum, luminũ, vini, hostiæ & similium?*

§.8. *Octauò, an hoc decretum habeat locum in beneficijs, quæ conferuntur in titulum, id est an rector beneficij, qui potest per alium celebrare, teneatur sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem redditũum beneficij?*

§.9 *Nonò, an sacerdotes quibus aliquando offertur eleemosyna maior solita pro celebratione missæ, debeant dare eandem integram eleemosynam ijs, quibus missas celebrandas committunt, an vero satis sit, vt dent celebrantibus eleemosynam consuetam?*

§.10. *Decimò, super quinto eiusdem Congregationis decreto, quo inter cætera statuitur in hæc verba: Eleemosynas verò manuales & quotidianas pro missis celebrandis ita demùm ijdem accipere possint si oneribus antea impositis ita satisfecerint, vt noua quoque onera obire valeant, alioquin omninò abstineant ab huiusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis in futurum recipiendis, & capsulas auferant, &c. Quæritur, an hoc decretũ prohibeat absolutè, quominùs accipiãt nouas eleemosynas ij, qui acceptis non satisfecerunt, & quid, si congruo tempore possint omnibus satisfacere?*

§.11. *Vndecimo, quid si offerens eleemosynas, audito impedimento consentiat, vt sacerdos missam celebret cumprimùm poterit?*

§.12. *Duodecimo, an pœna interdicti, & alia apposita in eodem decreto, afficiant tam eos, qui accipiunt eleemosynas contra formã sibi præscriptam, quàm eos, qui non auferunt capsulas ab Ecclesijs, vtibidem præcipitur?*

§.13. *Decimotertio, an in hoc decreto comprehendantur illæ capsulæ, quæ apponi solent in Ecclesijs in die commemorationis omnium Sanctorum, & vulgo dicuntur (casse de morti)?*

§. 14. *Decimoquarto, an administratores Ecclesiæ magnæ deuotionis & concursus, possint eleemosynas pro missis celebrandis accipere, si ijsdem missis non, nisi post longum tempus, satisfacere valeant, ne aliàs cultus Ecclesiæ, & deuotio, ac concursus fidelium, vt aiunt, minuatur?*

§.15. *Decimoquintò, quia prohibitio dicti decreti videtur aliquibus directa solis Capitulis, Collegijs, Societatibus, Congregationibus, necnon omnibus & singulis Ecclesiarum, & piorum locorum, tam sæcularium, quam regularium Superioribus, de quibus fit expressa mentio, non autẽ priuatis sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausula generali (Et alijs, ad quos pertinet) supplicatur pro opportuna declaratione.*

§.16. *Decimosextò, super septimo eiusdem sacræ Congregationis decreto, quo cauetur, vt in singulis Monasterijs Religiosorum præfigatur numerus, qui ex consuetis redditibus, aut eleemosynis commodè possit sustentari. Quæritur, an vbi hæc præfixio facta iam fuit in vim similis decreti S. M. Pauli V. absque tamen computatione redditũum cuiusque Religiosi, sit denuò facienda, necne?*

§.17. *Decimoseptimò, an nouitij ad habitum regularem admissi, possint admitti ad professionem in Monasterijs, in quibus habita, vt supra, præfixione numeri, commodè ali non possunt.*

§.18. *Decimooctauò, super vltimo, quo cauetur, vt nullibi recipiantur Conuentus Regularium, nisi præter alia ad id requisita, duodecim saltem fratres in eis degere & competenter sustentari valeant, ita vt alioquin subsint iurisdictioni ordinariæ. Quæritur, an hoc decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem missarum, comprehendat eas Religiones, quæ non consueuerunt onera missarum recipere, vt sunt Religiones Capucinorum, ac Societatis Iesu.*

§.19. *Vltimo, an idem decretum, vbi disponit, vt nullibi recipiantur Monasteria, nisi, &c. habeat locum in Italia duntaxat, ad quam est restrictum decretum proximè antecedens, an vero etiam extra Italiam.*

SACRA Congregatio Cardinalium Concilij Trid. interpretũ, auctoritate sibi à S.D.N. attributa, ad singula dubia superiùs proposita ad hunc modũ respondit, videlicet.

Ad 1. Etsi legatum sit adeo tenue, nihilominùs pro reductione oneris, vt supra impositi, ab ijs, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quæ absq; vlla impensa id statuit, quod magis in Domino è re esse indicauerit: Verum tamen si in ipsa beneficij erectione expressè cautum fuerit, vt liceat Episcopo iniunctum onus reducere ac moderari, legem hanc fundationis, quam decreta hac de re edita non sustulerint, esse validam & obseruandam.

Ad 2. esse intelligenda præscriptione facta ab eo, qui eleemosynã tribuit, non autem ab Ordinario: Quod si retribuent eleemosynam, numerũ missarum celebrandarum non præscripserit, tunc tot missas celebrari debere, quot præscripserit Ordinarius, secundùm morem suæ Ciuitatis, vel Prouinciæ.

Ad 3. Teneri.

Ad 4. Sacerdotes, quibus diebus tenentur missas celebrare ratione beneficij, seu capellæ, legati, aut salarij, si eleemosynas pro aliis etiam missis celebrandis susceperint, non posse eadem missa

missa vtrique obligationi satisfacere.

Ad 5. Censuit vbi nullam certam eleemosynam testator reliquit, esse ab Episcapo praescribendam eleemosynam cangruã, quae respondeat oneribus missarum celebrandarum, secundùm morem Ciuitatis, vel Prouinciae.

Ad 6. Ita esse intelligenda.

Ad 7. Respondeo permittendum non esse, vt Ecclesia, ac loca pia, seu illorum administratores ex eleemosynis missarum celebrandarum, vllam vtcunque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in missarum celebratione, nisi cum Ecclesia & loca ipsa alios non habent redditus, quos in vsum earundem expensarum erogare licitè possint, & tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quae pro ipsamet tantùm missae sacrificio necessaria sunt subeundae; & nihilominùs ea etiam casu curandum esse, vt ex pecunijs quae supersunt, expensis vt supra deductis, absalutè tat missae celebrentur, quot praescripta fuerunt ab offerentibus eleemasynas.

Ad 8. Nan habere locum, sed satis esse, vt rector beneficij qui potest per alium missam celebrare, tribuat sacerdoti celebranti eleemasynam congruam, secundùm morem Ciuitatis, vel Prouinciae, nisi in fundatione ipsius beneficij aliud cautum fuerit.

Ad 9. debere absolutè integram eleemosynam tribuere sacerdoti celebranti, nec vllam illius partem sibi retinere posse.

Ad 10. Respandeo non prohibere absolutè; ac propterea etsi oneribus iam susceptis non satisfecerint, posse tamen noua etiam onera suscipere missarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Per modicum verò tempus hic intelligo spatium trium annorum, quo spatio terminantur officia, vt plurimum regularium, cum enim haec decreta sint odiosa, attenta praesertim mendicantium paupertate, debent ita interpretari, vt minus ledant, quam fieri potest, & cum quid modicum tempus arbitrarium sit, vt docent Tuschus *lit. T. canclus. 37. num.* 12. Menoch. *de arbitr. libro secunda, casu 31. numer.* 5. ideo per modicum tempus hic intelligo spatium trium annorum, seu omnino remittendum est iudicis arbitrio considerantis circumstantias loci, temporis, personarum, &c.

Ad 11. Quamvis anera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuent eleemosynam pro aliarum missarum celebratiane, id sciat, & consentiat, vt illa tunc demum celebrentur, cum susceptis aneribus satisfactum fuerit, decretum non prohibere, quominùs eo casu eleemosyna accipiatur pro ijsdem missis, iuxta benefactoris consensum celebrandis.

Ad 12. Has poenas non habere locum, nisi in suscipientibus onera perpetua missarum celebrandarum sine licentia Episcopi, vel eius generalis Vicarij, aut Generalis, vel Prouincialis.

Ad 13. Comprehendi.

Ad 14. Nan posse, nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuunt, vt supra in responsione ad 12.

Ad 15. Comprehendi etiam priuatos Sacerdotes.

Ad 16. Numeri praefixionem esse iterum faciendam, seruata farma vltimi decreti hac de re editi.

Ad 17. esse admittendas ad professionẽ, si aliàs habiles existant, ac deinde in aliquo alio Monasteria eiusdẽ Religionis esse collocandos, vbi commodè ali passint.

Ad 18. Censuit comprehendere.

Ad vltimum habere locum etiã extra Italiã, Casinus Card. de Torres. Prasper Fagnanus sacra Congreg. Secret.

CONSTITVTIO X.

Quae sunt Decreta Congreg. Vrb. VIII. iussu edita, in quibus agitur de Regularibus apostatis & eiectis, alijsque ordinationibus ad ipsos Regulares pertinentibus.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Trid. interpretum, Regularium eiectorum, & fugitiuorum statui consulere, illarumque scandala submouere, & succrescentem numerum frangere opera pretium existimans, auditis Religionum Superioribus, reque diligentissimè perpensa, communicato etiam consilio cum S. D. N. Vrbano VIII. atque ex peculiari Sanctitatis suae facultate, infrascripta decreta edidit. Prooemium.

§. 1. *Ac primò, vt infecta semina, è quibus praui eiusmodi fructus potissimùm prodeunt, deinceps ne serantur in vinea Domini, censuit esse innouandas, & Sanctissimi auctoritate innouat constitutiones, & decreta generalia S. M. Clem. VIII. ad Regularium reformationem, ac nouitiorum receptionem, professionem, atque institutionem spectantia; districtèque praecipit Generalibus atque alijs omnibus Ordinum Superioribus, vt illa exactè obseruent, atque vt obseruentur efficiant, sub poenis statutis in ijsdem constitutionibus. A quibus tamen excipiendum censuit caput illud, quo decernitur, ne in Conuentibus, seu Monasterijs ad nouitios recipiendos hactenus designatis & approbatis, seu in posterum designandis & approbandis, nouitij ad habitũ vllatenus recipi possint, nisi prius à Congregatione reformationis Apostolicae, vel à proprijs locorum Ordinarijs expressè & nominatim approbati fuerint,* Innouat decreta Clem. VIII. pro Regularium reformatione.

rint, à cuius quidem decreti obseruatione sacra Congregatio iustis de causis censuit Regulares esse absoluendos, prout auctoritate S.D.N. absoluit atque eximit.

Nullus etiã ad strictiorẽ Religionem transeat, nisi prius suo Superiori constet eam esse paratam illũ recipere.

§. 2. Deinde, vt apostatandi opportunitas Regularibus præcipiatur, statuit vt de cætero nullus permittatur ad arctiorẽ Religionem transire, nisi priùs Superiori legitimè constiterit eam Religionẽ paratam esse illum recipere, qui licentiam petit, tunque Regularis rectà se transferat ad arctiorẽ; quod vt reipsa adimpleatur, idem Superior omni studio ac diligentia inuigilet.

Apostatæ ab Ordinariis capiantur, & suis Superioribus consignentur. Vide sup. in const. 1. Iul. III. §. 38. num. 95. Vide sup. in const. 2. Sixti IV. nu. 22. & 62.

§. 3. Rursus statuit vt fugitiui & Apostatæ, siue habitum regularem deferant, siue non, possint ac debeant ab Episcopo loci vbi moram trahunt, in carceres conijci, ac Superioribus Regularibus consignari, secundùm regularia instituta puniendi, vtque, ipsi quoque Superiores teneantur eos perquirere, ad Religionem reducere, atque efficere vt apprehendantur, salua tamen in omnibus facultate Ordinarijs locorum attributa decreto Concilij capit. 3. sess. 6. Quòd si apostatæ huiusmodi citra montes infra quatuor, vltra montes verò infra octo menses à præsentis decreti publicatione inchoandos sua sponte ad suam quisque Religionem redierit, tum pœnarum omnium ipsis propter apostasiam inflictarum, aut infligendarum remissionem atque impunitatem assequantur, ita tamen vt debeant à Superiore absolutionem humiliter petere, & coram eo culpam fateri, atque emendationem polliceri; Superior verò è contra benigne illos teneatur excipere, ab huiusmodi pœnis absoluere, & paterna charitate complecti.

Incorrigibiles qui sint, & quomodo à Religione eijciendi. Moderare, vt hic quæ dixi de eiectis tom. 1. Rel. q. 2. c. 25.

§. 4. Ad hæc, vt in posterum è Religionibus nullus legitimè professus eijci possit, nisi sit verè incorrigibilis? verè autem incorrigibilis minimè censeatur, nisi non solùm concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex iuris communis dispositione requiruntur, sublatis hac in parte statutis & consuetudinibus cuiusque Religionis & Ordinis, etiam à Sede Apostolica approbatis & confirmatis; verum etiam vnius anni spatio in ieiunio & pœnitentia probetur in carceribus; proindeque vnaquæque Religio priuatos habeat carceres in qualibet saltem Prouincia: elapso autem anno, si nihilominus non resipuerit, sed animo indurato in sua peruicacia perseuerauerit; ne contagione pestifera plurimos perdat, tanquam pecus morbida, ac membrum putre eijci tandem possit. sed ab ipsomet Generali tantùm, de consilio & assensu sex Patrum ex grauioribus Religionis eligendis in singulis Capitulis, vel Congregationibus generalibus, tumque non nisi instructo secundum eorum stylum; & constitutiones processu & plenè probatis causis expulsionis, ad sacrorum Canonũ præscriptum. Interea tamen vsque ad primum generale Capitulum, seu Congregationem proximè celebrandam, si quempiam ex iustis & necessarijs causis expellere oportebit, eiectio fieri possit à Generali cũ consilio & assensu sex Patrũ, vt supra, quos idemmet Generalis eligere debeat intra quatuor menses à præsentis decreti publicatione; seruata tamen in reliquis forma superius præscripta. Sic verò eiecti, quandiu non redierint ad Religionem, in habitu clericali incedant, atque Ordinarij loci iurisdictioni & obedientiæ subsint; proindeque Generalis illico expulsionis sententiam eidem Ordinario notificare teneatur. Cæterùm sacra Congregatio Religionum Superiores seriò admonet, ac per Iesu Christi viscera obtestatur, vt memores paternæ charitatis & mansuetudinis, quam profitentur, nihil intentatum relinquant, vt lucrentur animas fratrũ suorum ferè in profundum malorũ delapsas, antequã grauissimum atq; extremum expulsionis remedium experiantur; idq; eò magis, quòd subditorum sanguinẽ, qui ex malo negligentiũ & sui officij immemorũ Prælatorum regimine peribunt, D.N. Iesu Christi in suprema Dei iudicia de eorundẽ Prælatorũ manibus sit requisiturus.

§. 5. Præterea statuit, vt ijdem Superiores nemini ex Religiosis expulsis literas testimoniales concedant, illos ad Sedem Apostolicam reijcientes, vel iubentes aliam ingredi Religionem.

Expulsis literæ non concedantur ad Sedem Apostolicam.

§. 6. Item vt eiecti extra Religionem degentes sint perpetuò suspẽsi ab exercitio Ordinum, sublata Ordinarijs locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi.

Eiecti sunt perpetuò suspensi ab exercitio ordinum.

§. 7. Ac postremò censuit esse innouandam, & suæ Beatitudinis auctoritate innouat constitutionem fel. rec. Gregorij IX. relatam in c. fin. extr. de reg. Ac præterea declarat eam constitutionem in ijs quoque vendicare sibi locum, seruandamq; esse qui iustè, diffinitiuéque, ac iuris ordine seruata expulsi fuerint, dummodo tamen in expulsis huiusmodi subsit spes euidens emendationis, ex literis saltẽ testimonialibus Ordinarij, cuius conscientiam in his literis concedendis sacra Congregatio seriò onerauit.

Superiores suos eiectos & fugitiuos quotannis requirant.

§. 8. Ne qua verò difficultas in suprascriptis decretis & ordinationibus exequendis suboriatur, sacra Congregatio S.D.N. annuente atque approbante vniuersis Generalibus Prouincialibus, Commissarijs, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicarijs, & quibuscunque alijs Superioribus quorumcunque Ordinum, vel Congregationum, Monasteriorum, Conuentuum, Collegiorum, domorum, ac locorum regularium vbique locorum existentium iniungit, serióque mandat, vt illa diligenter obseruent, atque obseruari procurent in omnibus Cœnobijs, ac Monasterijs, Collegijs, ac domibus quorumcunque Monachorum ac Regularium, vbique locorum existentibus, efficiantque vt iam decreta supradicti felic. rec. Clem. VIII. quàm præsentes ordinationes in singulis eiusmodi locis bis saltem in anno legantur in publica mensa.

Hæc decreta bis saltem in anno in publica mensa legantur.

§. 9.

Apponuntur pœnæ contra facientes.

§. 9. *Si quis vero ipſorum aduerſus ea, quæ ſuperiùs præſcripta ſunt, vel eorum aliquid quoquo modo facere, vel moliri præſumpſerit, ipſo facto pœnam incurrat priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocisque actiuæ, paſſiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in poſterum obtinenda, pœnaque huiuſmodi ſit Sanctitati ſuæ, ac Sedi Apoſtolicæ reſeruata, iiſdem Superioribus etiam Generalibus, & Protectoribus, illam moderandi, ſeu relaxandi poteſtate penitus interdicta; & nihilominus ſit irritum, & inane quidquid ſecus à quoquam actum extiterit.*

Derogat contrariis.

§. 10. *Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis in fauorem quarumcumque perſonarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Congregationum, Monaſteriorum, Conuentuum, domorum, ac locorum regularium quorumcunque, necnon illorum etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, vel conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque indultis, & priuilegiis etiam in corpore iuris clauſis, aut ex cauſa, vel titulo oneroſo, vel in limine fundationis conceſſis etiam Marimagno, ſeu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis ſpecialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſeruanda eſſet, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habens, quibus quo ad ea, quæ ſupradictis quomodolibet aduerſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter, & expreſſè Sanctitatis ſuæ auctoritate derogat, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ, die 21. Septembris 1624. Coſmus Card. de Torres. Proſper Fagnanus ſacræ Congreg. Secret.*

Decreta generalia fel. recor. Clem. Papæ VIII. de nouitiis ad habitum regularem, & profeſſionem non admittendis, niſi in Conuentibus deſignandis.

CLEMENS PAPA VIII.

§. 11. R*Egularis diſciplinæ reſtitutioni, pro qua potiſſimùm iuxta noſtri muneris debitum laborare non deſiſtimus, illud in primis magnum impedimentum afferre quotidiano vſu compertum eſt, quod in omnibus Conuentibus, iis præſertim, qui maiori reformatione indigent, ſinguli ad Religionem venientes paſſim recipiuntur; vnde fit vt quò magis nos variis conſtitutionibus malè affectas radices amputare ſtudemus, eò magis in dies deprauata, infructuoſaque eiuſmodi nouiter profitentium germina ſuccreſcant. Cui quidem malo occurrere volentes, præſenti decreto ſtatuimus, diſtrictèque præcipimus omnibus Generalibus, Prouincialibus Commiſſariis, Miniſtris, cæteriſque Superioribus Conuentuum, intra Italiæ, & Inſularum adiacentium fines exiſtentium, quibuſcumque, quorumcumque Ordinum Mendicantium, vt de cætero neminem ſub quovis prætextu, aut colore, ad habitum regularem admittant, niſi in Conuentibus auctoritate noſtra propediem in vnaquaque Prouincia deſignandis. Inſuper ſancimus, vt quoad eiuſmodi Conuentus, vt præfertur, per nos deputati non fuerint; omnes præfatorum Ordinum Superiores à receptione quorumcumque nouitiorum, ſiue ad habitum, ſiue profeſſionem, omnino abſtineant. Superior, qui huius decreti tranſgreſſor extiterit, ipſo facto pœnam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vociſque actiuæ, & paſſiuæ, & perpetuæ inhabilitatis ad alia in poſterum obtinenda ſe nouerit incurriſſe, ac aliis etiam pœnis arbitrio noſtro ſubiaceat. Receptiones verò, & profeſſiones quaslibet eorum, qui contra huiuſmodi decretum noſtrum admiſſi fuerint, nullas, & irritas eſſe ex nunc decernimus, & declaramus, priuilegiis, ſtatutis, & conſuetudinibus quibuſcumque in contrarium minimè obſtantibus. Datum Romæ, die 12. Martij, 1596.*

Nouitij non incipiantur, niſi in Conuentibus deſignatis.

§. 12. *Sanctiſſimus in Chriſto P. & D. N. D. Clem. diuina prouidentia Papa VIII. cum iamdudum animaduerteret, collapſæ regularis diſciplinæ reſtitutioni, pro qua potiſſimum iuxta ſui muneris debitum, vigilare, ac laborare non deſiſtit, illud in primis magnum impedimentum afferre, quod in omnibus Monaſteriis, & conuentibus, iiſque præſertim, qui maiori indigent reformatione, ſinguli ad Religionem profitendam accedentes paſſim, ac ſine delectu*

Innouatio ſupradicti decreti de nouitiis non recipiendis, niſi in Conuentibus ab Apoſtolica Sede deſignandis.

re.ipiuntur, ac inde fieri, vt quò magis variis canstitutianibus mole affectas radices euellere studet, eà magis infructuosa nouiter prafitentium germina quotidie succrescant: Cumque ob zelum, ac desiderium, quo tenetur Sanctitas sua, omnes Regulares ad vetus sua cuiusque Religionis institutum redigendi, districtè prahibuerit, ne quis incertis Manachorum, & Mendicantium Ordinibus ad suscipiẽdum habitum Religiants admitteretur, prafitereturvè quousque Manasteria, & Conuentus aliquot destinarentur, in quibus posset commodiùs regularis obseruantia, secundùm reformatianem à Sanctitate sua institutam introduci; Quia tamen, non obstante tali prahibitione, cognauit, nannullos fuisse, vel sub calare facultatis & licentia, à Sanctitate sua obtenta, vel quia talis prohibitio ad illorum notitiam non peruenerit, receptas, & admissos prater mentis sua sensum; Idcirco huic malo prospicere volens, ne licentiarum, ac facultatum huiusmodi subreptione, ac pratextu decretum Sanctitatis sua irritum reddatur, nunc denuo districtè pracipit, ac mandat omnibus Generalibus, Prauincialibus, Commeusariis, Ministris, Prasidentibus, Abbatibus, Prioribus, & Guardianis quibuscumque cæterisque Superioribus Conuentuum, Manasteriorum ac domorum, quocumque nomine appellatur, intra Italiam, & Insularum adiacentium fines existentium, quorumcumque Ordinum Mẽdicantium, & nan Mendicantium (exceptis tamen Carthusianorum, fratrum Minorum de strictiori obseruantia, necnon Capucinorum Sancti Francisci, Reformatorum S. Dominici, Discalceatorum Ordinis Carmelitarum, necnon fratrum Congregationis Fuliensis Cisterciensis Ordinis, ac Eremitarum eremi Camaldulensis, & Montis corana, Clericorum regulariorum, Theatinorum, Sacietatis Iesu, S. Pauli decollati, & aliorum de Somascha, Ministrorum infirmorum respectiuè Ordinibus, Societatibus, seu Cangregationibus nuncupatis, qua etiam antea exceperat, & nunc iterum excipienda, voluit, prohibitionem hanc ad illa nulla mada extendi.) Ne sub cuiusvis licentia, & facultatis impetrata, vel impetranda obtentu, nisi per literas in forma Breuis dumtaxat, & nan aliàs, quemquam ad habitum regularem suscipiendum, nec etiam Conuersos, nisi in Conuentibus, Monasteriis, & domibus, auctoritate eiusdem S. D. N. propediem in vnaquaque Prauincia designandis, recipere, aut receptos ad prafessionem admittere vllo modo audeant; Quinimmo contra primam prahibitionem Sanctitatis sua receptos etiamsi imperfectum habitum, aut sine caputia gerant, post prasentis decreti in Romana Curia publicatianem omnino eiicere debeant.

Apponit pœnas contrafacientibus.

§. 13. *Superiarem autem, qui huius decreti transgressor extiterit, ipso facta pœnam priuationis amnium offi iorum, qua tunc obtinebit, vacis actiua, & passiua, & perpetua inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda, ea incurrere voluit, ac decreuit, & aliis etiam pœnis, arbitrio Sanctitatis sua imponendis subiacere.*

§. 14. *Receptiones verò, & professiones quaslibet earum, qui cantra huiusmodi decretum admissi fuerint, nullas, & irritas esse ad quemcumque effectum ex nunc decernit, & declarat.* Professiones contra hanc formam factæ, nullæ sunt.

§. 15. *Hoc autem decretum noluit sanctitas sua eos Ordines camprehendere, qui Conuentus, domos, & Monasteria à se probata pro nouitiarum receptione, & educatiane hactenus permissione sua constituerint.* Non comprehendit Conuentus, qui habent nouitiatus designatos.

§. 16. *Cæteras verò licentias, siue particulares, qua in hanc diem effectum non sunt sartita, reuacat, & annullat.* Reuocat licentias particulares.

§. 17 *Vult autem, decretum hoc suum in solitis locis Vrbis publicatum, ita pradictorum singulos afficere, ac si cuilibet personaliter fuisset intimatum. Priuilegiis, statutis & constitutionibus quibuscumque in cantrarium minime abstantibus. Datum Romæ, apud S. Marcum, die 29. Mensis Iunij, 1599.* Forma publicandi, cũ derogatione contrariorũ.

Decreta pro reformatione Regularium, tam Monachorum, quàm Mendicantium cuiuscumque Ordinis, & Instituti

CLEMENS PAPA VIII.

§. 18. N*Vllus ammino pratextu cuiuscumque priuilegij, vel superioritatis, etiam Generalatus, à seruitia chari censeatur immunis, nisi pro tempore, qua quis in praprii officij munere actu fuerit occupatus. Cum Lectoribus autem, & Pradicataribus Superiores iis tantùm diebus, quibus eas legere, aut pradicare cantigerit, dispensare possint; idem quaque prastare valeant cum agrotis, & studiorum causa legitimè impeditis. In eos verò, qui negligentes, aut inobedientes fuerint salutari pœnitentia Superiores animaduertant, ad prascriptum Regula, & canstitutionum, aliments etiam si opus fuerit, subtractiane.* Nullus ab officio chori sit immunis. Cum Lectoribus, Prædicatoribus, & ægrotis potest dispensari.

§. 19. *Lectio sacra Scriptura, vel casuum canscientia bis in hebdomada prascriptis diebus, in singulis Monasteriis, & Conuentibus habeatur, ad quam fratres omnes conueniant, eaque absaluta, mutua collectione circa explicotam doctrinam se se vtiliter exerceant.* Lectio scripturæ, vel casuum bis in hebdomada.

§. 20. *Quò Trid. Cancilij decreta de paupertatis voto custodiendo fideliùs obseruentur, pracipitur, vt nullus ex fratribus, etiamsi Superior* Paupertatis votum obseruetur. Vide to.c. Re-

lig. quæst. 2. cap. 2. §. 1.

perior sit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, prouentus, census, eleemosynas, siue ex concionibus, siue ex lectionibus, aut promissis, tam in propria Ecclesia, quàm vbicumque celebrandis, aliove ipsorum iusto labore, & causa, & quocumque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum, aut priorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tanquam propria, aut etiam nomine Conuentus possidere possit, sed ea omnia statim Superiori tradantur, & Conuentui incorporentur, atque cum cæteris illius bonis, redditibus, pecuniis, ac prouentibus confundantur, quo communis inde victus, & vestitus omnibus suppeditari possit.

Superiores contra prædicta non dispensent.

§. 21. Neque Superioribus, quicumque illi sint, vllo pacto liceat eisdem fratribus, aut eorum alicui bona stabilia, etiam ad vsumfructum, vel vsum, administrationem, aut commendam, etiam depositi, aut custodiæ nomine concedere.

Ad vsum concessis, vt propriis non vtantur.

§. 22. Eorum vero, quæ ad necessitatem concessa erunt nullus quicquam possideat vt proprium, neque vt proprio vtàtur.

Pœnæ cõtra facientibus.

§. 23. Qui in præmissorum aliquo deliquerit, pœnas nedum à Concilio Trid. præscriptas, sed alias quoque multò grauiores Superiorum arbitrio imponendas incurrat.

Prælati dispensatio cõtra prædicta, à pœnis non excusat.

§. 24. Nulla quorumcumque Superiorum dispensatio, nulla licentia, quantùm ad bona immobilia, vel mobilia, fratres excusare possit, quominus culpæ, & pœnæ ab eiusdem Concilij decretis impositæ, & ipso facto incurrendæ obnoxij sint, etiam Superiores asseuerent, huiusmodi dispensationes, aut licentias concedere posse, quibus in ea re fidem minimè adhiberi volumus.

Vestitus, & supellex cellarum vniformis, denturque fratribus necessaria.

§. 25. Fratrum vestitus, & suppellex cellarum ex communi pecunia comparetur, & omnino vniformis sit fratrum, & quorumcumque Superiorum statuque paupertatis, quam professi sunt, conueniat, ita vt nihil superflui admittatur, nihil etiam, quod sit necessarium, alicui denegetur.

Omnia vestimenta in communi loco afferuentur.

§. 26. Quæcumque fratrum vestes, siue laneæ siue lineæ, omnisque alia suppellex in aliquem commodum Conuentus locum deferantur, ibique ab vno, vel duobus fratribus huic muneri deputatis diligenter custodiantur, vt inde Superioris arbitrio, prout vnicuique opus fuerit, subministrari opportunè possint.

Victus omnibus, etiam Superioribus sit æqualis.

§. 27. Omnes, etiam Superiores quicumque illi sint, eodem pane, eodem vino, eodemque obsonio, siue eadem (vt aiunt, pictantia in communi mensa, prima, vel secunda, nisi infirmitatis causa impediti fuerint, vescantur, neque singulare aliquid, quo priuatim quisque in cibum vtatur, vllo modo afferri possit. Si quis ea in re peccauerit, nihil ea die alimenti percipiat, nisi panem, & aquam.

uperiorum rouisiones

§. 28. Superiores omnes, etiam Generalis, qui redditus, aut præstationes peculiares ratione officiorum habent, eorum accepta, & expensa in libro distinctè fideliter, & diligenter annotari curent, neque in alios vsus, quàm ratione officij sui necessarios quicquam expendant. Cum verò cõtigerit ipsos in aliquo Conuentu cõmorari, eam pecuniæ quantitatem in communes conferant, ex qua sibi, & iis, qui secum erunt victus ad præscriptum Regulæ, & constitutionum suppeditetur.

in libro scribantur, & solùm ratione officij expendantur.

§. 29. Nullus ex superioribus locorum administrationem bonorum, aut aliarum rerum, dispensationemque pecuniarum, & redditunm sui Conuentus, etiam nomine Conuentus, per se ipsum habere siue exercere possit, sed vniuersum id onus tribus fratribus eiusdem Conuentus à Generali ita demandetur, vt vnus rerum, & bonorum, reddituumque colligendorum, ac exigendorum curam habeat, alter tanquam depositarius pecunias, ac cætera ab illo collecta, & exacta fideliter asseruet; alius de pecuniis, & rebus à depositario acceptis Priori, & fratribus, ac Conuentui vniuerso de necessariis mandante tamen ipso Priore non secundum proprium affectum, sed iuxta charitatis regulam, veluti bonus dispensator prouideat, officiorum huiusmodi confusione penitus interdicta.

Administratio bonorũ Conuentus tribus fratribus demandetur

§. 30. Cæterùm hi tres, tam impensi, quàm accepti, singulis mensibus Superioribus locali, adhibitis etiam duobus vel tribus fratribus eiusdem Conuentus probatioribus, rerumque vsu peritis, rationem reddant: Deinde ipsimet rursus, præsentibus Priore, & peritis prædictis, Generali vel Visitatoribus, cum aduenerint; denique ipse Generalis, vel Visitatores in quolibet proximo Capitulo generali, saltem coram tribus iudicibus ab ipso Capitulo ad hoc constitutis, illorum omnium, vniuersæque suæ administrationis, tam publicæ, quàm priuatæ rationem reddere teneantur, cuius etiam exemplum authenticum ex actis Capituli extrahatur, ad hoc, vt ad omne mandatum nostrum, vel Sedis Apostolicæ Romam transmitti possit.

Hi tres singulis mensibus rationẽ reddant.

§. 31. In vnoquoque Conuentu fratrum is tantùm deinceps constituatur, & in posterum retineatur numerus, qui ex redditibus illius propriis, vel ex communibus consuetis, vel etiam singularum eleemosynis, aliisque quibuscumque obuentionibus in commune, vt præfertur; conferendis commodè possit substentari; redditus verò, & supradicta omnia in communi loco, ac toto diligenter asseruentur.

Tot fratres in locis degant, quot possunt sustentari.

§. 32. Superioribus autem, ne Concilij Trid. aut hæc nostra decreta declarare, interpretari, aut relaxare vllo modo possint, omnino interdicimus, & prohibemus. Decernentes irritum, &c. Si quis autem contra præsumpserit attentare, is eo ipso omni gradu, officioque priuatus, & ad ea perpetuò inhabilis existat.

Hæc decreta declarare non possunt Superiores.

§. 33. Nullus, nisi actu legat, vel prædicet aliquo sui gradus priuilegio gaudeat.

Lectores priuilegiis non gaudent nisi actu legant.

§. 34.

Socij dandi conuersi sint 25. annorũ.

§. 34. Si alicui ex necessaria causa, Generalis iudicio probanda, socius ex eodem Ordine, qui illi ministret concedendus erit, is nisi vigesimumquintum agat annum, & qui communi seruitio sit deputatus, non concedatur, & si commodè fieri potest, sit laicus conuersus.

Ianitor eligatur.

§. 35. Vt omnis scandalorum, & vagationis occasio tollatur, Conuentus clausura perpetuo, ac diligenter seruetur, ac propterea à Superiore ianitor constituatur, qui diligentia, ac morum integritate maximè commendetur; is ianuæ custodiendæ semper assistat, eamque nemini fratrum aperiat, nisi socium, & exeundi licentiam obtinuerit.

Nullus absque licentia egrediatur.

§. 36. Nullus à Conuentu egredi audeat, nisi ex causa, & cum socio, licentiaque singulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta à Superiore, qui non aliter eam concedat, nisi causa probata sociumque exituro adiungat, non petentis rogatu, sed arbitrio suo neque eundem sæpius; Licentiæ verò generales exeundi nullis omnino concedantur.

Contrauenientes pœna graui puniantur.

§. 37. Contrauenientes autem pœna graui, etiam carceris, ad Superioris arbitrium plectantur; eandem etiam ianitor subeat, si sciens exeundi facultatem fecerit.

Cum reuertuntur, benedictionem petant.

§. 38. Cum autem quis in conuentum reuertitur, Superiorem iterum adibit, benedictionem recepturus, qui à socio itineris rationem, & quid rei actum sit, diligenter perquirat.

Romam petere nemo potest.

§. 39. Nullos fratres Romam venire Superiores permittant, nisi priùs à Generali, vel Protectore dumtaxat licentiam in scriptis impetrauerint.

Pœnæ contrafacientibus.

§. 40. Si quis autem sine huiusmodi facultate Romam venire præsumpserit, voce actiua, & passiua biennio priuatus existat, subiturus etiam alias arbitratu Superiorum infligendas pœnas; Quæ item omnia aduersùs eos, qui supradictos admiserint, & receperint, sine vlla exceptione locum habeant.

Vnica claue omnes cellæ aperiantur.

§. 41. Habeat Superior clauem ita fabrefactam, vt cum sibi videbitur, cellas omnes reserare possit; & propterea nullus cellam, etiam noctu, ita claudat, quin semper à superiore possit aperiri.

Lampas in dormitorio luceat.

§. 42. In medio dormitorij totam noctem lampas colluceat.

Nullus duas cellas, nisi Superiores, habeat.

§. 43. Nullus, etiam Superior, cellas, siue in claustro, siue alibi separatas à communi dormitorio habeat, sed vnusquisque vnica cella, eadem cum cæteris aliorum fratrum coniuncta, nudis omnino parietibus, ac lecto, & mensa humilibus, vniformique suppellectili, vt præfertur, quemadmodùm Religiosos decet, contentus sit; possit tamen Generalis alicui ex Superioribus Conuentuum, si earum muneris, & officij necessitatem id exigere cognouerit, alteram etiam cellam concedere.

Cellæ extra dormitoriũ prohibentur.

§. 44. Cellæ, siue aditulæ, quæ extra dormitorium separatim sunt, ad officinas, aut aliàs ad Communem vsum, & commoditatem Conuentus redigantur.

Singuli lectum habeant.

§. 45. Sigillatim suo quisque lecto cubet, neque vllibi duo eodem lecto dormire possint, qui omnes ad certam formam redigendi erunt.

Camini non permittuntur, nisi Superioribus.

§. 46. In priuatis cellis nulli camini permittantur, sed omnes obstruantur statim, cardinibus etiam è parietibus conuulsis vt res illa non ad tempus facta, sed perpetuò duratura videatur; cellis tamen Generalis aut alterius Superioris, ac Prædicatoris exceptis.

Conuentus fenestræ quomodò regulari debeant.

§. 47. Conuentus fenestræ omnes, quæ in vias publicas, aut in vicinas laicorum ædes prospiciunt, muro ita obstruantur, vt omnino his prospectus impediatur.

Infirmaria in singulis Conuentibus constituatur.

§. 48. Valetudinarium in singulis Conuentibus, certo, ac salubriori loco constituatur, quod pro loci situ, ac fratrum numero, quò ad fieri poterit, commodissimum esse possit, in quo fratres omnes cum ægrotabunt, curentur, nec inde, nisi recuperata sanitate, abire permittantur; qui verò infirmorum curæ præpositi sunt, omni sedulitate, ac charitate operam suam præstabunt, ac curabunt, ne quid ægrotis omnino desit, quod ad sanitatem recuperandam pertineat.

Non concedatur fratribus extra Conuentũ degere.

§. 49. Ineatur ratio, qua, sublatis licentiis, ac facultatis hactenus quibuscumque concessis, degentes extra Conuentus, claustra, ad ea quamprimum reuocentur, nec de cætero, nisi ex grauissima causa, à Sede Apostolica probanda, huiusmodi facultates concedi possint.

Nullus recipiatur nouitius, nisi in Conuentibus designatis.

§. 50. Nulli in posterum ad habitum aut professionem admittantur, nisi in Conuentibus per sedem Apostolicam in qualibet Prouincia deputandis.

Constitutio largitionis munerum obseruetur.

§. 51. Curent Superiores, vt constitutio interdicens largitiones munerum, & præscribens hospitalitatis formam, ab omnibus in quolibet Conuentu inuiolabiliter obseruetur.

Dignitatum procuratio prohibetur. Vide to. 2. Relig. q. 1. cap. 2. § 11. pag. 555.

§. 52. Vt omnis officiorum ambitus occasio præcludatur, caueant omnes à directa, vel indirecta vocum, seu suffragiorum procuratione, tam pro se ipsis, quàm pro alijs, tum in Capitulis locorum, tum in cæteris, præsertim generalibus, Capitulis, aut Congregationibus, seu alibi. Quicumque secus fecerint, præter aliàs pœnas, & censuras hactenus contra huiusmodi ambientes inflicta, quas in suo robore permanere volumus, in pœnam priuationis officiorum, quæ obtinent, eo ipso incidant, & ad futura quæcumque pariter inhabiles habeantur; super quo cum eis dispensari à nemine possit, nisi à nobis, vel successoribus nostris, & pro qualitate culparum grauius etiam plectantur. Porrò supradictas omnes pœnas ad complices, ac simpliciter scientes, & non reuelantes extendimus.

Iurent electores de meliori eligendo, & ad officia, qui

§. 53. In Superiorum, & officialium omnium electionibus forma præscripta à sacro Concilio Trid. & Ordinis constitutionibus inuiolabiliter ser-

uetur

magis Regulam seruant, eligantur.

netur, iurentque electores secundum veritatem cuiusque conscientiæ probiores, ac magis idoneos se electuros, Ac propterea, priusquam ad electionem deueniatur, in primis, & ante omnia prælegantur constitutiones de qualitate, & requisitis eligen'orum. Ad officia, gra us, & prælaturas illi præcipuè eligantur, qui possint, & consueuerint Regulas Ordinis, & constitutiones obseruare, præsertim quæ pertinent ad seruitium chori, ac vestitum, & victum communem.

Tres viri graues in examinatores eligantur.

§. 54. *Eligantur in Capitulò generali, vel prouinciali aliquot graues, & periti ex fratribus cuiuslibet Prouinciæ, saltem tres, qui admittendos ad prædicationem verbi Dei, ad audiendas confessiones, etiam ipsorum fratrum, ac Lectores publicos diligenter simul examinent, priusquam probentur & ad huiusmodi ministerium admittantur. Horum etiam cura sit examinare & probare tam quo ad doctrinam, quàm quò ad mares promouendos ad quoscumque ordines; in quo seruetur decretum Congregationis interpretum sacri Concilij Trid. hac de causa nuper editum, & promulgatum.*

Curent Superiores Regulam seruari, & sermo de religiosa disciplina habeatur.

§. 55. *Illud porro Superiores omnes in Domino admonemus, vt memores sint rationis; quàm, in nouissimo die reddituri sunt pro grege sibi commisso, ac propterea omni studio inuigilent, vt, quæ in eorundem Ordinum Regulis, & constitutionibus de oratione mentali, silentio, ieiuniis, Capitulo culparum, aliisque spiritualibus exercitiis prudenter, ac piè sancita sunt, ea omnia, & singula ad vnguem obseruentur, intelligantque super his, veluti fundamentis, omnium Religionum ædificia construenda, & amplianda esse; quæ vt faciliorem exitum sortiantur, & fructus vberiores in animis fratrum producant, valde opportunum erit, si in quolibet Conuentu singulis hebdomadis habeatur sermo de religiosa disciplina, regularique obseruantia.*

Tabella cũ horarum distinctione in loco conspicuo appẽdatur.

§. 56. *Quò verò omnia ordinatè peragantur, appendatur tabella in loco conspicuo vniuscuiusque Conuentus, in quo distinctè annotetur, quid singulis horis cuiusque diei quilibet frater præstare debeat, vt certo quoque signo præmonitus, maiore animi præparatione suo muneri satisfacere possit. Quæ Ordinis constitutiones, his decretis non aduersantur, inuiolatè custodienda erunt.*

Hæc decreta inter alias constit. perpetuas collocentur.

§. 57. *Quibus horum decretorum capitibus certa pœna præscripta non est, arbitrio Generalis, vel alterius immediati Superioris infligatur. Vt autem hæc decreta, donec alia, quæ pleniorem reformationem facient, edantur, ab omnibus obseruari possint, districtè præcipimus Generalibus, ac omnibus aliis quibuscunque Superioribus, ad quos hoc spectat, vt curent, ac efficiant, ea omnia inter alias eorundem Ordinum constitutiones perpetuò valituras redigi, interdicta omnino eorum singulis facultate illas declarandi, & aduersus eas vnquam dispensandi, aliaquin sciant, se in pœnam Generalatus, & officiorum priuationis, ac inhabilitatis perpetuæ ad alia quoque munera ipso facto, & sine vlla exceptione respectiuè incidisse.*

Forma publicandi ad effectum obligandi.

§. 58. *Ne verò prætextu dilatæ publicationis eorum obseruatio quoquo modo differri possit, aut impediri, volumus, vt, post illorum publicationem in Conuentu, vel Monasterio cuiuslibet Ordinis de Vrbe factam, Generalem, aliosque Ordinum Superiores, cæterosque quoscunque fratres præsentes statim; reliquos verò absentes citra montes vnius mensis; vltra montes trium mensium spatio ita arctent, ac si eorum singulis personaliter intimata fuissent.*

Generales hæc decreta publicari faciant.

§. 59. *Insuper mandamus, quòd Generales in singulis Conuentibus circa montes vnius mensis; vltra verò montes trium mensium cursu decreta supradicta publicari faciant, sub pœna priuationis Generalatus, aliisque arbitrio nostro imponendis.*

Datum Romæ; apud S. Petrum, die 25. Mensis Iunij, 1599.

Prouincialis potest concedere licentiam eundi Romam.

§. 60. *Decretum illud, quo fratres Romam petere cum Generalis, & Protectoris licentia dumtaxat permissum est, Sanctitas sua extendit ad Prouincialem decreuit, ita vt Prouincialis ipse ex causa communi totius Prouinciæ dumtaxat, facultatem huiusmodi facere valeat; declarauitque pœnam priuationis vocis actiuæ, & passiuæ contrafacientibus inflictam Sanctitati suæ reseruatam esse, interdicta omnino eorum Superioribus singulis; etiam Generali, ac Protectoris facultate illam moderandi, ac relaxandi. Datum Romæ, die 20. Martij, 1601.*

Decretum fel. rec. Clem. Papæ VIII. super casuum reseruatione, ab omnibus Regularium Superioribus obseruandum

Motiua pro casuum reseruatione à Superioribus facienda.

§. 61. *SAnctissimus D. N. qui iampridem accuratè perpendit, ac re ipsa comperit, quòd reseruatio facultatis absoluendi Religiosos pœnitentes à peccatis quibusdam grauioribus, nisi Superiores admodùm prudenter, ac moderatè illa vtantur, nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori suo conscientiæ maculas detegere formidant, adducere posset in æternæ damnationis periculum, & spiritualis remedij desperationem; Ideo, vt huic malo Sanctitas sua opportunè prospiceret, decreuit, vt nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutiones sibi reseruet, exceptis iis, quæ sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, prout subditorum vtilitati expedire prudenter in domino iudicauerint.*

§. 62. *Veneficia, incantationes, sortilegia.*

§. 63. *Apostasia à Religione, siue habitu dimisso, siue retento, quando eò peruenerit vt extra*

septa

ſcpta Monaſterij, ſeu Conuentus fiat egreſſio. Nocturna, ac furtiua è Monaſterio, ſeu Conuetu egreſſio etiam non animo apoſtatandi facta.

§. 64. *Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale. Iuramentum falſum in iudicio regulari, ſeu legitimo.*

§. 65. *Procuratio, auxilium, ſeu conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſequuto.*

§. 66. *Falſificatio manus aut, ſigilli officialium Monaſterij, Conuentus. Furtum de rebus Monaſtery, ſeu Conuentus in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale.*

§. 67. *Lapſus carnis voluntarius opere conſummatus.*

§. 68. *Occiſio, aut vulneratio, ſeu grauis percuſſio cuiuſque perſonæ.*

§. 69. *Malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum à Superioribus ad inferiores & ab inferioribus ad Superiores.*

Si quod aliud crimen reſeruãdum ſit quomodo id fieri, poſſit.

§. 70. *Si quod aliud præterea peccatum graue pro Religionis conſeruatione, aut pro conſcientiæ puritate reſeruatum videbitur, id non aliter fiat, quàm generalis Capituli in toto Ordine, aut prouincialis in Prouincia matura diſcuſſione, & conſenſu.*

Superiores regulares ſubditorum confeſſiones non audiant.

§. 71. *Non liceat Superioribus Regularium confeſſiones ſubditorum audire, niſi quando peccatum aliquod reſeruatum admiſerint, aut ipſimet ſubditi ſponte, ac proprio motu id ab iis petierint.*

Superiores confeſſ. deputent.

§. 72. *Superiores in ſingulis domibus deputent duos, tres, aut plures confeſſarios pro ſubditorum numero maiori, vel minori, iique docti prudentes ac charitate præditi, qui à non reſeruatis eos abſoluant, & quibus etiam reſeruatorum abſolutio committatur, quando caſus occurrerit, in quo eam debere committi ipſe in primis confeſſarius iudicauerit.*

Notitia in confeſſione habita non vtantur ad exteriorem gubernationem.

§. 73. *Tam Superiores pro tempore exiſtentes, quam confeſſarij, qui ad ſuperioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentiſſimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur.*

Licet Superioribus pœnitentias determinare.

§. 74. *Licebit tamen Superioribus, determinare pœnitentias graues quibuſdam peccatis, etiam non reſeruatis à confeſſariis imponendas, quæ ſubditos ab huiuſmodi perpetrandis cohibere poſſint.*

Contrariis derogat.

§. 75. *Atque ita per quoſcumque Regularium Superiores, quicumque illi ſint, obſeruari mandauit. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac cuiuſuis Concilij etiam generalis decretis, necnon conſuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore obſeruatis, aut regulis in generalibus, ſeu prouincialibus Capitulis editis, ſtatutis & conſtitutionibus, etiam Apoſtolica auctoritate confirmatis; priuilegiis, indultis, & conceſſionibus quorumcumque Ordinum, quorum tenores hic pro expreſſis haberi voluit, cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque. Datum Romæ, apud S. Petrum, die 26. Menſis May, anno Domini 1593.*

§. 76. *Sanctitas ſua deinceps declarauit, & declarat, vt ſi, huiuſmodi Regularium confeſſariis caſus alicuius reſeruati facultatem petentibus, Superior dare noluerit, poſſint nihilominus confeſſarij illa vice pœnitentes Regulares, etiam non obtenta à Superiore facultate, abſoluere.* Superiore negante confeſſario facultatem abſoluendi, ille nihilominus poteſt abſoluere.

Formula concedendi facultatem pro Nouitiis ad regularem habitum recipiendis in Monaſteriis, & locis deſignatis.

§. 77. S*Anctiſſimus in Chriſto P. & D. N. D. Clemens diuina prouidentia Papa VIII. cum regularem diſciplinam reſtituere, atque in priſtinum ſtatum reuocare maximè cuperet, Regulareſque omnes vitam moreſque ſuos ad rationem eius Inſtituti, quod quiſque profeſſus eſſet, ita componere, vt quæ ad votorum vim, habitum victumque communem pertinent, ea potiſſimum ſinguli religioſiſſimè obſeruarent, generali decreto, quod de Menſe Iunij editum, tertia Iulij, anni 1599. promulgatum fuit, Ordinum religioſorum Superioribus (nonnullis exceptis) prohibuit, ne aut nouitios reciperent, aut quemquam ad profeſſionem ante admitterent, quàm à Sanctitate ſua Monaſteria aliquot ad eam rem præſcripta eſſent, in quibus obſeruantia regularis vigeret. Nunc verò eadem Sanctitas ſua à locorum etiam Ordinariis, quibus id muneris demandauerat, certior facta, in infraſcriptis Monaſteriis, & Conuentibus N. præfinitum eſſe numerum dumtaxat eorum, qui vel ipſius Monaſterij cenſibus, vel conſuetis eleemoſynis ſuſtentari ibi commodè poſſunt, atque in iis omnia fideliter obſeruari, quæ ſunt cum illorum profeſſionis perfectione coniuncta, nempe caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ vota, vnà cum cæteris decretis particularibus, vel Inſtituti ipſius, vel pontificis etiam ad victum, veſtitumque communem ſpectantibus, ipſo decreto, vt ſupra, edito, & promulgato nequaquam obſtante, poteſtatem facit Superior eiuſdem Ordinis nouitiatus in infraſcriptis Monaſterys, & Conuentibus erigendi, nouitios recipiendi, educandi, atque ad profeſſionem admittendi, modò tamen id ad præſcriptum inſtructionis, iuſſu ſuæ Sanctitatis editum, neque alio modo fiat. Quoniam verò ea eſt ſuæ Sanctitatis mens & voluntas, vt in Monaſterijs, & Cōuentibus, ad alendos nouitios præfinitis, regularis obſeruãtia perpetuò retineatur, mandat, & præcipit, vt in ipſis præſcriptus iam perſonarũ numerus in poſterũ ſeruetur nulluſq; omnino Superior cuiuſvis cõditionis perſonarũ, & nouitiorũ numerum augere* Eſt forma, prout in ſummar. & quod numerus fratrum deſignatus augeri non poſſit.

augere præsumat, ea pœna proposita, vt omnibus priuatus officijs, vocis actiuæ, & passiuæ ius omne amittat. Vult denique Sanctitas sua huiusmodi facultatem per Congregationem reformationis Apostolicæ hoc decreto Secretarij manu subscripto concedi, non obstante decreto, vt supra promulgato. Datum Romæ, die, &c. Præscribitur verò numerus Sacerdotum, Clericorum, Nouitiorum, Conuersorum autem.

Decretum supra formã recipiendi nouitios Regularium ad habitum, & professionẽ.

Nouitij non recipiantur, nisi ab Ordinariis approbati. Quod tamen derogatur hic supra, n. 1.

§.78. S*Anctissimus in Christo P. & D. N. D. Clemens diuina prouidentia Papa VIII qui aliàs pro regularis disciplinæ restitutione singulis Regularium Ordinibus (quibusdam exceptis) prohibuit, ne ad regularem habitum nouitios in posterum reciperent, receptosque ad professionem admitterent, quousque in aliquibus cuiusuis Ordinis Monasterijs, seu Conuentibus, in quibus nouitiatus pro recipiendis, & educandis nouitijs designarentur, & approbarentur, ad eius quam professi sunt, Regulæ præscriptum, vitam moresq; restituerent & componerent: Certior deinde factus, quosdam omnium fere Ordinum Conuentus seu Monasteria ad pristinam illam regularem viuendi formam, & disciplinam, quam diutius desiderauerat, fuisse redacta in eisdem Monasterijs & Conuentibus, vt nouitiatus erigi, nouitijque recipi possent, sub certis tamen legibus, ac ea præsertim vt licentia à Congregatione reformationis Apostolicæ priùs obtenta esset, concessit, & ad illa designauit, & aprobauit. Nunc volens, vt ea quæ pro nouitiorum receptione, & institutione de mandato Sanctitatis suæ præscripta fuerunt in posterum accuratiùs, & exactiùs obseruentur, vltra formam traditam in constitutionibus fel. rec. Sixti Papæ V. & etiam Sanctitatis suæ super receptione nouitiorum, decreuit, ac præsentis decreti virtute mandauit, ne in Conuentibus, seu Monasterijs, ad nouitios recipiendos de Sanctitatis suæ, seu dictæ Congregationis reformationis licentia hactenus designatis, & approbatis, seu in posterum designandis, & approbandis, nouitij ad habitum recipi vllatenus possint, vel admitti, nisi prius ab ipsa Congregatione, vel à proprijs locorum Ordinarijs, aut ab illis, in quorũ Diœcesi nouitiatus existunt, in quibus nouitij recipiendi approbati fuerint. & vt recipi, & admitti possint, licentiam in scriptis, gratis tamen in omnibus, etiam quo ad scripturã concedendam, obtinuerint. Monet autem Sanctitas sua eosdem Ordinarios, omnem curam, & diligentiam adhibere, vt circa ætatem, conditionem, educationem scientiam, vitam, & mores, cæterasq; qualitates in ipsis nouitijs requisitas, obseruentur institutiones pro illis recipiendis ab eadẽ Congregatione reformationis facta, & publicata, neq; aliter nec alio modo aliquem ad habitum recipi permittant, Ordinariorum ipsorum conscientiam onerando, si quempiam approbauerint,*

Monitio ad Ordinarios.

vel admitti permiserint, qui non sit idoneus, & iuxta constitutiones, & institutiones prædictas approbandus & admittendus. Firmis nihilominus remanentibus pœnis omnibus contra Superiores quorumcunque Ordinum, qui in admittendis ad habitum, & professionem nouitijs, formam constitutionum prædictarum non seruauerint, aut nouitium aliquem, quantumuis idoneum, & approbatum, in quovis alio Conuentu, & loco, seu Monasterio, præterquam in hactenus à sua sanctitate, vel à dicta Congregatione designatis & approbatis, seu in posterum designandis, & approbandis, vel vltra numerum in eorum singulis præscriptum, seu præscribendum receperint, vel admiserint, seu aliàs præmissis quovis modo contrafecerint: Irritum ex nunc, & inane decernens, quicquid, secus vel aliàs quavis auctoritate à quovis gestum, vel attentatum fuerit. Non obstantibus quibuscumque &c. Datum Romæ, apud S. Petrum die 19. Maij, 1602. Pontif. eiusdem S. D. N. anno. 11.

Pœnæ contra Superiores contrafacientes.

Institutiones supra receptiones, & educationes Nouitiorũ Religiosorum in Monasterijs, & Conuentibus designatis, vel designandis, Clementis eiusdẽ iussu editæ.

§.79. C*Vm ad regularẽ disciplinam in singulis Religiosorum Monasterijs propagandã nouitiorũ institutio maximè vtilis sit, ac necessaria, & nihil ad grauem illam, ac laudatissimam priscorum Patrum viuendi rationem relaxandã maiorem vim habuisse compertum sit quàm vel nimiam in recipiendis nouitijs facilitatem supra numerum, quem capere atque alere monasteria ipsa possent; vel negligẽtiam in probando, & examinando eorum spiritu, an vere essent ex Deo, atq; ex præcipuo desiderio illi inseruiendi, vel denique incuriam in eis educandis, atque instituendis, idcirco, vt huiusmodi incommodo deinceps occurratur, præcipitur omnibus, & singulis ad quos spectat, vt in recipiendis nouitiis, & in eorum institutione, atque educatione, necnon in Magistri, & aliorum ministrorum electione, præter alia, quæ in sacris Canonibus, & decretis, præsertim Cõcilij Trid. Pontificiis, & cuiuscumq; Ordinis aut Instituti constitutionibus continẽter, tam in aliàs designati, quàm nunc, & in posterum ad hoc designãdis Monasteriis & Conuentibus, hæc quæ sequuntur inuiolatè obseruari, & exequi perpetuò curet.*

Motiua harum ordinationum.

§.80. *Primum, quòd attinet ad nouitiorum recipiendorum formam, vltra diligentem perquisitionem, quæ habenda erit de vniuscuiusq; natalibus, corporis habitudine, moribus, & vita anteacta, ac præcipuè eorum, qui sextum decimum ætatis suæ annũ excedent, an criminosi an ære alieno grauati, vel reddendæ alicuius administrationis rationi obnoxij sint, iuxta formam const. fel. rec. Sixti V. & moderationum subsecutarum; illud etiam Superiores, ad quos spectabit, sedulò perquirant, vt quibus in Monasterijs, & Con-*

Quæ conditiones requirantur in nouitiis recipiendis.

uentibus ex Apostolica facultate nouitiatus fuerint instituti, in iis ad Religionem nullus in posterum admittatur, qui & ex honestis parentibus natus non sit, & conditiones sacris Canonibus, summorumque Pontificum constitutionibus praescriptas nō habeat, iuxta decretum super forma de recipiendis nouitijs, die 19. Maij 1602. editum.

Quam aetatem, & scientiam habere debeant, etiam Conuersi.

§. 81. *Quisque recipiendus in aliquo Ordine regulari, etiam mendicantium, in ea sit aetate constitutus, quam eius Ordinis, in quo recipietur, regularia instituta, & ordinationes requirunt, eam verò literarum scientiam calleat, aut illius addiscendae spem indubiam praeseferat, vt minores, & suis temporibus maiores Ordines iuxta decreta sacri Concilij Trid. suscipere valeat. Sed si quis annum vigesimumquintum excedens, ad habitū regularem admitti postulauerit, & tali eruditionis expers inuentus fuerit in Conuersorum tantum, quibus literarum scientia non est necessaria, numerum referatur, Ipsi autem Conuersi non recipiantur ante vigesimum aetatis suae annum, & nisi saltem praecipua doctrinae Christianae capita nouerint.*

De quibus debeant examinari.

§. 82. *Demum Superiores diligenter exquirant, quo spiritu, qua mente, ac voluntate id regularis vitae genus elegerint, quem sibi finem proposuerint, num zelo melioris frugis ac perfectioris vitae, & vt Deo liberiùs famulari possint, an potius lenitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animi ducantur, & an eorum parentes ope, & subsidio ipsorum indigentes, destituantur.*

Instruantur de regula, & votis, antequam ad habitum recipiātur.

§. 83. *Prouideant quoque, vt omnes, etiam Conuersi, recipiendi, priusquam ad habitum regularem admittantur, ab ijs, quibus munus hoc incumbit, de regula, quàm professuri sunt, tribus votis essentialibus, statuq; regulari, & alijs cuiusq; Ordinis peculiaribus institutis, & constitutionibus diligenter instruantur. Et quia quarundam Religionum mos est, nedum Conuersos ad professionē admittendos, verùm & Oblatos, vt vocant, recipere, circa ipsorum Oblatorum receptionem vnaquaque Religio suas peculiares constitutiones, specialiaque instituta obseruare teneatur.*

Nouitij statim recepti cōfessionem generalem faciant.

§. 84. *Statim atque nouitij ad habitum recepti, & in locum nouitiatus introducti fuerint, per generalem omnium peccatorum confessionem totius anteactae vitae conscientiam discutiant, & expurgent.*

De situ & positura nouitiatus; In quo etiam magister, & socius stent.

§. 85. *Quod verò ad loci qualitatem vniuscuiusque nouitiatus spectat, locus huiusmodi propria clausura ab ea parte Conuentus, & Monasterij, in qua degunt professi, segregatus sit atque distinctus, habeatque tot ad dormiendum cellulas separatas, quot erunt numero nouitij, vel dormitorium ita capax, vt pro singulis singuli lectuli commodè sterni possint, in quo etiam cellula, vel certus, ac determinatus locus pro Magistro, eiusque socio reperiatur.*

Sit in eo locus pro collationibus. Caminus quoque ad calefaciendum.

§. 86. *In eo etiam, praeter alias communes commoditates, aptus locus adsit ad spirituales collationes, seu conferentias faciendas, ac lectiones, instructionesque Magistri audiendas, & in quem hyemis tempore ad calefaciendum se igne communi recipiant.*

Sit etiam in eo Oratorium.

§. 87. *Oratorium insuper, seu Capella, si commodè fieri poterit, ad nouitios in spiritualibus, praesertim in caeremonijs, ecclesiasticisque functionibus exercendos.*

Hortus quoque sin minus, ad communem, alijs exclusis.

§. 88. *Hortus quoque peculiaris ad honestam recreationem, bene conclusus, atque munitus adsit; sin minus, hortum caeteris fratribus communem recreationis tempore ingrediantur; Ipsis verò nouitijs ibi commorantibus, curabit Magister cum loci Superioris auctoritate, si opus fuerit, ne in eundem quisquam alius ingrediatur.*

In nouitiatu solus Magister, ac socius, & aliquando Superior ingrediantur.

§. 89. *Ad huiusmodi locum nouitiatus nemini eiusdem, vel alterius Ordinis regulari, etiam Conuentus, & Monasterij officiali vllo vnquam tempore sub quovis praetextu aditus pateat, praeterquam Magistro, eiusque socio, ac etiam Monasterij, aut Conuentus Superiori, si quandocumque ingrediendum sibi necessariò existimauerit; quo tamen casu aliquem semper ex senioribus Conuentus, vel Monasterij Patribus socium assumat.*

Nouitij quomodo alloquendi.

§. 90. *Huius loci clausurae clauis apud Magistrum semper asseruetur, illique soli liceat ex graui tantùm causa ingressum illuc alicui permittere; Si quis autem nouitiorum quempiam alloqui voluerit, Magistro praesente, & non aliter, alloquatur.*

Magister nouitiorum, & socius in Capitulis Prouincialibus eligantur per triennium.

§. 91. *Nouitiorum Magistro socius, si per nouitiorum instruendorum multitudinem necessarius fuerit vita, & moribus, quoad fieri poterit, consimilis deputetur, qui in his, quae ad Nouitiatus regimen spectant, dicto Magistro immediatè subiectus existat, eliganturque tam Magister, quàm socius, per prouinciale Capitulum, per triennium ad minus onus huiusmodi subituri. Quod si aliquo casu extra tempus capitulare noua loca Nouitiatus concedi contingat, tunc electionem Magistri Nouitiorum, & socij huiusmodi in his nouis locis per Generalem, vel Prouincialem, seu Ministrum, aut eorum Visitatores, seu Vicarios, de Definitorum tamen, vel grauiorum aliorum Patrum consensu fieri permittatur; idemque seruetur, si intra triennium, alterum, vel vtrumque vrgenti aliqua de causa ex illis locis amoueri, vel mori contigerit, in cuius, vel quorum locum alij consimiles subrogari debeant.*

De conditionib. Magistri nouitiorum, & socij.

§. 92. *Tam nouitiorum Magister, quàm socius, ab iis omnibus officijs, oneribusque vacationem habeant, quae nouitiorum curam, & regimen impedire valeant. Ipse Magister sacerdotali ordine sit initiatus, ac in quinto saltem supra trigesimum aetatis suae anno constitutus, & per decennium à professione emissa in Religione persliterit; socius verò trigesimū annum excedat sintq; ambo doctrina, & quantùm per Superiorum diligentiā, & vires fieri poterit, vita etiam anteacta exemplo praestantes, orationis praeterea, & mortificationis operibus addicti, prudentia, charitateq; referti,*

referti, non sine affabilitate graues, zelum Dei cum mansuetudine praeferentes, ab omni cordis, ac animi perturbatione, ira praesertim, & indignatione, quae in se, & erga alios charitatem impedire consueuerunt, quam longissimè alieni; & tales demum, qui in omnibus seipsos bonorum operum exemplum praebeant, vt ij, qui eorum curae subsunt, illos non tam metuant, quam reuereantur, nec illis vnquam detrahere quicquam possint.

Magister habet plenam potestatem circa nouitios.

§. 93. *Habeat etiam Magister plenam, & absolutam potestatem circa nouitiorum institutionẽ ac Nouitiatus regimen, ita vt in illis nemini (Visitatoribus ac Superioribus maioribus, vel etiã localibus exceptis,) quovis colore se ingerere liceat.*

De quibus debent nouitij instrui.

§. 94. *Curam adhibeat diligentem, vt nouitij, omnes in regulari disciplina sedulo exerceantur, agnoscantque praecipuè diuina, quo digni facti sunt, vocationis praestantiam, & excellentiam quae vera sit, atque perfecta votorum solẽnium, & quam necessario cuiusque Ordinis constitutionum obseruantia, modum in oratione, tum vocali tum mentali fructuosè persistendi, illicitas passiones, & vitia (ad quae natura per peccatum labefactata, omni tempore prona est atque procliuis) per sensuum custodiam, & mortificationẽ cohibendi; austeritatem, ieiunia, cilicia, disciplinas, conscientiae puritatẽ crebram illius discussionem, sacramentorum frequentiam, confessionis praesertim, quae bis saltem singulis mensibus fiat per aperitionem quotidianam motuum internorum cordis & tentationum manifestationem, per exercitium humilitatis circa viliora ministeria, per modestiam in omnibus actionibus, diuturnumque silentium.*

Nouitij orationi incumbant, & magistro confiteãtur. Huic obstat nostrum Correct. nu. 89. cui nõ puto derogari.

§. 95. *Quilibet nouitius bis quotidie orationi mentali, & vocali incumbat, vnusquisque secundùm propriam capacitatem, & ordinem sibi à Magistro praescriptum, ac pluries in die propriam conscientiam vnusquisque examinare contendat; ipsi autem Magistro soli nouitiorum confessiones audiendi cura committatur. Liceat tamen Superiori etiam locali, si ita expedire iudicauerit, vel per se ipsum, vel per alium ab eo deputandum, semel aut bis in anno eorundem nouitiorum confessiones audire. Quia istae ordinationes non sunt per modum praecepti, sed solum per modum Regulae, & Consilij, vnde statutis regularibus non derogant, nec minus irritant confessiones aliter factas; sic in istis terminis tenet Molfes. p. 1. sum. tr. 7. c. 14. n. 83.*

Missae intersint, & horis canonicis.

§. 96. *Quotidie missae sacrificio intersint, & statutis horis in choro nocturnis, diurnisque diuinis officiis assistant.*

Vacẽt etiam exercitiis corporalibus.

§. 97. *Exercitationibus etiam corporalibus vacent, legant, vel scribant res spirituales, modestã animi recreationem interponant, quae in solitario loco, & cõmodo extra nouitiatũ semel in hebdomada, vel in alternis saltẽ hebdomadibus longior statuatur, fiatq; semper Magistro praesente, vel socio, qui multum inuigilent, ne duo ab aliis commorentur disiuncti, atque eo tempore cuiusque in quam naturo feratur, propensionem scrutetur.*

Cum professis non conuersentur.

§. 98. *Non liceat eis, durante nouitiatus, & probationis tempore, vnà cum professis, nisi in choro, in Ecclesia tempore officiorum in processionibus, aut in coenaculo causa refectionis cõmorari, nec permittatur eis professos domo exeuntes comitari.*

Vni nouitiorum cõmittatur ianuae custodia.

§. 99. *Pro communibus & propriis cuiusque necessitatibus, quae accidere possunt, vnus ex nouitiis ipsis aetate moribusq; prouectior deputetur, qui absente solo Magistro permittente, omnia, prout opus fuerit, agat, cui etiam ianuae custodia, & rerum leuioris momenti prouisio intra nouitiatum committi poterit.*

Conuersorũ cura non omittenda.

§. 100. *Cum autem licèt Clericorum bene instituendorum cura debeat esse praecipua, Conuersorum tamen religiosa instructio non sit praetermittenda quin potiùs aequanimiter amplexando, quando inde satis exploratum est, istorum etiam, cum regulam profiteantur eandẽ, perfectam educationẽ, tum Religioni decorem, & ornamentum, tum aliis Christi fidelibus aedificationẽ, exemplũ, atq; vtilitatem afferre: Conuersis ipsis à Clericorũ nouitiatu separatus ad dormiendũ locus quantùm commodè fieri poterit, assignari praecipitur: illi tamen hoc separatione non obstante, Magistro nouitiorum, seu Superioribus Monasteriorum, & Conuentuum iuxta cuiusq; Ordinis statuta, & constitutiones subditi esse, & obedientiam praestare debebunt, à quo non tantùm circa corporalia obsequia probandi, & exercendi, verumetiam pro eorum capacitate, & cõmoditate de spiritualibus, praesertim de modo mentaliter orandi diligenter instruendi erunt; quod vt commodius fiat ad capitula & spirituales conciones, quae per Magistros nouitiis fieri solent accersiri debeant, & in Ecclesiis statutis horis conueniant, nisi tunc in suis officiis actualiter occupati fuerint.*

Conuersi 21. annum ad profitẽdum habeant.

§. 101. *Tempore verò probationis elapso, ij tantùm, qui non solùm religiosae perfectionis capaces, sed ad laborẽ corporalem apti nono, ac diligenti examine reperti fuerint, dummodo aetatis suae annum quò ad Clericos decimũ sextum, quo verò ad Conuersos vigesimũ primum excesserint, ad professionẽ admittatur; sed qui ad Conuersorũ habitum recepti fuerint, ad Clericorum statum transire, etiam durante tẽpore probationis non possint.*

Habeat Superior librũ, in quo nouitiorum progressio registretur.

§. 102. *Superior cuiuslibet Conuentus, in quo nouitiatus fuerit constitutus, particularẽ librum habeat, in quo vniuscuiusq; nouitij professio registretur, illamq; nouitius professus propria manu, & duo testes, qui praesentes fuerint, subscribant.*

Conuersi loco subscriptionis signũ crucis faciant.

§. 103. *Conuersus vero literarum ignarus professus, in eorundem testium, qui se subscripserint, praesentia propria manu signum crucis apponat, asseruetur que liber & custodiatur in archiuio, vbi scriptura ad Monasterium, seu Conuentum pertinentes reponi consueuerunt.*

Conuentus facientes filiationes, ad loca no-

§. 104. *Quia verò in quibusdam Ordinibus filiationis vsus est receptus, declaratur, quòd licèt decretum sit, vt nouitiis educandis certo*

uitiatuum nouitios mittant.

Monasteria, aut Conuentus designata quilibet Ordo habere debeat, licitum tamen sit Superioribus Monasteriorum, & Conuentuum huiusmodi Ordinum, in quibus filiationis vsus receptus est, eos, quo prænarratis qualitatibus suffultos repererint, in suorum locorum filios iuxta cuiusque Ordinis constitutiones ascribere, sicque ascriptos cum iuxta præsentes institutiones, & aliàs, seruatis seruandis, ad Ordinem recepti fuerint, ad loca nouitiatuum cum testimonialibus literis transmittere, vbi tanquam dictorum Conuentuum, seu Monasteriorum filij, eorundem nomine, & instantia recipi, ac in nouitiatu probari & deinde, antequam ad eadem Monasteria, seu Conuentus filiationis huiusmodi remittantur, in professorio ad perfectionem, vt præmissum est, exerceri debebunt.

Capitula prouideant circa singulos Conuentus, quod illis opus erit.

§. 105. *Porro, ne loco vnius Monasterij, seu Conuentus ab alio praeoccupentur, Capituli generalis, aut prouincialis partes erunt numerum præscribere pro omnibus, & eam similiter rationem circa alimentorum contributionem, si opus fuerit, inire, ac singulis Conuentibus, & Monasterijs præscribere, quæ magis expedire videbitur.*

Nouitij recens professi in aliud professorum collocentur

§. 106. *Vt autem nouitij iam in professorem numerum, sicut præmittitur, recepti, melius in bono spiritu, regularisque disciplinæ obseruantia stabiliantur, & confirmentur, mandatur, vt statim post professionem emissam, si in Conuentibus aut Monasteriis pro nouitiatibus assignatis locus aderit seiunctus a nouitiatu siue professorij, ab ea, quæ nouitiorum est atque antiquorum professorum habitatione distinctus, & segregatus, ibi collocentur, si Monasterium, aut Conuentus eos alere queat; sin minus, in alium commodiorem Conuentum, aut Monasterium transferantur, in quo eis locus cum requisitis ad nouitiatum supra narratis reperiatur, vel accommodetur, aut de nouo construatur.*

Religiones quæ consueuerunt nouitios maiori tempore in nouitiatu tenere, continuent.

§. 107. *Ab hoc tamen illæ Religiones excipiuntur quæ suarum constitutionum, seu institutorum vigore maioris temporis cursu nouos professos intra nouitiatum detinere consueuerunt, quibus in hac parte non derogatur illis, tamen permittitur vt prædictis earum constitutionibus non obstantibus, idipsum facere possint, si id rationi, ac religioni magis expedire diiudicauerint, quibus in locis degant sub regulis, & modo viuendi adhuc arctiori, quàm seruent antiquiores professi, ita quod in negotiis Monasteriorũ aut Conuentuum non se intromittere, nec communibus tractatibus interesse, neque alicuius exterioris obedientiæ officium exercere debeant, ibique permaneant, quousque ad ætatem sacris ordinibus suscipiendis sufficientem deuenerint, vel saltem per triennium post professionem, quo etiam tempore poterunt, quinimmo & debebunt literarum studiis operam nauare sub directione, ac regimine Superioris, qui eas qualitates habeat, quibus nouitiorũ Magistrum præditum esse oportere dictũ est.*

Nouitij non recipiantur,

§. 108. *Declaratur tamen quòd propter præmissa non censeatur concessa licentia recipiendi nouitios, nisi in locis pro nouitiatu designatis, aut in posterum designandis, & pro numero dumtaxat in eorum singulis præscripto, vel præscribẽdo.*

nisi in locis designatis.

§. 109. *Denique si illi, qui inter Religiosos gradu, & ordine Superiores sunt, & alij, ad quos spectat, in prædictis omnibus vel eorum aliquo deliquerint, seu quovis modo contrafecerint, officiorum omnium, quæ tunc obtinebunt, priuationẽ grauioresque pro modo admissæ culpæ pœnas se subituros certò sciant. Datum Romæ, apud S. Petrum die 19. Martij, 1603. Ant. Seneca Reform. Apost. Secr. Anno 1624. Indictione 7. Pontificatus autem S. D. N. D. Vrbani diuina prouidentia Papæ VIII. anno eius 2. die verò 26. Mensis Octobris, supradicta decreta, tam sacræ Congreg. Concilij, quàm S. M. Clementis VIII. affixa, & publicata fuerunt ad valuas Basilicarum S. Ioannis Lateranen. & Principis Apostolorum, necnon in acie campi Floræ, vt moris est per nos Camillum Fundatum, & Iulium Morzitellum Cursores Sanctissimi. Brandimartes Latinus pro Magistro. D. D. Curs.*

Pœnæ contrafacientibus.

§. IV.

1. CIrca sex illos Patres eligendos, de quorum solum consilio, & assensu eiiciendi sunt incorrigibiles, aduerte, quòd cum difficile valde existimatum fuisset, Generalem vltra ordinariam comitiuam secum ducere continuè debere dictos sex Patres pro solùm dicta causa expulsionis, quæ rara admodum est, supplicatum est, vt audiui à Religiosis fide dignis, Congregationi pro remedio. Quæ respondit, posse Generalem, vel Visitatorem generalem in qualibet Prouincia, in qua id opus fuerit, assumere sibi sex ex Definitoribus illius, de quorum consilio, & assensu poterit dictos incorrigibiles eiicere.

§. XVIII.

2. NOta, quòd ista decreta fuerunt primò missa ad Capitulũ generale nostri Ordinis, quòd Genuæ 6. celebrabatur *anno* 1596. vt paret *ex n. 5. dicti Capit.* & ab eo fuerunt acceptata, vnde non est dubium, quin ad ea obseruanda teneantur nostri.

3. Studiorum causa occupatos dicas studiorum Regentes, & qui libros imprimunt, vel ad confutandos hæreticos student; *leg. Semper, §. Negotiatores, ff. de iure imm.*

4. Ægrotos etiam dicas tam temporaneos, quàm perpetuos, *leg. Prætor, ff. de vacat. & exc. mu.* Inter quos, & possunt numerari senes; *leg. Semper, ff. de iur. imm.* Statutum enim loquens de ægrotis, in senibus locutum habere, docuit Abbas *in ca. Magna, de voto*, Menoch. *de præsumpt. lib. 6. præsũp. 46. n. 2.* Et facit textus *in ca. 1. §. Sin autem Episcopus, de Cleric. agr. in 6.* Sed nunquid hi ad Prælaturas eligi possint. Dic quòd sic; si habiles aliàs sint, *leg. Cui muneris, ff. de mun. & honor.* tunc enim debebunt choro interesse.

5. Et si quæras, an infamia iuris, vel facti si desit demandandum munus alios docendi, seu prædicandi, ita vt possit inde his priuilegiis vti.

Respondeo negatiuè. Tum quia primum debet excellere moribus, vt statuitur in iure ciuili, *leg. Vnica, C. de profess. qui in Vrbe Constant. doc. l. 12. & leg. Magistros, C de profess. & med lib. 10. & in*

nostra

nostra Regula *n.41.* Turpe enim foret, vt hodie docens sederet in cathedra, qui pridē lusit in scæna, vt dicitur *d.48. in princ.* Tum quia prædicare, & sacrificare parificantur; *cap. Presbyteros, qui, d.50.* Sed infamis sacrificando repellitur, nam indigno sancta committenda non sunt; *c. Si quis vero 11. quæst. 3.* Ergo, & à prædicando, seu docendo; cuius enim vita despiciunt, necesse est vt eius prædicatio contemnatur; *c. Infames, §. Idem testatur 3. q. 7.* Atque Ita docet Penna *leg. vnica, C. de profess. qui in Vrbe Const. lib. 12 col. 2.* Quæ tamen poteris limitare, si talis post peractam pœnitentiam vere resipiscat ex corde; *arg. c. Si duo 35. quæst. 6.* vbi glossa *versic. Atque infames*? absitque scandalum & periculum recidendi, & id publicè non fiat; *c. Beno vales, & c. Sacerdos, d. 50.* nō enim refert quis doceat, sed qualia doceat; *cap. Secundum Ecclesiæ, d. 19.* Sed quid faciet, inquies, vir literatus, si propter aliquam disgratiam infamiam incurrat. Quiescat, & pœnitentiam agat, ait, Penna *loc. cit.* & ad id citat *cap. Nemo in peccatis, de pœnis d. 1.* quod tamen ego inuenire non potui. Facit pro hoc *§. 6. const. 2. Pauli IV. supra* quatenus prohibet apostatas redeuntes ad Religionem prędicare, & confessiones audire.

§. XXXII.

6. Nota, quòd prohibentur Superiores hæc decreta interpretari. Loquitur autem de interpretatione iuridica, vt patet ex illa clausula. *Ne Concilii Trid.* non enim possunt Superiores decreta Concilii per vllum priuilegium sic interpretari. Vnde quò ad istas interpretationes derogat priuilegio Iulij II. quod habes *supra, in eius constit. 3. §. 1.* Vbi vide quæ dico de tali interpretatione *n. 1.* Quare linquit campum franeum Doctoribus ea doctrinaliter, seu magistraliter interpretandi. Ita Probus *in c. Exiit de verb. signif. in 6. n. 1.* tali enim interpretationi nemo stare cogitur, vt Pēna *loc. cit. col. 4.* qui sex ponit interpretationum species, & plura de interpretatione. Quippe *col. 6.* ait. Quod vbi lex interpretationem expresse prohibet, si loquamur de interpretatione, quæ corrigat, ad legislatorem spectat, si de ea, quæ prorogat, vel extendit, ad Doctorem etiam pertinet, vbi est eadem ratio, & omnimoda similitudo.

7. Seu dicas per huiusmodi prohibitionem solùm prohiberi interpretationes subtiles, seu capriosas, quæ iuri & rationi non nituntur. Et nota ex Penna *loc. cit. col. 7.* quòd subtilitas est duplex, vna bona & laudabilis, quæ scilicet ex ingenij virtute procedit, à ratione paritet, & æquitate non deuians, & hæc subtilitas laudabilis est, & omnino necessaria Doctoribus bonæ famæ; laudatur *cap. Cum Sancti, 24. q. 3. & leg. vnic. C. de profess. qui in Vrb. Constu. lib. 12.* Alia subtilitas est cauillosa, quæ non rationi, neque iuri nititur, sed proprio capiti, & per ambages & cauillos, leges claras obscurando, suam curat probare sententiam, & hæc reprobatur *cap. Dilecti filij, de iud. &c.* Hinc etiam *d. 49.* De hac ait Petrus Chrysolog. in quodam sermone. *Odibilius nihil est subtilitate, vbi est sola subtilitas: quid enim prodest in illis expendere dies suos: qua nec domi, nec militiæ, nec in foro, nec in claustro, nec in Curia, nec in Ecclesia, nec alicubi prosunt, nisi duntaxat in scholis.* Et Seneca in quadam epistola. *Quid est*, inquit, *ingenium, quod sola subtilitate lasciuiens nulla in se residet grauitate. Bonus Doctor*, inquit Aug. 4. de doct. Christ. *vulgi more loquatur, vt ambiguitates, obscuritatesque vitet.* Et Greg. 10. mor. *Debet*, inquit, *subtiliter, is qui docet perspicere, ne plus dicere studeat, quam ab audiente capiatur, prædicare debet ad infirmitatem audientium, semetipsum contrahendo, descendere? ne dum paruis sublimia, & idcirco non profutura loquitur, se magis curet ostendere, quam auditoribus prodesse.* Et quo loco duas dictas subtilitates perspicis. Seu intellige de interpretatione friuola, vt Stephan. de Feder. *tract. de interp. iur. part. 2. n. 17. tom. 1. tract. pag. 216.* seu dic cum eodem *part. 4. n. 95.* quod non possunt interpretari restringendo, vel ampliando, aut argumentando à simili, vel à contrario, non autem declarando, vel distinguendo.

§. LXI.

8. Nota 1. quòd istos dumtaxat casus possunt sibi reseruare Superiores regulares, vel omnes, vel aliquos. Et explicantur à Longo *in tract. partic. de hac re.* Comitolo *in respons. moral. q. 34.* Graff. *lib. 2. de casib. res.* Quar. *verb. Casus reser. à pag. 193.* Suar. *tom. 4. in 3. p. disp. 29. sect. 3. à n. 11.* & aliis.

9. Nota 2. quòd possunt Superiores reseruare sibi hos casus, non solùm quoad professos, sed etiam quoad nouitios, per viuæ vocis oraculum Pauli V. pro Congreg. S. Mariæ Fulien. de quo testatur Card. Bandinus *anno Dom. 1609. die 17. Aug.* vt habetur *in comp. dictæ Congr. tit. Casuum reseruatio, §. 4.* Quod tamen ante hanc declarationem erat valdè dubium, cum pro vna parte nouitii non sint Religiosi, & pro alia sint exempti à iurisdictione Episcoporum. Videatur Io. Cruz *lib. 1. de statu Relig. cap. 6. dub. 10.*

10. Nota 3. quòd dubitant aliqui, an post hunc motum proprium possint Superiores Regulares præcipere aliquid sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, & sibi absolutionem reseruare, Suar. *tom. 4. in 3. p. disp. 29. sect. 3. n. 13.* Censet quod sic. Contrarium puto verius, cùm Sanch. *6. in decal. cap. 1. n. 15.* quia sic posset quilibet Superior ad libitum suum quemlibet casum sibi reseruare, apponendo illi excommunicationem ipso facto cū reseruatione, & sic hanc sanctam sanctionem deludere, & bonam Pontificis mentem fraudare.

11. Admoneo autem hic Superiores regulares, meminisse debere in excommunicationibus ferendis id, quod docuit Trid. *sess. 25. de refor. c. 3.* nimirū sobriè, & magna circumspectione gladium illum esse exercendum, non præcipitanter, neque ex quacunque causa, vt aliquos facere sæpè vidi; nam quādoque excommunicantur aliqui iniustè, & excommunicatores vltra peccatum mortale quod incurrunt *per cap. Sacro de sent. exc.* tenentur ad omne interesse obueniens excommunicato, & puniri debent per Superiorem, vt *eod. cap.* dicitur. Vide *c. Nemo 2. q. 1.* Et tenentur actione iniuriarum, *c. Illud, & c. temerarium 11. q. 3.* Et puniuntur tanquam sacrilegi; *cap. non in perpetuum 24. q. 3.* Et carere debent sacra communione, & arceri ab ingressu Ecclesiæ; *c. De illicita 24. q. 3.* Vide Fel. *cons. 5. n. 9.* Ex quo etiam nota quod Prælatus præcipiens aliquid subdito, non debet incipere à pœna excommunicationis, alioquin præceptum est nullum. Et sententia excom. adiecta præcepto inualido nulla est. Felin *loc. cit. n. 2. & 3.* Vide Riccium *2. p. suæ praxis res. 161. n. 3.* Videatur Menoch. *lib. 2. de arbitr. casu 543.* qui etiam à *n. 11.* ponit multas causas, propter quas excommunicans iniustè potest à prædictis pœnis excusari. Vide etiā *casu 544.* vbi ponit pœnas, quas incurrit excommunicatus, si iniustè conqueratur; & causas, propter quas excommunicatus iniustè querens potest à dictis pœnis excusari.

§. LXX.

12. NOta, quòd licèt in Regula nostra reseruentur superioribus Prælatis quatuor vota; quia tamen per istam constit. non possunt Prælati sibi reseruare, nisi votum paupertatis & castitatis, ideò alia duo, nimirum obedientiæ, & vitæ quadragesimalis, non sunt reseruata, nec possunt sibi Superiores reseruare, nisi specialiter per Capitulum generale in tota Religione, vel prouinciale in aliqua prouincia reseruentur. Quod huc vsque factum non est. Nec obstat, quòd hæc sint reseruata per Regulam; nam hic illi sufficienter derogatur, vt patet ex §.75.

§. LXXI. & LXXII.

13. VIde quæ dico *tom.* 1. *Relig. cap.* 21. *conclus.*9. Vide etiam Graff. *de casib.reser. lib.*3. *cap.*10. *num.*9.

14. Nota, quòd illi, quibus Superiores facultatem absoluendi à reseruatis commiserint, possunt in casu particulari dictam facultatem alij subdelegare. Ita Nauar. *in man. cap.* 27. *num.* 43. Graff. *de casib.reseru. loc.cit. num.* 32. Qui aduertit, quòd ille, cui talis potestas subdelegabitur, debebit esse approbatus à Prælato ad confessiones audiendas.

§. LXXVI.

15. NOta, quòd Superior, qui difficilem se præbet in concedenda facultate subditis, vt alij quam confessario ordinario confiteri possint, peccat mortaliter, secundum D.Thom. *in* 4.*d.*17. *quæst.*3. *art.*3. *quæstiunc.*4 *ad* 6. Sotum *ibi, d* 18. *q.*2. *art. vers. Igitur quo*, Angelum, *verbo Confessio*, *num.*35. Nau. *in cap. Placuit, de pœnit.d.*6 119. & 152. Quod tamen intellige, modò hanc difficultatem non causet aliqua rationabilis ratio, vt sentit Suar. *tom.*4. *in* 3.*p.disp.*30 *sect.*4.*n.*9.

Et ne ad gloriam & laudem omnipotentis Dei, B. Mariæ semper Virginis, ac B. Francisci de Paula Patris mei ad vtilitatem fratrum meorum, cæterorumque Regularium omnium finem impono præsenti labori. Faxit Deus, vt intentum consequar.

AMEN.

1626. die 3. Nouemb.

EGO F. Constantinus Montobius Carmelitici Instituti alumn. in sacra Theologia Magister, in Conuentu Carmelitarum Genuæ Regens, ac S. Officij Consultor. Iussu Adm.R.P. Magistri Elisæi Masini totius Seren.Reip. Genuæ Dominij Inquisitoris, perlegi librum intitulatum, *Priuilegia sacro Ordini Minimorum* S. *Francisci de Paula per summos Pontifices Sixtum IV. vsque ad Vrbanum VIII. concessa. Ab Adm. R.P. Laurentio de Peyrinis eiusdem Ordinis, ac Genuæ Prouinciæ Prouinciali declarata, & illustrata*: Et nihil (quod viderim) fidei catholicæ & orthodoxæ contrarium inueni. Quare typis demandari posse censeo, in lucemque edi.

Ego F. Constantinus Montobius manu propria.
Imp. F. Elisæus Masinus Inquis. Genuæ.



CONSTITV

CONSTITVTIONES
Sanctissimi Domini Nostri
VRBANI PP. VIII.
Nouissimè præcedentibus additæ.
ET SACRÆ CONGREGATIONIS
DECRETA.

AMICO LECTORI.
Fr. Angelus Vigus Minimus. S.



Ccinctvm iam me ad secundam huius priuilegiorum voluminis editionem,Romam meæ Genuensis Prouinciæ negotia semel , & iterum proficisci compulêre. Et hæc potissima dilationis causa. Hanc tamen profectionem meam tibi prodesse cupiens Sanctiss. D.N. Vrbani VIII. Constitutiones, & Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium Declarationes à multis retro annis, præsertim post huius operis editionem , pro Regularibus emanatas ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apostolicæ habere curaui.Ex illis,quæ huic operi magis videbantur congruere, eas hic tibi exhibeo prorsus fideliter, & provt in eadem Typographia impressæ sunt, in subiunctis §§. locis dumtaxat Commentariorum P. Peyrinis,ad quos conducere existimabam,indicatis. Nam commentationes proprias , vel alienas apponere Humano capiti fuerit ceruicem equinam iniungere.Laborem hunc qualemcũq;meum in tui gratiam susceptum,Lector humanissime, boni consule,& vale.

CONSTITVTIO I.

Quâ electo in Episcopum Guard.Illustriss.ac Reuerendiss. D.Raphaële Pizzurno Ordin. Minim. Correctore Generali,deputat Generalem Reuerendiss. P.F. I.B. Ronca.

VRBANVS PAPA VIII.

Dilecto filio Ioanni Baptistæ Ronca,Ord.S. Francis.de Paula Prof.sal.& Apost.bened.

§. 1. *CVm Ecclesia Guardien certo quem præsentibus habere volumus pro expresso modo Pastoris solatio destituta existat, Nos ad illam Dilectum filium Raphaelem Pizzurnum Correctorem gneralem Ordinis Fratrum Minimorum S.Francisci de Paula destinauimus,qui vti ad Ecclesiã huiusmodi electus examini corã Nobis se subjecit, & approbatus fuit , Ne autem interim Ordo prædictus ob dilationem promotionis dicti Raphaelis ad Ecclesiam prædictam aliqua in spiritualibus , & temporalibus detrimenta patiatur , officium Correctoris Generalis huiusmodi per destinatio-*

nem, seu electionem prædictam vacauisse, & vacare harum serie decernimus, ac de tuo prudentia, fide, integritate, & religionis zelo plurimum in Domino confisi; Motu proprio, & ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deq; Apostolicæ potestatis plenitudine. Te Correctorem Generalem dicti Ordinis vsque ad nouam electionem Correctoris generalis in Capitulo generali iuxta statuta, & Ordinationes eiusdem Ordinis Apostolica auctoritate cõfirmata faciendam, cum potestate vniuersum dictum Ordinem, regendi, moderandi, gubernandi, & alijs facultatibus, necnon omnibus, & singulis priuilegijs, honoribus, præeminentijs, & prærogatiuis, quibus alij, qui pro tempore fuerunt eiusdem Ordinis Fratrum Minimorum Correctores, generales vti, frui, & gaudere consueuerunt tenore præsentiũ creamus constituimus & deputamus.

Eligit in Correctorẽ Generalẽ R. P. Io. Baptistam Ronca.

Mandat sigilla religionis ei consignanda, & ab omnibus illi obedientiam exhibere.

§. 2. *Mandantes in virtute sanctæ obedientiæ illi, & illis, ad quos spectat, vt sigilla Religionis Tibi statim consignent sub pœna excommunicationis maioris eo ipso incurren. ac sub arbitrij nostri pœnis. Omnibus & singulis Correctoribus, & aliis quocunque nomine nuncupatis dicti Ordinis Superioribus, & Fratribus, vt tibi in omnibus, quæ eis ordinanda, mandanda & per eos exequen. duxerit humiliter pareant & obediant, Tuaque salubria monita, & mandata suscipiant reuerenter, & efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam, siue pœnam, quam ritè tuleris, seu statueris in rebelles ratam habebimus, & faciemus auctore Domino vsque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari.*

Derogat cõtrarijs.

§ 3. *Non obstan. Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel alio quouis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eidem Ordini, aliisque Superioribus, & Fratribus sub quibuscunque ten. & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriorum derogatorijs, alijsque efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibus, & alijs decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus & singulis illorum omnium ten. præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 21. Martij 1639. Pontificatus Nostri anno Decimo sexto.*

M. A. Maraldus.

CONSTITVTIO. II.

Quâ Celebrationem Capituli Generalis Ordinis Minimorum, & Reuerendiss. Patris Io. Baptistæ Ronca munus Correctoris Generalis prorogat ad triennium.

VRBANVS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

Paterna quam de viris religiosis, qui spretis mundi illecebris, Deo sub arctiori obseruantiæ disciplina se dedicarunt, cura gerimus, facit, vt eorum commodis, & felici gubernio quãtum cum Domino possumus, consulamus.

Motiua.

§. 1. *Cum itaque ob præsentes bellorum in Europa motus, Fratribus vocalibus Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula valde difficile foret pro celebrando in proximè futuro Pentecostes festo iuxta regularia dicti Ordinis instituta generali Capitulo, conuenire, propterea Nos his & alijs iustis causis adducti, motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine celebrationem Capituli generalis huiusmodi ad triẽnium à dicto proximè futuro Pentecostes festo computandum, necnon* dilecto filio Ioanni Baptistæ Ronca Correctori generali dicti Ordinis, qui illum hactenus summa cum laude, & fructu gubernauit, *munus Correctoris generalis huiusmodi, cum omnibus, & singulis facultatibus, auctoritatibus, prærogatiuis, præeminentijs, honoribus, oneribus, gratijs, & indultis, quibus ratione muneris præfati hactenus vsus, & guisus fuit, seu vti, & gaudere potuit, ad triennium præfatum tenore præsentium prorogamus.*

Prorogat Generalem ad triennid.

Ita iudicari mandat cum decreto irritante.

§. 2. *Decernentes præsentes literas validas, firmas & efficaces existere, & fore, suosque plenarios effectus sortiri, & obtinere, ac dicto Ioanni Baptistæ plenissimè suffragari, sicque per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos etiã causarum Palatij Apostolici Auditores ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuntios, ac quosuis alios sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere irritumque, & inane si quid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Derogat contrariis.

§. 3. *Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel alia quauis firmitate roboratis statutis, regulis, constitutionibus, vsibus, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorũ quomodolibet concessis, confirmatis*

confirmatis & innouatis, quibus omnibus & singulis illorum tenore præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque.

Transumptis fides adhibenda. §. 4. *Volumus autem, vt præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus vbique fides in iudicio & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forēt exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die decimaquarta Nouembris, 1640. Pontificatus nostri anno 18.*

M. A. Maraldus.

§.

Cicero illud non semel vsurpat, quod Hector apud Næuium ait, Lætus sum laudari me abs te, pater, laudato viro. *Ea est enim iucunda laus, quæ ab ijs proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt.* Quam igitur iucunda, & simul solida laus est, quæ proficiscitur à Pontifice Maximo, nedum laudato viro, sed laudis, ac potestatis simul in Orbe summo fastigio?

CONSTITVTIO III.

Quâ prorogat officia Collegarum Generalium Ordinis Minimorum RR. PP. FF. Francisco Giurbæ, & Petro Guerret.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Procemium. *CVm Nos nuper celebrationem Capituli generalis Ordinis Fratrum Minimorum Sancti Francisci de Paula, quæ in proximè futuro Pentecostes festo fieri debebat ad triennium à festo huiusmodi computandum, ac dilecto filio Ioanni Baptistæ Romeo Correctori generali eiusdem Ordinis munus Correctoris generalis huiusmodi ad idem triennium prorogauerimus, prout in nostris in simili forma Breuis desuper expeditis literis, quarum tenore præsentibus pro expressis haberi volumus, vberius continetur.*

Prorogat ad triennium Collegas Generalis. §. 1. *Hinc est quod nos dilectos filios Franciscum Giurba Collegam Italum, ac Petrum Guerret Fratres expressè professos Ordinis huiusmodi Collegam, Gallum eiusdem Ioannis Baptistæ Generalis qui vt accepimus muneribus Collegarū huiusmodi laudabiliter hactenus functi sunt, & quos speramus illa de cætero non minus ex animi nostri sententia, quàm è re dicti Ordinis administraturos specialis fauore gratiæ prosequi volentes, eosque à quibusuis excommunicationis, suspensionis & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, eisdē Francisco Itali, & Petro Galli Collegarum Ioannis Baptistæ Correctoris generalis prædicti Officia vsque ad nouam electionem Collegarum huiusmodi in dicto Capitulo generali faciendam cum omnibus & singulis priuilegijs, honoribus, & prærogatiuis, quibus ratione Officiorum huiusmodi hactenus gauisi sunt, & gaudere potuerunt, seu debuerunt respectiuè Apostolica auctoritate tenore præsentium prorogamus.*

Mandat reciпи & obediri. §. 2. *Mandantes propterea eidem Ioanni Baptistæ Correctori generali, vt eosdem Franciscum & Petrum in suis Collegarum huiusmodi respectiuè officijs continuare permittat, cæteris verò eiusdem Ordinis Fratribus, vt illos pro eiusdem Ioannis Baptistæ Correctoris Italo, & Gallo respectiuè Collegis habeant, & recognoscant, illisque vti talibus pareant, faueant, & assistant.*

Contrarijs derogat. §. 3. *Non obstan. Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, dictique Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel alia quauis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus & singulis illorum tenore præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 18. Aprilis 1641. Pontif. nostri anno 18.*

M. A. Maraldus.

CONSTITVTIO IV.

Quâ Reuerendo P. Petro Vasquez in officio Collegatus continuare nolente, eligit in Collegam Generalem Hispanum R. P. Paulum Torreno è Prouincia Hispalensi: quem Religionis zelus, vita, ac morum honestas, singularisque doctrina ad hunc Collegatus gradum vocarunt.

VRBANVS PAPA VIII.

Dilecto filio Paulo Torreno Ordinis Fratrum Minimorum S. Francisci de Paula Professori, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

REligionis zelus, vita, & morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, super quibus apud Nos fide digno commen Procemium.

commendaris testimonio Nos inducunt, vt tibi reddamur ad gratiam liberales. Nuper siquidē celebrationem Capituli generalis Ordinis Fratrum Minimorum S.Francisci de Paula, quæ in proximè futuro Pentecostes Festo fieri debebat, ad triennium à festo huiusmodi computandum, ac dilecto filio Io.Baptistæ Ronca Correctori generali eiusdem Ordinis munus Correctoris generalis huiusmodi ad idem triennium prorogauimus; prout in nostris in simili forma Breuis desuper expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Deputat Collegā Generalem Hispanum. §.1. *Cum autem sicut accepimus dilectus filius Petrus Vasquez Ordinis prædicti Professor, & Collega Hispanus dicti Io.Baptist.Correctoris generalis iustis ex causis animum suum monentibus in officio Collegæ huiusmodi continuare nolit. Idcirco Nos sperantes te officium Collegæ Hispani huiusmodi si ad illud assumaris, ex animi nostri sententia [...]è re dicti Ordinis administraturum, Teque specialis fauore gratiæ prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis suspensionis, & interdicti, alijsq; Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes. Te Collegam Hispanum dilecti Io.Baptistæ Correctoris generalis in locum eiusdem Petri vsque ad electionem alterius Collegæ huiusmodi in dicto Capitulo generali faciendam cum omnibus & singulis priuilegijs, honoribus, oneribus & prærogatiuis, quibus dictus Petrus, & alij, qui pro tempore fuerunt Collegæ Hispani Correctorum generalium Ordinis huiusmodi vti, frui & gaudere consueuerunt, & debuerunt Apostolica authoritate tenore præsentium facimus, constituimus, & deputamus.*

Mandat recipi & obediri. §.2. *Mandantes propterea eidem Io. Baptistæ Correctori generali, vt te in suum Collegam Hispanum recipiat, & admittat, cæteris verò fratribus eiusdem Ordinis, vt te pro Collega Hispano ipsius Io.Baptistæ Correctoris generalis huiusmodi habeant, & agnoscant, Tibique vti tali faueant, obediant, & assistant.*

Derogat cōtrarijs. §.3. *Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, dictique Ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel alia quauis firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque cōtrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 18. April. 1641. Pontif. nostri anno 18.*

CONSTITVTIO V.

Quā prorogat Zelosatum, seu officium Procuratoris Generalis Ordinis Minimorum Reuerendo Admodum P. Fratri Laurentio de Spezano.

VRBANVS PAPA VIII.

Dilecto filio Laurentio de Spezano Procuratori Generali Fratrum Ordinis Minimorum S.Francisci de Paula, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Religionis zelus, vitæ ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis & virtutum merita; super quibus apud Nos fide digno commendaris testimonio. Nos inducunt, vt tibi reddamur ad gratiam liberales. Aliàs siquidem te Procuratorem generalem Zelosum nuncupatum Ordinis Fratrum Minimorum S. Francisci de Paula in Officio Procuratoris generalis huiusmodi vsque ad nonam electionem Procuratoris generalis dicti Ordinis in Capitulo generali iuxta ipsius Ordinis statuta, & ordinationes Apostolica authoritate confirmata faciendam confirmauimus prout in nostris desuper in simili forma Breuis expeditis literis, quarum tenores præsentibus, pro expressis haberi volumus, vberius continetur. Prooemium.

Prorogat Zelosum ad triennium. §.1. *Cum autem Nos nuper celebrationem dicti Capituli generalis, quæ iuxta statuta & ordinationes huiusmodi in proximè futuro Pentecostes festo facienda erat, ad triennium à festo huiusmodi computandum, & Dilecto filio Io. Baptistæ Correctori generali d. Ordinis officium Correctoris generalis huiusmodi ad idem triennium prorogauimus. Hinc est, quòd Nos sperantes Te munus Procuratoris generalis huiusmodi, ex animi nostri sententia & è re dicti Ordinis; prout hactenus exercuisti, etiam de cætero exerciturum; Teque specialis fauore gratiæ prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis; si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum præsentiū duntaxat consequenū harum serie absoluentes, & absolutū fore censentes; ac primo dictas nostras literas ad cautelam confirmantes, tibi officium Procuratoris generalis huiusmodi, cum auctoritate, facultatibus, honoribus, oneribus, priuilegijs, gratijs, & indultis, quibus Procuratores generales huiusmodi, quomodolibet vti, potiri, & gaudere consueuerunt, vsque ad nouam electionem Procuratoris generalis in Capitulo generali prædicto faciendam, Apostolica authoritate tenore præsentium prorogamus.*

§.2.

Mandat recipi & obediri. §. 2. *Mandantes propterea in virtute sanctæ Obedientiæ, ac sub indignationis nostræ, & a ys arbitrij nostri pœnis, omnibus, & singulis dicti Ordinis Superioribus quomodolibet nuncupatis, & alys quibusuis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit; Vt te in officio Procuratoris generalis huiusmodi omni & quacunque contradictione cessante, iuxta tenorem præsentium continuare permittant; ac in omnibus ad Procuratoris generalis officium spectantibus tibi respectiuè faueant pareant, & assistant; Tuaque salubria monita suscipiant humiliter, & efficaciter adimplere procurent.*

Derogat cōtrarijs. §. 3. *Non obstantibus constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel alia quauis firmitate roboratis statutis & consuetudinib. priuilegijs quoq; indultis, & literis Apostolicis eidē Ordini, illiusque Superioribus & fratribus, sub quibuscunq; tenore & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis irritantibusque & alys decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in cōtrarium præmissorum quomodolibet concessis, cōfirmatis & innouatis Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permāsuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisq; contrarys quibuscunq; Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscat. die 13. April. 1641. Pontif. nostri anno 18.*

M.A. Maraldus.

CONSTITVTIO VI.

Quâ concedit moderno Correctori generali ac cæteris in perpetuum futuris Correctoribus Generalibus Ordinis Minimorum, vt post expletum Correctoris generalis officium votum consultiuum, decisiuum & electiuum in omnibus Capitulis Generalibus, Prouincialibus, & Intermedijs habere, necnon aliquem Conuentum, à quo non possint amoueri, ac vnum Fratrem Ordinis præfati oblatum, siue laicum arbitrio suo in suū socium eligere liberè possint, & licitè valeant.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. *Cvm rationi consentaneum esse censeamus, vt ij, qui supremi regularium Ordinum Gubernatores extitêre, post expleta eorum officia dignitatis, quam gesserunt, & laborū, quos exanthlarunt, aliquibus super cæteros eorundem Ordinum Professores præminētijs, & prærogatiuis decorentur, & gaudeant, ne vilipendantur, & ab illis quibus ob rectè administratam Iustitiam mi. nus quandoque satisfecerunt, male tractentur.*

Concedit prout in summario. §. 1. *Idcirco Dilectum filium modernum Correctorem Generalem Ordinis Fratrum Minimorū S. Francisci de Paula, de Religionis zelo, vitæ munditia & morum probitate, alysque virtutum meritis apud nos fide dignorum testimonio commendatum specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alysque Ecclesiasticis sententys, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentiū dumtaxat consequendū harum serie absoluentes, & absolutū fore censentes, eid. moderno Correctori generali ac cæteris in perpetuum futuris post eum eiusdem ordinis Correctoribus Generalibus, vt post expletum eorum Correctoris generalis huiusmodi respectiuè officium, quoad vixerint, votum consultiuum, decisiuum, & electiuum in omnibus Capitulis generalibus, Prouincialibus, & intermedijs dicti Ordinis habere, necnon aliquam ex domibus regularibus eiusdem Ordinis, in quam se recipiunt, & in ea commorentur, & à qua amoueri nequeant, ac vnū fratrem Ordinis præfati laicum, siue oblatum, moribus & vita probatum arbitrio suo ex quacunq; ipsius Ordinis Prouincia in suum socium quo à nemine cuiuscunque authoritate fungente priuari possint, eligere liberè & licitè valeant Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus & indulgemus sicq; & non aliter in præmissis per quoscunque Iudices ordinarios; & delegatos, etiā causarum Palatij Apostolici auditores iudicari & definiri debere, ac irritū & inane si secus super his à quoquā quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.*

Contrarijs derogat. §. 2. *Non obstantibus constitutionib. & ordinationib. Apostolicis, ac dicti Ordinis regulis, & etiā iuramento, confirmatione Apostolica, vel alia quauis firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, habentes illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque cōtrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 18. April. 1642. Pontif. nostri anno 19.*

M.A Maraldus.

CONSTI

CONSTITVTIO VII.

Quâ confirmat decretum emanatum in fauorem Fratrum Laicorum Ordinis Minimorum, quòd ipsi vnà cum Sacerdotibus possint suffragium ferre pro acceptatione ad professionem Nouitiorũ: Sanctæ Obedientiæ præcepto ijs, ad quos spectat, & insuper priuationis tum vocis actiuæ, & passiuæ, tum officiorum suorum, ac perpetuò inhabilitatis ad illa pœnis appositis pro huiusmodi Decreti obseruantia.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filij Fratres Laici, seu Conuersi Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, quod licet ipsi, etiam ab ipso Ordinis primordio, in pacifica semper possessione fuerint, nonnullis functionibus & actibus capitularibus interessendi, præsertim verò in Capitulis, quæ pro Nouitiorum acceptatione, & ad professionem regularem admissione fiunt, votum, siue suffragium ad instar aliorum Ordinis huiusmodi vocalium, & Sacerdotum ferendi.

Refertur statutum Cap. Gen. Massil. 2. n. 34. vide consect. 71. cap. ex eo, de elect. in 6.

§.1. *De anno tamen 1635. in Capitulo Generali eiusdem Ordinis in Ciuitate Massiliē. celebrato, Superiores, & alij vocales Sacerdotes prædicti, eosdem Laicos, seu Conuersos, suis huiusmodi iure & possessione priuare tentarunt, & desuper inter alia per eos in eodem Capitulo Generali condita constitutiones, & statuta, sequens Decretum eorundem Constitutionum, & Statutorum numero 34. ediderunt, videlicet.* Nouitiorum acceptatio ad professionem fiat per secreta suffragia, sceus suo priuentur officio Superiores. In paritate autem vocum stetur Informatori. Ad quam acceptationem Clerici non habeant votum, nisi sint in sactis ordinibus constituti: Laici verò nequaquam, sicut neque in alijs rebus spiritualibus.

Hinc Pontifex aliàs cõfirmauit statuta d. Cap. non tamen circa dismébrationẽ Cõuentus Orbitelli, & laicorum votũ in acceptatione Nouitiorum.

§.2. *Postmodum verò petita nomine Correctoris Generalis Ordinis huiusmodi à Venerab. Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus, negotijs Regularium præpositis, earundem Constitutionum & statutorum, præsertim quoad eam partẽ, qua disponitur, quòd Laici, seu Conuersi huiusmodi in acceptatione Nouitiorum votum non habeant, confirmatione; licèt Nos de eorundem Cardinalium consilio Constitutiones, & Statuta huiusmodi, exceptis tamen decimo Statuto circa dismembrationem Conuentus Orbitelli, ac trigesimoquarto circa Laicorum, seu Conuersorum votum in acceptatione Nouitiorum, quæ omnino tolli, & aboleri voluimus, ita vt circa Conuentum prædictum, ac laicorum votum in acceptatione Nouitiorum nihil omnino impostерum esset, vel esse censeretur innouatum, sed circa hæc omnia remanere in statu pristino, Apostolica auctoritate confirmauerimus, aliaque fecerimus, vt in nostris in simili forma Breuis desuper expeditis literis, quarum tenores præsentibus haberi volumus, vberiùs continetur.*

Laici iterum super d. vota turbati recurrerunt ad Sacr. Congr. quæ commisit negotium Eminen. D. Cardin. Protectori.

§.3. *Nihilominus tamen Sacerdotes, & alij Superiores locales Ordinis huiusmodi, anno superiori eosdem Laicos, seu Conuersos in suis huiusmodi iure, & possessione de nouo turbare tentarunt. Vnde habito ab ipsis exponentibus ad eosdem Cardinales recursu, præfati Cardinales inhærendo Decreto aliàs, vt præfertur, desuper ab eis edito, audito priùs Procuratore Generali Ordinis huiusmodi, Dilecto filio nostro Antonio tituli Sanctorum Nerei, & Achillei Presbytero, Cardinali Sanctacrucio nuncupato, dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectori cõmiserunt, vt pro sua arbitrio & prudentia in præmissis statueret, & decerneret, quod pro debita eorundem Exponentium satisfactione, & professentium quiete in Domino conspexisset salubriùs expedire.*

Cardin. Protector declarat, vt in sũ. gl. in d. cap. ex eo.

§.4 *Qui Antonius Cardinalis in vim commissionis huiusmodi, re maturè considerata, & audito eodem Correctore Generali, dixit, & declarauit licuisse, & licere dictis Fratribus Laicis, seu Conuersis pro acceptatione, & admissione Nouitiorum ad professionem suffragium ferre, ac vnà cum Sacerdotibus & Superioribus Conuentuum, vbi dictas acceptationes & admissiones fieri contiget, votum præstare: eosque propterea in earum quasi possessione fore, & esse manutenendos; & aliàs prout in eiusdem Antonij Cardinali Decreto desuper emanato pleniùs continetur.*

Confirmatur Decretum Cardin. Protectoris exigit virm & supplentur defectus.

§.5. *Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, præfati Laici seu Conuersi, præmissa pro illorum validitate, & subsistentia firmius hac Apostolica nostra confirmationis patrocinio communiri summopere desiderent. Nos eosdem Exponentes specialibus fauoribus & gratijs prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Decretum, seu declarationem huiusmodi Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus.*

mus. Ac omnes, & ſingulos tam iuris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus.

Pœnæ contra facientibus, & clauſulæ præſeruatiuæ.

§. 7. Mandantes propterea omnibus, & ſingulis, & ad quos ſpectat, & pro tempore quomodolibet in futurum ſpectabit, in virtute ſanctæ Obedientiæ, ac ſub vocis actiuæ, & paſſiuæ, necnon ſuorum officiorum priuationis, perpetuaque ad illa, & alia in poſterum obtinenda inhabilitatis, aliiſque arbitrij noſtri pœnis eo ipſo per contrafacientes abſque vlla declaratione incurrendis, vt Decretum, ſeu declarationem huiuſmodi inuiolabiliter obſeruent, ac eoſdem exponentes omnium, & ſingulorum in eiſdem Decreto, ſeu declaratione contentorum commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere ſinant, & faciant. Ac decernentes præſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, dictiſque exponentibus in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari.

Clauſula ſublata, & decretum irritans.

§. 8. Sicque per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac eiuſdem Sacræ R. Eccleſiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, dictæque Sedis Nuntios, ac quoſvis alios quavis auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere. Ac irritum, & inane, ſi quid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§. 9. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac prædictis, & quibuſvis aliis dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis Statutis, & conſuetudinibus priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quibuſvis eiuſdem Ordinis Superioribus, Fratribus, & perſonis, ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quavis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad effectum præmiſſum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

ranſumptis les adhibenda.

§. 10. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 22. Martij 1641. Pontificat. noſtri anno 18. M. A. Maraldus.

CONSTITVTIO VIII.

VRBANVS PAPA VIII. Pontifex Optimus Maximus.

In conſtitutionibus Vrbanis Fratrum Minorum Congreg. S. Franciſci à S. S. Anno Domini 1628. die 15. Maij editis, & confirmatis.

Excommunicat omnes, & ſingulos, qui vel dicunt Fratres conuentuales, viuentes iuxta Conſtitutiones Vrbanas non eſſe veros Regulæ S. Franciſci obſeruatores, vel dicunt, eoſdem viuentes iuxta Regulam declaratam, mitigatam, relaxatam à Summis Pontificibus non eſſe veros, ac germanos filios S. Franciſci, eiuſque Sanctiſſimæ Regulæ Profeſſores, vt colligitur ex eiſdem Conſtitutionibus tit. 2. fol. 16. & infrà per hæc verba.

Proœmium.

§. 1.  Voniam Seraphicæ Regulæ Textus, his Conſtitutionibus iure præmiſſus, ex Originali, quod Aſſiſy in Sacro noſtra Eccleſiæ Reliquiario pia veneratione ſeruatur, verbatim exceptus eſt, propterea ſi quis eum vllo vnquam puncto immutare præſumpſerit, falſi pœnam ſtatim ſe ſubiturum ſciat. Proindeque ad tantum nefas vitandum, Miniſtris Prouincialibus, necnon Superioribus quibuſcunque, ad quos id negotij attinet, ſeu vllo vnquam tempore ſpectabit, diſtrictè mandatur, firmiterque præcipitur, quatenus huius præſcripto eatenus Regulæ exemplaria conformari quam diligentiſſimè curent.

Excommunicatos declarat aſſerentes minores Conuentuales non eſſe veros Regulæ S. Franciſci Obſeruatores.

§. 2. Ad eorum verò temeritatem coërcendam, qui dicteriis, captioſiſque verbis ordinem inſequentes, Regulæ tranſgreſſores Conuentuales vocant, quòd non ad literam ſine Gloſſa, ſed ad præſcriptum priuilegiorum, Apoſtolicarumvè Declarationum S. Franciſci inſtitutum obſeruent; Monemus omnes, & ſingulos, quòd quiſvis, ſeu dictis, ſeu ſcriptis Fratres Minores Conuentuales, iuxta has Conſtitutiones viuentes, non eſſe veros Regulæ Sancti Franciſci obſeruatores, auſus fuerit quoquomodo aſſerere, mox Apoſtolicæ Sedis excommunicationem ſeſe incurrere ſciant.

Ad quos pertineat Religionum regulas declarare mitigare, & interpretari.

§. 3. Cum enim neminem aſtringere poſſit Sācti Franciſci Regula, niſi quàm à Sūmis Pontificibus, & Apoſtolica Sede approbata, confirmata, & recepta, hāc ob rem ipſius Sanctiſſimæ Sedis arbitrio eſt, eam protempore ſic declarare, mitigare, interpretari, & quòd Fratres ſic declaratā firmiter, & fideliter

CONSTITVTIO VII.

Quâ confirmat decretum emanatum in fauorem Fratrum Laicorum Ordinis Minimorum, quòd ipsi vnà cum Sacerdotibus possint suffragium ferre pro acceptatione ad professionem Nouitiorū: Sanctæ Obedientiæ præcepto ijs, ad quos spectat, & insuper priuationis tum vocis actiuæ, & passiuæ, tum officiorum suorum, ac perpetuò inhabilitatis ad illa pœnis appositis pro huiusmodi Decreti obseruantia.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filij Fratres Laici, seu Conuersi Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, quod licet ipsi, etiam ab ipso Ordinis primordio, in pacifica semper possessione fuerint, nonnullis functionibus & actibus capitularibus interessendi, præsertim verò in Capitulis, quæ pro Nouitiorum acceptatione, & ad professionem regularem admissione fiunt, votum siue suffragium id instar aliorum Ordinis huiusmodi vocalium, & Sacerdotum ferendi.

Refertur statutum Cap. Gen. Massil. 2. n.34. vide correct. 71. cap. ex eo, de elect. in 6. §.1. De anno tamen 1635. in Capitulo Generali eiusdem Ordinis in Ciuitate Massilien. celebrato, Superiores, & alij vocales Sacerdotes prædicti, eosdem Laicos, seu Conuersos, suis huiusmodi iure & possessione priuare tentarunt, & desuper inter alia per eos in eodem Capitulo Generali condita constitutiones, & statuta, sequens Decretum eorundem Constitutionum, & Statutorum numero 34. ediderunt, videlicet. Nouitiorum acceptatio ad professionem fiat per secreta suffragia, secus suo priuentur officio Superiores. In paritate autem vocum stetur Informatori. Ad quam acceptationem Clerici non habeant votum, nisi sint in sacris ordinibus constituti: Laici verò nequaquam, sicut neque in alijs rebus spiritualibus.

Hinc Pontifex aliàs cōfirmauit statuta d. Cap. non tamen circa dismēbrationē Cōuentus Orbitelli, & laicorum votū in acceptatione Nouitiorum. §.2. Postmodum verò petita nomine Correctoris Generalis Ordinis huiusmodi à Venerab. Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus, negotijs Regularium præpositis, eorundem Constitutionum & statutorum, præsertim quoad eam partē, qua disponitur, quòd Laici, seu Conuersi huiusmodi in acceptatione Nouitiorum votum non habeant, confirmatione; licèt Nos de eorundem Cardinalium consilio Constitutiones, & Statuta huiusmodi, exceptis tamen decimo Statuto circa dismembrationem Conuentus Orbitelli, ac trigesimoquarto circa Laicorum, seu Conuersorum votum in acceptatione Nouitiorum, quæ omnino tolli, & aboleri voluimus, ita vt circa Conuentum prædictum, ac laicorum votum in acceptatione Nouitiorum nihil omnino imposterum esset, vel esse censeretur innouatum, sed circa hæc, omnia remanere in statu pristino, Apostolica auctoritate confirmauerimus, aliaque fecerimus, vt in nostris in simili forma Breuis desuper expeditis literis, quarum tenores præsentibus haberi volumus, vberiùs continetur.

§.3. Nihilominus tamen Sacerdotes, & alij Superiores locales Ordinis huiusmodi, anno superiori eosdem Laicos, seu Conuersos in suis huiusmodi iure, & possessione de nouo turbare tentarunt. Vnde habito ab ipsis exponentibus ad eosdem Cardinales recursu, præfati Cardinales inhærendo Decreto aliàs, vt præfertur, desuper ab eis edito, audito priùs Procuratore Generali Ordinis huiusmodi, Dilecto filio nostro Antonio tituli Sanctorum Nerei, & Achillei Presbytero, Cardinali Sanctacrucio nuncupato, dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectori cōmiserunt, vt pro suo arbitrio & prudentia in præmissis statueret, & decerneret, quod pro debita eorundem Exponentium satisfactione, & profitentium quiete in Domino conspexisset salubriùs expedire. Laici iterum super d. voto turbari recurrerunt ad Sacr. Congr. quæ commisit negotium Eminen. D. Cardin. Protectori.

§.4 Qui Antonius Cardinalis in vim commissionis huiusmodi, re maturè considerata, & audito eodem Correctore Generali, dixit, & declarauit licuisse, & licere dictis Fratribus Laicis, seu Conuersis pro acceptatione, & admissione Nouitiorum ad professionem suffragium ferre, ac vnà cum Sacerdotibus & Superioribus Conuentuum, vbi dictas acceptationes & admissiones fieri continget, votum præstare: eosque propterea in eorum quasi possessione fore, & esse manutenendos; & aliàs prout in eiusdem Antonij Cardinali Decreto desuper emanato pleniùs continetur. Cardin. Protector declarat, vt in sū. gl. in d. cap. ex eo.

§.5. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, præfati Laici seu Conuersi, præmissa pro illorum validitate, & subsistentia firmieribus Apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri summopere desiderent. Nos eosdem Exponentes specialibus fauoribus & gratijs prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum, seu declarationem huiusmodi Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus. Confirmatur Decretum Cardin. Protectoris, vt in sūm & supplentur defectus.

mus. Ac omnes, & singulos tam iuris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet interuenerint, supplemus.

Pœnæ contra facientibus, & clausulæ præseruatiuæ.

§. 7. *Mandantes propterea omnibus, & singulis, & ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet in futurum spectabit, in virtute sanctæ Obedientiæ, ac sub vocis actiuæ, & passiuæ, necnon suorum officiorum priuationis, perpetuaque ad illa, & alia in posterum obtinenda inhabilitatis, aliisque arbitrij nostri pœnis eo ipso per contrafacientes absque vlla declaratione incurrendis, vt Decretum, seu declarationem huiusmodi inuiolabiliter obseruent, ac eosdem exponentes omnium, & singulorum in eisdem Decreto; seu declaratione contentorum commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere sinant, & faciant. Ac decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, dictisque exponentibus in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari.*

Clausula sublata, & decretum irritans.

§. 8. *Sicque per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac eiusdem Sacræ R. Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, dictaque Sedis Nuntios, ac quosvis alios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere. Ac irritum, & inane, si quid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Contrariorum derogatio.

§. 9. *Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac prædictis, & quibusvis aliis dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis Statutis, & consuetudinibus priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis quibusvis eiusdem Ordinis Superioribus, Fratribus, & personis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum præmissum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.*

Transumptis fides adhibenda.

§. 10. *Volumus autem, vt præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 22. Martij 1641. Pontificat. nostri anno 18.* M. A. Maraldus.

CONSTITVTIO VIII.

VRBANVS PAPA VIII.
Pontifex Optimus Maximus.

In constitutionibus Vrbanis Fratrum Minorum Congreg. S. Francisci à S. S. Anno Domini 1628. die 15. Maij editis, & confirmatis.

Excommunicat omnes, & singulos, qui vel dicunt Fratres conuentuales, viuentes iuxta Constitutiones Vrbanas non esse veros Regulæ S. Francisci obseruatores, vel dicunt, eosdem viuentes iuxta Regulam declaratam, mitigatam, relaxatam à Summis Pontificibus non esse veros, ac germanos filios S. Francisci, eiusque Sanctissimæ Regulæ Professores, vt colligitur ex eisdem Constitutionibus *tit. 2. fol. 16.* & infrà per hæc verba.

Procemium.

§. 1.  *Voniam Seraphicæ Regulæ Textus, his Constitutionibus iure præmissus, ex Originali, quod Assisij in Sacro nostræ Ecclesiæ Reliquiario pia veneratione seruatur, verbatim excerptus est, propterea si quis eum vllo vnquam pacto immutare præsumpserit, falsi pœnam statim se subiturum sciat. Proindeque ad tantum nefas vitandum, Ministris Prouincialibus, necnon Superioribus quibuscunque, ad quos id negotij attinet, seu vllo vnquam tempore spectabit, districtè mandatur, firmiterque præcipitur, quatenus huius præscripto cætera Regulæ exemplaria conformari quam diligentissimè curent.*

Excommunicatos declarat asserentes minores Conuentuales non esse veros Regulæ S. Francisci Obseruatores.

§. 2. *Ad eorum verò temeritatem coërcendam, qui dicteriis, captiosisque verbis ordinem insequentes, Regulæ transgressores Conuentuales vocant, quòd non ad literam sine Glossa, sed ad præscriptum priuilegiorum, Apostolicarumvè Declarationum S. Francisci institutum obseruent; Monemus omnes, & singulos, quòd quisvis, seu dictis, seu scriptis Fratres Minores Conuentuales, iuxta has Constitutiones viuentes, non esse veros Regulæ Sancti Francisci obseruatores, ausus fuerit quoquomodo asserere, mox Apostolicæ Sedis excommunicationem sese incurrere sciat.*

Ad quos pertineat Religionum regulas declarare mitigare & interpretari.

§. 3. *Cum enim neminem astringere possit Sancti Francisci Regula, nisi quia à Summis Pontificibus, & Apostolica Sede approbata, confirmata, & recepta, hàc ob rem ipsius Sanctissimæ Sedis arbitrio est, eam pro tempore sic declarare, mitigare, interpretari, & quòd Fratres sic declaratã firmiter, &*

fideliter obseruantes, veri filij sint, & Sancti Francisci sequaces, eiusque sanctissimæ Regulæ professores, & seruatores statuere; Quare contra Constitutiones, & declarationes huiusmodi, quidpiam attentare, sine præsumere vnusquisque facilè intelliget, quàm temerarium sit.

§.

Facit ad notata ad Constitutionem Pyrrhi *num.* 5. ad quos pertineat Religiones approbare.

CONSTITVTIO IX.

Quâ confirmat decretum S. Congregationis, quod Laici professi Capuccinorum, inter eundum, & sedendum, & in publicis, & priuatis actionibus, semper, & vbique nouitijs Clericis, nondum professis præcedere possint, & debeant.

VRBANVS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. NVper pro parte dilectorum filiorum Hieronymi Narniensis Vicarij Generalis, ac Francisci Gennensis Procuratoris generalis Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum expositum fuit, quod à Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Regularium Præpositis emanauit decretum tenoris subsequentis, videlicet, Pater Frater Hieronymus Narniensis Vicarius Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum, ac Pater Frater Franciscus Gennensis eiusdem Ordinis Procurator Generalis supplicant sacra Congregationi proopportuna declaratione infrascripti Dubij nuper ab aliquibus excitati, videlicet, An Laici professi eiusdem Religionis possint, ac debeant inter sedendum, eundum, atque in omnibus locis, & in publicis, ac priuatis actionibus semper, & vbique præcedere Clericis nondum professis.

Ex decreto Congr. Laici professi Capuccinorum præcedere possunt vbique nouitios Clericos. §. 1. Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Regularium præposita censuit, Laicos professos vtique posse, ac debere Nouitiis etiam Clericis, nondum professis, in omnibus locis, & actionibus, tam publicis, quàm priuatis, vt supra, in dicta Religione præcedere.

Dictum decretum confirmatur & approbatur. §. 2. Cùm autem, sicut eadem expositio subiungebat, exponentes prædicti plurimum cupiant, Decretum præinsertum pro illius validitate, & subsistentia firmioribus Apostolicæ Nostræ confirmationis robore communiri. Nos illos specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes. Supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & singulos tam iuris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet interuenerint, supplemus. Decernentes, illud, necnon præsentes litteras valida, firma, & efficacia existere, & fore, ac ab omnibus, ad quos spectat, inuiolabiliter obseruari, sicque per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem vt præsentium transumptis, etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris, die 8. Maij 1631. Pontificatus Nostri Anno Octauo. Contrariis derogat quibuscunque.

M. A. Maraldus.

§.

Roborat dicta in additamentis *c.* 2. *ad Constitutionem Sixti IV.* præsertim *n.* 33. *pag.* 316. *col.* 2.

CONSTITVTIO X.

Quâ declarat, & confirmat decreta edita circa processus pro beatificatione, & canonizatione Sanctorum conficiendos.

VRBANVS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.



COElestis Hierusalem Ciues, quorum Gloriosis Natalitiis, Sancta latetur Mater Ecclesia, sicut huius Sanctæ Sedis Apostolicæ ministerio à piis vtriusque sexus Christi fidelibus venerantur in terris, ita Romanum decet Pontificem militantis Ecclesiæ, regimini diuina prouidentia præpositum, pro suo præcipuo honoris Domus Dei zelo inuigilare, ne quid in personarum, cum sanctitatis, aut Martyrij fama, vel opinione defunctarum memoriam, siue cultum, inconsulta sancta Sede prædicta innouetur.

§. 1.

§. 1. alias siquidem Nos sollicitè animaduertentes abusus, qui irrepserant, & irrepere non cessabant in colendis quibusdam cum sanctitatis, aut Martyrij fama, vel opinione defunctis, qui, etsi neque Canonizationis, neque Beatificationis honore insigniti essent ab eadem Sede, eorum tamen imagines in Oratoriis, atque in Ecclesiis, aliisque locis publicis, atque etiam priuatis, cum laureolis, aut radiis, seu splendoribus proponebantur, miracula, & reuelationes, aliaque beneficia à Deo per eorum intercessiones accepta, in libris rerum, ab ipsis gestarum enarrabantur, & ad illorum sepulchra tabellæ, imagines, & res aliæ ad beneficia accepta testificanda, & lampades, & alia lumina apponebantur.

§. 2. Volentesque proinde huiusmodi abusibus pro debito officio pastoralis occurrere, re etiam cum Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus contra hæreticam prauitatem in vniuersa Republica Christiana generalibus Inquisitoribus ab eadem Sede specialiter deputatis communicata, & mature considerata, ac discussa, de eorundem Cardinalium consilio, sub die 13. Martij 1625. declarauimus, statuimus, & decreuimus ne quorumuis hominum cum sanctitatis seu Martyrij fama (quantacunque illa esset) desuactorum imagines, aliaque præfata, & quodcunque aliud, venerationem, & cultum præferens, & indicans in Oratoriis, aut locis publicis, seu priuatis, vel Ecclesiis, tam sæcularibus, quam Regularibus, cuiuscunque Religionis, Ordinis, Instituti, Congregationis, aut Societatis apponerentur, antequam ab Apostolica Sede canonizarentur, aut Beati declararentur, & (si qua apposita essent) amouerentur, prout eas statim amoueri mandauimus, Ac pariter imprimi de cætero inhibuimus, libros eorundem hominum, qui Sanctitatis, siue Martyrij fama, vel opinione, vt præfertur, celebres è vita migrassent, gesta, miracula, vel reuelationes, seu quæcunque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, siue recognitione atque approbatione Ordinarij, qui in iis recognoscendis, Theologos, aliosque pios, ac doctos viros in consilium adhibeat; & ne deinde fraus, aut error, aut aliquid noui, & inordinati in re tam graui committeretur, negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmitteret, eiusque responsum expectaret; Reuelationes verò, & miracula, aliaque beneficia supradicta, quæ in libris horum hominum, vitam gestaque continentibus catenus sine recognitione, atque approbatione huiusmodi impressa erant, nullo modo approbata censeri voluimus, mandauimusque. Ad horum hominum sepulchra vetuimus etiam, ac inhibuimus tabellas, atque imagines ex cera, aut argento, seu ex alia quacumque materia, tam pictas, atque exculptas appendi, seu affigi, & lampades, siue alia quæcumque lumina accendi sine recognitione ab Ordinario omnino, prout supra, facienda, sedique Apostolica referenda, ac probanda.

Præiudicare non intendit, quos à longissimo tempore Apostolica Sedes, vel Ordinarij tolerarunt.

§. 3. Declarantes quod per suprascripta præiudicare in aliquo noluimus, neque intendimus iis, qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, Virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia præfatæ Sedis Apostolicæ, vel Ordinarij celebrantur.

Tabellas recipi, ac in loco extra Ecclesiam custodiri mandat.

§. 4. Cumque postea die 2. Octobris eiusdem anni 1626. à quibusdam reuocari in dubium accepissemus, an tabellas, & imagines, quas in posterum offerri contingeret, recipere, & antea oblatas conseruare liceret; Nos qui tantummodo voluimus occurrendo abusibus, qui irrepere videbantur, certiorem parare viam, ad eorum in terris gloriam, quorum Sanctimoniam Diuina Clementia placuerit admirandis operibus illustrare, re prius cum eisdem Cardinalibus communicata de simili eorum consilio declarauimus, quod sicut nunquam prohibuimus, nec intentionis nostræ fuit prohibere oblationem, receptionemque tabellarum & imaginum huiusmodi, itavt deinceps nulli dubitationi locus relinqueretur, statuimus, & decreuimus, vt quoties ad aliquam Ecclesiam, aut Oratorium, locumve alium publicum sæcularem, seu Regularem tabellas, & imagines, aliudve simile quispiam deferret, ac intercessione hominum inter Sanctos, vel Beatos non adscriptorum, quamuis cum Martyrij, aut Sanctitatis fama, demortuorum optata se impetrauisse diceret, liceret, Ecclesiasticis personis Ecclesiarum, locorumque prædictorum curæ præpositis, tabellas, & imagines, siue pictas, siue ex quauis materia fictas, atque alia quæcumque collata gratia fidem facientia. Simul cum deferentis, aliorumque, qui conscij fuissent attestationibus recipere, atque approbationibus Ordinariis, ad quos referre statim omnia tenerentur, in secreto aliquo seorsum ab Ecclesia loco custodire, ibidemque ab ea amota collocare, & asseruare, vt si quando Dominus talium virorum merita Beatificationis, seu Canonizationis honore in terris decorare voluisset, extarent huiusmodi Sanctitatis qualescumque probationes Apostolicæ Sedis iudicio tunc examinanda.

Inhibet formari processus, formatosque aperiri, nisi à specialiter delegatis.

§. 5. Demùm verò, vt eiusmodi decreta obseruarentur indubiè, ac omnimodam sortirentur executionem, cum eisdem Cardinalibus re pariter communicata, deque eorundem Consilio præmissis addidimus, statuimus, decreuimus, atque declarauimus, ne ex tunc deinceps quispiam Ordinariorum, aut ab Apostolica Sede ad hoc specialiter delegatorum, super alicuius, vtriusque sexus cum Sanctitatis, aut Martyrij fama, vel opinione defuncti miraculis, reuelationibus, aliisque eiusmodi Sanctitatem redolentes, ex integro informationes quoquo modo reciperet, aut processum instrueret, vel hucusque receptas informationes, instructumve processum

processum vlterius prosequeretur, nisi postulator prius per legitimas iuridice susceptas probationes, circa personam eius de cuius miraculis, reuelationibus, alijsve rebus gestis Sanctitatem praeferentibus, ageretur praescriptam in praefato nostro decreto formam omnino seruatam extitisse docuerit, & nisi postea successiuè idem Ordinarius, aut ab Apostolica Sede ad hoc specialiter delegatus diligenti praehabita disquisitione circa eandem personam supradicto decreto nullatenus contrauentum esse, ritè pronuntiauerit, vtique id inuiolabiliter obseruetur, statuimus insuper, ac decreuimus ne transmissi ad Vrbem vndecunque huiusmodi processus à Congregationis Sacrorum Rituum Secretario, minusvè à sancta fidei Promotore quomodolibet aperiantur, nisi prius in ipsa Sacrorum Rituum Congregatione, alio seiunctim oblato authentico processu, ex eo Ordinarium, aut ab Apostolica Sede specialiter delegatum ritè, ac rectè vt praemittitur, cognouisse, ac pronuntiasse praelibato decreto nequaquam contrariam esse plenè constiterit, ac deindè à Nobis iudicialiter aperiendi eos processus facultas indulta fuisset.

Declarat tempus ad Canonizationem necessarium esse 100. annorum.

§. 6. *Insuper longissimum tempus, illiusvè immemorabilem cursum, de quo in praedicto decreto, intelligi declarauimus esse tempus centum annorum metam excedens, deque his, atque infrascriptis omnibus, quae in his decretis disposita, & ordinata sunt, aliqua suboriente difficultate, Ordinariis locorum, & delegatis Apostolicis quibuslibet omnem omnino, interpretandi facultatem ademimus, vtque Sedem Apostolicam desuper consulerent, ab eaque responsum expectarent, mandauimus eisdem, & aliàs prout in decretis desuper editis continetur.*

Mandat obseruari praedicta & contra facientibus poenas apponit.

§. 7. *Quare inuiolabili decretorum praedictorum obseruationi quantùm cum Domino possumus consulere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac mera deliberatione nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, decreta praedicta, cum omnibus & singulis in eis contentis tenore praesentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illisque inuiolabilis Apostolicae firmitatis robur adijcimus, omniaque & singula decreta huiusmodi ab omnibus ad quos spectat, & in futurum quomodolibet spectabit, obseruari omnino praecipimus sub poena nullitatis quarumcunque informationum, processuum, ac interpretationis aliter, quàm praeuia suprascripta praecognitione instructorum, eorumque admissionis, publicationis, ac interpretationis, itavt earundem informationū receptiones, processuumvè instructiones, necnon eorum admissiones, ac publicationes, & interpretationes habeantur pro non receptis, non instructis, non admissis, non publicatis, non interpretatis, eorumque amplius ratio aliqua nullatenus alicubi vnquam haberi debeat.*

Clausulae praeseruatiuae.

§. 8. *Decernentes praesentes literas, & in eis contenta quaecumque etiam ex eo quod quicumque in praemissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu quomodolibet habere praetendentes ad praemissa vocati, & auditi, minusque causae propter quas eaedem praesentes emanarint, adductae, verificatae, seu aliàs sufficienter, aut etiam nullatenus iustificatae fuerint, nullo vnquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut inualiditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quovis defectu etiam quantumvis magno, inexcogitato, & substantiali, siue etiam ex eo quod in praemissis, seu eorum aliquo solemnitates, & quaevis alia seruanda, & adimplenda, seruata, & adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio capite à iure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimae, & totalis laesionis, aut quocumque alio colore etiam in corpore iuris clauso, seu occasione, vel causa, etiam quantumvis iusta, rationabili, & priuilegiata etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra huiusmodi, & aliis superius expressis seu relatis nihil vllibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, inualidari, retractari, in ius vel controuersiam reuocari, aut ad terminos iuris reduci, vel aduersus illas restitutionis in integrum aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiae, vel iustitiae, remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato, vel concesso quempiam vti, seu se iuuare in iudicio, vel extra posse, neque ipsas praesentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac per omnes, & singulos ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum inuiolabiliter obseruari.*

Clausula sublata & decretum irritans.

§. 9. *Sicque & non aliter in praemissis omnibus & singulis per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & Sacrae R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Nuntios, & alias quavis auctoritate, & potestate fungentes in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate vbique iudicari & diffiniri debere, irritum quoque & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Mandat ordinariis vt super hoc inuigilent.

§. 10 *Quocirca Venerabilibus fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis, necnon dilectis filiis nostris & Apostolicae Sedis Nuntiis, ac haereticae prauitatis Inquisitorib. vbilibet existentibus per*

Apostolica

Apostolica scripta mandamus, vt statim atque præsentes literæ nostræ ad eorum, & cuilibet eorum notitiam peruenerint, in sua quisque respectiuè diœcesi, vel Prouincia sedulò peruigilet, ne sine approbationibus prædictis imagines cum memoratis signis exponantur, aut miracula, reuelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliave contra superius disposita fiant, transgressores verò si Regulares fuerint, priuationis suorum officiorum, ac vocis actiuæ, & passiuæ, necnon suspensionis à diuinis, si verò Clerici sæculares priuationis pariter suorum officiorum, suspensionis à diuinis, & ab administratione Sacramentorum, exequutioneque suorum Ordinum respectiuè, aliisque arbitrio prædictorum Ordinariorum seu Inquisitorum pro modo culpæ infligendis pœnis plectendo.

Libros imprimentibus, imagines pingentibus pœnas apponit.

§. 11. *Qui autem libros impresserint, aut imagines pinxerint, sculpserint, seu quoquomodo affixerint, vel formauerint, cæterique artifices circa præmissa qualitercumque delinquentes prædicta omnia amittant, & insuper pecuniariis aliisque etiam corporalibus pœnis iuxta criminis grauitatem eorundem Ordinariorum, seu Inquisitorum arbitrio afficiantur. Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, omni, & quacumque appellatione, recursu, & reclamatione remotis compescendo, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis.*

Derogat contrariis & publicari mandat.

§. 12. *Non obstantibus quatenus opus sit recolendæ memoriæ Bonifacij Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Vt autem præsentes, & in eis consenta quæcumque ad omnium notitiam deducantur, & ne aliquis de eis ignorantiam prætendere possit, volumus pariter, & mandamus, quod eadem præsentes per aliquem, seu aliquos ex Cursoribus nostris ad Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ valuas, ac in acie Campi Floræ affigantur, & publicentur, & cum inde amouebuntur, earundem exempla in eisdem locis affixa dimittantur, quæ sic publicata, & affixa post duos menses à die publicationis computandos, omnes & singulos quos concernunt, perinde afficiant, & arctent, ac si vnicuique illorum personaliter intimata, & notificata fuissent.*

Transumptis iubet fidem adhiberi.

§. 13. *Quodque illarum transumptis impressis sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, & manu alicuius Notarij publici scriptis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris, die 5. Iulij 1634. Pontificatus nostri Anno 11.* M. A. Maraldus.

Anno 1634. Indictione 2. Pontificatus S. D. N. D. Vrbani diuina prouidentia Papæ VIII. die verò 5. Septembris supradictæ literæ, siue decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Basilicarum S. Ioannis in Laterano, & Principis Apostolorum Vrbis ac in acie Campi Floræ, vt moris est per me Alexandrum Latinum prælibati S. D. N. Papæ Curs.

§.

Decretum datum 13. Martij 1625. & datum die 2. Octobris 1625. habentur *in notis ad Constitut. 5. Leonis X.* vide *Additamenta cap. 4. n. 1. pag. 324. col. 1.* Aliud decretum S. Congregationis Rituum seruandû in recipiendis informationibus pro causis Beatificationum, & Canonizationum Seruorum Dei, à Sanctitate sua confirmatum habetur infrà, & est sextum in Ordine inter decreta S. Congreg.

CONSTITVTIO XI.

Quâ mandat vt inter Fratres Minores sancti Francisci reformatos nulli competat ius, præcedendi siue honoratioris loci, nisi Superioribus actualibus, eorum tantum officio durante, & iis, qui Ministri Generalis, vel Commissarij generalis Cismontanæ familiæ officio functi fuerint, qui immediatè post superiores actuales locum habeant.

VRBANVS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.



Prooemium.

INter grauissimas, multiplicesque *Apostolicæ seruitutis curas, in eam peculiari sollicitudine incumbimus, vt Religiosi viri, qui oblìti populum suum, & domum patris sui, diuini Numinis obsequiis se manciparunt, vota sua reddant Domino abundanter, in spiritu humilitatis, ac Sanctitate, & iustitia coram ipso.*

Declarat quibus competat ius præcedendi.

§. 1. *Hinc est, quod Nos fœlici dilectorum filiorum Fratrum Ordinis S. Francisci de Obseruantia, Reformatorum nuncupatorum, statui quantùm cum Domino possumus consulere volentes; Motu proprio, & ex certa scientia nostra harum serie statuimus, atque præcipimus, & mandamus, quod de cætero inter eosdem Fratres Minores S. Francisci de Obseruantia, Reformatos nuncupatos, nulli illorum ius præcedendi, siue honoratioris loci competat, nisi Ministro, Commissario, Vicario, & Procuratori Generalibus, Ministris Prouincialibus, Commissariis, & Vicariis Prouincialibus, si fuerint ex Reformatis, Custodibus Reformationum, Commissariis, Visitatoribus, Guardianis, Præsidentibus, seu Commissariis, & Vicariis localibus, qui tamen, expletis eorum officiis, ad locum, & præcedentiam Ordinis redibunt, tam ij, qui iam habitum, per dictos Fratres Reformatos gestari solitum, susceperunt, & de cætero suscipient, quàm ij, qui se à Fratribus de Obseruantia ad Fratres Reforma-*

formatos huiusmodi Canonicè transtulerunt, & transferent, exceptis tamen iis, qui officio Ministri generalis, seu Commissarij generalis Cismontanæ familiæ functi sunt, vel fungeantur, qui post Superioris actuales immediatè locum habeant; Decernentes præsentes literas semper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inuiolabiliter obseruari debere, irritumque, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §. 2. *Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusuis dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbũ, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, seu quauis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda, foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris, die 23. Augusti 1634. Pontificatus nostri anno 12.*

M. A. Maraldus.

§.

Conducit ad notata *in Additamentis cap. 2. num. 33.* de præcedentia Religiosorum eiusdem Ordinis, &c. *pag. 316. colum. 2.*

CONSTITVTIO XII.

Quâ prohibet sub censuris, & priuationis vocis actiuæ, & passiuæ pœnis, Fratribus Ordinis Prædicatorum in partibus Indiarum, ne viuant, seu maneant extra claustra locorum dicti Ordinis, absque Sanctæ Sedis, & Superiorum eiusdem Ordinis licentia.

VRBANVS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.  *Niunctum nobis desuper Apostolicæ seruitutis officium postulat, vt Religiosorum quorumlibet fœlici, prospereque regimini, atque statui ingiter consulentes, ea libenter statuamus, quæ ad Regularis disciplinæ obseruantiam in dies magis promouendam pertinere dignoscuntur.*

Supplicatio. §. 1. *Cùm itaque sicut dilectus filius Procurator Generalis Fratrum Ordinis Prædicatorum nobis nuper exponi fecit, indecens admodum esse videatur, vt eiusdem Ordinis fratres præsertim in partibus Indiarum extra domorum Regularium claustra absque suorum Superiorum licentia viuant. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, vt super præmissis, opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.*

Concedit prout in summario. §. 2. *Nos igitur dicti Procuratoris Generalis votis quantùm cum Domino possumus, annuere, illumque specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati. Ne de cætero dicti Ordinis fratres in partibus Indiarum existentes extra Conuentuum, domorum, & aliorum dicti Ordinis locorum Regularium claustra, absque huius Sanctæ Sedis, & Superiorum eiusdem Ordinis licentia viuant, seu maneant sub censuris Ecclesiasticis ac priuationis vocis actiuæ, & passiuæ pœnis per eosdem fratres extra claustra huiusmodi manentes, seu viuentes, vt præfertur, eo ipso incurrendis Apostolica auctoritate tenore præsentium prohibemus.*

Contrariis derogat, & transumptis fidem adhiberi iubet. §. 3. *Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, vt præsentium transumptis etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 8. Nouembris 1634. Pontificatus nostri anno 12.*

M. A. Maraldus.

§.

Concinit Constitutioni Decimæ quintæ aliàs 25. Sanctitatis suæ, quæ habetur *in Additamentis, cap. 12. pag. 394. colum. 2.*

CONSTI

CONSTITVTIO XIII.

Quâ declarat Clericos Regulares Scholarum piarum non comprehendi in Decretis generalibus editis à Clemente VIII. & à Sanctitate sua confirmatis, quibus cæteri Clerici Regulares non comprehenduntur.

VRBANVS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. *Omanum decet Pontificem, si qua circa constitutionum, seu decretorum Apostolicorum intelligentiam dubia oriuntur, declarationis suæ ministerio de medio remouere.*

§. 1. *Cùm itaque, sicut pro parte dilectorum filiorum Clericorum Regularium Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum nobis expositum fuit, à nonnullis in dubium reuocetur, an dicti exponentes sub decretis de Nouitiis, nonnisi in certis Monasteriis, & locis à Sede Apostolica designatis recipiendis per felicis recordationis Clemen. Papam VIII. prædecessorem nostrum editis, & à nobis confirmatis comprehendantur.*

Conceditur prout in summario. §. 2. *Nos omnem in præmissis dubitandi materiam de medio tollere, dictosque exponentes specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes. Supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. De venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium præpositorum consilio, dictos Clericos Regulares dictæ Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum non comprehendi in decretis præfatis dicti Clementis prædecessoris per nos approbatis, & innouatis, quemadmodum non comprehenduntur cæteri Clerici Regulares, Apostolica auctoritate tenore præsentium declaramus.*

Decretum irritans, & contrariorum derogatio. §. 3. *Sicque obseruari, & per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Non obstantibus præmissis, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 17. Nouembris 1634. Pontificatus nostri anno 12.*
M. A. Maraldus.

§.

Decreta, de quibus hic fit mentio, habentur *suprà in Constitut. 10. Vrbani VIII. tom. 2.*

CONSTITVTIO XIV.

Quâ statuit quod Regulares, qui vltra vota solita etiam votum emittunt de non petenda, aut acceptanda extra Religionem dignitate, per quamcunque eorum translationem, seu habitus priuationem aut dimissionem à voto huiusmodi nullatenus liberentur.

VRBANVS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

*Vm, sicut accepimus, diuersorum Ordinum, Congregationum, & Institutorum, ac etiam Societatis Iesu personæ Regulares, vltra alia vota, etiam votum, promissionem, siue iuramentum solemniter, siue simpliciter emittant, aut præstent de non petenda, non procuranda, minimèue acceptanda aliqua dignitate, neque aliqua superioritate extra eorum Religionem: quoniam verò propter infirmitatem, seu aliam legitimam causam Sedes Apostolica aliquibus personis Regularibus licentiam aliquando impartitur, se de vna ad aliam Religionem, etiam speciali nota, & expressione dignam, etiam laxioris obseruantiæ transferendi, necnon aliqui etiam Religionum suprà expressarum, & cuiuslibet earum Generales, vel alij Superiores vigore, vt asserunt, facultatum sibi per Sedem eandem concessarum, translationem de vna ad aliam Religionem, aut strictiorem, vel laxiorem Regularibus suis, siue per viam expulsionis, siue alio quouis modo concedunt, vel aliàs Regularibus suis huiusmodi vt se transferant, occasionem præbent, vel etiam ipsi Regulares ex aliquibus causis licentiam manendi extrà Claustra, etiam in habitu Clerici, vel Sacerdotis sæcularis aliquando obtinere solent, ideò ne per præfatas, & quascumque alias translationes, expulsiones, & dimissiones habitus Regularis eorundem Regularium, quavis authoritate, licentia, occasione, ratione, & causa, quantumlibet rationabili, fauorabili, pia, & publica, etiam in corpore iuris clausa, siue ratione maioris boni, ac aliàs quomodolibet hactenus, & pro tempore factas, & faciendas, possint Regulares huiusmodi quandocumque, vt præfertur, translati, expulsi, etiam post habitum Religionis dimissum prætendere se à dicto voto, promissione, siue iuramento de non petendo, nec obtinendo aliquam dignitatem, & de illam Motu proprio collatam non acceptando, fuisse, vel esse liberatos, quantùm cum Domino possumus opportunè prouidere volentes, necnon voti, promissionis, seu Iuramenti, ac facultatem, licentiarum, expulsionum, & causarum, aliorumque etiam de necessitate exprimendorum veriores, & totos tenores præsentibus pro plenè, & suffi-* Enarratio.

eiusdem expressis, & ad verbum insertis habentes.

Statuit prore in summario. §. 2. *Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra perpetuò valitura Constitutione, declaramus, & decernimus quoscumque Regulares prædictos cuiusvis Ordinis, Congregationis, & instituti, etiam quomodolibet exempti, etiam Societatis Iesu, per quamcunque translationem hactenus, & in posterum quandocumque de sua, ad aliam Religionem, vel Ordinem, vt præfertur, seu aliàs quomodolibet, etiam pluries, & per quamcunque expulsionem, habitusque Regularis dimissionem pro tempore factas, non esse, nec fore, minusve dici, aut censeri posse, seu debere à præfato voto, promissione, seu Iuramento liberatos, sed eos hactenus, & pro tempore, vt præfertur, translatos, expulsos, ac à delatione habitus Regularis absolutos, vel priuatos quarumcunque dignitatum huiusmodi proinde incapaces, & ad illas petendas, acceptandas, & obtinendas, inhabiles remanere in omnibus, & per omnia perinde ac si translati, expulsi, seu à delatione habitus liberati, seu priuati non fuissent.*

Clausulæ præseruatiuæ. §. 3. *Præsentes verò literas, omniaque & singula in eis contenta etiam ex eo quòd quicumque in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, ad ea vocati, & auditi, minusque causæ propter quas eadem præsentes emanarint, adducta, verificata, seu aliàs sufficienter, aut etiam nullatenus iustificata fuerint, nullo vnquam de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis, aut inualiditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quouis defectu etiam quantumvis magno, inexcogitato, & substantiali, siue etiam ex eo, quòd in præmissis, seu eorum aliquo solemnitates, & quavis alia seruanda, & adimplenda, seruata, & adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio Capite à Iure, vel facto, aut Statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissima, & totalis læsionis, aut quocumque alio colore, etiam in corpore iuris clauso, seu occasione, vel causa etiam quantumvis iusta, rationabili, & priuilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda foret, notari, impugnari, inualidari, retractari, in ius, vel controuersiam reuocari, aut ad terminos iuris reduci, vel aduersùs illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiæ, vel iustitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato, vel concesso quempiam vti seu se iuuare in iudicio, vel extra posse, neque sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet factis, & faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac per omnes & singulos, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum inuiolabiliter obseruari.*

Ita iudicari mandat. §. 4. *Sicque, & non aliter in præmissis oneribus, & singulis, per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Nuntios, ac alios quavis auctoritate, & potestate fungentes, in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & diffiniri debere, irritum quoque, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Contrariorum derogatio. §. 5. *Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Cancellariæ nostræ Regulis, & quatenus opus fuerit, etiam illa de Iure quæsito non tollendo, ac cuiusvis Ordinis, Congregationis, & instituti huiusmodi, etiam Iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, quibusuis personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio ad hoc seruanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad prædictum effectum specialiter, & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.*

Iubet has literas publicari. §. 6. *Vt autem præsentes, & in eis contenta quæcumque, ad omnium notitiam deducantur, & ne aliquis de eis ignorantiam prætendere possit. Volumus pariter, & mandamus, quod eædem præsentes per aliquem, seu aliquos ex Cursoribus nostris ad Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ Valuas, ac in Acie Campi Floræ affigantur, & publicentur, & cum inde amouebuntur, earum exempla in eisdem locis affixa dimittantur, quæ sic publicata, & affixa, omnes & singulos quos concernunt, perinde afficiant, & arctent, ac si vnicuique illorum personaliter intimata, & notificata fuissent.*

§. 7. Quod

§. 7. *Quodque illarum transumptis impressis sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, & manu alicuius Notarij publici subscriptis eadem prorsus vbique fides adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibita, vel ostensa. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 21. Maij 1635. Pontificatus nostri anno 12.*
M. A. Maraldus.

Transumptis fidem adhiberi iubet.

Anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi 1636. die verò 20. mensis Nouembris, retroscripta litera Apostolica affixa, & publicata fuerunt ad valuas Ecclesiæ Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, per nos Antoninum Bardum, & Iulium Marzitellum Sanctiss. D. N. PP. Curs.

CONSTITVTIO XV.

Quâ concedit licentiam Generali Ordinis Minorum Conuentualium supprimendi, & extinguendi Conuentus Pauperes.

VRBANVS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

Dilecto Filio Ministro Generali Ordinis Minorum Conuentualium Sancti Francisci Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Supplicatio.

Cum sicut dilectus filius F. Blasius à Cherfio Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Conuentualium nuncupatorum Nobis nuper exponi fecit, quod in eodem Ordine nonnulli parui Conuentus reperiantur, ac eis Fratrum numerus Obseruantiæ Regularis sufficiens nequaquam manuteneri possit, & propterea illos supprimi, eorumque res & bona, necnon onera eis incumbentia in maiores ipsius Ordinis Conuentus transferri posse plurimum desideret, Nobis idcirco humiliter supplicari fecit, vt sibi de infradicta facultate prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Concedit prout in summario.

§. 1. *Nos prospero eiusdem Ordinis illiusque domorum statui, Regularisque disciplinæ incremento consultum esse cupientes, supplicationibus eiusdem F. Blasij Procuratoris nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Tibi paruos Conuentus prædictos, illorumque statum & essentiam Regularem in eis auctoritate nostra Apostolica perpetuò supprimendi, & extinguendi, eorumque res & bona, ac onera quæcumque eis incumbentia in maiores eiusdem Ordinis Conuentus etiam perpetuò transferendi facultatem Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & impartimur.*

Decretum irritans.

§. 2. *Decernentes præsentes litteras, & illarum vigore facientes suppressiones, extinctiones, & translationes prædictas postquam factæ fuerint validas, firmas, & efficaces existere, & fore, ac maioribus Conuentibus huiusmodi plenissimè in omnibus, & per omnia suffragari, sicque per quoscumque iudices ordinarios, & Commissarios quauis auctoritate fungentes iudicari, & diffiniri debere, necnon irritum & inane si secus super his à quocumque quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Contrariis derogat.

§. 3. *Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 3. Octobris 1635. Pontificatus nostri anno 13.*

§.

Similis concessio est Generali nostri Ordinis, & est Constitutio 14. aliàs 24. Sanctitatis suæ *in Additament. cap. 12. pag. 393. col. 1.*

CONSTITVTIO XVI.

Quâ confirmat Decreta Capitulorum Generalium Ordinis Prædicatorum, quod nullus ex Fratribus eiusdem Ordinis audeat tractare aliquod negotium per se, vel per alium in Romana Curia, nisi per Procuratorem Generalem Ordinis, vel de eius scitu.

VRBANVS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.



Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Galassinus Ordinis Prædicatorum Procurator Generalis, quod licet per Decreta Capitulorum generalium dicti Ordinis prohibeatur eiusdem Ordinis Professoribus sub certis inibi expressis pœnis, ne per se, vel per alium, pro se, vel pro alio etiam prætextu procurationis vel commissionis sibi datæ à propria Prouincia vel domo Regulari, negotium aliquod, cuiuscumque illud generis sit, quomodolibet tractare, procurare, inchoare, aut attentare audeant, nisi per pro tempore existentem dicti Ordinis Procuratorem Generalem, vel de eius scitu, & expressa in scriptis licentia, & aliàs prout in dictis, decretis latiùs continetur, tenore subsequent. videlicet.

Referuntur Capitula Generalia Ord. Prædic. Romanum.

§. 1. *Ex Actibus Capituli generalis Romæ 1612. Admonemus omnes ac singulos nostri Ordinis Patres ac Fratres, cuiuscumque gradus, status & conditionis existant, eisdemque iustis de causis, & ad tollenda, euitandaque incommoda multa quæ in dies oriri cognoscimus, in*

virtute

virtute Spiritus Sancti, & Sancta Obedientia, & sub formali pracepto, necnon sub pœnis excommunicationis lata sententia, hac vna, pro trina Canonica monitione pramissa, à qua nonnisi per Magistrum Ordinis, vel eius Vicarium Generalem, praterquam in mortis articulo possint absolui, & si Pralati fuerint, sub pœna etiam absolutionis à suis officiis ipso facto incurrenda pracipimus & mandamus, ne in Romana Curia, negotium aliquod, cuiuscumque illud generis sit, per se, vel per alium, pro se, vel pro alio etiam pratextu procurationis, vel commissionis sibi data à propria Prouincia vel Conuentu quomodolibet tractare, procurare, inchoare, aut attentare audeant, nisi per pradictum admodum Reuerendum Patrem Procuratorem Ordinis, vel de eius scitu, & expressa licentia in scriptis; Reuocantes prasentium tenore omnes facultates, hactenus in contrarium datas, & si quas in posterum his contrarias contingat. Ex actibus Capituli Generalis Bononia 1615. Confirmamus & renouamus ordinationem Roma factam 1612. & sub pœnis in eodem Capitulo taxatis, pracipimus omnibus & singulis nostri Ordinis Patribus, ac Fratribus, vt nemo siue per se, siue per alium, siue sacularis, siue nostri Ordinis Frater fuerit, & cuiuscumque gradus & conditionis existat in Curia Romana quicquam sine scitu Reuerendi admodum P. Procuratoris Ordinis tractare, vel procurare audeat.

Bononiense.

Nullus ex ordine F. Prædicatorũ potest agere negotium in Romana Curia inscio P. Procuratore Ordinis prædicti.

§. 2. *Nihilominus cum experientia compertum sit, quod aut sub pratextu ignorantia dictorum decretorum, aut quod illa non sint in vsu, parum, aut nihil obseruantur in graue dicti Ordinis praiudicium, necnon officy Procuratoris Generalis illius spretum; Idcirco ne prouisio Obseruantia Regularis adeo salutaris, & Ordini pradicto proficua, in desuetudinem abeat, pradictus Franciscus Procurator Generalis, Nobis humiliter supplicari fecit, vt decreta huiusmodi, Apostolica nostra confirmationis robore communire de benignitate Apostolica dignaremur; Nos igitur dictum Franciscum Procuratorem Generalem, specialibus fauoribus & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum prasentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati; Decreta praiuserta cum omnibus & singulis in eis contentis, Apostolica auctoritate tenore prasentium approbamus & confirmamus, illisque inuiolabilis Apostolica firmitatis robur adiicimus, ac omnes & singulos tàm iuris quàm facti defectus si qui desuper quomodolibet interuenerint supplemus.*

Decretum irritans.

§. 3. *Decernentes illa necnon prasentes literas, valida, firma, & efficacia existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac ab omnibus & singulis dicti Ordinis Fratribus inuiolabiliter obseruari debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.*

Contrariis derogat.

§. 4. *Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudibus, cæterisque contrariis quibuscumque.*

Datum Roma apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 3. Decembris 1635. Pontificatus nostri anno 13. M. A. Maraldus.

§.

Facit ad robur similium Decretorum, quæ pro nostro Ordine Minimorum statuta sunt in *Capit. Gen. I. num. 5. & Paula num. 24.* de quibus in *Formulario Pralatorum, lit. Z. cap. 2. num. 4.*

CONSTITVTIO XVII.

Quâ confirmet Decreta, & literas à Sacra Congregatione Regularium negotiis praposita emanatas super pracedentia inter Regulares diuersarum Religionum.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

§. 1. *Nuper pro parte dilecti filij Blasij à Chersio Procuratoris Generalis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Conuentualium nuncupatorum, Nobis expositum fuit, quod dictus Ordo grauatur admodum litibus occasione pracedentia cum aliis aliarum Religionum Regularibus in processionibus, ex quo etiam si aliàs à Venerabilibus Fratribus nostris Sacra R. E. Cardinalibus negotiis Regularium prapositis diuersis in prafata materia pracedentia literis emanatis; vnam videlicet contra eiusdem Ordinis de Obseruantia nuncupatos Arben. aliam contra Seruorum Beata Maria Virginis Soanen. necnon duas literas contra Pradicatorum respectiuè Ordinum, Fratres Cassanen. & Ferentinen. obtinuerit tenoris subsequentis, videlicet. Arbi, All' Arciuescouo. Pare che sia nata differenza della precedenza trà cotesti Frati di Santo Francesco Conuentuali, & Osseruanti, allegando ogn'vn di loro alcune ragioni, per le quali si persuadono di douer precedere à gl'altri, le quali essendosi diligentemente considerate nella Congregatione di questi miei Illustrissimi Signori Preposti da Nostro Signore sopra le cause de Vescoui, è Regolari, s'ò risoluto etiam con il*

Adducuntur literæ, & decreta S. Congregationis circa præcedentia.

parere

parere dell' Illustriss. Protettori di tutte due le Religioni di far scriuere à V. Sign. che occorrendo più simili differenze le termini senza alcuna eccettione nell'istesso modo, che quel Conuento tenga il primo, è più degno luogo, che è più antico nella Città secondo che s'è fatto sin'hora, per quanto si presuppone, imperciò che questo mezzo vsato altroue è stato tale, che hà finito ogni controuersia come si spera, che farà anche costì per mezzo della prudenza, è destrezza di V. Sign. è Diò, &c. Roma 6. Marzo 1582. Al Vescouo di Soana, ò suo Vicario. Hauendo inteso questi miei Signori Illustrissimi, che in cotesta Città sono in disparere di precedenza li Frati de' Serui con quelli di San Francesco Conuentuali, hanno voluto, ch'io faccia sapere à V. Sign. che nella precedenza di questi Frati Mendicanti secondo il parere di Nostro Signore, si attende solamente l'antichità de i loro conuenti, cioè, che precedino quelli, che prima hauno ottenuto li monasterij ne i luoghi, oue è nata la differenza; & perciò ella potrà dichiarare, che quelli precedino, li quali prima sono venuti ad habitare in cotesta Città, che sarà apunto conforme à quello, che si è risoluto, & osseruato in altri luoghi, &c. Roma li 24. di Maggio 1583. Al Vescouo di Cassano. Fù dato in Congregatione vn Memoriale dal Procuratore Generale de Frati Conuentuali di Santo Francesco à nome del suo Monasterio de Castrouilari di cotesta Diocesi, nel quale si doleua, che alcuni Padri di Santo Domenico, che poco fà hanno pigliato luogo nella medesima Terra, pretendeuano nell'attioni publiche di precedergli, non ostante che già siano 350. anni, che quel Monasterio di San Francesco è fondato: è sapendosi, che Nostro Signore altre volte haueua dechiarato come si doueua procedere in simili casi, questi miei Signori Illustrissimi volsero che se ne dasse conto à sua Beatitudine, la quale ha commesso, che si scriua à V. S. che faccia hauere la prerogatiua, oue nascano queste nouità alle Religioni, che sono più antiche nel luogo, il che farà V. S. intendere à detti Padri di San Domenico, & oprarà che così si esseguisca. Roma li 14. Maggio 1583. Ferentino al Vescouo. Nella differenza, che verte trà cotesti Frati di San Domenico, è quelli di San Francesco per conto della precedenza, la Sacra Congregatione vuole, che s'osserui per l'auuenire quello, ch'è stato osseruato trà loro per il passato, sin tanto, che non sia destinato altro, & inclina, che conforme al Moto proprio di Gregorio XIII. di fel. mem. debbano precedere quelli, che prima hanno hauuto il luogo nella Città, & i decreti, che si allegano per parte de Frati di S. Domenico in contrario, non sono stati fatti per derogare generalmente al Moto proprio di Greg. XIII. oltre che in quelle occasioni militauano altre ragioni di quelle, che possano militare costì. Questa è la mente di questi Illustrissimi miei Signori, & ella la douerà esseguire, è Dio, &c. Roma il 1. Giugno 1604.

§. 2. *Attamen in Casibus occurrentibus eadem literæ reputantur prouisiones particulares, non autem declarationes generales, dictique Fratres Conuentuales nona semper indicia iisdem de rebus subire coguntur. Quare dictus Blasius Procurator generalis Nobis humiliter supplicari fecit, vt circa prædictarum literarum obseruantiam per aliquod opportunum declarationis nostræ ministerium prouidere, ac aliàs vt infrà indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur dictum Blasium Procuratorem generalem huiusmodi specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati. De Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium eisdem Regularium negotiis præpositorum consilio, prainsertas literas ab eisdem Cardinalibus aliàs vtcumque in casibus particularibus emanatas, cum innitantur Iustitiæ Motus proprij Gregorij XIII. hac de re editi, & sint conformes declarationibus Sacrarum Tridentini Concilij, ac Rituum Congregationum, vt qui sunt in possessione præcedentia præcedant: & vbi non probatur, aut non constat de possessione, præcedant ij, qui sunt antiquiores in loco controuersiæ, esse generaliter obseruandas vbicumque contigerit de eadem præcedentia dubitari. Apostolica auctoritate tenore præsentium præcipimus, & mandamus. Decernentes irritum, & inane si secus super his à quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.* — Declarat, quod præcedant, qui sunt in possessione, aut antiquiores, si non constet de possessione, cum decreto irritante.

§. 3. *Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac prædictorum Ordinum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eisdem Ordinibus, illorumque superioribus, Fratribus, & personis sub quibuscumque verborum tenore, & formis, ac cum quibusuis Ecclesiæ, decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 18. Decembris 1638. Pontificatus nostri Anno 15.* M. A. Maraldus. — Contrariis derogat.

§. Roborat

5.

Roborat ea, quæ de huiusmodi præcedentia notantur, ad Constitutionem secundam Sixti IV. *num.58.t.1.pag.23.colum.1.& in Additam.cap.2. num.27.pag.315.colum.2.*

CONSTITVTIO XVIII.

Quâ confirmat Decretum Sacræ Congregationis Rituum, quod Imagines SS. Augustini, Nicolai de Tolentino, & aliorum Sanctorum Ordinis Sancti Augustini à Fratribus Discalceatis impressæ, vel depictæ cum habitu, quo ipsi Discalceati vtuntur, suspendantur, & aboleantur, & talia amplius non peragantur.

VRBANVS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. Xponi Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Fratrum Eremitarum Ordinis sancti Augustini, quod cum ipse Venerabilibus fratribus nostris Sacræ R. Ecclesiæ Cardinalibus Sacris Ritibus præpositis exposuisset, qualiter dilecti fily Patres Discalceati eiusdem Ordinis tùm Romæ, tùm multis aliis in locis imprimebant, & depingebant Imagines Sanctorum Augustini, Nicolai Tolentinatis, & aliorum eiusdem Ordinis Sanctorum cum habitu, quo ipsi Discalceati vtuntur, quodque id vergebat in maximum præiudicium eiusdem Ordinis, & in dies dare poterat occasionem plurium controuersiarum, & scandalorum, dicti Cardinales hac super re ediderunt Decretum tenoris subsequentis, videlicet.

Sacræ Congregat. onis decretum. §. 1. Referente Eminentissimo & Reuerendissimo D. Cardinali Verospio petitionem supradictam, ad instantiam Procuratoris Generalis Ordinis S. Augustini, Sacra Rituum Congregatio citatis, & auditis partibus, censuit, Imagines S. Augustini, S. Nicolai de Tolentino, & aliorum Sanctorum eiusdem Ordinis S. Augustini impressas, aut depictas à Fratribus Discalceatis eiusdem Ordinis cum habitu, quo ipsi Discalceati vtuntur, suspendendas, & abolendas esse, iniungendumque dictis Fratribus Discalceatis, ne sub pœnis arbitrio huius Sacræ Congregationis talia amplius audeant peragere. Et ita omninò seruari mandauit. Die 19. Decembris 1637.

Confirmatur & approbatur, supplenturque defectus. §. 2. Vt autem Decretum huiusmodi firmius subsistat, exactiusque ab omnibus, ad quos spectat, obseruetur, Nobis idem Procurator humiliter supplicari fecit, quatenus illud Apostolicæ confirmationis robore communire de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur dictum Procuratorem specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, Decretum huiusmodi Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos tàm iuris, quàm facti, & solemnitatum quantumvis substantialium, & quosvis alios defectus, si qui desuper quomodolibet interuenerint, aut interuenisse dici, vel censeri possint in eodem supplemus.

§. 3. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, firmiter, & inuiolabiliter obseruari, sicque ab omnibus censeri, & ita per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Mandat obseruari cum decreto irritante.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, illiusque Domorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, illis, eorumque Superioribus, & personis, ac quibusvis aliis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, & aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis eorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Contrariis derogat.

§. 5. Volumus autem quod præsentium transumptis, etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, seu Generalis dicti Ordinis munitis eadem prorsus fides vbique adhibeatur, quæ præsentibus ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 23. Ianuary 1638. Pontificatus nostri anno 15. Transumptis fidem adhiberi iubet.

M. A. Maraldus.

CONSTI

CONSTITVTIO XIX.

Quâ statuit quæ obseruanda sint circa Iubilationem Lectorum in Cismontana familia Ordinis Minorum Sancti Francisci de Obseruantia.

VRBANVS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

Motiua.



Vm sicut accepimus, ex frequentissima, immeritaque Lectorum iubilatione in Cismontana familiâ Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Obseruantia nuncupatorum, quamplures querelæ, multaque & grauia incommoda in eandem familiam redundarint, ac de remedio incommodis huiusmodi adhibendo cum primùm illa ad dilecti filij nostri Francisci S. Laurentij in Damaso Diaconi Cardinalis Barberini nuncupati S. R. E. Vicecancellarij nostri secundum carnem ex fratre germano nepotis, dictique Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris, aures peruenerunt, tractatum fuerit. Nos qui Religiosorum Ordinum pacem & vnitatem sinceris desideramus affectibus, vt querelis, & incommodis huiusmodi obuiam eatur.

Lectores vt Iubilati voceutur quot annos legisse necesse sit.

§. 1. *Motu proprio, & ex certa scientia, ac mera deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium statuimus, vt Lectores iubilati iuxta præscriptum literarum felicis recordationis Clementis Papæ VIII. prædecessoris nostri, necnon generalium dicti Ordinis Constitutionum pluries renouatarũ, ac postremò in Capitulo generali dicti Ordinis in Ciuitate Toletan. celebrato instituantur, ita quod nullus posthac ad iubilationem admittatur, quin prius Logicam, & Philosophiam tres annos, ac Theologiam decem absque vlla intermissione edocuerit, vel si intermitti contigerit, duodecim annos Theologiæ Lector extiterit. Singulis quibusque annis publica, & authentica attestatio à Guardiano, & discretis eorum manu propria, & iuramento firmata, Conuentusque sigillo obsignata conficiatur, & in publico Conuentus Archiuio seruetur, vbi cùm opus fuerit, reperiatur.*

Restringit numerum Lectorum Iubilatorum in vnaquaque Prouincia Minorum de obseruantia.

§. 2. *Vt Theologiæ lectio in ordine ad futuram iubilationem non introducatur, nisi vbi studia formata viguerint, & generalia, atque à Capitulo, & Congregatione generalibus instituta. Quod Lectores, qui non interuenientibus prædictis conditionibus per Prouinciam, vel per Superiores generales ad iubilationem admissi reperientur, eo ipso nulliter iubilati censeantur. Vt numerus Lectorum iubilatorum restringatur iuxta dispositionem Capituli Generalis in Alma Vrbe anno 1612. celebrati pro Vltramontana familia, videlicet vt pro vnoquoque Studio generali in singulis Prouinciis existenti, duo tantùm iubilati permittantur, & quolibet deficiente, loco ipsius alter sufficiatur, qui lectionis cursum prius absoluerit. Demùm pro seruanda in Prouinciis dictis Ordinis tranquillitate; reprimendisque querelis in hac Curia in dies exurgentibus, & quod plurimi non probato legitimè lectionis tempore, & cum maiorum deceptione Superiorum, iubilationem obtinuerunt, statuimus pariter, & ordinamus, vt præfato more informationes, & temporis ad lectionem constituti, attestationes per ministros Prouinciales de nouo conficiantur, & ad Generales Superiores firmatæ, sigillataque remittantur, vt hac ratione relaxationibus, & abusibus obuiam eatur.*

Pœnas infligit Contrauenientibus cum decreto irritante.

§. 3. *Mandantes propterea omnibus, & singulis dictæ Cismontanæ familiæ Ordinis huiusmodi Superioribus, Fratribus, & personis quocumque nomine nuncupatis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit in virtute Sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis aliisque arbitrij nostri pœnis, ne circa prædictorum lectorum iubilationem quicquam aliàs quam in prædictis statutis disponitur, vllo vnquam tempore de cætero facere, vel attentare audeant, seu præsumant, ac decernentes statuta huiusmodi, necnon præsentes literas valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Derogat contrariis.

§. 4. *Non obstantibus quibusvis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, & Cismontanæ familiæ huiusmodi etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis quibusvis dicti Ordinis Superioribus, Fratribus, & personis sub quibuscunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis: aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis in genere; vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis Quibus omnibus, & singulis eorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris; hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.*

Transumptis fidem adhiberi iubet.

§. 5. *Volumus autem, vt præsentium transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die secunda Martij 1638. Pontificatus Nostri anno 15.*

M. A. Maraldus.

§.

Decreta Clementis VIII. circa Lectorum exemptionem habentur suprà in Constitut. 10. Vrbani VIII. *t.2.§.18.pag.292.col.2. & ibid.§.33. pagina 293. col. 2.* Vide quæ de Lectorum Priuilegiis notantur *in formulario Prælatorum, litera L.cap.2. num.3.& in Addit c.12.n.3.pag.372.col.2.*

CONSTITVTIO XX.

Quâ mandat Ordinariis locorum, vt decernant, ne Parochi plus percipere possint in Sepulturis, quæ fiunt in Ecclesiis Regularium, quam in eis, quæ fiunt in propriis, seu aliorum Clericorum.

VRBANVS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

CVm sicut dilectus filius Blasius Procurator Generalis Fratrum Ordinum Minorum Conuentualium S.Francisci nuncupatorum, Nobis nuper exponi fecit, diuersa extorsiones excessiua à dilectis filiis Capitulo, & Canonicis sæcularis, & Collegiata loci de Veglia Brundusina Diœcesis, necnon etiam à diuersis Parochis aliorum locorum fiunt pro impedienda libertate electionis sepulturæ in Ecclesiis Ordinis huiusmodi, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, vt de opportuno in præmissis remedio prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Concedit prout in summario.

§. 1. *Nos igitur dictum exponentem specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus, quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes. Huiusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium fratrum nostrorum Sacta Romana Ecclesia Cardinalium negotiis Regularium præpositorum consilio, Ordinariis locorum per præsentes committimus, vt prouideant omnino, ne diutius abusus huiusmodi tolerentur, & decernant, ne Parochi plus percipere possint in sepulturis, quæ fiunt in Ecclesiis Regularium, quam in eis, quæ fiunt in propriis, seu aliorum Clericorum.*

Contrariis derogat quibuscumque.

§. 2. *Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 11. Martij 1638. Pontificatus nostri Anno* 15. M.A. Maraldus.

§.

Facit ad ea, quæ de libera electione sepulturæ statuit Iulius II. *in Constitut. 2. t.1. §.21. pag.61. colum.1.* & quæ dicit Pater Peytinis, ad eam Constitutionem *ibid. n.55. pag.69. col.2. & in Additam. cap.4. num.8. pag.425 col.2.*

CONSTITVTIO XXI.

Quâ declarat, & decernit quod Conuentus, seu Hospitalia Religionis Beati Ioannis Dei, in quibus duodecim Religiosi non existunt, non comprehendantur in Decreto à Sanctitate sua edito subiiciente huiusmodi Conuentus omnimodè iurisdictioni ordinarij loci.

VRBANVS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

CVm sicut dilectus filius Angelicus Rampulla Congregationis B. Ioannis Dei Procurator Generalis Nobis nuper exponi fecit per quandam felicis recordationis Pauli V. prohibeatur expressè, ne plures ad habitum & professionem per Fratres dicta Congregationis suscipi; & emitti solitam admittantur, quàm Infirmorum & miserabilium personarum necessitas exigat, ac per aliam Constitutionem Pij etiam V. Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum statuatur, vt quicquid Congregationis huiusmodi Fratres acquirunt, non sibi, exceptis dumtaxat victu & vestitu, sed pauperibus Infirmis & hospitalibus, ad quorum seruitium particulari instituto, ac voto obstringuntur, acquirant, indéque pateat dictam Congregationem non parum ab aliis Religionibus circa libertatem, & facultatem duodecim Religiosos in singulis eius Conuentibus, & hospitalibus deputandi differre, Nobis propterea dictus Angelicus humiliter supplicari fecit, vt prædictam Congregationem minimè comprehensam esse sub Decreto auctoritate nostra hac de re die 21. Iunij 1625. inter decreta de celebratione Missarum, §. deinceps, edito declarare, ac aliàs vt infrà indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Concedit prout in summario, & supplentur defectus.

§. 1. *Nos igitur eundem Angelicum Procuratorem generalem specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati. De Venerabilium fratrum nostrorum Sacra Romana Ecclesia Cardinalium negotiis Regularium Præpositorum consilio Apostolica auctoritate tenore præsentium declaramus ac decernimus, vt quoad dicta Congregationis Conuentus & hospitalia, in quibus erunt duodecim Religiosi, Episcopi nullatenus se ingerunt, & quoad*

quoad illos Conuentus, seu hospitalia, in quibus erit minor Religiosorum numerus, iidem Episcopi possint insimul cum Prouinciali, vel alio maiori eiusdem Congregationis Superiore ad reuisionem computorum administrationis earundem hospitalium procedere, ita tamen vt contra personas in nihilo prorsus se immisceant.

Contrariis derogat.

§. 2. Non obstantibus prædicto decreto, ac quibusvis aliis Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis super numero Religiosorum in quolibet Monasterio, aut Conuentu constituendo, ac quatenus opus sit dictæ Congregationis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel alia quauis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 9. Iulij 1638. Pontificatus nostri Anno 15. M.A. Maraldus.

5.

Decretum, à quo eximuntur, habetur in Constitutione IX. Sanctitatis suæ *s.2.§.8.pag.287.col.2.*

CONSTITVTIO XXII.

Quâ confirmat Decretum Sacræ Congregationis Concilij Tridentini Interpretum, quod in Ecclesiis Parochialibus, quæ sunt membra Monasteriorum Congregationis Cassinensis, aut alias ab ipsis dependentes, cura animarum exerceri possit, etiam per Monachos ad nutum suorum Superiorum amouibiles.

VRBANVS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

Enarratio.

Alias à Venerabilibus fratribus nostris Sacræ R. E. Cardinalibus Sacri Concilij Tridentini interpretibus super subinserto supplici libello sibi tunc porrecto emanauit decretum tenoris subsequentis, videlicet: Illustrissime & Reuerendissime Domine, Monasterium Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Cassinensis Ciuitatis Patauinæ habet nonnullas Parochiales Ecclesias in eadem Diœcesi, quæ non sunt vnitæ Monasterio, sed sunt Parochiales dependentes ab illo, in quibus dictus Episcopus Patauinus dicit, Monasterium fuisse solitum deputare Presbyteros sæculares, qui prævio ipsius Episcopi examine, & approbatione curam animarum exercuerunt, sed ab aliquot annis cœpisse deputari vnum Monachum, qui sine Socio Regulari, & cum solo famulo habitat in dicta Parochiali, & curam administrat etiam sine Episcopi approbatione. Vnde nunc quæritur, an in dictis Parochialibus ab ipsis Monasteriis quomodo dependentibus, non autem vnitis debeat cura animarum exerceri per Monachum, vel per Presbyterum sæcularem ab ipsis Monachis nominatum, & ab Episcopo approbatum.

§. 1. Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum partibus auditis, censuit, in Parochialibus, quæ sunt membra Monasteriorum Congregationis Cassinensis, aut aliàs ab ipsis dependentes, curam animarum exerceri posse etiam per Monachos ad suorum Superiorum nutum amouibiles, ita tamen vt iidem priùs examinentur, & approbentur ab Episcopo, eiusque iurisdictioni subiiciantur in his, quæ ad ipsam curam, & Sacramentorum administrationem pertineat, & cum eo, qui ad eam exercendam fuerit pro tempore deputatus, habitet alius saltem Monachus eiusdem Ordinis professus ad præscriptum Concilij Lateranensis sub Alexand. III. cap. 10. (Monachi Cassinenses possunt curã animarum in propriis Ecclesiis, vel ab ipsis dependentibus exercere.)

§. 2. Cùm autem sicut dilectus filius Procurator generalis dictæ Congregationis Nobis nuper exponi fecit, ipse decretum huiusmodi pro illius firmiori subsistentia Apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri summopere desideret. Nos eundem Procuratorem generalem specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Decretum præinsertum cum omnibus, & singulis in eo contentis Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos tam iuris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet interuenerint, supplemus. (Sanctissimus confirmat, ac supplet defectus.)

§. 3. Decernentes illud, necnon præsentes literas valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inuiolabiliter obseruari, sicque per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. (Mandat obseruari cum decreto irritante.)

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Congregationis etiam iuramento, confirmatione Apostolicæ, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 6. Septembris 1638. Pontificatus nostri Anno 16. M.A. Maraldus. (Contrariis derogat.)

CONSTITVTIO XXIII.

Quâ mandat locorum Ordinariis, ac Nuntiis Apostolicis, ne permittant quenquam deferre tunicam simplicem, oblongam, cum mantello, vel sine mantello Fratrum Minorum de Obseruantia, absque licentia in scriptis Superiorum prædictæ Religionis; Habitum verò prædictum cum Caputio tunicæ, seu mantello consuto, nec etiam cum licentia cuiusuis Superiorum dicti Ordinis.

VRBANVS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.



Vm sicut dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obseruantiæ Sancti Francisci Nobis nuper exponi fecit quamplures abutentes habitu Fratrum Tertiariorum Ordinis eiusdem Sancti Francisci, vel simplicem Tunicam oblongam cum Mantello, vel sine eo absque Superiorum prædictæ Religionis licentia deferant, vel etiam eis Caputium aut Tunicæ adiunctum, aut ipsi Mantello consutum superaddant, eorumque nonnulli extra Claustra degentes tùm scandalosè, & inopportunè sub specie peregrinationis, aut alterius emendicati prætextus diuagentur, tùm etiam aliquas Ecclesias seu Capellas adscito sibi Eremitarum nomine incolant, exindéque maxima apud sæculares scandali materia, & prauæ opinionis erga prædictam Religionem ingeratur, Nobis propterea dictus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, vt tot incommodis & scandalis opportunum aliquod remedium adhibere de benignitate Apostolica dignaremur.

Concedit prout in summario, & contra facientibus pœnas apponit cum clausula sublata.

§. 1. *Nos igitur eundem Procuratorem generalem specialibus fauoribus & gratiis prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, Omnibus & singulis locorum Ordinariis, ac nostris & Sedis Apostolicæ Nuntiis vbiuis Terrarum constitutis & degentibus tenore præsentium districtè præcipiendo mandamus, ne de cætero, quenquam prædictam Tunicam oblongam, cum, vel sine Mantello absque Superiorum prædictæ Religionis Minorum de Obseruantia, & cuiusuis Instituti seu Congregationis Ordinis eiusdem Sancti Francisci licentia in scriptis obtenta quoquomodo deferre permittant, vtque si aliquem præmissorum transgressorem reperierint illum carceri mancipandum, tali habitu exuendum, & arbitrariis pœnis mulctandum irremissibiliter curent, & præterea nemini licitum faciant, etiamsi prædictæ Religionis Minorum de Obseruantia, & cuiusuis Instituti seu Congregationis vniuersi Ordinis huiusmodi Superiorum scripta, seu quouis aliò prætextu roborata licentia desuper accesserit, vt habitum huiusmodi cum prædicto Caputio, vel Tunica, seu Mantello, vt præfertur, consuto deferant sublata eiusdem Ordinis Superioribus, ipsisque locorum Ordinariis, ac Nuntiis Apostolicis, & eorum cuilibet quavis auctoritate licentias huiusmodi cuiquam concedendi, ac demum, earundem tenore præsentium volumus, & ordinamus, vt si quispiam tale deferens Caputium, vel cum licentia, vel sine ea inuentus fuerit carceris detentione, habitus priuatione, & aliis arbitrariis pœnis ab eisdem Ordinariis, & Nuntiis omnino puniatur.*

Derogat contrariis.

§. 2. *Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus & singulis illorum omnino tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.*

Transumptis fidem adhiberi iubet.

§. 3. *Vt autem præsentes nostræ literæ ad omnium quos illæ concernunt notitiam facilius deueniant. Volumus autem quod illarum transumptis etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem vbique fides in iudicio & extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die quinto Octobris 1638. Pontificatus nostri Anno 16.*

M. A. Maraldus.

CONSTI

CONSTITVTIO XXIV.

Quâ statuit non ieiunandum in Vigilia S. Ioannis Baptistæ, quando contingit in die Solemnitatis Corporis Christi.

VRBANVS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

Motiua.

§. 1. *Cum euenire quandoque possit, vt Vigilia Sancti Ioannis Baptistæ in diem festum Solemnitatis Sanctissimi Corporis Domini Nostri Iesu Christi incidat. Nos attendentes diem festum huiusmodi, quò tanti Sacramenti institutio, summa totius populi Christiani lætitia recolitur, è principalibus anni festiuitatibus existere, propterea de Venerabilium fratrum nostrorum Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum consilio deinceps perpetuis futuris temporibus quoties Vigiliam prædictam in dictum diem festum Solemnitatis Sanctissimi Corporis Domini Nostri Iesu Christi incidere contigerit, non esse ieiunandum, neque à carnibus abstinendum in die festo huiusmodi, sed anticipandum ieiunium die immediatè antecedenti, nempè feria quarta, prout ieiunaretur in ipsa Vigilia, Apostolica auctoritate tenore præsentium statuimus & ordinamus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.*

Transum. peis fidem adhiberi iubet.

§. 2. *Volumus autem vt præsentium transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides vbique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die decimo tertio Octobris* 1638. *Pontificatus nostri Anno* 17.
M. A. Maraldus.

CONSTITVTIO XXV.

Quâ confirmat Decretum Sacræ Congregationis Rituum, quod Monachi Cassinenses non sunt vllo modo cogendi accedere, nisi ad processionem Sanctissimi Sacramenti.

VRBANVS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

Nuper pro parte dilecti filij Procuratoris Generalis Congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti Nobis expositum fuit, quòd aliàs, seu nuper à Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Sacris Ritibus Præpositis emanauit Decretum tenoris subsequentis videlicet. Pro Monachis S. Sixti Congregationis Cassinensis Placentiæ commorantibus narratum fuit, quòd ipsi Monachi, nunquam in eadem Ciuitate, nec alibi soliti sunt accedere ad alias Processiones, præterquàm ad Processionem Sanctissimi Sacramenti. Nunc verò Episcopus vult cogere, vt accedant etiam ad Processiones, quæ fieri solent pro Rogationibus maioribus & minoribus singulis annis, & ad quas antea nunquam accesserunt, & propterea petierunt non adstringi, vltra eorum solitum & consuetum.

§. 1. *Sacra rituum Congregatio respondit, Monachos prædictos non esse vllo modo cogendos accedere, nisi ad Processionem Sanctissimi Sacramenti, iuxta eorum antiquam consuetudinem, quam tam dictis Monachis Placentiæ commorantibus, quàm aliis eiusdem Congregationis Cassinensis vbique conseruandam esse censuit, & declarauit. Die* 10. *Iunij* 1602. *Datum hac die* 9. *Octobris* 1638. — Monachi Cassinenses non possunt cogi ab ordinariis, nisi ad processionem SS. Sacramenti.

§. 2. *Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, dictus Procurator generalis Decretum huiusmodi pro illius firmiori subsistentia Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri summopere desideret. Nos eundem Procuratorem generalem specialibus fauoribus & gratiis prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes. Supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum cum omnibus & singulis in eo contentis Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos tam iuris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet interuenerint supplemus. Decernentes illud, necnon præsentes literas valida, firma, & efficacia existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, & ab omnibus & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet in futurum spectabit inuiolabiliter obseruari, sicque per quoscunque Iudices ordinarios & delegatos etiam causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari & diffiniri debere, ac irritum & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.* — Confirmatur, & supplentur defectus cum decreto irritante.

§. 3. *Quocirca dilecto filio nostro, & Sedis Apostolicæ nunc & pro tempore existenti in Regno Neapolis Nuntio, ac Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori per præsentes cõmittimus, & mandamus quatenus ipsi vel duo, aut vnus eorũ per se vel aliũ seu alios Decretum, & præsentes literas huiusmodi, & in eis cõtẽta quæcunq; vbi & quãdo opus fuerit, & quoties pro parte tam* — Mandat publicari Decretum, & committit nè amplius præfati Monachi molestentur contrafacientibus pœnas apponens.

tam prædictorum Monasterij Placentinen. quàm aliorum quorumcunque eiusdem Congregationis Monachorum requisiti fuerint solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant illos auctoritate nostra præmissorum omnium & singulorum commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos desuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, Inuocato etiam ad hoc si fuerit opus, auxilio brachij sæcularis.

Derogat contrariis. §. 4. *Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quibusvis Congregationis, & Monasteriorum huiusmodi etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die* 27. *Nouembris* 1538. *Pontificatus nostri Anno* 16. M. A. Maraldus.

CONSTITVTIO XXVI.

Quâ confirmat, & declarat literas pro bono regimine Prouinciæ Sancti Ioannis Baptistæ Fratrum Discalceatorum de Obseruantia: & alia insuper de nouo concedit.

VRBANVS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.  *Vm ea, quæ propter iustas, & rationabiles causas aliquando stabilita sunt, ipsa rerum, & temporum experientia doceat prouidè oportere moderari, & immutare; Superioribus verò annis per quasdam nostras in simili forma Breuis literas pro bono regimine Prouinciæ Sancti Ioannis Baptistæ Fratrum Minorum Discalceatorum nuncupatorum Regularis Obseruantiæ Sancti Francisci in Hispania; quædam clausulæ quarundam aliarum in eadem forma Breuis in fauorem eiusdem Prouinciæ à felicis recordationis Clemente Papa VIII. prædecessore nostro emanatarum incipientium*: Ex iniuncto nobis Apostolici muneris debito, *sub datum die* 29. *Nouembris* 1599. *declaratæ, & alia limitata fuerint, ex præfata verò limitatione, seu moderatione, nonnulla grauia inconuenientia, quæ nouis litibus, & inquietudinibus ianuam aperuerunt, in dies oriri videantur.*

Supplicatio. §. 1. *Nobis propterea dilecti filij Michaël Teruel Minister Prouincialis, & Diffinitores dictæ Prouinciæ Fratrum eorundem per dilectum etiam filium Franciscum Seguer dicti Ordinis professorem eorum Procuratorem humiliter supplicari fecerunt, vt omnia, & singula gratias, & priuilegia in prædictis Clementis prædecessoris literis, eidem S. Ioannis Baptistæ Prouinciæ aliàs concessa confirmare, & opportunè sibi vt infrà prouidere, & indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.*

§. 2. *Nos igitur, qui personarum quarumlibet, præsertim sub suaui Religionis iugo Altissimo famulantium quieti, & statui quantum cum Domino possumus libenter consulimus, omnem super præmissis inconuenientium huiusmodi materiam, & occasionem è medio submouere, ipsosque exponentes specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, præfatas Clementis prædecessoris literas in fauorem Prouinciæ prædictæ Sancti Ioannis Baptistæ Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Discalceatorum huiusmodi cum omnibus, & singulis in eis contentis Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos tàm iuris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet interuenerint, supplemus.* Confirmat prout in summario, & supplet defectus.

§. 3. *Et insuper modernis eidem Michaëli, & pro tempore existentibus Ministro Prouinciali, Custodi, Diffinitoribus, Guardianis, & Fratribus dictæ Prouinciæ, vt quascumque Domos, siue Eremitoria, seu loca: si quæ sibi à piis Christi fidelibus in Hispania partibus concedantur, recipere, & in illis Conuentus sui Ordinis erigere, & fundare; seruata tamen alias Sacrorum Canonum, & Decretorum Sacri Concilij Tridentini forma, de sola Ordinarij loci licentia, ac nullo quarumvis aliarum personarum cuiusvis Ordinis Congregationis, aut instituti Regularium desuper requisito consensu, ac in domos sui Ordinis, & Prouincia præfata cum Ecclesia, Sacrario, Campana, seu Campanis humilibus, Cœmeteriis, Claustro, Refectorio, Cellis, Hortis, aliisque officinis, & ædificiis necessariis erigere, & fabricari facere, ac in illis Fratres sui Ordinis Discalceatorum introducere, atque in ipsarum Domorum Ecclesiis postquam erectæ, & fabricatæ fuerint, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pro infirmis asseruare, ac diuina Officia celebrare, & Ecclesiastica Sacramenta ministrare, vt in cæteris Fratrum Discalceatorum eorundem Domibus fieri solet.* Concedit erigere posse Conuentus, & Ecclesias.

§. 4. *Ac eiusdem Prouinciæ nunc, & pro tempore existentibus Ministris Prouincialibus, seu Guardianis, siue alio quovis nomine nuncupatis Prælatis,* Dat facultatem recipiendi nouitios

Prælatis, ad quod de iure, & iuxta regularia eiusdem Ordinis statuta Apostolica auctoritate confirmata spectat, & pertinet, vt quoscunque prædictum Discalceatorum Ordinem ingredi, & profiteri volentes, dummodo in qualibet dictarum domorum erigendarum tam Fratres professi, quàm Nouitij numerum triginta non excedant, iuxta regularia eiusdem Ordinis instituta ad habitum, & professionem recipere, & admittere, ac cum aliis Religiosis professis incorporare liberè, & licitè valeant, licentiam, & facultatem perpetuò concedimus.

Et condendi statuta, & eos eximens à statutis emanatis à fratribus de obseruantia.

§. 5. *Præterea, quod Prouincia præfata, illiusque Fratres, & Conuentus suis arctioribus Constitutionibus, & Statutis, quæ in pleno Capitulo Prouinciali à maiori parte Capituli recepta, & stabilita fuerint, gubernentur; nec ad obseruanda statuta generalia à Capitulis, vel Congregationibus generalibus Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Obseruantia nuncupatorum iam facta, vel pro tempore facienda, nec ad specialia eiusdem Ordinis Superiorum mandata, quæ Ministri Prouincialis, Custodis, & Diffinitorum Prouinciæ iudicio, fuerint dd. Fratrum Discalceatorum reformationi, aut commodo dissentanea teneantur.*

Et Congregationes celebrandi, ac eligendi sibi Superiores.

§. 6. *Quòd Ministri, seu Prælati Prouinciales, Congregationes particulares, quas Diffinitoriales vocant, quando, & vbi commodius sibi visum fuerit, liberè conuocare, & celebrare, ac in eis quaslibet electiones Guardianorum, & aliorum Officiorum facere, & quascunque causas, siue ciuiles, siue Criminales & negotia ad eandem Prouinciam spectantia iuxta formam Sacrorum Canonum, & regularium Statutorum, & suarum Constitutionum prouincialium tractare, diffinire, & sententiare possint; quodque Prælati Generales eiusdem Ordinis huiusmodi Congregationes particulares Diffinitoriales, aut earum electiones, seu diffinitiones, vel decreta, & sententias nequaquam impedire, immutare, nec dilatare valeant.*

Visitatores assignat ex eodem Instituto.

§. 7. *Quod d. Prouincia, eiusque nunc, & pro tempore existentes Conuentus, & Fratres, nisi per Fratres Visitatores alicuius Prouinciæ Discalceatorum huiusmodi; à Prælatis tamen generalibus deputandos, nullatenus visitari, aut sindicari possint; quodque huiusmodi Visitatores Discalceati in d. Prouinciam ingredi, aut in ea aliquam iurisdictionem exercere non valeant, nisi tempore statuto circa finem triennij Ministri Prouincialis, nempe post duos annos, & septem menses Prouinciales cuiuslibet Ministri Prouincialis eiusdem Prouinciæ transactos, & non antea, Tales autem Visitatores omnia statuta Prouincialia eiusdem Prouinciæ obseruare, & iuxta illorum tenorem, & præscriptum Prouinciam visitare, & gubernare debeant, & teneantur, nec in eisdem statutis, nisi de consensu maioris partis Diffinitorij plenè dispensare valeant, quamuis hoc idem in litteris patentibus, & authenticis à Prælatis generalibus, aliisue Superioribus specialiter iisdem indultum, & concessum fuerit.*

Dat puniendi formam.

§. 8. *Vt autem omnes ambitionis, & iniustitiæ occasiones, quæ sub simulato, ac apparentis correctionis, & reformationis zelo obrepere solent, è medio penitus euellantur, postquam prædicti Visitatores Commissarij suam iurisdictionem, & Visitationem in Prouincia huiusmodi cœperint exercere, nulli Guardiani, nullique Vocales, quibus concursus ad Capitulum proximè futurum de iure competit, possint ante ipsum celebratum Capitulum ob aliquam, seu aliquas causas ab officio remoueri, nec voce actiua, aut passiua priuari: Si autem in ipsa Visitatione aliquibus delictis, & culpis quidam præfatorum reperiantur obnoxij, vel eorum punitio, & correctio post omnes electiones Capituli factas differatur, vel aliis Canonicis, & regularibus pœnis præter priuationem officij, ac vocis actiuæ, & passiuæ arbitrio Superiorum puniri debeant.*

Dicti Fratres non possunt mitti extra Prouincias suas nec extra claustra degere sine licentia.

§. 9. *Insuper quod Fratres eiusdem Prouinciæ Sancti Ioannis Baptistæ, ab ipsa sua Prouincia per quoscunque Superiores abstrahi nequeãt, vt ad Indos, vel alias partes, & Prouincias remittantur, nisi de consensu Capituli Prouincialis, vel Diffinitorij pleni eiusdem Prouinciæ. Et quod huiusmodi Superiores quicunque illi sint, non possint Fratres Præfatos licentiare, vt in domibus sæcularium, seu extrà claustra habitent, nisi seruata ad vnguem forma à Clemente prædecessore præfato præscripta in Bulla, seu literis de Reformatione Regularium incipien.* Nullas omnino prætextu cuiuscunque priuilegij, *sub anno 1599. nempe quod tales licentiæ nisi ex grauissima causa à Sede Apostolica probanda nullatenus concedantur, quæ verò aliter concessæ sint, ipso facto irritæ, & nullæ censeantur, & Religiosi talibus licentiis vtentes statim ad claustra reuocentur.*

Dat facultatem libros extrahendi à Bibliothecis de licentia Prælati studiorum causa, & communicat Priuilegia iam concessa, & concedenda aliis Prouinciis Hispaniarũ eiusdem Ordinis.

§. 10. *Quodque possint iidem Fratres Discalceati intra septa domus regularis suæ libros à bibliothecis de licentia Prælati abstractos habere, & illis vti, dummodo postquam illis vsi fuerint eisdem bibliothecis illos restituere procurent; Ac demum Ministro Prouinciali, Custodi, necnon Guardianis, Conuentibus, Fratribus vniuersis dictæ Prouinciæ nunc, & pro tempore existentibus, vt omnibus, & singulis gratiis, indultis, & priuilegiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, fauoribus, indulgentiis, & literis Apostolicis, tam Prouinciis Sancti Iosephi, & Sancti Pauli, quàm quibusuis aliis eiusdem Ordinis Fratrum Discalceatorum Hispaniarum Prouinciis, per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores, ac per Nos, & Sedem Apostolicam hactenus concessis, & in posterum concedendis æquè, ac si ipsimet Prouinciæ Sancti Ioannis Baptistæ nominatim concessa fuissent, frui, potiri, & gaudere perpetuò possint, & valeant, auctoritate, & tenore præfatis pariter perpetuò concedimus, & indulgemus.*

Pœnæ contra facientibus, & clausulæ præseruatiuæ mandat etiam publicari.

§. 11. *Volumusque, statuimus, & ordinamus respectiuè, & insuper præcipimus Ministro, & Commissario generalibus Ordinis Minorum Regularis Obseruantiæ, & quibusvis Commissariis, & Visitatoribus ad dictam Prouinciam S. Ioannis Baptistæ destinatis, cæterisque tàm Prælatis, quàm subditis sub pœnis excommunicationis latæ sententiæ, ac priuationis quorumcunque officiorum, & dignitatum eo ipso absque alia declaratione incurrendum, ne in præmissis Fratres præfatos Discalceatos Prouinciæ S. Ioannis Baptistæ huiusmodi litibus grauari, aut quovis modo molestari permittant; quinimò præfata omnia priuilegia, & indulta aliis inuiolabiliter obseruent, & obseruari faciant, ac per suas proprias literas, quoties pro parte præfatorum Fratrum Discalceatorum fuerint requisiti, faueant, & assistant; Et nihilominus Venerabilibus fratribus Valentiñ. & Granateñ. Archiepiscopis, necnon Carthagineñ. Guadiceñ. Orioleñ. Dertuseñ. & Illerdeñ. Episcopis, eorumque Vicariis generalibus, seu Prouisoribus, ac dilecto filio Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorundem Fratrum Discalceatorum desuper fuerint requisiti solemniter publicent, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistant, faciantque auctoritate nostra eos præmissis omnibus, & singulis pacificè frui, & gaudere; Non permittentes eos desuper per Prælatos generales, & Visitatores præfatos quomodolibet molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles, & præmissis non parentes per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, necnon legitimis super his habendis seruatis processibus, censuras, & pœnas præfatas illos incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.*

Decretum irritans.

§. 12. *Decernentes præsentes literas nullo vnquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis nostræ defectu, etiam ex eo quod præmissis interesse habentes, vel Fratres de Obseruantia præfati, aut quicumque alij vocati non fuerint, notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, aut quomodolibet in ius, vel controuersiam reuocari, sed semper, & perpetuo validas, & efficaces existere, & fore, sicque per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores vbique iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Contrariis derogat.

§. 13. *Non obstantibus felicis recordationis Bonifacij Papæ Octaui prædecessoris nostri, per quam cauetur expressè; ne professores Ordinum Mendicantium loca ad habendum absque dicta Sedis licentia speciali, & de prohibitione huiusmodi expressam mentionem faciendam recipiant, & de vna, & Concilij Generalis de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac nostris literis, quæ incipiunt.* In Cathedra B. Petri Apostolorum Principis, *de anno 1626. emanatis, ac quibusvis eiusdem Ordinis Fratrum Minorum de Obseruantia, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam per Fratres Discalceatos huiusmodi acceptatis, præsertim Capitulorum, seu Congregationem generalium, quibus cauetur expressè, ne Fratres Discalceati huiusmodi, domum aliquam dicti eorum Ordinis absque expressa licentia Capituli Generalis, aut infrà quinque leucas à domo eorundem Fratrum Minorum erigere audeant priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eidem Ordini Fratrum Minorum, illiusque Superioribus, & quibusvis Religiosis particularibus, aliisque personis sub quibusvis tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & roboratis. Quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo, ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, eorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si ministro, & Commissario generalibus, aut Fratribus dicti Ordinis Minorum de Obseruantia, seu quibusvis aliis communiter, vel diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.*

Transumptis fidem adhiberi iubet.

§. 14. *Cæterum quia difficilè foret præsentes literas ad singula quæque loca, vbi necesse fuerit deferri, volumus, & dicta auctoritate decernimus quod transumptis earundem præsentium etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides vbique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 15. Iunij 1639. Pontificatus nostri Anno 16.*

CONSTI

CONSTITVTIO XXVII.

Concedit fratribus Conuentualibus Ordinis Minorum, vt in Conuentibus, in quibus non est facta reductio Missarum, fieri possit in primo Capitulo talis reductio ad rationem 60. scutorum pro qualibet Missa quotidiana.

VRBANVS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Concessionem à se iam factam memorat.

§. 1. *CVm Nos aliàs confirmantes & approbantes Constitutiones Vrbanas nuncupatas. Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Conuentualium nuncupatorum eisdem fratribus indulserimus, vt ipsi in primo eorum Capitulo seu Congregatione Capitulari in omnibus eorum Conuentibus Missas reducere, & pro qualibet Missa quotidiana annuam eleemosynam sexaginta scutorum assignare possent, & sicut dilectus filius Procurator generalis eorundem fratrum Nobis nuper exponi fecit in nonnullis Poloniæ, & aliarum partium Conuentibus Ordinis huiusmodi, dicta Missarum reductio in primo Capitulo, seu Congregatione Capitulari iuxta earundem Constitutionum dispositionem facta non fuerit, Nobis propterea dictus Procurator generalis humiliter supplicari fecit, vt in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.*

Concedit prout in summario.

§. 2. *Nos igitur eundem Procuratorem generalem specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit; ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, Quod in Conuentibus prædictis in quibus dicta reductio facta non fuit, vt præfertur, illa ad rationem annuæ eleemosynæ sexaginta scutorum pro qualibet Missa quotidiana, & alias iuxta Constitutionum prædictarum dispositionem in primo proximo Capitulo, seu Congregatione Capitulari fieri possit, Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus.*

Contrariis derogat.

§. 3. *Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, dictique Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, quibus omnibus & singulis illorum omnium tenorem præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad effectum præmissorum specialiter derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 8. Augusti 1639. Pontificatus Nostri anno decimo septimo.*

M. A. Maraldus.

§.

Vide aliam similem Constitutionem eiusdem Summi Pontificis. *tom. 2. priuil. const. 5. §. 2. pag. 278. col. 2.* in qua Missæ pro Minimis reducuntur ad rationem quinquaginta scutorum Monetę Papalis.

CONSTITVTIO XXVIII.

Quâ decernit, quod Ministerium Redemptionis Captiuorum in omnibus spectet Fratribus Calceatis Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede dumtaxat, & nullatenus ad Discalceatos.

VRBANVS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.



EXponi nobis nuper fecit, dilectus filius Ioannes Perez de Munegreba, Procurator Generalis Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, quod alias inter fratres Calceatos dicti Ordinis ex vna; & fratres eiusdem Ordinis Congregationis Discalceatorum nuncupatorum ex altera partibus, occasione separationis, ac totalis dismembrationis fratrum Discalceatorum à fratribus Calceatis huiusmodi; inita fuit quædam Concordia, inter cuius Capitula; extat vnum, tenoris sequentis videlicet. Item quod ministerium Redemptionis solum spectet Religiosis Calceatis; & quod Patres Recollecti, non se intromittant, in recipiendis legatis à Christi fidelibus relictis ad dictum effectum; nec possint petere in suis monasteriis, nec extra, pro redimendis Captiuis, nec habere cippos, nec capsas, nec aliquid aliud pro eleemosyna petenda hac de causa; quia totum hoc debet mandari curæ, & sollicitudini Patrum Calceatorum dumtaxat; sicut vsque nunc fuit in consuetudine. Quæ quidem Concordia à felicis recordationis Gregorio Papa Decimo quinto Prædecessore nostro; ac etiam à Nobis cum clausula, citra dispensationem à quarto Voto, confirmata fuit. Supplicatio.

Concedit prout in summario.

§. 1. *Postmodum vero, dictis Fratribus Discalceatis prætendentibus vigore prædictæ clausulæ, citra dispensationem à quarto Voto; ministerium Redemptionis Captiuorum fratribus Calceatis huiusmodi in dicta Concordia illiusque*

confirma

confirmationibus dumtaxat reseruatum, à Se quoque exerceri posse, etiam vigore suarum particularium Constitutionum, alias à nobis confirmatarum; Venerabiles fratres nostri S. R. E. Cardinales negotiis Regularium prapositi decreuerunt, vigore dicta clausula, citra dispensationem super quarto voto huiusmodi, & aliarum in dicta Concordia, & illius confirmationibus Apostolicis contentarum, non fuisse, nec esse ius aliquod de nouo quasitum fratribus Discalceatis prafatis ad ministerium Redemptionis Captiuorum exercendum, sub directione, & superioritate eorum Vicarij Generalis, sed omnia, circa ministerium dicta redemptionis Captiuorum, remansisse, & remanere in eisdem statu, & terminis, in quibus reperiebantur ante dictam Concordiam; Itavt prafati Fratres Discalceati, quo ad dictum opus Redemptionis Captiuorum, aut alia ad id Ministerium quomodolibet spectantia remaneant, & remanere debeant, sub Directione, Cura, Obedientia, & Superioritate eiusdem dilecti Filij Magistri Generalis Calceatorum; ac in eisdem statu, & terminis, in quibus erant, seu existebant ante dictam Concordiam, & Confirmationes pradictas, Nosque decretum Cardinalium huiusmodi, confirmauimus; & subinde nonnullis ex Fratribus Discalceatis, huiusmodi decreto prafato, Nostrisque literis, illius confirmatoriis, parere detrectantibus: Nos omnibus, & singulis Fratribus Discalceatis, seu Recollectis Ordinis prafati, nunc, & pro tempore existentibus, quacunque auctoritate, & officio fungentibus sub priuationis vocis actiua, & passiua, ac quorumcunque dicti Ordinis officiorum per Eos detentorum pœnis, ipso facto, absque alia declaratione per Contrauenientes, incurrendis; Pracipimus, vt dicto Magistro Generali in omnibus ab eo commissis, & prafatum Redemptionis Captiuorum opus, seu ministerium, quomodolibet concernentibus irrefragabiliter obedirent, & aliis prout in Gregorij Pradecessoris pradicti, ac nostris superpramissis, in simili forma Breuis, expeditis literis, quarum tenores prasentibus pro plenè, & sufficienter expressis, haberi volumus, plenius continetur.

Legata particularia dispositiones, & donationes etiam inter viuos, ac alia ad fratres Calceatos spectent.

§. 2. *Cum autem sicut eadem Expositio subiungebat Fratres Discalceati pradicti pratendant Legata particularia relicta, ac Dispositiones quascunque, etiam Donationes inter viuos factas, & pro tempore faciendas, per quoscunque pro Redemptione Captiuorum, Ecclesiis, seu Domibus, aut Personis ipsorum Discalceatorum, cum electione industria earum, sub concordia, & literis pradictis minimè comprehendi. Nobis propterea idem Procurator Generalis, humiliter supplicari fecit; vt in pramissis opportunae declarationis ministerio prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur negotio maturè, ac Ambabus Partibus pluries in facto, & iure informantibus, & auditis per Congregationem Prælatorum à Nobis, ad id, deputatorum; Eorundem Prælatorum resolutione, in fauorem Fratrum Calceatorum, Eorumque Procuratoris Generalis, facta, Nobis relata, eiusdem Procuratoris Generalis, & Fratrum Calceatorum, pradictorum votis huiusmodi, annuere volentes, ac singulares eorum personas, à quibusuis Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis; si quibus quomodolibet innodata existant, ad effectum prasentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati; Concordiam pradictam, ac dicti Gregorij pradecessoris, & nostras desuper expeditas literas pradictas, comprehendisse, & comprehendere etiam legata particularia, ac dispositiones, & donationes etiam inter viuos particulariter, aliasque quomodolibet facta, & factas, ac pro tempore perpetuis futuris temporibus, pro Captiuorum redemptione, per Quoscumque faciendas, etiam in fauorem Quorumcunque pradictorum Discalceatorum, eorumque Vicarij Generalis, ac Conuentuum, & Domorum ipsorum Discalceatorum, & in quibus Eorum industria, sit vel erit electa; & prasertim legatum, siue dispositionem, & donationem quondam Eluira Manrrique, factam Conuentui Sancta Barbara Matriti Toletana Diœcesis non facta expressione; ita vt in ministerio Redemptionis Captiuorum attributo, seu concesso per Concordiam, & literas Apostolicas pradictas Magistro Generali dictorum fratrum Calceatorum comprehensa, & comprehensa sint, & comprehendantur Apostolica auctoritate tenore prasentium declaramus, Eisdemque Fratribus Discalceatis, Eorum Conuentibus, & Vicario Generali* Perpetuum Silentium imponimus.

§. 3. *Sicque ab omnibus censeri, & per Quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores, ac Sacra R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublata Eis, & Eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.*

Clausula sublata, & decretum irritans.

§. 4. *Volumus tamen, quod Idem Magister Generalis Calceatorum, debeat integrè Relicta, Donationes, & Dispositiones pradictas, in pradictum opus Redemptionis expendere, absque eo quod aliquam illorum partem pro se, Conuentibus, aut sua Religione Calceatorum huiusmodi, nec alias vnquam retinere possit.*

Præscribit modum expendendi legata.

§. 5. *Non obstantibus quorumvis Testatorum, & Testatricum, etiam vltimis voluntatibus, ac donationum, dispositionibus, quas in, & quoad pramissa, quatenus foret opus sufficienter, & expressè commutamus; necnon Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac Constitutionibus*

Derogat contrariis.

sufficienter, & expressè commutamus; necnon Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac Constitutionibus Discalceatorum auctoritate Apostolica confirmatis, & præcipuè earum Capitulis vigesimo, vigesimo primo, & vigesimo secundo primæ distincltonis, ac omnibus illis, quæ in prædictis literis Apostolicis dictus Gregorius Prædecessor voluit, & Nos voluimus non obstare; Cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die decima quinta Februarij, Millesimo sexcentesimo quadragesimo, Pontificatus Nostri Anno 17.

M. A. Maraldus.

CONSTITVTIO XXIX.

Quâ statuit nonnulla pro restituendo, ac conseruando in Ordine fratrum Minorum S. Francisci de Obseruantia disciplinæ regularis candore.

VRBANVS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.



Ilitantis Ecclesiæ regimini, meritis licet imparibus inscrutabili diuina prouidentia voluntate præsidentes, quid pro fœlici Christi fidelium quorumlibet, & præsertim regularium personarum, quæ abiectis mundi vanitatibus Deo sub suaui religionis iugo se totas deuouerunt, statui conferat, diligenter prospicimus, ac quæ ipsis per emissorum votorum semitas ad perfectionis apicem contendentibus offendiculo esse possunt, remouere studemus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Motiua.

§. 1. *Cum igitur sicut accepimus in Ordine Fratrum Minorum Sancti Francisci de Obseruantia nuncupatorum ob minus accuratam aliquorum præceptorum regulæ eorundem Fratrum Obseruantiam, nonnullosque abusus, qui in Ordine prædicto contra Apostolicarum Constitutionum, præcipuè fel. rec. Clementis Papæ VIII. prædecessoris nostri decretorum pro reformatione Regularium editorum præscriptum, pacem, mentisque quietem turbari, religionis candorem minui, ac fidelibus non paucorum scandalorum occasione præberi contingat.*

Tollit quasdam introductas dissuetudines, & pœnas apponit contrauenientibus.

§. 2. *Hinc est quòd Nos eiusdem Clementis decretis, dictique Ordinis statutis per Sedem Apostolicam confirmatis inhærendo Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ac nostra perpetuò valitura Constitutione confirmantes, quæ aliàs à Nobis circa Patrum priuilegiatorum abrogationem sub die 13. Iulij anni 1639. sancita fuere, Patrum ex electione factorum, siue ij Procuratores, & Commissarij Generales Curiæ, siue Diffinitores generales Ordinis, siue Ministri Prouinciarum, siue earundem Custodes, & Diffinitores, à quibus ob maiorem multitudinem maiora etiam in eisdem oriuntur incommoda, quos vltra numerum in Statutis Ordinis præscriptum minimè augeri potest sine dispensatione decernimus, siue Prouincialium gratiis & priuilegiis ex Ordinis concessione gaudentes extiterint, vel existant, relicta tantummodò præcedentia, ac antelatione, ac socio eisdem per Ordinis statuta respectiuè concessis, omnes exemptiones, immunitates, licentias, consuetudines, quæ potius abusus dici possunt, quoquo modo in dicto Ordine obtenta, inducta, intrusaque in perpetuum cassamus, tollimus, abolemus & abrogamus, ac cassata, ablata, abolita, & abrogata esse, & censeri debere, cuicunque in posterum tales exemptiones & priuilegia concedendi facultate penitus interdicta sub priuationis vocis actiuæ, necnon excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrendis pœnis decernimus & ordinamus.*

Dat facultatem Superioribus liberè exercendi munus suum.

§. 3. *Declarantes ex officiis quibus functi fuerint, nullum aliud in ipsis remansisse, vel remanere, aut eos prætendere posse ius, arbitrium, superintendentiam, intelligentiam, vel quocunque alio nomine nuncupetur præeminentiam in Prouinciis, Conuentibus, fratrum collocationibus, aliisque dispositionibus, itavt liberum omnino sit Prouincialibus, & Diffinitoribus, nullo ad prædictos Patres habito respectu, de Conuentibus disponere, Guardianos instituere, Fratres collocare, aliaque exequi, sicuti communi Prouinciarum bono viderint expedire. Necnon Ordinis huiusmodi apud Nos & Sedem Apostolicam Cardinali Protectori, Ministro, ac Commissario Generalibus pro tempore existentibus contrauenientes Prouinciales & Guardianos taliter electos obtentis officiis eorum arbitrio priuandi, Patres vero præfatos, qui præteritorum officiorum per eos obtentorum prætextu aliquid contra præsentis Constitutionis tenorem moliri, innouare, vel attentare præsumpserint, ad maiorem tranquillitatem, & pacem eorundem Protectoris, & Generalium arbitrio, etiam si opus fuerit, in alienas Prouincias transferendi, & transmittendi facultatem concedimus & impartimur.*

Mandat quod Prædicatores eleemosynas pro prædicationis munere acquisitas integras Superiori Prouinciali significent, & pœnas apponit.

§. 4. *Ne autem in dicto Ordine recipiendi pro concionibus pecuniarias eleemosynas, deque illis ad Concionatorum arbitrium disponendi, neuè nimius equitandi abusus vlterius inualescant, grauissimisque regulæ Beati Francisci voto, & præcepto passim contrauenniatur, Omnibus & singulis prædicti Ordinis Concionatoribus vltra pœnas in proprietarios, per eiusdem Ordinis statuta fulminatas in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub priuatione Officiorum, quæ obtinent, ac perpetua inhabilitate ad quæcunque*

officia

officia, gradus, & dignitotes in posterum ipso facto incurrendis præcipimus & mandamus, vt de prædictis eleemosynis per se nullo modo disponant, nec eas ab offerentium manibus in suas recipiant, vel in Procuratoris, siue alterius cuiuslibet deponi faciant, sed easdem integras Superiori Prouinciali significent, qui de illis iuxta Regulæ præscriptum disponat, quibus etiam pœnis eo ipso subijcimus, omnes eiusdem Ordinis Fratres, qui sine manifesta, vera, grauique necessitate, aut infirmitate, & absque licentia Prouincialis, vel in casu vrgenti, Superioris localis de consilio, & iudicio trium Discretorum Conuentus scriptis obtenta equitare ausi fuerint, easdem pœnas solis Ministro, & Commissario generalibus aliquando, & ex rationabili causa remittendis facultate relicta.

Dat normam equitandi.

§. 5. *Quos cum Prouincialibus Prouinciarum, Commissariis & ad vrgentiora negotia destinatis paternè monemus, vt in casu vrgenti, ac per regulam permisso memores sint paupertatis, humilitatis, & patientiæ Christi Domini Saluatoris nostri, ad cuius vitæ exemplum B. Franciscus, & conuersationem instituit, & Ordinem suum fundauit, vilioribus despectisque iumentis contenti sint, & Comitatu, qui sæculares diuites decet, relicto, maiori qua fieri poterit modestia gradiantur, exemploque cæteros præeuntes sciant in concessis tantum casibus equitandi licentiam indulgere, super quo Superiorum omnium ad quos spectat, & pro tempore spectabit, conscientiam oneramus, concedentes Prouincialibus, & Prouinciarum Commissariis vt vno, eoque humili iumento pro se tantum, non autem pro sociis in necessitatis articulo vti possint, aliàs si contrafecerint, suis officiis eo ipso destituti remaneant.*

Obseruari mandat Const. Clemen. VIII. pœnas apponit: mandat etiam publicari.

§. 6. *Ad hæc vt prædicti Clementis Octaui prædecessoris nostri decreta inuiolabiliter obseruentur, omnes Fratres præcipuè nominatos Ordinis, & Prouinciarum Patres legitimè non impeditos ad Chori seruitium, & ad faciendam hebdomadam, aliasque Ecclesiasticas functiones, ad vestitum & Cellarum supellectilem eorum statui conuenientes, ad communem mensam cum eisdem pane, vino, obsonio nihil cuiquam singularitatis concesso, ad egressum de Conuentibus cum licentia & socio qualibet vice à Superioribus obtinendis, benedictionisque receptione post regressum, ad cubitum singulorum in singulis lectis, ad orationis mentalis studium, à qua nullus cuiuscunque conditionis existat, exemptus censeatur, ad silentij custodiam, ad culparum Capitula, ad virtutum exercitium, ad collocutiones & sermones singulis saltem hebdomadis de regulari disciplina, spiritualique profectu tractantes teneri volumus & obligamus, nedum sub pœnis in iisdem decretis contentis, verum etiam sub priuatione officiorum, & perpetua inhabilitate in posterum ipso facto incurrendis, Guardianis, Prouincialibus, & Generalibus respectiuè, qui sine legitima causa prædictorum transgressionem permiserint, & notabiliter negligentes, ac transgressores non legitimè impeditos voce actiua & passiua non priuauerint, & in posterum ad alia non inhabilitauerint, prout Nos hac nostra Constitutione, quam in sola Cismontana familia valere, statimque post eiusdem notitiam à prædictis Superioribus sub fulminatis pœnis in quolibet Conuentu pro fœlici executione publicari, ac in statutis Ordinis inseri, & cum illis bis saltem in anno publicè in Communitate Fratrum legi sub destitutione ipso facto Superiorum localium negligentium volumus, priuamus, & inhabilitamus, ac tanquam candoris Ordinis obscuratores, disciplinæque regularis relaxatores priuatos esse volumus & declaramus.*

§. 7. *Sicque in præmissis omnibus & singulis inuiolabiliter obseruari, & per quoscunque Iudices Ordinarios & delegatos etiam causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari & definiri debere, ac irritum & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.* Decretum irritans.

§. 8. *Non obstantibus Apostolicis, ac in Conciliis vniuersalibus, prouincialibusque & synodalibus editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus & ordinationibus, dictique Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, eidem Ordini, illiusque Superioribus & Fratribus, ac quibusvis aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innouatis, quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorũq; totis tenoribus specialiter specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressas habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad effectum præmissorum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem quòd præsentium transumptis etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus vbique fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibita vel ostensa. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscat. die prima Iunij 1640. Pontificatus Nostri Anno decimoseptimo.* Contrariis derogat.

M. A. Maraldus.

CONSTIT.

CONSTITVTO XXX.

Quâ confirmat declarationem Constitutionis Clementis PP. VIII. de largitione munerum Regularibus vtriusque sexus interdita.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§ 1.

Declaratio Constitutionis Clem. VIII. quo modo munerum largitio, & ex quibus caussis licita sit.

NVper à Congregatione nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum, coram dilecto filio nostro Antonio tituli S. Petri ad Vincula Presbytero Cardinali S. Onuphrij nuncupato, maiori Pœnitentiario, ac nostro in alma Vrbe Prouicario in spiritualibus generali, & nostro secundum carnem fratre germano à Nobis deputata emanauit declaratio tenoris subsequentis, videlicet. Cum circa interpretationem Constitutionis fel. rec. Clementis VIII. sub dat. xiij. Kal. Iuly Pontificatus sui anno III. de Largitione munerum Regularibus vtriusque sexus interdicta, nonnullæ difficultates, & ambiguitates sint exortæ; Congregatio specialiter à Sanctissimo D. Nostro Vrbano Diuina Prouidentia Papa VIII. coram Eminentissimo Cardinali S. Onuphry maiori Pœnitentiario, ac vrbis Prouicario deputata, auctoritate sibi attributa declarauit, & declarat, munera à Religiosis vtriusque secus tribui posse, ex causis gratitudinis, conciliationis, beneuolentiæ, eiusque conseruationis erga ipsam Religionem, vel Conuentum, aliisvè causis ex sui natura actum virtutis, & meriti continentibus, modestè tamen, ac discretè, & dummodo id non fiat, nisi de Superiorum localium licentia, ac etiam cum consensu maioris partis conuentus, si talis consensus de iure, vel ex constitutionibus, seu consuetu inibus cuiusq; Religionis respectiuè, in huiusmodi casibus requiratur. Consensum verò Conuentus in §. 2. eiusdem Constitutionis ad leuiora esculenta, aut poculēta, seu ad deuotionem, & religiositatē pertinentia manuscula largienda, &c. requisitum, intelligi debere de consensu aliàs de iure requisito, & vbi concurrit ambitionis suspicio, qua cessāte, nec in his requiri licentiam, Superiorum in scriptis in §. 4. eiusdem Bullæ requisitam, sed sufficere licentiam, etiam oretenus eisdem concessam declarat. Comessationes autem, computationes, & conuiuia in excipiendis præsertim Benefactoribus, Protectoribus, vel Ordinarijs honorificè, & lautè, de quibus in §. 5. & 6. eiusdem Constitutionis, censeri tantummodo prohibita, si decentiæ status regularis aduersentur. Restitutionem vero receptorum Conuentibus faciendam, de qua in §. 10. ibidem cautum est, intelligi debere de Conuentibus, ad quos data, donata, seu missa de iure pertinent, si id commodè fieri potest, aliàs Conuentui eiusdem Religionis viciniori loco, vbi petita fuit absolutio, restituantur. Insuper eadem facultate sibi tributa omnes qui hucusque aduersus supradictæ Constitutionis Capitula hic moderata largiti fuerunt, vel receperunt, à pœnis quibuscumque in eadem Constitutione inflictis, & incursis posse, & debere à proprijs Confessarijs absolui in foro conscientiæ, etiam non facta prius huiusmodi rerum donatarum, seu datarum restitutione. Quoad eos verò, qui præter modum prædictum grauiori Religionis detrimento largiendo, vel recipiendo transgressi sunt, sed ob inopiam restituere nequeunt, eadem Sanctitas concedit maiori Pœnitentiario, vt de præteritis vsque ad diem datæ præsentium in foro conscientiæ absoluat, dispenset, & condonet, seu absolui, dispensari, & condonari mandet, prout in Domino magis expedire iudicauerit.

Constit. Clement. VIII. semel in anno legi mandatur pœna contrafacientibus apposita, & sublata interpretandi facultate.

§. 2. *Et ne prædicta Clementis VIII. Constitutionis memoria dilabatur, Superiores locales cuiuscunque Monastery, Conuētus, Domus ac Collegij Regularis sub pœna priuationis officy, vocisque actiuæ, & passiuæ ipso iure incurren. efficere teneantur, vt in perpetuum singulis annis mense Ianuario, non solum prædicta Constitutio (quam in reliquis eius partibus eadem Sanctitas, omninò obseruari iubet, & quatenus opus sit innouat, quemcumque prætensum non vsum, aut prætensum vsum, seu prætensam consuetudinem, damnando, & irritando) verùm etiam hoc decretum in aliqua publica Congregatione, vel saltem in publica mensa perlegantur. Omnibus tam Ecclesiasticis, personis etiam Regularibus, quàm Laicis cuiuscumque sint ordinis, conditionis, gradus ac dignitatis, etiam speciali nota dignis, & qui sub generali dispositione non comprehenderetur, prædictam Clementis Constitutionem contra præsentis decreti tenorem declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta, super quibus Sanctissimus mandauit expedire Breue. Datum Romæ die decimaquinta Septembris, 1640.*

Prædictam declarationē confirmat, & approbat suppletque defectus.

§. 3. *Qua propter vt præmissa firmiùs subsistant, & inuiolabiliter obseruentur, quàntum cum Domino possumus, prouidere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, declarationem præinsertam cum omnibus, & singulis in ea contentis, tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illisque inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adycimus, ac omnes, & singulos, tam iuris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet interuenerint, supplemus, illaque inuiolabiliter ab omnibus, ad quos spectat, & spectabit in futurum, obseruari.*

Clausula sublata, & decretum irritans.

§. 4. *Sicque & non aliter in præmissis per quascumque Iudices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & quosvis alios quacumque auctoritate fungentes*

fungentes, sublata, eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari & diffiniri debere, ac irritū & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Derogat contrariis.

§. 5. *Non obstant. quoad ea, quæ declarationi prædictæ, & præsentibus sunt contraria, vel diuersa, Constitutione fel. rec. Clementis Papæ VIII. prædecessoris Nostri prædicti, ac omnibus illis, quæ idem Clemens in Constitutione huiusmodi voluit non obstare, cæterisque cōtrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariā Maiorē sub Annulo Piscatoris die 26. Octobris* 1640. *Pontificatus Nostri anno Decimo Octauo.*

M. A. Maraldus.

In nomine, & à Natiuitate Domini, Millesima sexcētesimo quadragesimo, Indictione Octaua, die vero trigesima Mensis Octobris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Vrbani diuina Prouidentia PP. Octaui, anno decimo Octauo, Retroscripta literæ publicatæ, & affixæ fuerunt in acie Campi Floræ, & aliis locis publicis, & consuetis per nos Hieronymum Mascellam, & Andream Castruccium eiusdem S. D. N Cursorem.

Ita est Hieronymus Mascella D. N. PP. Cursor Pra D. Magistra.

Ita est Andreas Castruccius S. D. N. PP. Cursor.

CLEMENS EPISCOPVS,

Seruus Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Omnis, & quæcumque munerum largitio omnibus vtriusque sexus religiosis (præterquam militaribus) etiam superioribus, & capitulis prohibita.

Religiosæ Congregationes, ab insigni sanctitate viri, Spiritus Sancti afflatu institutæ, tantas Ecclesiæ Dei vtilitates omni tempore attulerunt, vt ad eas conseruandas, & instaurandas, Romani Pontifices Prædecessores nostri, magnam iure optimo diligentiam semper adhibuerint. Nam cum ea sit rerum humanarum conditio, & natura, vt etiam, quæ optimè fundata, & constituta sunt partim hominum imbecillitate, & ad malum procliuitate, partim Dæmonis astutia, paulatim deficiant, ac nisi cura peruigili sustententur, in deterius prolabantur; Idcirco Summorum Pontificum vigilantia, magnopere laborauit, vt Regularium Ordinum disciplina, aut salutaribus Constitutionibus communita, integra atque incolumis permaneret. Quorum Nos vestigijs pro eodem Officij munere insistere, & Pastoralem illorum sollicitudinem (quantum possumus) diuina adiutrice gratia, cupimus imitari.

§. 1. *Quare ne ex muneribus, quæ à pluribus Religiosæ vitæ professoribus, ex Christi patrimonio, quibusvis hominibus quavis ex causa sæpè tribuuntur, grauia incommoda, & mala, etiam boni specie existant, præcauere studentes, hac nostra perpetuò valitura Constitutione vniuersis, & singulis cuiuscumque Ordinis mendicantium, vel non mendicantium bona immobilia, & redditus certos ex indulto Apostolico possidentium, vel non possidentium, seu cuiusvis Congregationis, Societatis, & instituti (non tamen Militiæ) Regularibus personis vtriuslibet sexus omnē, & quamcumque largitionem, & missionem munerum, penitus interdicimus. Sub qua prohibitione comprehendi volumus omnia & singula Capitula, Conuentus, & Congregationes, tam singulorum Conuentuum, Monasteriorum, Prioratuum, Præposituratum, Præceptoriarum, domorum, & locorum, quàm Prouincialia, aut Generalia cuiuslibet Prouinciæ, siue vniuersi Ordinis, Societatis, aut instituti, eorumque, vel earum Camerarios, Cōmissarios, aut quoscumque Officiales, & singulares personas, Ipsas etiam Ordinum, Congregationum, & Societatum huiusmodi Superiores quascumque dignitates obtinentes, etiam Generales, & Prouinciales, Magistros, Ministros, & quacunque nomine Præfectos, necnon Conuentuum, Monasteriorum, Prioratuum, Præposituratum, Præceptoriarum, domorum, & locorum quorumcumque Abbates, Priores, Præpositos, Præceptores, etiam maiores Guardianos, Ministros, Rectores, atque Abbatissas, Priorissas, & alio quovis titulo Præsidentes, tam ipsi Regularibus quàm locorum Ordinarijs, seu quibusvis Superioribus subiectas vtriuslibet sexus ad vitam, vel ad tempus deputatos: adeò, vt nemo vnquam eorum, vel earum directè, vel indirectè palam, vel occultè, tam communi, quam particulari, & proprio nomine etiam sub quovis Statuti, vel consuetudinis, seu veriùs corruptelæ, aut alio prætextu, vel quacumque causa nisi in Generali Capitulo aut alia Generali Congreg. re maturè discussa vnanimi consensu omnium, Superiorumque permissu causa approbata fuerit, quicquam tale attentare valeat.*

Ex omnibus omnino bonis; exceptis tamen esculentis, & poculentis, & ad deuotionem pertinentibus munusculis, iisque nomine communi tantum.

§. 2. *Id autem ità absolutè, & generatim vetitum intelligatur, vt neque omnino fas sit quicquam donare, tam ex fructibus, redditibus, & prouentibus, collectis vel contributionibus, aut oblationibus, siue eleemosynis, subsidys certis, vel incertis, ordinarijs, seu extraordinarijs, mensæ, seu massæ communis, vel cuiusvis Fabricæ, & Sacristiæ, quorum bona communiter, vt præfertur, administrantur, seu quæ rationibus reddendis sunt obnoxia, quàm ex pecunijs etiam, quæ à singulis quovis modo acquisita in commune conferendæ omnino sunt. Nec si per viam voluntariæ contributionis in commune congerantur. Nec si forsan priuatim, & nominatim cuilibet Religioso à suis Superioribus, vel à proprijs affinibis, propinquis, familiaribus, amicis, aut beneuolis, vel à piis Christi fidelibus, etiam eleemosyna, aut charitatis, & illius propriæ personæ intuitu attributæ, seu quoquomodo per quemlibet religiosum suo Monasterio, Domui, aut Loco acquisita, eique vt ad libitum de eis disponat,*

per

per Superiores concessa fuerint: Præterquam leuiora esculenta, aut poculenta, seu ad deuotionem vel Religonē pertinentia munuscula commun tantum, nūquam verò particulari nomine (vbi Superiori de consensu Conuentus videbitur) tradenda.

Etiā per se, & per alios directè, & indirectè facta.

§. 3. *Sed & huiusmodi missiones munerum ipsis Religiosis vtriuslibet sexus non solum per se verùm etiam per alios, tàm directè, quàm indirectè prohibitas, declaramus.*

Facta quibuscunque personis, siue intra ordinē superioribus & non superioribus siue extra ordinē etiam quacumque dignitate fungentibus.

§. 4. *Neque verò quispiam ab hac generali prohibitione se excusare valeat, etiam si munera miserit cuius persona Laica, vel Ecclesiastica cuiuscunque status, gradus, dignitatis, ordinis, vel conditionis, & quauis non solùm mundana, & Ducali, Regia, Imperiali, verum etiam Ecclesiastica, & Pontificali, aut alia maiori, etiam S.R.E. Cardinalatus dignitate fulgenti, etiam proprio loci Ordinario, etiam ex causa, & occasione benedictionis, vel susceptionis habitus Regularis, tonsura, aut Professionis Monialium, tàm sibi subditarum, quàm non subditarum aut ipsi etiam proprio Ordinis, vel Congregationis Protectori, Viceprotectori, Generali, vel Prouinciali, aut cuiusuis Monasterij, Prioratus, domus, aut cuiuslibet alterius loci Regularis Superiori, aut alio quocumque officio, munere, aut dignitate fungenti, vel cuicumque etiam simplici, & particulari Religioso. Ita vt inter ipsos quoque Religiosos (ne praua ambitione impulsi pro consequendis in sua Religione gradibus, & dignitatibus, alter alterius gratiam, aut beneuolentiam aucupetur) quæcumque largitio, aut donatio munerum (nisi rerum minimarum, de licentia expressa, & in scriptis Superiorum) sit penitus interdicta.*

Prohibita etiam omnis pecuniæ erogatio in alterius cuiusque etiam Protectoris honorē quacūque occasione etiam transitus facta. Omnis item sumptus in reb. quibuscumque superuacaneis & ad Dei cultum, & pauperum indigentias sub cuandas non necessarijs.

§. 5. *Insuper prohibemus, ne vnquam eisdem Regularibus liceat vllas pecunias quoquomodo erogare in alicuius etiam Benefactoris, aut Protectoris, vel Ordinarij honorem, etiam occasione transitus, vel primi ingressus, aut ad Beneficiorū acceptorum memoriam, gratique animi testificationem, seu pro prædictis personis quavis auctoritate, vel dignitate fungentibus honorificè, lautè, & opiparè excipiendis, seu pro quibusuis conuiuijs eisdem, aut cuiuis alteri quacumque occasione vel causa exhibendis vel pro comessationibus, aut compotationibus, quibusuis personis, tam eiusdem Ordinis Congregationis, Monasterij, domus, aut loci, quàm extraneis largiendis, aut pro exhibendis spectaculis, etiam pijs intra Ecclesias, Monasteria, & domos sacras, seu pias, vel extra eas, in quibusuis publicis, aut priuatis sacris, aut profanis locis, etiam vbi Sanctorum, & Sanctarum vita, aut res piè gesta, etiam in memoriam Passionis Dominicæ potulis spectau a proponuntur, aut aliàs in prædictis, siue in quibusuis rebus superuacaneis ad pompam, & ostentationem aut ad oblectationē, vel paucorum lucrum, & priuata cōmoda quomodolibet pertinentibus, Nisi re ipsa pro diuino cultu, & veris Christi pauperum indigentiis, seruata in hoc charitatis Ordine & habita necessitatis ratione de consilio, & consensu Superiorū subleuandis aut alia, in rebus licitis, & per Capitulum Generale aut Prouinciale non prohibitis, vel Taxam ibi forsan præscriptam non excedentibus sumptus huiusmodi fiant.*

Hospitalitatis ... prohibita, ... dati, in qua fide ... pendendum quicquid in eum ... refectionem ...

§. 6. *Declarantes tamen per hac laudabilem, & Apostolica doctrina, sacrisque Canonibus cōmendatam hospitalitatem præsertim erga pauperes & peregrinos, nequaquam imminui aut prohiberi Quinimo si qui redditus ad id, vel ex fundatione, vel ex institutis, aut consuetudinibus aliquorum Monasteriorum, Ordinum aut regulariū huiusmodi locorum, aut ex testatorum, vel donātium voluntatibus siue aliàs applicati, aut donati sunt, eos omnino (vt decet) integrè in vsus pios hospitalitatis huiusmodi erogandos esse; & præsertim in Monasterijs seu locis desertis, & ab laicorum ædibus longiùs remotis vbi tamen pauperum, & verè egenorum ratio in primis habeatur.*

Ditiores in refectorio, & frugaliter recipiendi.

§. 7. *Si quos vero ditiores occasione transitus siue aliàs ex deuotionis, aut necessitatis causa eò diuertere contingerit, eos sanè deceret Refectorio communi cum Religiosis, mensaque & ferculis communibus nequaquam à cæteris distinctis contentos esse. Verum omnino ipsi regulares in hospitibus huiusmodi potentioribus excipiendis ita se gerant, vt in eis frugalitas, & paupertas religiosa prorsus eluceat.*

Nulli prorsus regulari, vel sæculari, quacunque dignitate insigne lic. quicquam à religiosis contra prædictum formam recipere

§. 8. *Pari etiam ratione districtè inhibemus, ne quispiam ex prædictis Laicus aliàs, quam vt superius dictum est, vel Clericus sæcularis, vel regularis quocunque honore praeminentia, nobilitate, aut excellentia etiam S.R.E Cardinalatus dignitate præditus, etiam, Protector, Viceprotector, loci Ordinarius Prælatus, Generalis, Prouincialis, aut Monasterij, Domus, vel loci cuiuslibet Superior, eorumvè affines propinqui, familiares, aut Ministri vtriuslibet sexus, quicquam contra hanc superiùs expressam prohibitionem recipiant.*

Recipiens in neutro foro nequit absolui ante factam restitutionem.

§. 9. *Quod si, vel ab aliquo particulari Religioso, vel à superiore quopiam Generali, Prouinciali, aut alio quocunque officio fungente, aut à Conuentu, Capitulo, vel Congregatione; siue ab vniuerso Ordine, & Religione quicquam receperint; id quod acceperint suum non faciant. Verùm ipso absque aliquo monitione Iudicis, decreto, sententia, aut declaratione, ad illius restitutionem omnino in vtroque foro teneantur: adeo vt restitutione ipsa realiter non facta, neque etiā in foro conscientiæ absolui possint.*

Quæ ... cui ... bonis ... facta est largitio.

§. 10. *Hanc autem restitutionem fieri volumus non priuatim ei Religioso, qui donauit, sed ei Monasterio, Domui, vel alteri loco de cuius bonis facta est largitio, vel si non de eius bonis donatū est, in quo idem Religiosus donans Professionē emisit; vel si nomine totius Capituli, Conuētus, aut Congregationis, vel vniuersi Ordinis, seu Religionis donatio facta extiterit, pariter cōmuni*

tam prædictorum Monasterij Placentinea. quàm aliorum quorumcunque eiusdem Congregationis Monachorum requisiti fuerint solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant illos auctoritate nostra præmissorum omnium & singulorum commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos desuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia appellatione postposita compescendo; Inuocato etiam adhoc si fuerit opus, auxilio brachij sæcularis.

Derogat contrariis. §. 4. *Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quibusvis Congregationis, & Monasteriorum huiusmodi etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die* 27. *Nouembris* 1538. *Pontificatus nostri Anno* 16. M. A. Maraldus.

CONSTITVTIO XXVI.

Quâ confirmat, & declarat literas pro bono regimine Prouinciæ Sancti Ioannis Baptistæ Fratrum Discalceatorum de Obseruantia: & alia insuper de nouo concedit.

VRBANVS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. *Vm ea, quæ propter iustas, & rationabiles causas aliquando stabilita sunt, ipsa rerum, & temporum experientia doceat prouidè oportere moderari, & immutare; Superioribus verò annis per quasdam nostras in simili forma Breuis literas pro bono regimine Prouinciæ Sancti Ioannis Baptistæ Fratrum Minorum Discalceatorum nuncupatorum Regularis Obseruantiæ Sancti Francisci in Hispania; quædam clausulæ quarundam aliarum in eadem forma Breuis in fauorem eiusdem Prouinciæ à felicis recordationis Clemente Papa VIII. prædecessore nostro emanatarum incipientium*: Ex iniuncto nobis Apostolici muneris debito, *sub datum die* 29. *Nouembris* 1599. *declarata, & alia limitata fuerint, ex præfata verò limitatione, seu moderatione, nonnulla grauia inconuenientia, quæ nouis litibus, & inquietudinibus ianuam aperuerunt, in dies oriri videantur.*

Supplicatio. §. 1. *Nobis propterea dilecti filij Michaël Teruel Minister Prouincialis, & Diffinitores dictæ Prouinciæ Fratrum eorundem per dilectum etiam filium Franciscum Seguer dicti Ordinis professorem eorum Procuratorem humiliter supplicari fecerunt, ut omnia, & singula gratias, & priuilegia in prædictis Clementis prædecessoris literis, eidem S. Ioannis Baptistæ Prouinciæ aliàs concessa confirmare, & opportunè sibi ut infrà prouidere, & indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.*

§. 2. *Nos igitur, qui personarum quarumlibet, præsertim sub suaui Religionis iugo Altissimo famulantium quieti, & statui quantum cum Domino possumus libenter consulimus, omnem super præmissis inconuenientium huiusmodi materiam, & occasionem è medio submouere, ipsosque exponentes specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, præfatas Clementis prædecessoris literas in fauorem Prouinciæ prædictæ Sancti Ioannis Baptistæ Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Discalceatorum huiusmodi cum omnibus, & singulis in eis contentis Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos tàm iuris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet interuenerint, supplemus.* Concedit preces in summario, & supplet defectus.

§. 3. *Et insuper modernis eidem Michaëli, & pro tempore existentibus Ministro Prouinciali, Custodi, Diffinitoribus, Guardianis, & Fratribus dictæ Prouinciæ, ut quascumque Domos, siue Eremitoria, seu loca: si quæ sibi à piis Christi fidelibus in Hispaniæ partibus concedantur, recipere, & in illis Conuentus sui Ordinis erigere, & fundare; seruata tamen aliàs Sacrorum Canonum, & Decretorum Sacri Concilij Tridentini forma, de sola Ordinarij loci licentia, ac nullo quarumvis aliarum personarum cuiusvis Ordinis Congregationis, aut instituti Regularium desuper requisito consensu, ac in domos sui Ordinis, & Prouinciæ præfatæ cum Ecclesia, Sacrario, Campana, seu Campanis humilibus, Cœmeteriis, Claustro, Refectorio, Cellis, Hortis, aliisque officinis, & ædificiis necessariis erigere, & fabricari facere, ac in illis Fratres sui Ordinis Discalceatorum introducere, atque in ipsarum Domorum Ecclesiis postquam erectæ, & fabricatæ fuerint, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pro infirmis asseruare, ac diuina Officia celebrare, & Ecclesiastica Sacramenta ministrare, ut in cæteris Fratrum Discalceatorum eorundem Domibus fieri solet.* Concedit erigere posse Conuentus, & Ecclesias.

§. 4. *Ac eiusdem Prouinciæ nunc, & pro tempore existentibus Ministris Prouincialibus, seu Guardianis, siue alio quovis nomine nuncupatis Prælatis,* Dat facultatem recipiendi nouitios.

Prælatis, ad quod de iure, & iuxta regularia eiusdem Ordinis statuta Apostolica auctoritate confirmata spectat, & pertinet, vt quoscunque prædictum Discalceatorum Ordinem ingredi, & profiteri volentes, dummodo in qualibet dictarum domorum erigendarum tam Fratres professi, quàm Nouitij numerum triginta non excedant, iuxta regularia eiusdem Ordinis instituta ad habitum, & professionem recipere, & admittere, ac cum aliis Religiosis professis incorporare liberè, & licitè valeant, licentiam, & facultatem perpetuò concedimus.

Et condendi statuta, & eos eximens à statutis emanatis à fratribus de obseruantia.

§. 5. *Præterea, quod Prouincia præfata, illiusque Fratres, & Conuentus suis arctioribus Constitutionibus, & Statutis, quæ in pleno Capitulo Prouinciali à maiori parte Capituli recepta, & stabilita fuerint, gubernentur; nec ad obseruanda statuta generalia à Capitulis, vel Congregationibus generalibus Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Obseruantia nuncupatorum iam facta, vel pro tempore facienda, nec ad specialia eiusdem Ordinis Superiorum mandata, quæ Ministri Prouincialis, Custodis, & Diffinitorum Prouinciæ iudicio, fuerint dd. Fratrum Discalceatorum reformationi, aut commodo dissentanea teneantur.*

Et Congregationes celebrandi, ac eligendi sibi Superiores.

§. 6. *Quòd Ministri, seu Prælati Prouinciales, Congregationes particulares, quas Diffinitoriales vocant, quando, & vbi commodius sibi visum fuerit, liberè conuocare, & celebrare, ac in eis quaslibet electiones Guardianorum, & aliorum Officiorum facere, & quascunque causas, siue ciuiles, siue Criminales & negotia ad eandem Prouinciam spectantia iuxta formam Sacrorum Canonum, & regularium Statutorum, & suarum Constitutionum prouincialium tractare, diffinire, & sententiare possint; quodque Prælati Generales eiusdem Ordinis huiusmodi Congregationes particulares Diffinitoriales, aut earum electiones, seu diffinitiones, vel decreta, & sententias nequaquam impedire, immutare, nec dilatare valeant.*

Visitatores assignat ex eodem Instituto.

§. 7. *Quod d. Prouincia, eiusque nunc, & pro tempore existentes Conuentus, & Fratres, nisi per Fratres Visitatores alicuius Prouinciæ Discalceatorum huiusmodi; à Prælatis tamen generalibus deputandos, nullatenus visitari, aut sindicari possint; quodque huiusmodi Visitatores Discalceati in d. Prouinciam ingredi, aut in ea aliquam iurisdictionem exercere non valeant, nisi tempore statuto circa finem triennij Ministri Prouincialis, nempe post duos annos, & septem menses Prouinciales cuiuslibet Ministri Prouincialis eiusdem Prouinciæ transactos, & non antea, Tales autem Visitatores omnia statuta Prouincialia eiusdem Prouinciæ obseruare, & iuxta illorum tenorem, & præscriptum Prouinciam visitare, & gubernare debeant, & teneantur, nec in eisdem statutis, nisi de consensu maioris partis Diffinitorij plenè dispensare valeant, quamvis hoc idem in litteris patentibus, & authenticis à Prælatis generalibus, aliisve Superioribus specialiter iisdem indultum, & concessum fuerit.*

Dat puniendi formam.

§. 8. *Vt autem omnes ambitionis, & iniustitiæ occasiones, quæ sub simulato, ac apparenti correctionis, & reformationis zelo obrepere solent, è medio penitus euellantur, postquam prædicti Visitatores Commissarij suam iurisdictionem, & Visitationem in Prouincia huiusmodi cœperint exercere, nulli Guardiani, nullique Vocales, quibus concursus ad Capitulum proximè futurum de iure competit, possint ante ipsum celebratum Capitulum ob aliquam, seu aliquas causas ab officio remoueri, nec voce actiua, aut passiua priuari: Si autem in ipsa Visitatione aliquibus delictis, & culpis quidam præfatorum reperiantur obnoxij, vel eorum punitio, & correctio post omnes electiones Capituli factas differatur, vel aliis Canonicis, & regularibus pœnis præter priuationem officij, ac vocis actiuæ, & passiuæ arbitrio Superiorum puniri debeant.*

Dicti Fratres non possunt mitti extra Prouincias suas nec extra claustra degere sine licentia.

§. 9. *Insuper quod Fratres eiusdem Prouinciæ Sancti Ioannis Baptistæ, ab ipsa sua Prouincia per quoscunque Superiores abstrahi nequeāt, vt ad Indos, vel alias partes, & Prouincias remittantur, nisi de consensu Capituli Prouincialis, vel Diffinitorij pleni eiusdem Prouinciæ. Et quod huiusmodi Superiores quicunque illi sint, non possint Fratres Præfatos licentiare, vt in domibus sæcularium, seu extrà claustra habitent, nisi seruata ad vnguem forma à Clemente prædecessore præfato præscripta in Bulla, seu literis de Reformatione Regularium incipien.* Nullas omnino prætextu cuiuscunque priuilegij, *sub anno 1599. nempe quod tales licentiæ nisi ex grauissima causa à Sede Apostolica approbanda nullatenus concedantur, quæ verò aliter concessa sint, ipso facto irrita, & nulla censeantur, & Religiosi talibus licentijs vtentes statim ad claustra reuocentur.*

Dat facultatem libros extrahendi à Bibliothecis de licentia Prælati studiorum causa, & communicat Priuilegia iam concessa, & concedenda aliis Prouinciis Hispaniarũ eiusdem Ordinis.

§. 10. *Quodque possint iidem Fratres Discalceati intra septa domus regularis suæ libros à bibliothecis de licentia Prælati abstractos habere, & illis vti, dummodo postquam illis vsi fuerint eisdem bibliothecis illos restituere procurent; Ac demum Ministro Prouinciali, Custodi, necnon Guardianis, Conuentibus, Fratribus vniuersis dictæ Prouinciæ nunc, & pro tempore existentibus, vt omnibus, & singulis gratiis, indultis, & priuilegiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, fauoribus, indulgentiis, & literis Apostolicis, tam Prouinciis Sancti Iosephi, & Sancti Pauli, quàm quibusvis aliis eiusdem Ordinis Fratrum Discalceatorum Hispaniarum Prouinciis, per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores, ac per Nos, & Sedem Apostolicam hactenus concessis, & in posterum concedendis æquè, ac si ipsimet Prouinciæ Sancti Ioannis Baptistæ nominatim concessa fuissent, frui, potiri, & gaudere perpetuò possint, & valeant, auctoritate, & tenore præfatis pariter perpetuò concedimus, & indulgemus.*

Pœnæ contra facientibus, & clausulæ præseruatiuæ mandat etiam publicari.

§. 11. Volumusque, statuimus, & ordinamus respectiuè, & insuper præcipimus Ministro, & Commissario generalibus Ordinis Minorum Regularis Obseruantiæ, & quibusvis Commissariis, & Visitatoribus ad dictam Prouinciam S. Ioannis Baptistæ destinatis, cæterisque tàm Prælatis, quàm subditis sub pœnis excommunicationis latæ sententiæ, ac priuationis quorumcunque officiorum, & dignitatum eo ipso absque alia declaratione incurrendum, ne in præmissis Fratres præfatos Discalceatos Prouinciæ S. Ioannis Baptistæ huiusmodi litibus grauari, aut quovis modo molestari permittant; quinimò præfata omnia priuilegia, & indulta aliis inuiolabiliter obseruent, & obseruari faciant, ac per suas proprias literas, quoties pro parte præfatorum Fratrum Discalceatorum fuerint requisiti, faueant, & assistant; Et nihilominus Venerabilibus fratribus Valentiñ. & Granateñ. Archiepiscopis, necnon Carthaginеñ. Guadiceñ. Orioleñ. Dertuseñ. & Illerdeñ. Episcopis, eorumque Vicariis generalibus, seu Prouisoribus, ac dilecto filio Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorundem Fratrum Discalceatorum desuper fuerint requisiti solemniter publicent, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistant, faciantque auctoritate nostra eos præmissis omnibus, & singulis pacificè frui, & gaudere; Non permittentes eos desuper per Prælatos generales, & Visitatores præfatos quomodolibet molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles, & præmissis non parentes per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, necnon legitimis super his habendis seruatis processibus, censuras, & pœnas præfatas illos incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Decretum irritans.

§. 12. Decernentes præsentes literas nullo vnquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis nostræ defectu, etiam ex eo quod præmissis interesse habentes, vel Fratres de Obseruantia præfati, aut quicumque alij vocati non fuerint, notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, aut quomodolibet in ius, vel controuersiam reuocari, sed semper, & perpetuo validas, & efficaces existere, & fore, sicque per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores vbique iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 13. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacij Papæ Octaui prædecessoris nostri, per quam cauetur expressè; ne professores Ordinum Mendicantium loca ad habendum absque dicta Sedis licentia speciali, & de prohibitione huiusmodi expressam mentionem faciendam recipiant, & de vna, & Concilij Generalis de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac nostris literis, quæ incipiunt. In Cathedra B. Petri Apostolorum Principis, de anno 1626. emanatis, ac quibusvis eiusdem Ordinis Fratrum Minorum de Obseruantia, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam per Fratres Discalceatos huiusmodi acceptatis, præsertim Capitulorum, seu Congregationem generalium, quibus cauetur expressè, ne Fratres Discalceati huiusmodi, domum aliquam dicti eorum Ordinis absque expressa licentia Capituli Generalis, aut infrà quinque leucas à domo eorundem Fratrum Minorum erigere audeant priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eidem Ordini Fratrum Minorum, illiusque Superioribus, & quibusvis Religiosis particularibus, aliisque personis sub quibusvis tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & roboratis. Quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo, ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, eorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si ministro, & Commissario generalibus, aut Fratribus dicti Ordinis Minorum de Obseruantia, seu quibusvis aliis communiter, vel diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§. 14. Cæterum quia difficile foret præsentes literas ad singula quæque loca, vbi necesse fuerit deferri, volumus, & dicta auctoritate decernimus quod transumptis earundem præsentium etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides vbique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 15. Iunij 1639. Pontificatus nostri Anno 16.

Transumptis fidem adhiberi iubet.

CONSTI

CONSTITVTIO XXVII.

Concedit fratribus Conuentualibus Ordinis Minorum, vt in Conuentibus, in quibus non est facta reductio Missarum, fieri possit in primo Capitulo talis reductio ad rationem 60. scutorum pro qualibet Missa quotidiana.

VRBANVS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Concessionem à se iam factam memorat.

§. 1.  *Vm Nos aliàs confirmantes & approbantes Constitutiones Vrbanas nuncupatas. Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Conuentualium nuncupatorum eisdem fratribus indulserimus, vt ipsi in primo eorum Capitulo seu Congregatione Capitulari in omnibus eorum Conuentibus Missas reducere, & pro qualibet Missa quotidiana annuam eleemosynam sexaginta scutorum assignare possent, & sicut dilectus filius Procurator generalis eorundem fratrum Nobis nuper exponi fecit in nonnullis Poloniæ, & aliarum partium Conuentibus Ordinis huiusmodi, dicta Missarum reductio in primo Capitulo, seu Congregatione Capitulari iuxta earundem Constitutionum dispositionem facta non fuerit, Nobis propterea dictus Procurator generalis humiliter supplicari fecit, vt in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.*

Concedit prout in summario.

§. 2. Nos igitur eundem Procuratorem generalem specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, Quod in Conuentibus prædictis in quibus dicta reductio facta non fuit, vt præfertur, illa ad rationem annua eleemosyna sexaginta scutorum pro qualibet Missa quotidiana, & alias iuxta Constitutionum prædictarum dispositionem in primo proximo Capitulo, seu Congregatione Capitulari fieri possit, Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, dictique Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, quibus omnibus & singulis illorum omnium tenorem præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad effectum præmissorum specialiter derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 8. Augusti 1639. Pontificatus Nostri anno decimo septimo.

M. A. Maraldus.

§.

Vide aliam similem Constitutionem eiusdem Summi Pontificis. *tom. 2. priuil. const. 5.* §. 2. *pag. 278. col. 2.* in qua Missæ pro Minimis reducuntur ad rationem quinquaginta scutorum Monetæ Papalis.

CONSTITVTIO XXVIII.

Quâ decernit, quod Ministerium Redemptionis Captiuorum in omnibus spectet Fratribus Calceatis Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede dumtaxat, & nullatenus ad Discalceatos.

VRBANVS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

 *Xponi nobis nuper fecit, dilectus filius Ioannes Perez de Munegreba, Procurator Generalis Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, quod aliàs inter fratres Calceatos dicti Ordinis ex vna; & fratres eiusdem Ordinis Congregationis Discalceatorum nuncupatorum ex altera partibus, occasione separationis, ac totalis dismembrationis fratrum Discalceatorum à fratribus Calceatis huiusmodi, inita fuit quædam Concordia, inter cuius Capitula, extat vnum, teneris sequentis videlicet. Item quod ministerium Redemptionis solum spectet Religiosis Calceatis; & quod Patres Recollecti, non se intromittant, in recipiendis legatis à Christi fidelibus relictis ad dictum effectum; nec possint petere in suis monasteriis, nec extra, pro redimendis Captiuis, nec habere cippos, nec capsas, nec aliquid aliud pro eleemosyna petenda hac de causa; quia totum hoc debet mandari curæ, & sollicitudini Patrum Calceatorum dumtaxat; sicut vsque nunc fuit in consuetudine. Quæ quidem Concordia à felicis recordationis Gregorio Papa Decimo quinto Prædecessore nostro; ac etiam à Nobis cum clausula, citra dispensationem à quarto Voto, confirmata fuit.* Supplicatio.

§. 1. Postmodum vero, dictis Fratribus Discalceatis prætendentibus vigore prædictæ clausulæ, citra dispensationem à quarto Voto; ministerium Redemptionis Captiuorum fratribus Calceatis huiusmodi in dicta Concordia illiusque Concedit prout in summario.

confirma

confirmationibus dumtaxat reseruatum, à Se quoque exerceri posse, etiam vigore suarum particularium Constitutionum, alias à nobis confirmatarum; Venerabiles fratres nostri S. R. E. Cardinales negotiis Regularium propositi decreuerunt, vigore dicto clausula, citra dispensationem super quarto voto huiusmodi, & aliarum in dicta Concordia, & illius confirmationibus Apostolicis contentarum, non fuisse, nec esse ius aliquod de nouo quaesitum fratribus Discalceatis praefatis ad ministerium Redemptionis Captiuorum exercendum, sub directione, & superioritate eorum Vicarij Generalis, sed omnio, circa ministerium dicta redemptionis Captiuorum, remansisse, & remanere in eisdem statu, & terminis, in quibus reperiebantur ante dictam Concordiam; Itaut praefati Fratres Discalceati, quo ad dictum opus Redemptionis Captiuorum, aut alia ad id Ministerium quomodolibet spectantia remaneant, & remanere debeant, sub Directione, Cura, Obedientia, & Superioritate eiusdem dilecti Filij Magistri Generalis Calceatorum; ac in eisdem statu, & terminis, in quibus erant, seu existebant ante dictam Concordiam, & Confirmationes praedictas, Nosque decretum Cardinalium huiusmodi, confirmauimus; & subinde nonnullis ex Fratribus Discalceatis, huiusmodi decreto praefato, Nostrisque literis, illius confirmatoriis, parere detrectantibus: Nos omnibus, & singulis Fratribus Discalceatis, seu Recollectis Ordinis praefati, nunc, & pro tempore existentibus, quacunque auctoritate, & officio fungentibus sub priuationis vocis actiua, & passiua, ac quorumcunque dicti Ordinis officiorum per Eos detentorum poenis, ipso facto, absque alia declaratione per Contrauenientes, incurrendis; Praecipimus, vt dicto Magistro Generali in omnibus ab eo commissis, & praefatum Redemptionis Captiuorum opus, seu ministerium, quomodolibet concernentibus irrefragabiliter obedirent, & aliis prout in Gregorij Praedecessoris praedicti, ac nostris super praemissis, in simili forma Breuis, expeditis literis, quarum tenores praesentibus pro plenè, & sufficienter expressis, haberi volumus, plenius continetur.

Legata particularia dispositiones, & donationes etiam inter viuos, ac alia ad fratres Calceatos spectent.

§. 2. *Cum autem sicut eadem Expositio subiungebat Fratres Discalceati praedicti praetendant Legata particularia relicta, ac Dispositiones quascunque, etiam Donationes inter viuos factas, & pro tempore faciendas, per quoscunque prò Redemptione Captiuorum, Ecclesiis, seu Domibus, aut Personis ipsorum Discalceatorum, cum electione industria earum, sub concordia, & literis praedictis minimè comprehendi. Nobis propterea idem Procurator Generalis, humiliter supplicari fecit; vt in praemissis opportunae declarationis ministerio prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur negotio maturè, ac Ambabus Partibus pluries in facto, & iure informantibus, & auditis per Congregationem Praelatorum à Nobis, ad id, deputatorum; Eorundem Praelatorum resolutione, in fauorem Fratrum Calceatorum, Eorumque Procuratoris Generalis, facta, Nobis relata, eiusdem Procuratoris Generalis, & Fratrum Calceatorum, praedictorum votis huiusmodi, annuere volentes, ac singulares eorum personas, à quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis, à iure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis; si quibus quomodolibet innodatae existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati; Concordiam praedictam, ac dicti Gregorij praedecessoris, & nostras desuper expeditas literas praedictas, comprehendisse, & comprehendere etiam legata particularia, ac dispositiones, & donationes etiam inter viuos particulariter, aliasque quomodolibet facta, & factas, ac pro tempore perpetuis futuris temporibus, pro Captiuorum redemptione, per Quoscumque faciendas, etiam in fauorem Quorumcunque praedictorum Discalceatorum, eorumque Vicarij Generalis, ac Conuentuum, & Domorum ipsorum Discalceatorum, & in quibus Eorum industria, sit vel erit electa; & praesertim legatum, siue dispositionem, & donationem quondam Elnira Manrrique, factam Conuentui Sancta Barbora Matriti Toletanae Dioecesis non facta expressione, ita vt in ministerio Redemptionis Captiuorum attributo, seu concesso per Concordiam, & literas Apostolicas praedictas Magistro Generali dictorum fratrum Calceatorum comprehensa, & comprehenso sint, & comprehendantur Apostolica auctoritate tenore praesentium declaramus, Eisdemque Fratribus Discalceatis, Eorum Conuentibus, & Vicario Generali* Perpetuum Silentium imponimus.

Clausula sublata, & decretum irritans.

§. 3. *Sicque ab omnibus censeri, & per Quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores, ac Sacrae R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublata Eis, & Eorum cuilibet, quovis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.*

Praescribit modum expendendi legata.

§. 4. *Volumus tamen, quod Idem Magister Generalis Calceatorum, debeat integrè Relicta, Donationes, & Dispositiones praedictas, in praedictum opus Redemptionis expendere, absque eo quod aliquam illorum partem pro se, Conuentibus, aut suo Religione Calceatorum huiusmodi, nec alias vnquam retinere possit.*

Derogat contrariis.

§. 5. *Non obstantibus quorumvis Testatorum, & Testatricum, etiam vltimis voluntatibus, ac donationum, dispositionibus, quas in, & quoad praemissa, quatenus foret opus sufficienter, & expressè commutamus; necnon Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac Constitutionibus*

sufficienter, & expressè commutamus; necnon Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac Constitutionibus Discalceatorum auctoritate Apostolica confirmatis, & præcipuè earum Capitulis vigesimo, vigesimo primo, & vigesimo secundo primæ distinctionis, ac omnibus illis, quæ in prædictis literis Apostolicis dictus Gregorius Prædecessor voluit, & Nos voluimus non obstare; Cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die decima quinta Februarij, Millesimo sexcentesimo quadragesimo, Pontificatus Nostri Anno 17.

M. A. Maraldus.

CONSTITVTIO XXIX.

Quâ statuit nonnulla pro restituendo, ac conseruando in Ordine fratrum Minorum S. Francisci de Obseruantia disciplinæ regularis candore.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.



Militantis Ecclesiæ regimini, meritis licet imparibus inscrutabili diuina prouidentia voluntate præsidentes, quid pro fœlici Christi fidelium quorumlibet, & præsertim regularium personarum, quæ abiectis mundi vanitatibus Deo sub suaui religionis iugo se totas deuouerunt, statui conferat, diligenter prospicimus, ac quæ ipsis per emissorum votorum semitas ad perfectionis apicem contendentibus offendiculo esse possunt, remouere studemus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Motiua.

§. 1. *Cum igitur sicut accepimus in Ordine Fratrum Minorum Sancti Francisci de Obseruantia nuncupatorum ob minus accuratam aliquorum præceptorum regulæ eorundem Fratrum Obseruantiam, nonnullosque abusus, qui in Ordine prædicto contra Apostolicarum Constitutionum, præcipuè fel. rec. Clementis Papæ VIII. prædecessoris nostri decretorum pro reformatione Regularium editorum præscriptum, pacem, mentisque quietem turbari, religionis candorem minui, ac fidelibus non paucorum scandalorum occasione præberi contingat.*

Tollit quasdam introductas dissuetudines, & pœnas apponit contrauenientibus.

§. 2. *Hinc est quòd Nos eiusdem Clementis decretis, dictique Ordinis statutis per Sedem Apostolicam confirmatis inhærendo Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine, ac nostra perpetuò valitura Constitutione confirmantes, quæ aliàs à Nobis circa Patrum priuilegiatorum abrogationem sub die 13. Iulij anni 1639. sancita fuere, Patrum ex electione factorum, siue ij Procuratores, & Commissarij Generales Curiæ, siue Diffinitores generales Ordinis, siue Ministri Prouinciarum, siue earundem Custodes, & Diffinitores, à quibus ob maiorem multitudinem maiora etiam in eisdem oriuntur incommoda, quos vltra numerum in Statutis Ordinis præscriptum minimè augeri potest sine dispensatione decernimus, siue Prouincialium gratiis & priuilegiis ex Ordinis concessione gaudentes extiterint, vel existant, relicta tantummodò præcedentia, ac antelatione, ac socio eisdem per Ordinis statuta respectiuè concessis, omnes exemptiones, immunitates, licentias, consuetudines, quæ potius abusus dici possunt, quoquo modo in dicto Ordine obtenta, inducta, intrusaque in perpetuum cassamus, tollimus, abolemus & abrogamus, ac cassata, ablata, abolita, & abrogata esse, & censeri debere, cuicunque in posterum tales exemptiones & priuilegia concedendi facultate penitus interdicta sub priuationis vocis actiua, necnon excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrendis pœnis decernimus & ordinamus.*

§. 3. *Declarantes ex officiis quibus functi fuerint, nullum aliud in ipsis remansisse, vel remanere, aut eos prætendere posse ius, arbitrium, superintendentiam, intelligentiam, vel quocunque alio nomine nuncupetur præeminentiam in Prouinciis, Conuentibus, fratrum collocationibus, aliisque dispositionibus, itavt liberum omninò sit Prouincialibus, & Diffinitoribus, nullo ad prædictos Patres habito respectu, de Conuentibus disponere, Guardianos instituere, Fratres collocare, aliaque exequi, si cuti communi Prouinciarum bono viderint expedire. Necnon Ordinis huiusmodi apud Nos & Sedem Apostolicam Cardinali Protectori, Ministro, ac Commissario Generalibus pro tempore existentibus contrauenientes Prouinciales & Guardianos taliter electos obtentis officiis eorum arbitrio priuandi, Patres vero præfatos, qui præteritorum officiorum per eos obtentorum prætextu aliquid contra præsentis Constitutionis tenorem moliri, innouare, vel attentare præsumpserint, ad maiorem tranquillitatem, & pacem eorundem Protectoris, & Generalium arbitrio, etiam si opus fuerit, in alienas Prouincias transferendi, & transmittendi facultatem concedimus & impartimur.* Dat facultatem Superioribus libere exercendi munus suum.

§. 4. *Ne autem in dicto Ordine recipiendi pro concionibus pecuniarias eleemosynas, deque illis ad Concionatorum arbitrium disponendi, neuè nimius equitandi abusus vlterius inualescant, grauissimisque regulæ Beati Francisci voto, & præcepto passim contraueniatur, Omnibus & singulis prædicti Ordinis Concionatoribus vltra pœnas in proprietarios, per eiusdem Ordinis statuta fulminatas in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub priuatione Officiorum, quæ obtinent, ac perpetua inhabilitate ad quæcunque officia* Mandat quod Prædicatores eleemosynas pro prædicationis munere acquisitas integras Superiori Prouinciali significent, & pœnas apponit.

officia, gradus, & dignitates in posterum ipso facto incurrendis præcipimus & mandamus, vt de prædictis eleemosynis per se nullo modo disponant, nec eas ab offerentium manibus in suas recipiant, vel in Procuratoris, siue alterius cuiuslibet deponi faciant, sed easdem integras Superiori Prouinciali significent, qui de illis iuxta Regulæ præscriptum disponat, quibus etiam pœnis eo ipso subijcimus, omnes eiusdem Ordinis Fratres, qui sine manifesta, vera, grauique necessitate, aut infirmitate, & absque licentia Prouincialis, vel in casu vrgenti, Superioris localis de consilio, & iudicio trium Discretorum Conuentus scriptis obtenta equitare ausi fuerint, easdem pœnas solis Ministro, & Commissario generalibus aliquando, & ex rationabili causa remittendis facultate relicta.

Dat normam equitandi.

§. 5. *Quos cum Prouincialibus Prouinciarum, Commissariis & ad vrgentiora negotia destinatis paternè monemus, vt in casu vrgenti, ac per regulam permisso memores sint paupertatis, humilitatis, & patientia Christi Domini Saluatoris nostri, ad cuius vitæ exemplum B. Franciscus, & conuersationem instituit, & Ordinem suum fundauit, vilioribus despectisque iumentis contenti sint, & Comitatu, qui sæculares diuites decet, relicto, maiori qua fieri poterit modestia gradiantur, exemploque cæteros præeuntes sciant in concessis tantum casibus equitandi licentiam indulgere, super quo Superiorum omnium ad quos spectat, & pro tempore spectabit, conscientiam oneramus, concedentes Prouincialibus, & Prouinciarum Commissariis vt vno, eoque humili iumento pro se tantum, non autem pro sociis in necessitatis articulo vti possint, aliàs si contrafecerint, suis officiis eo ipso destituti remaneant.*

Obseruari mandat Const. Clemen. VIII. pœnas apponit: mandat etiam publicari.

§. 6. *Ad hæc vt prædicti Clementis Octaui prædecessoris nostri decreta inuiolabiliter obseruentur, omnes Fratres præcipuè nominatos Ordinis, & Prouinciarum Patres legitimè non impeditos ad Chori seruitium, & ad faciendam hebdomadam, aliasque Ecclesiasticas functiones, ad vestitum & Cellarum supellectilem eorum statui conuenientes, ad communem mensam cum eisdem pane, vino, obsonio nihil cuiquam singularitatis concesso, ad egressum de Conuentibus cum licentia & socio qualibet vice à Superioribus obtinendis, benedictionisque receptione post regressum, ad cubitum singulorum in singulis lectis, ad orationis mentalis studium, à qua nullus cuiascunque conditionis existat, exemptus censeatur, ad silentij custodiam, ad culparum Capitula, ad virtutum exercitium, ad collocutiones & sermones singulis saltem hebdomadis de regulari disciplina, spiritualique profectu tractantes teneri volumus & obligamus, nedum sub pœnis in iisdem decretis contentis, verum etiam sub priuatione officiorum, & perpetua inhabilitate in posterum ipso facto incurrendis, Guardianis, Prouincialibus, & Generalibus respectiuè, qui sine legitima causa prædictorum transgressionem permiserint, & notabiliter negligentes, ac transgressores non legitimè impeditos voce actiua & passiua non priuauerint, & in posterum ad alia non inhabilitauerint, prout Nos hac nostra Constitutione, quam in sola Cismontana familia valere, statimque post eiusdem notitiam à prædictis Superioribus sub fulminatis pœnis in quolibet Conuentu pro fœlici executione publicari, ac in statutis Ordinis inseri, & cum illis bis saltem in anno publicè in Communitate Fratrum legi sub destitutione ipso facto Superiorum localium negligentium volumus, priuamus, & inhabilitamus, ac tanquam candoris Ordinis obscuratores, disciplinæque regularis relaxatores priuatos esse volumus & declaramus.*

Decretum irritans.

§. 7. *Sicque in præmissis omnibus & singulis inuiolabiliter obseruari, & per quoscunque Iudices Ordinarios & delegatos etiam causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari & definiri debere, ac irritum & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.*

Contrariis derogat.

§. 8. *Non obstantibus Apostolicis, ac in Conciliis vniuersalibus, prouincialibusque & synodalibus editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus & ordinationibus, dictique Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, eidem Ordini, illiusque Superioribus & Fratribus, ac quibusvis aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innouatis, quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus specialiter specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad effectum præmissorum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem quòd præsentium transumptis etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus vbique fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibita vel ostensa. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscat. die prima Iunij 1640. Pontificatus Nostri Anno decimoseptimo.*

M. A. Maraldus.

CONSTITVTO XXX.

Quâ confirmat declarationem Constitutionis Clementis PP. VIII. de largitione munerum Regularibus vtriusque sexus interdita.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1.

Declaratio Constitutionis Clem. VIII. quo modo munerum largitio, & ex quibus causis licita sit.

NVper à Congregatione nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum, coram dilecto filio nostro Antonio tituli S. Petri ad Vincula Presbytero Cardinali S. Onuphrij nuncupato, maiori Pœnitentiario, ac nostro in alma Vrbe Prouicario in spiritualibus generali, & nostro secundum carnem fratre germano à Nobis deputata emanauit declaratio tenoris subsequentis, videlicet. Cum circa interpretationem Constitutionis fel. rec. Clementis VIII. sub dat. xiij. Kal. Iuly Pontificatus sui anno III. de Largitione munerum Regularibus vtriusque sexus interdicta, nonnullæ difficultates, & ambiguitates sint exortæ; Congregatio specialiter à Sanctissimo D. Nostro Vrbano Diuina Prouidentia Papa VIII. coram Eminentissimo Cardinali S. Onuphrij maiori Pœnitentiario, ac vrbis Prouicario deputata, auctoritate sibi attributa declarauit, & declarat, munera à Religiosis vtriusque secus tribui posse, ex causis gratitudinis, conciliationis, beneuolentiæ, eiusque conseruationis erga ipsam Religionem, vel Conuentum, aliisvè causis ex sui natura actum virtutis, & meritis continentibus, modestè tamen, ac discretè, & dummodo id non fiat, nisi de Superiorum localium licentia, ac etiam cum consensu maioris partis conuentus, si talis consensus de iure, vel ex constitutionibus, seu consuetu inibus cuiusque Religionis respectiuè, in huiusmodi casibus requiratur. Consensum verò Conuentus in §. 2. eiusdem Constitutionis ad leuiora esculenta, aut pocul[ent]a, seu ad deuotionem, & religiositatē pertinentia manuscula largienda, &c. requisitum, intelligi debere de consensu aliàs de iure requisito, & vbi concurrit ambitionis suspicio, qua cessāte, nec in his requiri licentiam, Superiorum in scriptis in §. 4. eiusdem Bullæ requisitam, sed sufficere licentiam, etiam orétenus eisdem concessam declarat. Comessationes autem, compotationes, & conuiuia in excipiendis præsertim Benefactoribus, Protectoribus, vel Ordinarijs honorificè, & lautè, de quibus in §. 5. & 6. eiusdem Constitutionis, censeri tantummodo prohibita, si decentiam status regularis aduersentur. Restitutionem vero receptorum Conuentibus faciendam, de qua in §. 10. ibidem cautum est, intelligi debere de Conuentibus, ad quos data, donatu, seu missa de iure pertinent, si id commodè fieri potest, aliàs Conuentui eiusdem Religionis viciniori loco, vbi petita fuit absolutio, restituantur. Insuper eadem facultate sibi tributa omnes qui hucusque aduersus supradictæ Constitutionis Capitula hic moderata largiti fuerunt, vel receperunt, à pœnis quibuscumque in eadem Constitutione inflictis, & incursis posse, & debere à proprijs Confessarijs absolui in foro conscientiæ, etiam non facta prius huiusmodi rerum donatarum, seu datarum restitutione. Quoad eos verò, qui præter modum prædictum grauiori Religionis detrimenta largiendo, vel recipiendo transgressi sunt, sed ob inopiam restituere nequeunt, eadem Sanctitas concedit maiori Pœnitentiario, vt de præteritis vsque ad diem datæ præsentium in foro conscientiæ absoluat, dispenset, & condonet, seu absolui, dispensari, & condonari mandet, prout in Domino magis expedire iudicauerit.

Constit. Clement. VIII. semel in anno legi mandatur pœna contrafacientibus apposita, & sublata interpretandi facultate.

§. 2. Et ne prædictæ Clementis VIII. Constitutionis memoria dilabatur, Superiores locales cuiuscunque Monasterij, Conuentus, Domus ac Collegij Regularis sub pœna priuationis officij, vocisque actiuæ, & passiuæ ipso iure incurrenda, efficere teneantur, vt in perpetuum singulis annis mense Ianuario, non solum prædicta Constitutio (quam in reliquis eius partibus ea eam Sanctitas, omninò obseruari iubet, & quatenus opus sit innouat, quemcumque prætensum non vsum, aut prætensum vsum, seu prætensam consuetudinem, damnando, & irritando) verùm etiam hoc decretum in aliqua publica Congregatione, vel saltem in publica mensa perlegantur. Omnibus tam Ecclesiasticis, personis etiam Regularibus, quàm Laicis cuiuscumque sint ordinis, conditionis, gradus ac dignitatis, etiam speciali nota dignis, & qui sub generali dispositione non comprehenderentur, prædictam Clementis Constitutionem contra præsentis decreti tenorem declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta, super quibus Sanctissimus mandauit expedire Breue. Datum Romæ die decimaquinta Septembris, 1640.

Prædictam declaratione confirmat, & approbat suppletque defectus.

§. 3. Quæ propter vt præmissa firmiùs subsistant, & inuiolabiliter obseruentur, quantùm cum Domino possumus, prouidere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, declarationem prainsertam cum omnibus, & singulis in ea contentis, tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illisque inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & singulos, tam iuris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet interuenerint, supplemus, illaque inuiolabiliter ab omnibus, ad quos spectat, & spectabit in futurum, obseruari.

Clausula sublata, & decretum irritans.

§. 4. Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & quosvis alios quacumque auctoritate fungentes

fungentes, sublata, eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari & diffiniri debere, ac irritū & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Derogat contrariis.

§. 5. Non obstant. quoad ea, quæ declarationi prædictæ, & præsentibus sunt contraria, vel diuersa, Constitutione fel. rec. Clementis Papæ VIII. prædecessoris Nostri prædicti, ac omnibus illis, quæ idem Clemens in Constitutione huiusmodi voluit non obstare, cæterisque cōtrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariā Maiorē sub Annulo Piscatoris die 26. Octobris 1640. Pontificatus Nostri anno Decimo Octauo.

M. A. Maraldus.

In nomine, & à Natiuitate Domini, Millesimo sexcētesimo quadragesimo, Indictione Octaua, die vero trigesima Mensis Octobris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Vrbani diuina Prouidentia PP. Octaui, anno decimo Octauo, Retroscriptæ literæ publicatæ, & affixæ fuerunt in acie Campi Floræ, & aliis locis publicis, & consuetis per nos Hieronymum Mascellam, & Andream Castruccium eiusdem S. D. N Cursorem.

Ita est Hieronymus Mascella D. N. PP. Cursor Pro D. Magistro.

Ita est Andreas Castruccius S. D. N. PP. Cursor.

CLEMENS EPISCOPVS,

Seruus Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Omnis, & quæcumque munerum largitio omnibus vtriusque sexus religiosis (præterquam militaribus) etiam superioribus, & capitulis prohibita.

REligiosæ Congregationes, ab insigni sanctitate viri, Spiritus Sancti afflatu institutæ, tantas Ecclesiæ Dei vtilitates omni tempore attulerunt, vt ad eas conseruandas, & instaurandas, Romani Pontifices Prædecessores nostri, magnam iure optimo diligentiam semper adhibuerint. Nam cum ea sit rerum humanarum conditio, & natura; vt etiam, quæ aptimè fundata, & constituta sunt partim hominum imbecillitate, & ad malum procliuitate, partim Dæmonis astutia, paulatim deficiant, ac nisi cura peruigili sustententur, in deterius prolabantur; Idcirco Summorum Pontificum vigilantia, magnopere laborauit, vt Regularium Ordinum disciplina, aut saluataribus Constitutionibus communita, integra atque incolumis permaneret Quorum Nos vestigijs pro eodem Officij munere insistere, & Pastoralem illorum sollicitudinem (quantum possumus) diuina adiutrice gratia, cupimus imitari.

§. 1. Quare ne ex muneribus, quæ à pluribus Religiosæ vitæ professoribus, ex Christi patrimonio, quibusuis hominibus quavis ex causa sæpè tribuuntur, grauia incommoda, & mala, etiam boni speciè existant, præ auere studentes, hac nostra perpetuò valitura Constitutione vniuersis, & singulis cuiuscumque Ordinis mendicantium, vel non mendicantium bona immobilia, & redditus certos ex indulto Apostolico possidentium, vel non possidentium, seu cuiusuis Congregationis, Societatis, & instituti (non tamen Militiæ) Regularibus personis vtriuslibet sexus omnē, & quamcumque largitionem, & missionem munerum, penitus interdicimus. Sub qua prohibitione comprehendi volumus omnia & singula Capitula, Conuentus, & Congregationes, tam singulorum Conuentuum, Monasteriorum, Prioratuum, Præposituraru, Præceptoriarum, domorum, & locorum, quàm Prouincialia, aut Generalia cuiuslibet Prouinciæ, siue vniuersi Ordinis, Societatis, aut instituti, eorumque, vel earum Camerarios, Cōmissarios, & quoscumque Officiales, & singulares personas; Ipsos etiam Ordinum, Congregationum, & Societatum huiusmodi Superiores quascumque dignitates obtinentes, etiam Generales, & Prouinciales, Magistros, Ministros, & quocumque nomine Præfectos, necnon Conuentuum, Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum, Præceptoriarum, domorum, & locorum quorumcumque Abbates, Priores, Præpositos, Præceptores, etiam maiores Guardianos, Ministros, Rectores, atque Abbatissas, Priorissas, & alio quovis titulo Præsidentes, tam ipsi Regularibus quàm locorum Ordinarijs, seu quibusuis Superioribus subiectas vtriuslibet sexus ad vitam, vel ad tempus deputatos: adeò, vt nemo vnquam eorum, vel earum directè, vel indirectè palam, vel occultè, tam communi, quam particulari, & proprio nomine etiam sub quovis Statuti, vel consuetudinis, seu veriùs corruptelæ, aut alio prætextu, vel quacumque causa nisi in Generali Capitulo aut alia Generali Congreg. re maturè discussa vnanimi consensu omnium, Superiorumque permissu causa approbata fuerit, quicquam tale attentare valeat.

Ex omnibus omnino bonis; exceptis tamen esculentis, & poculentis, & ad deuotionem pertinentibus munusculis, iisque nomine communi tantum.

§. 2. Id autem ità absolutè, & generatim vetitum intelligatur, vt neque omnino fas sit quicquam donare, tam ex fructibus, redditibus, & prouentibus, collectis vel contributionibus, aut oblationibus, siue eleemosynis, subsidijs certis, vel incertis, ordinarijs, seu extraordinarijs, mensæ, seu massæ communis, vel cuiusuis Fabricæ, & Sacristiæ, quorum bona communiter, vt præfertur, administrantur, seu quæ rationibus reddendis sunt obnoxia, quàm ex pecunijs etiam, quæ à singulis quovis modo acquisitæ in commune conferendæ omnino sunt. Nec si per viam voluntariæ contributionis in commune congerantur. Nec si forsan priuatim, & nominatim cuilibet Religioso à suis Superioribus, vel à proprijs affinibus, propinquis, familiaribus, amicis, aut beneuolis, vel à piis Christi fidelibus, etiam eleemosynæ, aut charitatis, & illius propriæ personæ intuitu attributæ, seu quoquamodo per quemlibet religiosum suo Monasterio, Domui, aut Loco acquisitæ, eique vt ad libitum de eis disponat,

per

per Superiores concessa fuerint: Præterquam leuiora esculenta, aut poculenta, seu ad deuotionem vel Religionē pertinentia munuscula comuni tantum, nūquam vero particulari nomine (vbi Superiori de consensu Conuentus videbitur) tradenda.

Etiā per se, & per alios directè, & indirectè facta.

§. 3. Sed & huiusmodi missiones munerum ipsis Religiosis vtriuslibet sexus non solùm per se verùm etiam per alios, tàm directè, quàm indirectè prohibitas, declaramus.

Facta quibuscunque personis, siue intra ordinē superioribus & non superioribus siue extra ordinē etiam quacunque dignitate fungentibus.

§. 4. Neque verò quispiam ab hac generali prohibitione se excusare valeat, etiam si munera miserit cuius persona Laica, vel Ecclesiastica cuiuscunque status, gradus, dignitatis, ordinis, vel conditionis, & quauis non solùm mundana, & Ducali, Regia, Imperiali, verum etiam Ecclesiastica, & Pontificali, aut alia maiori, etiam S.R.E. Cardinalatus dignitate fulgenti, etiam proprio loci Ordinario, etiam ex causa, & occasione benedictionis, vel susceptionis habitus Regularis, tonsuræ, aut Professionis Monialium, tam sibi subditarum, quàm non subditarum aut ipsi etiam proprio Ordinis, vel Congregationis Protectori, Viceprotectori, Generali, vel Prouinciali, aut cuiusuis Monasterij, Prioratus, domus, aut cuiuslibet ulterius loci Regularis Superiori, aut alio quocumque officio, munere, aut dignitate fungenti, vel cuicumque etiam simplici, & particulari Religioso. Itavt inter ipsos quoque Religiosos (ne prauis ambitione impulsi pro consequendis in sua Religione gradibus, & dignitatibus, alter ulterius gratiam, aut beneuolentiam aucupetur) quacumque largitio, aut donatio munerum (nisi rerum minimarum, de licentia expressa, & in scriptis Superiorum) sit penitus interdicta.

Prohibita etiam omnis pecuniæ erogatio in alterius cuiusque etiam Protectoris honorē quacunque occasione etiam transitus facta. Omnis item sumptus in reb. quibuscum que superuacaneis; & ad Dei cultum, & pauperum indigentias subleuandas non necessarijs.

§. 5. Insuper prohibemus, ne vnquam eisdem Regularibus liceat vllas pecunias quoquomodo erogare in alicuius etiam Benefactoris, aut Protectoris, vel Ordinarij honorem, etiam occasione transitus, vel primi ingressus, aut ad Beneficiorū acceptorum memoriam, gratique animi testificationem, seu pro prædictis personis quavis auctoritate, vel dignitate fungentibus honorificè, lautè, & opiparè excipiendis, seu pro quibusuis conuiuijs eisdem, aut cuivis alteri quacumque occasione vel causa exhibendis vel pro comessationibus, aut compotationibus, quibusvis personis, tam eiusdem Ordinis Congregationis, Monasterij, domus, aut loci, quàm extraneis largiendis, aut pro exhibendis spectaculis, etiam pijs intra Ecclesias Monasteria, & domos sacras, seu pias, vel extra eas, in quibusvis publicis, aut priuatis sacris, aut profanis locis, etiam vbi Sanctorum, & Sanctarum vita, aut respiè gesta, etiam in memoriam Passionis Dominicæ populis spectanda proponuntur, aut aliàs in prædictis, siue in quibusvis rebus superuacaneis ad pompam, & ostentationem aut ad oblectationē, vel paucorum lucrum, & priuata cōmoda quomodolibet pertinentibus, Nisi se ipsa pro diuino cultu, & veris Christi pauperum indigentiis, seruata in hoc charitatis Ordine & habita necessitatis ratione de consilio, & consensu Superiorū subleuandis aut alias in rebus licitis, & per Capitulum Generale aut, Prouinciale non prohibitis, vel Taxam ibi forsan præscriptam non excedentibus sumptus huiusmodi fiant.

Hospitalitas tamen non prohibetur, [illegible]

§. 6. Declarantes tamen per hæc laudabilem, & Apostolica doctrina, sacrisque Canonibus cōmendatam hospitalitatem præsertim erga pauperes & peregrinos, nequaquam imminui aut prohiberi. Quinimo si qui redditus ad id, vel ex fundatione, vel ex institutis, aut consuetudinibus aliquorum Monasteriorum, Ordinum aut regulariū huiusmodi locorum, aut ex testatorum, vel donātium voluntatibus, siue aliàs applicati, aut donati sunt, eos omnino (vt decet) integrè in vsus pios hospitalitatis huiusmodi erogandos esse; & præsertim in Monasterijs seu locis desertis, & ab laicorum ædibus longiùs remotis vbi tamen pauperum, & verè egenorum ratio in primis habeatur.

Ditiores in refectorio, & frugaliter recipiendi.

§. 7. Si quos vero ditiores occasione transitus siue aliàs ex deuotionis, aut necessitatis causa eò diuertere contingerit, eos sanè deceret Refectorio communi cum Religiosis, mensaque & ferculis communibus nequaquam à cæteris distinctis contentos esse. Verùm omnino ipsi regulares in hospitibus huiusmodi potentioribus excipiendis ita se gerant, vt in eis frugalitas, & paupertas religiosa prorsus eluceat.

Nulli prorsus regulari, vel sæculari, quacunque dignitate [illegible] quicquam à religiosis contra prædictam formam recipere.

§. 8. Pari etiam ratione districtè inhibemus, ne quispiam ex prædictis Laicus aliàs, quam vt superius dictum est, vel Clericus sæcularis, vel regularis quocunque honore præeminentia, nobilitate, aut excellentia etiam S.R.E. Cardinalatus dignitate præditus, etiam, Protector, Viceprotector, loci Ordinarius Prælatus, Generalis, Prouincialis, aut Monasterij, Domus, vel loci cuiuslibet superior, eorumvè affines propinqui, familiares, aut Ministri vtriuslibet sexus, quicquam contra hanc superiùs expressam prohibitionem recipiant.

Recipiens in neutro foro nequit absolui ante factam restitutionem.

§. 9. Quod si, vel ab aliquo particulari Religioso, vel à superiore quopiam Generali, Prouinciali, aut alio quocunque officio fungente, aut à Conuentu, Capitulo, vel Congregatione; siue ab vniuerso Ordine, & Religione quicquam receperint; id quod acceperint suum non faciant. Verùm ipso absque aliqua monitione [illegible] decreto, sententia, aut declaratione, ad illius restitutionem omnino in vtroque foro teneantur: adeo vt restitutione ipsa realiter non facta, neque etiā in foro conscientiæ absolui possint.

Quæ fieri [illegible] bonis facta est largitio.

§. 10. Hanc autem restitutionem fieri volumus non priuatim ei Religioso, qui donauit, sed ei Monasterio, Domui, vel alteri loco de cuius bonis facta est largitio, vel si non de eius bonis donatū est, in quo idem Religiosus donans Professionē emisit; vel si nomine totius Capituli, Conuētus, aut Congregationis, vel vniuersi Ordinis, seu Religionis donatio facta extiterit pariter cōmuni

mensæ aut massæ, cuius nomine donatum fuerit, accepta munera restituantur; ita vt nec qui donauit, nec Conuentus, Capitulum, Congregatio, Ordo aut Religio, cui restitutio facienda est, illam remittere & iterum condonare, aut recipientem ab obligatione restituendi eximere, vel vt in Pauperes eroget concedere, quoquomodo possit.

§. 11. *Quod si quis ex supradictis Regularibus vtriuslibet sexus cuiuscunque gradus, ordinis, dignitatis, ac vbilibet locorum existentibus coniunctim, cum cæteris, seu diuisim nostrarum huiusmodi prohibitionum, statutorum, ordinationũ, iussionum, decretorum, mandatorum transgressor fuerit, statuimus, vt omnibus, & singulis per eum obtentis dignitatibus, gradibus, muneribus, & officijs eo ipso priuatus, ac ad illa, & alia similia, vel dissimilia in futurum obtinenda inhabilis perpetuò, & incapax, ac perpetua infamia, & ignominia notatus existat. Et præterea priuationem vocis actiuæ, & passiuæ, absque vllo Superioris decreto, aut ministerio, ipso facto incurrat: necnon, vltra huiusmodi pœnas, etiam tanquam contra furti, & simoniæ criminum reum, tam per viam denuntiationis, accusationis, aut querelæ, quàm etiam ex officio procedi, & inquiri, condignisque supplicijs affici debeat.*

§. 12. *Pœnis alijs à iure statutis, ac per alias Constitutiones Apostolicas, aut propria cuiusvis Ordinis, Congregationis, Monasterij, Domus aut loci statuta, vel consuetudines contra personas aliquid præmissorum committentes, forsan decretis, & inflictis, nihilominus in suo robore permansuris.*

§. 13. *Quocirca vniuersis, & singulis modernis, & pro tempore existentibus locorum Ordinarijs, eorumque Vicarijs, & Officialibus necnon quorumcumque Ordinum, Prioratuum, Monasteriorum, & Domorum Superioribus, etiam Generalibus, seu Prouincialibus, cæterisque ad quos spectat, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi & eorum singuli, quantum ad eos pertinet, curent omni studio, diligentia, auctoritate, & vigilantia præsentem Constitutionem firmiter, & inuiolatè obseruari, & contra inobedientes, vel transgressores condignis pœnis animaduerti. Eosdem inobedientes, necnon contradictores quoslibet, & rebelles per opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, inuocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachij sæcularis.*

§. 14. *Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis dictorumque Monasteriorum, Prioratuum, Domorum, Locorum necnon Ordinum Congregationum, Collegiorum, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis quorumcumque tenorum existent. per quæ præsentibus non expressa vel ad verbum non inserta, effectus præsentis nostræ Constitutionis impediri quomodolibet valeat, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis. Quæ omnia quatenus præmissis in aliquo aduersentur, prorsus tollimus, & abrogamus cæterisque contrarijs quibuscumque.*

§. 15. *Volumus autem, vt præsentes literæ in Valuis S. Io Lateranen. & Principis Apostolorum de Vrbe Basilicarum, & in Acie Campi Floræ publicentur, affixis inibi earum exemplis & dimissis. Quodque earum exempla, seu illarum compendia in libris quorumcumque Statutorum prædictorum Monasteriorum, Prioratuum, Collegiorum, Domorum, Ordinum, & Congregationum (quo ad Moniales, in vernaculum, & vulgarem cuiusque Regionis sermonem versa) & à loci Ordinario, qui id quamprimum fieri curet, subscripta inserantur. & saltem quotannis in Capitulis, siue Congregationibus cuiusque earum alta, & intelligibili voce legantur. Et nihilominus post sexaginta dies à die publicationis (vt præfertur) in Rom. Curia facienda, vnumquemque citra montes, vltra montes verò post quatuor menses, perinde arctent, & afficiant, ac si cuique personaliter intimatæ, & per eos iuratæ fuissent.*

§. 16. *Quodque earum transumptis etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra illud vbique adhibeatur, quæ adhiberetur eisdẽ præsentibus, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum interdicti, prohibitionis, declarationis, inhibitionis, statuti, mandati, sublationis, abrogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo nonagesimo quarto, Tertiodecimo Kal. Iulij, Pontificatus nostri anno III.*

L. Card. Prodat.

M. Vestrius Barbianus.

A. de Alexiis.

Registrata apud Macellum Secretarium.

In nomine, & à Natiuitate Domini, Millesimo quingentesimo nonagesimo quarto. Indict. 7. die vero secunda Mensis Iulij, Pontif. Sanctis. in Christo Patris, & D. N. D. Clementis diuina Prouidentia Papæ VIII. Anno Tertio. Retroscriptæ literæ publicatæ, & affixæ fuerunt in Acie Campi Floræ, & aliis locis publicis, & consuetis per nos Prosperum Spada, & Franc. de Bonis eiusdem S. D. N Curs. Ita Franc. de Bonis, S. D. N. PP. Curs. Gabriel Sauarellus Cursorum Magister.

CONSTI-

CONSTITVTIO XXXI.

Quâ prohibet omnibus sub pæna excommunicationis latæ sententiæ sumptionem Tabacchi in Ecclesijs, earumque atrijs, & ambitu Ciuitatis & Diœcesis Hispalensis.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium. *CVM Ecclesiæ Diuino cultui dicatæ Domus sint orationis, easque propterea omnis sanctitudo deceat, merito Nos quibus cunctarum per Orbem vniuersum Ecclesiarum cura à Deo commissa est, aduigilare conuenit, vt ab eisdem Ecclesiis quicunque actus profani, & indecentes procul arceantur.*

Motiua. *§.1. Itaque cum sicuti pro parte dilectorum filiorum Decani & Capituli Ecclesiæ Metropolitanæ Hispalen. Nobis nuper expositum fuit, prauus in illis partibus sumendi ore, vel naribus Tabacum vulgò nuncupatum vsus adeo inualuerit, vt vtriusque sexus personæ, ac etiam Sacerdotes, & Clerici, tam sæculares, quam regulares clericalis honestatis immemores, illud passim in Ciuitatis & Diœcesis Hispalen. Ecclesiis, ac quod referre pudet, etiam sacrosanctum Missæ sacrificium celebrando sumere, linteaque sacra sedis quæ Tabachum huiusmodi proiicis excrementis conspurcare, Ecclesiasque prædictas tetro odore inficere magno cum proborum scandalo, rerumque sacrarum irreuerentia non reformident.*

Excommunicat contrarium facientes. *§.2. Hinc est quod Nos, vt abusus tam scandalosus ab Ecclesijs huiusmodi prorsus eliminetur, pro pastorali nostra sollicitudine prouidere, ac Decanum, & Capitulum præfatos specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis; si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentiũ duntaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes supplicationibus ipsorum Decani, & Capituli Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & singulis vtriusque sexus personis, tam sæcularibus, quam Ecclesiasticis, etiã cuiusvis Ordinis, Instituti, ac Militiarum etiam hospitalis S. Ioannis Hierosolimitani regularibus quomodolibet qualificatis, & quantumlibet priuilegiatis, & exemptis etiam speciali nota, & expressione dignis, ne de cætero in quibusvis Ciuitatis, & Diœcesis prædictarum Ecclesijs, earumq; atrijs, & ambitu Tabacum, siue solidum, siue in frusta concisum, aut in puluerem redactum, ore, vel naribus, aut fumo per tubulos, & aliàs quomodolibet sumere audeant vel præsumant sub excommunicationis latæ sententiæ eo ipso absque aliqua declaratione per contrafacientes incurrenda pœna, auctoritate Apostolica tenore præsentium interdicimus, & prohibemus.*

Mandat publicari, & pœnas contra rebelles infligit. *§.3. Quo circa Venerabili Fratri Archiepiscopo Damiaten. moderno, & pro tempore existenti nostro, & Apostolicæ Sedis in Regnis Hispaniarum Nuntio per præsentes committimus & mandamus, quatenus per se vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcunque, vbi, & quando opus fuerit solemniter publicare faciat illas, & in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat inuiolabiliter obseruari; cõtradictores quoslibet & rebelles, ac prohibition huiusmodi non parentes per censuras & pœnas Ecclesiasticas, aliaque iuris & facti remedia appellatione postposita cõpescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachij sæcularis.*

Derogat contrarijs. *§. 4. Non obstantibus fœlicis recordationis Bonifacij Papæ Octaui Prædecessoris nostri de vna, & in consilio generali edita, de duabus dietis, dummoda vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium in iudicium non trahatur, alijsque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis etiam Conciliaribus, necnon ecclesiarum prædictarum ac quorumvis ordinum, congregationum, & institutorum regularium, ac militiarum etiã Hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, etiã iuramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, vsibus, & naturis, ac ordinationibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissarum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis illorũ tenores præsẽtibus pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque.*

Transumptis fidem adhiberi iubet. *§ 5. Aut si aliquibus vel alicui coniunctim, vel diuisim sit ab eadem Sede indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per literas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; Volumus autem, vt præsentium transumptis etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadẽ prorsus adhibeatur fides, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 30. Ianuarij 1613. Pontif. nostri anno Decimanono.*

M.A Maraldus.

Loco ✝ Annuli Piscatoris.

DECRETA
SACRÆ CONGREGATIONIS
Eminentissimorum Cardinalium.

DECRETVM PRIMVM
Sacræ Congregationis Concilij Tridentini.

Incorrigibiles intra annum è carceribus fugientes, ob fugam puniendi, & carceribus detinendi. Nec Comissi impediti Procuratorem valeant constituere.

Eminentiss. è Reuerendiss. Signori.

IL Generale de Minimi Espone all'Eminenze Vostre come hauendo nelle sue visite ritrouato alcuni Frati incorrigibili, & hauendone per vltimo rimedio conforme à li ordini di N. Sig. è dell'Eminenze Vostre condannato alcuni ad vn'anno di Carcere formale, frà il detto anno se ne sogliono fuggire, è vanno vagando.

Supplica perciò l'Eminenze Vostre si deguino dichiarare se in questo caso questi tali si possano dichiarare, & cacciare dal Gremio della sua Religione come incorrigibili.

In oltre se secondo li Sacri Canoni, & alcune dichiarationi di cotesta Sacra Congregatione, le quali si sono viste, gl'elettori possano constituire vn Procuratore de Corpore Capituli cum generali mandato ad eligendum.

Il che si osserua nella detta Religione de Minimi quanto alli Superiori, li quali quando sono impediti mandano vn Vicario, etiam non de corpore Capituli, il che è stato approuato da cotesta Sacra Congregatione.

In quanto poi alli Commissi, è Discreti non si è mai posto in essecutione, ma quando sono impediti si scusano, è restano, però non vi è Regola, ne Constitutione, che prohibisca farlo, ma solo non si fà, perche non vi è vso. E però l'Oratore supplica l'Eminenze Vostre restino seruire dichiarare se possono li detti Commissi, è Discreti non ostante questo non vso constituire Procuratore come sopra, che il tutto, &c.

Nullus è Religione eijci potest, nisi post annum integrũ carceris, etiã si intra dictum annum è carcere fugiat.

Die 13. Nouembris 1632. Sacra Congr. Cardinalium Concilij Trid. Interpretum. Ad primum Respondit legitimè professos non posse è Religione eijci, nisi postquam per annum integrum in carceribus, in ieiunio, & pœnitentia detenti, & probati fuerint, & eo lapso non resipuerint, sed animo indurato in sua peruicacia perseuerauerint. Fugientes verò vt supra è carceribus etiam pro huiusmodi fugæ delicto esse puniendos, & posse ferrea custodia in carceribus detineri. Ad secũdum Discretos, & Commissos legitimè impeditos non posse constituere Vicarium, vel Procuratorem cum generali Mandato ad eligendum, nisi ex institutis, & decretis suæ Religionis, hoc eis sit permissum.

Commissi, ue Discreti legitimè impediti non possunt constituere Procuratorẽ cũ generali mãdato.

Robertus Cardinalis Vbaldinus.

Fr. Paulutius S. Congreg. Concilij Sec.

§.

Pro Primo Sacræ Congregationis responso vide *constitutionem X. Vrbani VIII. tom. 2. §. 4. p. 290. col. 2.* pro 2. vide acta Capituli 3. Barchin. *sess. 1. in fine, & sess. 5. num. 12.* & Passarel. *in scholys ex cap. Aucnionen. de elect. ad* 13. *pag.* 140.

DECRETVM II.
Sacræ Congregationis Concilij Tridentini.

Generalis Minimorum Romæ pro eijciendis incorrigibilibus vltra tres Collegas, loco Prouincialis, & duorum huius antiquiorum Collegarum, potest assumere Zelosum, ac Superiorem, & primum Seniorem Conuentus.

Eminentiss. & Reuerendissimi DD.

COrrector Generalis Ordinis Minimorum exponit humillimè V V. E E qualiter iuxta decretum istius S. Cong. 21. Septemb anno 1624. ex speciali facultate Sanctissimi emanatum, quo cauetur, Religiosos incorrigibiles à Generali tantum de consilio & assensu sex Patrum ex grauioribus religionis in singulis Capitulis Generalibus eligendis, eijci posse, nuper in Capitulo Generali eiusdem Ordinis Massiliæ anno 1635. celebratu, & ab eodem Sanctissimo excerta scientia confirmato, ad eum finem, vltrà Generalem deputati sint tres eius Collegæ P. Prouincialis, & duo ipsius antiquiores Collegę eiusdem Prouinciæ, in qua ferenda est sententia. Cũ autem sæpè contingat Generalem adesse Romæ, vbi Religio Minimorum, nec Prouinciam, nec Prouincialem habet, sed Conuentus Generali duntaxat immediatè subiectos, ideò supplicat E E. V V. quatenus si sic ipsis expedire visum fuerit, decernere, seu declarare benignè dignentur, vt in supradicto casu vltra tres suos Collegas possit ad id, loco Prouincialis, & duorum eius antiquiorum Collegarum assumere Superiorem illius Conuentus Romani, in quo ferenda erit sententia, Zelosum,

seu

seu Procuratorem Generalem Ordinis, & primum Seniorem, siue Socium prædicti Superioris, vt Deus, &c.

Generalis Minimorum Romæ cum tribus suis Collegis, Zelosio, Superiore Conuentus Romani socio eius seniori potest incor. rigibiles eijcere.

Die 19. Iunij 1638. S. Congregatio EE. Cardinalium Concilij Tridentini interpretum, attentis narratis benignè annuit petitioni Correctoris Generalis, vt si vetè non adsit aliqua Prouincia Romana, & Conuentus vrbis eidem Correctori Generali tantummodò immediatè subiecti existant, possit vltra tres suos Collegas loco Prouincialis, & duorum eius antiquorum Collegarum sibi assumere Procuratorem Generalem Ordinis, necnon Superiorem Conuentus Romani, eiusque Socium Seniorem.

I.B. Cardinalis Pamphilius.

Franciscus Paulutius S. Cong. Sec.

DECRETVM III.

Sacræ Congregationis Regularium.

Quo concedit facultatem Correctori Generali Ordinis Minimorum dispensandi super statuto eiusdem Ordinis Massiliæ celebrato 1635. ad ordinem Presbyteratus suscipiendum cum illis Clericis tantum, qui triennium in studijs absoluerint.

Eminentiss. & Reuerendissimi D D.

IN Capitulo Generali Ordinis Minimorum Massiliæ anno 1635. celebrato, & à Sanctissimo toto inserto tenore anno 1636. confirmato, statutum est, quod Clerici assignati in Studentes ad Ordinē Presbyteratus nullo modo mittantur antequam sex annos in studijs consumpserint. Verum cum plures Ordines Prouinciæ ob inopiam, & Missarum onera præfatum statutum inobseruatum expetiantur, dictique Ordinis Zelosus supplicat humillimè VV. EE. quatenus concedere benignè dignentur, vt liceat eiusdem Ordinis Correctori Generali, vbi, & quoties ob prædictas causas expedire iudicauerit super eodem statuto dispensare cum ijs studentibus, qui in ætate ad Sacerdotium requisita sunt, vel pro tempore fuerint constituti, etiam si dictum sexennium minimè compleuerint. Vt Deus, &c.

Domino Falconerio Ord. Vice-Protect. pro informatione.

Attenta Monasteriorum paupertate, ob quam non possunt Fratres oneribus Missarum satisfacere, posset si ita S. Congregationi videbitur opportunū concedi ipsi Correctori Generali facultas dispensādi cum illis tantum, qui triennium in studiis absoluerint.

L. Archiepisc. Thebarum.

Generalis Minimorum potest cū ijs qui triennium in studijs absoluerint dispensare vt ordine presbyteratus initientur.

Sacra Congregatio Cardinalium Negotiis Episcoporum & Regularium præposita attentis narratis censuit Correctori Generali Ordinis prædicti concedendum esse, prout præsentis decreti virtute concedit, vt vbi, & quoties ex prænarratis causis pro sua conscientia ita expedire iudicauerit super dicto statuto cum ijs tantum Clericis studentibus dispēsare valeat, qui iuxta votum præfati Archiepiscopi Thebani Vice-Protectoris triennium in studiis absoluerint, dummodo tamen in eis cætera requisita concurrant ad præscriptum Sacri Concilij Tridentini, & Ordinis prædicti constitutionum. Romæ die 10. Decembris 1638.

F. Antonius Cardinalis S. Honufr.

Cælat Facbenetus Secr.

DECRETVM IV.

Sacræ Congregationis Regularium.

Quod nouus Conuentus Rhegij Fratrum Reformatorum de Obseruantia Sancti Francisci ad formam hospitij reducatur. Prout infrà; videlicet.

IN controuersia nuper exorta in Ciuitate Rhegien. inter Fratres reformatos de Obseruantia Sancti Francisci ex vna, & Fratribus Ordinis Minimorum partibus ex altera, super noua erectione Conuentus, quam prædicti Patres de Obseruantia, sub prætextu construendi locum pro curandis infirmis, facere intendebant solita inibi exercitia, & functiones, quæ in Conuentibus formalibus explentur in maximum cœterorum Regularium præiudicium exercentes.

Locus pro curandis infirmis à Patribus de obseruantia cōstructus, & ab ijs in Conuentum formalem redactus in præiudicium aliorum Regularium ad hospitiū iterum reduci mandatur.

Sacra Congregatio Cardinalium Negotijs Regularium præposita facti serie à Vicario Capitulari eiusdem Ciuitatis edocta, auditis partibus, & negotio ad relationem Eminentissimi Bichij maturè discusso, censuit locum prædictum, à Fratribus de Obseruantia, vt suprà extructum reducendum fore, & esse ad formam hospitii, ita vt in eo non nisi Fratres infirmi, & conualescentes, & qui pro eorum seruitio tantum sunt verè necessarij, permanere, nec vllas in eo functiones, aut exercitia peragere possint, & valeant, quam quæ in simplici hospitio expleri solent, atque ad exequendum, & iugiter obseruandum per Ordinarium Rhegien. pœnis, & censuris Ecclesiasticis sibi bene visis compelli posse, & debere contrarijs quibuscunque non obstantibus. Romæ die 14. Iunij 1641.

Fr. Ant. Card. S. Honuph.

L. Archiepisc. Theb. Secret.

DECRETVM V.

Sacræ Congregationis Concilij Tridentini.

De potestate Episcopi circa clausuram Monialium.

Die 26. Iunij 1627.

IN vna Viterbin. quæsitum fuit, An Episcopus ob clausuram custodiendam, etiam in Monasteriis Regularibus subiectis possit excômunicationis latæ sententiæ pœnam sibi reseruatæ, imponere, circa aperitionem ostij clausuræ extra casus indigentiæ, necnon circa accessus, & colloquia cum Monialibus dictaque excommunicatio liget nedum Regulares accedentes, verum etiam Moniales, facta de illis mentione, adeò vt Superior Regularis ab huiusmodi excômunicatione absoluere nequeat

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum respondit, Episcopum posse.

F. Card. Verospius.

Franciscus Paulutius S. C. C. Secr.

§.

Vide Additamen. *cap. 11. ad constitutionem Gregorij XV. num. 1. pag. 368. col. 1.*

DECRETVM VI.

Sacræ Congregationis Rituum.

Quo statuit modum seruandum in recipiẽdis Informationibus pro causis Beatificationũ & Canonizationum seruorũ Dei.

Prohibetur omnibus ne informationes super sanctite alicuius defuncti capere præsumant.

CVm in tota Ecclesiæ gubernatione nihil maius, nihil sit augustius Beatificatione, & Canonizatione Sanctorum, vt petè homines iam demortuos etiam cum fama sanctitatis, & miraculorũ declarare pro sanctis, eosque vti tales colendos, & venerandos decernere,

Is vero cui miraculum aliquod narrabitur sub sigillo secreti recipiat, & secreto ad Episcopũ loci transmittat.

Sacra Rituum Congregatio, vt res hæc planè amplissima, atque grauissima ritè, sanctèque conficiatur, prohibet omnibus; & singulis personis Ecclesiasticis tam sæcularibus, quam Regularibus, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, Societatis Iesu, vel aliorum quamtumvis speciali nota dignorum, ne audeant ipsi per se, aut per alios capere Informationes super sanctitate, aut miraculis alicuius defuncti, neque vllo modo exquirere, atque obtinere ad hunc effectum extraiudiciales testificationes, aut subscriptiones, sub pœnis arbitrio Sacr. Congregationis infligendis. Quod si Superiori Sacristæ seu alteri officiali illius Ecclesiæ, in qua requiescit corpus ipsiusmet defuncti, vel alterius etiam Ecclesiæ, fuerint reuelata aliqua miracula, siue prophetiæ dona, possint ea recipere sub sigillo secreti ab ipsis tantum relatoribus, in quorum gratiam contigisse narrabitur; teneantur tamen quam primum commodè poterunt eadem deferre, vel obsignata transmittere Episcopo loci, cum expressa declaratione, quod reuelationes sic, vt supra receptæ non faciant aliquem probationis gradum etiam cuiusvis longissimi temporis cursu.

Quod decretum cum fuerit ad notitiam S. D. N. Vrbani Papæ deductum, Sanctitas sua illud approbauit, ac imprimi, & vbique publicari mandauit Die 12. Martij 1631.

E. Episcopus Portuen. Card. Pius.

T. Tegrimius Episc. Assisien. Secr.

Die, & anno supradicto affixum, & publicatum fuit supradictum decretum ad Valuas Curiæ ac in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis & consuetis, vt moris est, per me Andream Sealmanum S. D. N. Papæ Cursorem.

§

Vide quæ dicuntur *ad Constitutionem tertiam Leonis X. T. 1. p. 111. & col. 1. & Constitutionem 10. Vrbani VIII.* ex nouissimè additis. *p. 420. c. 1.*

DECRETVM VII.

S. Congreg. Concilij Tridentin

Circa declarationes eiusdem S. Congreg.

Declarationibus S. Cõgregationis solito sigillo & subscriptione E. Cardinalis Præfecti, & Secretarij eiusde Congregationis non munitis nulla fides habenda.

CVm Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum sæpius, & nouissimè sub die 29 Aprilis 1621. inhærendo Constitutioni fel. recor. Pij Quarti, quæ incipit *Benedictus Deus, &c.* decreuerit Indici librorum prohibitorum addendas esse omnes, & quascumque declarationes, interpretationes, seu decisiones sub nomine eiusdem Congregationis Concilij absque illius auctoritate impressas, & imprimendas; cumque ad illius notitiam peruenerit, quamplures ex declarationibus, interpretationibus, seu decisionibus iuxta contingentiam casuum illorumque qualitatis, & circunstantias à se diuersis temporibus factis secundum ea, quæ proponebantur fuisse alteratas, immutatas, diminutas, ac forsan aliàs mentito Sacræ Cõgregationis nomine confictas, nullaque propterea authentico sigillo munitas, istasque per Tribunalia tam in Vrbe quàm per Orbem circumferri & imprimi, considerantque quantum detrimenti recipi possit, si aliqua fides illis adhiberetur Ex speciali sanctissimi Domini Nostri Vrbani diuina prouidentia Papæ VIII. iussu mandat, & præcipit huiusmodi declarationibus, tam impressis, & imprimendis, quam manuscriptis nullam fidem esse in iudicio, vel à quoquam adhiberdam, sed tantum illis quæ in authentica forma solito sigillo, & subscriptione Eminentissimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarij eiusdem Congregationis pro tempore existentium munitæ fuerint. In quorum fidem hæc propria manu subscripsimus, & sigilli nostri impressione communiri, ac typis mandari iussimus. Datum Romæ *die 2. Augusti* 1631.

R. Card. Vbaldinus.

Franciscus Paulutius S. Cong. C. Secr.

§

Facit ad ea, quæ de huiusmodi declarationibus traduntur *tom. 1. de subdito quæst. 1. cap. 25 ad finem.*

DECRETVM VIII.

Sacræ Congrègationis Rituum.

Pro Canonicis Regularibus Lateranensibus solemniter in Pontificali cum Baldachino celebrantibus.

Prælatis Cõgregationis Canonicorũ Lateranensi

REferente Eminentissimo & Reuerendissimo Dom. Cardinali Cæsarino petitionem Reuerend. P. D. Marci Antonij Gentilis de Bononia Abbatis

In tribus ad summum Festiuitatib. anni concedi posse vti Baldachino, & certo numero ministrorum, non tamen Sedem Abbatialem instar Episcoporũ propè altare permanentẽ tenere.

Abbatis Monasterij B. Mariæ de Pace, & totius Congregationis Canonicorum Regularium Lateranensium Procuratoris Generalis circa vsum Baldachini pro Prælatis suæ Congregationis habentibus vsum Mitræ & baculi, quando solemniter celebrant in eorum propriis Ecclesiis: Sacra Rituum Congregatio censuit licere Prælaris Congregationis Canonicorum Regularium Lateranensium habentibus vsum Mitræ, & baculi, quando solemniter celebrantur vti Pontificalibus cum Baldachino & numero Ministrorum inseruientium hoc modo, & forma: Vt in tribus ad summum anni Festiuitatibus in posterum solemniter celebrare possint in Pontificalibus, cum Baldachino, sine auto tamen & pompa, nec alios possint habere Ministros sacris Indumentis paratos, quam duos Diaconos, & Presbyterum assistentes, vltra Diaconum, & Subdiaconum pro cantandis Euangelio, & Epistola; ac sex alios Canonicos propriæ Congregationis, nempe duos cum Pluuialibus, duos cum Planetis, & duos cum Tunicellis coloris tempori conuenientis: Item quòd non possint ijdem Prælati vllo modo tenere Sedem Aabatialem fixam & permanentem prope Altare, vt Sedes Episcopalis retineri solet; Minusq; liceat dictis sex Canonicis vt supra paratis sedere in sedibus Choralibus, vt sæcularium Canonicorum mos est, sed sedes pro Prælatis solemniter celebrantibus retineantur in Ecclesia, ijs tantummodo diebus quibus ipsi Prælati solemniter celebrant; Dictique sex Canonici, vt supra parati, sedere debeant loco congruo, iuxta Ecclesiarum consuetudinem situm super scabellis ad hunc effectum tunc appositis, panno laneo cooperis. *Die 15. Ian. 1633.*

C. Episcopus Portuen. Card Pius.

Iulius Rospigliosius Secr.

DECRETVM IX.

Sacræ Congregationis Rituum.

Toletana de Baraxas.

Circa Sepulturam in Ecclesiis Regularium.

QVæsitum fuit, an Rectores Parochialium Ecclesiarum loci de Baraxas, habeant, aut prætendere possint ius sepeliendi cadauera Defunctorum in Ecclesiis Conuentus Conceptionis dicti loci, absque vlla desuper licentia Superioris Conuentus.

TOLETANA.

Sepelire cadauera, & facere officia in Ecclesiis Regularium absque expressa licẽtia Superioris earum Rectoribus & Curatis non licet.

Sacra Rituum Congregatio in casu proposito respondit, Non licere Curatis sepelire Cadauera Defunctorum, nec officia facere in Ecclesijs Regularium absque expressa licentia Guardiani, aut Superioris Ecclesiarum ipsorum Regularium, non obstante contraria consuetudine. Die 19. Iulij 1636.

C. Episcopus Portuen. Card. Pius.

Cæsar Fachenettus Secret.

§.

Vide *Additament. c. 3. ad Constitut. Iulij 2. n. 19. pag. 320. col. 2.* Item Decretum sequens.

DECRETVM X.

Sacræ Congregationis Rituum.

Pro Sepultura defunctorum.

Eminentiss. & Reuerendiss. Domini.

REgulares Terræ Moleticæ Camerinen. Diœc. proponunt Eminentijs vestris infrascripta dubia, eaque petunt humiliter declarari.

1. An possint hæredes defunctorum vocare numerum Religiosorum sibi bene visum, in deferendis cadaueribus ad Ecclesias.

2. An cadauera efferri, seu tolli possint ab alijs etiam Regularibus, & quibuscunque non vocato, nec expectato Parocho, nisi ipse Parochus aliud permiserit, vel adesse recusauerit.

3. An cadauera quotiescunque ad Ecclesias Fratrum Mendicantium, aliorumque Regularium officia mortuorum, & reliqua munia, quæ in huiusmodi ministeria adhiberi solent, fieri debeant à Canonicis & Clero, vel ab ipsismet Regularibus ipsius Ecclesiæ, vbi cadauer sepelitur.

4. An Crux Parochialis deferri etiam debeat, quando cadauer defertur ad Ecclesiam Regularium attenta consuetudine, & semper delata fuit tantum vna Crux illius Ecclesiæ, ad quam corpora fuerint delata.

Numerum Religiosorũ sibi bene visum in deferendis cadaueribus vocare licitum est hæredibus defunctorum.

CAMERINENSIS.

Cadauera efferre non vocato, aut non expectato Parocho, nisi is permittat, vel recuset adesse omnibus interdicitur.

Ab ipsis Regularibus, nõ à Canonicis alijsve officia super cadaueribus peragi debẽt.

Vbi vnica tantum crux deferri solet in cadaueribus efferendis, deferẽda est tantum crux Ecclesiæ, ad quam corpus defertur.

Sacra Rituum Congregatio supradictis dubijs sic respondendum censuit: ad primum posse hæredes Defunctorum vocare numerum Religiosorum sibi bene visum: Ad secundum negatiuè: Ad tertium, Non à Canonicis, nec alijs, sed ab ipsismet Regularibus in proprijs eorum Ecclesiis officia super cadaueribus peragi debere: Ad quartum Vnicam tantum Crucem in cadaueribus efferendis esse deferendam, & illam esse debere illius Ecclesiæ, ad quam Corpus defuncti defertur. *Die 21. Nouembris 1637.*

C. Episcopus Portuen. Card. Pius.

C. Fachenetus Sec.

DECRETVM XI.

Sacræ Congregation. Apostolicæ Visitationis.

Contra Religiosos, & Ecclesiasticos quoscunque quæstuosas artes in Vrbe, eiusque districtu exercentes pro sæcularibus.

CVm non deceat eos, qui diuino ministerio adscripti sunt in sæcularibus negotijs nimiũ esse implicatos quæstuosas artes exercendo Sacra Congregatio Apostolicæ Visitationis ad tollendos varios abusus, qui in diuersis Vrbis, eiusque districtus Monasteriis irrepserunt, dum ijdem Religiosi per se, vel à Communitatibus, aut alijs sæcularibus requisiti diuersas mechanicas, seu venales artes exercere student, quod omninò ab Ecclesiastica disciplina alienum esse debet, cùm præsertim

tim in graue hoc artium, & pauperum Artificum, eorumque familiarum in Vrbe, eiusque districtu existentium præiudicium cedat.

Religiosis, & Ecclesiasticis quibuscunque Romæ, & in districtu vrbis, vllam artem mechanicam, præterquam pro ipsorũ vsib. exercere, Pharmacaj item, & alia quævis opificia absque licentia vendere prohibetur.

Statuit, decreuit, atque inhibendo mandauit omnibus, tam superioribus quorumcumque Ordinum, vel Congregationum, Monasteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum Regularium in Vrbe, eiusque districtu existentium; quam particularibus Religiosis, & Ecclesiasticis quibuscumque, imposterum, siue Religionis nomine, siue particulari audeant, & præsumant per se, vel alios exercere in suis Conuentibus, aut alibi in quocumque loco vllam venalem artem, siue Aromatariam, Pistoriam, Lanificium textrinum, aut aliam quamlibet præterquàm pro suis Religiosorum, aut Alumnorum vsibus, nec vllo modo sæcularibus, aut aliis Religiosis, & Ecclesiasticis, pharmaca, panem, carnes aut alia quælibet opificia quomodocumque elaborata, & ornata vendere etiam prætextu amicitiæ, & familiaritatis, absque speciali licentia in scriptis obtinenda etiam ab iis Religiosis, quibus ex particulari suæ Religionis instituto id aliàs liceret.

Pœna contrafacientibus apponitur.

Si quis verò ipsorum aliquid contra hoc decretum quoquomodo facere, vel moliri præsumpserit, ipso facto pœnam suspensionis à diuinis, priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisque actiuæ ac passiuæ absque alia declaratione incurrat.

Et nihilominus contra eos Generalis Thesaurarius procedat tanquam contra illicitos negociatores, confiscando omnia lucra, & capitale, ac ad dictas artes, & opificia spectantia.

Non obstantibus quoad suprascripta omnia & singula in præsenti decreto contenta, Cõstitutionibus & ordinationibus Apostolicis in fauorem quarumcumque personarum, atque Ordinum, siue Congregationis Casinensis, Fratrum Prædicatorum, Societatis Iesu, Minimorum, aut aliorum quorumcumque, tam Mendicantium, quam non Mendicãtium, Congregationum, Societatum, ac cuiuslibet alterius instituti, etiam necessariò, ac in indiuiduo exprimẽdi Ecclesiarum, Monasteriorum, Conuentuum, Collegiorum, & aliorum quorumcumque Regularium locorum, necnon illorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia toboratis statutis, & consuetudinibus, etiã immemorabilibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, quibus quoad ea, quæ præsentibus aduersantur illis aliàs in suo robore permansuris, Sacra Congregatio Sanctitatis suæ auctoritate specialiter, & expressè derogat, cæterisque contrariis quibuscumque.

Et ne præmissorum ignorantia à quoquam prætendi possit, voluit eadem Sacra congregatio, vt præsentes ordinationes in Valuis Basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie campi Floræ, vt moris est affixæ, omnes ad quos pertinet ita arctent, & afficiant, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent. Vtquè earundem præsentium transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ *die* 29. *Augusti* 1637.

I. B. Episc. Cam. Vicesg. & Secret.

Odoardus Tibaldescus eiusdem Visitationis Apostolicæ Not.

Die, & Anno supradictis affixum, & publicatum fuit supradictum decretum ad Valuas Cam. Apost. & in acie Campi Floræ, & aliis locis solitis, & consuetis, vt mos est, per me Petrum Paulum Desiderium Apost. Cursorem.

DECRETVM XII.

Sacræ Congregat. Regularium.

Super forma ab ordinariis locorum obseruanda in procedendo contra Religiosos B. Io. Dei; si quando aliquis intra Claustra degens, extra ea ita notoriè delinquat, vt populo scandalo sit.

Fratres B. Io. Dei habendi pro veris Religiosis, & eos extra claustra delinquẽtes solũ iuxta formã Decreti Clem. VIII. Ordinariis punire licet.

SAcra Congregatio Cardinalium negotiis Regularium præposita censuit, Fratres Religionis B. Ioannis Dei habendos esse pro veris Religiosis: proindeque locorum Ordinarios, volentes procedere contra aliquem illorum intra claustra degentem, & extra ea ita notoriè delinquentem vt populo scãdalo sit, teneri obseruare formam Decreti San. mem. Clem. VIII. hac date editi; provt eadem S. Congregatio tenore præsentium mandat inuiolabiliter obseruari. Romæ die 2. Octobris 1637.

F. Antonius Cardinalis S. Honuphrij.

C. Fachenetus Sec.

§.

Decretum Clementis VIII. de quo hic fit mentio habetur in notis ad Constitutionem Secundam Sixti IV. 68. *tom.* 1. *pag.* 24. *col.* 2. Vide quæ dicuntur ibi *à num.* 61. *ad* 70. *inclusiuè.* Et in additamentis ad Constitutionem Sixti IV. *c.* 2. *à num.* 30. *ad* 32. *pag.* 316. *col.* 1.

DECRETVM XIII.

Sacræ Congregationis Sanctæ Inquisitionis.

De tempore legendi Constitutionem Vrbani VIII. circa publicationem decretorũ ad S. Officium spectantium. Feria V. die Vndecima Februarij 1638.

Tempus legendi Constitut. Apostolic. determinatur pro feria 6. post festum Assumptionis extendit ad totum residuum mensis Augusti.

IN Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico apud S. Petrum coram Sanctissimo D. Nostro D. Vrbano Diuina prouidentia Papa VIII. ac Eminentissim. & Reuerendiss. Dominis S.R.E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam prauitatem Inquisitoribus generalibus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Lecto memoriali Procuratoris generalis Canonicorum Regularium Lateranensiũ petentium extensionem diei præfixi in Constitutione Sanctissimi emanata anno 1633. circa publicationem faciẽdam Constitutionum Apostolicarum & Decretorum ad S. Officium spectantium Sanctissimus tẽpus in dicta Constitutione determinatum pro feria sexta post festum Assumptionis Sanctissimæ Virginis extendit per totum residuum mensis Augusti, quam gratiam omnibus Regularibus suffragari voluit.

Io. Anton. Tomasius Sanctæ Rom. & Vniuersalis Inquisitionis Not.

§. Constitutio

§.

Constitutio de qua hic, est Constitutio X I I I. aliàs XXIII. eiusdem Sanctissimi *in Additamentis cap. 12. pag. 392. col. 1.*

DECRETVM XIV.

Sacræ Congregationis Regularium.

De tempore legendi Constitutionem de celebratione Missarum.

Constitutio de celebratione Missarum legi potest ipsa die in Constitutione præscripta, vel infra terminũ decem dierũ immediatè sequentium.

PRocurator Generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini supplicauerat à S. Congregatione benignè condonari pœnas ijs Superioribus, qui die præfixo lectioni Constitutionis Sanctissimi de celebratione Missarum per obliuionem, vel inaduertentiam legi non fecissent; & simul prorogari terminũ præfixum dictæ lectioni: & S. Congregatio respondit, vt infrà.

Sacra Congregatio Cardinalium Negotijs Regularium præposita præfati precibus benignè annuendo, gratiosè condonauit supradictis Superioribus localibus Ordinis Eremitarum S. Augustini omnes & quascunque pœnas de præterito incursas ob inobseruantiam decreti de publicandis Ordinationibus Sacræ Congregationis Cardinalium Concilij Tridentini interpretum, de celebratione Missarum: Et ijsdem Superioribus permisit, vt in posterum facere possint dictas Ordinationes perlegi, vel die in ipsis Ordinationibus præscripta, vel infra terminum decem dierum immediatè subsequentium. Romæ die 21. Martij 1638.

F. Antonius Cardinalis S. Honuphrij.

C. Fachenetus Secr.

Similiter Procurator Generalis Congregationis Lateranensis idem supplicauerat à S. Congregatione pro Superioribus suæ Congregationis, quæ tempus magis ampliauit, vt infra.

Constitutio de Celebratione Missarum legi potest infra terminũ vnius mensis subsequentis à die in ipsa constitutione præscripta.

SAcra Congregatio Cardinalium negotiis Regularium præposita præfatis precibus benignè annuendo gratiosè condonauit supradictis Superioribus localibus Congregationis Canonicorum Regularium Lateranensis Ordinis S. Augustini omnes & quascunque pœnas de præterito incursas ob inobseruantiam decreti de publicandis Ordinationibus S. Congregationis Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum de celebratione Missarum, & ijsdem Superioribus permisit, vt in posterum facere possint dictas ordinationes perlegi, vel in die in ipsis ordinationibus præscripta, vel infra terminum vnius mensis immediatè subsequentis. Romæ die 16. Aprilis 1638.

Fr. Ant. Card. S. Honuphrij.

C. Fachenetus.

§.

Constitutio de celebratione Missarum habetur supra *in Vrb. VIII. Const. 9. T. 2. pag.* 285. Hisce verò Sacræ Congregationis decretis confirmantur valdè, quæ de huiusmodi tempore habet P. Peyrinis *in Additam. ad dictam Constitutionem 9. cap.* 12. *num. 4. pag. 388. col. 1.*

DECRETVM XV.

Sacræ Congregationis Regularium.

De confessionibus Superiorum Congregationis Somaschæ.

Prælati Somaschæ Cõgregationis possunt sibi inuicem gradum ordine seruato facultatem impertiri confitendi extra ordinẽ, quã semel petere sufficit.

PEculiari Somaschensium Religiosorum constitutione iubetur, ne vllus ex eiusdem Congregationis Patribus, absque suorum Superiorum facultate possit propria peccata ritè confiteri alicui Sacerdoti, qui sit extra eorundem Patrum numerum ac professionem; quo fit, vt priuilegium hoc, commodumque spirituale, quo subditi gaudent, Superioribus à prædicta constitutione denegatum sit, atque ita eorum confessiones irritæ euadant, quod facultatem eiusmodi sibi ipsis concedere nequeant. Ne igitur huiusce commodi Superiores expertes sint hoc decreto sanxerunt Eminentissimi Patres negotijs Regularium præfecti, vt Superiores (graduum ordine seruato) sibi inuicem hanc facultatem impertiri possint; hoc est locorum Præsides à Prouincialibus, seu Visitatoribus hanc impetrare poterunt facultatem. Prouincialis verò, seu Visitatores Generalisque Procurator à totius Religionis Generali Præposito, qui tandem Generalis Præpositus ab eo Patrum numero, qui Congregationem Generalem repræsentant, eandem obtinere debebit facultatem. Quæ omnia ita intelligenda sunt, vt non propterea obligentur ijdem Patres Superiores ad hanc facultatem petendam toties, quoties ea nominatim indiguerint, sed sufficit eam semel petere, cum onera sibi iniuncta aggredientur, eaque generatim vti poterunt, quousque munera ijs imposita absoluerint. Interea hac facultate is qui nunc Præpositi generalis munere fungitur, perfruatur. Romæ die 25. Iunij 1638.

Fr. Antonius Card. S. Honuph.

C. Fachenetus Secr.

§.

Regulares cum de licentia Superiorum itinerantur, vel sunt extra Conuentum possunt confiteri aliis Sacerdotibus Sæcularibus, vel Regularibus ex concessione Sixti IV. *supra in constit eius 6. tom.* 1. §. 5. *pag.* 36. *col.* 2. Vide etiam, quæ habentur ad constitutionem 2. Iulij II. *à n. 62. ibid. pag. 70. col.* 1.

DECRETVM XVI.

Sacræ Congregationis Concilij Tridentini.

De potestate Episcopi circa electionem Abbatissæ.

Episcopus in electione Abbatissæ Monialium subiectarum regularibus non potest earum vota excipere.

DIe decima Septembris 1639. Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum censuit Episcopum in electione Abbatissæ Monasterij Monialium Regularibus subiectarum non posse exquirere, seu recipere vota Monialium, sed illa exquiri & recipi debere à Superiore Regulari, sciente tamen, & audiente eodem Episcopo.

I. B. Card. Pamphilius.

Franciscus Paulutius S. CC. Secr.

§. Vide

§.

Vide Constitutionem 2. Gregorij XV. §.7 *tom. 2. pag.* 258. *col.* 2.

DECRETVM XVII.

S. Congregationis Regularium.

De electione Sepulturæ liberè facienda pro filijs à parentibus.

Parentibus licitum est eligere sepulturam filijs minoribus, etiam inuitis Parochis.

SAcra Congregatio Cardinalium negotiis Regularium præposita sæpius censuit licere parentibus, in quacunque Ecclesia voluerint, etiam Regularium, eorum filiis Minoribus, qui ad annos pubertatis nondum peruenerunt, eligere sepulturam, nec à Parochis locorum impediri posse, aut debere; præsertim verò, si in dictis Regularium Ecclesiis sepeliri consueuerint, vel in eis habeant sepulchrum Maiorum. Romæ 20. Ianuarii 1640.

Fr. Anton. Cardinalis S. Honuphr.

L. A. Episcopus Theb. Secr.

§.

Vide Constitutionem 1. Iulii II. §. 21 *tom.* 1. *pag.* 61. *col.* 1.

DECRETVM XVIII.

Sacræ Congregat. Controuersiarum Iurisdictionalium.

De exemptione bonorum per Ecclesiasticos possessorum.

SAcra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Controuersiis Iurisdictionalibus Præpositorum aliàs censuit, bona per Ecclesiasticos possessa gaudere exemptionibus à quibuscunque impositionibus & oneribus, quæ non sint copulatiuè certa, realia, & inuariabilia iuxta decisionem in Brundusina Gabellæ coram bon. memoriæ Penia, & concordan. necnon ab impositionibus Cameralibus etiam comprehensiuis Ecclesiasticorum, quando Ecclesiastici libertatem ea non soluendi præscripserint iuxta decretum anno 1600. tempore fa. mem. Clementis Octaui editum. Datum hac die 21. Aprilis 1640.

Bona ab Ecclesiasticis possessa gaudent exemptione ab onerib. non copulatiue certis, realibus & inuariabilibus, & à cameralib. vbi non soluendi libertatem præscripserint.

I. B. Card. Pamphilius.

Franc. Paulutius S. Congr. Secr.

§.

Vide quæ de huiusmodi exemptione Ecclesiasticorum dicuntur ad Constitutionem secundam Iulij II. *àn.* 135. *tom.* 1. *pag.* 78. *col.* 2.



ADDITA



ADDITAMENTA
AD SECVNDVM TOMVM PRIVILEGIORVM MENDICANTIVM, PRÆSERTIM MINIMORVM.

CAPVT PRIMVM.

Circa constitutionem Pauli III.

1. NOTO primò quod *in constitut. 2. Pauli III. num. 6.* dicebam, posse Correctores Ordinis Minimorum in diebus, quibus Ecclesiis dicti Ordinis sunt concessæ indulgentiæ, deputare confessores ex eodem Ordine, qui possent absoluere pro illis diebus à casibus etiam Episcopis reseruatis. Pro qua doctrina confirmanda adduco Vasquez t. 2. *disput. 178. cap. 1. num. 3.* vbi ait, quòd Princeps condendo legem vniuersalem, derogat omnino aliam legem pariter vniuersalem recentiori contrariam; Sed dum fert legem generalem, eo ipso non intelligitur reuocare leges, & consuetudines peculiares, quia lex peculiaris, & communis non sunt omnino contrariæ, nec causas omnino contrarias habent; potest enim legislator ob causas generales legem statuere, cum qua propter rationes peculiares manere possint leges particulares. Porrò autem velle legislatorem, vt simul maneant lex generalis, & peculiaris, etiamsi contrariæ sint explicauit nobis Bonif. VIII. *in cap. 1. de constit. in 6.* Hæc Vasquez. Cui suffragantur Iuristæ, dum docent, legem nouam, quantumuis generalem non corrigere casus speciales legis antiquæ. Gloss. *in leg. 3. Cod. de silentiar. lib. 12.* Gonzal. *ad regul. cancell. §. 7. procem. num. 75.* Gutierrez *de iuram. confirm. part. 1. cap. 40. num. 2. fine,* Puteus *lib. 1. decis. 195. num. 2.* & alij multi apud Gonzalez. Eandem sententiam confirmant illi Doctores, qui dicunt, quòd priuilegium concessum Regularibus, vt, cum fuerint in itinere, possint recitare officium diuinum non iuxta ordinem Breuiarij Romani; vel cum ægrotauerint, illi obligationi satisfaciant, recitando aliquos psalmos à Prælato designatos, non est reuocatum per motum proprium Pij V. obligantem omnes obligatos ad horas Canonicas ad illas recitandas secundùm Breuiarium Romanum ab ipso reformatum, non obstante quocumque priuilegio, &c. Nam iste motus proprius intelligitur de his, qui pro semper omittunt formam dicti Breuiarij, non de illis, qui in aliquo casu particulari id faciunt. Isti autem Doctores sunt Rodriquez *tom. 1. sum. cap. 142. conclus. 2.* Vega *part. 1. sum. cap. 127. casu 25.* Ledesm. *part. 2. sum. cap. 4. conclus. 15. vers. Finalmente, pag. mihi 745.* A. S. Fausto *de hor. can. lib. 2. quæst 122.* Per quæ omnia ista opinio facta est mihi probabilis, præsertim cum in decretis prohibentibus dictam absolutionem, licèt reuocentur priuilegia specialia aliquibus Religionibus generaliter concessa, non reuocantur tamen priuilegia specialia pro casibus particularibus. Ita sentio, nisi aliter habeat stylus, & sensus Romanæ Curiæ, cui contradicere non intendo.

CAPVT II.

De addendis ad constitutionem Pij V.

1. NOto primò, quòd *in constit. 6. Pij V. num. 7.* posui nouum decretum Vrbani VIII. quo conceditur facultas Ordinariis dandi licentiam Regularibus, vt possint Moniales consanguineas alloqui. Istam verò licentiam extendi ad socios, docent Rodriguez *tom. 3. quæst. regul. quæst. 6. art. 1.* Riccius *1. part. praxis, decis. 745.* de connexis enim idem est iudicium, *cap. Translato, de constit* Vnde licentia Papæ alicui concessa visitandi Sacrosanctum Ierosolymitanum Domini Sepulcrum extenditur ad socium à Superiore quocumque assignandum.

2. Si quæras, an dicta licentia ab Episcopo impetrata alloquendi Moniales valeat pro vna sola vice, an pro pluribus? resp. Valere solùm pro vna vice. Colligitur *ex cap. Non potest, §. Illud autem; in prob. in 6.* Docent Tiraquel. *in leg. Bones, §. Hoc sermone, de verb. signif. n. 73.* Riccius 1. *part. praxis, decis. 649.* Felin. *in cap. Innouamus, de treg. & pace, num 5.* qui addit, quod hoc intelligitur, etiamsi ille, qui habet licentiam accedendi, seu ingrediendi monasterium, ingrederetur eo die, quo liceret omnibus ingredi, v. g. per priuilegium, vel incendium, aut aliquam ruinam monasterij. Et *num. 3.* ponit vnam bonam regulam, quæ potest seruire ad multa in Religionibus, scilicet, quòd simplex sermo regulariter verificatur in prima vice *per leg. Bones, §. Hoc sermone, ff. de verb. signific.* Quare si concedat Prælatus licentiam alicui eundi foras, intelligitur pro vna vice. Item si concedat facultatem eligendi confessarium, seu vt possit absolui à reseruatis. Item licentia concessa ingrediendi hortum. Item licentia concessa non eundi ad matutinum, intelligitur pro nocte immediatè sequenti ad licentiam. Videatur etiam Tiraquellus *loc. cit. num. 22.*

3. Noto secundò, quòd *in eadem constit. 6. num. 20.* dicebam, Principes sæculares teneri ad suum brachium ordinatè ab Ecclesiastico iudice petitum præstandum. Nam cum iurisdictio sæcularis, & Ecclesiastica ab eodem fonte Iesu Christo Domino nostro, licèt vna ab alia distincta, manarint, debent se inuicem, cum iuris ratio postulat, adiuuare; vnde dicebat Innocent. & Gloss. *in cap. 1. de offic. ord.* quòd per potentiam sæcularem adiuuari debet potestas Eccle-

ſiaſtica, quod etiam dicit text. *in cap. Adminiſtrationes, 23. quaſt. 5.* Et ait Hoſtienſ. *in dict. cap. 1. de offic. ord. ſub num. 5.* quòd iudex ſæcularis poteſt brachium Eccleſiaſticum implorare aduersùs eos, in quos non habet coërcitionis ius; quod etiam notanit Couat. *pract. quaſt. cap. 10. ſub num. 1. verſ. Eadem ratione.* Et ſicut iudex ſæcularis tenetur ſuum brachium à iudice Eccleſiaſtico petitum præſtare, *cap. 1. cap. Quoniam, de offic. ord. & cap. Statuimus, de maledic.* ita etiam iudex Eccleſiaſticus debet ſuum brachium præſtare iudici ſæculari illud imploranti; Abbas *in cap. 1. de offic. ord. num. 10. & 14* Riccius *1. part. praxis, decif. 330. tit. Notab. in mat. &c.* Hoc tamen brachium debent ſibi inuicem præſtare dictæ poteſtates ordinatè, nimirum primò poſtquàm vtraque fecerit quantùm per ſuas vires potuerit pro executione iuſtitiæ: colligitur *ex dict. cap. 1. de offic. ord.* ibi: *Et cum opus fuerit.* At opus non eſt auxilio alieno, vt v. g. quando iudex Eccleſiaſticus nondum excommunicauit. Et conſtat etiam, quia imploratio brachij eſt remedium ſubſidiarium pro ſupplemento iuſtitiæ, vt probat Riccius *1. part. praxis, decif. 324.* Fel. *in cap. Significaſti, num. 4. de offic. deleg. & cap. Cùm ſit generale, de foro comp. num. 8.* Deinde debent ſibi inuicem dictum brachium præſtare ordinatè, id eſt, iuris ordine ſeruato, & in executione iuſtitiæ, vt ad coërcendum rebelles, ad mandandum executioni iuſtam ſententiam; *dict. cap. 1. de offic. ord.* ibi: *Non ad præiudicandum alicui contra iuſtitiam, ſed potiùs ad ea, quæ ſunt Deo placita, proſequendum.* Iure autem communi ius brachium ſæculare implorandi competit Epiſcopis, Abbatibus, Generalibus, Prouincialibus, Correctoribus, cæteriſque Prælatis poteſtatem excommunicandi habentibus; *cap. Periculoſo, §. fin. de relig. dom. in 6.* Riccius *loc. cit. decif. 320. num. 1.* competit quoque eorundem delegatis; Riccius *num. 2.* Nauar. *in cap. Cùm contingat, de reſcript. remed. 1. n. 1.*

4. Ex quibus omnibus colligitur primò quòd, ſtante appellatione ritè, & rectè interpoſita à ſententia iudicis Eccleſiaſtici, non tenetur iudex ſæcularis ſuum brachium imploratum præſtare. Ita Sbroz. *de Vic. Epiſc. lib. 2. cap. 190. num. 11.* Menoch. *de retinend. poſſeſſ. remed. 3. num. 360.* Nau. *dict. cap. Cùm contingat, num. 5.* Riccius cit. *decif. 322. num. 1.* Et ratio eſt, quia appellatione pendente, nihil eſt innouandum, *leg. 1. in prin. ff. nil. non. appell. pend.* Immò ſi appellatio, quæ admitti debebat, non fuiſſet admiſſa, & à tali non admiſſione appellatum fuiſſet, & hoc iudici ſæculari conſtaret, non deberet ſuum brachium concedere. Riccius *loc. cit. num. 2.* Iudici autem iuſta appellatione interpoſita procedenti poteſt ſubditus reſiſtere. Riccius citat, qui addit, quòd in eo caſu iudex peccat, & puniri debet.

5. Colligitur ſecundò, quòd ſi iudici ſæculari conſtaret de iniuſtitia, & nullitate ſententiæ, non teneretur ſuum brachium impertiri. Menoch. *loc. cit.* Sbroz. *cit. num. 7.* Riccius *cit. decif. 325. num. 1.* Abb. *in cap. 1. de offic. iud. ord. num. 11.* Chokier *de confer. Eccleſ. quaſt. 37. num. 2.* Conſtat ex ratione *dict. cap. 1. de offic. ord.* Nam iudex Eccleſiaſticus non debet adiuuare ad malum inferendum, ſed ad bonum, & iuſtitiam faciendam. Quare poteſt etiam ſommariè velle de iuſtitia ſententiæ cognoſcere; Riccius *loc. cit. num. 2.* ne ſtrictis oculis grauem pœnam exequatur, quod enim nullum eſt, nullam meretur executionem, *leg. 4. §. Condemnatum, Digeſt. de re iud.* Vnde etiam collige, quòd ſi gubernatori triremium conſtaret, quòd quis Religioſus, vel alius, fuiſſet iniuſtè ad eas condemnatus, poſſet eum ab illis liberare. Immò puto, quòd etiam teneretur, ne videretur iniuſtitiam iudicis confouere.

6. Colligitur tertiò, quòd non tenetur, nec debet iudex ſæcularis ſuum brachium impendere imploratum, quando iudex implorans eſt incompetens. Menochius *loc. cit.* Riccius *loc. cit. decif. 328. num. 1.* Vnde antequam brachium ſuum det, debet ſcire de iudicis competentia; alioquin, ait Riccius, quòd ſi iudicis incompetentis ſententiam exequatur, puniri poterit.

7. Colligitur quartò, quòd licèt ſit differentia inter impartitionem brachij, & accommodationem familiæ, quòd ſcilicèt in impartitione brachij poteſt iudex requiſitus cognoſcere de viribus ſententiæ, & petere proceſſum, vt dictum eſt: quæ diligentia non eſt neceſſaria in accommodatione familiæ, ad tollenda ſcandala, & reſiſtendum rebellibus cum armis ſe defendentibus; tamen quando dicto iudici ſæculari conſtaret, quòd iudex Eccleſiaſticus peteret, ſibi accommodari familiam ad aliquem iniuſtè carcerandum v. g. vel aliud ſimile, non teneretur, nec poſſet dictum brachium præſtare.

8. Noto tertiò, quòd *in eandem conſtit. 6. num. 14.* dicebam, quòd iuſta cauſa concedendi licentiam Moniali ad exeundum monaſterio, erat infirmitas, quæ in monaſterio curari non poſſet. Sed ſi Medicorum conſilio Monialis ſtando in monaſterio curari non poſſit, nec mortem vitare, & Superior nolit exeundi licentiam concedere, poterit ne egredi petita licentia, licèt non obtenta. Reſp. hanc quæſtionem tractare ex profeſſo Pennam *in leg. 1. C. de commeatu, l. 12.* multis probat, quòd poſſit. Quod mihi valde rationabile videtur. Nam tunc irrationabiliter talis licentia denegatur; & ita hominis æſtimari non poteſt; *leg. penult. in fine ff. de donat.* & ad eam conſeruandam iure naturæ tenemur. Immò, ait dictus Penna *colum. 4.* quòd eo caſu poſſet dicta Monialis inuita extra clauſtra trahi.

9. Aduerte autem, quòd poſt decretum Sacræ Congreg. Regul. de mandato Pauli V. datum Romæ *die 22. Decembris* 1617. ac intimatum Procuratoribus Generalibus Ordinum; non poſſunt Moniales quacunque occaſione transferri de monaſterio ad monaſterium ſine ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ. Ita refert Caſtell. *de elect. cap. 17. num. 6.* & Diana *tom. 3. tract. 2. reſolut. 127.*

10. Aduerte etiam, quòd quando conceditur alicui licentia ingrediendi monaſteria Monialium de conſenſu expreſſo earundem Monialium, iſte conſenſus præſtandus eſt à Monialibus capitulariter congregatis per vota ſecreta, alioqui dictæ licentiæ non valent, & qui eis vtuntur, incurrunt pœnas inflictas contra violantes clauſuram Monialium. Ita declarauit per ſpecialem conſt. Vrban. VIII. quam habes *tom. 4. bull. in eius conſt. 29. fol. 287.*

11. Noto quartò, quòd *in eadem conſtit. 7. Pij V. num. 21.* dicebam, quòd Regulares ſunt ſtrictiori vinculo ſubiecti ſuis Prælatis, quàm Clerici ſuis Epiſcopis; nam iſti non vouent obedire Epiſcopis, neque etiam votum faciunt caſtitatis explicitum, ſed ſolùm ad hæc tenentur per conſtitutiones Eccleſiæ. Ita Raymun. *in ſum. lib. 3. tit. De ſentent. & præcept. §. 5.* & Ioan. de Selua *de benef. part 3. quaſt. 3. num. 20.* Sanch. *7. de Matrim. diſp. 27. n. 5.* qui hanc rem ex profeſſo tractat tota illa diſputatione.

12. Noto quintò, quòd in conſtit. 8. Pij V. conceditur priuilegium, quòd nouitia infirma ad mortem poſſit profeſſionem facere, etiamſi annum nouitiatus non compleuerit, modò ſit in ætate legitima conſtituta. Et de iſto priuilegio agunt Confectius, Sanch. Henriq. Rodriq. quos ibi cito: Et præterea Rodriq. *tom. 3. ſum. cap. 63. à num. 4* Barboſ *in cap. Ad Apoſtolicam, de regul. num. 4. & de poteſt. Epiſc. part. 3. allegat. 101. num. 33. & 34. & in Addit. ad dictam allegat. num. 33.* Mirand. *tom. 1. man. quaſt. 22. art. 10.*

Riccius

Ricius 2. *p. prax. resol.* 493. Beia 4. *p. cas. casu vlt. in princ.* Vech. *de nouit. disp.* 13 *dub.* 12. A S. Fausto *in thesau. lib.* 5. *qu.* 167. Zanard. *in summ. theolog. p.* 2. *cap.* 17. *versus finem*, Cruz *de statu Relig. lib.* 1. *cap.* 8 *dub.* 4. Portel *in dub. regul. verb. Nouitia, num.* 5. Roderic *in resol.* rot. *num.* 40. Diana *tom.* 3. *tract.* 2. *resol.* 17. Circa hanc constitutionem quatuor sunt controuersa. 1. An sit reuocata per const. Greg. XIII. In tanta. 2. An professio sic facta valeat ita, si nouitia conualeat, non debeat nouam professionem emittere, finito anno nouitiatus. 3. An monasterium succedat bonis nouitiæ sic professæ intestatæ decedentis. 4. An ista constitutio comprehendat nouitios omnium Religionum.

13. Ad 1. iam dixi *ad dictam constit. num.* 2. hoc priuilegium non esse reuocatum; & præter Henriquez, Sanchez, Rodriquez quos ad id adduxi dicunt Portel, Barbos. Beia, à S. Fausto, Mir. Rodriq *tom.* 4. *sum. cap.* 63. *nu* 4. quicquid dicant Cruz, & Vech. *loc. cit. n.* 3. Nam lex generalis non tollit legem antiquam pro casu speciali, vt cum multis docui *sup. cap.* 5. *num.* 1. & latiùs id probaui *ad dictam constit. num.* 2. *tom.* 2. *priuil.*

14. Ad 2. Rodriq. *loc. cit. num.* 5. Mirand. Beia, Portel *loc. cit.* dicunt non valere. Barb. *de potest. Epis. p.* 3. *alleg.* 101. *n.* 33. *& in cap. Ad Apostolicam, de Regul. nu.* 4. dicit, quòd illa professio valet, sed quòd tenetur sic professus, integro anno nouitiatus completo, illam ratificare, & confirmare, quod est dicere; illam professionem valere in foro conscientiæ, & sic profitentem esse obligatum obseruare vota promissa, etiamsi ad sæculum redeat, non valere tamen in foro fori, atque ita sic professum sæculum petere, & Fratres posse illum expellere. Vechius *de nouit. disp.* 13. *dub.* 11. *n.* 2. ait, quòd hæc professio in neutro foro obligat, per declarationem Congr. quam affert, & sic habet. *Qui emisit professionem intra annum probationis, non est obligatus, neque in specie, neque etiam in foro conscientiæ illi dicta est obligatio.* Quòd autem dicta professio valeat, non solùm in foro conscientiæ, sed etiam in foro fori, & quòd non sit necesse eam ratificare, dixi *in priuil. loc. cit. num.* 1. cum Sanchez, Confectio, Henriq. quibus adde à S. Fausto *lib.* 5. *thes. quæst.* 167. *num.* 4. Zanard. *loc. cit.* Diana *loc. etiam cit.* Illa Congr. declaratio, si est vera, non intelligitur in casu speciali, per ea, quæ hic supra dixi *cap.* 5. *num.* 1. Et præterea Sacra Congreg. non potest derogare priuilegijs Papæ; vnde quando censet aliquod priuilegium esse derogandum, consulit Papam; & de tali derogatione fit mentio in decreto.

15. Ad 3. Monasterium non succedere, multis contendit Riccius *part.* 2. *praxis, resol.* 493. Rodriq. *in sum. loc. cit. num.* 5. Vech. *loc. cit. num.* 2. Mir. *tom.* 1. *man. quæst.* 22. *art.* 10. *vers. Secundò.* Barbos. *in cap. Ad Apostolicam, de regul. num.* 4. Quòd verò succedat, dixi cum Sanchez, Confectio, Henriquez quibus adde Zanardum *in sum. theolog. cap.* 17. *pa.* 2. *vers. finem.* A S. Fausto *loc. cit. numer.* 4. Confirmant hanc sententiam illi DD. qui dicunt, quòd nouitijs decedentibus ab intestato succedit monasterium, hos refert, & sequitur Grat. *in decis. Marchia, decis.* 55. *num.* 13. Et aduerte, quòd in hoc non fit præiudicium venientibus ab intestato, quod nunquam intendit Papa; nam iste sic infirmus cum periculo vitæ, si profiteatur, per hoc priuilegium verè professus est; adest enim ibi consensus proprius, & consensus Fratrum, & Papa solùm dispensat in anni integritate; vnde cum certi iuris sit, quòd monasterium succedit in omnibus bonis sui professi, cum ille verè professus sit monasterium naturaliter illi succedit absque cuiusquam iniuria.

16. Ad 4. Iam dixi *tom.* 2. *priuil. cit. num.* 3. quòd hoc priuilegio fruuntur omnes nouitij Religionum communicationem habentium cum Dominicanis; quòd etiam dicunt Rodriquez *tom.* 4. *sum. cap.* 63. *num.* 4. A S. Fausto *lib.* 5. *thes. quæst.* 167. *num.* 1. Beia. 4. *part. cas. vlt. in princ.* Portel *in dub. reg. verb. Nouitius. num.* 5. *versu Quæris* 1. Miran. *loc. cit. vers.* 3. Vech. *de nouit. disput.* 13. *dub.* 11. *num.* 2. Zanard. & Diana. *loc. cit.*

17. Noto 6. quòd *in constit.* 9. *Pij V.* dicebam, posse Prælatos regulares creare notarios religiosos, qui fidem facerent, non solùm de negotijs communibus Religionis, sed etiam de specialibus quorumcumque Fratrum, & non solùm in ciuilibus, sed etiam in criminalibus. Vnde dictus notarius poterit fidem facere, quæ in iudicio locum habeat, de morte alicuius Fratris, de professione, de receptione ad habitum, de aliqua partita, quæ reperiatur in libris computorum conuentus; licèt hanc vltimam fidem posse facere scriptores dictorum computorum capitulariter electos, dicat Rodriq. *tom.* 4. *sum. cap.* 58. *concl.* 11.

18. Aduerte, quòd in criminalibus causis, & grauibus nunquam sine scriptura procedi debet, *cap. Legum* 2. *quæst.* 1. *cap. Quisquis, cap. Quicrimen,* 2. *quæst.* 8. *cap. Si quis cum Clerico*, 11. *quæst.* 1. D. Tho. 2. 2. *quæst.* 68. *art.* 2. Ista autem scriptura de iure communi necessariò per notarium fieri debet; *cap. Quoniam contra, de prob.* Aldrete *de discip. relig. cap.* 8. *num.* 5. Portel. *in dub. reg. verb. Notarius, num.* 6. Rodriq. *tom.* 4. *sum. cap.* 58. *num.* 9. qui tamen ait, quòd in aliquibus Religionibus vsuuenit, quòd Prælatus ipse per se excipiat dicta testium in scriptis; quod tamen reprobat Portel. & verè reprobandum est, cum sit contra ius commune in æquitate naturali fundatum, si enim reus afficiatur iniuria, quomodo probabit, quæ iudex fecit? Ab isto autem notario debet exigi iuramentum de fideliter suo officio exercendo, vt dixi *in dicta const.* 9. *Pij V. num.* 9. vbi posui formam dicti iuramenti, & formam creandi dictos notarios, & formam literarum suæ creationis; propter hoc enim iuramentum fides illius publica, & authentica habetur, *cap. Ad audientiam. §. Nos autem, de præscrip.* Aldrete *loc. cit. num.* 8. Addit Rodriquez *loc. num.* 10. quòd dictus notarius debet subscribere ad singulorum testium, vel reorum, aut accusatorum, &c. dicta; sed puto sufficere, si subscribat in fine processus; & sic obseruatur in praxi in nostra Religione, in qua nullus fit processus, in quo non sint saltem duo; Prælatus scilicet, & vnus ipsius Collegarum, qui solent communiter scribere; à quo vellem vt Prælati exigerent iuramentum prædictum in quolibet processu formando, si fortè illum in principio sui officij publicè in notarium non creassent; quod fieri debere pro multis nobis consequentijs, quæ inde sequuntur, consulit Portel *loc. cit. numero* 2.

CAPVT III.

De addendis ad constitutiones Gregorij XIII.

1. NOto 1. circa constit. 2. huius Pontificis, quòd est in viridi obseruantia, vnde *anno* 1632. factum est infrascriptum decretum existente Generali Reuerendiss. P. F. Francisco à Longobardis. *In causis Fratris N. Prouincialis Ord. Minimorum super prætensa recusatione, oppositione, & resistentia ab ipso facta Fratribus N. N. per Patrem Generalem eiusdem Ordinis ad visitandam eandem Prouin-*

etiam missis, rebusque aliis, &c. Eminentiss. & Reuerendiss. Card. S. Onuphrij, S. Sixti, & Ginetus, a S. D. N. ad cognoscendas, & determinandas causas huiusmodi specialiter deputati censuerunt, declarandum esse, prout præsentis decreti virtute declararunt, prænominatam F. N. ob præmissa incidisse in pænas contentas in literis Apostolicis in forma breuis fel. rec. Greg. xij. sub dat. Romæ 27. Martij, 1576. incipien. Ex pastoralis officij, &c. videlicet in excommunic. latæ sent. Romano Pontifici pro tempore reseruatam, necnon in pænas priuationis perpetuæ officiorum per ipsum obtentorum, & inhabilitatis ad illa, & alia quæcumque dicti Ordinis officia in posterum obtinenda, necnon vocis actiuæ, & passiuæ. Intereà verò ijdem Emin. censuerant, committendum esse præf. P. Generali, prout præsentis pariter decreti virtute committunt, vt in prænominata Prouincia N. de idoneo Vicario Prouinciali prouideat, donec nouus Prouincialis electus fuerit. Romæ die 10. Sept. 1632. F. Ant. Card. S. Onuphrij. A. Tornellus.

2. Noto 2. circa const. 4. huius Pontificis, quòd in ea ponitur magna illa indulgentia, quam lucrantur omnes Christi fideles visitantes vnam ex nostris Ecclesiis, seu oratorium monasteriis, aut grangiis annexum, (vt probat Ximenez *in explic. huius const. n. 17.* & colligitur ex eadem const. ibi, *monasteriorum seu domorum, &c.*) in die festo S. P. N. Francisci. Et quoniam dicta indulgentia conceditur cum clausula, *Toties, quoties id fecerint*, quæ clausula valdè prægnans, & peregrina est, & quæ Doctorum ingenia torsit huc usque; de qua licèt multa dixerim *ad dictam const. 4.* quæ videantur posse sufficere? Quia tamen P. F. Antonius Ximenez vir doctissimus, & sanctissimus nostræ Religionis ex Prouincia Hispalensi in capitulo generali Barchinone pro eadem Prouincia Commissus dedit mihi quemdam tractatum, quem fecerat pro ista indulgentia, in quo specialis doctrina illius clausulæ, *Toties quoties*, continetur, & efficaciùs corroboratur doctrina P. Montoyæ, quam sum secutus: ideò placuit hic illum inserere, iis relictis, quæ magis communia sunt.

3. Dicit ergo 1. dict. Ximenez, quod qui eo die semel visitauit vnam ex nostris Ecclesiis conuenienti feruore, & deuotione, acquisiuit plenariam remissionem omnium pœnarum suis culpis debitarum, secundùm indulgentiæ tenorem, vnde si postea dictas visitationes replicet, nullam ampliùs indulgentiam consequitur, cum nihil ampliùs remittendum adsit. Illæ tamen nouæ visitationes non erunt frustraneæ, nam per illas augebitur gratia, impetratio, & satisfactio, vel pro se, vel pro aliis, quibus applicabit, seu pro thesauro Ecclesiæ, si nulli applicuerit.

4. Dicit 2. quod qui visitauit dictas Ecclesias parco feruore, & deuotione, si multis pœnarum debitis astrictus erat, non lucratus est dictarum pœnarum plenariam indulgentiam, sed tantummodò partem illarum, iuxta gradum feruoris, & deuotionis, quem habuit, replicando autem visitationes, acquirit proportionaliter remissionem dictarum pœnarum ex opere operato, vltra illam, quam acquirit ex opere operantis, & hoc est speciale in hac nostra indulgentia, propter illam clausulam *Toties, quoties*, quæ vbi non reperitur, cum non possit Ecclesia nisi vna sola vice visitari si ea vice qui visitat, non habet debitum feruorem, & deuotionem, non acquirit plenariam pœnarum indulgentiam, sed tantummodò ad mensuram feruoris, quo visitauit. Citat pro hac doctrina Ægid. *disp. 11. de indulg. dub. 6. n. 34. & 35.* Et probat primò. Nam Pontifex pro ista indulgentia lucranda petit orationes fidelium directas in bonum commune totius Ecclesiæ; ergo sicut miles, qui plus pro sua Republica laborat, plus meretur accipere de bonis dictæ Reipublicæ, quam si minùs laboraret, sic qui maiori feruore orando seruit Ecclesiæ, meretur de illius thesauro magis accipere, quam si minori feruore seruiret, vnde si debito feruore orat plenariam consequitur remissionem pœnarum, si non, ad ratam feruoris. Secundò probat *ex 1. extrau. de pænitentia & remissione*, vbi §. vlt. ait Papa. *Vnusquisque tamen plus merebitur, & indulgentiam efficaciùs consequetur, qui Basilicas ipsas ampliùs, & deuotiùs frequentabit.* Quæ verba nihil aliud possunt significare, nisi quod diximus, nam comparatiuum illud, efficaciùs, supponit positiuum, efficaciter, & sic qui deuotè visitauerit Ecclesiam, efficaciter consequetur remissionem alicuius pœnæ, & qui magis deuotè, efficaciùs consequetur maiorem remissionem pœnæ.

4. Dicit 3. quòd quando quis, postquam confessus est, communicauit in peccato, seu postquam dignè communicauit, & lucratus est indulgentiam, intra terminum illius diei, in quo dicta indulgentia lucrari potest, iterum peccauit, & gratiam amisit, non potest ampliùs noua Ecclesiæ visitatione dictam indulgentiam consequi, etiamsi contritus existat, nisi de nouo communicet. Quod probat primò. Nam priuilegium concessum nobilibus intuitu nobilitatis, amittitur, si per aliquod accidens desinant esse nobiles, non obstante, quòd posteà in gratiam Principis recipiantur. Hoc priuilegium, & indulgentia conceditur nobilibus, qui receperint gratiam sacramentorum confessionis, & communionis, & qui habent non solum gratiam habitualem sanctificantem, sed etiam gratiam specialem istorum sacramentorum, quæ in confessione est speciale auxilium ad dolendum de peccatis, & in communione secundùm D. Thom. *tertia parte, quæstione septuagesima nona, articulo* 1. consistit in maiori vnione cum Christo, ex quo dignè sumentibus confertur auxilium maioris feruoris charitatis, ergo hac gratia frui non poterit ille, qui ista nobilitate carebit: Sed qui peccauit in receptione sacramentorum, eam non habet, & qui illam habuit, & amisit per peccatum mortale superueniens, per actum contritionis licèt fiat æquè, vel magis amicus Dei, specialem tamen gratiam sacramentorum, & illa specialia auxilia, non recuperat; ergo etiamsi quis Ecclesiam visitet, gratiam tamen indulgentiæ non consequitur, si sacra communione non fit de nouo refectus.

5. Deindè, hac speciali doctrina posita, corroborat doctrinam Montoyæ, pro qua ponit sequentes conclusiones. Prima. Ad hoc, vt multiplicetur formalis indulgentia plenaria *Toties, quoties*, necessariò solùm multiplicandæ sunt piæ preces ad eam lucrandam requisitæ: vnde correlatiuum *Toties*, non est *Quoties*, vnitum confessioni sacramentali, communioni, & visitationi Ecclesiæ, sed solummodò vnitum piis precibus pro pace, & concordia Principum Christianorum, &c. Probat primò ex verbis eiusdem bullæ, vbi, positis illis verbis, *Pias ad Deum preces effuderint*, statim subditur, *Quoties id fecerint, toties plenariam suorum peccatorum indulgentiam, & remissionem concedimus, & elargimur.* Non dicit, Papa, quoties hæc fecerint in num. plurali, quasi complectens omnes diligentias antecedentes, sed solùm *Quoties id fecerint*; hoc est diligentiam immediatè antecedentem fecerint, idest, pias preces ad Deum effuderint. Secundò Probat. Nam aliæ diligentiæ meritò non iubentur multiplicari, cum confessio sacramentalis solùm requiratur ad reddendum subiectum capax, vnde qui sine peccato esset, non teneretur confiteri ad indulgentiam

lucrandam,

lucrandam. Adde, quòd necessitas confitendi conditio onerosa est, & toties multiplicata intra vnum diem, confusionem pareret, vnde strictè est interpretanda, ad dicta per Suarez *tomo quarto in 3. disp. 56. sect. 2. numero decimo*, vbi affert hanc regulam. Cum in forma indulgentiæ regulariter duo contineantur, impositio alicuius oneris, & concessio alicuius remissionis, prior pars strictè interpretanda est, posterior verò largè; vnde etiam sequitur, quòd communio non est multiplicanda; addito, quòd intra eundem diem multiplicari non potest, & licèt indulgentia in duobus diebus lucrari possit, non conuenit tamen eam multiplicari, nisi persona eam lucrans esset multùm spiritualis; neque etiam est multiplicanda visitatio Ecclesiarum, tum quòd contractus inter Papam, & fideles solùm adest in multiplicatione precum, tum quòd conditio onerosa est, vnde non est necesse ingredi, & egredi Ecclesiam ad multiplicandum lucrum indulgentiæ, sed sufficit intra eandem Ecclesiam sæpiùs multiplicare hac intentione preces secundùm mentem Pontificis.

6. Conclusio 2. Qui per obliuionem, aut ignorantiam, quando confessus est, reliquit aliquod mortale, gratia sacramentali recepta, quando dictas pias preces in vna ex dictis Ecclesiis effuderit, consequetur non solùm remissionem pœnarum debitarum peccatis confessis, sed etiam debitatum peccatis omissis, & oblitis. Hæc conclusio est contra Gersonem *1. p sueorum op. alphab. 33. lit. R.* vbi dicit, quod oblitio impedit indulgentiæ effectum quo ad peccata oblita. Et potuit in eo fundari, quòd quando exigitur pro conditione confessio, absolutio cadere debet supra peccata confessa. & non supra omnia, licèt enim quantùm ad culpam omnia deleantur, quo ad pœnam tamen separabilia sunt, & potest aliquorum pœna remitti, aliorum non remissa. Contrarium tamen sentit Suarez *loco citato. disp. 51. sect. 3. numero nono.* Vnde probat primò conclusionem. Quia quamvis requireretur omnium peccatorum confessio, & omnia expresse non confiterentur, censentur tamen confessa, quia quantum est ex parte pœnitentis factum est totum id, quod humanè fieri potuit, vnde secundùm Trid. peccata sic ignorata, & oblita in expressè confessis continentur. Quare indulgentiam illis omnibus peccatis est applicanda, quorum culpa remissa est, quando peccatorum expressorum detestatio fuit in communi extensa ad omnia oblita, & ignorata. Secundò probat. Quia hæc nostra indulgentia non exigit determinatè confessionem sacramentalem, sed aut confessionem, aut contritionem, vt constat ex illa clausula, *verè pœnitentibus & confessis*, quæ non copulatiua, sed alternatiua est, & vult dicere, *Contritis, aut confessis*, vt explicat Suarez *tomo quarto in 3. p. disp. 52. sect. 3. numero tertio*; ergo quocumque modo, siue directè, siue indirectè remittatur culpa, semper indulgentia suum integrum effectum, idest, remissionem peccatorum sortitur; quia hic solùm supponit habitualem gratiam in recipiente. Imò hæc conclusio verum habet non solùm in eo, qui in confessione consecutus est remissionem peccatorum oblitorum, sed etiam in eo, qui, facta confessione informi, gratiam non recepisset; sufficit enim, quòd hic vel per sequentem contritionem, vel per receptionem Eucharistiæ ita obicem tollat, vt quando ad recitandas pias preces ad vnam ex dictis Ecclesiis accesserit, gratia habituali sit informatus. Ita Suarez *loco citato, num. 6.*

7. Conclusio 3. Qui sacramentaliter confessus est, vel per contritionem gratiam recepit, consequitur indulgentiam omnium peccatorum venialium, etiamsi illa non sit confessus (exceptis iis quæ in affectu vigent, quæ quo ad culpam ablata non sunt.) Est contra Adrianum existimantem, esse necessarium ad indulgentiæ effectum consequendum omnia venialia integrè, & expressè confiteri. Et contra Cordubam dicentem, confitenda esse peccata venialia magis grauia, vt pœna per indulgentiam remittatur.

Prima pars constat ex conclusione 2. si quidem in hac nostra indulgentia non necessariò exigitur confessio, & licèt exigeretur, si Pontifex expressè non declararet quòd esset facienda confessio venialium, dicta confessio requisita non esset intelligenda de venialibus, quæ gratiam non auferunt, sed tantùm de mortalibus. Ita Anton. *1. p. tit. 10. cap. 3. §. 10.* Nauarr. *de iubil. notab. 18. num. 19. & notab. 30. n. 6.* Suarez *loco citato, num. 5.* Et ratio est, quia sicut quando dicitur simpliciter peccatum, intelligitur de mortali, sic quando dicitur confessio, intelligitur simpliciter de mortali, quia confessio est medicina mortalium. Secunda pars probatur, quia omnia peccata venialia pœnitentis remittuntur quoad culpam, (dum non adsit propositum in aliquibus perseuerandi, hæc namque non remittuntur) accepta absolutione mortalium confessorum, vt D. Thom. *3. par. quæst. 79. artic. 8.* ergo de his omnibus recipitur effectus indulgentiæ, & non de illis, quæ in affectu vigent, quia pœna absque culpa per indulgentiam non remittitur, vt Suarez *loco cit. sect. 2. num. 4 & 5.* Itaque qui peractis diligentiis, quæ in hac nostra indulgentia requiruntur ad illius effectum consequendum, si aliqua venialia non fuit detestatus, quia habebat propositum in iis perseuerandi, illorum remissionem non est consecutus. Si tamen intra determinatum tempus ea detestetur, replicando solas preces, istorum etiam remissionem consequetur; quod non accidit in aliis indulgentiis, in quibus clausula, *Toties, quoties*, non reperitur.

8. Conclusio 4. Qui inualidè confessus est, seu aliquod mortale peccatum post validam confessionem commisit, & communicauit in gratia, vel sine illa, quia de commissa culpa in confessione non doluit, aut qui post communionem ante recitationem piarum precum mortaliter peccauit, poterit nihilominus hanc indulgentiam lucrari absque noua confessione, & communione cum sola contritione. Hæc conclusio probatur quo ad omnes suas partes. Quia licèt verum sit, quòd ad sacram communionem sumendam de iure diuino, & Ecclesiastico prærequiritur conscientiæ purgatio per sacramentalem confessionem, quando adest peccati mortalis conscientia; tamen quia suprà dictum est, quòd ad lucrandam istam indulgentiam sufficit fructuosa confessio, aut vera contritio antequam ad vltimas diligentias requisitas, idest, ad pias preces deueniatur, ideò qui post confessionem mortaliter peccauit, & carens copia confessarij, vel alia iusta causa non confessus, contritus tamen communicauit, non peccauit, sed erit fructuosa communio, quòd si nec confessus, nec contritus communicauit, sacrilegium committit, cuius quidem peccati simul cum aliis si contritionem habeat, quando pias preces recitat, hanc indulgentiam lucratur absque alia confessione. Sed quòd in casu communionis sacrilegæ nullus obligetur ad eius repetitionem præcisè pro hac indulgentia lucranda, probatur, quia communionis conditio, quam indulgentia requirit, iam fuit in effectu adimpleta, quamvis fructus communionis non fuerit receptus, propter obicem, sed in sacramentis confertur gratia ex opere operato, quando à bene dispositis recipiuntur, aut quando obex per subsequentem contritionem tollitur. Quod sicut in aliis sacramentis certum est, ita idem dicendum in communione informi in re suscepta, quòd scilicet suum sortiatur effectum ex opere operato, amoto obice per subsequentem contritionem.

9. Quòd si quis obijciat cum Suarez *tom. 4. in 3. par. disput. 52. sect. 2. n. 15.* quòd hoc, quod est suspendi fructus sacramenti, & postea ablato obice conferri, non reperitur in omnibus sacramentis, sed in illis solùm, quæ reiterari non possunt, aut sunt de necessitate salutis, quare in communione, quæ reiterari potest, id non est admittendum, & consequenter sine fructuosa communione non poterit ista indulgentia lucrari. Respondeo, quòd ista disparitas reiterandi, aut non reiterandi sacramenta, non est sufficiens, nam confessio reiterari potest, & tamen ipse Suarez *loco cit. disput. 20. sect. 5. num. 13.* cum D. Thom. probat posse dari confessionem informem, quæ suum sortiatur effectum recedente fictione. Quòd verò omnia sacramenta hoc habeant, quòd recedente fictione conferant gratiam, quam erant collatura, si sine fictione fuissent recepta, docent Caiet. *tom. 1. opusc. tract. 5. quæst. 5.* Petrus Sor. *lect. 4. de baptismo*, & videtur sententia D. Thom. *in 4. d. 17. q. 3. art. 4. quæstiunc. 1.* Palud. *q. 8.* Capr. *q. 2.* Et ratio est, quia in sacramentorum receptione merita Christi Domini applicantur, quæ semper existunt in diuina acceptatione, & per ipsa non stat, si homo obicem non ponit; ergo si homo, qui obicem posuit, illum auferat, sacramenta necessariò suum producent effectum, qui est gratia iustificans, 1. aut 2. iuxta sacramenti qualitatem. Ea itaque probabilitate, qua id de omnibus dicitur sacramentis, id dico de sacra communione sic impedita; & consequenter, quòd ille, qui sic communicauit, adimpleuit conditionem requisitam à Papa pro consequenda hac indulgentia, vnde absque noua communione poterit indulgentiam lucrari, requisitas preces recitando.

10. Conclusio 5. Qui omnibus requisitis peractis, indulgentiam fuit lucratus, aut qui eam fuit consecutus in casibus trium vltimarum conclusionum, potest eam multotiès lucrari, si noua peccata mortalia, aut venialia committat, absque eo, quòd de nouo confiteatur, aut communicet, cum sola recitatione piarum precum, idest cum fide, spe, & charitate, quamuis non admodum intensè, factarum. Hæc conclusio constat ex dictis; nam pro hac indulgentia pluriès consequenda non est necesse multiplicare, nisi pias preces requisitas, vt constat ex dictis *num. 6.* cætera verò requisita si semel hac intentione fiant, sufficit; ergo si peccata de nouo non occurrant, vel nullum restat remittendum veniale in casu tertiæ conclusionis *n. 8.* repetitio indulgentiæ nihil operatur ex opere operato, cum nihil temporale adsit, quod remitti possit: si autem peccata de nouo occurrant, sufficit quòd venialia tollantur aliquo ex remediis appositis quo ad culpam, & mortalia per contritionem, ita vt accedens homo ad faciendas pias orationes sit subiectum capax indulgentiarum, vt colligitur ex dictis: Ergo absque repetitione confessionis, & communionis potest lucrari indulgentiam toties, quoties faciet dictas pias orationes.

11. His positis, respondet ad ea, quæ *supra numero 3.* allata sunt pro prima sententia contra Montoyam: Et ad primum concedit, quòd Pontifex petit à nobis dictas satisfactiones, sed negat, quòd pro illis sit solùm daturus proportionatum præmium, vt in exemplo militis seruientis Reipublicæ. Nam retributio, quæ datur in indulgentiis, non prouenit à iustitia distributiua, sed à liberalitate Pontificis prudenter, idest, cum iusta causa thesauros Ecclesiæ distribuentis, vt probat Suarez *tom. 4. in 3. p. disput. 52. sect. 8. num. 3.* vnde diligentia illius, qui impetrat indulgentiam, non est dispositio ad tantam, vel tantam remissionem, sed conditio solùm, per cuius adimpletionem secundùm voluntatem Papæ concessa est indulgentia plenaria. Et quamquam verum sit, quòd piæ preces pro motiuo deseruiant, & quòd ad proportionem motiui concedantur diuitiæ, hic tamen solùm petitur, quòd sint piæ preces, & pro excessus feruore, nihil promittitur ex opere operato, vnde maior, vel minor intensio ad indulgentiæ effectum impertinenter se habet.

12. Ad secundum, Sensus illius extrau. non est, quòd ille, qui diligentiam fecerit, non consequatur totalem remissionem, quando deuotio valdè intensa non fuerit: Nam omnes accedentes ad dictas basilicas verè pœnitentes, & confessi in prædicto anno iubilæi, seruata forma ibi præscripta, scilicet, vt *reuerenter accedant*, idest pietatis, & religionis causa, & quòd Romani visitent triginta diebus semel in die, & extranei quindecim, plenissimam illam indulgentiam, siue id fecerint cum magna, vel cum parua deuotione, consequuntur, vt Suarez *loco citato, numero septimo*, verba verò illa, *Vnusquisque tamen plus merebitur, & indulgentiam efficacius consequetur*, intelliguntur, non quia maior remittatur pœna, sed quia ex parte causæ illa eadem pœna cum maiori certitudine remittitur, quando basilicæ plures, & cum maiori deuotione fuerint visitatæ. Et confirmari potest exemplo contritionis, quæ licèt minima sit, sufficit tamen ad efficaciter delenda omnia peccata mortalia, sed quantò maior fuerit, cum maiori vi, ac certitudine idem facit. Seu intelliguntur, quòd Papa, completis diebus visitationis, & tota iam plenissima indulgentia consecuta, qui deuotiùs adhuc pergent in visitatione dictarum basilicarum, nouam aliquam indulgentiam consequantur ad proportionem deuotionis de pœnis debitis subsequentibus peccatis. Ita Suarez *loco cit. num. 8.* Vide Gloss. *in dicta extrau. verbo consequetur.*

13. Deindè respondet ad ea, quæ dicta sunt supra *numero quarto*, & directè militant contra doctrinam Montoyæ, & ad argumentum quo dicitur, quòd priuilegium concessum nobilibus deperditur, si per aliquod accidens desinant esse nobiles, sed hæc indulgentia conceditur nobilibus? Omissa maiori, respondet ad minorem. Aut ista nobilitas consistit in eo, quòd illi, qui lucraturi sunt hanc indulgentiam, habeant nobilitatem diuinæ gratiæ iustificantis, quæ facit homines participes diuinæ naturæ, vna cum speciali gratia sacramentorum, remissione nimirum peccatorum, & infusione primæ gratiæ per se, quam producit sacramentum pœnitentiæ, & augmento gratiæ per modum refectionis, quam producit sacramentum Eucharistiæ? Aut consistit in eo, quòd etiam vna cum dictis gratiis debeant habere auxilia specialia, & gratiam actualem, quam ista sacramenta causant? Si primum, quod est certissimum, licèt verum sit, quòd per peccatum subsequens perditur ista nobilitas, per pœnitentiam tamen, quæ sit vel virtus mediante contritione, vel sacramentum, mediante confessione, statim integrè, & in altiori gradu recuperatur tota gratia habitualis, omnes virtutes, & dona supernaturalia, in quibus includitur non solùm prima gratia recepta per priorem pœnitentiam, sed etiam illius augmentum simul cum augmento gratiæ à communione causato, vt latè probauimus, ait Ximenez, *in nostra eruditione Euangelica tomo secundo, libro decimoquinto exerc. 7.* qua ratione dixit Chrysostomus hom. sexta in Genes. *Per misericordiam Dei, si modo condemnare, facta nostra voluerimus, poterimus statim ad pristinam abundantiam redire*, non est necesse ad recuperandam totam gratiam deperditam, quòd pœnitentia sit ita feruens, vt disponat, vt proportionet subiectum cum gratia recuperanda, solùm exigit Sanctus, quòd nostra condemnemus peccata, per quæ gratia deperdita fuit, quod quacumque vera contritione fit. Sed esto quòd contrariam opinionem sequi

velimus

velimus, scilicet, quòd ea gratia, & virtutibus deperditis non restituatur, nisi ad mensuram præsentis dispositionis, cum qua peccator ad Deum conuertitur, hoc sufficit ad ipsum nobilitandum ad hoc vt sit capax indulgentiæ, absque noua confessione, & communione; sat namque est, quòd tempore consecutionis indulgentiæ, qui eam consequi vult, sit in gratia, & quòd adimpleuerit conditionem confessionis, aut contritionis, & quòd semel hac intentione communicauerit; siquidem forma huius indulgentiæ non exigit, nisi quod multiplicentur piæ orationes. Si verò dicatur, quòd nobilitas consistit in eo, quòd simul cum gratia habituali habeantur auxilia specialia, qualia sunt in communione feruor deuotionis, dulcedo, &c. hoc esse falsum, constat ex eo, quòd dicta auxilia, etiam absque communicantis culpa, non semper omnibus dantur; vnde, si hoc ita esset, non omnes, qui dignè, & absque peccato Eucharistiam sumerent, & pie orarent, indulgentiam consequerentur, sed illi solùm, qui hunc feruorem, & dulcedinem haberent. Item hæc actualia aux lia effectus sacramentalis communionis, non causantur virtute sacramenti, nisi dum species sacramentales in stomacho residenr, & illis est præsens corpus Christi Domini, seu Christus Dominus, quo mediante feruor charitatis, potens Christo præsenti animam recipientis vnire, acquiritur. Itaque si illi, qui volunt consequi hanc indulgentiam, vt eam consequantur debent necessariò habere hanc nobilitatem, pauci poterunt illam consequi, siquidem qui mane communicat, & vespere orat, non orabit cum feruore deuotionis, & charitatis, & multò minùs qui communicauerit heri, & hodie orat, quamvis gratia iustificante insignitus; atque ita non consequerentur indulgentiam, nisi illi, qui statim post communionem factam intra præscriptum tempus piè orarent, vnde nullus, nisi matutino, tempore, posset illam lucrari, siquidem vespertino tempore, consummatis speciebus sacramentalibus, iam non sunt ampliùs illi feruores, & actualia auxilia sacramentalia. Quare ad hoc inconueniens vitandum dicendum est, quòd qui peccauit, & amisit gratiam, non erit necesse, cum iustfea per pœnitentiam resurgit, quòd ista auxilia specialia habeat, neque qui indignè communicanit, & consequenter ea non recepit, necesse est, quod illa postea habeat, sed sufficiet, quòd communio informis suum sortiatur effectum, vt dictum est *num. 8. & 9.* intra præfixum tempus. Neque ex eo, quòd amissa sint per peccatum dicta auxilia communionis effectus, desunt nobis alia opportuna remedia, seu auxilia post pœnitentiam misericorditer à Deo collata, quibus possimus dictas pias preces absque noua communione cum feruore peragere. Quod cum admiratione dixit Ambros. lib. 2. in Lucam. *Vide, quam bonus Deus & facilis indulgere peccatis, non solum ablata restituit* (gratiam scil cet deperditam) *sed insperata concedit*; quæ sunt aliqua auxilia specialia, gratiosè, & liberaliter condonata.

14. Concludit igitur, quòd quotiescumque in prædicto die S. P. N. à primis vesperis, &c. quis conatur recipere dictam indulgentiam peractis debitis diligentiis, quamvis piæ preces non sint admodùm intensæ, acquirit nihilominùs efficaciter omnium pœnarum absolutionem. Quòd si nulla adsit pœna remittenda, non per hoc est infructuosa dicta repetitio piarum precum seu visitationis ecclesiæ; nam ea acquiruntur ex opere operantis multa bona, augmentum scilicet maioris gratiæ, & meritorum æternæ gloriæ, augmentum christianæ religionis, & profectus animarum, impetratio bonorum pro Ecclesiæ catholicæ thesauro. Quòd si peccatum aliquod mortale intra præfixum terminum post consecutionem indulgentiæ, patrare contingat, cum pro lucranda indulgentia non sit necessaria confessio, sed sufficiat sola vera contritio, peratur hæc à Deo, cum dolore peccatorum, & precum repetitione, & denuo indulgentia acquiretur. Intelligere namque, quòd absque noua confessione, & communione non potest denuò acquiri ista indulgentia, est fidelium deuotionem minuere, & animas sine remedio relinquere contra finem intentum à Papa in confessione nostræ indulgentiæ. Compungi ergo, & conteri de peccatis, preces repetere absque noua confessione, & communione, in nullo potest nocere, etiam dato; quòd opinio mea in re non esse vera, adiuuat, animat, & calefacit miserum peccatorem, vt citiùs veniam suorum peccatorum consequatur, si præsertim probabiliter credat, quòd ipsi conceditur indulgentia plenaria toties, quoties id fecerit. Hæc Ximenez *in præfato tractatu.*

15. Ad vltimum pro hac nostra indulgentia aduerte, quòd transfertur cum translatione festi eiusdem S. Francisci, per speciale decretum Greg. XIII. quod fuit omnino necessarium; nam alioquin indulgentia non est transferenda, sed accipienda eodem die, licèt festum quò ad diuinum officium transferatur. Ita Azor. *tom. 2. lib. 1. cap. 28. q. 8.* Portel *in addit. ad dub. regul. verb. Festum, num. 1.*

16. Noto etiam circa constit. 5. eiusdem Pontificis, quòd *nu. 1.* dicebam, quòd electiones per compromissum in nostro Ordine in capitulis generalibus erant in vsu. Aduerto autem nunc, quòd bene faciet dictum capitulum, si compromittat in aliquos numeros dispares, propter facilitatem hominum ad discordandum, argum. *leg. Item si vnus, §. principaliter tamen, ff. de recept. arbitr.* vt saltem maior pars conueniat.

17. Et aduerte, quòd si vnus de capitulo non consentiret, vt tales electiones fierent hoc modo, fieri nequirent, licèt alij omnes consentirent, *c. In causis, de elect.* vbi Io. Andr. *num. 7.* & Panorm. *nu. 3.* De Baysio *in direct. elect. p. 3. cap. 18. num. 1.* Mandag. *de elect. cap. 39. & cap. 21.* vbi Boër. *lit. c.* Lauor. *de elect. tit. 4. cap. 19. num. 31.* Et ratio est, quia cuiuslibet interest singulariter, vt eligat per se, & non per alium: Et in re communi potior est conditio prohibentis, vt *in reg. In re communi,* quæ est *56. de reg. iur. in 6.*

18. Aduerte etiam, quòd *dicto num. 1.* dicebam, non posse dictos compromissarios sic electos præfatas electiones facere per communem inspirationem, imò nec per quasi inspirationem, quæ est quando omnes deputati vno ore consentiunt in aliquem, & non constat, quòd auctore Deo id faciant, ut præsumitur, quòd per inspirationem ita eligant ratione concordiæ; nam Spiritus sanctus est in vnitate, & concordia, *cap. Schisma, 24. q. prima, cap. De illis, 24. q. 4.* quæ electio ad hoc vt per quasi inspirationem fit facta, oportet, quòd fiat, absque vitio Simoniæ, conspirationis, coniurationis, requisitionis, seu consensus extra capitulum habiti ante electionem, argum. *cap. Per inquisitionem, de elect.* Et sufficit, quòd omnes concordent simul in capitulo, etiam singillatim, dummodò communis electio sequatur. Et aduerte, quòd in ista electione non debet interuenire tractatus specialis, potest tamen interuenire generalis, v. g. Rogemus Deum, vt bonum nobis concedat Prælatum, seu studeamus facere bonum Prælatum; non autem debet fieri persuasio respectu certæ personæ; Potest tamen Prælatus dicere hoc modo. Frater N. mihi videtur esse bonus pro tali Prælatura. Ita de Baysio *in direct. elect. p. 3. cap. 16. num. 5.* Qui vltimus modus fuit obseruatus à Generali Chamart in cap. generali Romæ 7. celebrato, in electionibus factis à

compromissariis; & has esse licitas, docet De Bayfio *loc. cit. num.* 3. Sed eas vsitari non video in Ordine nostro, & fortè fieri nequeunt. Dictas autem electiones sic factas auctoritate Apostolica confirmauit Cardinalis Protector. Imò dictus P Chamart in electione Collegarum, & Zelosi, quæ fiebant per scrutinium, semper ante electionem cuiuslibet Collegæ dicebat. Pro hoc officio mihi videtur esse bonus Frater N. & deinde deueniebatur ad electionem per scrutinium, qui modus proponendi nullam habet nec in re, nec in iure deformitatem.

CAPVT IV.

De addendis ad Constitutionem Sixti V.

1. NOta, quod in Archiuio nostro Romano apud Patrem Zelosum inueni aliam constitutionem huius Pontificis concessam Fratribus Gallis pro recipiendis nouitiis extra capitula definitoria: quæ constitutio licèt solùm de Fratribus Gallis loquatur, extendi tamen debet ad omnes nationes. Tùm quia per priuilegium Clement. VII. quod refero *tom.* 1. *nostror. priuilegior. in illius constit.* 3 gratia vni concessa, omnibus concessa censetur. Tùm quia hæc constitutio est fauorabilis, & fautores conuenit ampliari. Tùm quia hic nulla adest particula taxatiua, quæ hanc extensionem fieri prohibeat. Tùm quia neque etiam vlla apparet ratio, quare non possit dicta extensio fieri. Ad omnes igitur nationes extendenda.

CONST. VNICA, aliàs III.

Quâ concedit, vt quilibet Prouincialis cum tribus suis Sociis, etiam extra Capitulum Generale, & Prouinciale, possit Nouitios ad Religionem admittere.

SIXTVS EPISCOPVS, SERVVS Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Dilectis filiis Prouincialibus Ordinis Fratrum Minorum sub Regula D. Francisci de Paula per regnum Franciæ constitutis, & eorum cuilibet. Dilecti filij Salutem, &c.

§. *I.* ET si nos anteà de omnibus Ecclesiasticis Ordinibus in ea, qua conuenit, puritate, & dignitate conseruandis attentius cogitantes, nostra desuper perpetuò valitura constitutione statuerimus, & ordinauerimus, ac prohibuerimus, ne deinceps cuiuscumque iuuenis, & viri adulti maioris sexdecim annis à sæculo ad Religionem transire volentis approbatio, admissio, & receptio fieri debeat, nisi in generali, vel Prouinciali capitulo. Nihilominus pro parte vestra. Nobis nuper expositò, quòd capituli vnius generalis, ad aliud in sex annos, prouincialis verò ad triennium celebratio differri consueuit, ac propterea permulti quotidie, quibus vestram Religionem ingredi ob melioris vitæ frugem cordi est, interdum ab eorum sancto proposito, vel malè ab aliis consulti, aut sæpè humani generis, & eorum quietis, ac salutis infestissimi hostis insidiis decepti remouentur, vel ad aliud minùs acceptum omnipotenti Deo vitæ genus transeunt, in graue salutis animarum eorundem, & Religionis vestræ, cuius propaganda in illis partibus, maximè aduersus serpentis vndique hæresis malum, studio adducimini, præiudicium.

§. *II.* Nos propterea præmissis opportunè prouidere, necnon Religionem vestram per vniuersum regnum Franciæ, & ad Dei gloriam, & populi sui ædificationem longè, latèque spargi, & disseminari desiderantes; vobis, vt vnusquisque vestrum, vnà cum tribus eius Sociis eos omnes, qui in Religionem vestram ingredi, & habitum suscipere voluerint, ac professionem emittere decreuerint, & ad id se præsentauerint, quos tamen idoneos iudicaueritis, non expectato generali, nec Prouinciali capitulo, sed quoties opus fuerit, ad habitum huiusmodi, necnon probationis anno completo, ad professionem Regularem, aliaque, quæ desuper necessaria fuerint, adimplere, admittere, facta tamen priùs per saltem vnum ex vobis, & tres Socios vestros diligenti inquisitione de parentibus, patria, & anteacta vita, ac moribus, & dum modò constiterit, eos aliquorum criminum, qualia sunt homicidia, furta, latrocinia, vel alia similia, & grauiora, reos, vel suspectos non existere, nec in constitutione nostra huiusmodi comprehendi, sine alicuius inhabilitate, aut censurarum, vel aliarum in prædicta, vel aliis constitutionibus contentarum pœnarum incursu, liberè, & licitè valeatis, Apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuò concedimus, licentiamque desuper impartimur: non obstante constitutione nostra prædicta, ac aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. — Concedit prout in summario.

§. *III.* Volumus autem, quod vos, & quilibet vestrum sub pœnis priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, prædictas nouitiorum decimum sextum annum, vt præfertur, excedentium admissiones, & receptiones in ipso capitulo prouinciali, vel generali referre, & tam illorum, quàm aliorum desuper per vos, & quemlibet vestrum gestorum approbationem, & confirmationem petere, & obtinere debeatis; quod si secùs factum fuerit, supradicta omnia ex nunc, prout ex tunc irrita, nulla, ac penitùs inualida fuisse, & esse, decernimus, & declaramus. — Mandat dictas receptiones referri in cap. Prouinciali, vel Generali.

Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 28. Aprilis 1588. Pontific. anno 3.

CAPVT V.

De addendis ad Constitutionem Clementis VIII.

1. NOto primò, quòd Clemens VIII. *in eius constitut.* 2. §. 1. & 2. agit de modo faciendi electiones Superiorum. De quibus electionibus licèt multa dixerim in omnibus meis libris, semper tamen

tamen occurrunt aliqua dicenda; vnde quædam notare decreui, & primo quòd de iure communi eligere Prælatum spectat ad subditos, quibus proponendus est *cap. Adrianus, decis. 63. c. In nomine Domini, d. 23. cap. 1. d. 62. c. Miramur, d. 61. c. Congregatio, 16. q. vlt. cap. 1. cap. Cùm terra, c. Inter diuersas, de elect.* Et ratio est, quia sicut sponsæ inuitæ non debet dari sponsus, *cap. Cùm locum, de spons. ne coactio habeat difficiles exitus, cap. Requisiuit à nobis, de spons.* sic nec Ecclesiæ inuitæ est Prælatus præferendus, *cap. Nullus inuitis, decis. 61.* cum inter Prælatum, & suam Ecclesiam fœdus coniugij ineatur, *cap. Licet, cap. Cùm inter, de translat. Episc.*

2. Noto secundò, quòd stante aliqua electione inualida per aliquem defectum, quia in ea non interuenit, v. g. aliquis, qui interuenire debebat, non possunt electores ad aliquam electionem venire, nisi priùs prima illa electio cassetur, vel nisi illa prima sit euidenter, & ipso facto nulla. Cum enim per primam iam contractum sit matrimonium cum Ecclesia, *cap. Cùm inter Canonicos de elect.* non potest Ecclesia in alium consentire, nisi primo illo contractu cassato, vel nisi ille sit pariter nullus; vnde si secunda fiat, prima non cassata, est omnino nulla, *cap. Considerauimus, cap. Congregato, de elect.* P. de Baysio *in direct. elect. part. 1. cap. 5.*

3. Noto tertiò, quòd potest Princeps sæcularis opponere se electioni alicuius Prælati, etiam regularis, sibi suspecti; quæ suspicio si sit vera, & realis, electio nihilominùs secuta retractari debet. Innoc. *in cap. Super his, de accus. num.* 8. Felin. *num.* 6. Abbas *n.* 13. *& in cap. Quòd sicut, de elect. num.* 7. Ex quo singulariter infert, quòd ex causa suspicionis potest Princeps sæcularis non admittere Prælatum institutum per Papam. Dicti verò Principes si persequantur electores, vel eorum consanguineos, eo quia noluerunt eligere personam, pro qua dicti Principes rogauerunt, sunt ipso facto excommunicati, *cap. Sciant cuncti, de elect. in 6.* P. de Baysio *in direct. elect. part. 1. cap. 6. num.* 15. Et *num.* 20. addit, quòd electus per abusum laicæ potestatis, id est per minas, aut importunas preces, quando Princeps solitus est malè tractare, qui eius precibus non obtemperant, est in thronis, & latro cum non intret in ouile per ostium, & quòd tenetur renunciare.

4. Noto quartò, & pone, quòd aliqui de capitulo eligant scienter indignum, præsente illo, ad quem spectat confirmatio, v. g. Generali in capitulo prouinciali, si electio illa cassetur, ad illos, qui in prima electione non consenserunt, electio deuoluitur, si nondum sit elapsum electionis tempus, *cap. Cùm Vuinton. cap. Dudum, el 1. de elect.* Innoc. & Panorm. *in dict. cap. Cùm Vuinton.* De Baysio *loc. cit. cap.* 11. *num.* 2. Sed quomodo sciri potest, quinam consenserint, necne, cum electiones secretò fiant? Dic, quòd potest sciri, quando aliqui dictæ electioni in publico se opposuere, & etiam si priuatim semper contradixerunt; si cum sint amici, consanguinei, & attinentes electi, nihilominus testantur, se non consensisse, extante aliquo signo externo. Vbi sunt in vsu scrutatores, qui vota singulorum scrutantur, non est difficultas. In Ordine nostro, vbi tales scrutatores non sunt in vsu, iuramento scribæ cum aliquo ex supradictis adminiculis stari poterit. Si autem minor pars non solùm se opponat electioni indigni à maiori parte factæ, sed etiam ipsa eligat dignum, confirmari debet hic electus à minori parte; quia maior pars per electionem indigni est priuata potestate eligendi: & est casus expressus *in cap. Congregato, de elect.* Ita Lauorr. *de elect. a. 21. n. 46. & 47.*

5. Si quæras, an possit dici indignus, qui habens scientiam, & prudentiam, licèt malus, Prælaturam tamen adeptus, eam prudenter, & benè regit, seu recturus est. Respondet Ioan. de Selua *in tractat. de benef. part. 3. quæst. 7. num.* 11. *&* 12. quòd non. Nam ait Archid. Floren. *in 2 part. sum. de statu sum. Pontif.* quòd aliquando qui non sunt boni homines, singulari prouidentia Dei sunt boni Prælati. Et *in § fin. decis.* 83. dicitur, quòd prædicatio criminosi Sacerdotis non debet contemni; quia, ait Hieronym. *Vt lixiuium per cinerem humidum fluens lauat, & non lauatur, ita bona doctrina per malum Doctorem animas credentium lauat à sordibus peccatorum.* Facit *cap. Si iustus, 1. q. 1.* ibi: *Per lapideos canales transit.* Vnde qui occulto malo, tamen electori noto, habenti dictas conditiones suffragaretur, mortaliter non peccaret, per dicta. Sed ego non puto recedendum ab his, quæ dixi *tom. 1. Relig. q. 1. c. 31. § 3.*

6. Noto quintò, quòd Papa, qui est omnium Religionum caput, habet omnimodam, & absolutam potestatem super omnibus, & quibuscumque electionibus tam Regularium, quàm aliorum, vt colligitur *ex cap. Significasti, de elect. cap. Ad honorem, de vsu pallij, cap. Proposuit, de concess. præb.* Pone ergo, quòd mandet omnibus electoribus capituli generalis, v. g. quòd eligant de consilio sui Secretarij, si capitulum dictum consilium non expectet, sed ad electionem procedat, valebit ne electio facta? Respondeo quòd non. Nam capitulum tenetur requirere consilium dicti Secretarij, & per congruum tempus expectare responsum, *cap. Cùm in veteri, de elect.* Verùm quidem est, quòd non tenentur dicti electores sequi consilium dicti Secretarij, per communia iura, licèt fortè contrarium possit dici in hoc casu. Et aduerte, quòd solus Papa potest hoc mandare per potestatis plenitudinem, quam habet, vt dixi. Vnde neque Nuncij, neque Protectores hoc possunt, nisi habeant à Papa specialem facultatem. Ita de Baysio *in direct. elect. part. 1. cap.* 13.

7. Noto sextò, quòd simoniaca electio est omnino nulla, *cap. Si aliquis, de elect. cap. Sanctarum Patrum, 1. quæst.* 1. Sed pone, quòd vnus solus electorum sit simoniacus, ignorantibus aliis, imò & electo ipso, erit ne nulla electio? Respondeo. Est tam malignantis naturæ simonia, quòd inualidabit electionem, nisi corruptores in fraudem ne talis eligeretur, illum corrumpere studuissent. Ita expressè habetur *in cap. Nobis de Simonia.* Et aduerte, quòd hoc est verum, etiamsi suffragium illius, qui per simoniam fuit corruptus, non fuisset necessarium, *cap. Matthæus, de simon.* Aduerte etiam, quòd quando eligendus, vel alter ipsius nomine, seu etiam ipso nesciente, promittit, v. g. Collegatum alicui, si sibi suffragetur, committitur simonia, per textum expressum *in cap. De hoc, de simonia,* & docet P. de Baysio *loc. cit. cap. 74. num. 3. & part. 2. cap. 28. num.* 6. Cui prorsùs non videtur contraria praxis, quæ seruatur in aliquibus capitulis Regularium, in quibus diuersæ fiunt electiones, vbi conueniunt electores in electionis tractatu de aliquo eligendo in Generalem, v. g. vel Prouincialem, vt deinde tales eligantur in Collegas, & talis in Zelosum, &c. nam eligendus non promittit aliquid, quod pendeat à sua libera potestate, quòd solum prohibere videtur *cap. Illud de hoc,* nam quantumvis hoc eligendus promiserit, adhuc electoribus liberum est illum eligere, vel non eligere, & eligendus solùm habet in illis electionibus votum suum (licèt enim etiam habeat propositionem, & iam electo multi gratificari desiderent, id tamen cogit, nam multi alij nihilominùs contradicunt) vnde ista praxis videtur potiùs quædam conuenientia, seu concordatio electionum faciendarum ad terminandum electionis tractatum, quàm realis aliqua promissio. Est enim tractatus in electione per scrutinium necessarius, Gloss.

in

in cap. In nomine Domini, verb. Tractante, decis. 33. aliter non valeret electio, *cap. in Genesi, de elect.* cum tractatus sit veluti præparatio ad electionem; nam in eo fit discussio eorum, quæ facienda sunt in electione. Neque per huiusmodi tractatum ius aliquod quæritur partibus, donec res fuerit firmata per electionem, *cap. Tua nuper, de his, quæ fiunt à Prælatis, &c.* Vnde tractatus necessarius est, vt in eo conueniant electores, & quilibet dicat, quid sibi videtur, vt ait Gloss. *in dict. cap. Tua nuper, verb. Tractatu.* Et in hoc tractatu nominantur plures, qui videntur digni electione, & fit collatio nominatorum meriti ad merita, iuxta *cap. In Genesi, cap. Cumana, de elect.* Sed aduerte bene, quòd loquor semper de tractatu consultorio, non conuentionali, aut conditionali; nam isti tractatus sunt omnino prohibiti, & de istis intelliguntur decreta, quando tractatus prohibentur. Sic explicat Passar. statutum nostri Ordinis factum *in cap. Barc.* 1. *num.* 14. *in Schol. super idem cap.* Panorm. *in cap. Bona, el* 2. *de elect. num.* 12. Quare non videtur damnandus tractatus in huiusmodi capitulis hoc modo factus, v. g. Conuenerunt maior pars ad eligendum Petrum, tanquam omnibus meliorem sua sententia: Item conuenerunt ad eligendos tales Collegas, & talem Zelosum, qui etiam visi sunt omnibus meliores: Hoc facto, accedunt ad eum, quem determinarunt eligere, & illi suam voluntatem declarant; tam quò ad electionem in persona sua faciendam, quàm quò ad alias electiones in personis designatis, non damnarem in hoc casu eligendum, qui responderet: *Ego non resistam voluntati Dei, & Patres, quos mihi proponitis in Collegas, & Zelosum, mihi meritissimi videntur: vnde illorum electionibus non resistam, sed potiùs fauebo.* Pro electionis tractatu vide Lauor. *de elect. c.* 6. *à n.* 50. Dianam *tom.* 2. *tract.* 16. *resolut.* 35.

8. Et aduerte hic etiam, quòd quando datur pecunia ab eligendo, committitur simonia, etiamsi eligentes essent eum aliàs electuri absque tali datione, aut promissione, siue talis pecunia data sit electoribus, siue alicui tertio, putà amico, vel consanguineo electorum; nam pro iure spirituali quærendo non debet aliquid dari, *cap. Ad aures, de simonia.* Si verò pecunia data sit ab aliquo tertio alicui amico electorum, vel electores erant aliàs electuri, valet electio: quia in eo casu neque eligentes, neque eligendus fuerunt in culpa: si autem non erant aliàs electuri, non valet electio. Ita Panorm. *in cap. Nobis, de simon. num.* 5. De Baysio *in direct. elect. p.* 2. *cap.* 28. *num.* 8. *&* 9.

9. Noto septimò, quòd in aliquibus monasteriis Monialium, & fortè etiam in aliquibus Fratrum, in quibus certus numerus est assignatus, vltra quem nullus recipi potest, nisi cum talibus conditionibus, recipiuntur aliquæ Moniales, vel Fratres, qui Supranumerarij vocantur: Quæritur, an dicti supranumerarij vocem habeant in capitulis conuentualibus, & in electione Prælatorum? Hanc quæstionem examinant Innoc. *in cap. Cùm M. de constitut. num.* 4. & ibi Panorm. *à num.* 19. & Felin. *num.* 23. De Baysio *in direct. elect. part.* 1. *cap.* 27. Ex quibus conclude, quòd si in hoc adsit aliqua consuetudo, ea seruanda est, nam in hac materia plurimùm consuetudo potest, *cap. Cùm olim, de Clerico coniug. cap. Cumana, de elect.* Innoc. *in cap. Coram, de elect.* & Bays. *loc. cit. cap.* 26. *num.* 5. *&* 6. Si autem consuetudo non adest; vel qui recipitur, recipitur vt supranumerarius, & constat, quòd non est simpliciter de familia dicti conuentus, sed solùm dispositiuè, quando scilicet mortuus fuerit aliquis ex ipsis, sic non poterit habere vocem in dictis capitulis, & multò minus in electione Prælati; Vel recipitur simpliciter absque adiecto supranumerarij, supposita debita facultate, & tunc vocem habebit, quia censetur, quòd eum sibi omnino associare intendant. Si autem talis Monialis, vel Frater recipiatur auctoritate Papæ; vel Papa mandat eum recipi in numerum Fratrum, non obstante completione numeri & habebit vocem in capitulis, sicut alij, vel absolutè, & simpliciter absque mentione dictæ numeri completionis, & non habebit vocem quia non censetur illi statuto derogare voluisse, vt colligitur *ex cap. Cum illorum, de preb.* Quòd si dubitetur de mente Papæ, dic, quòd non videtur derogare voluisse præfato numero iam designato.

10. Noto octauò, quòd quando quis electioni de se factæ renuntiat in manibus cuiuscumque Prælati, tunc electio deuoluitur ad primos electores de iure communi, *cap. Si electio, de elect. in* 6. Sigismund. *de elect. dub.* 12. *num.* 1. quod tamen limitat *num.* 5. nisi iam dissoluto capitulo electorum, quisque ad propria remeasset; nam tunc propter incommoda, quæ inde prouenirent ex noua capituli coadunatione, posset Prælatus Generalis, vel Prouincialis prouidere. Docet autem P. de Baysio *in direct. elect. part.* 3. *cap.* 1. *à num.* 2. quòd prouidere de Prælato per renuntiationem pertinet ad illum Superiorem, in cuius manibus facta est renuntiatio: & addit, quòd ita seruat Senatus Parisiensis. In Ordine nostro circa hoc punctum nihil inuenio determinatum; nam statuta *cap. Val* 4. *num.* 23. *&* 30. non loquuntur in hoc casu, sed solùm in casu mortis, vel depositionis, & in defectu electionis. Anno tamen 1627. die 16. Iulij sacra Congregatio negotiis Regularium præposita, Illustrissimo Bentiuolio referente, audito priùs Procuratore generale Ordinis, censuit, electionem Definitoris Prouinciæ Anconitanæ, qui in manibus Generalis renuntiauerat, faciendam esse, non per Generalem, sed per capitulum intermedium, iuxta Ordinis constitutiones; atque ita eam sic fieri mandauit. Et subscripta. Laudiuius Cardinalis S. Sixti. Sed tamen in praxi video obseruari doctrinam de Baysio. Nam dictus Definitoriatus, pro quo exiit præfatum decretum Congregat. fuit prouisus per P. Generalem Simonem Bachelier, in cuius manibus fuerat renuntiatus anno 1626. & dicta prouisio quamvis multùm agitata permansit. Et anno 1624. idem Generalis cum suis Collegis in Prouincia Neapolis substituit Collegam, & Definitorem loco P. F. Antonij Rangolij, qui in eius manibus renuntiauerat? Quod in eadem Prouincia factum priùs fuerat, anno scilicet 1602. per renuntiationem P. Basilij Tagliaferri, P. enim Stephanus Augerius tunc Vicarius Generalis loco illius substituit P. Bernardum à Capua. Et in Prouincia Messanæ anno 1619. à P. F. Francisco de Mayda Generali suffectus, & electus est in Definitorem P. F. Ioseph à Messana loco P. F. Ignatij de Ioiosa, qui in manibus dicti P. Generalis Definitoriatui renuntiauerat. Et ab eodem Generali suffectus est in Collegam generalem P. F. Vincentius à Consentia loco P. F. Syluestri de Mayerato, qui dicto Collegatui renuntiauerat in manibus ipsius. Et loco dicti P. F. Vincentij, qui renuntiauerat Prouincialatui Tusciæ, fuit ab eodem Generali cum suis Collegis electus P. F. Antonius de Mayda: & alibi sæpè factum vidi, & intellexi: Quare puto, licitè posse fieri, consuetudine approbante. Neque obstat ius commune; nam potest consuetudine abrogari, & etiam per statuta particularia corrigi; cum præsertim non sit prohibens, sed concedens. Decretum Congregationis innititur statutis Ordinis, quæ tamen nulla apparent, vnde conuincitur Congregationẽ fuisse malè informatam. Et nouissimè pro Ordine nostro *in cap. Barchin.* 3 *sess.* 5. *num.* 12. statutum est, quòd si Corrector electus renuntiauerit electioni de se factæ in cap. Prouinciali, tunc electio

pertinet

pertinet ad dictum capitulum: quod si renunciaverit extra capitulum coram Prouinciali, tunc electio deuoluitur ad capitulum conuentus, cuius renuncians fuerat Corrector electus. Et tandem inueni in c. *Val.* 5. num. 19. ad 4. quòd quando aliquis Collega generalis officio renunciat, electio successoris fieri debet à Generali cum suis Collegis, & Prouinciali Prouinciæ, in qua renunciauit cum suis similiter Collegis. Quare concludendum videtur vniuersaliter, quòd electio facienda per renuntiationem debet fieri ab eo Prælato, in cuius manibus facta fuit renunciatio, nisi aliter in casu particulari statuta specialiter decernantur.

11. Noto nonò, quòd mortuo Prouinciali in aliqua Prouincia, electores successoris in Ordine nostro sunt Corrector, & Collegæ. Sed pone, quòd mortuus sit etiam Corrector, quisnam debebit congregare capitulum? Resp. Quòd antiquior Collegarum. Ita Innoc. in cap. 1. *de maior. & obed.* num. 2. vbi Felin. num. 1. & Abbas num. 4. & in cap. *Cùm nobis, de elect.* num. 9. P. de Bays. *in direct. elect.* 3. *part. cap.* 4. num. 1. Qui quidem antiquior Collegarum poterit statuere terminum pro electione facienda, cum consensu illorum electorum, qui erunt præsentes. Postquam omnes electores vocauerit ad comparendum tali tempore in collegium, si aliqui non compareant, poterit ipse cum illis, qui aderunt, ad electionem procedere, vt dicunt præfati Doctores & Baysius num. 2. & 3. Mortuo verò Correctore, congregare capitulum ad antiquiorem Seniorum spectat, non antiquiorem conuentus, nisi in defectu Seniorum, id est Sociorum Correctoris in ordine nostro; De Baysio *loc. cit.* num. 5. Aduerte autem, quod iste antiquior Collegarum, vel Seniorum non potest restringere terminum datum à iure ad eligendum, de quo in cap. *Ne pro defectu, de elect.* qui est trium mensium, intra quem terminum tenentur etiam eligere electores in nostro Ordine, per *cap. Romanum* 6. num. 14. dub. 2. Nam dictus terminus appositus est in fauorem collegij, vnde non potest ille solus ei renunciare, electores tamen præsentes cum causa, quæ tamen subest eo ipso quòd volunt prouidere Ecclesiæ vacanti, vt ait Panorm. mox citand. ei renunciare possint. *leg. Si quis in conscrib. Cod. de Episc. & Cler. cap. Ad Apostolicam, de regul. regula Indultum, de reg. iur. in* 6 Ita Panormit. *in cap. Cùm nobis, de elect.* num. 9. De Baysio *loc. cit.* num. 4. & *cap.* 6. num. 2. Aduerte tamen, quòd nouissimè pro Ordine nostro in cap. *Barc.* 3. num. 3. statutum est, quòd in casu mortis Prouincialis sigilla remaneant penes antiquiorem Collegam, qui præsidere habeat in capitulo electionis Vicarij prouincialis. Et num. 4. statutum est, quòd in casu mortis Correctoris remaneat Vicarius vsque ad nouam electionem ille, qui durante infirmitate, à Correctore defuncto institutus fuerat. Aduerte etiam, quòd si moriantur omnes electores præter vnum, ille solus potest eligere. Ita Glossa *in cap. Gratum, verf. Pauciores, de postulat. Prælat.* Innoc. *in cap. Cùm nobis, de elect.* num. 6. Abbas *in cap. Gratum, de postul. Prælat.* n. 7. & 9.

12. An autem sufficiat maior pars electorum ad dictum terminum restringendum? Ego *tom.* 1. *Relig. quæst.* 1. *cap.* 31. § 6 *conclus.* 3. *verf. Si quæras*, dixi, quòd duæ partes sunt necessariæ ad dictum terminum restringendum; quod etiam sentit Mandag. *de elect. part.* 1 *cap.* 16. Panormit. *loc. cit.* Neque maior pars ad hoc sufficit, licet ad alios actus, & electiones sufficiat. Nam inta, quæ dicunt standum esse maiori parti capituli, intelliguntur quando capitulum est congregatum, in quo saltem interfint duæ partes electorum. Ita Panorm. *loc. cit.* Vnde collige, quòd si ex nouem electoribus sex velint facere electionem de mane, & reliqui vesperè possunt illi sex ad electionem procedere aliis non expectatis; nam hic maius trahit ad se minus.

13. Et aduerte vnum bonum punctum ad frænandos bellos humores, quod quando est statuta dies electionis, si aliqui electorum non compareant de mane, quando electio fieri solet, possunt qui sunt præsentes electionem hora solita facere. Ita P. de Baysio *in direct. elect. part.* 3. *cap.* 11. *n.* 20. Mandag. *de elect. part.* 1. *cap* 17. vbi ait, quòd in electionibus in quibus sobrietas exigitur, & consueuit missa Spiritus Sancti celebrari, nisi absentes mane veniant in die, quæ eis extiterit assignata, præsentes possunt procedere, illorum absentia non obstante: ad quem locum multos citat Boër. Ioan. Andr. *ad specul. de elect.* §. 1. num. 7. *verf. Diem*, Innoc. *in cap. Cùm nobis de elect.* num. 5. vbi Abbas num. 11. Felin. *in cap. Cùm M. de constitut.* num. 6. Et ratio est, quia citatus ad certum actum debet adesse illa hora, quia ille actus solet expediri? Felin. *in cap. Consuluit, de offic. deleg.* num. 5. Tum quia quando hora est de consuetudine, vel natura actus, expressio diei habetur pro expressione horæ. Ita P. de Baysio *loc. cit.* num. 2. Possunt tamen eos expectare si volunt, dum tempus non expirat; Boër. *loc. cit.*

14. Et aduerte etiam, quod in vocatione absentium non requiritur trina monitio, sed sufficit vna vocatio, seu requisitio; Gloss. *in cap. Si Episcopus, verf. Præceptione, decis.* 18. Innoc. *loc. cit.* Abbas etiam *cit.* num. 10. De Baysio *in direct. elect. part.* 3. *cap.* 1. num. 4. nam regulariter in requisitionibus extraiodicialibus sufficit vna requisitio, præsertim quando pat requirit parem, vt ait dicta Glossa, & Panorm. Neque obstat *cap. Plebs, decis* 63. vbi plures vocationes requiruntur. Nam id fit de gratia, vt notat Boër. ad Mandag. *de elect. part.* 1. *cap.* 18. *lit.* C. Seu dic, quòd illæ plures vocationes Cleri non sunt ad eligendum, sed ad consentiendum, seu videndum eligere Pastorem, vt ibi Gloss. *verb. Ex omnibus.*

15 Aduerte etiam, quòd in morte Generalis nostri Ordinis antiquior Collega, qui recipit sigilla, debet monere omnes electores successoris, & procurare, vt literæ illis tradantur in præsentia testium, ne possint negare, & deinde agentes de contemptu electionem factam inualidare. Ita Mandag. *de elect. part.* 1. *cap.* 4. nam præsumitur quis non citatus, nisi probetur; *cap. Quia sicut, de elect. cap. Preposuisti, decis.* 82. & ideo incumbit probatio non ei, qui negat se citatum, sed qui citat, eum citatum, vt notat Gloss. *in cap. Quod sicut, verb. Præsumitur, de elect.* & Boër. *ad cap.* 4. Mandag. *littera* P. Sed pone casum, quòd iste Vicarius generalis per malitiam se absentet à capitulo, & idem die, si Generalis se absentet à capitulo generali, & Prouincialis à capitulo prouinciali, nec Vicarium instituant, quis præsidebit in dictis capitulis? Respondeo quòd tunc celebrare capitulum pertinebit ad alios capitulares, & præsidebit in capitulo generali antiquior Prouincialis, & in capitulo prouinciali antiquior Corrector argumento *cap. Volumus, decis.* 89. vbi Gloss. *verb. Clerus.* In capitulo autem celebrando à Collegis cum Correctore per mortem Prouincialis, si antiquior Collega, apud quem remanserunt sigilla per statutum Barcin. 3. *sess.* 4. moriatur, videtur, quòd in Ordine nostro præsidere debeat antiquior ex aliis Collegis superuiuentibus. Sed puto, quòd præsidere debeat Corrector, quousque aliud declaretur, iuxta doctrinam Innoc. *in cap.* 1. *de Maiorat. & ob. num.* 1.

16. Aduerte autem, & pone causam, quòd congregati electores pro eligendo Generali, vel Prouinciali loco defuncti, statuerint diem electionis, possunt ne illum diem postea mutare, & iam designatum terminum

minum prorogare, vel abbreuiare? Respondeo quòd sic, per *cap. 1. de his, quæ fiunt à mai. par. c. leg. Quod maior, ff. ad municip.* Buër ad Mandag. *cap. 16. lit. C.* Sed pone, quod die concorditer statuta, electores in pari numero discordent, (intra terminum à iure præfixum) & aliqui velint electionem facere, reliqui velint terminum prorogare, & de facto dictum terminum prorogent, aliis contradicentibus in numero pari; qui quidem contradicentes eligant Prælatum, & reliqui, qui terminum statutum prorogarunt, eligant alium Prælatum, citatis primis in termino ab ipsis prorogato, quisnam horum erit verus Prælatus? Dico, quod valet electio facta ab his, qui die prima statuta elegerunt; nam prorogatio termini non potest fieri nisi à duabus partibus capituli, & cum causa, vt dixi hic *suprà, num.* 12. Boët. *loc. cit.* tenet quod non valet, quia dicta prorogatio non potest fieri, nisi à maiore parte capituli.

17. Aduerte etiam, quod quando dicitur, quod electio Prælati loco defuncti debet fieri intra tres menses à die mortis, isti menses computari debent secundum Calendarium de die ad diem, imò de momento ad momentum. Quia cum hoc tempus sit inductum in fauorem Ecclesiarum, & odium negligentium eligere, ne scilicet Ecclesia detrimentum patiatur, non debet vltra illos tres menses vacare, vt habetur *in cap. Ne pro defectu, de elect.* Vacaret autem vltra dictos tres menses, nisi hoc spatium computaretur à die, imò ab hora mortis; sicut enim in eligendo ad Episcopatum requiritur annus trigesimus completus, *cap. Cùm in cunctis, de elect.* & in nouitio admittendo ad Religionem requiritur annus nouitiatus completus, & annus similiter professionis debet esse completus, ita hic; de similibus enim idem est faciendum iudicium, *c. Inter corporalia, de translat. Episc.* Ita Mandag. *de elect. p. 1. cap. 3.* vbi Boët. *lit. M.* Lauor. *de elect. tit. 4. c. 18. n. 20.*

18. Aduerte quoque, & pone, quod in electione Generalis, vel Prouincialis loco defuncti, aliqui electorum, qui non fuerunt vocati, compareant in capitulum facto, & publicato scrutinio, quid faciendum? Dico quod incipiendum est à principio & retractari debent, quæ facta sunt, nisi ipsi pro bono pacis voluerint ea rata habere; nam manifesti iuris est, quod iis absentibus non fuerat procedendum; *cap. Quod sicut, cap. Bona, el 2. de elect.* Si autem vocati veniunt dum fit scrutinium, etiam ipsi admitti debent ad suffragia, & reliqua vsque ad Conclusionem Capituli; scrutinium tamen iterandum non est; & similiter si veniant facto, & publicato scrutinio, admittuntur ad ea, quæ remanent facienda, facta autem stant in suo robore, sibi enim est imputanda negligentia. Mandag. *de elect. part. 1. cap. 33.*

19. Noto decimò, quòd apud Regulares quando aliqui se electioni opponunt, siue ius suum prosequantur, siue Ecclesiæ, siue obtineant, siue non, expensæ debent solui de communi; alioquin, cum proprium non habeant, peribit ius proprium, & Ecclesiæ. Ita Gloss. *in cap. Cupientes, §. fin. vers. Iudicabit, in fine,* & habetur expresse *in cap. Ex parte, & cap. olim de accus.*

20. Noto vndecimò, quòd si in electorum Superiorum regularium Præsidens capituli præcipiat scrutatoribus sub merito sanctæ obedientiæ, & pœna excommunicationis latæ sententiæ, nec recipiant suffragia oretenus, tradi solita pro aliquibus certis personis vltra numerum, qui sit electioni insufficiens, sed tali numero existente, dicant aliis electoribus ad aures, quod dent aliis eorum vota, electio sic celebrata est nulla. Ita refert Castel. *de elect. cap 4 num 66.* respondisse sacram Congregationem anno Domini 1625. in hæc verba: *Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum, hanc eligendi rationem, quæ libertati electionis, ac naturali consensus aduersatur, omnino improbauit, censuitque electiones huiusmodi celebratas, si scrutatores præcepto Superioris obtemperantes, singulorum eligentium vota non receperint, pro Canonicis non haberi.* Item electio censetur nulla, quando Superior diceret electoribus, inaudita parte se nolle vt eligatur talis, propter iustam causam, quam ipse solus in conscientia scit esse veram; Nam tunc non tenentur electores obedire, & si obediant, electio est nulla; nam sola Superioris attestatio non est sufficiens approbatio. Ita Sigism. *de elect. dub. 95.* Lauor. *loc. cit.* Verùm si electores per illud dictum Superioris eum existimarent minùs idoneum ad tale munus, & sic excluderent, & alium magis idoneum eligerent, valeret electio, modo nullam probabilem suspicionem haberent de Superioris fraude.

21. Noto duodecimò, quòd *tom. 1. Relig. cap. 31.* multa dixi circa electionem, quibus nunc paucula addam. Et primo *dict. cap. 31. notab. 9.* dicebam, quod electus ad aliquam dignitatem tenetur consentire intra mensem; Sed quid: si infirmetur, ita vt consentire non possit? Dic, quod non currit tempus, nisi à die, quo commodè consentire potest, vel non, *cap. Quàm sit, de elect. cap. Quia diuersitatem, de concess. præb.* nam lex debet esse possibilis, *cap. Erit autem, dcist. 4.* Qui autem non potest electioni consentire absque licentia sui Superioris, ea obtenta habebit adhuc mensem ad consentiendum: nam ante obtentam licentiam consentire non poterat, vnde cum non sit in mora, tempus ei currere non debet, sed incipiet statim currere habita licentia, argumento *cap. Quia diuersitatem, de concess. præb.* Boët. *ad cap. 31. 1 part.* Mandag. *litera P.* Aduerte etiam, quod §. 2. *eiusdem cap. 31. quæst. 7* dicebam, electorem eligentem non adhibitis debitis diligentiis peccare mortaliter, nam tunc videtur scienter eligere, *leg. Patronum, ff. de confirm. vtil. vel inutil.* quia debent electores per se, vel per alios, inuestigare de persona eligenda. Et etiam, quoties ad instantiam alicuius eligunt quem omnino ignorant, quoniam culpa non est excusabilis, ex Trid. *sess. 24. cap. 18. de reform* Et qui non facit, quod de iure tenetur, præsumitur in dolo, *cap. Innotuit, de elect.* vbi Abbas *num. 9. 21. & 22.*

22. Noto decimo tertiò, quòd *in eodem cap 31. §. 5.* dicebam, in electionibus indigenas dignos præferendos esse dignioribus extraneis. Quod etiam docet Capata *parc. 2. cap. 8. num. 3.* P. Gregor. *tract. de elect. cap. 12. num. 8.* Garcia *de benef. part 7. cap. 9. num. 1. & 2.* vbi multos refert, & ait, quod in Gallia, & in Castella id obseruatur. Adde in statu Venetorum etiam quo ad Regulares. Petrus de Baysio *in direct. elect. part. 1. cap. 4. num. 2.* Diana *tom. 3. tract. 5. resolut. 110.* Cuius rei duas affert rationes Philo *de creat. princ.* Prima: *Ne sibi magnam vim auri, argenti, pecorumque colligat, spoliatis iniustè subditis.* Altera: *Ne propter sua priuata commoda gentem traducat in regionem aliam, & subinde aliò, atque aliò migrare iubeat, ostentata vana spe agri vberioris, & omissa certa possessione pristina.* Neque his obstat *cap. Ad decorem, de instit.* vbi mandatur dari Ecclesiasticas dignitates, viris literatis, & idoneis, vndecumque originem ducant; nam loquitur in casu, in quo naturales non adessent, vt Gloss. ibi, *vers. Vndecumque,* vbi Panorm. *num. 4.*

23. Noto decimo quartò, quòd *in §. 8. eiusdem cap. 31. conclus. 3.* dicebam, quod si vnus electorum publicè manifestaret suum votum, permittente capitulo, electio est nulla. Atque ita Garcia *de benef. part. 5. cap. 4. num. 184.* Nauar. *lib. 1. consil. de elect. consil. 9. num. 3.* Castel. *de elect. cap. 5. num. 25.* Sigism. *de*

de elect. dub. 31. *num.* 4. Lauor. *de elect. tit.* 4. *c.* 19. *numero* 55. Quod ita vetum est, vt sit nihilominus nulla electio, etiamsi elector per ignorantiam dictum votum publicaret. Et sic fuisse à sacra Congreg. declaratum, refert Sigism. *loco cit. num.* 10. Quòd si quis attentaret dare votum suum publicum, id permitti non debet, ne irritetur electio. Imò ille tanquam indignus potest per Prælatum solum à capitulo excludi pro illa vice; Garcia *num.* 195. Lauor. *loco cit.* Castell. *n.* 26. & *in addit. ad c.* 7. *num.* 1. Sigism. *num.* 3. & 11. qui tamen limitat *num.* 12. nisi ignorantia probabile excusetur; nam licèt decretum irritans liget etiam ignorantes quo ad nullitatem actus, secus tamen dicendum est quo ad alias pœnas, Gloss. *in Clem. Nolentes, verb. Ex tunc, de haret.* & alij, quos refert dictus Sigism. *loco cit. dub.* 3. *n.* 7. Et aduerte, quòd dictus Sigism. *dub.* 31. *numero* 13. censet, quod non solum priuari possit potestate eligendi, qui suffragium suum publicè manifestat, sed etiam alij electores audientes, & tacendo ratificantes; Nam tunc intrat reg. 43. de reg. iur in 6. *Qui tacet, consentire videtur*, cum ad omnes, & singulos electores pertineat, vt electio canonicè fiat. Non vitiaretur autem electio, si ante electionem, vel post quis eligentium diceret, se velle eligere, vel elegisse hunc, vel illum, quia ex huc in rei veritate non desineret esse secreta, dicto enim illo non obstante, potuit pro alio suffragium ferre, licèt malè faceret id publicans, & posset puniri. Atque ita sacram Congreg. declarasse, refert Garcia *loco cit. num.* 197. his verbis. *Ante, vel post scrutinium electoribus nullo modo licet, cui votum suum dederint, publicare.* Atque ita dicunt Castel. *in addit. cit. num.* 2. Lauor. *num.* 56. Nauar. *lib.* 1. *consil. de elect. consil.* 9. *num.* 3.

24. Aduerte autem, quòd si scrutatores, & scriba reuelarent alicui secretò aliquod suffragium, v. g. quem non fuisse suffragatum tali, vel tali, peccarent omninò mortaliter contra præscriptum Concilij Trid. vetantis singulorum eligentium nomina publicari. Et dicunt Garcia *de benef. p.* 5. *c.* 4. *n.* 193. Lauor. *loco cit. n.* 57. Sigism. *de elect. dub.* 31. *n.* 5. & 7. quòd electio secuta est nulla, quia secretudo in electione requiritur pro forma, vt Garcia *n.* 183. vnde cum forma sit indiuisibilis, vnus solus sufficit eam vitiare; Sed electionem non esse nullam, dicunt Nauarrus *loco cit.* & Rodriquez & Mir. quos cito *tom.* 1. *Rel. loco cit. num. praced.* nam in potestate particularium esset electionem viiare pro libito.

25. Noto 15. quòd *in eodem cap.* 31. §. 8. *tomo* 1. *Relig. concl.* 4. dicebam, quòd accusatus de aliquo delicto non erat incapax electionis. Et sic docet Rom. *sing.* 443. Lauor. *de elect. tit.* 4. *cap.* 16. *n.* 104. Petrus de Baysio *in direct. p.* 2. *cap.* 23. *n.* 2. vbi habet, quòd qui fuit accusatus, vel denuntiatus, nulla præcedente infamia, eligi potest. Si autem præcedat infamia, quæ eum grauet apud bonos viros, non maleuolos, nec viles, eligi non potest. Et quia ad inquisitionem debet præcedere dicta infamia, ideo dicit, quod verè inquisitus eligi non potest. Conuictus autem, aut confessus, vel condemnatus in iudicio, cum sit notorius criminosus, *cap. Vestra, de cohab. mul.* certum est, quòd eligi non potest; *cap. Cum super, de confessis.* Ita dictus Bays. *loco cit. cap.* 22. *num.* 1.

26. Noto 16. quòd *in eodem* §. 8. *dicti cap.* 31. *conclus.* 11. dicebam, quòd de iure communi non erat necesse, quòd scriba capituli esset de corpore capituli; quod etiam sentit Io. Andr. *in c. Quia propter, de elec.* Bays. *in direct. elect. p.* 3. *cap.* 29. *n.* 4. Contrarium tamen sentit Mandag. *de elect. part.* 1. *c.* 19. vbi Buërius *lit. Q.* alios citat; nam laici prohibentur tractare spiritualia, *cap. Decreuimus, de iud.* Quam sententiam tanquam communiorem amplexa est Rota Romana *anno* 1621. *die* 5. *Iulij* coram Domino Coccino, apud Lauor. *de elect. cap.* 21. *à num.* 96. vbi declarat nullam quandam electionem Abbatis, in qua scrutatores fuerunt duo notarij sæculares.

27. Noto 17. quòd est simoniacus, & proprietarius ille Religiosus, qui ex bonis sua industria acquisitis dat summam aliquam Protectori sui Ordinis, vel eius Auditori, aut Secretario, vt aliquam dignitatem in Ordine obtineat. Ita Homobon. *tom.* 2. *sui exam tr.* 9. *c.* 5. *q.* 10. & non habet difficultatem. Et adde, quòd incurrit etiam pœnas inflictas cõtrà largientes munera à Clem. VIII. si hæc bulla est ampliùs in obseruãtia.

28. Noto 18. quòd electores Generalis, & Prouincialium voci actiuæ renuntiare non possunt; quia iure Regulæ, & ratione publici officij ad id tenentur, vnde, si renuntiant, in Ordine nostro non acceptantur, sed coguntur votare: quòd si ad capitula non accèdant, puniuntur grauiter; statutis enim pro bono communi inductis renuntiari non potest. Ita Panor. *in c. In genesi, de elect. num.* 10. & Felin. *in cap. Si diligenti, de foro compet. n.* 19. Sigism. *de elect. dub.* 15. *n.* 2. & 3. & multo minùs Regulæ ipsi, quam seruare quilibet Regularis professus est. An autem renuntians peccet mortaliter, nec ne, inspiciendæ regulæ, & constitutiones singulorum. Electores verò in capitulo locali voci suæ renuntiare possunt; quia illud est Ius proprium, & priuatum, cui licitum est vnicuique renuntiare; *c. Cum accessissent, de const. cap. Ad Apostolicam, de regul.* Sigism. *n.* 4 Lauor. *de elect. tit.* 4. *c.* 18. *n.* 87. Limitat tamen dictus Sigism. *n.* 6. nisi talis renuntiatio cedat in damnum monasterij, in quod tunc cederet, quando Fratres timoratæ conscientiæ se abdicarent ab electione, & ius illius remaneret penes Fratres indisciplinatos, qui consimilem sibi eligerent, vel si vnus solus renuntiaret, & ex illius renuntiatione, causaretur electio indigni, tunc puto, quòd tales renuntiantes mortaliter peccarent. Ita Molin. *tract.* 2. *de iust. tom.* 3. *disp.* 732. *n.* 4. Bonacina *de contr. disp.* 1. *q.* 2. *p.* 8. *n.* 8. & non possent alij electores tales renuntiationes admittere. In Ordine nostro, vbi electores conuentuales sunt deputati per Regulam *num.* 39. potest dubitari, an quilibet possit dicto iuri renuntiare, & puto, quòd possit, præsertim cum causa, vt si esset infirmus, vel absens, &c. Nam Regula videtur id relinquere in potestate cuiuslibet, ibi, *idem facere quisquam valeat*; vnde cum electores hic solùm ad id teneantur ratione priuati iuris, ei renuntiare possunt. Sed quòd non possint, statutum est *in cap. Barchin.* 1. *num.* 15 vbi dicitur, quòd Fratres possint licitè cogi vouere, cum non habeant velle, neque nolle: Sed hoc statutum potest intelligi, quando ex renuntiatione causaretur aliquod malum communitati, vt dixi.

29. Aduertendum autem, quòd si quis renuntiet voci, & ante acceptationem cum pœniteat, ac velit reassumere, potest id facere, vt probat Sigism. *loco cit. num.* 8. Lauor. *num.* 88. Castell. *de elect. cap.* 5. *num.* 21. & debet ab aliis electoribus admitti, vnde si expellatur, & prohibeatur, dicitur contemptus, & potest agere contra electionem de contemptu. Ita Castell. *in addit. ad dictum n.* 22. *c.* 5. *de elect. n.* 2. vbi *n.* 1. ponit quatuor conclusiones pro his renuntiãtibus.

30. Aduerte etiam, quòd si aliqui extranei, seu voce euidenter priuati vellent ad electionem intrare, possent, & deberent violenter expelli (nisi aliter vellent exire) tanquam pacis perturbatores; vnde non dicerentur tunc capitulares violentiam inferre, sed potiùs se defendere in quasi possessione sua, nam [vim vi repellere licet] *cap. Olim, el* 1. *de restit. spoliat. c. Si verò de sent. excomm c. Significasti, de homic.* Panorm. *in cap. Cum Vuintonien de elect. num.* 14. Castell. *in addit. ad cap.* 5. *num.* 78. *de elect. pag. mihi* 491.

31. Noto 19. quòd *dicto cap. 31. tomo 1. Relig. q. 8. concl. 2.* dicebam, electionem non posse coarctari per Superiorem inferiorem Papa ad tres, vel quatuor personas cum aliorum exclusione; quòd si fiat electio, est nulla. Atque ita tenet Sigism. *de elect. dub. 52. num. 5.* Castell. *de elect. cap. 3. num. 7.* Lauor. *de elect. cap. 21. num. 11.* & affert ad hoc, Sigism. *in addit. ad dictum dub. 52.* declarationem sacræ Congreg. à qua fuit quæsitum: *An stante libertate electionis, liceat Prælato superiori proponere duos, vel tres, ex quibus necessariò vnus eligatur? Sacra Congreg. Cardinalium Tridentini Concilij interpretum censuit, non licere. Robertus Cardinalis Vbaldinus.*

32. Noto 20. quòd *in eadem constit. 2. Clem. VIII. num. 17.* dicebam, quod debebant Prælati regulares tollere omnem occasionem vagandi suis subditis, quam non tollunt, qui eis necessaria denegant. Quod optimè prævidit Beatissimus ille Patriarcha Benedictus, quando in sua Regula, *cap. 66.* statuit, quod: *Monasterium, si fieri potest, ita constituatur, vt omnia necessaria intra septa habeantur, ne sit Monachis necessitas euagandi foras, quia non expedit animabus eorum.* Cum enim Religio deficit in necessariis, Religiosi vagari conantur ad ea sibi conquirenda. Quæ vagatio Monacho perniciosa est, & prohibita *in cap. Placuit, el 2. 16. quæst. 1.* his verbis: *Placuit communi nostro Concilio, vt nullus Monachorum de monasterio pro lucro terreno exire nefandissimo ausu præsumat; sit claustro suo contentus, quia sicut piscis sine aqua caret vita, ita sine monasterio monachus.* Et in cap. Si cupis, eadem causa, & q. dicitur. *Si cupis esse, quod diceris, Monachus, idest solus, quid facis in vrbibus, quæ vtique non sunt habitacula, sed multorum?* Et ratio talis prohibitionis est. Quia in vrbibus videntur, & audiuntur sæcularium mores, & vitia, quæ facilè serpunt, & in proximum quemque transiliunt, & contractu nocent, vnde Iuuen. Satyr. 2. ver. 78. & 81.

——— *Dedit hanc contagio labem;*
Vnaque conspecta liuorem ducit ab vna.

Vnde Trithem. orat. 5. de 12. excid. obser. vers. Sexta vulpes, ait. *Sexta vulpes, quæ vineam regularis obseruantiæ destruit, est Monachorum de cœnobio crebrior egressus. Enimverò dum Monachus de cœnobio egredi permittitur interior deuotio, si quam habuit, dissipatur. Et quantò crebriùs de monasterio egreditur, tantò minùs in interioribus delectatur. Vix in cœnobio consistentes, earum rerum, quas non videmus, tentationes valemus excludere, quid fieret, si nos contingeret & videre, & audire? Multos in peccati foueam mundialis præcipitauit occasio, multos præsentia mulierum decepit. Et hac pestis Monachos rudes, & literarum contemptores exire de cœnobio frequentiùs impellere cernitur, qui nullo exercitio in cella delectantur.* Ex quibus conclude, quòd Monachus vagus non potest esse bonus. Et quòd hic solus defectus est sufficiens ad aliquem excludendum à Prælaturis. Et quòd de Monacho vago omnia mala præsumi possunt. Et quòd Prælati non debent his morem gerere, sed domi retinere, quantasvis opportunatissimas exeundi causas fingant, ipsorumque importunitatibus efficaciter resistere, deque eorum murmoribus hac de causa factis tidere, alioqui non complent debito sui officij, nec coram, Deo nec coram hominibus.

33. Noto 21. quòd *in eadem const. 2. Clem. VIII.* agitur de voto vitæ quadragesimalis, de quo ex professo tractaui *tomo 1. Relig. tota q. 4.* & aliqua addid *tomo 2. priuil. hac 2. const. Clem. num. 19.* Nunc verò occurrit quærere. An Frater Minimus comedens carnes tempore infirmitatis possit suilla carne, & caseo vesci. In qua difficultate sunt duæ opiniones contrariæ.

34. Prima est affirmatiua, quam tennerunt grauissimi DD. Societatis Iesu, Matthæus Rodriquez, Didacus Ruiz, Hernandus de Mendoza, Didacus Melendez consulti in ciuitate Hispalensi, quos propriis syngraphis subscriptos vidi in quodam M. S. quod mihi misit R.P.F. Christophorus Castillus, & probant. 1. Nam regula generalis interpretandi vota est, quòd si materia promissa sit de præcepto Ecclesiastico, votum intelligi debet sicut præceptum Ecclesiasticum, vt docent Caiet. 2. 2. *q. 88. art. 3.* Sotus *lib. 7. de iust. q. 2. art. 1.* Cor. *in summ. q. 188.* Valent. *tom. 3. disput. 6. q. 6. p. 4. col. 4. vers. Secundò nam votum.* Aragon. 2. 2. *q. 88. art. 3. conclus. 3.* Nauarr. *in summ. cap. 12. num. 65.* Suarez *lib. 4. de voto, cap. 7. num. 9.* Sanchez 3. *in decal. cap. 11. num. 31. & 57.* Quare si quis voueat ieiunare tribus diebus veneris, v. g. non explicando, quòd id vult facere secundùm ieiunium quadragesimale, non faciet contra votum, si lacticinia comedat; nam ista non sunt prohibita in diebus ieiuniorum extra quadragesimam; ergo eadem ratione, qui vouit abstinentiam quadragesimalem non se obligauit ad eam obseruandam, nisi modo, quo eam præcepit Ecclesia omnibus Christi fidelibus tempore quadragesimæ. Sed infirmi, qui tempore quadragesimæ licitè comedunt carnes, secundum communem & veram opinionem non peccant contra præceptum Ecclesiæ, quamvis cum notabili damno suæ salutis excedant in quantitate, & qualitate carnium, vt Sanchez *loco cit. num. 87.*

35. Confirmatur 1. Nam Minimos posse comedere carnes tempore infirmitatis, non est dispensatio, sed casus exceptus, in ipsa lege essentialiter inclusus, eo modo, quo in præcepto Ecclesiastico de non comedendis carnibus tempore quadragesimæ, non includitur tempus grauis infirmitatis. Confirmatur 2. Quia consuetudo ratione adiuta, & nulli textui euidenti contraria, est optima votorum, & legum interpres, *cap. Cum dilectus, de consuet.* At in hoc casu adest consuetudo. Confirmatur 3. Nam non debemus ita vota interpretari, vt laqueum animabus piis inijciamus ad interitum, inijceretur autem, si diceremus infirmo priuato gustu, appetenti tamen suillam, eam dari non posse ad appetitum concitandum, & peccare mortaliter, si in maiori quantitate comedat, quàm sit necesse, pro concitatione appetitus. Item stomachorum dispositio non solùm in diuersis hominibus, sed etiam in ijsdem diuersis temporibus est diuersa; nam quod vni nocet, alteri prodest, & quod hodie nocet, cras proderit, at difficile valdè est cuilibet, quolibet tempore, qualibet occasione determinate talem speciem carnis esse prohibitam, vt nociuam ratione voti.

36. Secundò probatur eadem sententia. Nam qui semel est liberatus ab obligatione legis, vel voti propter aliquam iustam causam, in nullo potest contra illud peccare. Nam est implicatio contradictionis, esse liberatum ab obligatione legis, & peccare contra obligationem legis, eo modo, quo est implicantia, esse obligatum, & non esse obligatum: sed qui propter infirmitatem est necessitatus comedere carnes, est liberatus ab obligatione, quam habet ratione voti ab illis abstinendi: ergo qualemcumque carnem, vel lacticinium comedens, etiam nociuum, non potest contra dictam obligationem peccare. Neque valet dicere, quòd propter infirmitatem eximitur quis ab obligatione dictæ legis, non simpliciter, sed secundùm quid; Nam sicut abstinere à carnibus non est aliquid pertinens ad legis, vel voti obligationem secundùm quid, sed simpliciter, & vt substantia eius; Sic esse liberum ab ista obligatione abstinendi à carnibus, non est esse extra obligationem legis, vel voti secundùm quid, sed simpliciter.

37. II. Sententia negatiua est P. F. Castilli, quam etiam sunt secuti Sebastianus de Villalobos,

Sebastia

Sebastianus Suarez in M S. & Cruz *in directar. consc. par. 1. cap. 1. pracept. 3. art. 4. dub. 8. concl. 3.* Rodriq. *in sum. p. 1. cap. 24. nu. 3.* & alij asserentes, Fratres Minimos comedentes suillam, & caseum, & alia quæcumque cibaria, quæ à Medicis existimantur nociua infirmis, & ideò ea illis prohibent, peccare non solùm peccato gulæ, sed etiam contra votum. Probant primò. Nam causa primaria dispensationis dicti voti est, vt sanitas celerius restauretur, vt dicitur *in regula num. 26.* ergo dispensatio solùm cadit super dispensatione illorum ciborum, qui sunt necessarij pro dicto fine consequendo, & non super illis, qui dicto contrariantur. Confirmatur; Nam licentia comedendi carnes in tali casu non est irritatio voti, sed dispensatio, & vt quæ à iure communi exorbitat, est strictè interpretanda: *cap. 1. de fil. Presbit. in 6. §. Ille verò.* Confirmatur secundò per doctrinam Suar. *6. de leg. c. 5. n. 5.* Quia quando ratio legis non est adæquata verbis legis, restringenda est ad terminos suæ rationis, & non est secundum totam verborum generalitatem intelligenda: Ergo licèt lex dicat, *de quibusvis cibarijs*, debet tamen restringi ad solos illos cibos, qui sunt necessarij pro sanitate celerius restauranda.

38. Secundò prob. Nam ista dispensatio, vt licita sit, requirit duo. 1. est restauratio sanitatis, quæ est illius finis immediatus. Secundum est ordinatio Medici ad illum finem directa: Ergò solùm illi cibi comedi possunt, qui fuerint à Medico præscripti pro dicto fine consequendo; sed tantùm abest, quòd Medici præscribant infirmis comedere suillam, & caseum, vt potiùs eos omnino prohibeant; Ergo quis eos comedunt, contra præscriptum Medici comedunt, & consequenter peccant contra votum. Confirmatur primò. Nam *in clem. Exiui, de verb. signif. §. Quibusdam*, declarans Papa ex professo Regulam S. Francisci de Assisio, ait: *Declaramus, & dicimus, quòd dicti Fratres non solùm ad illa tria vota nude & absolutè accepta ex professione sua Regula obligantur, sed etiam tenentur ad ea omnia implenda, qua sum pertinentia ad hac tria prædicta, qua Regula ipsa ponit. Nam si ad hac tria prædicta tantum pracisè, & nudè, promittentes se seruare Regulam viuendo in obedientia, castitate, & sine proprio, & non etiam ad omnia contenta in Regula, qua hac tria modificant, arctarentur pransibile, & vane proferrentur hac verba. Promitto semper hanc Regulam obseruare; ex quo ex his verbis nulla obligatio nasceretur.* Quæ quidem declaratio licèt facta sit in specie pro Religione Minorum, intelligitur tamen etiam de omnibus Religionibus, cum non sit maior ratio de vna, quàm de alijs. Sed nos Minimi in nostra professione promittimus seruare vitam quadragesimalem cũ modificationib. in dicta Regula positis, scilicet non comedendi carnes, nisi iuxta ordinationem Medici pro sanitate celerius restauranda: Ergo comedens carnes, aut caseum, quæ Medicus tanquam nociua prohibet, peccat contra votum: Nam alioqui verba illa, *Promitto*, &c. quæ dicuntur in professione, essent superflua contra id, quod dicta clem. declarat. Et habetur *c. In his, de priu. & c. Si Papa, ead. tit. in 6.* Ne autem superflua sint, sed aliquid operentur, dicendum est, quòd illa verba, quibus in professione nos obligamus ad seruandas modificationes, significant, quòd ratione dictæ promissionis, & voti ad dictas modificationes seruandas tenemur. Confirmatur secundò. Nam, vt dicitur *in eadem clem. loc. cit.* de natura termini restrictiui est, quòd excludat ab ipso extranea. Sed comedere carnes in Ordine nostro, est restrictum ad eas comedendas solùm de ordinatione Medici, & pro sanitate celerius restauranda: Ergo excludit omnia, quæ dictæ restrictioni sunt contraria: Sed nociua, & à Medico prohibita illi contraria sunt. Conf. 3. Nam, vt *in eadem clem. §. Partè* dicitur: *Vbi aliquid alicui generaliter prohibetur, quod expressè non conceditur, intelligitur denegatum.* Sed omnibus Minimis est generaliter prohibitum paschalibus vesci, & solùm expressè concessum tempore infirmitatis, iuxta ordinationem Medici pro sanitate celeriùs restauranda: Ergo paschalibus vesci præter istas circumstantias est illis denegatum; ac consequenter eis vescens peccabit contra votum. Imò hoc est expressè denegatum in eadem Regula *num. 27.* vbi dicitur: *Nulli itaque omnium ipsorum aliter, quàm hac stabilis lege sancitum est, dictis cibis paschalibus vesci vllatenus permittatur.* Sed lex, quæ comedere licet, est, vt id fiat iuxta ordinationem Medici, &c. Ergo totum id quod istis circumstantijs est contrarium, expressè prohibitum est.

39. Tertiò probatur à simili. Nam *in c. Si quis suadente diabolo, 17. quæst.* excommunicantur omnes iniicientes manus violentas in Clericos, vel Monachos, & *in cap. Si Clericus, de sent. exc. in 6.* dicitur dictam excommunicationem non incurrere capi facientes, neque ipsosmet capientes dictos Clericos, ad eos incarcerandos, nisi aliàs ex proposito excedatur, id est, vt declarat ibi Glossa *verb. Excedatur*, nisi Clericum quietè se duci permittentem calcibus, & pugnis, &c. percutiant. Cum ergo in Ordine nostro prohibitum sit generaliter cibos paschales comedere, nisi de ordinatione Medici, & pro sanitate restauranda, si in hac exceptione excedatur, comedendo cibos nociuos, contra votum peccatur.

40. Quartò denique. Quia cum *in num. 16.* Correctorij declaretur, nullam ordinationem dictæ Regulæ ad culpam obligare, subdit *num. 17.* quòd omnes obligentur ad seruanda quatuor vota, iuxta limitationes, ac modificationes in eisdem. Ordinis Regula, & præsenti Correctorio suis in locis positas, ac limitatas; Ergo certum est, mentem legislatoris esse obligare ad seruandas dictas limitationes.

41. Neque contra hanc sententiam valet adduci consuetudo. Nam comedere nociua pro solo appetitu est peccatum gulæ, contra ius naturale, contra quod non valet introduci consuetudo, neque præscriptio. Addito, quòd peccata non præscribunt; quatenus autem est contra votum, cum adimpletio voti sit de iure diuino, præscriptio contra illud non valet; cum diuina humanis non cedant.

42. His positis, respondet Castillus ad arg. primæ sententiæ. Et ad primum concedit antecedens, quando ille, qui promittit, nihil aliud explicat, vt si v. g. quis voueret officium diuinum recitare, adimplebit votum illud recitando alternatiuè cum alio; si autem expressè voueret illud recitare per se solùm absque socio, certum est, quòd non compleret recitando cum alio; nam in materia votorum, illud dumtaxat est obseruandum, ad quod directa fuit intentio vouentis. Cum ergo vouens in Ordine nostro expressè promittat nunquam comedere carnes, nisi cum sæpe dictis modificationibus, non potest dictum votum explicari iuxta præceptum ecclesiasticum, sed iuxta id, quod est expressum. Item ait, forrè esse veriorem opinionem Rodriquez *tom. 1 sum. cap. 24. num. 3.* asserentem, peccare mortaliter dispensatum in quadragesima ad comedendas carnes, si in qualitate carnium excedat cum notabili damno suæ salutis; nam dispensatio semper strictè est interpretanda, cum sit odiosa, vnde restringenda est ad solas carnes necessarias; nec credendum est, quod Ecclesia velit suum præceptum dispensare quò ad cibos noxios.

43. Ad primam confirmationem dicit, illam non esse exceptionem; nam regula dicit, *Saluis modificationibus*: modificatio autem, & exceptio diuersæ res sunt; Nam modificatio nihil est aliud, quam rigoris legis moderatio, ipsa lege remanente in suo robore:

exceptio autem est omnimoda liberatio à legis obligatione, quod confirmat. Nam quando Regula voluit aliquem casum excipere, id disertis verbis fecit, vt quando agit de obligatione ieiunij, *num. 29.* facto præcepto generali de ieiunando singulis quartis, & sextis ferijs, subdit, *Exceptis dumtaxat singulis quartis feriis*, &c. & num. 31. ait. *Insuper à cunctis prædictis ieiunijs nullus corpore sanus eximatur, peregrinationis tempore dumtaxat excluso.* Ergo, si mens Legislatoris fuisset, quòd modificatio vitæ quadragesimalis esset exceptio, dixisset. Tempore infirmitatis exceptio, vel exclusio, vt dixit de ieiunio. Licèt ergo in præcepto Ecclesiastico de non comedendis carnibus tempore quadragesimæ, exclusus sit casus infirmitatis, non per hoc potest dici, quod idem casus sit exclusus in voto nostro vitæ quadragesimalis. Nam, si Ecclesia dictum casum non exclusisset, præceptum illud esset nimis rigorosum, nec Ecclesia potest me obligare ad totum id, ad quod ex mea voluntate obligare me possum; Nam ego me potui obligare ad capessendum statum religiosum, ad quod me Ecclesia obligare non potest. Ergo non est mirum, si ille casus in præcepto Ecclesiæ sit exclusus, & non sit exclusus in hoc nostro voto, in quo nos obligamus ad non comedendas carnes, nisi cum illis circunstantiis. Ad secundam confirmationem dicit, laudabilem Religionis consuetudinem esse, vt infirmus comedat id, quod à Medico fuerit ordinatum, quòd si alia adsit consuetudo, ea corruptela, non laudabilis consuetudo est. Ad tertiam confirmationem concedit infirmum priuatum gustu posse suillam comedere; nam tunc illa ei censetur necessaria ad sanitatem celeriùs restaurandam. Concedit etiam, posse dictos infirmos vti suilla recenti, vel salaci ad condiendos cibos, at eam comedere pro solo gustu satiando, cum sit nociua, non posse. Cui autem consilio Medici nociua non esset, comedere posset.

44. Ad secundum respondet, verum esse antecedens, sed negat, nostrum infirmum esse omninò exclusum à lege, sed solummodò liberatum pro sanitate celeriùs restauranda. Ad illud verò, quod dicitur, quòd esset implicatio contradictionis, ait, quòd si daretur genus carnis realiter separatum à singularitatibus, quod comedi permitteretur, esset contradictio; nam esset affirmatio, & negatio eiusdem de eodem, sed quia istud genus carnis non datur, neque comeditur, vt est abstractum per intellectum, sed solùm vt existit à parte rei in singularitatibus, in quo est latitudo & maxima differentia, non est contradictio, permittere necessarium, & prohibere nociuum. Imò absque contradictione de eodem animali in Hispania permittuntur in quadragesima extrema, & denegantur aliæ partes.

45. Vt dicam in hac controuersia, quod censeo. Aduerto primò quòd nos Minimi promittimus in professione, vt constat ex Correct. *num.* 18. Religionis vota sub his verbis; *Voueo, & promitto, &c. perseueranter viuere sub votis paupertatis, castitatis, ac obedientiæ, & quadragesimalis vitæ, iuxta determinationes, & circumstantias in ipsa Regula positas, & limitatas.* Limitationes autem voti quadragesimalis sunt positæ in Regula num. 26. his verbis: *Quamprimùm verò quis in ægritudinem inciderit, ad infirmariam claustralem deducatur, &c. Si autem talis ægritudo sic examinata inualuerit, Medici, consilio deducatur talis ægrotus ad infirmariam exteriorem* Et num 27. dicitur. *At vbi ægrotum ipsum ita constiterit euidenter conualescere, quòd quadragesimalibus cibis consuetis sustentari queat, matura deliberatione præuia, ad pristinæ vitæ sanctiorem consuetudinem redeat.*

46. Ex quibus colligo primò, quòd votum hoc nostrum, licèt sit simpliciter absolutum, vt dixi *tom. 1. Relig. q. 4. cap. 1. notab. tertio*, quia statim obligat, est tamen secundùm quid conditionatum; quia adueniente infirmitate, non suspenditur absoluté, vt deberet, si esset simpliciter conditionatum, vt dicunt Summistæ, *verbo Conditio*, sed solummodò secundum modificationem, & limitationem Regulæ. Conditionales verò modificationes, quæ requiruntur ad illud suspendendum, sunt tres, quæ habentur *in Regula, num. 26. & 27.* Prima, quòd non statim, ac quis in ægritudinem inciderit, paschalibus vtatur, sed solummodò si postquam, abundantiùs de quadragesimalibus refocillatus, non conualuerit. Secunda, quòd tunc non suo arbitrio dictis paschalibus vescatur, sed cum Medici consilio. Tertia, quòd vbi euidenter constiterit, ipsum ita valere, quòd cibis consuetis quadragesimalibus sustentari queat, matura deliberatione præuia, ad pristinæ vitæ sanctiorem consuetudinem redeat. Vnde apparet, quòd in his modificationibus nulla fit mentio, quibusnam cibarijs in particulari infirmus vesci debeat, sed solummodò determinatur, quòd ad infirmariam exteriorem deducatur. Ad quam cum fuerit deductus, præcipit, vt illi succurratur, idest, prouideatur de illis omnibus, tum medicinalibus rebus, tum cibarijs paschalibus, quæ à Medico fuerunt ordinata tanquam necessaria pro sanitate celeriùs restauranda. Quod fieri debet non per quemlibet Fratrem ad gustum, vel Fratris, vel ægroti, sed solummodò per deputatum à Correctore, cui etiam incumbit onus dicta necessaria prouidendi.

47. Colligo 2. quòd, stantibus dictis tribus conditionibus, potest statim quilibet Frater Minimus comedere carnes. Nam prohibitio comedendi carnes in Ordine nostro, est solummodò tempore sanitatis: adueniente autem infirmitate cum dictis limitationibus, dicta prohibitio cessat, vt Tuschus *verb. Limitatio, conc. 356. num. 4. & verbo Prohibitio absoluta, concl. 904. num. 3.* eo modo, quo prohibitus alienare intra certam ætatem, post illam alienare potest. Tuschus *ibi num 6.*

48. Colligo 3. quòd verba illa, quæ proferimus in professione, promittendo obseruare Regulam iuxta circumstantias, & determinationes in ipsa positas, & limitatas, possunt habere triplicem sensum. Primum, ita vt referantur ad Regulam; atque ita promittimus obseruare Regulam cum omnibus circumstantijs extensiuis, & limitatiuis, prout, & sub pœna in ea contentis. Secundùm, ita vt referantur ad sola quatuor vota, & ad circumstantias, quibus ea sunt præcepta, & disposita in dicta Regula; & sic operantur, vt ad dictas circumstantias seruandas teneantur, non eodem quidem modo, quo tenemur ad vota, seu quo determinatur in Regula. Tertium, ita vt referantur ad solùm votum vitæ quadragesimalis, quo modo videtur ea intelligere Castillus: sed certè nescio, quare potiùs de vita quadragesimali, quàm de alijs, cum circa quodlibet votum aliquæ circumstantiæ apponantur in Regula, vel Correctorio, & clausula vltima ad omnia antecedentia referatur. Sed hoc etiam concesso, operantur, vt teneamur obseruare non solùm votum vitæ quadragesimalis, sed etiam circumstantias, & limitationes ipsius, prout sunt in Regula dispositæ. Cum ergo circumstantia, vt dicunt Summistæ *eod. verb.* Angel. Syln. Tabiena, & alij. sit actus extrinsecus circonstans actum extra substantiam, sequitur, quòd non teneamur obseruare dictas circumstantias eo modo, quo seruamus actus ipsos votorum, sed solùm eo modo, quo disponitur in Regula, idest, solum sub taxatione pœnæ taxatæ. Et aduerte, bene, quòd circumstantia, seu modus, aut modificatio, seu limitatio differunt à conditione, quòd conditio suspendit actum, vt dicunt Angelus *verb. Conditio, numero secundo*, Syl. *eodem, numero* 1. atque ita ad substantiam actus

pertinet

pertinet. Vnde noli mirari, si conditiones requisitæ ad comedendas carnes ad mortale obligent. Circumstantiæ autem de comedendo v. g. in infirmaria, de non introducendis cibis Paschalibus in conuentum extra locum infirmariæ, ad nullum peccatum, sed solùm ad pœnam in Regula taxatam. Atque ita colligo ex Paoor. *in cap. Cùm Ioannes, de fide instrum. num. 3.* Tuscho *verb. Limitatio, conclus. 355. & verb. Conditio, concl. 579. & seq.*

49. Colligo quartò, quòd illa verba posita *in dict. num. 26. Regulæ, de quibusvis cibariis pro sanitate celeriùs restauranda,* non intelliguntur, quòd solummodo infirmus possit comedere ea, quæ sunt necessaria pro recuperanda salute, ita vt si aliquid comedat non necessarium, sit voti reus: Nam alioqui si comederet aliquid ex cibis etiam licitis, & concessis, vltra necessarium, & in tanta quantitate, quòd esset nociuum, fractor voti censendus esset; & similiter si nollet recipere, vel comedere aliquid necessarium pro dicta sanitate obtinenda; atque mille scrupulis angerentur infirmi, & votum difficillimum maximè ampliaretur contra naturam legis obligatoriæ. Verba igitur illa nihil aliud sonant, nisi, quòd Corrector teneatur prouidere infirmo de omnibus cibis necessariis pro sanitate celeriùs restauranda, ita vt nihil illi desit ex his, quæ à Medico fuerint ordinata, quod conducere possit ad dictum finem consequendum. Atque ita illa verba ad Superiorem omnino referuntur, & erat necessarium hoc præceptum propter paupertatem Religionis, & Correctorum auaritiam, & nullo modo ad infirmum, qui sicut absque fractione voti potest recusare medicinam à Medico ordinatam, necessariam pro sanitate celeriùs restauranda, ita potest comedere absque dicta fractione suillam sibi nocituram, licèt aliunde peccet.

50. Aduerte secundò, quòd votum est strictè interpretandum, scil. quantum fieri potest, minus obliget, & quam maximè fieri possit, occasio transgrediendi caueatur, & peccati periculum vitetur. Ita Azor *tom. 1. institut. moral. lib. 11. cap. 21. quæst. 1.* Sanchez *4. in decalog. cap. 11. num. 3.* Filliuc. *tractatu 26. capite 3. numero 96.* Suarez *libro 4. de voto, capite 7. numero 6. & num. 8.* affert rationem *ex cap. Ex parte, de cens.* vbi dicitur: *Quoniam cum huiusmodi vota gratuita fuerint ab initio, benigniùs sunt à viris Ecclesiasticis exigenda.* Et Gloss. ibi, verb. Ab initio, ait: *Bona sit interpretatio, ne ipsorum magnificentia erga Ecclesias retardaretur: quæ ratio valet in omnibus, nam si benignè exiguntur ab Ecclesia, multò magis à Deo.*

51. Aduerte tertiò, quòd secundum Galenum relatum à Schola Salet. *capite 7.* Cassan. *in catal. parte duodecima, consil. 85.* suilla caro est cæteris laudabilior, & melior; est enim multum nutritiua, & habet maximam similitudinem cum humanis carnibus; quare sanis, & fortibus, ac laborantibus, & impinguari desiderantibus tradenda est, vt dicunt dicti Doctores quos sequuntur Castor Durantus *in thesauro sanit. verbo Prorsus.* & Pisanellus *de natura cibor. eodem verb.* Quare infirmis deneganda, nisi fortè illi essent assueti: nam consuetis gaudent naturæ. Vnde Hyppocrates sectione 2. Aphorism. 50. *Consueta ex multo tempore, etiamsi deteriora fuerint, inconsuetis minùs molestare solent.* Quare qui in sæculo suillæ assueti erant, si Religionem ingressi infirmentur, citiùs conualescent, pulso iam morbo, suillam comedendo, quam vitulinam. Caseus autem habet nutrimentum exile, & stomacho nocet, ac melancholicum humorem parit. Ideo dicitur: *Caseus est nequam, quia concoquit omnia sequam.* Parcè itaque vtendum, & recenti; nam tunc impinguat, & stomachum non offendit, estque suauissimus ori; vnde versus: *Caseus est sanus, quem dat auara manus.* Atque ita Schol. Saler. *loc. cit.* Cassan. *consid. 86.* Costuradur & Pisanellus *loc. cit. verb. Caseus.*

52. His prænotatis, dicendum mihi videtur cum prima sententia, quòd Fratres Minimi debitè licentiati ad comedendas carnes, possunt absque transgressione voti suillam, & caseum comedere: Atque ita Sanchez *4. in Decalog. capite vndecimo, numero 57* Diana *variarum tractatu 8. quæstione 47. tom. 1.* Villalobos *in summa, tom. 1. tractatu 23. dubio octauo, num. 11.* Sanctius *in selectis disputat. disputat. 51. num. 20. & 21.* Ægidius Trullench. *in exposit. Bullæ cruciat. libro primo, §. 4. dubio 2. numero secundo.* Viualdus *in supplement. capite 15. numero 35.* Tùm quia omnia concessa censentur, quæ non sunt prohibita, Glossa *in cap. Cùm Ecclesia Sutrina, verb. Ne veniret, de causa poss. & propr.* nullo autem iure in Ordine nostro, vel Regulæ, aut constitutionum, seu consuetudinis reperitur prohibita suilla. Tùm quia omnia genera carnium per modum vnius prohibita sunt, & ab Ecclesia, & à S. Legislatore nostro. Ergo, cessante prohibitione, omnia debent esse concessa, vbi enim lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, *cap. Solita, de maior. & obed. cap. Si Romanorum, decisione 20. cap. Quod si dormierit, 31. quæstione 1.* Tùm quia in dubiis vnusquisque præsumitur minùs se ipsum voluisse grauare, quàm potuerit. Ergo interpretatio in fauorem vouentis facienda est. Ita Suarez *libro quarto, de voto, capite septimo, numero octauo,* Azor. *institut. mor. tomo primo, libro vndecimo, capite vigesimo primo, quæstione decima,* Reginaldus *in praxi, libro decimo octauo, num. 292.*

53. Ad primum ergo argumentum Castilli, concedo, finem primarium licentiandi Minimos ad comedendas carnes, esse recuperationem deperditæ sanitatis. Quando infertur: Ergo non possumus comedere, nisi illos cibos, qui sunt necessarij pro illo fine consequendo, distinguo. Primariò, & directa intentione, ac per se, concedo. Secundariò, & indirectà, ac per accidens, nego. Vnde qui suillam comederet primò, & per se, vt retardaret recuperationem sanitatis, reus voti esset, vt dicam hic *infrà, numero quinquagesimo nono,* at verò qui solùm pro gustu suillam comedit, per accidens dicitur sanitatem retardare, & consequenter non facit contra votum. Ad primam confirmationem concedo, dispensationem esse stricti iuris; sed nego, licentiam datam Minimis ad comedendas carnes esse dispensationem; est enim concessio legis, quæ in illo casu cessat, & pro illo casu non prohibet carnes: diceretur autem dispensatio, si fieret extra casum infirmitatis. Ita Suarez *tomo quarto, de Relig. tractatu primo, libro secundo, capite duodecimo, num. 45. & lib. 1. cap. 9. num. 13.* Pontius *libro octauo, de Matrimonio, capite primo, numero quinto,* dixi *tomo primo Relig. quæstione prima, capite octauo, §. 5. versicul. At inquies.* Et potest afferri exemplum in Rege, qui prohibet, ne quis frumentum extrahat absque eius licentia, cum illa conceditur à Rege, non dicitur Rex in sua lege dispensare, sed adhibere conditionem necessariam, quam lex ipsa petit; vnde semper dixi, quòd non minùs seruat Regulam Minimorum, qui licitè comedit Paschales cibos in infirmaria, quàm qui quadragesimales in refectorio, quod postea reperi dixisse Nauar. *lib. 3. consil. de obseru. ieiun. num. 2.* Ad secundam confirmationem patet. Nam ratio legis postulat, ne quis dolosè, & primaria intentione suillam, & alios cibos nociuos comedat ad infirmitatem protrahendam; si autem

quis tractus illorum ciborum dulcedine, velit eos comedere, ratio huius legis non prohibet; nam, stantibus conditionibus, quas requirit, omnino cessat.

54. Ad secundum patet ex dictis. Ad primam confirmationem constat ex dictis *num.* 48. Quando dicitur quòd tenemur ex voto modificationes ipsis seruare omninò, nego. Nam modus actionis non cadit sub voto de ea facto, nisi sit directè, ac formaliter intentus, vt docet Suarez *de voto*, *lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 17. Regin. *lib.* 18. *num.* 294. & exemplificat Suarez in eo, qui vouit ieiunium, qui respectu illius est substantialis, licèt aliàs intemperate comedat, non violabit votum. Nos autem non vouemos expresè seruare, nec formaliter intendimus abstinere à suilla tempore infirmitatis. Ad secundam confirmationem. Terminus ille restrictiuus restingit, vt non possimus statim ac sumus infirmi, propria voluntate carnes comedere, sed requiritur consilium Medici, & Superioris præceptum: restringit etiam, vt, sanitate recuperata, ad vitam quadragesimalem redeamus, & excludit omnia contraria istis conditionibus. Comedere autem suillam, his contrarium, non est. Et adde, quod non omnis circumstantia; quam vouens tempore voti emissi intendit, aut cogitat, obligat sub voto, vel illius obligationem restringit; sed obligabit, quando vel illa est intrinseca, & essentialis rei promissæ, idest sine qua res promissa non esset quo ad substantiam operis materia voti; vel, si accidentaria sit, intendit vouens ad illam se obligare, vt Sanchez 4. *in decal. cap.* 17. *num.* 5. Comestio autem suillæ est accidentaria circumstantia, & nemo expresè ad illam se obligat. Ad tertiam confirmationem constat; nam comedere suillam non est illis circumstantijs contrarium.

55. Ad tertium illud simile nihil valet in hoc casu. Quia ille excessus ibi est specialiter, & expresè punitus. Et non valet argumentum à casibus expressis ad non expressos; maximè non concurrente identitate rationis Barbos. *in locis commun. verb. Argum. num.* 119. Et quænam est, quæso, æquiparatio inter verberare Clericum, & comedere porcum. Ad quartum, Regula non vult nisi quod dixi *num.* 48.

56. Ad illud, quod dicit *num.* 41. quòd consuetudo contra hoc non valet, est omnino falsum; nam consuetudo non solùm declarat leges naturales, & diuinas, sed etiam se illis excusat, vt dixi *tom.* 2. *Relig. quæst.* 3. *cap.* 1. *num.* 180.

57 Ad ea, quæ respondet Castillus contra primam sententiam Ad primum dico, certissimum esse, totam obligationem voti pendere ex voluntate vouentis, iuxta illud Deuter. 23. *Facies sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo locutus es.* Nam propria voluntas, seu intentio, est regula obligationis, *cap. Cum dilecti, de donat.* cum obligationes ab ea originem trahant, & ea sola sit efficax ad illas indocendum, vt probat Suarez *lib.* 4. *de voto, cap.* 7. *num* 3. Regin. *in praxi, lib.* 18. *num.* 284. Sanchez 4. *in decal. cap.* 11. *num* 2. Vnde si vouens intenderet obseruare sub voto circumstantias accidentarias, vt hæc teneretur, vt dicunt Suarez *loc. citat.* Sanchez *num.* 57. Sed cum nemo in professione expresè intendat abstinere à suilla, nullus est obligatus ab ea abstinere, quando est solutus à voto. Ad illa, quæ dicit *num.* 43. constat ex dictis *num.* 53 *verſ ad confirmationem*: & parum refert, quòd Regula casum infirmitatis excludat vnis, vel alijs verbis. Et adde, quòd illa rigorositas, quæ est in præcepto Ecclesiastico de non comedendis carnibus tempore quadragesimæ, si non esset exceptus casus infirmitatis, esset in nostro voto, & tunc multi tenent, quos citat Vasquez 1. 2. *disp.* 162. *cap.* 1. *num.* 3. quòd non teneremur illud obseruare, quando, iudicio Medici carnibus vesci oporteret. Ad secundam confirmationem de consuetudine dixi *num.* 56. Ad secundum arg. patet ex his, quæ dico *num.* 53.

58. Quare concludo, quòd infirmus in Ordine nostro debitè licentiatus ad comedendas carnes, non facit contra votum comedendo suillam, & caseum, quæ sibi credit noxia; Et quia comestio suillæ, & casei est circumstantia omnino accidentaria voto, quæ nullo modo obligat, nisi sit expresè intenta in voti emissione, vt dixi *num.* 54. neminem autem illam expresè vouere firmiter credo; Nam non est in vsu, & nullus adhuc fuit punitus tanquam transgressor voti propter comestionem suillæ, & casei: cum tamen votorum transgressores seuerissimè puniantur. Et hoc intelligas esse verum, etiamsi Medicus expresè prohibeat dictos cibos comedere. Nam Medicus non potest me obligare ratione voti, nisi ad illud, ad quod votando mea intentio directa fuit.

59. Quæres hic etiam, an Frater Minimos, qui noxios sibi cibos comedit, vt infirmetur, & per hoc possit comedere cibos paschales, faciat contra votum? Resp. Si dolosè, & ex industria hac intentione comedat aliquid, quod certò scit per experientiam aliàs probatam sibi ita nociturum, vt cogatur, Medici iussione paschales cibos comedere, dico, quòd comedendo peccat mortaliter contra votum. Quia in voto vitæ quadragesimalis tacitè includitur pactum nihil faciendi in fraudem dicti voti. Nam vbi lex, seu votum, quod lex priuata dicitur, prohibet aliquem effectum, & finem, ex mente illius dicetur prohibitus omnis modus, per quem in fraudem legis peruenitur ad illum effectum, vt probat Stephanus de Federicis *de iur. interp. part.* 5. *principali, num.* 41. nec effugit pœnam legis, qui in fraudem legis committit, *leg. Non dubium, Cod. de leg.* Nec interest, an vi, vel dolo legi fiat iniuria, *leg. Fraus, ff. eod.* Si verò casu, & non in voti fraudem, in cibo, potuoè nimis excedens, etiam mortaliter, incidat in infirmitatem, ad quam depellendam cogatur paschalibus vesci, licèt peccauerit contra temperantiam, non peccat tamen contra votum comedendo carnes; Nam in voti emissione non se obligat ad cauenda speciali cura omnia impedimenta sanitati contraria. Atque ita Suarez *lib.* 4. *de voto, cap.* 17. *num.* 19. Sanchez *lib.* 4 *in decal. cap.* 23. *num.* 52. Alij tamen apud Dianam *variar. tract.* 8. *resol.* 52. dicunt, quòd non peccaret contra votum, qui in fraudem ea comederet, per quæ redderetur impotens ad seruandum votum; Nam, inquiunt, aliud est desiderare frangere votum, quando adest obligatio illud seruandi, & aliud desiderare, se reddi impotentem ad seruandum votum; hoc enim nihil aliud est, quàm optare excusationem voti, quam licèt quis intendat via illicita, non operatur tamen aduersùs votum, cum non desideret illud infringere, quando obligat; sed solùm quærat modum, quo non obliget. Sed hæc doctrina videtur nimis subtilis.

60. Dubitabis, an qui in fraudem voti ea comedit, vnde fuit infirmitatus, peccet in votum toties, quoties carnes, aut lacticinia comedit? Respondeo, votum negatiuum interpretandum esse ad formam præcepti negatiui, vt dicunt DD. Suarez *lib.* 4. *de voto, cap.* 7. *num.* 13. vnde hic toties peccabit, quoties carnes, aut lacticinia comederit. Verum quidem est, quòd si iam infirmum pœniteat peccati commissi, & tentet, quantum potest, citra tamen præiudicium maioris infirmitatis, an infirmitas absque comestione carnium depelli possit, poterit comedere absque nouo peccato; nam tunc est impotens ad seruandum votum.

61. Quæres etiam, an tempore pestis possint Fratres

tres Minimi comedere carnes? Respondeo, pestes hoc tempore per Italiam grassantes huic difficultati ansam dedere, pro qua consulti Medici responderunt, quòd vescentes cibis quadragesimalibus pestilenti infectioni sunt minùs resistirium. Tum quia huiusmodi cibarijs naturalis calor fotus imbecilliùs, vitalesque spiritus ægriùs resocillati, inuadenti veneno infirmiùs contranituntur. Tum etiam quòd exuperans eorum humiditas, quæ putredinis mater est, reddit corpus aliti ad recipiendum magis dispositum: Cum ergo probauerim *tom* 5. *Relig. quæst.* 4. *cap.* 3. posse Minimos ad infirmitates præcauendas se purgare, &, purgatione durante, paschalibus vesci, teneor multò magis dicere, posse paschales comedere ad præcauendam pestem, quæ est vltimum, & supremum malum, quod potest Reipublicæ accidere, vt patet *ex* 2. *Reg. cap. vlt.* vnde meritò ait Hieronym. Præuidellus *in tract. de peste, verbo Lege municipali*, *num.* 3. quòd quando magna pestilentia imminet, dicitur imminere periculum mortis. Quis ergo erit tam seuerus, & durus, vt periclitanti vitæ deneget illud, quod potest iuuare ad illam conseruandam? Quare ait Venerus *lib.* 4. *examinis*, *cap.* 46. *num.* 53. quòd tempore pestis potest Episcopus dispensare, vt tempore quadragesimæ omnes, tam viri, quàm mulieres possint carnes, & lacticinia comedere, & in facti contingentia *anno* 1625. grassante peste in ciuitate Panormi, Archiepiscopum illius cum consilio Theologorum, Canonistatum, & Medicorum sic dispensasse; quam dispensationem profuisse testatur. Atque ita Trimarchi, qui testatur, viros doctissimos à se consultos Messanæ, ita respondisse. Et Isnardus refert *in Codice Minimo*, *consil.* 5. ita etiam censuisse Theologos Lugdunenses tempore, quo pestis ciuitatem illam inuasit *anno* 1657. In quorum omnium confirmationem ait Marsil. Ficinus in antid. epidem. cap. 5. *Vitandi igitur*, tempore pestis, *pisces, quantum fieri poterit, in quorum genere parùm minùs nocent, pisciculi, & qui ex flumine sunt claro, petroso, & currente, frixi in oleo cum sale, & immersi staphisagria, seu aceto, aut succo aranciorum, cum sale, & modico piperis, vel cinnamomi.*

62. Quæres etiam, an Regulares tempore pestis teneantur sacramenta fidelibus ministrare. Respondeo, quòd deficientibus Parochis, seu non valentibus supplere multitudini infirmorum, tenentur sub mortali Regulares Mendicantes cum periculo vitæ dictis infirmis sacramenta ministrare, & Regulares subditi tenentur sub eadem culpa obedire suis Prælatis præcipientibus, vt talibus infirmis sæcularibus in dicto casu sacramenta ministrent. Sunt enim Regulares coadiutores Episcoporum, vt dicitur *in clem. Dudum, de sepul.* §. *cæterùm*; & in hunc finem dictæ Religiones fuerunt ab Ecclesia approbatæ, & tot illis priuilegia concessa, vt ait Cai. 2.2. *quæst.* 188. *art.* 4. *in respons. ad* 3. & in hunc finem etiam aluntur à populis. Et in extrema necessitate spirituali quemlibet teneri alteri subuenire cum periculo vitæ, concors est Theologorum sententia cum D. Tho. 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 5. Ergo de iustitia tenentur eo tempore, & illo casu populis sacramenta ministrare cum periculo vitæ. Atque ita latè, & doctè probat Benzonius *in specul. Epis. lib.* 1. *d.* 1. *quæst.* 1. *concl.* 10. & pro se citat D. Tho. *multis in locis.* Rodriquez *tom.* 3. *quæst. regul. quæst.* 3. *art.* 4. *&* *tom.* 4. *sum. cap.* 96. *num.* 4. Sanchez 6. *in decal cap.* 2 *num.* 60. Venerus *in exam. lib.* 4. *cap.* 46. *num* 40. Rodericus *in resol. regal. resol* 111. *num.* 4. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 44 *sect.* 3. *num.* 8. D. Tho. *opusc.* 18. *cap.* 16. ait quòd Episcopi, & Curati tenentur ratione officij animas suas ponere pro salute gregis sui; quia *ad huiusmodi perfectionem in sua ordinatione, vel consecratione se obligant, sicut & Religiosi in sua professione.* Ergo sicut Parochi, & Episcopi tenentur tempore pestis cum periculo vitæ sacramenta ministrare, vt probat Suarez *tota illa sect.* 3. ita & Religiosi in supplementū dictorum Parochorum. Eadem, quæ D. Tho. habet Bannes 2. 2. *q.* 33. *art.* 3. *dub.* 3. *concl.* 4. ait enim, quòd: *Religiosi Mendicantes tenentur speciali obligatione ad opera misericordiæ implenda, supposita semper obedientia, nam sicut Episcopi, & Parochi obligantur ad ista opera ex officio, ita religiosi ex voto suo: ergo est specialis obligatio in eis.* Et licèt *dub. seq. vers. Ex dictis*, dicat, quòd Religiosi non tenentur permanere in loco pestis, sed licitum est illis fugere, & propriam vitam seruare: tamen intelligendus est, ne sibi contradicat, quòd hic loquatur de Religiosis non Mendicantibus, qui cum ad vitam contemplatiuam sint instituti, eo tempore fugere possunt, vt probat Rodriquez *tom* 4. *sum. cap.* 96. *num.* 2. Vel intelligi potest; quòd possint fugere, audito rumore pestis, non ipsa peste grassante, & necessitate præsente.

63. Aduertit autem bene Rodriquez *illa quæst.* 31. *cit. in resp. ad arg. versùs finem*, quòd ad hanc obligationem tenentur Regulares, quando ex facti euidentia, & monito Episcopi illis significatur, proprios, & ordinarios Curatos non posse competenter satisfacere indigentijs spiritualibus proximorum.

64. Aduertit etiam Sanch. *cit. num.* 61. teneri Prælatum regularem ad loca diœcesis vicina peste infecta Religiosos mittere, & eos teneri parere, quando eandem Parochorum sufficientium ad sacramenta infirmis ministranda penuriam paterentur, propter easdem rationes.

65. Aduertit etiam Rodriq. *in sum. loc. cit. num.* 4. quòd in hoc debent Prælati esse multùm prudentes. Nam non decet, vt omnibus indifferenter præcipiant, vt eant ad ministranda sacramenta peste infectis; sed viris literatis, & probis, qui possunt multò plus Religionem iuuare, id præcipiendum non est. Imò isti, etiamsi vltro se offerant, non sunt de facili permittendi, nisi vel instinctu Spiritus sancti magno charitatis ardore id tentare comprehendantur, vel in defectu aliorum. Vnde ait, quod Prouincialis non potest id præcipere Correctoribus; cum enim hi sint Parochi suorum subditorum, non possint gregem suum relinquere, vt aliorum gregi succurrant; charitas enim ordinata esse debet. Quare subdit, quòd Prælatus, cum periculo vitæ suæ non tenetur subditum peste infectum inuisere, vel alium quemcumque, existentibus aliis, qui id valeant perficere, & libenter se offerant, ne fortè in tam graui necessitate deficiat in conuentu Prælatus, & corruente eius regimine, non sit, qui necessaria ministret infirmis. Quæ etiam aduertunt Sanchez 6. *in decal. cap.* 2. *num.* 57. *&* 62. & Benzonius *loco citato* post responsionem ad argumentum *versu*; *In hac tamen practica*, vbi ait: Superiori, seu Prælato, prudentia vtendum erit, ne singulis id imponat nec vel valdè infirmos, vel egregiæ conditionis viros, qui alias regulari reipublicæ perutiles, vel necessarij essent, sine delectu ad hoc munus exponat. Addit etiam Rodriq. *dicto c. nonagesimo sexto cit.* quòd subditi tenentur se offerre ad curandos suos Confratres peste infectos, illisque sacramenta administrare, & non consentire, vt hæc eorum Prælati exequantur; cum enim sint membra communitatis, in qua viuunt, tenentur pro capitis conseruatione periculo se exponere, naturali ratione suadente. Adde etiam, quòd subditus recusans obedire Prælato in omnibus supradictis casibus, potest ad id violentia cogi; vnde, si nolit ire ad ministranda sacramenta secularibus, potest extra conuentum pelli & si nolit infirmo Fratri seruire, vel etiam sacramenta ministrare, potest incarcerari, torturari, &c. Et

aduerte etiam, quòd in casu extremæ necessitatis tenetur Prælatus ipse suis subditis seruire, & sacramenta ministrare, vt probat Suarez *tom. 4. in 3. p. disput. 44. sect. 3 num 7.* & alij communiter. Pro animandis, & confortandis subditis ad libenter eundum ad ministranda sacramenta peste infectis, legat Prælatus tractatum de Martyrio per pestem, nuper editum à Raynaudo. Et quòd de eis, qui in dicto ministerio decedunt, Ecclesia Catholica tanquam de martyribus faciat commemorationem, dicit ex Baronio Venerus *in examine, lib. 4. cap. 46. num. 41.* Aduerte hic etiam de passu, quòd *anno* 1630. *die* 22. *Nouembris* per S. D. N. P. Vrbanum VIII. statutum est, quòd in statu Mediolanensi, & eius diœcesi, in qua multùm grassata fuerat pestis, nulli Regulares possent quenquam nouitium ad Religiones eorum respectiuè recipere, fortè ne ad compensandas ruinas, ex contagione illatas, sine discrimine omnes reciperentur, vel vt conuentus multitudine Fratrum oppressi aliquantulum respirarent. Quod decretum fuit dictis Regularibus intimatum à Cardinali Borromæo Archiepiscopo Mediolanensi *die decimo septimo Decembris eiusdem anni.*

66. Noto 22. quòd *in* §. 7. *eiusdem const. 2. Clement. VIII. num.* 20. dicebam, quòd Collegæ Generalis vel Prouincialis, non poterant esse consanguinei vsque ad secundum gradum consanguinitatis; consanguinei enim nostri sunt quodammodò pars corporis nostri, & cum nemo carnem suam odio habeat, sed magis nutriat, & foueat eam, vt dicitur *ad Ephes.* 5. & habetur *in cap. Non estimemus,* 15. *quæst.* 2. non potest dubitari, quin Collega consanguineus, bene, vel malè faciat, Prælatus ei non contradicat; Est enim nobis innatus quidam naturalis amor, & affectus in nostros, qui amor homines alias lynceos ita obcæcat, vt nesciant quid album, quidvè nigrum discernere, vt decernunt Canones, *cap. 4. Quatuor,* 11. *quæst.* 3. *& cap.* 1 *in princ. de sent. excomm. in 6.* Nèc solum obcæcat hic amor homines malos, & improbos, vincendis suis passionibus impares, sed etiam homines alias integerrimos, virtutibus, & sanctimonia conspicuos. Quod perbellè notauit Greg. 7. Moral. cap. 14. *Et sunt plerique, qui non solùm aliena non appetunt, verumetiam sancta, quæ possederant in mundo, derelinquunt, semetipsos despiciunt, nullam presentis vitæ gloriam requirunt, ab huius mundi se actibus separant, & penè quicquid prosperitatis arriserit, caleant. Sed tamen adhuc vinculo carnalis cognationis obligati, dum amori propinquitatis indiscretè deseruiunt, ad ea sæpe per affectum cognationis redeant, quæ iam, & cum proprio despecta subegerunt. Cumque plus, quàm necesse est, carnis propinquos diligant, retracti exteriùs à cordis parente diuiduntur. Nam sæpe quosdam videmus, quantùm ad propriam studium spectat, iam præsentis vitæ desideria non habere, mundum, & opere, & professione reliquisse, sed tamen pro inordinatis affectibus propinquorum pratoria irrumpere, terrenarum rerum iurgiis vacare, libertatem intimæ quietis relinquere & mundi studia in se iamdudam destructa reparare.* Ex quibus constat, vt optimè aduertit Tiraquel. *de pœnis temper. caus.* 51. *num.* 82. esse potentiorem, ac vehementiorem amorem consanguinitatis, quàm amorem sui ipsius. Sicut ergo prohibentur Episcopi Ecclesiæ œconomatum consanguineis committere propter fraudis suspicionem, *cap. Decenter, d.* 89. Ita hic prohibentur Prælati consanguineos sibi in Collegas assumere, propter suspicionem, ne nimiùm ipsis adhærentes, iustitiam in damnum Religionis, & Religiosorum peruertant. Et sicut Episcopus non potest consanguineis conferre beneficia, quia consanguinitas inducit suspicionem, quòd collatio sit vitiosa, *cap. Episcopus,* 10. *q.* 2. Redoanus *de simon. ment. p. 1. cap. 26. n. 2.* qui addit, quòd dans beneficium consanguineo, est simoniacus, & tenetur ad restitutionem; ita non potest Prælatus in Collegam sibi consanguineum assumere, propter suspicionem inhabilitatis, seu alterius vitiositatis electi.

67. Si quæras, cur solum excluserim consanguineos vsque ad 2. gradum. Respondeo quòd *in cap. Postremò, de appell.* statuitur, quòd iudex consanguineus possit recusari, & Gloss. ibi determinat, quòd illa consanguinitas extenditur vsque ad septimum gradum, quia vsque ad illum gradum durat affectio, & vsque ad illum gradum potest illi succedere. Sed cum hic simus in Religiosis, in quibus nullum adest successionis interesse, potentissimum humanarum mentium ligamen, & qui pro instituto habent sanguinis affectiones domare, determinaui illam exclusionem non extendi, nisi vsque ad 2. gradum. Tum quia in aliis gradibus non tam feruet naturalis affectus, vt ordinatè rationem possit peruertere. Tum quia *in constit* 10. *Clem. VIII* §. 9. quæ refertur *in bullario Eremitarum S. Augustini,* prohibetur, quòd in capitulis prouincialibus, aut congregationibus duo consanguinei, vel affines in 1. vel 2. gradu votare possint. Tum quia *in decret. Vrb. VIII. circa collocutionem Regularium cum Monialibus* conceditur facultas colloquendi cum Monialibus consanguineis vsque ad 2. gradum, vt constat *ex tom. 2. nostr. prin. in const. 6. Pij V. num.* 7. Tum quia *in const. Cleric. Theatin p. 3. cap. 4.* statuitur, quòd eorum, qui inter se sunt 1. vel 2. gradu consanguinei, alius alij, nullo interiecto anno, non succedat. Tum quia ista est constitutio odiosa, & ideò restringenda. Et aduerte, quòd ista consanguinitas debet esse in linea recta ascendentium, vel descendentium, non autem in transuersali. Ita Hippolyt. de Marsiliis *singul.* 133.

68. Sed cur, inquies, id etiam prohibetur de adhærentibus. Respondeo propter eandem rationem. Cum enim isti à nobis dependeant, res nostræ sunt, & nos eorum omninò sumus, & eiusdem ad se ipsum vix potest esse iudicium rectum, amotis vi, qui iudicium persæpe ignorat, ratione caret, modum nescit, nec aliud cogitare potest, quàm quod diligit, argum. *leg. Cum seruus, ff. mandati, vel contra.* Quare bene Cæsar apud Sallustium aiebat, omnes homines, qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira, atque misericordia vacuos esse decere. Et Plutar. *in præcept. ger. Reip.* scribit de Cleone, quòd vt primùm Rempublicam attingere destinauit, *conductis in vnum amicis suis, amicitia eorum renuntiauit, quòd ea in Republica persæpè à recta, ac iusta voluntate animum auerteret, atque emolliret.* Vt igitur in tribunali Superiorum nostrorum recta administraretur iustitia, nec iudices amore vel parentelæ, vel suitatis ducerentur, sed solo iustitiæ zelo, bene amouet Papa, quæ tali iustitiæ administrandæ possunt esse impedimento.

69. Noto 23. *circa const.* 3. *eiusdem Clem.* quòd nullus iudex potest de dubiis emergentibus ex, & in literis apostolicis cognoscere, nisi Papa, vel de eius commissione, *cap. Cum venissent, de iudic. cap. 2. de confir. vtil vel inutil. cap. Super literis, de rescript.* Quod intellige de dubiis consistentibus in intentione Principis, & quæ præ difficultate decidi facilè non possunt, & quando declaratio debet esse generalis, & iudicialis, vt Gloss. *in dicto cap. Cum venissent,* & ibi Panor. *numero tertio.* Barbosa *ibid. num* 3. Et pro istis valet hoc priuilegium. Quod tamen adhuc est limitatum, vt non possit Generalis de illis decidere absque scientia Romani Pontificis. Et quòd hæc sit vera interpretatio, constat. Nam alioqui certum est, quòd potest Iudex inferior cognoscere circa literas apostolicas, an priuilegiatus sit priuilegij capax, an priuilegium sit subreptitium; Panor. *loc. cit.* qui id colligit *ex cap.* 1.

cap. 1. *& 2. de confir. vtil. & cap. Super literis, de rescrip.* & dicit esse communem opinionem.

70. Et aduerte hic, quòd quando Papa confert alicui beneficium manuale, quod consueuit ad nutum Abbatis prouideri, si ille faciat delictum priuatione dignum, quantumcumque sit beneficium in perpetuum collatum, poterit ab Abbate illo priuari. Quia per illam Pontificis collationem, aut confirmationem solùm respectu prælatorum est præclusa via inferioribus, atque ideo de viribus illius collationis, aut confirmationis cognoscere nequeunt; secus respectu delicti de nouo superuenientis. Aliàs enim illa collatio, aut confirmatio præstaret exemptionem ab Ordinarijs. Ita ijsdem verbis Sanchez 7. *in decal. cap.* 29. *num.* 139. Barbos. *in cap.* 1. *de confirmat. vtil. vel. inutil. num.* 35. apud nos vide alios multos.

71. Sed quid, si Pontifex concedat alicui Religioso peculium, vel licentiam, v. g. in Ordine nostro exeundi conuentu, quando est in infirmaria, poterit ne Prælatus regularis ad nutum talia priuilegia reuocare. Respondeo, quòd Prælatus non poterit ad nutum reuocare. Quia vbi Papa in aliquo negotio manum semel apposuit, videtur illud sibi velle reseruare, & inferior in rebus Superioris non potest se intromittere; *cap. Inferior, decis.* 21. Et derisorium esset, quòd hodie mihi Papa illud priuilegium concederet, & quòd cras Prælatus auferet. Atque ita tenent quamplurimi DD. apud Sanchez *loc. cit. num.* 135. Poterit tamen reuocare, si dicto peculio, vel licentia abutatur. Tum quia Papa non censetur voluisse illud priuilegium in destructionem concedere, sed in ædificationem. Tum quia priuilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate, *capite Licet, de regul. cap Priuilegium, 11. quæst.* 3.

72. Ex quibus collige, quod si Papa per deuolutionem v. g. quia in capitulo generali non potuit fieri electio Generalis, Generalem eligat, iste Generalis electus à Papa subiacebit omnibus, quæ disponit Regula de dispositione Generalis. Quia non videtur tunc Papa velle alterare naturam Generalatus. Et colligitur *ex Clem. vn. de suppl. neglig. Prælat.* ibi, *liberè possint ad claustrum, cum oportuerit, reuocari.* vbi Glossa *dicto verbo Reuocari*, huius rei rationem reddit. Quia nec plus, nec aliter confert supplens, quàm negligens debeat conferre; cum non tanquam principalis, sed tanquam subrogatus ipsis conferat. Ita Sanchez *loc. cit. num.* 133. Idem puto dicendum, si Papa iure proprio, non deuoluto, Generalem, seu Prouincialem eligat. Nam etiam tunc, & si electus delinquat, potest à deputatis à Regula, & constitutionibus puniri, & priuari, iuxta dicta *num.* 69

73. Collige etiam, quòd si Papa simpliciter diuidat, vel vniat, seu erigat aliquam Prouinciam, poterit nihilominus, ratione probabili suadente, Prouincia diuisa vniri, vnita diuidi, & erecta ad pristinum statum reduci per capitulum generale. Nam tunc Papa non videtur velle diuisionis, & vnionis, atque erectionis naturam iuxta constitutiones alterare. Si autem diuidat, vel vniat, & erigat ex certa scientia, tunc non poterit capitulum Prouinciam diuisam vnire, & vnitam diuidere, & erectam destruere. Ex eo enim, quòd Papa in illo negotio seriò, & ex proposito manum apposuit, declarauit, illud velle sibi reseruare. Atque ita colligo ex Sanch. *loc. cit. num.* 136. quem vide *num.* 144. vbi declarat, quando Papa censeatur aliquid facere ex certa scientia; & *num.* 143. affert differentiam, quæ est inter concessionem motu proprio, & ex certa scientia.

74. Noto 24. quòd supprimentes, & publicari prohibentes bullas pontificias, & excommunicationem incurrunt, à qua, nisi resipiscant, absolui non debent; Sayr. *in decis. tit de const. decis.* 25. Nau. *in manuali cap.* 27. *num.* 69. *vers. Secunda quod, & tom.* 1. *consil. de const. consil.* 1. *num.* 55.

75. Noto 25. quòd *in constit.* 4. *Clem. VIII. num.* 7. dicebam, teneri Regulares ejicere facinorosos ad suas Ecclesias confugientes, sub pœnis priuationis suorum officiorum. Sed *anno* 1630 *die* 21. *Nouembris* exijt decretum à S. D. Vrbano Papa VIII. multò rigorosius prædicto, quod quia Regularibus, quod sciam, non fuit, intimatum, & non durat nisi ad annum, ideo hic non insero. Videri potest apud Cancellarios Curiæ Archiepiscopalis Genuæ. Et nota, quòd dicti banniti non per hoc priuantur immunitate, & probat Diana *tom.* 3. *tract.* 1. *resol.* 40. Et aduertit, quòd istæ literæ non obligant, nisi in locis, in quibus fuerunt publicatæ, & pro quibus specialiter emanarunt. Aduerte etiam, quòd pro regno Neapolitano adest constitution. Sixti V data ad instantiam Proregis Neapolitani, quam refert Quaranta, *verbo Bannitorum fautores*, in qua prohibet sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipsi reseruatæ, omnibus personis Ecclesiasticis, siuè regularibus, siuè sæcularibus, siuè superioribus, siuè subditis, ne viarum grassatores in suis Ecclesiis, aut conuentibus recipiant, retineant, occultent, aut eis auxilium, consilium, victum, aut vestitum, directè, vel indirectè, quovis modo impendant. Vbi nota, quòd non solùm comprehenduntur Superiores, dictos viarum grassatores receptantes, sed etiam alij Fratres, inscio Superiore, illos recipientes, occultantes, &c. per illam clausulam; *Et alijs quibuscus personis ecclesiasticis, sæcularibus, & quorumvis Ordinum, &c.* Nota etiam, quod retinentes alios bannitos quoscumque præter viarum grassatores, dictas pœnas non incurrunt. Quia constitutio apertè loquitur duntaxat de viarum grassatoribus; vnde, cum sit odiosa, non est extendenda. Nota tamen, quòd Additionator Quarantæ tres casus excipit, in quibus dictæ pœnæ non incurruntur. 1. est, quando aliquis fuisset per ignorantiam receptus; licèt enim sciretur, aliquem esse bannitum, nesciebatur tamen ipsum esse grassatorem, II. Quando cogerentur ecclesiastici, incusso timore cadente in virum constantem, aliquem huiusmodi recipere. III. Quando reciperent animo tradendi curiæ sæculari; sed hic casus indignus est, vt proponatur personis ecclesiasticis, sapit enim impietatem, & proditionem, & tunc non effugerent ecclesiasticam pœnam irregularitatis.

76. Aduerto autem in omnibus casibus, quòd si dicti banniti, & facinorosi confugientes ad Ecclesias, essent positi in extrema necessitate victus, aut alicuius alterius boni spiritualis, non possent tunc Regulares eos eiicere, sed tenerentur sub mortali eos adjuuare, & liberare ab ea necessitate. Nam verba legis, quantumcumque generalia, semper ita sunt interpretanda, vt non sequatur inhumanitas, quæ tamen sequeretur in casu proposito. Ita Riccius. 1. *p. praxis, decis.* 366. *n.* 1. Ex quo principio resoluuntur multi similes casus. I. Quòd prohibitus sub aliquo præcepto, vel pœna, conuersari cum aliqua muliere suspecta, potest eam alloqui in casu necessitatis, & ob bonum finem, ad eam v. g. hortandam ad bonum spirituale. II. Prohibitus alloqui talem carceratum per verba nec directa, nec indirecta, potest nihilominus eum alloqui causa pietatis, & beneuolentiæ. III. Prohibitio de non loquendo cum excommunicatis non comprehendit casum necessitatis, seu honestatis; *cap. Quoniam,* 11. *quæst.* 3. *cap. Inter alia, §. Illud autem, de sent. excom.* IV. Quamvis verba contractus sint nimis generalia, tamen recipiunt interpretationem, ne promittens remaneat læsus, delusus, vel deceptus. V. Promissio de non faciendo aliquid cum iuramento,

to, non extenditur ad actum laudabilem, & licitum. VI. Promittens velle conueniri vbique locorum, restringitur ad locum tutum. Et promittens non offendere quoquo modo, intelligitur ad terminos iuris, & sic non intelligitur in ludendo, nec in lucta, nec in similibus.

77. Noto 56. quòd *in eadem constit. 4. Clement. VIII. num. 9.* dicebam, quòd in Statu Mediolanensi extabat excommunicatio, & priuatio officiorum contra Regulares tenentes arma in suis collegijs, & monasterijs. Sed modò occurrit quærere, An ille, qui per momentum temporis ab alio arma conseruanda accepisset, dictas pœnas incurreret. Riccius *1. part. praxis, decis. 691. num. 4.* putat incurrere. Sed ego existimo, contrarium esse verius, quando quis bona fide ad modicum tempus, seu pro faciendo aliquo opere charitatis, sc. venientes satellites, quos venire videt, dicta arma portantem carceratum ducant, cum grauissimo ipsius, & suæ familiæ damno, vel quando inconsideratè illa suscipit. Nam modica non sunt in consideratione, *leg. Scio, ff. de in integrum rest.* Ita Baiard. *ad practicam Clari, lib. 5. §. fin. quæst. 82. num. 74. qui num. 66.* habet, quòd statutum prohibens simpliciter portare, aut retinere arma, intelligitur de offensiuis, non defensiuis. Et *num. 71.* habet, quòd cultellus panis non venit appellatione armorum, nisi excedat mensuram taxatam. Et *num. 78.* quòd portans arma ligata non habet malum animum. Et *num. 79.* ait, quod statutum prohibens retentionem, aut declarationem armorum, intelligitur de armis aptis ad offendendum. Quod tamen non admittit de sclopettis, nam posset quis tenere cannam sine rota, quam etiam haberet in domo, & sic ad libitum sclopetis vti.

78. Noto 23. quòd hic idem Pontifex Clem. VIII. fecit quandam constitutionem pro confraternitatibus sæcularium à Regularibus instituendis, & aggregandis, quæ incipit; *Quacunque*, & est data Romæ *anno* 1604. *die 7. Decembris*; quam hic non affero, quia refertur à Cherub. *tom. 3. bull. const. 515. eiusdem Pontif. pag. 164.* Eam etiam referunt Quaranta *in summ. bull. verb. Confraternitates*, & Franciscus Leo *in thesaur. part. 4. cap. 2. fine*, qui illam explicat *dicto cap. 2. per totum.* Illius summa est. Primò, quòd Regulares, qui habent facultatem à Sede apostolica confraternitates instituendi, vnam tantùm in singulis locis instituere possint, vnamque similiter tantum possint sibi aggregare sæcularium, archiconfraternitates, vel congregationes. Secundò, quod dicti Regulares, seu archiconfraternitates non possint confraternitati institutæ, vel aggregatæ communicato nisi illa priuilegia, gratias, & indulgentias, quæ ipsis in specie, & nominatim fuerunt concessa, non illa, quæ per participationem illis fuere communicata. Tertiò, quòd dicti Regulares instituentes, vel archiconfraternitates aggregantes non possint dictis confraternitatibus institutis, & aggregatis impartiri statuta, quibus vtuntur, nisi priùs ab Ordinario considerante qualitates loci, temporis, & personarum, approbentur, emendentur, vel reformentur. Quartò, quòd in dictis institutionibus, & aggregationibus obseruetur forma ab ipso Papa præscripta, nimirum quòd in literis patentibus dictarum institutionum, & aggregationum fiat mentio de facultate instituendi, & aggregandi dictas confraternitates, deinde inseratur totus tenor indulgentiarum, primariò ipsis concessarum, eo modo, quo concessæ sunt, & iisdem verbis: & vltimò apponatur de verbo ad verbum præfata constitutio, *Quacumque*, Clement. VIII. Huiusmodi formas habes apud Flauium Cherub. *in comp. tom. 3. bull. sub constitut. 515. Clement. VIII.* & apud Quaran. *in summ. bull. loc. cit.* & ponam ego *in Formulario Regularium, verbo Confraternitates.* Quintò, quòd dictæ Confraternitates sic institutæ, & aggregatæ non possint dictis indulgentijs, & gratijs sibi nominatim communicatis vti, & frui, nisi postquam dictæ indulgentiæ, & gratiæ fuerint ab Ordinarijs recognitæ. Sextò, quòd Officiales Ordinar., & confraternitatum eleemosynas ita excipiant, & petant, sicut fuerit eis ab Ordinarijs præscriptum, & sic exceptas erogent in reparationem, & ornatum ecclesiarum, tam Ordinum, & Religionum instituentium, quàm ipsarum confraternitatum institutarum, & aggregatarum. Septimò, quòd confessores eligendi à dictis confraternitatibus vigore dictorum priuilegiorum, debent esse approbari ab Ordinarijs locorum, si sæculares sint, Si verò sint Regulares, non solùm debeant approbari à dictis Ordinarijs, sed etiam à suis Superioribus regularibus: qui tamen confessores non possint dictos confratres absoluere à casibus Papæ, & Episcopis reseruatis. Demum omnes confraternitates iam factas, infra annum in Europa, & infra biennium extra illam, ad præfatam præscriptam formam renouari iubet.

79. Circa quam constitutionem exierunt quædam declarationes sacræ Congregationis indulgentiarum, quæ per modum literarum missæ fuerunt Episcopo, Senensi tenoris sequentis. *Molt' Illust. & Reuerendiss. Monsignore. Hauendo risoluto questi miei Illustrissimi Signori della Congregatione delle indulgenze, con autorità, & ordine particolare, hauuto* viuæ vocis oraculo *dalla Santità di N. S. di leuare alcune difficoltà, che si trouano nell' esseguire la constitutioni de Clem. VIII. fel. mem. fatta già sopra le aggregationi delle confratrie, è dichiarare ancora alcune cose concernenti le institutioni antiche fatte da Superiori delle Religioni. Fanno sapere à V. S. che si contentano, che si Superiori regolari, à quali è stata concessa noua facoltà da Sua Beatitudine d'instituire confraternità secolare secondo la forma della sudetta constitutione, possino confermare senza consenso dell'Ordinario di luoghi, quelle confraternità, quali si trouano canonicamente erette da medesmi Superiori regolari, auanti si publicasse l'istessa constitutione, nelle chiese proprie loro regolari collegiate, doue stiano almeno dodeci Religiosi di familia ordinaria, non stante, che nella patente della confermatione si dica espressamente farsi etiò di consenso dell'Ordinario medesmo. Dichiarando però, che nel far noue institutioni nelle chise tanto regolari, quanto secolari di qualunque sorte, ò nel confermar etiandio le antiche erette in chiese secolari, ò regolari ancora, nelle quali non stiano dodeci Religiosi, si debba necessariamente hauer il testimonio, & consenso dell'Ordinario, & seruare tutto il restante, che si prescriue nell'istessa constitutione.*

80. *Permettono similmente, che li medemi Regolari, à quali è stata concessa la sudetta noua facoltà d'instituire, possino confermare le confratrie antiche, & instituirne di nuouo, ancorche non sia tutta quella distanza di luoghi, oue sono, ò saranno tali confratrie, che viene prescritta do Breui apostolici; mentre però, oltre tutti altri requisiti, concorra anco à questo il consenso particolare dell'Ordinario del luogo, quale si douerà essibire in scritto prima che si dispensi sopra tal distanza, è non altrimente.*

81. *Permettono ancora, che ritrouandosi diuerse confratrie di seculari antiche erette canonicamente, come di sopra, in chise regolari collegiate di dodeci Religiosi almeno, si possino confermare, seruata però in tutto il resto la forma data dalla medema constitutione. Et parimente, che essendo in vna città, ò terra più d'vna confraternità antica dell'istesso nome, & instituta eretta canonicamēte da Superiori regolari, si possino confermare secondò la sudatta forma, ma nell'instituire nuoue confraternità vogliono le Signorie loro Illustrissime, che vna sola*

sola se ne possi fare in qualunque città, terra è luogo, eccettuando però la compagnia del Santiss. Sacramento, quale concedono, anzi desiderano, sia eretta in ogni chiesa parochiale, non ostante che si ci troui eretta prima qual si voglia altra compagnia, è confraternità.

82. *Perche molti dubitano, se per la constitutione di Sua Beatitudine sopra le indulgenze concesse vltimamente alle persone religiose con reuocatione delle antiche, venghino riuocate anco le indulgenze concesse alle chiese regolari, & à quei, che le visiteranno, ancorche la constitutione comprenda chiaramente solo le persone regolari senza estendersi alle chiese loro, loro tuttauia la Congregatione per leuar ogni dubbio, dichiara, che le indulgenze concesse à quelli, che visiteranno le chiese de Regolari, stanno nella loro forza, & vigore, fin che la Santità sua farà altra deliberatione; è però si possino lasciare publicare, quando non osti altra cosa.*

Tutto questo è parso alla Congregatione di scriuere à V. S. accio nelle occorrenze di cotesta chiesa sappia ciò, che passa in questo particolare, & lo faccia sapere ancora à Vescoui della sua Prouincia, & io pregherò à V. S. ogni bene. Di Roma alli di Septemb. 1607. Di V. S. per seruirla. Il Cardinal Arigon Datario, &c.

83. Noto 28. quòd *anno* 1597. 14. *Ianu.* exierunt à Congreg. Visitationis apostolicæ quædam declarationes ad instantiam Generalis Ordinis Minimorũ, & pro dicto Ordine subscriptæ à Secretario Surbológo.

84. Primum igitur dubium fuit, Quid faciendum quando aliquis Collega fuerit recusatus a Fratribus in visitatione? Et responderunt Illustrissimi DD. illius Congregat. *Quòd non debet admitti qualiscumque recusatio, quia sunt quatuor iudices, & non vnus. Quòd si aliquis deposuerit contra Collegam Generalis, tunc poterit Generalis secretè recipere depositionem illam, & eam probare ac postea Congreg. Visitationis referre.*

85. Secundum. Quid faciendum, quando aliquis Collega fuerit infirmitate detentus, vel aliàs iustè impeditus? Et responderunt. *Quod tunc poterit Generalis cum duobus Collegis visitationem facere; non tamen illam diffinire, alio inconsulto.*

86. Tertium. An visitationes conuentuum paruulorum possint remitti alicui ex Collegis? Et responderunt. *Quòd poterit mitti ad dictos conuentus visitandos aliquis ex Collegis cum alio quocumque socio; obseruabitur tamen vt non mittatur idem ad eosdem conuentus, qui anno preterito illos visitauerit.*

87. Quartum. Decretum sacræ Congreg. quo præcipitur, electum vno anno in aliquo officio etiam minori, sequenti anno non posse ad idem eligi, quomodò intelligendum? Et responderunt. *Debere intelligi in eodem conuentu tantùm.*

88. Quintum. Quæritur, quomodò creandi sint Vicarij generales in Prouincijs remotis à Generali? Et responderunt. *Quòd in Curia non fiant Vicarii generales, inconsulto Illustriss.* D. capite Sacræ Congr. Visitationis. *In Italia, ipso Generali præsente, non debet fieri Vicarius generalis. In Gallia, & Hispania poterit facere quemcumque voluerit de assensu Collegarum.*

89. Sextum. An possit, seu debeat eligi vnus scriba pro tota Religionis visitatione? Et respõderunt. *Quòd poterit eligi vnus scriba fidelis pro qualibet Prouincia, & si non reperiatur scriba, Collega eiusdem nationis.*

90. Septimum. An in casu necessitatis possint, qui vescuntur cibis paschalibus, extra claustra exire? Responderunt. *Quòd poterit Generalis, vel Prouincialis rarissimè, & pro necessitate euidenti concedere facultatem exeundi, dummodo neque in itinere, neque extra conuentum vescantur cibis paschalibus.*

91. Octauum. Quomodò intelligatur interdictio de non interpretandis decretis Sanctissimi? Et responderunt. *Quòd non conuenit interpretari quò ad relaxationem, bene tamen quò ad reformationem, & arctiorem modum.*

92. Circa quæ decreta aduerte, quòd obseruanda sunt, cum sint facta à dicta Congreg. de mente Papæ. Et ego ea vidi authentica in Archiuio Patris Zelosi Romæ. Et nota bene septimum dubium positum *nu.* 90. Nam reddit omnino certam doctrinam, quam tradidi *tom.* 1. *Relig.* 4. *cap.* 8. Et illud, quod ibi dixi *concl.* 3. nimirum Superiores non comprehendi in dicto decreto, de non exeundo extra conuentum tempore infirmitatis, confirmo *ex clem.* 1. *de regul.* in qua puniuntur Monachi, & alij habentes administrationem, si grauent, vel fraudent ecclesias circa decimas, quia tamen ibi non nominatur Abbas, cum simus in odiosis, non dicitur in ea constit. esse comprehensus. Ita Card. *in dicta clem. num.* 7. Gomes. *q.* 4. *ad regul. cancell. vers. Et in eadem ratione.* Confirmo etiam, quia stante statuto, quòd nullus cum Monialibus loquatur, adhuc potest quis cum Abbatissa loqui, nam nomine Monialium, in odiosis non venit Abbatissa, vt probat Diana *tom.* 3. *tract.* 2. *resolut.* 48. *notab.* 3.

CAPVT VI.

De addendis ad Constitutionem Pauli V.

1. NOto 1. circa const. 5. Pauli V. quæ mandat Prælatis Regularium, vt nulli Religioso dignitates conferant ad instantiam alicuius personæ extra Ordinem existentis, quòd ista constitutio non comprehendit Definitores, nec Collegas Generalis, vel Prouincialis, nec alios Fratres subditos; loquitur enim expressè de Prælatis; & cum sit odiosa, & pœnalis, non est extendenda, sed potiùs restringenda, *cap. pœna, de penit. d.* 1. Quare dicti omnes poterunt absque metu has pœnas incurrendi, ad sæcularium instantiam alicui suffragari, seu etiam ad dictam instantiam apud Prælatos agere, vt alicui dignitates conferant (absit modò scientia, & dolus ex parte Prælati; nam tunc parum interest, an vi, vel dolo legum circumueniat.) Comprehendit tamen Correctores, si ad dictam instantiam dent alicui aliquam administrationem, v. g. curam possessionum, tenutarum, &c. vel officium Sacristæ, aut Procuratoris, &c. Nam isti casus expressè continentur in bulla.

2. Aduerte, quòd Prælatus, qui intuitu alicuius sæcularis amici daret alicui Religioso amico, seu consanguineo dicti sæcularis aliquod officium, non per hoc has pœnas incurreret. Nam concedere intuitu sæcularis, non est concedere ad instantiam, & requisitionem, vt vult bulla. Nam hæc verba denotant non vnam, sed tres, aut duas ad minus petitiones sæcularis, instanter, & affectuosè factas apud Prælatum. Nec similiter incurreret has pœnas Prælatus, qui roganti quidem sæculari, sed non instanti, nec prementi, sed simpliciter petenti, & alioquin se remittenti morem gereret, dando aliquod officium Fratri. Nam instare non dicitur, nec instanter requirere; Nec similiter incurreret Prælatus has pœnas, qui iam destinauerat aliquem ad aliquam dignitatem assumere, si ante assumptionem instetur à sæculari pro eadem dignitate eidem Religioso tribuenda, & Prælatus dicto sæculari instanti dicat, Tibi seruiam. Nam præfata dignitas nullo modo confertur ad sæcularis instantiam, cum iam fuerit animi destinatione collata, motu proprio superioris v. g. & sumus in odiosis. Cauendum tamen in hoc scandalum; & verba illa, Tibi seruiam, possunt curialiter intelligi. Nec item incurreret Prælatus, qui instanter rogatus à sæculari, vt officium Religioso daret, illud ei daret quidem, sed non principaliter propter preces sæculares, sed propter dignitatem Religiosi, Et hic casus videtur expres-

sus

sus *in cap. Tuam, de ætat. & qualit.* Portel *citand. num.* 29. Nec similiter incurrit Prælatus, qui sæculari dicenti, Talis Religiosus est meus amicus, esset bonus pro tali officio, morem gerit. Nam non dat officium sæculari instanti, sed annuenti; annuere autem, & instare valde differunt. Nec similiter incurreret Prælatus, qui bona fide reciperet donaria ab aliquo sæculari, qui medijs illis prætenderet fauere apud Prælatum alicui Religioso pro dignitatibus consequendis, si dictus Prælatus postea d cto Religioso aliquod officium intuitu dicti sæcularis conferret. Nam hic nulla intercedit instantia, nec munera sunt eo fine recepta, & dictum officium confertur potiùs intuitu dicti sæcularis, quàm ad instantiam ipsius. Si verò dictus Prælatus ea munera recipiat, conscius intentionis dantis, eoque fine recipiat, tunc puto, quòd has pœnas incurreret dignitatem conferens. Nam potentissimè instat, qui muneribus instat, etiam si nihil dicat; nam munera ipsa loquuntur, & sunt efficacissima media ad humanas mentes prosternendas. Nec similiter incurreret Prælatus has pœnas, si alicui nouitio ad instantiam sæcularis officium concedat. Quia nouitij non sunt Religiosi formaliter.

3. Sed quæres, an per personas existentes extra Ordinem, intelliguntur Moniales eiusdem Ordinis, itavt Prælatus conferens dignitates alicui Religioso ad instantiam alicuius Monialis, has pœnas incurrat. Respondeo, quòd non, quicquid dicat Portel *in addit ad dub. regul. ver. Officia Ordinis, num.* 18. Nam, cum simus in odiosis, nomen illud, *Ordinis*, latè interpretandum est, prout comprehendit non solùm viros, sed etiam mulieres, atque ita noceat minus quàm possit. Et verè Moniales nostræ v. g. non possunt dici esse extra Ordinem nostrum, cum sub eodem capite, & Regula, data proportione, militent. Et propter eandem rationem puto, non incurrere Prælatum has pœnas, qui daret aliquam dignitatem alicui Moniali ad instantiam alicuius sæcularis. Nam de natura legis pœnalis est, vt non extendatur extra casum expressum, *leg. Factum suum cuique, §. in pœnalibus, ff. de regul. iuris, reg.* 49. *In pœnis, de regul. iur. in* 6. & in pœnis masculinum non comprehendit fœmininum. Et aduerte, quòd eadem lex sub diuersis respectibus potest latè interpretari, & strictè. Quia potest habere vnum respectum fauorabilem, & alium odiosum, vt probat Bald. *in leg. Venia, C. de in ius vocand.* Cochier *de conseru. Eccles. quæst.* 2. *num.* 4. Sic in casu nostro dixi, quòd hæc lex, quam habemus præ manibus, extenditur ad Moniales, ad excusandum Prælatum ab incurrendis his pœnis, qui ad Monialium instantiam officia largitetur alicui. Quia Monialium comprehensio in hoc casu fauorabilis est, & in fauorabilibus masculinum comprehendit fœmininum. Tuschus *lit. M. concl.* tot. *num.* 1. Dixi etiam, quòd non extenditur ad Moniales, ad excusandum Prælatum à dictis pœnis, qui ad instantiam sæcularis Moniali dignitatem tribueret. Quia monialium comprehensio in hoc casu odiosa est, & in odiosis masculinum non comprehendit fœmininum. Tuschus *cit. num.* 9. Vide Decium *in leg. fœmina, §. quod masculinum, num.* 16. *ff. de reg. iur.*

4. Quæres etiam, An Prælatus, qui largiretur dignitatem alicui Religioso ad instantiam alicuius Episcopi eiusdem Religionis, his pœnis teneretur. Respondeo, non teneri, quicquid dicat Portel *loc. cit.* nam Religiosus factus Episcopus non potest dici esse extra Religionem. Quia tenetur eiusdem Religionis habitum, saltem, quo ad colorem, gestare, & essentialia Religionis, & obseruandas regulares, quæ non impediunt statum Episcopalem, seruare, vt probaui *tom.* 1. *Relig. ref. q.* 1. *cap.* 10. *§. vnico*; atque ita in effectu, & essentialiter est Religiosus talis Religionis; & sic etiam nominatur communiter. Quare, cum simus in odiosis, non potest dici esse extra Religionem.

5. Quæres etiam, An Protector Ordinis possit dici persona extra Ordinem, ad effectum, vt has pœnas incurrat Prælatus, ad illius instantiam dignitatem conferens alicui Religioso. Resp. Si literas inspicio Gregor. XI. & Sixti IV. de auctoritate Protectorum, quas ad literam refero. *tom.* 1. *Relig. q.* 1. *cap.* 18. §. 3. officium Protectoris esse inuenio, Religiones 10 omnibus incidentibus casibus protegere, atque defendere; omnem iniuriam ab eis propulsare, quòd hæ in aliquo non lædantur, cura, sed potius suo opportuno defensionis clypeo protegere. Hæc sunt protectoris officia secundùm mentem Pont ficum Gregor. XI. Sixti IV. & refert Platus *de offic. Cardinal cap.* 33. ipsissimis verbis hæc dixisse Alexandrum IV. Matthæo Rubeo Cardinali, quando in Protectorem Minoribus destinauit. Quæ eadem mandauit Protectoribus Sixti IV. afferens pro motiuo hæc verba *Vt igitur de cætere Fratrum negotia, & causæ non alibi, neq; per alios, quàm in ipso Ordine, & ipsius Prælate tractentur, &c.* Ex quibus verbis constat claré, quòd Protector est extra Ordinem, & sic Generalis ad instantiam Protectoris dignitatem conferens has pœnas incurreret. Sed quia video, Protectores maiorem auctoritatem vsurpare, quàm illis peritas constitutiones liceat, maiorem facultatem habere suspicor, Quis enim credat, tantos viros in detrimentum animarum suarum contra tot Pontificum obedientiam, velle manus apponere, vbi non liceat? Quare decidendum videtur, quòd Prælatus conferens dignitatem, & officia ad instantiam Protectoris dictas pœnas non incurrat. Addita præsertim const. Pauli V. de auctoritate Protectoris, quam *loc. cit. Relig.* effero. Videatur Homob. *tom.* 2. *exam. tract.* 9. *cap.* 5. *quæst.* 10. *Confessarij in præsenti casu.* &c. Addito etiam decreto Gregor. XIII. de recursu ad Protectores habendo. Et multo minus potest dici persona extra Ordinem Summus Pontifex, cum ipse sit omnium Religionum Generalissimus. Vnde si quis procuret per aliquam dignitatem, Prouincialatum v. g. nullo modo tenebitur his pœnis.

6. Aduerte, quòd Prælatus dans aliquod officium, vel dignitatem extra Ordinem, putà si concedat alicui Episcopo in Vicarium aliquem Fratrem, si alicui munus Inquisitionis tribuat, si prouideat aliquem in Parochum ad instantiam sæcularis, non incurrit has pœnas. Quia Papa solùm prohibet dari officia eiusdem Religionis. Nec item puto incurrere, qui ad instantiam sæcularis aliquem ad dignitatem canonicè electum confirmaret; nam eligere, & confirmare sunt omnino diuersa, & à diuersis non fit illatio, præsertim in odiosis.

7. Quæres. Rogauit instanter quidam sæcularis Prælatum, vt daret aliquod officium cuidam Religioso ad ipsiusmet Religiosi instantiam, & Prælatus annuit, quas pœnas incurrit. Resp. 1. incurrere pœnam inobedientiæ, & excommunicationis ipso facto, quæ tamen nulli est reseruata, nec est priuatus officio, quia non dicit Papa. Deinde quia Religiosi, qui per conquisitos sæcularium fauores procurant dignitates obtinere, sunt inobedientes, & ipso facto excommunicati, ac perpetuò inhabiles ad illa, & similia, ac etiam maiora officia consequenda, vt constitutio ipsa ijsdem verbis declarat, peccauit omnino mortaliter, & incurrit pœnas contra eligentes inhabilem. Quòd si de his constet in foro fori tenetur Prælatus eum sic electum priuare, vel vt renuntiet curare, nec aliter absolui potest. Nam cum illa electio fuerit, nulla tum propter excommunicationem, tum propter inhabilitatem, nec possit Prælatus supradictam inhabilitatem dispensare, vt dixi *tom.* 1. *priuileg. in const.* 6. *Iulij* 2. *num.* 25. si nolit errorem commissum emendare,

emendare, & Papæ constitutioni obedire, ac bono communi providere, non poteft esse dispositus ad recipiendum facramentum pœnitentiæ. Si verò de his non constet in foro fori, sed tantum in foro conscientiæ, aliqui, quos refero *loco cit. num.* 23. putant, quòd iste sic electus teneatur renuntiare, vel remedium à Papa quærere, & quòd super illa inhabilitate non potest prælatus dispensare. Ego tamen *loco citato, numero vigesimo quarto*, dixi, istam pœnam in conscientia non incurri, & dato, quòd incurratur, potest per Generalem Ordinis, vel per deputatum ab ipso abstergi.

8. Noto 2. quòd subditi prohibentur non solùm procurare fauores pro obtinendis dignitatibus, sed etiam prohibentur eos acceptare, etiamsi sponte offerantur. Et quia efficaciùs mouent munera, quàm verba, ideo prohibentur etiam procurare muneribus. Et aduerte, quòd dictæ pœnæ sunt inflictæ contra subditos sibi dictos fauores procurantes: vnde si procurent pro aliis Fratribus, eas non incurrunt; sumus enim in pœnalibus, in quibus non est facienda extensio, & ita dicit Pottel. *in addit. ad dub. regul. verb. Officia Ordin. num.* 35. Incurrit tamen, qui sæculari offerenti se rogare Prælatum, vt ipsi dignitatem conferat, non respondet, sed tacet: nam tunc, cum de illius seruitio agatur, intrat regula 43. *de regul. iuris in* 6. *Qui tacet, consentire videtur.* Non verò incurrit, qui bona fide recipit dignitatem sibi à sæculari procuratam, si id ignorabat, nec tenetur ei renuntiare; quia id in hac constit. non habetur. Imò, si sæculari offerenti fauores Religiosus omninò, & ex corde recusèt, ipse tamen sæcularis fauere non desinat, & impetret, putat Pottel. *num.* 37. quòd dictus Religiosus dignitatem sibi collatam absque peccato recipere potest; quia ipse nihil fecit pro ea recipienda, imò oblatos fauores secundùm mentem Papæ recusauit, nec munera obtulit; vnde non apparet, quare recipere non possit.

9. Circa munera aduerte, quòd ea debent dari sæculari, ad effectum impetrandi dignitates pro aliquo, vt patet ex verbis dictæ const. vnde si dicta munera det Religiosus Prælato, ad hoc vt ei aliquam dignitatem conferat, his pœnis non tenebitur, poterit tamen teneri aliis, & grauioribus. Item munera sufficientia ad has pœnas incurrendas, non debent esse munuscula nullius momenti, quorum materia non sit peccatum mortale, sed talis qualitatis, quæ de se valeant inducere donatarium ad procurandum dictos fauores, & quorum materia sit mortalis. Vnde licèt munuscula dentur intentione mouendi ad procurandum officia, etiamsi in hoc peccetur mortaliter, si tamen materia externa non est mortalis, & grauis, non est capax excommunicationis. Nam Ecclesia actum solùm externum in hoc considerat. Aduerte etiam, quòd dare munera pro obtinenda confirmatione iniustè denegata, non est contra dictam constit. nam, vt dictum est, aliud est eligi, & aliud confirmari.

10. Tandem pro explicatione huius const. vide quæ dico *tom.* 1. *Religiosi, q.* 2. *c.* 2. 6. 11. vbi eam etiam retuli. Et aduerte, quòd non obstante decreto Clementis VIII. quod refero *tom.* 2. *priuil. in const.* 10. *Vrbani VIII.* §. 52. licitum erat Religiosis procurare suffragia pro personis dignis, & benemeritis; quod etiam docent D. Thomas 2. 2. *q.* 100 *art.* 5. *ad* 3. Gloss. *in cap. Tuam, verb. Nullam prorsus, de ætate, & qualit.* Petrus de Baysio *in direct. elect. p.* 1. *cap.* 6. *n.* 16. Vtrum autem liceat procurare pro se, dixi *to.* 2. *Religiosi, q.* 1. *cap.* 6. *num.* 11. Et demum nota, quòd viri grauissimi censent, istam constitutionem non obligare in conscientia, quia non fuit recepta, & quidem eam video non obseruari à viris piis, & pariter doctis.

11. Noto 3. circa const. 6. Pauli V. in qua prohibentur Fratres tertij Ordinis S. Francisci nationis Hispaniæ deferre habitum nostri coloris, quòd postquam obtentum fuit dictum diploma apostolicum, tacitis mandatum adhuc dicti Tertiarij, sub prætexto, quòd non fuerant auditi, sed passi sunt repulsam, vt patet ex literis sacræ Congreg. Regul. ad Archiepiscopum Damascenum Nuntium pro Sanctissimo apud Regem Catholicum, datis 4. *Aprilis* 1607. Sed institerunt ita importunè, vt infastiditus Papa concesserit, vt denuo audirentur, vt patet ex literis datis ab eadem Congregat. eidem Hispaniarum Nuntio *die* 25. *Maij anno* 1607. Sed cum nihil probassent, demum statutum fuit ab eadem facta Congr. vt dicti Tertiarij habitum coloris nostri deponerent infrà sex menses, vt patet ex eiusdem Congr. decreto facto *die* 19. *Septembris* 1607. subscripto Antonius Cardinalis Saulus. Cum autem dicti Tertiarij distulissent exequi Cong. mandata, tandem ordinatum est Nuntio Hispaniarum, vt ad obediendum eos compelleret, cogeretque dictum habitum intra terminum quatuor mensium deponere, vt patet ex literis dictæ Congreg. datis *die* 6. *Augusti* 1607. subscriptis à Cardinali Gallo. Quæ omnia cum multis aliis ad hoc negotium pertinentibus asseruantur in Archiuio nostro Romano apud Patrem Zelosum. Sic autem coacti obedierunt, & ab illo tempore vsque ad hoc tempus anni 1634. quo hæc scribo, nos ampliùs non molestauere.

12. Et aduerte, quòd non sine quare tantùm litigauit Religio nostra, vt dicti Tertiarij habitum coloris nostri deponerent, nam habitum talis coloris gestare, maximam æstimat prærogatiuam; Cum habitus Christi vestis, nimirum inconsutilis, quæ è cœlo fuit asportata, sit coloris dicti nostri habitus, vt ego propriis oculis vidi Romæ *anno* 1628. *die* 18. *Ianuarij* in Ecclesia S. Praxedis, in qua habitant Monachi de valle vmbrosa. Cum enim iuissem ad videndum reliquias asseruatas in ea Ecclesia, D. Ascanius Tamburinus Prior dictæ Ecclesiæ pro sua benignitate voluit eas ipsemet mihi ostendere, cumque ad reliquiam vestis inconsutilis deuenisset, & ego mysteria potiùs, quàm colorem, aspicerem, dixit mihi dictus R. D. Vide Pater, quòd color vestis inconsutilis est coloris vestri habitus. Et ita in facto quam bene apertis oculis vidi. Et potest esse, quòd Sanctissimus Pater noster talem colorem assumere voluerit, vt imitatio habitus externi denotaret imitationem charitatis internæ, qua semper Christo fuit vnitus, & nos commonefaceret, ne latum vnguem à vestigiis Christi discederemus. Sed de hoc colore, quòd B. Virgo, & Apostoli eo semper vsi sint, dicam pluribus *in commentariis super Regulam Minimorum, cap.* 1.

13. Noto IV. quòd *in eadem constit.* 6. *Pauli V. num.* 13. dicebam, quòd qui iuuenis relaxatè vixit, si senior factus resipiscat, potest ad dignitates eligi. Sed pone, quòd concurrat cum aliquo, qui semper bonus fuit, quisnam eorum erit præferendus? Aliqui dicunt, quòd qui fuit aliquando malus. Gloss. *in cap. Fidelior, d.* 50. Roman. *singul.* 534. Abbas *in c. Dudum, el.* 2. *de elect.* Io. de Selva *de benef. p.* 3. *q.* 7. *num.* 18. Et ratio est, quia scit compati infirmitatibus subditorum, *c. Considerandum, d.* 50. & infirmus fortior resurgit, *cap. Potes, de pœnit. d.* 1. Lambert. *de iur. patron. lib.* 2. *p.* 3. *q.* 5. *art.* 14. *num.* 4. distinguit; nam ad Prælatiam habentem curam animarum, censet cum dicta opinione eligendum esse, qui peccauit; si autem Prælatura curam animarum non habeat, ad illam eligendus est, qui semper fuit bonus; quia hic est simpliciter dignior. Sed ego absolutè censui illic, *eo num.* 13. quòd ille est præferendus, qui nunquam peccauit, nam alioquin prodesset peccatori malitia sua, & fluctuaret illa propositio. quòd Dignior semper est eligendus. Atque ita docet Ar-

chid. *in cap. Nos consuetudinem*, *d.* 12. *n.* 2. & habetur expresse *in cap. Quid poteris* , *&c. Statuimus* , *& cap. Ne emeritus* , *d.* 61.

14. Aduerte autem, quòd quatuor sunt, quæ in Religiosis faciunt vnum Religiosum maiorem, & digniorem altero. 1. est maior virtutum abundantia. Secundum maior numerus amicorum, hic enim maximas supponit virtutes, maiorem dulcedinem, & affabilitatem. Tertium maiores gradus obtenti, hi enim etiam virtutem maiorem ostendunt. Quartum est nobilitas generis cum virtute coniuncta, *c. De multa* , *de preb.* §. *fin.* Et si cupis scire nobilitatis signa, adi Io. de Selua *de benef. p.* 2. *q.* 7. *à n.* 28. vbi quinque numerat, nimirum liberalitatem, mansuetudinem, virilitatem, magnanimitatem, & gratitudinem.

15. Noto 5. quòd *in const.* 7. *Pauli V. à num.* 1. probaui, quòd tempore capituli generalis Corrector SS. Trinitatis de Vrbe non poterat præcedere Prouinciales ibi commorantes pro celebratione dicti capituli. Et rationibus ad hoc ibi adductis addendum est. Primò, quod Prouinciales habent maiorem potestatem, administrationem, & iurisdictionem, quam Corrector SS. Trinitatis. Ergo huic præferri debent. Consequentia probatur argum. *cap. Ad hac, de offic. Archidiac.* Et pluribus auctoribus adductis, id probat Contelorius *de pracedentia* , *num.* 14. Secundò, quia tempore dicti capituli, Generalis facit vnum corpus cum capitulo generali, cuius corporis ipse est caput, & Prouinciales, ac Commissi sunt membra, *cap. Nouit* , *de his, quæ fiunt à Prælato* , Gloss. *in cap. Irrefragabili* , *verb. Per capitulum, de offic. Ordin.* Monachus *in cap. Romana* , *de senten. excommun. in* 6. *num.* 9. Gloss. *in cap. Statutum* , *verb. Collegiatis* , *de elect. in* 6. Sed est inconueniens, & contra ordinem naturalem, quod membra disiungantur à capite, *cap.* 1. *d.* 12. Ergo nec iure legali, nec naturali inter Generalem, & Prouinciales, ac Commissos tempore capituli generalis debet inseri quisquam alius. Ita Grat. *tom* 1. *discept. forens. c.* 111. *à num.* 1. qui hanc rationem multis probat, præsertim *num.* 5. exemplo Regis, qui licèt tam in suo regno, quam extra præcedat Cardinales, tamen in consistorio, & capella papali id illi non conceditur; nam quælibet communitas est dignior, quàm persona particularis, *c. Statutum* , *de elect. in* 6. Vnde licèt Abbas præcedat omnes Canonicos etiam cathedralis Ecclesiæ, quando singuli incedunt, minimè tamen eos præcedit, quando collegialiter procedunt, nec in aliis actibus, in quibus Cathedralem Ecclesiam representant, vt probat multis Tamburin. *de iure Abbatum* , *tom.* 1. *disp.* 25. *q.* 2. *num.* 10. allegans pro hoc dicto Dominicum de S. Geminiano, Felinum, Decium, Cassanæum, Ripam, Seluam, qui possunt videri apud ipsum, & subdit hanc esse opinionem communem, & in praxi ita obseruari, & idem docet Barbos. *de offic. Parochi* , *p.* 1. *c.* 9. *n.* 6 *& n.* 7. affert declarationem sacræ Congreg. Rituum, in qua deciditur, capitulum Ecclesiæ Cathedralis habere præcedentiam supra Parochum.

16. Addendum etiam, quia licèt quis sit absens à sua diœcesi, si sit tamen Romæ, quæ est communis patria, præsens esse dicitur, *leg. Necnon* , §. *Si eum in prouincia* , *ff. ex quibus causis maiores* , vbi id notat Bartol. ita Gonzalez *ad reg.* 8. *cancell. gloss.* 43. *num.* 9. Quòd verò Roma sit communis patria, & in ea nullus sit extraneus, habetur *in leg. Roma communis patria nostra. ff. ad municip. & leg.* 4. *ff. excus. tut.* Vnde Cassiod. lib. 1. var. epist. 39. *Nulli* , ait, *sit ingrata Roma* , *quæ dici non potest aliena.* Et Sidonius Apollinaris, vt refert Addit. ad dictum locum Cassiod. *In ea* , ait, *totius orbis ciuitate vnica solos barbaros, ac seruos peregrinari.* Et Callistratus *in leg. Relegatus* , *ff. de interd. & releg.* ait, quòd relegatus non potest Romæ commorari, quia omnium est patria. Quare ergo Roma omnibus dulcis, & benigna, Prouincialibus, ac Commissis Minimorum capituli generalis tempore in conuentu SS. Trinitatis debet esse ingrata, & quare illi soli, tanquam barbari, & serui, debent in ea peregrinari? Quod peregrinentur, patet; nam in propriis Prouinciis suo loco sedent, hîc non.

17. Adde etiam, quod Fratres Prædicatores 3. *p. suarum const. cap.* 19. *de potest. & offic. Prouincialis* , habent hoc statutum. *Potestas, siue iurisdictio Prouincialium non se extendit vltra limites suæ Prouinciæ, etiamsi, dum actu Prouinciales sunt, locum habeant supra Priores alienarum Prouinciarum in choro, processionibus, & etiam in refectorio, dummodò tamen notam non pulsent.* Ex quo apparet, quòd si omni tempore debent Prouinciales præcedere Correctores, multò magis tempore capituli generalis, quo sunt in propria iurisdictione.

18. Neque possunt Patres Galli in hoc se consuetudine tueri. Nam, præterquam quòd nulla talis consuetudo est, est, cum semper sit reclamatum, & possessio per præscriptionem acquisita debet esse pacifica, non violenta; *cap. Cum persona de priu. in* 6. & facit *cap. Licet* , *de priu. eod. libro* , *&c. Eum, qui* , *de preb. in* 6 *& cap. Legimus* , 16. *q.* 1. vide Paris. *cons.* 96. *volum.* 4. nihilominus, etiamsi esset, & esset præscripta, non valeret; quia est contraria omni iuri, Primùm diuino, vt colligitur *ex c. Ad hoc* , *d.* 89. deinde iuri, & ordini naturali, vt colligitur *ex cap. Est ordo* , 33. *q.* 5. Item iuri canonico, *c. Statuimus* , *d.* 61. *c. Statuimus* , *de maior. & obed. c. Cum olim, de consuet.* Item ciuili, *leg. Vt gradatim* , *ff. de mun. & hon. & leg.* 1. *ff. de albo scrib. leg. Ex agentibus, Cod. de princ. agen. in reb lib.* 12. *leg. Quoties* , *Cod. vbi Senator, vel Clariss.* Ergo est imperscriptibilis, & potiùs, si adesset, esset dicenda pestis, quàm consuetudo iuxta ea, quæ habentur in casu simili, *cap. Ad nostram* , *de prob.* vbi Gloss. *verb. Omni iuri.* Adde etiam, quòd consuetudo contra honestatem non valet, *cap. Cum decorem* , *de vita* , *& honest. Clericor.* Sicut enim lex debet esse honesta; *cap. Erit autem* , *d.* 4. ita, & multò magis, consuetudo; Sed hæc consuetudo si adesset, esset contra rationem, vt constat ex dictis, & quod ratione caret, extirpari debet, *c. Chorepiscopi* , *d.* 68. *fine*: ergo talis consuetudo, si adesset, extirpanda esset. Et potiùs deberet dici corruptela; quia est contra primum gradum humilitatis, qui est deferre maiori, & non se præferre æquali, vt notat Gloss. *in Clem.* 1. *de relig. dom. verb Humilitatis.* Ita Panorm. *tom.* 1. *consil. consil.* 21. *num.* 4. Videatur Riccius 1. *p. praxis, decis.* 578. *num.* 4. Adde, quòd non potest fieri lex, quæ præcipiat, Correctorem præcedere Prouinciales; Quia ratio naturalis auctoritate legis immutari non potest, *leg.* 2. *ff. de vsufruct. ear. rer. quæ vsu consumun.* Philipp. Decius *in rubric. de appell. num.* 7. Immò addo, quòd neque per pactum expressum, & consensum explicitum potest fieri statutum, quo Prouincialis postponatur dicto Correctori. Nam quicquid per consuetudinem induci non potest, id neque per pactũ, & consensum expressum firmatur. Valet quippe argumentum à consuetudine ad pactum saltem negatiuè, vt dicunt DD. *in leg. Non impossibile* , *ff. de pactis* , & probat Barbosa, *in locis commun. argumentorum* , *loco* 25. *n.* 1. sed ordines, & gradus dignitatum inducti sunt fauore publico ad societatem humanam in pace, & concordia seruandam, *cap. Licèt nonnunquam* , *d.* 45. neque enim vniuersitas alia ratione subsisteret, nisi eam seruaret huiusmodi magnus differentiæ ordo; cum vnaquæque creatura haud in vna, eademque qualitate gubernari, vel viuere queat, sicuti cælestium militiarum exemplar nos instruit. Quia enim sunt Angeli, sunt

Archan

Archangeli, liquet, quòd non sint æquales, sed differant alter ab altero potestate, & ordine, *cap. vltim. d. 89.* Nemo autem potest fauori suo renuntiare, quando ob publicam vtilitatem est introductus, *leg. Ius publicum. ff. de pactis*; *leg. 2. §. Sed quia veremur, Cod. de iureiur. prop. calum.* Imò addo, quòd neque Papa potest id præcipere, cum sit contra legem diuinam, & humanam, quòd minor præcedat maiorem. Posset quidem Papa dictum Correctorem in Prouincialem constituere, & sic facere, vt præcederet. At quòd manens Corrector præcedat, facere non potest. Neque obstat, quod dicunt D D. *in leg. Vnicuique, Cod. de prox. sacr. scrip. libr. 12.* scilicet, quod potest Princeps ex causa præferre posteriorem priori; nam intelligitur intra eandem speciem, v. g. potest Papa ob benemerita in Sedem Apostolicam facere, vt Episcopus postremò creatus præcedat creatum priùs, vt se explicant clarè DD. in dicta lege, & in facto præcedentia super omnes Mendicantes concessa est Prædicatoribus, cum tamen Carmelitæ, & Augustiniani prætendant esse illis antiquiores; at facere non potest, vt Parochus præcedat Episcopum, quia sunt diuersæ dignitates specie, vt sunt Corrector, & Prouincialis. Vnde Sacra Congregatio Rituum *in Tropien. 17. Iunij* 1606. declarauit abusum esse, vt Canonicus Diaconus, vel Subdiaconus præferatur Canonico presbytero Moderniori, vt refert Barbosa *in Collect. bull. verbo, abusus, num. 1.*

19. Sed contra hanc resolutionem potest obijci: Quòd maior debet cedere minori, dum est in domo minoris, vt docent Penna *in leg. Nihil, Codic. de Palatinis sacr. larg. libro* 12. Gonzalez *ad reg. 8. cancell. gloss. 6. num.* 107. vbi alios citat, & *num.* 104. ait, quòd Rector intra propriam Ecclesiam debet præcedere omnes alios maiores, & superiores in dicendis Missis solemnibus, alijsque quibuscumque præeminentiis concernentibus ipsius Rectoris officium, & *num.* 105 citat quandam decis. Rotæ Romanæ, in qua fuit resolutum, quòd Rector in sua propria Ecclesia erat præferendus Decano, & omnibus capitularibus collegiatæ ad eandem Ecclesiam processionaliter certis diebus procedentibus. Sed Respondeo quòd maior debet cedere minori, quando est in minoris domo, quo ad ea, quæ ad iurisdictionem, & gubernium dictæ domus spectant. Et similiter minor debet præcedere maiores in concernentibus ipsius minoris officium, vt probat Grat. *tom. 1. discep. for. cap.* 111. *num.* 41. Ex hoc tamen non sequitur, quod eos debeat præcedere in processionibus, & locis publicis. Et licèt hoc videatur probare dicta resolutio Rotæ, tamen non probat; quia non dicit, quòd Rector debeat præcedere Episcopum, sed Decanum, & Archidiaconum, quæ sunt dignitates minores. At nostri Prouinciales æquipatantur Episcopis, & Correctores Rectoribus. Linquo, quòd in capitulo generali Prouinciales sunt in propria domo, vnde omninò cessant dicta in contrarium.

20. Post hæc scripta inueni Isnardum nostrum *consil.* 12. contendentem, dictum Correctorem debere omninò præcedere Prouinciales tempore capituli generalis, quod etiam consequenter esset dicendum de Correctore S. Andreæ de Frattis, si in illo conuentu celebraretur capitulum generale; quia eadem gaudet præeminentia, vt fuit decretum *in capitulo Auenion. 2. num.* 11. Et similiter idem dicendum esset de Correctore Sancti Francisci de Paula, si in eo celebraretur generale capitulum; non est enim, cur minoris debeat esse entitatis, aut præeminentiæ, quàm alij conuentus Vrbis, licèt hoc nondum sit in capitulo generali statutum.

21. Duo fundamenta affert Isnardus, quæ me non attigisse asserit. Primum est, quòd Corrector SS. Trinitatis habet iurisdictionem Prouincialis. Secundum, quòd in lista Fratrum Gallicæ nationis, quæ data fuit Cardinali Senogallensi in primo capitulo generali Romæ celebrato Corrector dicti conuentus primus omnium positus est, etiam ante Prouincialem Turoniæ. Et ratio ordinis scripturæ attendi debet, *leg. Si seruus communis, §. penul. ff. de stipul. seru. leg. Quoties, ff. de vsufructu*, Bald. *in leg. Qui duas, de excus. tut.* Quod ego hæc fundamenta non attigerim, verum est; nam nihil penitus probant, vt constabit ex dicendis.

22. Ad 1. igitur, quòd dictus Corrector habeat iurisdictionem Prouincialis, est sine vlla difficultate falsum, gratis omninò, & sine vllo fundamento, etiam colorato, dictum, vt falsa sunt omninò, ea, quibus id probat. Inprimis enim falsissimum est, quòd dictus Corrector nouitios ad Religionem recipiat, vt constat ex declaratione sacræ Congregationis, quam hic infrà affero. Secundò probat, quod habeat iurisdictionem Prouincialis; quia interest capitulis generalibus, quæ in suo celebrantur conuentu. At ego duobus interfui capitulis generalibus Romæ celebratis in dicto conuentu, nimirum sexto, & septimo, & nunquam vidi Correctorem illius præfatis capitulis interesse, nisi fortè velimus dicere, quòd interest in conuentu cum capitulantibus, quòd est ridiculum; nam sic Correctores aliorum conuentuum, in quibus dictum capitulum celebratur, etiam intersunt in conuentu, & multi alij Fratres, etiam Oblati, intersunt in conuentibus, in quibus generale capitulum celebratur. Si velit Isnardus dicere, quòd dictus Corrector interest in capitulis generalibus, quæ in suo celebrantur conuentu, legitimè præcedendo Prouinciales in refectorio, cum reprehensione dignum iudicabunt nostri Logici, cum afferat pro fundamento id, quod est in quæstione. Tertiò ait, quòd dictus Corrector habet iurisdictionem Prouincialis, quia mittit Fratres, ad ordinem presbyteratus, quod solis Prouincialibus competit, per Correctorium, *numero septuagesimo septimo, & septuagesimo octauo*, quo autem fundamento mittat, non dicit. Quare est dictum omninò gratis, nec id sibi præfati Correctores vsurpant sine licentia Patris Generalis; cum sit omninò contra Regulam *locis cit.* nec iure nostro inuenitur hoc dictis Correctoribus aliquo loco concessum. Quartò ait, quòd dictus Corrector approbat Confessores. Sed hoc est omninò commentitium, nec illud vsurpant dicti Correctores absque licentia Generalis, nec inuenio, quo iure id possint facere, cum sit contra Regulam in Correctorio, *numero octogesimo quinto.* Quintò ait, quòd dictus Corrector eligitur in die S. Michaëlis, vt Prouinciales, & hoc est verum, sed fit, quia, cum sit soli Generali subiectus, non possunt in eo seruari statuta, quæ seruantur in alijs electionibus Correctorum, qui habent Prouinciales; nam in his fiunt singulis annis capitula definitoria, quæ de Correctoribus in singulis conuentibus iam per Fratres electis definiunt, an electiones sint canonicæ, &c. quod cum non possit fieri de Correctoribus Vrbis, non est mirum, si horum electiones à solis Generalibus definiantur, idest confirmentur, aut reprobentur. Sexto deinque ait, quod electio Correctoris SS. Trinitatis statim, ac facta est, publicatur, & Corrector suum exercet officium. Et hoc est verum, quia illa electio non potest mitti ad capitulum definitorum, quod nullum habent supra se conuentus Romani, & Corrector statim suum exequitur officium, ne conuentus sine capite remaneat, approbante consuetudine, iuxta ea, quæ dico, *tomo secundo, Religiosi Prælati, quæstione prima, capite 4. §. 4 n 93.* Ex his ergo apparet, quàm debile sit fundamentum, super quo præcipuè totam suam stabiliri putat machinam Isnardus ad

meam doctrinam exossandam. Cum igitur prædicta omnia sint, vt dixi, conuincitur, quod tam Correctores SS. Trinitatis, quàm S. Andreæ de Frattis, & Francisci non sunt Prouinciales, nec habent auctoritatem, nec iurisdictionem Prouincialium, & cum non entis nullæ sint qualitates, *leg. Eius qui in prouincia, versu. Quoniam, ff. si certum pet. l. 2. ff. de vsufruct. leg. 4. § Condemnatum, ff. de re iud. cap. Ad dissoluendum, de sponsal. iuncta Gloss. ver. Legitime*, non debet dictus Corrector, qui non est Prouincialis, Prouinciales præcedere. Verum quidem est, quod dixi *tom. 2. nostr. priuileg. in constit. 7. Pauli V. num. 19.* præfatos Correctores habere auctoritatem quasi prouincialem, quia eliguntur in die S. Michaëlis, & statim electi publicantur, & exequuntur officium, & nouitios de Generalis licentia recipiunt ad habitum, quod aliis Correctoribus non contingit. At particula, *Quasi*, ex sua natura denotat impropnietatem, fictionem, & diminutionem, vt probat, multis iuribus, & D D. allegatis Barbosa *de dict. dict. 261. num. 2.* quæ non solùm præeminentiam supra Prouinciales, sed subiectionem quo ad ius honorificum denotant.

23. Ad secundum respondeo, quod in primo capitulo generali Ordinis nostri Romæ celebrato *anno* 1507. Cardinalis Senogallensis in eo Præsidens mandauit P. F. Bernardino de Cropolato, vt illi daret listam omnium Fratrum congregatorum pro celebratione capituli generalis, vt patet *ax num.* 3. præfati capituli, vbi etiam illi tradidit modum præfatam listam conscribendi, nimirum quòd in prima parte listæ ponerentur Itali; in secunda Hispani, in tertia Galli; in quarta Boëmi. In capite igitur illius listæ ponitur Frater Paulus Prouincialis Calabriæ. In capite verò secundæ partis listæ ponitur Frater Franciscus Binetus Corrector SS. Trinitatis, post eum immediatè F. Ludouicus Lustrani eius discretus. In primis certissimum mihi est, quòd hæc lista nullum cuique capitulantium tribuebat ius præeminentiæ, licèt enim eam scribi mandauerit Cardinalis Præsidens, præsente P. F. Bernardino de Cropulato, non per hoc tamen tribuit illi auctoritatem loca capitularibus assignandi, vt patet; quia, vt infrà dicemus, loca prædicta fuerunt singulis capitularibus per Cardinalem ipsum assignata, nullo habito respectu ad hanc listam. Deinde quando quis vellet contendere, quòd hæc lista ius præemioentiæ tribuebat, primum locum in hac lista habuit Prouincialis Calabriæ, non Corrector SS. Trinitatis. Quòd si replicetur, ideò primum locum datum fuisse Prouinciali Calabriæ, quia Italus erat, & Itali iussi sunt poni in prima parte listæ. Respondeo, quòd ex hoc conuincitur, illam listam fuisse solùm exemplatem, non iuridicam; vnde nihil probat pro præeminentia Correctoris S S. Trinitatis. Tertiò, si illa lista probaret intentum aduersariorum, probaret etiam, quòd Discretus Correctoris SS. Trinitatis deberet præcedere Prouinciales: Positus est enim etiam ipse ante Prouincialem Turoniæ. Quartò igitur restat, quòd cum ex illa lista nihil quo ad hoc punctum probetur, standum sit determinationi factæ ab eodem Cardinali in sequentibus, vbi *num. 9.* dicitur. Deinde exclusis nouitiis, separati fecit in sedendo Fratres Italicos ab Vltramontanis; deinde Sacerdotes, & Clericos Italicos à non Sacerdotibus, & Clericis ipsius nationis; deinde fecit eos sedere secundum ordinem suæ professionis, &c. ponendo Prouinciales singularum Prouinciarum semper in primo loco, deinde Prouincialium Discretos, & post illos Correctores locales, &c. Et paucis interpositis, ait: *Et in futurum declarauit, sic debere eos sedere in Chora, & in mensa, &c. Et in omnibus capitulis dictæ Religionis, tam generalibus, quam prouincialibus, & localibus, procedant Vigiles, post eos Prouinciales, deinde alij Correctores locales.* Et concluditur dicto num. 9. hoc pacto. *Quem ordinem sedendi, & dandi vocem Vicarius generalis, & omnes in capitula, nemine discrepante, acceptauerunt.* Et num. 11. declarauit idem Cardinalis Præsidens: *Quòd in dando vocem, & in sedendo tam in Ecclesia, quam in capitulo, & refectorio Vigiles, & Correctores prouinciales, & Discreti Prouincialium, & Socij Correctorum prouincialium sequantur ordinem Prouinciarum suprascriptum. Itaque primus in danda vocem sit Vigil de Prouincia Calabria, post eum Corrector prouincialis illius Prouinciæ, &c.* Constat ergo ex dictis, luce clarius esse, Prouinciales in illo primo capitulo, quod fuit futurorum norma, præcessisse Correctores locales, & ita ibi fuisse à Cardinali præsidente de mandato Papæ lege perpetua stabilitum. Constat etiam, Correctores in dicto primo capitulo propter vocum paucitatem habuisse votum, vt patet *ex num. 9. & 11.* Atque ita etiam constat, Correctorem SS. Trinitatis sedisse post Prouinciales Galliæ. Et licèt verum sit, quòd Corrector SS. Trinitatis fuit positus in dicta lista ante Prouincialem Turoniæ, & primus votauit in acceptatione vitæ quadragesimalis, vt patet *ex num. 5.* & primus etiam votauit in electione P. Generalis, vt patet *ex num. 20.* non tamen constat, illum id iuridicè fecisse, cum contrarium fuerit supra expresse lege perpetua stabilitum. Sed quia ipse erat Pater Franciscus Binetus, vir qualificatissimus, & de Religione valdè benemeritus, quem omnes prætendebant in Generalem eligere, sicut de facto elegerunt, illi omnes reuerentiam exhibebant, vt erat iustum; erat enim tum vitæ sanctitate, tum literarum scientia, tum rerum agendarum peritia omnium capitulantium facilè primus. Quare non est mirum, si Galli ei reuerentiam exhibentes, primum locum inter Gallos concesserint. Vnde, cum nobis constet de iure, parum curamus de facto, quod potuit propter varias, & diuersas causas, quas ignoramus, in illo casu indiuiduali variari, & dato, quod variatum sit potiùs propter errorem, & bonorum illorum Patrum simplicitatem, vt magis credo, consuetudo in illo fundata non valet, vt notat Decius *in regula. Quod contra, num. 3.* & facit dicta regula, quæ habet. *Quod contra rationem iuris receptum est, non est producendum ad consequentiam.* Imò factum ipsum est pro nostra sententia; nam in facto Prouincialis Calabriæ fuit primus in omni actione iuridica illius capituli etiam ante Correctorem SS. Trinitatis, vt constat ex dicto capitulo.

24. Cum in prædicto capitulo primo Romano lege perpetua stabilitum sit, vt Prouinciales præcedant Correctores in omni loco, & de facto in præfato capitulo Prouincialis Calabriæ semper præcesserit Correctorem SS. Trinitatis, nec in sequentibus capitulis vsque ad 2. capitulum Auenion. habeamus determinatum contrarium, manifestè sequitur, quod nullo iure potest Corrector SS. Trinitatis præeminentiam supra Prouinciales defendere, præterquam dicto Auenion. statuto, quod tamen illi suffragari non potest, quia est expresse contra Regulam in Correctorio, *n. 11. & 62.* vt dico *in const. 7. Pauli V. numero tertia & quarta, tomo secundo nostr. priuileg.* Et capitulum generale per vulgata iura non habet potestatem faciendi statuta contra regulam, vt dico *loco citato, priuileg. num.* 10. Si quod autem aliud priuilegium habet, tenetur illud ostendere, *cap. Cum persona, de priuileg. in 6.* vbi dicitur, quod qui allegat priuilegium, debet illud probare. Cynus *in leg. Si solemnibus, Cod. de fide instrum. in fine*, & multos cumulat Barbosa *in dicto cap. Cum persona, numero secunda.* Nec sufficit, quod sit in vsu, & possessione ipsius priuilegij, vt docet Mascar. *de prob. conclus.* 1200. *numero 36. & 37.* attento præsertim, quod dico in loco citato priuilegium

priuilegium ſcilicet nunquam intelligi conceſſum contra tertium, vt probat idem Maſcat. *loco cit. concluſ.* 1343. *num.* 9.

25. Inquit verò Iſnardus, dictum conuentum eſſe in poſſeſſione à principio naſcentis Religionis vſque ad 2. capitulum Auenion. vbi circa id videtur mota aliqua quæſtio, & à capitulo Auenion. vſque modo, & ideò meum eſſe probare, talem conuentum non eſſe in poſſeſſione. Hic equidem fraterna charitas me obligat, ne egrediar ſolitos in reſpondendo modeſtiæ meæ limites.

26. Dico igitur, quod dictus conuentus nunquam fuit in tali poſſeſſione, nec in capitulo primo generali, vt conſtat de facto contrario, nec in aliis capitulis Romæ celebratis, in quibus nulla fit mentio de tali poſſeſſione, nec præeminentia, & in capitulo 6. & 7. Romano, me præſente, circa talem præeminentiam litigatum eſt, & licèt in capitulo Auenion. dicatur, *vt moris eſt, & tam in aliis capitulis decretum, & vſu firmatum*; id tamen gratis dictum eſt à Scriba Gallo, cum nullum talis moris extet in antecedentibus capitulis veſtigium, neque etiam decretum, quod à longe inſinuet. Sed eſto, quod dictus Corrector eſſet in poſſeſſione, adhuc mihi talem poſſeſſionem neganti non incumberet probatio, ſed dicto Correctori, quia illa ſe tuetur. Nam illi onus probandi incombit, qui aliquid allegat tanquam ſuæ intentionis fundamentum, *leg. Ei, qui, ff. de probat. leg. Actor. Cod. eodem tit. leg.* 1. *ff. de exception.* Atque ita cum multis probat Maſcardus *de probat. concluſ.* 1183. *num.* 2. *&* 3.

27. Idem dicendum eſt ad id, quod dicit idem Iſnardus: nimirum quod eſt tam longa poſſeſſio dictæ præeminentiæ, vt iam præſcripſerit. Nam negato facto dico, quod adhuc incumbit Correctori præfato onus prædictæ præſcriptionis probandæ, non ſolùm quo ad præſcriptionem ipſam, ſed etiam quo ad requiſita ad eam in principio inducendam, nimirum titulum, bonam fidem (agimus enim inter Eccleſiaſticos, in quorum iure *c. Vigilanti, c. vlt. de præſcript.* ad præſcribendum bona fides requiritur) poſſeſſionem continuam, & alia. Ita Maſcardus cum multis *de probat. concluſ.* 1218. *in ſpecie, num.* 6. Præſertim quando ius commune reſiſtit præſcribenti, & iuris præſumptio eſt contra eum, vt in caſu noſtro. Ita habetur *in cap.* 1. *de præſcript. in* 6. & multis id probat Maſcard. *loco cit. concluſ.* 1219. *num.* 6.

28. Denique ad leges, quas citaui pro ſecunda ratione Iſnardi corroboranda, reſpondeo 1. quod ordo ſcripturæ non attenditur, quando ſumus certi diſpoſitionem non dare ordinem, vt hic, prout docet Felinus *in cap. Cum dilecta, de reſcrip. num.* 5. & Tambur. *de iure Abbat. tom.* 1. *diſp.* 35. *q.* 1. *num.* 154. Secus autem, quando ſumus certi de mente diſponentis, quòd ita diſponit ad conſtituendum ordinem prioritatis, vt *in cap. Vt lex continentia,* 27. *quæſt.* 1. *& in cap. Vbicumque,* 13. *quæſt.* 2. Reſpondeo 2. quod ordo ſcripturæ tunc attenditur, quando ſumus in dubiis, nec poteſt aliundè de veritate prioritatis conſtare, quàm ex ordine ſcripturæ, vt concludit Batt. *in proæmio C. §. Quibus in fine, num.* 19. *ver. Opponitur, & in lege* 2 *§. Prius, num.* 7. *verſ. circa tertium, de vulg. & pup.* At hic nec ſumus in dubiis, quia conſtat *ex num* 9. *&* 11. de mente diſponentis, quod voluerit Prouinciales præcedere Correctores, & ex dictis numeris conſtat apertè de veritate prioritatis.

29. Aduerte, quod *in num.* 17. *eiuſdem conſtit.* 7. *Pauli V.* dicebam, nomine Gallicæ nationis venire Auenionenſes, Sabaudienſes, Lotharingos, &c. quia à Coſmographis illæ Prouinciæ inter Gallicas prouincias connumerantur. Et inuenio, id fuiſſe decretum in capitulo Genuenſi quarto, *numero vigeſimo*, vbi cum quæſitum fuiſſet, quidnam veniret appellatione Gallicæ nationis? Partes tale negotium remiſerunt iudicio duorum Coſmographorum Romæ commorantium quorum determinationi ſtandum eſſe decreuerunt.

30. Aduerte etiam, quod *in num.* 19. *eiuſdem conſtitutionis Pauli V.* ex ſtatuto Auenionenſi *numero decimo*, dicebam, quod tam Corrector S. Andreæ de Frattis, quam Corrector SS. Trinitatis poterant nouitios ad habitum recipere, ſed id debet intelligi de licentia Generalis, licèt hoc iure communi Correctori SS. Trinitatis competere dicat Nauarr. *lib.* 5. *conſil. de conſt. conſil.* 9. *num.* 19. Sed habeo contra Nauarrum declarationem ſacræ Congreg. Regular. factam *anno* 1590. *die* 2. *Ianuarij*, inſtante P. F. Cornelio Roggiano Zeloſo noſtri Ordinis, quæ ſic habet. *Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Domini. Ex parte P. F. Cornelij à Roggiano Procuratoris generalis Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula, proponitur dubium decidendum apud illuſtriſſimas Dominationes veſtras, quod eſt tale. Monaſteria SS. Trinitatis de Monte Pincio, & S. Andreæ de Frattis Romæ non poſſunt recipere nouitios abſque licentia P. Generalis eiuſdem Ordinis, ex c.* 5. *noſtræ Regulæ confirmatæ à pluribus ſummis Pontificibus. Nunc, quia placuit S. D. N. P. Sixto V. conſtituere bullam, in qua dicit, quòd monaſteria, quæ aliàs nulli Prouinciæ ſubiecta ſunt, &c. ſtatuimus, vt trina capitula conuentualia tribus diſtinctis, cum interuallo ſaltem decem dierum, vicibus celebrata, in recipiendis nouitiis per trinas huiuſmodi diſtinctas vices approbatis, auctoritatem habeant. Et cum prædicta monaſteria non ſint ſubiecta alicui Prouinciæ, an intendat bulla derogare licentiam Patris Generalis; & quod poſſint ſine licentia recipere nouitios, derogando Regulam, de qua derogatione non eſt facta mentio, vel potius intendat reſtringere, ſcilicet præſuppoſita licentia P. Generalis, conſeruando Regulam, & prædicta trina capitula conuentualia ſint neceſſaria ad examen faciendum, ſi nouitij recipiendi habeant conditiones requiſitas in bulla, quòd priùs non fiebat. Dignentur Illuſtriſſimæ D D. VV. declarare hoc dubium, vt poſſit obſeruari, quid intendit bulla. Et Deus, &c. A tergo, Sacra Regul. Congr. Dicta Congreg. reſpondit, non poſſe, imò eſſe prohibendos die* 2. *Ianuar.* 1590. *Cardinalis Alexandrinus.* Quam declarationem vidi authenticam in Archiuio noſtro Romano apud P. Zeloſum.

31. Aduerte etiam, quod *in eadem conſtit.* 7. *Pauli V. num.* 18. dicebam, quod in Correctorem SS. Trinitatis de Vrbe, & S. Andreæ de Frattis poterat eligi ab vrbe, abſens, & in dictis conuentibus non localis. Quod poſtea reperi, fuiſſe à ſacra Regularium Congreg. declaratum hoc pacto. *Illuſtriſſimi, è Reuerendiſſimi SS. Fra Franceſco di S. Dorotheo dell' Ordine de Minimi eſpone humilmente alle SS. VV. Illuſtriſſime, qualmente eſſendo egli li giorni paſſati Correttore del conuento di S. Andrea delle Fratte, è douendo il giorno di S. Michele eleggere ſuo ſucceſſore inſieme col ſuo capitolo conuentuale, dimandò alle SS. VV. Illuſtriſſime ſi degnaſſero di dichiarare eſſer lecito al capitolo di detto conuento di S. Andrea eleggere per Correttore Religioſo non votante di detto capitolo, non oſtante l'ordine contrario fatto in voce dal Preſidente del capitolo celebrato due anni ſono, forſe in vigore di qualche preteſo oracolo di S. Santità, non potendo fallo de iure, qual non richiede, che l'eletto ſij de gremio capituli, & eſſendoſi le SS. VV. Illuſtriſſime degnate di fargliene la dichiaratione, ſtante il ſolito antico del detto conuento, è la diſpoſitione de ſacri Canoni, perciò ſi procedette all' elettione del P. Fra Franceſco della Regina benemerito, è religioſiſſimo, qual' era qui in Curia: la quale elettione eſſendo ſtata canonica per ragione delli voti hauuti, è per la dichiaratione delle* SS.

SS. VV. Illustriss. perciò domanda gratia alle medesime, voglione confirmarla, non stante vn'ordine del P. Generale nuouamente presentato, che non si facasse detto Correttore extra capitulum. Che il tutto, & cæt. *Si Sanctissimo D. nostro placuerit, sacra Congreg. Cardinal. negotijs Regularium præposita, confirmationem petitam concedendam esse censuit. Romæ die 7. Octobris 1625. Sanctissimus autem D. Noster sacræ eiusdem Congregationis audita sententia, eam approbauit, debitæque executioni demandari præcepit. Romæ die 11. eiusdem mensis, & anni. Oct. Cardinalis Baudinus, A. Episc. Casert. Secr.* Est impressæ Romæ dicto anno 1625.

32. Hic etiam quæres, an Vicarius missus ad publicas processiones à Correctore SS. Trinitatis, præcedere debeat Correctorem S. Andreæ de Frattis, aut S. Francisci de Paula. Res. affirmatiuè. Quia tenet locum Correctoris; & est textus expressus in *ca. Præcipimus d. 93. & in cap. Grandi, de supplend. neglig. Prælat. in 6.* Faciunt pro hoc DD. qui dicunt, quòd prærogatiua, quæ est in principali, debet esse in eius locum tenente, vt Felin. *in c. Cum olim, el 2. de offic. deleg. num. 1.* Neque obstat dictum Baldi *in leg. Sed si hac, §. semper. ff. de in ius vocan.* relatum à Felino *ibi*, quòd scilicet per textum illius legis maior honor debeatur Episcopo, quàm eius Vicario. Nam licèt ratione maioris, & firmioris iurisdictionis magis sit honorandus Episcopus, quàm Vicarius, tamen non sequitur, quin Vicarius in illis actibus, in quibus iurisdictionem habet, non sit pari honore afficiendus cum Episcopo; sicut enim Episcopi cum Vicario est vnum, & idem tribunal, *cap. 2. de consuet. in 6.* ita etiam debet esse vnus, & idem honor, ac reuerentia. Pari ergo modo, licèt comparando personam Correctoris cum persona Vicarij, non idem honor, sed maior, debeatur Correctori, propter firmiorem, & ampliorem iurisdictionem quàm Vicario; tamen loquendo specialiter de actibus iurisdictionalibus, & alijs actibus, in quibus Vicarius repræsentat personam Correctoris, gaudet virtute repræsentationis eodem honore, qui debetur personæ Correctoris repræsentatæ. Atque ita resoluit Cantuccius Episcop. Lauretanus apud Gratianum. *discep. forens. cap. 11. à numero 38.*

33. Quæres etiam hac occasione, an Viceregens studiorum à Regente institutus, habeat eandem auctoritatem, quam Regens, & eodem sit honore afficiendus? Respondeo, quando actu exercet iurisdictionem Viceregentis, v. g. assistit conclusionibus, conferentijs, &c. debet eodem modo honorari, quo Regens, extra autem illos actus non est necesse; nisi fortè propter absentiam Regentis à conuentu, vel longam illius infirmitatem, ab habente potestatem in Viceregentem instituereretur, quia tunc eamdem haberet cum Regente auctoritatem, & eodem esset honore afficiendus. Ita Felin. *in cap. Cum olim, el 2. de offic. deleg. num. 1.* Frat. *loc. cit. num. 54.* Roman. *sing. 367. vbi eius Addit.*

Quæres etiam, & pone casum, quòd in ciuitate Genuensi formatur conuentus, quisnam præcedet in processionibus, & alijs actibus publicis, Corrector Iesu Mariæ, qui est antiquior, an corrector conuentus de nouo erectus in ciuitate. Respondeo, quod præcedere debet Corrector ciuitatis; quia est in proprio loco; cum inter eos nulla sit maioritas, nisi antiquitatis, & in reliquo sint pares. Nam corrector nouiter erectus est Imperator, & Rex in domo sua, *cap. Duo sunt, a 3. quæst. 4.* vnde non debet mirari, si ab illo præcedatur, *cap. Qui scit, 2. quæst. 6.* atque ita Penna *in leg. Nihil, Cod. de Palat. sacr. larg. col. 1.* Gonzalez *ad reg. 8. cancell. à num. 100.* Et audio ita fuisse declaratum à sacra Cong. pro nostris conuentibus Parisiensibus. Vnde collige quòd tam in processionibus, quam in conclusionibus, alijsque actibus publicis, qui fiunt in aliqua ciuitate, in qua sunt duo conuentus eiusdem Religionis, ille semper præcedet, in cuius conuentu fiunt dictæ, vel processiones, vel conclusiones. Sic quando Romæ fit processio de Sacramento à conuentu S. Andreæ, si ad eam accedat cum suo conuentu Corrector SS. Trinitatis, tenebitur dare locum Correctori S. Andreæ, qui est in proprio loco, similiter si defendantur conclusiones in dicto Conuentu S. Andreæ; & sic de reliquis.

34. Quæres etiam, quo iure à solis Gallis inhabitetur, & regatur conuentus SS. Trinitatis de Vrbe Ordinis nostri? Resp. quòd anno 1494. Christianissimus Gallorum Rex Carolus VIII. cum Roma transiret Neapolium, vt hanc ciuitatem suæ ditioni subiugaret, rogatus à S. P. N. Francisco per duos suæ professionis Confratres, videlicet Iacobum de Moranno, & Iacobum Publium, quos Romam expresè transmiserat, vt quoddam terrenum compararet pro construendo sibi & suis successoribus monasterio, Rex statim, intellecta petitione S. Patris nostri, quem tanquam Beatum, & Sanctum venerabatur, & prædicabat, locum emi fecit in quo situatus est nunc conuentus, quem cum vinea, & canneto Religioni dedit, persoluitque pro dicto terreno ducatos 80. auri de Camera pro vna parte, & 1500. florenos antiquæ monetæ currentis pro altera, ad rationem solidorum 47. Romanorum pro quolibet floreno, solidum enim tunc temporis erat valoris trium quatrinorum. Quæ pecunia calculata ad rationem præsentism onetæ Romanæ facit ducatos 653. cum nouem iulijs, & tribus baiochis. Ita habetur in quodam instrumento rogato sub *die 17. Februarij anni* 1494. Hieronymo de Bossia Notario. Hac liberalitate motus Sanctissimus Pater, vt Patres hunc conuentum pro tempore inhabitantes semper recordarentur sui fundatoris, & vt gratiam aliquam referret Galliarum Regibus, à quibus tot, tantaque beneficia receperat, eosdem etiam ad protegendam Religionem in futurum deuinciret, ordinauit, vt hic conuentus regeretur, & inhabitaretur per Fratres Gallicæ nationis; quandio reperirentur, qui inibi inhabitare vellent, vt constat ex instrumento publico super hoc confecto, quod habes hic *infra num. 39.* Sed quia lapsu temporis deinde circa hoc negotium ortæ sunt multæ controuersiæ, & lites inter dictos Fratres Gallos, & Fratres Hispanos, ac Italos, prætendentibus istis illum conuentum esse communem; ideo diu, & multùm à dictis nationibus litigatum est, vsque ad tempora Pauli V. qui fecit illam constitutionem, & litibus perpetuum silentium imposuit. Quia tamen negotium tanti momenti memoria dignum est, ideo hic apposui rationes authenticas dictæ nationis Gallicæ, quibus subiungam, quid respondeant Itali, & Hispani.

35. Scripturæ pro Fratribus Gallis, præsentatæ authenticæ Petro Montorgio Notario, & venditæ deinde Hugoni Caussæo Notario, post cuius mortem venditæ sunt D. Quirino Farinæ Notario, apud quem reperiuntur hoc anno 1628. die sexta Ianuarij, quo ego eas habui.

36. In nomine Domini Amen. Hoc publico instrumento cunctis sit notum, quòd anno à natiuitate eiusdem Domini 1593. indict. 6. de verò 10. mensis Aprilis, Pontificatus S.D. N.D. Clem. diu. prouid. Papæ VIII. anno secundo coram Reuerendo Domino Fabritio Mandotio vtriusque signaturæ prælibati Sanctissimi D. N. Papæ Referendario, Illustriss. & Reuerendiss. D. Hieronym. tit. S. Susannæ S. R. E. Presb. Cardinalis Rusticcii nuncupati, S. D. N. PP. Vicarii generalis, Romanæque Curiæ iudicis ordinarii, &c. Romæ domi suæ solitæ habitationis, hora audientiæ causarum consueta pro tribunali sedentis,

more

more suo solito, & in mei Notarij publici, testiumque infrascriptorum præsentia, præsens, & principaliter constitutus Rever. P. F. Petrus Colinus Procurator generalis Monasterij, & Fratrum Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, & ad docendum de bono iure in fauorem Fratrum nationis Gallicanæ super conuentu, & monasterio SS. Trinitatis, & ad alium meliorem finem, & effectum, facto exhibuit quoddam instrumentum publicum, & authenticum cuiusdam collationis nonnullarum literarum, siue instrumenti publici per B. Franciscum de Paula dicti Ordinis Minimorum Institutorem, in fauorem Regis Francorum Christianissimi, & nationis Gallicanæ factarum in pergameno, & latino sermone scriptum per Reuerendiss. Dominum Anselmum Dandinum, apud Christianissimum Regem Nuntium apostolicum sub *die 19. mensis Iuly*, 1578. Pontificatus felic. recor. Gregorij Papæ XIII. anno eius 7. subscriptum, & sigilli dicti Reuerendiss. Nuntij impressione munitum per Magnificum Dominum Ioannem Gollebers Notarium publicum subscriptum, & publicatum. Item quoddam transumptum literarum apostolicarum in forma Breuis ad instantiam Henrici III. Regis Francorum Christianissimi, à felicis recordationis Iulio Papa III. emanatarum, ac per Pium Papam IV. confirmatarum, sub datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris *25. Feb.* 1565. Pontificatus sui anno 6. per Reuerendissimum Dominum Alexandrum Riarium subscriptum. Item transumptum cuiusdam supplicationis, siue libelli supplicis, pro parte Caroli VIII. Regis Francorum Christianissimi fel. recor. Alexandro PP. VI. porrecti super erectione conuentus SS. Trinitatis Montis Pincij ex registro supplicationum per Magnif. D. Benignum Reuerendum eiusdem registri Magistrum collationatum, & subscriptum, ac sigillo, quo in talibus vti solet, munitum. Item quoddam instrumentum sententiæ per sacram Congregationem Illustrissimorum DD. Cardinalium super Regulares, siue Episcopos, deputatorum, in fauorem Fratrum nationis Gallicanæ *die mensis Octobris* 1577. Pontif. fel. rec. Greg. XIII. anno eius septimo latæ, & promulgatæ, per Reuerendissimum D. Cæsarem Spetianum dictæ Congregationis Secretarium subscriptæ, & publicatæ. Item quoddam memoriale fel. rec. Sixto Papæ V. pro parte dictorum Fratrum nationis Gallicanæ, vt apparet, porrectum & per dictum Sixtum Papam V. Illustrissimo D. Cardinali, tunc suæ Sanctitatis Datario, vt in dorso illius etiam apparet, directum. Nec non votum Illustrissimi DD. Christophori Robusterij Hispani, olim Rotæ Auditoris, & Decani, nunc verò Episcopi Oriolen, & Seraphini Oliuarij tunc Auditoris, & nunc Decani Rotæ super differentijs, & controuersijs dicti conuentus SS. Trinitatis latum. Deinde desuper prætorum à iurium recognitione induxit in testes à tergo, & in pede illorum respectiuè descriptos, quibus missi medio iuramento, tactis pectore, & scripturis sacrosanctis ad sacra Dei Euangelia, eas recognouerunt, prout à tergo, & in pede dictorum iurium apparet respectiuè. Quorum quidem iorium, & recognitionum tenor talis est, & sequitur hic successiuè de verbo ad verbum.

37. In nomine D. Amen. Per præsens publicum instrumentum cunctis pateat, quod anno eiusdem D. 1578. indictione sexta, mensis verò Iulij die 29. Pontificatus Sanctissimi in Christo patris, & D. N. D. Greg. PP. XIII. anno eius septimo in mei Notarij publici subsignati, ac Curiæ Episcopalis Parisien. de numero immatriculatorum præsentia, coram Illustriss. D. Anselmo Dandino Protonotario Apostolico præfato Sanctiss. D.N. PP. Gregorij XIII. apud Serenriss. & Christianissimum Galliæ Regem Henricum III. Nuntio comparuerunt Venerabiles Patres, & Religiosi viri, & Fratres Robertus Brenal Corrector conuentus Nigionen. Ordinis fratrum Minimorum, & Ioannes Bartholomæus Collega Rei. ex. Patris Prouincialis Prouinciæ Turonen. tenentes in eorum manibus quasdam literas in papyro, vice, & nomine eorum conuentus, & vniuersitatis Gallicanæ Patrum dicti Ordinis descriptas, &, prout ex earum facie apparebat, antiquas, & vetustate corrosas, ita vt ex illis plures syllabæ, & dictiones legi non possent. Exposueruntque præf. D. Nuntio, quòd dictæ suæ vniuersitati necesse est obtinere transumptum dictarum literarum in formam publicam, ad effectum transmittendi in Vrbem Romanam iuxta tenorem certæ sententiæ, vt ipsi dixerunt, latæ inter dictam eorum vniuersitatem ex vna, & Fratres aliarum nationum eiusdem Ordinis ex altera partibus: Quapropter instituerunt, per præfatum D. Nuntium mandari dictas literas transumi, & exemplari, ac in publicam formam redigi, omni meliori modo, & forma quibus melius, & efficacius potest, & debet de iure fieri. Qui quidem Illustriss. D. Nuntius præfatus attendens, postulationem huiusmodi esse iustam, & rationi consonam, quodque iusta petentibus non est denegandus assensus, præfatas literas per me Notarium publicum subsignatum in ipsius præsentia transcribi, & de verbo ad verbum fideliter, & prout iacent, exemplari, & in publicam formam redigi iussit, & mandauit, omni meliori modo, & prout continent.

38. In nomine D. Amen. Huius publici præsentis Instrumenti tenore cunctis pateat euidenter, & sit notum, quòd anno eiusdem D. 1578. indictione sexta, mensis verò Iulij die 29. Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Gregorij diuina prouid. PP. XIII. anno eius septimo. Ego Ioannes Gilibars Parisien. publicus auctoritate Apostolica, ac Venerabilis Curiæ Episcopalis Parisien. Notarius iuratus infrascriptus, in Archiuio Romanæ Curiæ descriptus, notum facio omnibus, & singulis præsentes conspecturis, qualiter literas Beatissimi Francisci de Paula Illustriss. D. Anselmum Dandinum Protonotarium Apostolicum S D. PP. Gregorij XIII. apud Sereniss. & Christianiss. Galliæ Regem Henricum III. Nuntium præsentatas, & exhibitas in papyro descriptas, antiquas, & in parte seu in partibus vetustate corrosas, & mihi ab eodem Illustriss. Nuntio consignatas legi, ipso præsente transcripsi, & in formam publicam redegi, illarumque exemplar confeci, & illud cum suo originali collationaui, & concordaui de verbo ad verbum, reperi prout infra, scilicet. Ad instantiam, & requestam venerabilium Religiosorum virorum Fratrum, v. d. Roberti Bremal Correctoris Conuentus Nigionen. Ordinis Fratrum Minimorum, & Ioannis Bartholomæi Collegæ R. P. Prouincialis Prouinciæ Turonen. auctoritate, & mandato præfati Illustriss. D. Nuntij, & in eiusdem D. Nuntij præsentia tenor earundem literarum sequitur, & est talis.

39. *Vniuersis præsentes literas inspecturis. Frater Franciscus de Paula Ordinis Fratrum Minimorum humilis Institutor, & sanctæ Sedis Apostolicæ gratia & concessione omnium eremitoriorum, & locorum eiusdem Ordinis vbicumque constitutorum, necnon Congregationis Fratrum Religiosorum, & personarum aliarum sub regulari obseruantia in eisdem degentium Superior licet immeritus, & generalis Corrector, salutem in Domino perpetuam. Nos piè considerantes, regiam Maiestatem Franciæ nobis, & Ordini nostro præfato comparasse locum conuentus nostri SS. Trinitatis in Monte Pincio in Vrbe Romana: eapropter ad ipsius beneficij per nos recepti memoriam, & quatenus Fratres nostri Ordinis in dicto conuentu residentes in diuini cultus* Literæ Sanctissimi Patris nostri.

cultus persolutione reddantur in futurum salutis animarum dictorum benefactorum memoriores. Volumus, & ordinamus, quod à modò imposterum dictus conuentus SS. Trinitatis in Monte Pincio in Vrbe Romana regatur per Fratres Gallica nationis: quandiu inueniantur, qui inibi residere, cultui diuino insistere voluerint: Sin autem, vbi nulli reperirentur, qui inibi residere voluerint, quòd omnes in Christo vnanimes esse debemus, illum per alios regi, & inhabitari volumus. Pariterque quòd vbi locus supportare poterit, vltra quàm reperiantur habitantes Gallica nationis, alios fratrum aliarum nationum mixtim residere volumus. Datum in Conuentu nostro de Iesu Maria nū cupato prope Turonen. die nona mensis Iulij anno Domini millesimo quadringentesimo ..... Bernardino de ..... Comitis, & Renato de Cleri Correctore, testibus ad pramissa vocatis de mandato dicti Patris Fratris Francisci Institutoris. Baurreau apostolica, & imperiali auctoritatibus Notarius. Ita est Gregorius Breues Notarius. Super quibus omnibus, & singulis dicti venerabiles Fratres Robertus, & Ioannes rogauerunt me Notarium infrascriptum, vt de illis vnum, vel plura facerem instrumentum publicum, seu publica. Acta fuerunt Parisiis in Palatio Archiepiscopali Senonensi, quod Gallicè vocatur *l'Hostel de Iers*, iuxta monasterium Monialium S. Claræ dell' *Aue Maria* nuncopatum habitationis modò præfati Illustriss. D. Nuntii, præsentibus ibid. DD. Fabio Gallo Cameranen. & Iosepho Ronegambardo laico Bauellen. domesticis familiaribus præfati D. Nuntii testibus ad præmissa vocatis, & rogatis. Et ad maiorem fidem, robur, & testimonium, præfatus Illustriss. D. Nuntius manu sua propria subscripsit, & sigillum suum apponi iussit. Actum vt supr. A. Protonotarius Dandinus apud Regem Christianissimum Sanctiss. D. N. Papæ Nuntius, locus † sigilli; de mandato præfati Illustrissimi D. Sanctæ Sedis Apostolicæ Nuntii, I. Gilibert Notarius præfatus, locus † Signi R. P. D. Anselmus Dandinus vtriusque signaturæ Sanctiss. D. N. Papæ Referendarius recognouit manum suam in subscriptione appositam, & eius sigillum in forma: & ita iurauit tacto pectore, & D. Vincentius Mutinen. recognouit manum, literam, & personam, & sigillum præfati R. P. D. Anselmi Dandini, & ita iurauit tactis scripturis.

Literæ Pij IV. confirmatoriæ literarum Iulij III. confirmātis literas S. Francisci.

40. *Pius Papa IV. Ad futuram rei memoriam. Prouisionis nostra debet prauenire subsidium, vt suum ius cuilibet, conseruetur. Hinc est, quòd nos tenorem quarundam literarum fel. recor. Iulij Papa III. pradecessoris nostri in forma Breuis in registro ipsius predecessoris cōpertum, pro eo, quòd sicut exhibita nobis super pro parte dilectorum filiorum Fratrum domus SS. Trinitatis in Monte Pincio de Vrbe Ordinis Fratrum Minimorum petitio continebat, ipsi huiusmodi tenere ex certis causis dignoscuntur indigere. ex registro ipso de verba ad verbum transcribi, & ad ipsorum Fratrum instantiam petentibus annotari fecimus qui talis est, vid. Iulius PP. Tertius. Ad perpetuam rei memoriam. Romani Pontificis, in quo diuina dispositione potestatis plenitudo consistit, prouidentia circumspecta ad ea, qua statui prospero regularium locorum quorumlibet, & in illis studia pia vita deditarum personarum profutura conspicit, operosis studijs intendit; & ijs, qua propterea ordinata fuisse dicuntur, vt illibata persistant, apostolici muniminis adiicit firmitatem, & aliter desuper disponit, prout in Domino conspicit salubriter expedire. Sanè pro parte charissimi in Christo filij nostri Henrici Francorum Regis Christianissimi nuper exhibita petitio continebat, quòd dudum S. Franciscus de Paula in saculo vitam beatam agens ex speciali sedis Apostolica licentia, & permissu Ordinem fratrum Minimorum instituit, & omnium Eremitoriorum, oratoriorum, & locorum eiusdem Ordinis vbicumque constitutorum, necnon Congregationum Fratrum religiosarum, & personarum aliarū sub regulari obseruantia in eis degentium Superior, & Generalis effectus fuit. Quodque idem S. Franciscus piè considerans, clara memoria Carolum Francorum Regem sibi, & dicto Ordini locum domus Sanctiss. Trinitatis in Monte Pincio de Vrbe comparasse, in memoriam tanti beneficij, & ad hoc, vt Fratres dicti Ordinis in eadem domo pro tempore residentes, in diuinis cultu pro salute anima dicti benefactoris magis memores redderentur. Inter alia, quòd ex nunc in posterum, dicta domus per fratres Gallica nationis, quandiu inuenirentur, qui inibi residere, & cultui diuino insistere vellent, sin autem vbi nulli reperirentur, per alios regi, & gubernari, & inhabitari deberet, per publicum instrumentum desuper confectum ex manu Notarij publici subscriptum, voluit, & ordinauit. Nos attendentes, quantùm piè, & sanctè Ordo ipse institutus, quantumque ab eius institutione citra illius Fratres religiosè cum odore bona fama vixerint, & propterea eundem Ordinem in suo solito statu, ac illius Fratres prafatos in tranquillitate conseruere, & quibusuis scandalis obuiare, ac voluntati, & ordinationi tam pij Patris annuere, & illi satisfacere, necnon pium, charitatiuum, ac liberale donum dicti Regis in illius memoriam, prout par est, recognoscere volentes, eiusdem Henrici Regis Christianissimi supplicationibus in hac parte inclinati, voluntatem, & ordinationem S. Francisci, ac desuper confectum publicum instrumentum huiusmodi, necnon, prout illa concernunt, omnia, & singula in eis contenta, ac inde secuta quacumque ex certa nostra scientia, ac de Apostolica potestatis plenitudine, auctoritate Apostolica tenore prasentium approbamus, & confirmamus. Districtiùs inhibentes pro tempore existentibus Generali Correctori, & Fratribus dicti Ordinis, ac eorum singulis sub maioris excommunicationis, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & priuationis dignitatum, officiorum, ac vocis actiua, & passiua in capitulo, & quibusuis alijs actibus, necnon perpetua inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda per eorum quemlibet si contrauenerint, seu eorum aliquis contrauenerit, incurrendis pœnis, ne de cætero, quandiu Fratres dicti Ordinis prafata nationis Gallicana idonei reperientur, alium, quàm eiusdem nationis Gallica, in Correctorem dicta domus eligere, seu admittere aut electum confirmare quoquomodo audeāt, vel prasumant. Ac decernentes ex nunc irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus pramissis, ac quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, necnon priuilegijs, indultis, & literis Apostolicis in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, illorum tenores pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulta huiusmodi mentionem. Datum Roma apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 25. Septemb. 1553. Pontif. nostri anno 4. Io. Banien. Cæterum, vt earundem literarum tenor pradictu sic insertus, omnimodam rei, seu facti certitudinem faciat, Apostolica auctoritate decernimus, vt illud idem robur, eandem vim, & eundem vigorem dictus tenor habeat, qua haberent originales litera sumpta, ac eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur quomodocumque, & vbicumque in iudicia, vel alibi, fuerit exhibitum, vel ostensus: ipsique tenori firmiter stetur in omnibus, sicut eisdem originalibus staretur, si forent exhibita, vel ostensa. Per hoc autem nullum ius de no-*

no

no cuiquam acquiri volumus, sed antiquam tantammodò conseruari. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 22. Febr. 1565. Pontif. nostri anno 6. Habent signaturam, Alexander Riarius.

Facultas ædificandi Conuentũ SS. Trinitatis.

41. *Alexander Papa VI. L. Concordiea. Beatissime Pater. Nuper deuotus vester obedientiæ filium Carolus Francorum Rex Christianissimus cupiens Ordinem deuoti oratoris vestri Francisci de Paula per S. V. approbatum augmentare, quendam locum in Monte Pincio nuncupato huius almæ vestræ Vrbis cum quibusdam domibus, vineis, & alijs suis iuribus, & pertinentijs, suis proprijs pecunijs emit, oratorique & Ordini præfatis locum, domos, & alia præfata, vt inibi domum, & oratorium pro ipso oratore, & Religiosis suis inibi pro tempore residentibus construeret, & ædificaret, dedit, donauit, atque concessit. Et vt, Pater sancte, inibi cultus diuinus augeatur, supplicant humiliter S. V. tam Franciscus orator, quam alij Fratres, & Religiosi Ordinis præfati, quatenus donationum, concessionum, & aliorum, quæ exprimi deberent, tenores pro sufficienter expressis habens, donationem & concessionem prædictam, ac, prout illas concernunt, inde secuta confirmare, & approbare, necnon eisdem omnibus, vt in dicto loco, eis, vt præfertur, dato, & concesso, domum cum oratorio, campanili, campana, claustro, horto, hortalitijs & alijs necessarijs officinis construere, erigere, & ædificare, seu construi, erigi, & ædificari faciendi, & inibi tot eiusdem Ordinis Religiosis, quot eis placuerit videbitur, deputandi, & inducendi Apostolica auctoritate licentiam pariter & auctoritatem concedere, & indulgere; dictamque domum, sicut præfertur, erectam, ac omnes, & singulos Guardianos, siue Priores, Fratres & Conuersos eiusdem pro tempore existentes, vt omnibus, & singulis priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, & indultis, quibus aliæ dicti Ordinis domus actiue, & passiuè vtuntur, & gaudent, vti, & gaudere possint, & valeant decernere, atque declarare misericorditer dignemini de gratia speciali; Fel. rec. Bonifacij PP. VIII. prædecessoris vestri, ne Mendicantium Ordinum professi de nouo domum, vel aliquem locum recipiant, vel alijs Apostolicis constitutionibus, & ordinationibus, dictique Ordinis iuramento roboratis, statutis, & consuetudinibus cæterisque non obstantibus quibuscumque. Concessum vt petitur, in præsentia D. N. Papæ. Io. Card. Alex. & de confirmatione, approbatione, concessioneque, indulto, & decreto, ac declaratione præmissis, etiam cum absolutione à censuris ad effectum, &c. de erectione sine præiudicio, & per Breue S. V. concessum Io. Card. Alex. Datum Romæ apud S. Petrum nono Kalen. Maij, anno 3.* Sumptum ex registro supplicationum Apostolico collationat. per me Benignum Remundum eiusdem registri Magistrum Collat. A. Pinellus. locus † sigilli. A tergo. *lib. 7. fol.* 260. Gratianus.

Decretum Cong. quo Galli manutenentur io possessione eligẽdi Correctoré Gallum.

42. *Illustriss. & reuerendiss. D. M. Antonius Maffeus, Nicolaus Geneuen. Iulius de S. Seuerina, Frater Felix de Monte alto, Vincentius Iustinianus, & Io. Hieronymus Albanus S. R. E. Cardinales respectiue nuncupati, & à S. D. N. super negotij Prælatorum deputati, necnon ex sua ordinatione specialiter delegati in causa, & causis motis, & propositis à multum R. P. F. Valentino de Massa Generali Ordinis Minimorum libello supplici, à sua Sanctitate ad præfatam Congregationem remisso. Quæ causa inter RR. PP. FF. Andream Amodeum Zelosum Italiæ, & Hieronymum de Capilla Zelosum Hispaniæ pro suis, & alijs nationibus petitores ex vna, & RR. PP. FF. Simonem Bidaire Correctorem, Rolandum Gilboud Zelosum Franciæ, cæterosque Patres Gallos pro sua sola natione, degentes in monasterio SS. Trinitatis de Vrbe defensores, partibus ex altera, de & super electione Correctoris in dicto conuentu de Visis, & auditis, quæ hic inde dicta & producta sunt, relato prius negotio S. Sanctitati, & cum eo verbo facto statuerunt, declarauerunt, & ordinauerunt, præfatum conuentum in suo possessione, vel quasi habendi, & eligendi Gallum in Correctorem, esse manutenendum, manuteneríque, mandauerunt, relicto nihilominus partibus iure agendi in petitorio. Et licèt hoc in Congregatione ordinauerint, ac eiusdem partibus trium dictarum nationum coram hoc idem significauerint, tamen pro maiore firmitate, & vt de dicta ordinatione, & sententia fides appareat, mihi Cæsari Spetiano Congregationis dictorum Illustriss. Cardinalium Secretario, vt publicum testimonium de præmissis conficerem, ac R. Patri Fratri Ioanni Seigneretto Correctori recenter electo, cæterisque Patribus Gallis, traderem, mandauerunt hac die 5. mensis Octobris, anni 1577. Pontificatus in Christo Patris D. N. D. Greg. diu. prouid. Papæ XIII. anno eius 6. Quare pro munere mihi commisso huic decreto manu aliena scripto me subscripsi, sigillumque meum solitum apposui die supra. Ita est. Cæsar Spetianus Secretarius. Locus † sigilli.*

43. Beatissimo Padre. *Li Religiosi dell'Ordine de Minimi della Trinità di Monte Pincio espongono à V. B. qualmente la Congregatione, che era de i Regolari, hauendo commesso al Sig. Cardinale Mondoui, per sentire hinc inde la ragione concernente il priuilegio dato alla Corona Christianissima, è natione Francese circa il suddetto Conuento, esso Sig. Cardinale di Mondoui, con consenso, & autorità della medesima Congregatione, deputò li Signori Robustero, è Serafino per vedere, & essaminare tutte le sudette ragioni le quali hauendo maturamente visto, ogni cosa sono presti à riferire; Ma perche la sudetta Congregatione, de Regolari è adesso mutata per le nuoue Congregationi, che poi si sono fatte, è che saria cosa longa, & infinita di ricominciare ad informar la nuoua Congregatione de Regolari. Li Oratori supplicano humilmente V. B. di ordinare ad essi Signori Robustero, è Serafino, che habino à riferire à V. S. à al Sig. Cardinale Prodatario, per mano di chi ha da passare la speditione, ò all'istesso Sig. Cardinale di Mondoui per darne ragguaglio à V. S. alla quale Dio dia longhissima, è felicissima vita. A tergo verò. A nostro Sig. per li Fratri Minimi della Trinità de Monti. Al Cardinal Datario, che dia relatione.*

Memoriale, quò iubetur Datario referri.

44. Votum in controuersia Fratrum S. Francisci de Paula. Secundum ea, quæ proponuntur, plures sunt describendæ difficultates. Prima est; An Fratres nationis Gallicanæ nitentes confirmatione Apostolica fel. recor. Iulij III. 1553. debeant verificare narratiuam de scriptura ordinationis, & voluntatis S. Francisci de Paula Superioris, & Generalis Correctoris, in eo, quòd conuentus, seu domus SS. Trinitatis in Monte Pincio Vrbis Romæ regatur, & inhabitetur per Fratres dictæ Gallicæ nationis, quandiu inibi inuenientur? Et posito, sine veri præiudicio, quòd debeant verificare dictam narratiuam, an satis illam verificauerint? Sum in voto, quòd satis sit verificata dicta narratiua ex diligentia facta per R. P. D. Dandinum, tunc Nuntium in Francia, necnon ex pluribus circumstantijs, & præsumptionibus, & verisimilitudinibus cumulatis per informantes, &, stante resolutione huius secundæ partis, omittitur prima tanquam superflua.

45. Secunda, An dicti Fratres nationis Gallicanæ teneantur edere instrumentum emptionis loci in Monte Pinco, & scripturam dictæ ordinationis? Quò ad instrumentum emptionis sum in voto, quo non teneantur edere; quia non releuat ad effectum, de quo agitur; & non constat, quòd sit magis in manibus istorum Fratrum Gallorum, quàm aliorum; & idem quò ad dictam scripturam, quòd licet releuet, tamen non constat, quòd sit hic Romæ in manibus istorum Fratrum, & ipsi indicat locum in Gallia, vbi est reposita.

46. Tertia, An dicta voluntas, & ordinatio Sancti Francisci, vt dicitur, facta anno 1501. ita, & taliter sic

contra

contra dictam Regulam, & Correctorium, ac priuilegium Apostolicum confirmationis dictæ Regulæ, & consuetudinem dictæ Religionis, postea 1506. superueniens, vt dici debeat fuisse per dictam Regulam, & Correctorium, confirmationem, & consuetudinem illi ordinationi sufficienter derogatum, aut ab ea legitimè recessum? Sum in voto, quòd Regula, & Correctorium, & confirmatio Apostolica non contradicant dictæ voluntati, & ordinationi, nec è contra, vt ex lectura colligitur; & idem quò ad consuetodinem, quia ex facto non præsumimus, nisi probetur; quòd non reperitur mutatum, stare non prohibetur.

47. Quarta, An dicta confirmatio suffragetur nationi Gallicanæ, quò ad regimen, & habitationem in petitorio, & possessorio priuatiuè quò ad alias nationes, ita vt alij non possent habitare, nec gubernare, quandiu reperiantur Galli, iuxta dictam ordinationem S. Francisci, nun obstantibus præmissis, & Conc. Trid. *sess. 25. de regul. c. 1. & cap. 21.* Sum in voto, quòd suffragatur dictæ nationi, tam in petitorio, quàm in possessorio, ac etiam priuatiuè quò ad alias nationes, ex lectura dictæ scripturæ multipliciter confirmatæ, & ex latè cumulatis per informantes, dummodò cesset dolus malus, & omnis simulatio, seu machinatio.

48 Quinta, An Vicarius generalis possit exercere iurisdictionem in Conuentu SS. Trinitatis, præsertim in casibus emergentibus inter Correctorem, & conuentum, durante absentia ab Italia ipsius Generalis; Sum in voto, quòd non. Quia statuta clarè volunt, quod nulli subjiciatur, nisi Generali, aut oculato Visitatori. Quamvis in confirmatione Pauli III. dicatur de Generali, vel deputato ab eo, aut oculato Visitatore; credo, quòd alternatiua, *Aut*, sit ibi per errorem scripta, & ita est sensus, vt Generalis, vel ab eo deputatus ocularis Visitator visitet. Quia capitula contra firmata, & ibi relata, ita canunt, absque alia alternatiua, vt bene deducunt informantes.

49. Sexta, An liceat, & expediat, vt in his Sedes Apostolica aliquid statuat, declarando, corrigendo, vel emendando? Respondetur, quòd in his maximè est attendenda honestas, vtilitas, vel necessitas publica, *in cap. Magna, de voto*, & ibi bene Hostien. & cœteri. Videndum est, vt in facto, an aliquid de istis probari possit: alioquin standum est regulæ, quæ damnat similes correctiones, & nouas inductiones. Ita sentio, & iudico. Ego Christophorus Episcopus Oriolen. eidem sententiæ accedo. Ego Seraphinus Oliuatius Rotæ Auditor. DD. Ioannes Leobaldus Tullen. & Vincentius Bonzarius Bononien. testes super recognitione manus R. P. D. Seraphini Oliuatij Rotæ Auditoris, & Decani inducti, & admissi, tactis scripturis, recognouerunt manum, literam, & personam præfati R. P. D. Seraphini in forma. Et D. Octauianus Arcatorius Ianuen. diœcesis, & D. Petrus de Montorgio Clericus Edunen. diœcesis Rotæ Notarij testes super recognitione R. P. D. Christophori Robusterij, olim eiusdem Rotæ Auditoris, & nunc Episcopi Olioren. inducti, & admissi, tactis scripturis, recognouerunt manum, literam, & personam supradicti R. P. D. Christophori Robusterij in forma. Super quibus omnibus, & singulis præmissis fuit à me Notario publico infrascripto vnum, vel plura, publicum, seu publica factum fieri, atque confici instrumentum, & instrumenta. Actum Romæ, vbi supra præsentibus ibidem DD. Ascanio Manaato, & Francisco de Romaulis Curiæ præfati Illustrissimi, & Reuerendissimi D. almæ Vrbis Vicarij Notariis, testibus ad præmissa vocatis, & rogatis.

50. Et ego Ioannes Bartholomæus Hormetanus Vercellen. publicus Apostolica auctoritate Notarius, & in locum D. Simonis Gagnetti Curiæ Illust. & R. D. Suæ S. Vicarij Notarij publici Actuarius huiusmodi instrumentum subscripsi, & publicaui in fidem præmissorum rogatus, & requisitus. Locus ✝ signi. Hieronymus miseratione diuina tit. S. Susannæ S. R. E. Presbyter Cardinalis Rusticuccius nuncupatus S. D. D. N. PP. Vicarius Generalis. Vniuersis fidem facimus, & attestamur, suprascriptum Io. Bartholomæum Hormeanum, qui præsens instrumentum subscripsit, & publicauit, esse fidum, & legalem Notarium, scripturisque suis publicis, ac similibus plenam fidem semper adhibitam esse, & de præsenti adhiberi indubiam. In quorum fidem, &c. datum *die 29. mensis Aprilis*, 1593. Locus ✝ sigilli.

51. Moto proprio Clemens VIII. remisit duobus Cardinalibus postea anno 1604. causæ decisionem per hoc diploma. *Dilectis filiis nostris Pompeio, tit. S. Balbina Arigonio, & Hieronymo tit S. Blasij de annulo Pamphilio nuncupatis Presbiteris Card. Clem. Papa VIII. Dilecti filij nostri salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum inter Fratres nationis Gallicana ex vna, & Fratres aliarum nationum Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula ex altera partibus, quadam controuersia super incolatu, & regimine Conuentus SS Trinitatis de Vrbe dudum vigeat. Nos controuersia huiusmodi finem imponere, ac quieti dictorum Fratrum, vt par est, prospicere cupientes, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, causam huiusmodi controuersia à quacumque, seu quibuscumque iudicibus, coram quibus forsan pendet, ad nos harum serie auocantes, illam cum suis incidentibus, emergentibus, annexis, & connexis, totoque negotio principali, vobis (de quorum fide prudentia, integritate, & scientia plurimùm in Domino confidimus) per vos summariè, simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura iudicij, sola facti veritate inspecta, & manu regia audiendam, cognoscendam, decidendam, & fine debito, omni appellatione remota, terminandam harum serie committimus. Cum potestate quos, & quibus opus fuerit, citandi, ac etiam sub sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis inhibendi, ac omnia, & singula in præmissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna, faciendi, gerendi, & exequendi. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac stylo Curiæ, & Palatij, ac eiusdem Ordinis etiã iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus cæterisq; contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 22. Nouemb. 1604. Pontificatus nostri anno tertiodecimo. M. Vestrius Barbianus.* Qui duo Cardinales postea *die 20. Iunij* 1605. totum negotium definierunt, & sententiauerunt, vt constat *ex const. 7. Pauli 5. §. 2.*

52. Ex aduerso autem Fratres Itali, & Hispani pretendebat, dictum Conuentum SS. Trinitatis esse communem toti Religioni, vt omnes alios Conuentus. Tum iure communi, quo cauetur inter Religiosos omnia esse communia, *cap. Non dicatis, 12. q. 1.* Tum quia in capitulis generalibus vnanimi consensu specifiè ordinatur, vt Fratres cuiuscumque nationis possunt in dicto Conuentu à Patre Generali assignati. Ita *in cap. Romano 3. num. 14. Auenion. 1. num. 10.* Tum quia consuetudo Religionis est inueterata, & longa præscriptione, & immemorabili fundata, vt omnes cuiuscumque nationis Fratres in hoc Conuentu habitarent, & etiam in Correctores eligerentur, vt fuerunt electi anno 1525. 1544. 1545. 1547. 1552. 1562. 1569. Quod patere dicebant ex catalogo Correctorum dicti Conuentus.

53. Ad obiecta in contrarium respondebant. Et primò ad emptionem factam à Rege dicebant, hoc esse falsum. Nam emptio præfati satis fuit facta à duobus mercatoribus Venetis ad instantiam duorum Fratrum Italorum, nimirum Iacobi de Morano, & Iacobi Publiti, alioquin monstrari petebant instrumenta dictæ emptionis: Et dato, quod ipse Rex præfa-

tum

tum fundum emisse, nihil faciebat ad casum; Nam potuit quidem emisse, & deinde liberaliter Religioni donasse in gratiam B. Patris absque vlla obligatione. Ad literas Sancti Francisci dicebant, illas esse falsas, & fuisse confictas tempore solùm P. F. Hugonis de Caige. Et pro hoc dicto adducebant in testem P. F. Gasparum de Fosso Archiepiscopum Rhegynum, qui fuit nostræ Religionis bis Generalis, vir sanctissimus, vitæ, & virtutum omnium splendore ornatissimus, Addebant, quòd si dictæ literæ fuissent veræ, de illis facta esset aliqua mentio in proximis sequentibus capitulis generalibus post mortem B. Patris. Et sicut *in cap. Tolosano, num.* 16. quod fuit Religionis tertium, statuitur, quod dictus Conuentus SS. Trinitatis de Vrbe sub solius Patris Generalis ditione remaneat, & ea redditur ratio. *Quia sic fertur fuisse mentem B. Francisci.* Si præfatæ literæ in mundo tunc extitissent, fuissent ostensæ, & simul conclusum esset, quòd à solis Gallis dictus Conuentus regeretur, & inhabitaretur, & non fuisset dictum, *Fertur*, quod est verbum dubitatiuum, sed, *Est*, quod est verbum affirmatiuum. Et *cap. Paula, num.* 43. in quo de dictis literis fit mentio, solùm dicitur, quòd B. Pater declarauit in suis literis, voluntatem suam esse, vt dictus Conuentus SS. Trinitatis soli ditioni P. Generalis subiaceret, contra quod nunquam neque Itali, neque Hispani aperuerunt os. Et si in dictis literis fuisset dictus Conuentus adiudicatus & quò ad regimen, & quò ad habitationem nationi Gallicæ, id equidem non fuisset prætermissum, cum esset maioris importantiæ, quàm illud. Addebant, quò si dictæ literæ erant veræ, debeant monstrari in forma probante, nec sufficiebat monstrare exemplum, quantumvis authenticum, & à persona auctoritatis factum; quia illud exemplum, ad hoc vt probaret, debebat esse factum parte citata. Nam potuit facilè Illustriss. Nuntius in re non propria, de qua nullam habebat cognitionem, decipi, & ille solùm exemplari fecit illas literas, quas duo Fratres Galli illi detulerunt, dicentes, eas esse B. P. Francisci. Et tantò magis, aiebant, debebant monstrari dictæ literæ originales, quantò erant contra Regulam, & Correctorium, à B. Patre tanquam vltimum suum testamentum, & voluntatem edita; in qua Regula disponitur, quòd omnia sint communia, & omnes sub vno Generali viuant. Addebant, quòd, dato, & non concesso, quòd dictæ literæ essent verè B. Patris, tamen non relevabant. Quia B. Pater erat tantùm Corrector generalis totius Ordinis, & ideò non poterat, quod totius erat Religionis, vni nationi assignare. Tum inspecta ratione iuris communis, *c. 1. de rebus Eccles. non alien.* vel non, vbi prohibetur Prælatus terram vnius Ecclesiæ vertere ad aliam, quamvis ambæ sint in eius potestate. Tum inspectis statutis Religionis, Correct. *num.* 50. vbi prohibetur Generalis absque consensu capituli bona alicuius Conuentus alienare, aut ad alium transferre. Et dato, quòd hanc adiudicationem potuisset B. Pater facere, non debebant tamen vniformem Religionem suam in charitate fundatam scindere, & quod omnium erat, vni adiudicare. Nam bene sciebat sanctissimus, & prudentissimus Pater, quantas scissuras hæ scissuræ pariant; & qui tantum partialitates, & disconformitates, abhorruit, vt voluerit omnes Superiores, etiam Generales, in victu, & vestitu minimis etiam fraterculis conformari, credendum non est, hanc partialitatem in damnum totius suæ Religionis cum Gallis vsurpasse. Quod illi non cauerit vir prophetiæ dono illustratus, nefas putandum. Ad confirmationem Iulij III. illam ex eo corruere dicebant. Quia cum sit fundata in literis B. Patris, & emptione Regis, destructo fundamento, ædificium superædificatum corruere necesse est; & quod non est, confirmari non potest. Et præterea hæc confirmatio confirmat quidem, quòd soli Fratres Galli sunt in dicto conuentu Superiores, ad habitationem promiscuam non negat. Ad concessionem Alexandri VI. dicebant, illam causæ non officere. Nam dato, quòd Rex Carolus VIII. fundum emisset; fundator esset, at per hoc non tollitur nec habitatio, nec regimen aliarum nationum. Ad decretum Congreg. Regularium dicebant, illud solùm loqui de manutentione dicti conuentus in possessione eligendi Gallum in Correctorem, relicto iure partibus agendi in petitorio. Ad vota illa Robusterij, & Oliuatij dicebant, tantorum virorum doctrinam esse venerandam, iudicium prædicandum, sed illorum vota non debere, nec posse veritati, & iustitiæ officere. Et tandem an sententiam Arigonij, & Pamphilij dicebant, illam non subsistere? Quia Itali, & Hispani non habebant tunc temporis Romæ Procuratorem legitimum, qui posset eorum rationes producere, alioqoin constet de mandato. Et præsertim Hispani nullum penitus habebant.

54. Hæc dicebant Itali, & Hispani pro suorum iurium defensione. Sed iam omnia cessarunt per Dei misericordiam, & *constit.* 7. *Pauli V.* in qua imponitur partibus perpetuum silentium. Illud difficile videtur, quare non possit P. Generalis in eo conuentu Vicarium generalem constituere pro negotijs emergentibus. Nam hoc est directè contra Regulam in Correct. *num.* 106. & ius commune, *regul.* 68. *Potest, de regul. iur. in* 6. Dicere autem ne per indirectum officium Correctoris impediatur, & consequenter mens B. Patris, & summ. Pontificum eludatur non valet. Nam Vicarius generalis in emergentibus officium Correctoris non impedit, nec impedire potest, vt constat *ex cap. Auenion.* 2. *num.* 31. Sed acquiescendum maioribus. Tum quia sic decet. omnino, & necesse est. Tum in gratiam Regum Christianissimorum, qui semper fuerunt Patroni, & Protectores nostræ Minimæ Religionis, illique & conuentus, & diuitias, & gratias, ac priuilegia innumera concessère, vt constat ex facto, & in parte narrat Renatus Choppinus *lib.* 2. *monast. tit.* 1. *num.* 37. *& tit.* 2. *num.* 17. Tum quia dicti Patres Galli vixerunt semper in illo conuentu cum odore bonæ famæ, & splendore regularis disciplinæ, & strictissima obseruantia nostræ sanctæ Regulæ. Tum quia iam Itali habent Romæ tres alios conuentus; quibus commodè inhabitare possunt.

55. Nota 6. quòd *in eadem const.* 7. *Pauli V. num.* 56. respondebam ad quandam obiectionem factam ad probandum, quòd cum Correctores assimilentur Curatis, & Curati sint coadiutores Episcoporum, ita etiam Correctores erunt coadiutores Prouincialium, atque ita non poterunt quicquam Correctores facere contra ordinationem Prouincialium, & quicquid possunt Correctores in expediendis monasteriorum bonis, poterunt Prouinciales. Quibus nunc addo ex Suar. *tom.* 3. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 17. *num* 23. quòd Parochi, iuxta communem vsum iuris, & modum loquendi Doctorum, non sunt Prælati. Nam Prælati propriè dicuntur, qui iurisdictionem ordinariam, etiam in externo foro Ecclesiastico, habent; qua tamen carent Parochi. Sunt tamen propriè Pastores, & ordinariam habent potestatem in oues sibi commissas, vnde non possunt dici Vicarij, neque Officiales Episcoporum, nec sunt ipsorum Episcoporum causæ instrumentales, sed sunt causæ proximæ principales in suo ordine, & sunt domini suorum beneficiorum, & propriam potestatem, ac officium exercent, & propriam obligationem adimplent, & non tantùm alienam exequuntur. Nec refert, quòd Parochi sint quasi coadiutores Episcoporum; nam etiam Episcopi sunt cooperatores Pontificis, & in partem sollicitudinis

dinis

dinis vocati, non in plenitudinem potestatis, vt dicitur *in cap. Qui se scit, 2. quaest. 6.* vbi dicitur, *Qui se scit alij esse praepositum, non molestè ferat, aliquem sibi esse Praelatum.* Vnde colligitur, quòd sicut licèt Episcopi sint veri Pastores principales in suo ordine, subsunt nihilominus superiori Pastori: Ita inferiores pastores sunt in suo gradu proprij Pastores, licèt Episcopis subordinati sint. Ex qua doctrina ad nostrum propositum applicata, clarè constat, quòd licèt Correctores assimilentur Parochis in hoc, quòd sunt coadiutores (nam alioquin, cum habebant iurisdictionem etiam in foro externo, sunt Praelati, vt probo *tom. 2. Relig. quaest. 1. cap. 4. num. 72.*) non per hoc tamen desinunt esse Superiores ordinariam potestatem habentes, in eaque se gerere tanquam causae principales. Vnde sicut non potest Episcopus curam à Curato auferre; ita nec Prouincialis Correctoriatum à Correctore; & sicut Curatus suam iurisdictionem potest delegare, ita & Corrector. Et sicut subordinatio, quam habent Curati ad Episcopum, non est contra principalem curam eorum in suo ordine, vt Suarez *loc. cit. num. 22.* quia etiam Episcopi iurisdictio est aliquo subordinata Archiepiscopo, & in naturalibus causa proxima principalis est, etiamsi ab vniuersali pendeat: ita nec subordinatio, quam habet Corrector ad Prouincialem, facit quominus Correctoris iurisdictio ordinaria sit intra suos limites, & quin eam possit independenter ab eo exercere. Dependentia autem, quam habet Corrector à Prouinciali, est, vt illius correctioni subiaceat, si in officio delinquat: Ac etiam, vt in causis grauioribus, suadente aliqua legitima ratione, fraenando Praelato superiori in aliquo casu potestatem, promptè obediant.

56. Si obijcias, per sacros canones determinari, quòd Praelatus minor, praesente maiori, iurisdictionem non exerceat; quia hoc casu illius iurisdictio cessat, vt habetur *in cap. Denique, dist. 12. cap. Volentes, de off. legati, cap. Antiqua, §. dominica, de priuileg.* Respondeo, quòd illi canones intelliguntur, quando minor habet iurisdictionem à maiori, vt explicat Gloss. *in illo cap. Denique, verb. Maiore*: & clarè constat *ex dicto cap. Volentes, & c. Antiqua* Nam alioquin, quando minor non habet iurisdictionem à maiori, quòd maiore praesente possit suam iurisdictionem exercere, statuitur *in cap. Ecce ego, d. 95. & in cap. Peruenit, 11. quaest. 1. & leg. In hac. Cod. de donat.* Vbi Gloss. *verb. Praedicare*, notat minorem iudicem non debere amittere iurisdictionem suam, licèt maior iudex sit praesens; quod etiam notat Bald. *ibid. n. 4.* & Cynus addens solùm, iurisdictionem minoris cessare in casu appellationis, aut in defectu iuris.

57. Noto 7. *circa constit.* 8. *Pauli V.* in qua reuocantur omnes indulgentiae Regularibus concessae, & aliae de nouo conceduntur, quòd per illam constitutionem non reuocantur indulgentiae, quas Praedicatores regulares, finita eorum praedicatione, possunt populo concedere, & sunt dierum 140. de quibus *in comp. priuil. D. Hieronym. verb. Praedicator, §. 1. & 2.* haec enim indulgentia non est concessa Fratribus, sed saecularibus. Ita Portel *in dub. regul. verb. Praedicatores, num. 9.* Casarub. *verb. Indulgentia quò ad saeculares 5.* summans has indulgentias, ait, quòd Fratres Mendicantes quandocunque praedicant in suis domibus, quocumque die anni possunt concedere suis auditoribus 18. annos, & dies 322. indulgentiarum. Quando autem alibi praedicant, possunt concedere 18. annos & dies 222. Quando verò praedicant tempore quadragesimae in suis domibus, feria 2. 4. & 6. possunt concedere suis auditoribus, vltra praedictas, 138. annos, & dies 202. Neque item est reuocata illa indulgentia centum dierum concessa ab Alex. VI. Audientibus missam in Ecclesijs dictorum Fratrum Mendicantium. Neque item sunt reuocatae indulgentiae concessae morientibus in habitu Fratrum, vel cum eo sepeliri mandantibus, vel ipsorum habitum osculantibus, de quibus Casarub. *loc. cit. verb. Indulgentia quò ad saeculares 6. num. 9.* Vide *tom. 1. priuil. in const. 3. Sixti V I. à num. 2.*

58. Aduerte etiam, quòd per dictam const. non est reuocata indulgentia 50. dierum concessa à Sixto V. per suam constit. *Redemturi*, apud Rodriquez *in bull. constit. 22.* dicti Pontificis, salutantibus in quocumque loco quascumque personas his verbis; *Laudetur Iesus Christus*: & respondentibus *In saecula*, vel *Amen*, aut *Semper*, siue latino, siue vulgari idiomate hoc fiat. Neque etiam est reuocata indulgentia 25. dierum concessa ab eodem Papa *ibid* his, qui reuerentur, id est capite detecto, vel inclinato, nomen Iesu, vel Mariae, nominauerint. Nec similiter est reuocata indulgentia plenaria concessa ab eodem Pontifice *ibid.* ijs, qui in mortis articulo, ore, vel corde, si ore non potuerint, idem nomen Iesu inuocauerint, dummodò ante habuerint consuetudinem sic salutandi. Hae, inquam, indulgentiae non sunt reuocatae; nam mens Pauli V. fuit solùm reuocare indulgentias concessas Fratribus: istae autem concessae sunt omnibus Christi fidelibus, inter quos etiam Regulares connumerari debent.

59. Aduerte etiam, quòd idem Pontifex Paulus V. non obstante hac indulgentiarum correctione, ac reformatione *anno* 1608. *die* 18. *Iunij*, instante Fratre Ludouico à S. Euangelista Commissario generali Familiae vltramontanae Ordinis Minorum, concessit Fratribus recitantibus coronam B.M. V. quae constat ex 72. Aue Maria, & septem Pater noster, addito in fine vno Pater noster, & vna Aue Maria pro anima ipsius Pontificis, indulgentiam plenariam. De qua concessione extat publicum monimentum impressum Romae *anno* 1609. *die* 19. *Ianuary.* Ita testatur Resighinus *in suo templo Salomonis, cap. 26 fine*, & Roderic. *in resol. regul. resol. 77. num. 45.*

60. Aduerte etiam, quòd Vrbanus VIII. concessit Fratribus quaestuantibus pro amore Dei, quolibet die, quo id fecerint, indulgentiam 40. dierum. Et item renouauit, quòd possint ab excommunicatis eleemosynam petere. Ita refertur in constitutionibus Vrbanis Fratrum Minorum Conuentualium, *cap. 6. tit. 8. num. 3.*

61. Noto 8. quòd *in const. 9. Pauli V. num. 10.* diceban, neminem posse apud se libros haereticos, aut de haeresi suspectos retinere, & quomodo possent hos tenere Religiosi. Hic aduerte, quòd libri haereticorum reperti apud aliquem, reddunt illum de haeresi suspectum, immò plenam faciunt probationem, illum esse haereticum. Io. Andr. *in cap. Filij, vel haered. de haeret. in 6. num....* Graff. *par. 1. lib. 4. cap. 18. n. 48. cap. Si fortè, c. Sanè, 22. q. 4.* Si tamen reperiantur apud virum doctum, synceram, & nullatenus de haeresi suspectum, excusatur ille à suspicione haeresis, *cap. Damnamus, de summ. Trinit. §. in nullo.* Ita Menoch. *de arbitr. casu* 374. *num* 12. Nec censetur suspectus de haeresi ille, apud quem reperiuntur libri, ipso ignorante, vel tales libros habere, vel eos esse haereticos. Ita Riccius *p. 1. praxis, d. 675. n. 5.* Duae ergo requiruntur conditiones, vt ille, apud quem reperiuntur dicti libri, sit suspectus de haeresi. Prima, scientia librorum, idest, quòd sciat, se tales libros habere. Secunda, quòd praefati libri sint damnati pro haereticis, & quòd illos habens de tali damnatione notitiam habeat. Graff. *tom. 2. consil de haeret. consil. 2. num. 6.*

62. Sed quid de illo, apud quem reperiuntur scripta? Nauarr. *lib. 5. consil. de haeret. consil. 6.* ad hoc propositum multa dicit. Et primò *num. 1.* ait, quòd scriptura priuata, aliena manu scripta, sine testibus, nisi

nisi ab illo fuerit subscripta propria manu, ei nocere ne quicquam potest; *cap.1. & 2. de fide instrum.* II. *num.2.* ait, quòd nemo est accusandus, nec arguendus, eo quòd hoc, vel illud scripserit, etiam sua manu, in chartulis, & commentariolis imperfectis, indigestis, & inemendatis, quibus manus extrema non sit adhibita; Tùm quia illa, quibus aliquid addendum remanet, habentur pro non scriptis. Tùm quia scriptori licet scripta sua corrigere, & negare, se ita sensisse ac in eis continetur, donec ediderit perfecta, vt ita fecisse refert *num.3.* Sotum. Tùm quia multa notamus, quæ memoria excidant, quæ attentè considerantes deinde cassamus, quod Augustinum ipsum fecisse dicit. Tùm quia nemo, quantumvis accuratus, potest prima vice ita scribere, *vt* lima deinde non sit amplius opus. III. ait *num.5.* quòd ea, quæ ita sunt scripta, vt nequeant intelligi, pro non scriptis habentur, iuxta *legem 2. ff. de his, quæ pro non script. hab.* IV. ait *num. 6.* quòd oratio dubia, & ambigua, intelligenda est in eo sensu, quem ei dat, qui illam protulit, iuxta *l. In ambiguis, de regul. iur.* Item accipienda est in eo sensu, qui magis prodest proferenti, *l. Si quis intentione, ff. de iud.* V. ait *num.7.* quòd verba, quæ in vno sensu denotant delictum, & in alio non, intelligenda sunt in eo sensu, quo non dicatur proferens deliquisse; nam dubia semper in meliorem partem interpretanda sunt, *cap. Estote misericordes, de regul. iur.* VI. ait *num. 7.* quòd cum aliqua oratio est ambigua, & dubia, & multis modis intelligibilis, ille sensus est probandus, cui antecedentia, & consequentia verba magis consonant, iuxta regulam August. *3. de doctrin. Christ. cap 2* vbi ait: *Cùm ambiguitas occurrit, textus ipse sermonis à præcedentibus, & consequentibus partibus, quæ ambiguitatem illam in medio posuerunt, restat consulendus.* VII. ait *num. 11.* quòd non solùm pars vnius Scripturæ per aliam partem eiusdem declaratur, sed etiam per alias Scripturas omnino ab eo separatas, iuxta regulam eiusdem August. *loc. citat. cap.26.* vbi ait; *Quòd vbi verba Scripturæ in vno loco apertiùs ponuntur, ibi discendum est, quomodò in locis intelligatur obscuris.* VIII. ait *num. 12.* quòd verba intelligi debent secundùm id, ad quod principaliter proferuntur, & scribuntur, *cap. fin de verb. signific.* IX. ait *num. 14.* quòd excusandus est quilibet operis scriptor, si in eius editione protestatus est, se illud sacrosanctæ Ecclesiæ iudicio, & censuræ submittere, *cap. Damnamus, § in nullo, de summ. Trin.* quæ tamen protestatio solùm valet in his, quæ quis explicitè credere non tenetur, vt declarat Eymericus *in direct. Inquis. part. 1. quæst. 12. num. 12. & 13.* vbi Pegna *com.26.* qui obseruat, quòd cum sæpè dubitetur, an aliquis etiam literatus scire aliqua teneatur, cum sint quædam ad fidem spectantia adeò difficilia, & obscura, vt etiam doctos interdum lateant, planè si in iis labatur vir literatus, multùm sibi proderit præcedens protestatio; quia ignorantia potiùs, quàm animi malitia lapsus censeri debet.

63. Aduerte hic vnum pro librorum censoribus, quòd his maxima est vtendum prudentia in libris corrigendis, ne nimis scrupulosi sint in propositionibus, quæ bonum sensum habere possint, censurandis. Nam aliquando suspenduntur aliqui libri, ex quorum suspensione maius malum oritur, quàm si permitterentur. Nitimur enim naturaliter semper in vetitum, magisque negatum cupimus, quàm concessum, vnde curiosi magis student vetitos, quàm concessos libros legere, & multi libri suspensi maiori pollent auctoritate apud hos curiosos floccifacientes conscientiam suam, quàm vnquam polluissent, nisi fuissent suspensi. *Nam punitis ingeniis gliscit auctoritas,* aiebat Tacitus 4. *Annalium.*

64. Aduerte quòd Vrbanus VIII. fecit statutum, quòd habitantes in statu Ecclesiastico non possint extra illum libros imprimere absque facultate Vicarij Papæ, & Magistri Sacri Palatij. Hoc decretum refertur *tom.4. bull pag.337.* & sic habet.

Feria 5. die 18. Septembris 1625.

In generali Congregatione S. Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram S. D. N. D. Vrbano diuina prouidentia Papa VIII. ac Illustris. & Reuerend D.D. S. R. E. Cardinalibus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Sanctissimus D. N. pro debito sui Pastoralis officij corrigere volens abusus nonnullorum in statu Sedi Apostolicæ mediatè, vel immediatè subiecto existentium, qui libros à se compositos extra præfatum statum absque vlla Ordinariorum, & Inquisitorum loci, vbi degunt, approbatione, imprimendos transmittunt. Statuit, & decreuit, vt imposterum nemo in statu prædicto degens, cuiusvis conditionis, gradus, ordinis, & dignitatis existat, libros de quavis materia tractantes, & vbicumque compositos audeat aliò deferre, vel mittere imprimendos sine expressa in scriptis approbatione Illustrissimi, & Reuerendissimi Domini Cardinalis S. D N. Vicarij, & Magistri sacri Palatij, si in Vrbe; si verò extra Vrbem existat, sine Ordinarij, & Inquisitoris loci illius, sine ab iis deputatorum facultate, & licentia, operi præfigenda.

§. 2. Libros autem, quos contra præsentis decreti tenorem imprimi contigerit, præter alias pœnas arbitrio suæ Sanctitatis infligendas, absque alia declaratione ex nunc prohibet, & pro expressè prohibitis haberi vult, & mandat, contrariis quibuscumque non obstantibus, &c. Ioan. Antonius Thomasius Sanctæ Romanæ vniuersalis Inquisitionis Not.

65. Aduerte etiam, quòd *in eadem const. n.29.* dicebam, quòd Regulares pœnitentiati à S. Officio erant inhabiles ad dignitates, etiamsi pœnitentias compleuissent. Nam hoc est speciale in crimine hæresis, propter quod puniuntur, qui ab illo officio puniuntur, vt etiam purgatus post purgationem remaneat suspectus, vt notant Panor. *in c. Testimonium, n 2. de test.* vbi Felin. *n.21.* & condemnatus ex causa criminis publici, quale est hæresis, *c. Ius publicum, d.1.* remanet infamis etiam post pœnitentiam solutam, *c. Infames. § Però, 3. q.7.* infamis autem dignitates consequi non potest, *reg.87. Infamibus de reg. iur. in 6.* Farin. *part.1. praxis, crim. tit. de delictis, & pœnis, q.23. n.526.*

CAPVT VII.

De addendis ad Constitutionem Gregory XV.

1. NOto primò, quòd *in constit. 2. Greger. XV. de exem. priuil.* posui quasdam declarationes super illa factas à sacra Congregatione Concilij, post quas exiit alia declaratio, quæ sic habet: *Quæritur, an posita dicta constit. Regularis absque legitima licentia accedens ad monasterium Monialium Regularibus subiectarum, ibique in loco colloquiis destinato cum Moniali colloquens, à Diœcesano Episcopo, tanquam Sedis Apostolicæ delegato, coërceri, & puniri possit? Sacra Congr. Card. Conc. Trid. interpretum censuit, posse: quam Congregationis sententiam S. D. N. Vrbanus VIII. ad se relatam approbauit. Cosmus Cardinalis de Torres. Prosper Fagnanus S. Congr. Secr. Est impressa Romæ in Typographia Cameræ Apostolicæ, anno 1624.*

2. Noto secundò, quòd *in constit. 3. Gregory XV. num. 3.* dicebam, quòd Cardinalibus in præiudicium tertij non erat credendum; quod præter Doctores quos ibi affero, docent Vantius *in tract. de nullit. §. de nullitate ex defectu iurisd. num* 17. Riccius 2. *part praxis, resol. 426. n. 4. vers. In reqlium autem.* Et aduerte, ne erres in titulis, quòd Cardinales non vocantur amplius Illustrissimi, nec Dominationes Illustrissimæ, sed Eminentissimi, & Eminentiæ, quo titulo vti solùm possunt Ecclesiastici electores Romani Imperij, & magnus Magister hospitalis Ierosolymitani; nec Cardinales possunt agere cum eo (Regibus exceptis) qui illis hunc titulum nollet dare, nec eius literas recipere. Cæteri autem Ecclesiastici quicumque, quacumque auctoritate fulgentes, non possunt dictum titulum sibi vsurpare, sub pœna Pontificiæ indignationis, & priuationis beneficiorum, ac dignitatum, & inhabilitatis ad alias dignitates, &c. super quarum rerum perpetua, & inuiolabili obseruatione omnes Cardinales, tactis sacrosanctis Euangelijs, iurauere. Ita statutum est in Consistorio *anno* 1630. *die* 10. *Iunij*, à S. D. N. Vrbano Papa VIII.

3. Noto tertiò, circa *constit. 4. Gregor. XV.* quòd *num. 1.* dicebam, confessarium illum dici sollicitatorem fœminarum, qui ex occasione confessionis sollicitaset. Putat etiam Riccius 3. *part. praxis, resolut. 65. num. 3.* etiam dici, & esse sollicitatorem, qui sollicitare mandat; nam ille dicitur facere, qui facere iubet, *l. Manumissiones, ff. de iust. & iur.* & is damnum dat, qui iubet damnum dare; *l. Is damnum, ff. de reg. iur.* Et quod est causa causæ, est etiam causa causati; *dict. l. Manumissiones*, & qui per alium facit, per se ipsum facere videtur; *regul. 72 Qui facit, de reg. iur. in 6.* Sed non puto, comprehendi mandantem. Nam in pœnis non est facienda extensio, *regul. 49. In pœnis, de regul. iur. in 6.* & Odia restringenda sunt, *regul. 15. Odia, de reg. iur. eod. lib.* Si enim Papa voluisset comprehendere mandantem, vtique dixisset, vt constat ex multis constitutionibus, & præsertim ex bulla Cœnæ. Cùm ergo non exprimat, verba legis sunt ad vnguem obseruanda; *reg. 1 §. Is, qui nauem, ff. de exercit. act.* Nec est eadem ratio hoc casu in mandante, ac in exequente. Nam pone quòd mandans sit sæcularis, certè is non potest facere id, quod confessarius, vnde non potest in his esse eadem ratio. Imò addo, quòd si sæcularis se occultet in confessionario, & sollicitet ibi mulierem accedentem causa confessionis, non incurret meo videri pœnas huius bullæ; Nam hæ pœnæ præcisè inflictæ sunt contra Sacerdotes confessarios; sæcularis autem confessarius non est, neque Sacerdos. Atque ita Castrens. *tractat. 4. disput. 9. part. 9 num. 5.* Diana *tract. 4. variarum resolut. 15.* quem vide pro his punctis *in resolut. sequent* & Portel. *in dub. reg. verb. Sollicitare, num. 14.* qui addit, idem esse dicendum de Clerico, vel Regulari non Sacerdote, vel Sacerdote, quidem, sed non admisso ad confessiones audiendas. De confessario verò iurisdictione carente, vel quia est nominatim excommunicatus, vel publicus Clerici percussor, dicit Portel. *loc. cit. num. 13.* quòd siue bona fide id faciat, credens se iurisdictionem habere, siue mala, sciens non habere, si in confessione sollicitat, non incurrit has pœnas. Quia iuxta doctrinam Suarez *lib. 5. de leg. cap. 33. num. 9. & 10.* qui facit, vel prætendit facere actum nullum, non incurrit pœnam legis. Sed ista doctrina huic casui applicari non potest. Nam non est necesse ad incurrendas has pœnas quòd confessarius confessionem audiat, sed sufficit, quòd in loco solito confessiones audire sollicitet; & lex hic intendit punire illum, qui potens porrigere remedium, porrigit venenum, & potens dare panem, dat scorpionem, & confessarius excommunicatus, & consequenter iurisdictione priuatus, confessarius est, cum sit Sacerdos potestatem ordinis habens, & possit à venialibus, & mortalibus iam confessis absoluere; & alioquin qui sollicitaret mulierem habentem casum reseruatum cum excommunicatione, à qua non potest eam absoluere, non deberet dici has pœnas incurrere, quod nemo dicet. Nam aliàs larga aperiretur via ad has pœnas fugiendas, & hanc constitutionem eludendam. Vnde licèt effectus non sequatur, quia scilicet mulier sollicitationi non consentit, sollicitans tamen easdem pœnas incurrit. Nam bulla ait: *Qui sollicitare, aut prouocare tentauerint.* Et ita Castrens. *cit. num. 1.*

4. Aduerte, quòd *in eadem constitut. num 5.* dicebam, quòd ad dictum vnius mulieris malæ famæ non debebat confessarius carcerari. Quod deinde fuit decretatum Romæ in S. tribunali Inquisitionis, vt constat ex literis Cardinalis Millini datis Vicario Generali Archiepiscopatus Genuensis, *anno 1627. die 17. Iuly*, sub his verbis: *Molte R. Sig. Acciò più fondatamente, si proceda contro li sollicitanti in confessione, questa suprema Congregatione ordina, che per il detto di vna sola donna, V. S. non faccia constituire, ò carcerare il preteso reo, senza darne prima qua auuiso con la relatione della qualità della donna, del denunciante, è del denunciato & all' hora à V. S. sarà significata, se debba, è non, procede e à constituirlo, è carcerarlo, & tanta ella eseguirà. Si compiacerà poi notificare quest' ordine alli Vescoui con prouinciali, acciò anch' essi lo eseguiscano. Mentre io dal Sig. Iddio gli prega ogni bene. Roma 17. Iuly 1627. Come fratello, il Cardinal Millino.*

5. Et aduerte etiam, quòd *in eadem constit. à n. 28.* dixi, posse dari aliquas causas, propter quas mulier sollicitata poterat excusari à denuntiando sollicitantem. Quod etiam dixit Portel. *in Addit. ad dubium reg. verb. Sollicitare, à num.* 58. qui *num. 20.* aduertit, quod hoc vitium correctionem fraternam admittit (quod ego probaueram *num. 26.*) & consulit fœminas, vt in hoc casu, antequam denuntiationem faciant, consulant viros doctos, & pios, qui iudicent de obligatione denuntiationis. Et quòd hoc delictum correctionem fraternam admittat, docent Castrens. *tractat. 4. disputat. 9. part. 10. num. 2.* apud quem Fagundez

6. Aduerte, quòd confessarius sollicitans pœnitentem ad actus solùm venialiter inhonestos, tangendo manum, vel mammillas, aut genas fœminæ, digitos intorquendo, vellicando, ob solam delectationem, absque vlteriori fine, vel periculo pollutionis, quæ in genere castitatis sunt peccata venialia, vt docet Sanchez *lib. 9. de Matrimonio, disput. 46 n. 16.* denuntiandus, non est Inquisitoribus, quando pœnitens intelligit, Sacerdotem nullo modo habere animum vlteriùs procedendi, & absit periculum pœnitenti consentiendi in aliquod graue crimen. Constat, quia constitutio Gregorij solùm intendit prohibere actus moraliter malos, vnde vocat confessores sollicitantes infernales medicos, veneficos, & proditores execrabiles. Ita Castrens. *tract. 4. disput. 8 part. 3. num. 3.* Sed hæc doctrina mihi non placet, nec in praxi seruari debet, cum aperiat viam ad fugiendas pœnas huius constitutionis: nam potest confessarius fingere non habere animum vlteriùs progrediendi, & verbis id manifestare, sed in effectu ardenter illum affectare, & paulatim sic procedere ad videndum, an pœnitens inclinet, & descendat cum ipso in actum, quem animum pœnitens cognoscere non potest. Quare puto, quod confessarius sollicitans in confessione ad dictos actus, etiam abstrahendo à grauitate culpæ, quam possent recipere ratione loci, sit denuntiandus, propter euidentissimum periculum, cui exponit se, & pœnitentem consentiendi in actum

actum lethaliter malum, quam facillimè enim accenditur concupiscentiæ ignis, obiecto præsente, quid si in illum insuffles dictis actibus? Non enim credo viris, quantumvis piis cum dicunt se ex mulierum aspectu, colloquio, & congressu non vri, cuius incredulitatis auctorem habeo Basil. *in constit. monast. cap.* 4. vbi ait: *Si quis dicat, ex assiduo se cum mulieribus colloquio, congressuque & conuictu non admodùm lædi, hic sine dubio aut maris naturæ particeps non est, & portentum est quoddam insolentissimum, & præter omnium opinionem admirabile, & in vtriusque sexus, vt ita dicam, confiniis positum: Aut certè, si expers non est, cum totus immersus libidinibus obruatur, ebriis, aut phrenitide correptis similem se esse non sentit, qui grauissimis affecti morbis, morbum à se tamen abesse omnem existimant.*

7. Aduerte etiam, quòd confessarius dans pœnitenti epistolam sigillatam, in qua eam sollicitat ad venerem, ante, vel post immediatè confessionem, legendam tamen solùm post regressum in domum, seu exitum ab Ecclesia: non videtur denuntiandus. Tùm quia non sollicitatur pœnitens in confessione, nec immediatè post, sed post multum temporis. Tùm quia pœnitens per receptionem istius epistolæ non implicatur maioribus peccatis, nec bibit pro medicina venenum, qui est finis huius constitutionis. Ita Castrens. *loc. cit. part.* 4. *num.* 2. Sed verè hic sollicitator est, & denuntiandus cum *in const. Greg. XV.* §. 5. dicatur, quòd denuntiandus est, qui occasione confessionis sollicitare tentauerit ad inhonesta.

8. Aduerte etiam, quòd non est denuntiandus confessarius, qui sollicitatus à pœnitente ad copulam, renuit, contentus oblectari tactibus, & ad illos solùm fœminam prouocans. Nam iste non dicitur sollicitator, sed solùm in parte sollicitationi consentiens. Ita Castr. *tract.* 4. *disp.* 9 *part.* 5. *n.* 4. contra Ioannem Sancium contrarium sentientem.

9. Aduerte etiam, quòd in dicta constitutione Gregorij XV. prohibetur sollicitatio ante, vel post confessionem immediatè. Hæc autem talis dicitur, quando inter sollicitationem, & confessionem nihil aliud mediat, ita vt neque confessarius, neque pœnitens ad extraneos actus voluntariè, & cum mora sufficienti diuerterint. Ita Io. Sancius *disp.* 11. *num.* 49. Vnde, vt ante confessionem sollicitare dicatur confessarius, non est necesse, quòd confessio sequatur, sed sufficit, si pœnitenti accedenti ad confessionem, actus inhonestos persuadeat; porrigit enim tunc pro medicina venenum. Si autem pœnitens nollet statim confiteri, sed diceret confessario se velle confiteri in crastinum, & tunc occasione huius dicti confessarius confessionem dissuadeat, & de veneris tractet, talis sollicitatio non est proxima confessioni faciendæ, sed solùm est proxima conuentioni de confessione, ac proinde non delinquit in confessione, nec proximè ad illam, & sic non est denunciandus. Si autem pœnitenti volenti statim confiteri confessionem dissuadeat, animo eam postea alliciendi ad actus impudicos, an sit denunciandus, dubitari potest. Sancius *loco cit.* ex quo Cast. *tract.* 4. *disp.* 9. *p.* 7. *n.* 6. putat, quòd si animus non manifestatur pœnitenti neque verbis, neque factis, non est denunciandus, secus autem, si manifestatur; quia illa dissuasio sic declarata est vera inductio, & prouocatio ad peccatum. Si enim dissuadens confessionem, diceret pœnitenti, te illius amore captum, ideóque nolle eam confiteri, verè sollicitares.

10. Noto quartò, quòd circa const. 5. eiusdem Gregorij, quæ Conseruatorum Regularium formam, & facultatem decernit, ibi multa dixi, quibus hæc paucula nunc addenda existimaui. Et primum, quòd Conseruator non potest cognoscere nisi de notoriis iniuriis, vnde priùs debet pronunciare, delictum esse notorium. Quod adeò verum est, vt si per testes probetur, iniuriam esse commissam, sed non probetur; quòd fuerit notoria, eiusmodi probatio parti non nocebit. Innoc. *in cap. Statuimus, num.* 6. *de offic. deleg. in* 6. Et licèt Conseruator possit inquirere de occultis circunstantiis, quæ sunt accessoriæ notorio, non tamen potest inquirere de occulto facto, seu de occultis personis, quæ sunt principalia. Innoc. *loco citato.* Vnde fit, vt si is, qui iniuriam fecit, confitetur quidem illam, sed notoriam neget, Conseruator contra illum procedere possit, nam quamvis id non sit notorium facti euidentia, est tamen notorium per confessionem partis; *c. Vestra, de cohab. cler. & mulier.* Innoc. *loco citato*, vbi subdit, quomodò testes dicere debeant, vt notorium probari possit, nimirum, Scio factum esse notorium, quia interfui, & vidi, quando publicè in platea multis præsentibus fecit illud. Vel, ego quidem non vidi, quando fecit maleficium, sed vidi, quòd ductus fuit coram iudice, & interrogatus de maleficio non negauit, vel confessus fuit, quòd sic publicè fecerat. Vel si dicat: Audiui eum dicentem coram multis, se tale maleficium fecisse. Vel, Vidi eum fugientem post tale perpetratum maleficium. Quòd si delinquens delictum non fateatur, neque neget, sed solùm, ad vitandum Conseruatoris iudicium, dicat, iniuriam notoriam se parti non fecisse, eo casu poterit Conseruator super hoc summariè per viam inquisitionis procedere, & pronunciare; Gloss. *in cap.* 1. *de offic. deleg. in* 6. *verb. Conseruatores.* Cochier *de exempt. p.* 1. *q.* 39. *n.* 25. Si verò iniurians factum quidem fateatur, non tamen per iniuriam, sed iure, & benefactum asserat, hoc casu Conseruator iudicialem habebit indaginem, si non ex vi huius const. & iuris communis, saltem ex consensu partium. Ita Innoc. *in cap.* 1. *de off. deleg. in* 6. *num.* 7. vbi Glossa *verb. Conseruatores.*

11. Aduerte, quòd Conseruator, cum non habeat certum tribunal, potest locum electum ad ius dicendum intra fines suæ diœcesis, ad suum beneplacitum mutare, Cochier *de Conser. Eccles. p.* 2. *q.* 9. *num.* 2. Vide Auchar. *in cap. statutum* §. *In nullo num.* 1. *de rescript. in* 6.

12. Aduerte etiam, quòd possunt Conseruatores pœnis censurarum cohibere Ordinarium exercentem iurisdictionem suam in Regulares, *cap. Si iudex, de sent. excom. in* 6. Cochier *de exemp. p.* 1. *q.* 39. *n.* 27. vbi addit, dictos exercentes iurisdictionem suam in exemptos incurrere in excom. bullæ Cœnæ contra scienter, vsurpantes, & turbantes iurisdictionem S. R. Ecclesiæ; quod fusiùs probat *part.* 2. *de Conseru. Eccles. quæst.* 78. & 4. *part. de exempt. quæst.* 75. vbi addit *num.* 7. quòd non solùm incurrunt dictam excom. bullæ Cœnæ vsurpantes præfatam iurisdictionem, & eos defendentes, sed etiam eos, qui eam secum vsurpari, & se coram alio, quam Pontificali iudice, in ius trahi voluntariè patiuntur; cùm enim non trahantur inuiti, consilium, & fauorem præstare videntur. Quod etiam docet Nauar. *lib.* 1. *consil. de constit. num.* 81. Aduerte autem, quòd si Conseruator excommunicet contumacem, quem ex post facto constat fuisse iniuriatorem, sed non manifestum, excommunicatio non subsistit. Innoc. *in cap.* 1. *de offic. deleg. in* 6. *n.* 2. *vers. Sed quæres.* Aduerte etiam, quòd Conseruator potest ad executioni mandandas suas sententias, brachium sæculare implorare, seu familiam potestatis, vel Episcopi petere; nam alioquin posset eius auctoritas contemni. Ita Cochier *de exempt.* 4. *p. q.* 111. *à num.* 16. & iudex sæcularis tenetur suum brachium tribuere, iuxta *dict. suprà, c.* 6. *n. n.* 3. Vnde etiam sequitur, quòd possint Conseruatores delinquentes incarcerare, adque carceres damnare; habent enim merum imperium, & facultatem quasi ordinariam. Cochier *de Conser.*

Conseruat. Eccles. quæst. 97. num. 4. cum autem carceres non habeant, poterunt vti carceribus Episcopi, vel potestatis sæcularis, iuxta ea, quæ dixi de brachio sæculari *loc. cit.*

13. Aduerte etiam, quòd Conseruatores non possunt dare licentiam extrahendi quempiam ex loco sacro, etiam in casibus, in quibus immunitas Ecclesiastica non suffragatur; nam id ad solos Episcopos, vel eius Officialem priuatiuè quò ad alios spectat, vt constat ex const. *Cùm alias*, Gregorij XIV. quam refert Rodriquez *tom. 2. quæst. regul. quæst. 50. art. 3.* quem vide pro prax, quando aliquis malefactor confugit ad Ecclesias Regularium, & Curia sæcularis vult illum capere. Et qui gaudeant immunitate Ecclesiastica, & qui non, vide apud Cochier *de exem. p. 4. q. 65. à num 2.* Possunt tamen Conseruatores procedere aduersùs eos, qui confugientes ad Ecclesias Regularium violenter extrahunt. Nam isti sunt ipso facto excommunicati, per ea, quæ tradit Rodriquez *loc. cit. art. 2.* Cochier *de Conser. Eccles. part. 2. quæst. 31. num. 1.* & faciunt violentiam, & iniuriam manifestam. Non tamen incurrent hanc excommunicationem iudices sæculares, qui volentes inquirere, an malefactores, quos quærunt, sint in Ecclesiis, vel monasteriis Regularium effringerent portas Ecclesiæ, vel monasterij, si nollent Religiosi eas aperire. Nam, cum ius habeant inquirendi, an ibi sint tales malefactores, habent etiam ius ad omnia, quæ huiusmodi inquisitionem impediunt. Ita Rodriq. *loc. cit. art. 2. vers. Ex dictis infertur.* Cochier *loc. cit. num. 2.* Aduertit etiam Rodriq. *vers. Quartò*, quòd absoluere ab ista excommunicatione incursa propter dictam violentiam, possunt in foro conscientiæ Prælati Ordinis, cui violentia est facta, in foro verò fori pertinet ad Papam, vel ad Conseruatorem, vt constat ex iis, quæ dictus Rodriquez dicit *in prin. præfat. 2. art.* Et aduerte etiam vniuersaliter, quod Conseruatores possunt à censuris à se latis absoluere, *cap. Pastoralis, § Præterea de offic. ordin. c. Prudentiam, § fin. de offic. deleg.* Cochier *de Conseru. Eccles. q. 21. num. 1.*

14. Aduerte etiam, quòd Conseruatores non possunt exigere salarium; *cap. fin. § Circa munera, de offic. deleg. in 6. cap. Statutum, § Insuper, de rescript. eodem lib.* expensas tamen, quæ extra domicilium coguntur facere, possunt exigere, in quibus non tenebuntur deducere eas, quos domi erant facturi, *dict. § Insuper.* Cochier *de Conseru. Eccles. part. 2. quæst. 13. num. 1.* qui addit, quòd si adesset consuetudo (nam ius obstat, *cap. Cùm ab omni, de vit. & hon. cler. & dict. § Insuper, iuncta Gloss. verb. Qualiscumque*) possent exigere sportulas moderatas. Munera autem nullo modo accipere possunt, & si recipiant, tenentur restituere; possunt tamen recipere esculenta, & poculenta, quæ paucis diebus (id est tribus,) vt Menoch. *de arbitr. cas. 517. num. 9.* vel relinque arbitrio boni viri, considerantis personas recipientium, & dantium, & causæ qualitatem, iuxta Gloss. *in dict. § Insuper, verb. Paucis*, consumi possint, *dict. cap. Statutum, § Insuper.* Hæc tamen esculenta, neque omnino, neque semper, neque ab omnibus accipienda sunt, *l. Solent, ff. de offic. Proconsul.* Assessores autem, & Notarij Conseruatoris salaria moderata, iuxta causæ qualitatem, exigere possunt; *c. Statutum. § Assessorem, & § Notarium, de rescript. in 6.* Vide Cochier *de Conser. Eccles. quæst. 14. & 15.*

15. Si quæras, quid? quando duarum Religionum Fratres sibi inuicem notoriè iniurias faciunt, & sic singulæ ad suos Conseruatores recurrunt, obtinéntque aduersùs se inuicem inhibitiones, & censuras. Respondeo quòd hoc casu locus erit præuentioni; vt ille tantùm procedat, qui prior fuit aditus, & præueniens; *leg. vnica ff. de off. consul. cap. Cùm plures, de offic. deleg. in 6. iuncta Gloss. in sum. & marginali ad verbum recusaret.* Cochier *de Conser. Eccles. quæst. 11. num 5.* Ne se tamen mutuò impediant, satius erit Romam recurrere, Mandos. *de sign. grat. tit. Conseruatoria, vers. An autem circa*, Cochier *de exempt. part. 1. quæst. 39. n. 16.* Vel etiam possunt eligi arbitri, qui quæstionem iurisdictionis decernant, *cap. Pastoralis, cap. Cùm contingat, de rescript.* & insinuatur *in constit. 5. Gregor. XV. § 7. tom. 2. nostr. priu.*

16. Sed quid, si Conseruator excedat terminos suæ iurisdictionis? Respondeo quòd si excedat contra iudicem Ecclesiasticum, poterit hic suam iurisdictionem censuris tueri; *cap. Dilecto, de sent. excom. in 6. cap. Ex parte, el primo, de verb. signif.* eo enim casu officij sui cancellos prætergrediens habendus est tanquam priuatus. Nau. *in cap. Cùm contingat, de rescript. remed. 4. num. 2. ver. Quintò quòd*, Cochier *de exempt. part. 1. quæst. 39. num. 35.* Si verò excedat contra iudicem laicum, poterit hic suam iurisdictionem tueri, dictum Conseruatorem puniendo congruis pœnis. Nam iudici permittitur iurisdictionem suam defendere, *dict. cap. Dilecto, de sent. exc. & dict. cap. Ex parte, de verb. signif.* Ita Cassan. *de consuet. Burgund. rubr. 1. § 5. à num. 85.* Innoc. *in cap. Olim, el primo, de restitut. spol. num. 8. & in cap. Dilectus, de pœnitent. num. 2.* Nam, inquit, concessa iurisdictione, conceduntur ea omnia, sine quibus dicta iurisdictio exerceri non potest, *cap. Pastoralis, in princip. cap. Præterea, de offic. deleg. leg. 2. Digest. de iurisdict. omn. iud.* Et si cupis scire, in quibus casibus iudex sæcularis potest cognoscere de causis Clericorum, adi G. Bened. *in cap. Raynuntius, verb. Et vxorem nomine Adelasiam, à num. 459.* Fillius. *tom. 1. tract. 16. cap. 10. à num. 262.* Cassan. *de consuetud. Burgund. rubr. 1. § 5. à num. 47.* Sessom nostrum *de inhibit. cap. 8. § 2. à num. 3. & § 4. à num. 29. Et § 3. eiusdem cap. 8. num. 98.* in specie ait, quòd iudex Ecclesiasticus potest expelli à regno, & iure originis priuari, si violentiam inferat, vel sit iniuriosus, & molestus vassallis Regis, vel si est turbator pacis. Et *num. 101.* ait, hoc non esse contra excommunicationem 12. bullæ Cœnæ. Nam hæc intelligitur, quando sine causa expelluntur. Sed hanc Sessæ doctrinam non habere locum extra Hispaniam, censuit Cochier *de exempt. part. 1. quæst. 29. in fine.* Pij Principes in hoc casu curant, vt iudex Ecclesiasticus per suum Superiorem corrigatur, & amoueatur.

17. Nota etiam circa hanc constitutionem declarationem sacræ Congregationis tenoris sequentis. *Cùm in constitutione Gregoriana de Conseruatoribus, edita ex sententia Congregationis Cardinalium, Concilij Tridentini Interpretum, non explicetur, an Episcopi, & eorum Vicarij Generales eligi possint in Conseruatores Regularium; Procurator Generalis Ordinis Carthusiensium supplicat, vt declaretur.*

Primò, an ipsi Episcopi, & eorum Vicarij Generales possint eligi in huiusmodi Conseruatores necne?

Secundò, an si vnum, & idem monasterium habeat bona in diuersis Diœcesibus, eligendi sint Conseruatores in vnaquaque Diœcesi, an verò vnus tantùm sufficiat? Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, ad primum respondit, posse. Ad secundum censuit, Conseruatorem esse deputandum in ciuitate, vel Diœcesi, vbi situm est monasterium, atque ibi tantùm, & non alibi posse eundem Conseruatorem procedere, etiam in causis bonorum, ac membrorum eiusdem monasterij, extra ipsam Diœcesim existentium. Romæ anno 1623. die 23. Octobris. S.E. Cardinalis Vbaldinus. Hanc declarationem dedit mihi Massobrius, & pro materia Conseruatorum vide Barbos. *de potest. Episcopi, alleg. 106.*

18. Noto quintò, circa *const. 6. Gregor. XV*, quòd

num. 1.

*num.*1. dicebam, Regulares posse per priuilegia Apostolica, absque licentia Ordinarij, propter aliquam causam mutare monasterium de loco minùs commodo ad locum magis commodum. Atque ita docent Mitand. *tom.* 1. *man. q.* 33. *art.* 2. *conclus.* 2. Pottel. *in dub. reg. verb. Monasterium, num.* 7. Barbos. *de potest. Episc. part.* 2. *allegat.* 26. *num.* 8. & 9. Rodericus *in resolut. regul. resolut* 55. *num.* 4.

CONSTITVT. I. aliàs VII.

Quâ concedit, quòd Reuerendissimus Pater F. Franciscus de Mayda, electus in Episcopum Lauellensem, possit continuare in officio Generalatus vsque ad Capitulum Generale.

GREGORIVS PAPA XV. Dilecto filio Francisco electo Lauellensi Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Concedit prout in summario.

§. I.  *Vm nos nuper Ecclesiæ Lauellensi certo tunc expresso modo Pastoris solatio destituta de persona tua, nobis, & venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, duxerimus prouidendum, teque illi in Episcopum præfecerimus, & Pastorem, & propterea cupientes pro nostro pastorali, paternóque affectu, quem ad Ordinem Fratrum Minimorum S. Francisci de Paula, cuius hactenus Corrector Generalis fuisti, gerimus, opportunè prouidere, ne idem Ordo interim, donec nouus Generalis eligetur, rectore, & administratore careat; supplicationibus quoque dilecti filij nostri Caroli Sanctæ Mariæ in Dominica Diaconi Cardinalis Medicei nuncupati, tuo nomine nobis humiliter porrectis inclinati, volumus, & tibi Apostolica auctoritate per præsentes cõcedimus, vt etiam dictæ Ecclesiæ Lauellensis Præsul existens, ipsum Generalatus officium, vt priùs, vsque ad capituli generalis proximè futuri celebrationem inclusiuè prosequi, exercere, administrare, & continuare, ac in eodem capitulo generali vocem actiuam habere, necnon omnia, & singula, quæ antequam dictæ Ecclesiæ Lauellensis Præsul esses, ratione eiusdem Generalatus officij in dicto Ordine facere, mandare & exequi poteras in futurum quoque, vt præfertur, facere, mandare, & exequi liberè, & licitè possis, & valeas in omnibus, & per omnia, perinde ac si de præsenti etiam Corrector generalis existeres.*

Mandat omnibus illi obedientiam exhibere.

§. II. Mandantes omnibus, & singulis dicti Ordinis prioribus, tam Prouincialibus, quam particularibus, aliisque Officialibus, necnon Fratribus, Monialibus, & Sororibus in virtute sanctæ obedientiæ, vt tibi, mandatisque tuis nunc, & imposterum, donec noui Generalis huiusmodi electio inclusiuè fiat, vt antea, reuerenter pareant, & obediant, alioquin sententiam, siue pœnam, quam ritè tuleris, seu statueris in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, vsque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari.

Derogat contrariis.

§. III. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis necnon dicti Ordinis, & iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, illi, eiusque Superioribus quomodolibet concessis, & confirmatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenoribus præsentibus, pro plenè & sufficienter expressis habentes; illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die 17. Aprilis 1621. Pontificatus nostri anno 1.

1. NOta primò, quòd hanc constitutionem posui, vt esset in exemplum posteritati. Cæterum magis expediens, & vtile Religioni puto, vt statim ac quis electus est ad dignitatem extra eam, à Religione exeat, iuxta priuilegia Religionibus concessa. Nam isti sic electi communiter nullum beneficium Ordini conferunt, saltem quò ad temporalia.

2. Nota secundò, quòd Religiosus factus Episcopus non potest secum quicquam deferre ex his, quæ in Religione habebat, siue fuerint propria industria, siue ex patrimonio acquisita. Constat *ex cap. Statutum*, 18. *quæst.* 1. Ex quo etiam colligit Suarez *tom* 4. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 21. quòd non potest dicta bona retinere, etiam quò ad vsum, vel vsumfructum, vt postea restituantur monasterio tempore mortis. Quòd si conuentus velit suo Episcopo benignè concedere aliqua bona, debet illa inuentariare ante consecrationem manu publici Notarij, & sic inuentariata manu eiusdem Notarij concedere, cum pacto expresso, vt post mortem eius ad conuentum redeant. Nam alioquin erunt Cameræ Apostolicæ, vt fuerunt libri concessi huic Episcopo Lauellensi in cap. Generali Romæ 6. celebrato, defectu dicti inuentarij; quod est notandum & ita docet Ludouicus à Valle *in praxi Collect. part.* 1. *cap.* 8. *num.* 4. & 5.

CONSTIT. II. aliàs VIII.

Quâ mandat, vt nullus eligatur in Commissum ad Capitulum Generale destinandum, qui per tres annos continuòs, immediatè antecedentes dictam electionem, non fuerit localiter commoratus in Prouincia, in qua eligendi sunt Commissi.

HIPPOLYTVS MISERATIONE diuina S. Mariæ nouæ Diaconus Cardinalis Aldobrandinus Protector.

C*Vm aliàs Sanctitati D. N. placuerit, protectionis curam huiusce Minimorum Religionis nobis committere, pro viribus curare debemus,*

debemus, vt regimen negotiaque dictæ Religionis ad honorem diuinæ Maiestatis, iuxta Regularem obseruantiam, ipsiusque Ordinis progressum conducantur. Quamobrem in primis cupientes, vt in generali Capitulo Commissi Patres instructi, & experti in negotiis suarum Prouinciarum reperiantur. (cum præcipuè ad eos spectet dictarum Prouinciarum negotia capitulis Generalibus exponere) hoc inter alia remedium arbitrati sumus opportunum, constituere de mente Sanctitatis suæ, eiusque speciali mandato, vt dicti Commissi, qui tam in proximo generali capitulo, quàm in aliis subsequentibus in posterum celebrandis interuenient, locales, & conuentuales in eadem Prouincia commorasse debuerint per tres annos continuos immediatè præcedentes capitulum Prouinciale, in quo eligendi sunt, vt ad prædicta capitula generalia mittantur. Saluis in reliquis statutis, & ordinationibus super hoc emanatis. Quòd si aliqui capitulorum generalium Commissi aliter, quàm hic præscribitur, & mandatur, imposterum electi fuerint, eorum in electionem ex nunc, prout ex tunc, irritam, & nullam declaramus, eosque à dictis capitulis generalibus excludendos decernimus, & excludimus, vltra pœnas electoribus per nos, aut capitula generalia prædicta ad arbitrium infligendas. Datum Romæ in ædibus nostris, die 26. mensis Iuly, Anni 1622. Hippolytus Cardinalis Aldobrandinus Protector, &c.

1. Nota, quòd non intelligitur de naturalibus Prouinciæ. Vnde hi etiamsi non fuerint locales per tres annos immediatè, possunt optimè in Commissos eligi. Moueor. Tùm quòd hi sunt instructi de negotiis suæ Prouinciæ; qui est finis huius constitutionis, etiamsi per aliquod tempus ab iis abfuerint; & talis videtur esse mens Emin. Protectoris. Tùm quia cum *in cap. Antuion. 2. num. 20.* statutum esset, quòd nullus in aliena Prouincia in Correctorem illius eligeretur, qui per annum integrum non fuisset in ea commoratus, deinde *in cap. seq. Barchin. 2.* celebrati, *num. 25* declaratum fuit, id esse intelligendum de his, qui in ea Prouincia nunquam fuerunt locales. Tùm quia statutum hoc odiosum est, & ideo restringendum. Vnde *in cap. Rom. 7. sess. 11.* circa hoc decretum dubitatum est, & decisio remissa Eminentissimo Protectori.

2. Quæras etiam, an qui renuntiauit Collegatui Prouincialis, possit eligi in Commissum ad Capitulum generale. Respondeo affirmatiuè. Primò; quia Commissatus non est neque superius, neque æquale officium Collegatui, vt requirit statutum illud factum ab eminentissimo Protectore Aldobrandino de consensu Patris Generalis *anno 1626. die 8. Aprilis*, quod refero *tom. 2. Religiosi. quæst. 1. cap. 4. num. 104.* illis verbis: *Declaramus, quod quicunque Frater dicti Ordinis ad aliquam dignitatem, vel officium fuerit assumptus, si huic renuntiauerit, illum ad aliud æqualis, vel etiam superioris, qualitatis officium toto tempore, à Regula officio, cui renuntiauit, præfixo, assumi non posse.* Sed est officium multò inferius; nam non habet, nisi simpliciter votare in capitulo generali, absque vlla dignitate, vel personatu: Collega autem est comparticeps officij cum suo Prouinciali, vnde habet dignitatem cum iurisdictione, & continuum personatum. Deinde Collegatus durat per triennium; Commissatus non durat nisi per octo dies, seu paulò plus, quantum durat capitulum generale. Collegatus præterea habet vocem in capitulo Prouinciali, & de ordinatio Collegæ sunt Definitores, vnde habent votum in omnibus capitulis intermediis. Præterea Collega est exemptus à iurisdictione Correctorum, Commissus nequaquam. Vnde, cum sit inferius, cessat finis dicti statuti, quod factum est, vt in eo dicitur: *Vt omnis ambitiosis aditus Fratribus præcludatur*; ambitio enim, vt superbiæ filia, semper ascendit. Secundò. Quia statutum illud pœnale est, vt patet, quia ponit pœnam, ideò strictè interpretandum est, & non extendendum vltra casus expressos, inter quos non est iste, quòd renuntians Collegatui Prouincialis non possit esse Commissus. Tertiò. Quia particula illa, *ita vt*, posita in dicto statuto, est præfati statuti declaratiua, vt docet Bubof *de diction. dict. 184. num. 3.* Hanc sententiam certam omnino reddidit declaratio sacræ Congregationis Concilij tenoris sequentis. *Eminentissimi, & Reuerendissimi Domini. Capitulum generale Ordinis Minimorum vltimò celebratum, decreuit, vt quicumque Religiosus dicti Ordinis ad aliquam dignitatem vel officium fuerit assumptus, si illi renuntiauerit ad aliud æqualis, vel etiam superioris qualitatis, toto tempore à Regula officio, cui renuntiauit, præfixo non assumatur sed toto residuo officij tempore subditus remaneat. Ex quo decreto orta est difficultas, vtrum Corrector localis vel Collega Prouincialis, officio suo renuntiantes possint eligi in Commissos ad capitulum generale destinandos. Quare dignentur huiusmodi difficultatem Eminentia vestra aperire. Die 4. Februarij 1634. Sacra Congregatione Cardinalium Concilij Tridentini interpretum, secundùm ea, quæ proponuntur censuit, huiusmodi decretum non obstare. Robertus Cardinalis Vbaldinus. Franciscus Paulutius sacræ Congregat. Concil. Secretarius.*

3. Quare nullo modo videtur admittenda extensio, quam facit Isnardus *verbo renuntiatio.* Non enim statutum loquitur de subiectione, sed solùm quòd qui renuntiat, non possit habere officia, nisi expleto tempore, quo duraturum erat officium renuntiatum. At remanere subiectum post officium expletum tantùm, quantùm durauit officium, & non posse habere officia toto illo tempore, quo duraturum erat officium, sunt diuersa, à quibus iure non fit illatio. Adde, quòd statutum clarè loquitur, ita enim. *Sed toto residuo officij tempore subditi remaneant.* Itaque cum statutum non petat, nisi vt remaneat subditus, qui officio renuntiat toto tempore, quo debebat esse Superior, non est vltra illud tempus extendendum.

CAPVT VIII.

De addendis ad Constitutiones Vrbani VIII.

1. Noto primò, quòd *in constitutione 6. Vrbani VIII.* dicebam, Patres Calabros habitantes Romæ in conuentu sancti Francisci de Paula, posse permittere, vt in eodem conuentu Fratres aliarum nationum localiter commorentur. Nam in omnibus priuilegiis intelligitur clausula: *Quatenus pars vti velit.* Atque ita, præter Doctores ibi adductos, hoc docet Sigism. *in Addit. ad dub. 120. in tract. de elect.*

2. Et si quæras, an potuerit Ioannes Pizzullus obligare Religionem, vt in dicto conuentu non habitarent, nisi Patres Calabri? Respondeo de hoc non posse esse dubium. Cùm enim esset Dominus rerum suarum, eas cuicumque volebat, & sub qua-

cumque

cumque sibi placita conditione donare poterat. Verùm quidem est, quòd poterat Religio dictam donationem sic con ūtonatam non acceptare, sed post acceptationem de iute naturæ seruare, tenetur, *cap.* 1. *de pactis*.

3. Quætes etiam, an Pater Genetalis possit in dicto collegio locare aliquem Lectorem non Calabrum, ad hoc vt studentes in dicto collegio commorantes doceat? Respondeo non posse. Nam Fundator clarè determinauit, vt in dicto collegio solùm habitarent studentea dictæ nationis; nomine veiò studentium veniunt non solùm Scholares, sed, & multò magis, Lectores, cum par sit studium docendi, atque discendi, *leg.* 2. *Cod. de excus. artific. lib.* 10. & pariter debent studere, Lectores pro docendo, & scholates pro discendo; cum Doctores legendo studeant, & peritiores fiant, *leg.* 2. *Cod. de excus. artif. cit.* vbi Gloss. *verb. Fieri*, pont hos versus.

Discere si quaris, doceas, sic ipse doceris.
Nam studio tali tibi proficis, atque sodali.

Atque ita docent Abbas *in proœm. decret. num.* 7. vbi Felin. *num.* 2. qui concludunt, quòd appellatione studentium in fauorabilibus veniunt etiam Lectores, & quod esse certum dicit Felin. ex communi vsu loquendi.

4. Noto secundò, quòd *in constitut. 9. Vrbani VIII.* quæ est decretum Congregationis de celebratione missarum, iubentur omnes Superiores locales sub pœna priuationis officiorum ipso facto incurrenda, bis in anno, scilicet feria secunda post primam Dominicam Aduentus, & feria sexta post octauam Corporis Christi eutate, vt in publica mensa dicta decreta legantur. Circa quod quæto: An remaneat Superior priuatus, qui eo die determinato non facit legi dicta statuta ex negligentia, vel inconsideratione, vel ignorantia, sed legi facit post mensem, verbi gratia, respondeo quòd dicta statuta determinatis diebus legi debent, quòd si non legantur, legi debent die sequenti, & sic deinceps. Non enim ponitur terminus ad finiendam obligationem, sed ne dilatetur executio. Quare, transacto assignato termino, non cessat obligatio, *leg. Celsus, Digest. de recept. arbitr. cap. Cùm dilecti*, §. *Praterea, de dolo, & contum.* Vnde cum pœna priuationis non sit statuta ad canonizandum diem ibi præfixum, sed solùm ad obligationem inducendam lectionis dictatum constitutionum, ne vllo vnquam tempore in obliuionem, aut desuetudinem abeant, quod est finale motiuum dictæ lectionis, dicendum est, quòd qui ex ignauia, seu negligentia, vel obliuione dictas constitutiones diebus præfixis non curauerit legi, non incurret dictam pœnam, si alio tempore, post mensem verbi gratia termini præfixi, legi faciat, facturus legi in termino statuto, si meminisset, vel sciuisset. Vbi namque quis facit sine culpa contra legem præcipientem, vel prohibentem aliquid fieri, pœnam non meretur. Sed ignorantia, inconsideratio, negligentia non crassa, quæ est causa, cur non impleatur præceptum, excusat à culpa omnino, vel multum minuit, iuxta doctrinam D. Thom. 1. 2. *quæstione septuagesima sexta, articulo tertio & quarto*, ergo etiam à grauissima priuationis pœna. Atque ita in simili docent Ledesm. *tomo secundo, sum. tractatu primo, capite quarto, conc.* 10. *dubio tertio.* Naoar. *libro secundo, consil. de iure iurand. consilio vndecimo, numero primo*, Filliucius *tomo tertio, tractatu quadragesimo primo, capite sexto, numero decimo*, Azor. *parte secunda, libro septimo, capite secundo, quæstione quinta.* Scottia *in selectarum bull. epit.* 84. *theor.* 207. *vers. Quærenti*, Sigism. *de elect. dub.* 50. *num.* 6. Vgol. *de potest. Episc. cap.* 50 §. 16. *num.* 1. Paris. *de resign. lib.* 10 *quæst.* 11. *num.* 12. Garcia *de benef. part.* 3. *cap.* 3. *num.* 29. Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 5. *num.* 5. Adde, quòd pœnæ constitutionum Pontificalium solent esse moderatæ, ita vt delicti mensuram non excedant, ad illud Deuter. 16. *Iuxta mensuram delicti, sit & plagarum modus.* At culpa, cur non legantur dicta decreta die præfixa, prouenit ex ignorantia, inaduertentia, & negligentia, quæ suppletur altero die, nec graue peccatum est. Ergo pro ea non est imponenda tam grauis pœna, qualis est officij priuatio. Adde, quòd posset etiam quis excusari à lectione dictarum constitutionum die præfixo, si eo die in conuentu fieret aliquod magnum festum, & in refectorio adessent deuoti sæculares, vel si Religiosi iuissent ad processionem, vel ad sepeliendum mortuos, & non possent omnes adesse; quibus stantibus, decerneret Superior dictas constitutiones non legere eo die, sed differre in sequentem, putans id sibi iis casibus licere, alioquin legi facturus. Nam qui bona fide transgreditur legem humanam, putans se habere iustam causam transgrediendi non peccat, nec pœnas transgressoribus impositas incurrit, quando de iusta causa constat, iuxta D. Thom. 1. 2. *quæst.* 96. *art* 6. *corp.* & 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 3. quem cum communi sequuntur, Nau. *in man. cap.* 23. *n.* 43. & *lib.* 2. *consil. de iureiurand. consil.* 12. *num.* 2. Sayr. *in decis. tit. de sum. Trinit. decis.* 3. Rodriquez *tom.* 2. *quæst. reg. quæst.* 72. *art.* 3. Iusta autem causa est, propter quam legislator, si præsens esset, eum excusaret, vel quæ bona fide pro iusta habetur, & ob quam, nisi talem eam iudicaret, contra legem non faceret. Ita Nauar. *in man. loc. cit.*

An subditus teneatur monere Superiorem de dictis statutis legendis, & quo iure. Respondeo affirmatiuè ratione iustitiæ, ex eo quod Prælatus, & subditus debent eodem iure censeri, Prælatus autem ratione iustitiæ tenetur adiuuare subditum suum quantum potest, vt probaui *tom.* 2. *Pral. quæst.* 1. Vnde collige, quod Subditus scienter omittens monere Prælatum suum, vt die statuta legi faciat dicta decreta, mortaliter peccat propter graue damnum, quod ex sua omissione malitiosa infert Prælato suo, vnde potest, & debet à Superiore puniri.

5. Noto tertiò, quòd circa *constit.* 10. *Vrbani VIII.* in qua ponuntur ordinationes pro Regularium reformatione, *n.* 10. dicebam, quòd nõ poterant Prælati regulares præcipere aliquid sub pœna excommunicationis ipso facto, & absolutionem sibi reseruare. Quod deinde reperi fuisse statutum à sacra Congregatione Regularium his verbis: *Cùm à nonnullis Regularibus dubitaretur, an in decreto fel. rec. Clement. Papa VIII. anno* 1593. 26. *Maij super qualitate casuum ab eorundem Regularium Superioribus reseruandorum edito, censura etiam comprehenderentur, ita vt iisdem Superioribus reseruandorum edito, censura etiam comprehenderentur, ita vt iisdem Superioribus, absque capituli generalis, aut Prouincialis consensu, aliquibus peccatis in decreto huiusmodi non contentis excommunicationem annectere, eiusdemque absolutionem sibi reseruare liceat? Sacra Congregatio Cardinalium, negotiis Regularium præpositorum, Illustrissimo Bandino referente, censuras in supradicto decreto comprehendi censuit. Roma* 7. *Iuly* 1617. *A. Mar. Episc. Hostiens. Cardinalis Gallus, V. Theatin. Secret.* Ita refert Chokier *de exempt. p.* 4. *q* 56. *fine.* Pro qua sententia plurimos citat Diana *tom.* 3. *tract.* 2. *resol.* 49.

6. Hic aduertas velim ad vnum bonum punctum, quòd si subditus petat à Prælato facultatem casuum reseruatorum pro vna persona, potest ille subditus dicta facultate passiuè vti pro persona sua. Ita Alphonsus Leo *de offic. confess. tom.* 2. *resolut.* 6, *num.* 131.

Villalob. *in sum. tom. 1. tract. 9. diffic. 64. num 4.* apud Diaoam *tom. 3 tract. 4. resol. 142. vers. Sed ponam*, qui eandem opinionem sequitur.

7. Aduerte etiam, quòd *ibid. num. 12.* dicebam, vota vitæ quadragesimalis, & obedientiæ in Ordine nostro non esse ampliùs reseruata. Sed postea exiit declaratio sacræ Congregationis tenoris sequentis. *Sacra Congregatio Cardinalium, negotiis Regularium præposita, censuit, absolutionem a transgressionibus votorum, etiam obedientia, & vita quadragesimalis, vtique Prælatis eiusdem Ordinis ad præscriptum Regula esse, reseruatam, & decreto fa. me. Clementis VIII. dispositionem eiusdem Regula hoc in parte minimè sublatam fuisse. Romæ die 22. Augusti 1631. Frater Antonius Cardinalis S. Onuph. P. Fagnanus Sec.* Propter quam non puto recedendum à dictis, tùm dicto loco priuilegiorum: tùm *tom. 2. Prælati, quæst. 3. cap. 2. num. 14.* Tùm quia dictam declarationem authenticam non vidi. Tùm quia, si est vera, fundiùs eneruata est constitutio Clementis VIII. de casuum reseruatione, statui Regularium ita proficua. Potuerunt enim ad libitum sibi Prælati quoscumque casus reseruare, cuilibet apponendo meritum sanctæ obedientiæ. Tùm quia esset omnino contraria prædictæ declarationi factæ *anno* 1617. si enim per illam non potest Prælatus præcipere sub pœna excommunicationis, & eam sibi reseruare, cur hic poterit sub merito obedientiæ, & eam reseruare? Tùm quia dicta declaratio non erat necessaria; cum haberet Religio remedium absque tali declaratione, si enim est vtile in Religione, vt puto, vt dicta vota sint reseruata, cur id non est factum in aliquo capitulo generali ad mentem dictæ constitutionis Clementis VIII. Vnde puto, Congregationem fuisse malè informatam; illius tamen auctoritati defero, si bene informata ita declarauit; licèt huiusmodi declarationes, etiam authenticæ, non faciant rem omnino certam, quando non sunt factæ speciali assensu Papæ. Quare tutius puto, vt hoc declaretur in capitulo generali, si sit Religioni vtile. Nec quicquam obstat dictis illa distinctio, quod decretum Clementis non intelligatur de casibus reseruatis à iure, sed tantùm de reseruatis ab homine. Nam hæc distinctio est omnino gratis inducta, nec vllum habet vestigium in dicto decreto, imò est omnino contra mentem illius, quæ est animabus subditorum fauere. Cùm ergo lex simpliciter loquens sit simpliciter intelligenda, *l. 1. §. Generaliter, ff. de legat. præst.* & vbi ea non distinguit, nec nos distinguere debeamus, *l. De pretio, ff. de public. in rem action.* & ea interpretatio sit sequenda, quæ magis fauet animæ, vt dico hic *suprà, cap. 1. num. 10.* illa distinctio est omnino reiicienda. Tandem cum illa distinctio sit multùm triuialis, quam non ignorabat doctissimus Pontifex, certè si solùm intendisset loqui de casibus reseruatis ab homine, cum id vno verbo potuisset dicere, non tacuisset, relinquendo Regularibus quæstionem in præiudicium animæ. Denique, si solùm de dictis casibus reseruatis ab homine decernere intendisset, ad quid tot diligentiæ? ad quid videre omnes casus reseruatos Regularibus à Regula? ad quid illa Regularum quò ad hoc derogatio? Scio, quòd secundùm Doctores, Bonac. *tom. 3. de cens. disputat. 1. quæst. 10. part. 2. num 13. vers. Ad secundum respondebis*, lex simpliciter loquens, & non distinguens, adhuc distinctionem, & limitationem admittit. Sed id intelligitur, quoties ratio ita postulat, aut formalis verborum significatio; Sed in nostro casu neutrum adest. Adde, quòd non est certum, quòd quatuor vota in Ordine nostro sint per Regulam ipso iure reseruata. Nam in Correctore *num. 86.* dicitur, *quorum absolutio reseruabitur* non autem, sit reseruata; illud autem, *reseruabitur*, in futuro tempore interpretatur Noster Trimarchi, id est poterunt sibi Prælati reseruare.

8. Noto quartò, quòd in eadem constitutione, §. 102. ordinatur, quòd Superior conuentus habeat librum, in quo registretur vniuscuiusque Nouitij professio; qui liber sic retentus à Superiore, & subscriptus à professo cum duobus testibus, omnino probat in iudicio, & extra, professionem Fratrum, vt Mandos. *ad reg. 8. cancel. quæst. 8. num. 4.* Passar. *in Schol. ex Barchin. num. 12.* Imò etiamsi non sit subscriptus à Fratribus, modò sit subscriptus ab aliquo Officiali conuentus ad hoc specialiter deputato, similiter probat, vt Mandos. *ad reg. 18. cancell. quæst 9. num. 4. & quæst. 10. num. 4* Gratianus *tom. 4. disceptat. forens. cap. 640. num 7.* Hercul. *in respons. ad Serenissimam Etruriæ, num. 467.* & habetur *in cap. Ad audientiam, §. Nos igitur de præscript.* Ad istos enim libros recurri solet, tanquam ad speculum; Hercul. *ibi, num. 201.* cum præsertim sit consuetudine obtentum, vt dictis libris sic confectis plena fides adhibeatur; Hercul. *num. 352. & 467.* & habetur *in cap. Cùm dilectus, de fid. instr.* Est enim hic liber, vt liber Rectoris Ecclesiæ, ex quo probatur natiuitas, & mors; Mandos. *ad regul 18. quæst. 10. citat.* Adde, illam esse optimam praxim, quam seruant aliquæ Religiones, vt non solùm scribatur annus, mensis, dies, & hora professionis, sed etiam annus, mensis, dies, & hora indutionis dictorum nouitiorum. Cùm enim, qui non Religionis amore, sed panis caritate ad Religionem veniunt, esurientem repleuerint ventrem, murmurant, ac impinguati recalcitrant, & antiquarum miseriarum obliti, nauseantes cœleste Religionis manna, in Ægyptum sæculi cephas cum Iudæis esitaturi, reuerti, vanis prætextibus, quòd annum professionis non expleuerint, prætendunt; quibus, fateor, salua conscientia, portæ omnes essent aperiendæ, & pulsantibus campanis extra conuentum associandi.

CONSTIT. I. aliàs II.

Vrbani VIII. quâ dat formam eligendi Generalem Minimorum in casu mortis Generalis præteriti.

VRBANVS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

VT ea, quæ pro personarum quarumlibet, præsertim Regi sæculorum obsequiis sub suaui Religionis iugo Altissimo famulantium prospero, felicique regimine facta fuisse dicuntur, vt firma perpetuò, & illibata persistant, libenter, cum à nobis petitur, Apostolicæ confirmationis patrocinio communimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Sanè nomine dilecti filij Ægidij Camart Correctoris Generalis Ordinis Fratrum Minimorum S. Francisci de Paula nobis nuper expositum fuit, quòd aliàs pro felici eiusdem Ordinis directione, & præsertim illius Vicarij Generalis electione, nonnulla statuta condita fuerunt tenoris subsequentis, videlicet. Prooemium.

§. I. Primò statutum fuit in capitulo Generali eiusdem Ordinis habito Paulæ anno 1535. Antiqua Ordinis statuta in casu mor[tis]

auctoritate

ris Generalis, & quòd antiquior Collega nūc sumat sigilla.

auctoritate Apostolica confirmato, quòd si contingeret (quod Deus auertat) Reuerendissimum Patrem Generalem diem claudere extremum, fiat de Vicario Generali electio per eiusdem Generalis Socios cum Reuerendissimo Patre Prouinciali illius Prouinciæ, in qua morietur, vel ei proximioris, si extra Prouinciam quandam morietur, à Sociis illius, & Correctore locali, vbi morietur, vel proximioris conuentus. Qui omnes simul prædicti electores de toto gremio Religionis vnum in Vicegeneralem vsque ad proximum capitulum generale celebrandum eligant, ita tamen quod nullus prædictorum eligentium ad prædictam officium assumi valeat. Hic autem in prædictum Vicarium, etiàm pro quocumque tempore, assignatus, in Generalem immediatè, & postmodùm reeligi, & deputari valebit. Deinde in vltimo generali capitulo eiusdem Ordinis habito Romæ in conuentu Sanctissimæ Trinitatis anno 1623. sessione 10. quæsitum fuit: An in casu mortis Reuerendissimi Patris Generalis (quod absit) standum esset in numero electorum, iam ab aliis capitulis deputatorum; an potiùs idem numerus esset augendus? Et variis hinc inde discussis rationibus tandem negotium remiserunt Patri Generali, qui vnà cum suis Collegis, consulto etiam Illustrissimo Protectore, determinarent quid esset agendum. Quapropter, facta circa hoc matura consideratione, prout infrà, statuendum consentaneum duximus. Dispositio circa electionem Vicarij Generalis. *Primò. De morte Generalis, & quis erit eius Vicarius vsque ad electionem? Patre Generali claudente diem extremum, continuò antiquior ex Collegis, qui tunc præsentes aderunt, accipiat vtrumque sigillum Ordinis, & Vicegeneralis fungatur officio tantisper, donec cum Patribus electoribus ad electionem Vicarij generalis procedatur.*

Dictus antiquior Collega moneat omnes Prouinciales de morte Generalis.

§. II. Secundò. De monendis Superioribus Ordinis circa mortem Generalis. Præfatus Pater Collega in Vicarium institutus, vt primum mors Patris Generalis acciderit, notam illam faciat omnibus Prouincialibus Ordinis, tùm vt debitæ orationes, & sacrificia pro anima defuncti afferantur, tùm vt electores futuri Vicarij Generalis præparent se ad electionem faciendam.

De potestate Collegarū, vacante Generalis sede.

§. III. Tertiò. De potestate Collegarum, sede Generalis vacante. Quandiu sedes Generalis vacabit, non poterunt Collegæ vllam visitationem facere, neque instituere vllos Prouinciales, aut alios Superiores, neque illos deponere. Non poterunt etiam vlla statuta condere, vel aliquem Fratrum priuare, aut rehabilitare, neque vllam rem magni momenti expedire, sed omnia reseruabuntur Vicario Generali futuro. Poterunt autem vrgentia negotia, & quæ celerem resolutionem requirunt, expedire, Fratresque scandalosos punire.

Electores Generalis erunt quatuor ex qualibet natione.

§. IV. Quartò. De electoribus Generalis. Ex qualibet natione Italia, Gallia, & Hispania quatuor Patres conuenient ad locum destinatum cum tribus Patribus Collegis Generalis prædefuncti, vt eligant simul Vicarium Generalem, nempe duo Prouinciales, & duo Commissi ex qualibet natione.

Prouinciales electores sint primò antiquiores cuiuslibet nationis.

§. V. Quintò. De Prouincialibus, & quomodo assumi debeant. Porrò Prouinciales assumentur secundùm ordinem antiquitatis Prouinciarum, mutando de sexennio in sexennium, iuxta seriem dictarum Prouinciarum. Exempli gratia, in hoc sexennio habebunt ius electionis pro Italia Patres Prouinciales sancti Francisci, & Messanæ; pro Gallia Turonensis, & Franciæ; pro Hispania Granatensis, & Castellæ: in futuro autem sexennio duo alij Prouinciales Prouinciarum proximè succedentium in qualibet natione secundùm antiquitatem; & ita deinceps de sexennio in sexennium, donec impleatur numerus Prouinciarum cuiuslibet nationis. Poterunt autem Prouinciales, quibus continget in suo ordine interesse electioni Vicarij Generalis causa euidentis infirmitatis substituere Vicarium, prout fit in capitulo generali.

Collegæ Generalis absentes, & infirmitate detenti possunt alium loco suo, eiusdem nationis substituere.

§. VI. Sextò. De Collegis Patris Generalis morbo detentis. Similiter si Patres Collegæ Generalis, vel illorum alter morbo aliquo ita detineatur, vt non possint adire locum ad electionem destinatum, poterunt substituere aliquem Patrem idoneum ex illa natione, cuius sunt Collegæ, qui literis authenticis munitis ius habebit in electione.

Commissi non assumātur ex iisdē Prouinciis, ex quibus Prouinciales, sed ex proximè succedentibus.

§. VII. Septimò. De Commissis. Commissi verò non assumentur ex eisdem Prouinciis, ex quibus Prouinciales veniunt ad electionem, sed ex duabus Prouinciis proximè succedentibus, ad hoc vt plures cuiuslibet nationis concurrant ad electionem Vicarij generalis.

Commissi eliguntur à Prouinciali, Collegis, & Definitoribus.

§. VIII. Octauò. A quibus fieri debeat electio Commissorum? Ipsi verò Commissi eligantur respectiuè in suis Prouinciis à Prouinciali, Collegis, & Definitoribus Prouinciæ, veniantque ad locum deputatum muniti literis authenticis suæ deputationis.

Correctór, vbi moritur P. Generalis, habet vocem in electione Vicarij.

§. IX. Nono. De Correctore conuentus, vbi moritur Generalis. Cæterùm si Pater Generalis decedet in aliquo conuentu, Superior illius conuentus veniet ad electionem Vicarij Generalis futuri, & tunc pro illa natione, in qua est ipse corrector, non eligatur, nisi vnus Commissus, nempe in antiquiori Prouincia ex duabus quæ venient in ordinem, ad hoc vt

votorum

votorum sit paritas in qualibet natione; & Prouincia, in qua non fuit electio pro hac vice carebit suo voto, ita vt subsequenti sexennio assumantur Commissi ex aliis duabus Prouinciis immediatè subsequentibus.

Si Generalis extra conuentum decedat, tunc nullus Corrector electioni Vicarij intererit.

§. X. Decimò. De morte Generalis extra conuentus. Si verò contingat, Patrem Generalem mori extra conuentum, vt putà in itinere, vel in mari, vel in alio quouis loco, secundùm quòd frequenter accidit inter immensa pericula viarum, tunc nullus ex Correctoribus vicinioribus loci decessus huiusmodi intererit electioni, sed tantùm Prouinciales, & Commissi.

Corrector, in cuius conuentu moritur Generalis, semper habebit votum, etiam si tunc Prouincialis etiam votū habeat.

§. XI. Vndecimò. Quòd semper Corrector conuentus, vbi moritur Pater Generalis, votum habeat. Quamquam verò Commissi nullo modo assumi debeant ex eisdem Prouinciis, ex quibus Prouinciales votum habebunt in electione, nihilominus Pater Corrector conuentus, in quo obierit Reuerendissimus Pater Generalis, semper votum habeat, etiamsi reperiatur in illa Prouincia, in qua continget Prouincialem esse vocalem.

In quolibet Capitulo Generali fiat statutum, in quo determinetur; quinam sint electores Generalis in casu mortis illo sexennio.

§. XII. Duodecimò. De notificatione electorum in capitulis generalibus. Vt autem tota Religio noscat, quinam ex Prouincialibus, & Commissis debeant habere votum pro futuro sexennio in electione Vicarij Generalis causa mortis, in quolibet generali capitulo inter reliqua statuta ponatur huiusmodi decretum. Si contingat Reuerendissimum Patrem Generalem diem obire (quod Deus auertat) pro futuro sexennio, ij erunt electores Vicarij Generalis, vnà cum Patribus Collegis defuncti Generalis, nempe pro natione Italica, Patres Prouinciales talis, & talis; & talis, & talis Prouincia mittant suos Commissos; pro natione verò Gallica, talis, & talis Prouincialis; & talis, & talis Prouincia mittant suos Commissos; pro natione verò Hispanica talis, & talis Prouincialis; & similiter talis, & talis Prouincia suos Commissos destinabunt. Et hoc inuiolabiliter seruabitur in futuris capitulis generalibus.

Antiquior Collega Generalis mortem notificet Prouincialibus, in quo conuentu sit mortuus, vel an sit extra conuentum.

§. XIII. Decimotertiò. De notificatione loci, in quo obiit Pater Generalis. Spectabit autem ad Patrem Collegam, cui commissa erunt sigilla Religionis, dum significabit mortem Generalis omnibus Prouinciis Ordinis, simul etiam notificare conuentum, in quo prædictus Pater Generalis obierit, vt sciatur, quòd Superior illius conuentus debet habere votum in electione, & quòd proinde in illa natione, in qua situs est ille conuentus, non debet fieri electio, nisi vnius Commissi, nempe in antiquiori Prouincia, ex duabus illis, quæ veniunt in vice sua; quoniam Superior conuentus, cum sit eiusdem nationis, supplet pro altero Commisso. Si verò extra conuentum obeat Pater Generalis, & hoc ipsum notificabit prædictus Pater Collega generalis, vt sciant qualibet nationes sibi deligendos esse duos commissos.

In quo loco sit facienda electio Vicarij Generalis.

§. XIV. Decimoquartò. De loco, in quo fieri debet electio. Si Pater Generalis diem claudat Romæ, electio fiet Romæ, & illuc omnes electores conuenient, & quidem si moriatur in conuentu Sanctissimæ Trinitatis, Pater Corrector illius conuentus votum habebit in electione, & computabitur pro natione Gallica; si verò in conuentu sancti Andreæ, vel sancti Francisci, Superior illorum respectiuè conuentuum votum habebit pro natione Italica. Porrò in quocumque horum trium conuentuum obierit Pater generalis, in eo conuenient Patres electores ad faciendam electionem Vicarij Generalis.

P. Zelosus, si Generalis decedat Romæ, habebit votum in electione simul cum Correctore illius conuentus, in quo decedet.

§. XV. Decimoquinto. De Patre Zeloso. Pater Zelosus votum habebit in electione Vicarij Generalis, in quocumque conuentu Romano decesserit Pater Generalis. Quo casu natio illa de qua est Pater Zelosus, non mittet alium Commissum. v.g. si Pater Zelosus sit Italus, & Pater Generalis diem claudat in conuentu S. Andreæ, vel S. Francisci, Superior illius conuentus, & Pater Zelosus erunt electores, & cum sint ambo Italicæ Prouinciæ, quæ deberent eligere Commissos, non eligent pro hac vice. Si Gallus fuerit, & Pater Generalis obeat in conuentu Sanctissimæ Trinitatis, Corrector, & Zelosus similiter erunt electores, & ex Gallia non mittentur commissi. Si Hispanus, tunc vnus tantùm commissus veniet ex Hispania, nempe is, qui eligetur ab antiquiori Prouincia ex duabus, vt supra dictum est.

De loco electionis quando P. Generalis decedet extra Romā.

§. XVI. Decimosexto. De loco electionis quando Pater Generalis diem claudit extra Romam. At si contigerit, Patrem Generalem obire extra Romam, vt putà dum visitat Prouincias, conueniant omnes electores ad conuentum commodiorem pro nationibus; exempli gratia, si decedat Pater Generalis in Italia, omnes electores veniunt ad conuentū Ianuensem, qui est in confinio Italiæ, Galliæ, & Hispaniæ; si in Gallia decesserit, electio fiet in conuentu Massiliensi, qui est vicinior aliis nationibus; si in Hispania, conueniant ad electionem in conuentu Barchinonensi. Et hoc semper seruetur pro regula in omnibus futuris electionibus Vicarij Generalis.

Electio Vicarij fiat intra quinque menses morte Generalis.

§. XVII. Decimoseptimo Quo tempore debent conuenire electores? Quia verò Ordo valde extensus est, & oportet aliquod temporis spatium, ad hoc vt mors Patris generalis toto Ordini innotescat, dabitur spatium quinque mensium à die obitus patris Generalis vsque ad diem electionis; sufficient enim duo menses ad notificandam mortem toti Ordini, & reliqui ad hoc, vt electores conueniant ad locum electionis.

Antiquus Collega significet electoribus tempus, & loci electionis.

§. XVIII. Decimooctauo. Cuius erit indicere tempus, & diem, ac locum electionis? Spectabit ad P. Collegam Generalem, qui in

manibus

manibus habebit sigilla Religionis, eodem tempore, quo significabit mortem Generalis, simul etiam indicare tempus, & diem, ac locum supra in capitulo decimosexto determinatum futuræ electionis, ita quòd semper sint quinque menses integri inter obitum, & diem electionis. Prouinciales, verò & Commissi sub pœnis iisdem, quæ sunt statuta contra eos, qui non intersunt Capitulis Generalibus, sint obligati statuto tempore præsentes esse in loco, in quo fieri debet electio futuri Vicarij Generalis; si qui verò fuerint absentes elapso tempore præfinito, continuo præsentes procedant ad electionem, ampliùs non expectando.

In capitulo præsideat antiquior Collega.

§. XIX. Decimononò. De Præside capituli in electione. Quando omnes electores conuenerint, præsidebit in capitulo Pater Collega Generalis, cui commissa sunt sigilla Ordinis, absque aliquo respectu Prouincialium.

Ipse electores possunt eligi in Vicarium.

§. XX. Vigesimò. Quisnam potest eligi in Vicarium Generalem? Omnes electores sic coadunati poterunt ex toto Ordine eligere in Vicarium Generalem, quem magis idoneum iudicauerint, etiam ex corpore ipsorum electorum, si qui inter ipsos magis capaces, & ad hoc officium magis idoneum reperiuntur.

Vicarius electus statim suum exerceat officiũ.

§. XXI. Vigesimoprimò. De potestate Vicarij Generalis electi. Qui verò electus fuerit in Vicarium Generalem, statim fungetur officio suo secundùm exigentiam negotiorum, iuxta priuilegia eiusdem Ordinis, sicut hactenus factum est.

Electio secuta notificetur statim toti Religioni.

§. XXII. Vigesimosecundò. De notificatione electionis Vicarij Generalis. Statim atque facta fuerit electio Vicarij Generalis, curabunt Patres electores, vt notificetur per omnes Prouincias Ordinis; & ideò mittent ad omnes Patres Prouinciales authenticas literas electionis à se factæ.

Electores expensis suarum nationum ad capitulum accedant.

§. XXIII. Vigesimotertiò. Quibus expensis Patres conuenient ad electionem? Iustum est, vt Patres Collegæ Generalis conueniant ad locum electionis expensis suarum respectiuè nationum: Patres verò Prouinciales, & Commissi expensis suarum Prouinciarum, sicut fit in capitulis generalibus.

Si Generalis decedat, expleto quadriennio sui officij, tunc electores erunt deputati in c. Paulitano cum Prouinciali proximioris Prouinciæ.

§. XXIV. Vigesimoquartò. Quid faciendum in casu, quo Pater Generalis diem claudat extremum post expletum quadriennium sui Generalatus? Si Pater Generalis obeat post expletum quadriennium sui officij, tunc ij eligent Vicarium Generalem, qui iam olim deputati fuerunt à capitulo generali Paulitano, quibus adiungetur Pater Prouincialis vicinioris Prouinciæ cum suis Patribus Collegis, vt maior sit votorum numerus; si vero fuerit discrepantia, quænam sit vicinior Prouincia, tunc posita æquali distantia, antiquior Prouincia votum habebit. Cùm autem, sicut eadem expositio subiungebat, Ægidius prædictus plurimum cupiat, statuta huiusmodi pro firmiori illorum subsistentia, & inuiolabili obseruatione, Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri. Ideo nobis totius Ordinis prædicti nomine humiliter supplicari fecit, vt desuper opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmat dicta statuta, si fuerint approbata à c. Generali.

§. XXV. Nos igitur eiusdem Ægidij desideriis in præmissis annuere, illumque specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati: De venerabilium fratrum nostrorum, S. R. E. Cardinalium, Sacri Concilij Tridentini Interpretum consilio, statuta præinserta huiusmodi, ita tamen, vt à capitulo generali eiusdem Ordinis proximè celebrando rursùs examinentur, atque approbentur, alioquin ex eo tempore præsens confirmatio nulla prorsus, atque irrita sit, Apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illisque inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos tam iuris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet interuenerint, supplemus; ipsaque statuta in prædicto Ordine, si ab eodem capitulo denuo examinata, & probata fuerint, vt petitur, perpetuo obseruari debere; irritúmque & inane, si secus super his à quocumque quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Derogat contrariis.

§. XXVI. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate aliàs roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 29. Maij 1624. Pontificatus nostri anno 1. V. Theatinus.

1. NOto primò, quòd antiquior Collega, apud quem remanent sigilla Religionis, fungitur officio Vicarij Generalis vsque ad capitulum generale inclusiuè. Et aduerte etiam, quòd Prouinciales non possunt eligi in Commissos. Ita declarauit Eminentissimus Cardinalis Aldobrandinus Protector, de mente S. D. N. Vrbani VIII. prout toti Religioni manifestauit P. F. Simon Bachelier, apud quem, vt antiquiorem, remanserunt sigilla Religionis, per suas literas impressas, & datas Romæ apud conuentum S. Trinitatis 5. Kalendas Octobris anno 1624. subscriptas, & sigillatas à dicto Eminentissimo Protectore sub his verbis: *Præsentes literas approbamus, & in omni parte conformamus de expresso S. D. N. mandato. Hippolytus Cardinalis Aldobrandinus Protector.* Tenor autem dictarum literarum quantum ad rem nostram facit talis est. *Ut verò omnium tam Superiorum, quam subditorum corda eodem pacis, charitatisque vinculo necterentur magaque, & fictitiæ rationes, quæ contra tenorem Breuis obiici possent, ab*

omnium

omnium animis recederent, maiorique cum tranquillitate interstitium istud vsque ad electionem decurreret, Illustrissimus ac Reuerendissimus Dominus Cardinalis Aldobrandinus Protector, de cuius ordine, & scientia, & assensu præsentes fecimus, facto verbo cum S. Domino, accepit, eam esse prædicti S. Domini intentionem, & voluntatem, vt Vicarij Generalis totius Religionis officio fungamur, & Ordinis vtrumque sigillum penes nos vsque ad electionem inclusiuè remaneat: & forma electionis Vicarij Generalis Ordinis Minimorum in casu mortis Generalis ab ipso Sanctissimo approbata, & confirmata, sub datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 29. Maij 1624. inuiolabiliter obseruetur, non obstantibus quibuscumque rationibus, oppositionibus, & appellationibus in contrarium, prohibens, ne quis temerario ausu contra dictam formam quidquam audeat attentare. Significantes vobis, quod de mente Illustrissimi Domini Cardinalis Protectoris declaratum est, Patres Prouinciales in electionibus Commissorum voto passiuo carere. Aduerte, quòd hoc vltimum fuit necessarium; nam alioquin Prouinciales non poterant priuari voce passiua, cum nullibi reperiatur cautum.

2. Noto secundò, quòd Corrector, qui debet interesse electioni Vicarij Generalis, iuxtà §.9. non debet esse ille, qui fuit in officio tempore mortis, sed ille, qui est Corrector actualiter tempore electionis. Atque ita fuit declaratum à sacra Congregatione Regularium *anno 1624 mense Decembri*; & fuit practicatum in electione Vicarij Generalis electi Genuæ *anno 1625.* per mortem Generalis Chamart. In qua electione votauit P. F. Iulius à Paula Corrector Paulæ, qui erat actualiter Corrector *anno 1625. die 30. May*, in qua fuit facta electio dicti Vicarij Generalis, non ille, qui erat Corrector *die vltima Augusti 1624.* quando mortuus est in dicto conuentu præfatus Chamart. Et aduerte, quòd si contingat, Generalem mori in aliquo paruo conuentu, qui regatur per Vicarium, ille Vicarius legitimè deputatus votabit in electione Vicarij Generalis, qui erit tempore electionis. Quòd ille Vicarius habeat votare, ac si esset Corrector, innuit expressè ista *constitut. 9.* dicens: *Si Generalis decedat in aliquo conuentu, Superior illius conuentus veniet ad electionem Vicarij Gneralis futuri.* Vnde constat, quòd sufficit, quòd sit Superior, non tamen est necesse, quòd sit Corrector. Quòd verò debeat esse ille, qui erit tempore electionis, constat ex dicta declaratione; currit enim vtrobique eadem ratio. Pro quo aduerto, quòd communiter in Ordine nostro deputatio Vicariorum paruorum conuentuum fit in capitulo definitorio per Prouincialem, & Definitores. Solet tamen capitulum definitorium hanc facultatem tribuere Prouinciali, vt ipse per se solus prouideat, vel cum suis Sociis, & tunc prouisio facta durat per totum annum. Nec licet Prouinciali Vicarium institutum absque legitima causa amouere. Quando verò capitulum tribuit facultatem Prouinciali, vt Vicarios instituat, & ad suum beneplacitum amoueat, tunc potest de iure dictos Vicarios absque causa legitima amouere, & alius substituere. Certum ergo est in præsenti, quòd Vicarius deputatus à definitorio, seu Prouinciali, cum suis Sociis, vel per se solo pro toto anno, potest votare in electione Vicarij Generalis, quando in illo conuentu Generalis decessit. An autem possint votare illi, qui ad nutum Prouincialis sunt amouibiles, videtur habere aliquam difficultatem. Nam posset Prouincialis instituere aliquem ad hunc effectum tantùm votandi, & electione secuta, illum amouere; quod videtur habere aliquam deformitatem.

3. Noto tertiò, quòd si eligatur Collega Generalis, seu Prouincialis, vel Zelosus in Vicarium Generalem, capitulum congregatum pro electione Vicarij Generalis habebit prouidere de nouo Collega, vel Prouinciali, vel Zeloso. Nam lex disponens de principio, intelligitur etiam expressi quò ad ea, quæ exinde oriuntur, *l. fin. C. de nuptiis, in fine, l. In omni ferè, ff. de adopt. & emancip. c. Translato de const. c. Non debet, de consang. & affin.*

4. Noto quartò, quòd si quando Generalis decessit, habebat aliquem Collegam assumptum secundùm formam traditam in Correctorio, *num.* 113. & iste sit antiquior aliis duobus, qui fuerunt electi in capitulo generali, fungi officio Vicarij, & tenere sigilla vsque ad electionem Vicarij generalis, ad istum Collegam assumptum pertinet. Quia iste non minorem habet præeminentiam, & auctoritatem, quàm illi, cum sit electus legitimè, & secundùm Regulam non minus, quàm illi; & vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Et circa hoc punctum nota, quòd Collega suffectus modo dicto secundùm formam Correctorij potest non solùm sigilla assumere, sed etiam votare in electione Vicarij Generalis, & idem est dicendum de quocumque Collega assumpto, siue generali, siue Prouinciali, quod scilicet possit non solùm iudicare, sicut alij Collegæ, sed etiam votare in quacumque electione occurrente, in qua possunt votare alij Collegæ; sic enim consuetudo Religionis interpretata est locum illum Correctorij, vt constare potest ex multis exemplis, quorum aliqua hic recensebo. In principio Generalatus P. F. Francisci à Mayda cum P. F. Syluester de Mayerato renuntiasset officio Collegæ generalis, ad electionem noui Collegæ in persona P. F. Vincentij de Consentia, vocem habuit P. F. Chrysostomus à Neapoli, qui suffectus erat loco Collegæ Hispani absentis. Similiter, cum P. F. Vincentius à Consentia renuntiasset officio Prouincialis Tusciæ, ad electionem Vicarij Prouincialis in personam P. F. Antonij de Mayda, fuit admissus idem Pater Chrysostomus, subrogatus in Collegam Hispanum absentem. Item cum P. F. Stephanus à S. Seuerino missus fuisset à P. Generali ad visitandas Prouincias Hispaniarum, & substituisset in Prouincia Neapolitana, vbi erat Prouincialis, in suum locum, & Vicarium, P. F. Antonium à Neapoli Collegam, loco huius subrogatus fuit in Procollegam P. F. Petrus à Neapoli, qui & vocem habuit in capitulo Prouinciali, celebrato die S. Michaëlis immediatè sequenti. Vlterius, cum ob officij Prouincialatus renuntiationem factam à P. F. Antonio à Neapoli electus fuisset in Vicarium Prouincialem P. F. Chrysostomus à Neapoli, in tali electione vocem habuerunt P. F. Ioannes à Beluederio, substitutus in Collegam Hispanum, P. F. Antonius à Mayda substitutus in Collegam Italum, & P. F. Theodotus Seto substitutus in Collegam Gallum; quæ electio impugnata Romæ, ab Illustriss. & Reuerendiss. Cardinali Magalotto commissario declarata fuit valida, & cætera.

5. Et aduertendum, quòd potest fieri substitutio Collegæ, quacumque de causa is absens reperiatur, licèt Corrector. *num.* 113. solùm videatur assignare absentiam causa visitationis. Nam ita consuetudo locum illum semper fuit interpretata, & ita factum est Neapoli, quando fuit suffectus P. F. Petrus à Neapoli loco P. Antonij à Neapoli, qui non erat quidem delegatus ad visitandum aliquem conuentum, nec erat absens, sed exercebat officium Vicarij Prouincialis, substitutus à P. F. Stephano de S. Seuerino, qui vt diximus, secesserat in Hispanias, & dictus P. F. Petrus suffectus fuit in Collegam, & votum dedit in capitulo Prouinciali. Similiter, P. F. Chrysostomus à Neapoli fuit suffectus pro collega Hispano, qui non fuerat delegatus ad visitandum; visitatio enim Hispaniarum fuit commissa post duos, vel tres annos P. F. Stephano

phano

annos P. F. Stephano à S. Seuerino vnà cum collegis, &c. Et dictus P. Chrysostomus in multis electionibus fuit admissus ad votandum, vt diximus. Viterius, cum ob mortem P. F. Dionysij à Paula Prouincialis, non fuisset facta electio Vicarij prouincialis in dicta Prouincia, sed ad P. Reuerendissimum Generalem reuolura fuisset vnà cum suis collegis ad electionem veniens, loco collegæ Hispani absentis fuit assumptus P. F. Ioannes Lepage, & iste votum dedit vt collega suffectus, & electus fuit P. F. Franciscus à Celico. Item Neapoli loco P. Antonij Rangolij, qui non erat delegatus ad visitandum, sed adierat Romam ad sua negotia peragenda, fuit suffectus P. F. Fulgentius à Neapoli.

6. Cum inciderim in hunc punctum, operæpretium duxi, in gratiam meorum collegarum, aliqua de collegis, quæ difficultatem habere videntur, & lites quotidie pariunt, enucleare. Quæritur ergo 1. Vtrum collegæ Prouincialis subdantur Correctoribus illorum conuentuum, in quibus degunt. Respondeo non subdi, cum sint ab illorum iurisdictione exempti, per textum expressum Correctorij, *num.* 113. vbi dicitur. *Præterea singulis huius Ordinis superiorum Prælatorum Socij, ad eiusdem Ordinis loca diuertentes, benignè tractentur, & Correctoris generalis, ac propry Vigilis, & Prouincialis obedientiæ dumtaxat subdantur.* Et vult dicere, quòd Socij Generalis sint tantummodò subditi Generali, & Socij Prouincialis sint tantummodò subditi proprio Prouinciali, & proprio Vigili (Vigiles tamen non sunt in vsu) nam dictio illa taxatiua, *dumtaxat*, habet naturam excludendi omnes alios casus, & omnes alias personas, præter expressas, vt Barbosa *de dict. dict.* 81. *num.* 2. & confirmat titulus *dicti numeri* 113. qui est, *De Sociorum Prælatorum exemptione*, quæ exemptio est vniuersalis; vnde nullam relinquit Correctori in Socios iurisdictionem, nec mediatam, nec immediatam, nec principalem, nec accessoriam, per mandatum, statutum, aut punitionem. Quia, vt ea delinqueretur, deberet nominatim excipi ab vniuersali exemptione; *cap. Cum olim, el.* 1. §. *Nos verò, de priuil.* vbi Glossa *ver. Diœcesani.* Et aduerte, quòd iubet Legislator, Socios Prælatorum benignè tractari à Correctoribus, enim ad eorum conuentus diuerterint, sicut iisdem benignè tractari præceperat superiores Prælatos, cum ad eos diuenerint, in Correctorio *n.* 61. ad innuendam prærogatiuam, & personatum, quem dicit Collegatus; sunt enim omnes exempti iure communi digni speciali honore, & fauore; *c. Per tuis, de maior. & obed. c. Vt apostolico, de priu. in* 6. Cochier *de exept. lib.* 1. *q.* 5. *num.* 2. Vnde Correctores, qui negligerent, vel spernerent benignè tractare Collegas ad eos diuertentes, in hilari receptione, in liberaliori victu, & commodiori, ac ornatiori cella, iuxta facultatem, & commoditatem monasterij, possent, & deberent puniri à Prælatis; tanquam suæ Regulæ non patentes.

7. Quæres 2. Si Collega accuset subditum Correctoris apud eundem Correctorem de furto, vel percussione, & accusatus dictum Collegam apud eundem Correctorem reconueniat, accusando Collegam de alio sibi facto furto, seu data percussione, an Collega teneatur de iustitia respondere Correctori, & Corrector possit vtriusque rationes audire, & deinde finaliter sententiare? Respondeo quòd sic. Ita habetur *in cap.* 1. *&* 2. *de mut. petit.* Quòd si Collega nolit respondere coram Correctore super reconuentione facta, Corrector deberet iustitiam denegare, nec ipsum audire in sua causa, vt multis probat Gloss. *in c.* 1. *cit. verb. Respondere.*

8. Quæritur 3. Vtrum Collega peccans in conuentu possit à Correctore puniri? Respondeo non posse, & constat *ex cap. Frater noster.* 16. *quæst.* 1. *cap. Sicut nobis*, §. *Nolentes, de suppl. neglig. Prel. cap. fin. de statu Monach.* §. *Hæc eadem, cap. Cum & plantare*, §. *fin. de priuil.* Hostien. *in summ. de priuil. n.* 12. Cochier *de exempt. part.* 4. *quæst.* 32. *num.* 2. Nec obstat *cap. Volentes, de priuil. in* 6. in quo statuitur, quòd ratione delicti quis sortiatur forum non suum. Nam intelligitur de exemptione reali, ratione scilicet loci, non de exemptione personali, qualis est exemptio Collegarum. Atque ita Angelus *verb. Exemptus*, §. 1. Cochier *de exempt. p.* 2. *quæst.* 45. *num.* 27. Si autem delictum sit atrox, & periculum sit fugæ, potest Corrector Collegam sistere, & incarcerare. Quia, cum Religioni intersit multum, maleficia non remanere impunita, *leg. Ita vulneratus, ff. ad leg. Aquil. leg. Si longius*, §. 1. *ff. de iud.* magna impunitati fenestra aperiretur, si hanc potestatem Correctori submoueremus. Ita Cochier *de exempt. p.* 4. *q.* 52. *n.* 1. Quòd si Collega peccet publicè & coram Correctore, v. g. percutiat Religiosum, an tunc possit à Correctore puniri? Dico, quòd sic. Quia exemptus ratione notorij delicti potest ab ordinario puniri. Ita Hostien. *in sum. de priuil. num.* 12. Glossa *in c. Patentibus*, *in sum.* & habetur *in dicto c. Patentibus, & in c. Tuarum, de priuil.*

9. Sed pone, quòd Collega nolit parere Correctori in casu sibi permisso, vel à iure, vel à Prouinciali, v. g. quòd possit eum cogere ad accedendum ad chorum, vel ad orationem mentalem, poterit ne ab eo puniri? Puto, quòd sic. Quia cui iurisdictio data est, ea quoque concessa esse videntur, sine quibus iurisdictio despedi non potest, vt est punitio, coërcitio, executio. Et est textus *in leg. Cui iurisdictio. ff. de iurisd. om. iud.* Cochier *de exempt. par.* 4. *quæst.* 33. *in fine.*

10. Aduerte autem, quod Correctores tentantes punire Collegas, debent à Prouincialibus puniri tanquam vsurpatores alienæ iurisdictionis. Pœna autem in tales infligenda videtur arbitraria, per ea, quæ tradit Menochius *de arbitr. lib.* 2. *casu* 320. *num.* 1. & clarius *casu* 379. *num.* 2. Videatur Fatin. *lib.* 1. *consil. consil.* 74.

11. Aduerte tamen, quòd Collegæ tenentur ad exhibendum Correctoribus ius reuerentiale. Ita Cochier *de exempt. p.* 4. *q.* 34. *n.* 3. vbi multos citat; & dixi *tom.* 1. *priuil. in consl.* 26. *Leonis X. num.* 44. Reuerentia autem est honor, quem alicui tam in factis, quàm in verbis, exhibemus, vt dicit Petrus Greg. *in c. Conquerente, de potest. ind ord. c.* 7. *num.* 1. Hic autem honor consistit in decem, quæ pono *tom.* 1. *Religiosi, q.* 1. *c.* 28. *concl.* 5. Vnde quando è conuentu exeunt, tenentur benedictionem à Correctore petere, in absentia tamen sui Prouincialis. Ita statutum est *in c. Val.* 3. *num.* 8. *in fine.* Et aduerte, quòd potest Corrector censuris cogere Collegas ad sibi hoc ius reuerentiale exhibendum, *arg. c. Quod super, de maior. & obed.* Petrus Greg. *loco cit. num.* 5.

12. Quæritur 4. Vtrum Collegæ teneantur stare capitulis culparum celebratis à Correctore? Respondeo negatiuè. Cum enim non sint subditi Correctoris, non tenentur coram ipso culpam dicere, nec pœnitentiam recipere; dicunt enim hi actus subiectionem. Possunt tamen, si velint, ibi permanere vsque ad recitationem illarum precum, quæ culpam præcedunt. Imò ad exercendam humilitatem, etiam culpam dicere. Nec in hoc præiudicant suæ exemptioni, vt probat Cochier *de exempt. p.* 4. *q.* 35. *num.* 2. consuluntenim sibi in foro animæ, saluo semper manente foro externo pro quo specialiter exemptiones conceduntur, differunt enim isti fori inter se, sicut cœlum, & terra, vt ait Gomez *ad reg. cancell. de non iudic. secund. form. supplic. quæst.* 14. *verb. Breuiter prædictis*; Et per hoc dixi, quòd potest Regularis absque præiu-

dicio exemptionis, subijcere se in aliquo casu Episcopo pro absolutione. Quod etiam docet Sayrus *de cens. lib. 7. c. 7. n. 23.* Neque his dictis obstat textus Correc. *n.* 18. vbi dicitur, quòd cuncti Fratres in capitulo locali culpas suas humiliter dicant. Nam intelligitur de Fratribus subditis Correctori; alioqin posset etiam cogi Prouincialis præsens, cum quo faciunt magistratum Collegæ, cum ipse etiam sit Frater, quod est absurdum. Si verò Prouincialis capitulum culparum celebret, clarum est, quòd Collegæ debent illi interesse, cum Prouincialis sit illius Superior.

13. Quæritur 5. Vtrum Collegæ possint, vel debeant interesse capitulis localibus, in quibus agitur de negotiis conuentus? Respondeo, quod Collegæ residentes in aliquo conuentu, siue absente, siue præsente Prouinciali, habent vocem in venditionibus, emptionibus, & reparationibus, ac in admittendis nouitiis ad professionem, & in cœteris grauioribus negotiis. Ita statutum est *in cap. Genuen. 3. numero 6.* Possunt item esse Vicarij conuentus, & in mensa in loco Correctoris sedere, ac Fratres benedicere. Ita statuitur *in cap. Genuen. 1. num. 7. & in cap. Paula, num. 26.* Non possunt tamen cogi à Correctore ad hæc præstanda, si nolint, priuilegio exemptionis obstante. Et hæc sunt illis concessa ad magis eorum personas qualificandas, & honorandas, vt innuunt dicta capitula, quæ nunquam vtuntur verbo, *Debeant*, aut *teneantur*, sed solum verbo *Poterunt*, aut *Audiantur*. Verbum autem *Possum*, affirmatiuè prolatum, necessitatem non inducit, sed facultatem, ac liberam voluntatem, seu arbitrium, & electionem, *leg. Sape, ff. de offic. præsid.* Barbosa *de diction. dict.* 226. *num.* 1. Non possunt tamen votum habere in electionibus, quæ in dictis conuentibus fiunt. Cum enim de his habeant deliberare in cap. definitoriis, vel extra, cum suo Prouinciali, æquum non est, vt iis faciendis intersint; nam semper curabunt sustinere, quod fecerint, etiamsi malum, aut minùs bonum sit. Atque ita definitum est *in cap. Bonon. 2. num.* 12. Vnde, si intersint, electio secuta erit irritanda, cum in ea interuenerit, qui interuenire non poterat. Possunt item Collegæ esse Vicarij paruorum conuentuum, vt statuitur *in c. Genuen. 4. num. 19.*

14. Quæritur 6. Vtrum Collegæ sint locales in quolibet conuentu suæ Prouinciæ, ad quem eos diuertere contigerit? Respondeo. Hoc audiui sæpe a Fratribus dici, fundamentum tamen me latet. Solum in Correctorio reperi, vt dixi *num.* 5. quòd debent à Correctoribus benignè tractari. Imò *in c. Genuen. 3. num.* 6. reperio, quòd Collegæ Prouincialis, qui possunt in capitulis localibus vocem habere, debent esse residentes in illis monasteriis, & in fine dicti statuti redditur ratio, quare debeant in dictis capitulis vocem habere, his verbis. *Audiantur tanquam Fratres locales, si quidem in monasterio residant.* Et ista dictio, *Si quidem*, idem valet ac, *Si modò*; Italicè, *Purche*, vt docet Pastetat. *in suo Calepino illo verbo.* Quare vult dicere, quòd vocem habeant, modò sint locales. Concludo igitur (nisi quid me lateat) quòd Collegæ non sunt locales, nisi in illis conuentibus, in quibus assignantur per suos Superiores; & cum non possint assignari vno, & eodem tempore, nisi in vno conuentu, in illo solo erunt locales, & poterunt gaudere priuilegiis suæ localitatis.

15. Quæritur 7. Vtrum Collegæ teneantur assistere diuinis officiis, & an possint cogi à Correctore ad iis assistendum? Respondeo affirmatiuè; ait enim Regula num 12. *Laudibus diuinis Fratres huius Ordinis in clericos assumpti, cum tremore, alacriter intendentes, &c.* & in const. Clem. VIII. quas habes in const. 10. Vrb. VIII. §. 8. tom. 2. nostr. priu. dicitur. *Nullus omninò prætextu cuiuscunque priuilegij, vel Superioritatis, etiam Generalatus, à seruitio chori censeatur immunis. In eos verò, qui negligentes, aut inobedientes fuerint, salutari pœnitentia Superiores animaduertant, ad præscriptum Regulæ, & constitutionum, alimentis etiam, si opus fuerit, subtractione.* Facit etiam ratio. Cum enim Collegæ comedant, & vestiantur de eleemosynis, quæ dantur à deuotis, ad hoc vt Religiosi cultui diuino vacent, non apparet, quare Collegæ à dicto penso absolui debeant, quando munus proprij officij eos non impedit. Vnde sanctè præcipit Papa, vt in eos Superiores animaduertant etiam ciborum subtractione. Qui enim non laborat, manducare non debet.

16. At quis Superior coget puniendo? Puto, quòd Corrector poterit dictos Collegas cogere, & punire. Quia in hoc Collegæ non sunt exempti, vt constat ex dicto decreto Clem. vide hic *supra, num.* 7. Quòd si Collega suæ exemptioni fidens, iniuriam faciat Correctori eum cogenti vt ad chorum accedat, verbis, vel factis, potest eum Corrector pro tali iniuria punire. Ita Cochier *de exempt. p. 2. quæst. 45. num.* 107. Consulo tamen, vt Correctores priùs agant coram Prouinciali, vt suos Collegas cogat ad assistendum choro, & non parentes puniat, arg. *c. Nullus, de iur. patron.* Quòd si Prouincialis non prouideat, tunc Corrector suo fungatur officio; in hoc enim casu Collega non est exemptus.

17. Sed pone, quòd Collega non disciplinatè viuat, & Corrector scripserit ad Prouincialem, illum informando de vita sui Collegæ; qui tamen Prouincialis nihili fecerit monitionem Correctoria, poteritne Corrector cogere Collegam ad viuendum disciplinatè, sicut cæteri, vt omnia membra suo corpori adaptentur, & pars corpori non conformis turpitudinem in corpus inducat? Respondeo quòd hoc casu tenetur Corrector scribere ad Generalem, qui nisi prouideat, tenetur scribere ad Protectorem, & sic gradatim, vsque ad Papam, semper monendo, quod ipse de hoc iam informauit Prouincialem, &c. Ita Cochier *de exemp. p. 2. q. 45. num.* 63. Si autem Generalis sit in longinquis partibus, ad quem facilis non possit haberi recursus, nec expectari remedium, tunc potest Corrector Collegam cogere ad viuendum disciplinatè, & recusantem punire, supplet enim tunc Prouincialis negligentiam: sicut supplet aliquando iudex Laïcus negligentiam iudicis Ecclesiastici, vt dicit Austerius *de potest. sæcular. super Ecclesiast. reg. 4. n. 49.* Cochier *de exemp. p. 2. q.* 8 *num.* 11. & habetur *in cap. 1. & 2. de supp. neglig. Pral.*

18. Quæritur 8. Vtrum Collegæ Prouincialis tempore visitationis debeant præcedere Correctores in propriis Conuentibus? Respondeo affirmatiuè. Certum est enim, quòd Visitatores sunt Superiores eorum, quos visitant; vnde debent necessariò eos præcedere, & id in Regula nostra *numero quinquagesimo tertio*, clarissimè statuitur, vbi dicitur. *Insuper cuncti simplices vicesgerentes, seu Visitatores, peractis eorum visitationibus, nulla prorsus auctoritate, neque præeminentia fungantur.* Ergo, durante visitatione, aliquam præeminentiam habebunt. Et in Correct. *numero* 104. dicitur. *Ipsi etiam Prælatorum Socij nulla speciali auctoritate, neque præeminentia fulgeant, nisi per eorum Prælatos ad aliqua huius Ordinis loca in actu visitandi delegati forent.* Et in eodem Correct. *numero* 113. dicitur. *Vbi verò aliquando ipsi Prælatorum Socij ad aliquem huius Ordinis conuentum visitandum per suos Prælatos delegati forent, ipsorum Prælatorum vice in tali conuentu præsideant.* Ex quibus clarè constat, quòd Visitatores præcedunt eos, quos visitant. Sed Collegæ Prouincialis, & etiam Generalis, tempore visitationis sunt Visitatores, & conïudices cum suis respectiuè Superioribus, habentes votum cum eis decisiuum, vt probaui *tom. 2. Religiosi,*

q. 1.

q. 1. *capite secunda* §. *vnico*, & præsertim *num.* 30. adduxi declarationem visitationis apostolicæ, in qua dicitur, quòd Collegæ sunt coniudices cum suo Prælato. Ergo non potest esse dubium, quin in ipso actu visitationis Collegæ Prouincialis debeant præcedere Correctores, & Collegæ Generalis non solùm Correctores, sed etiam Prouinciales. Et ita seruant Monachi Congregationis S. Mariæ Foliensis, vt mihi retulerunt.

19. Quæritur 9. Vtrum Collegæ teneantur obseruare statuta Correctoris in bonum commune edita. Respondeo affirmatiuè. Tum quia quilibet tenetur obseruare mores illorum, cum quibus viuit, *cap. Quisquis rebus*, *d.* 41. *cap. Illa autem*, *d.* 12. & turpis est pars, quæ non congruit suo toti, *cap. Quæ contra mores*, *d.* 8. Tum quia *tom.* 2. *Relig. quæst.* 1. *cap.* 8. *num.* 20. probaui, teneri Generalem seruare statuta specialia conuentuum, per quos transit. Tum quia *ibid. quæst.* 2. *cap.* 5. *num.* 102. probaui, quòd Ecclesiastici tenentur obseruare leges ciuiles in communem vtilitatem editas; & Doctoribus ibi ad hoc adductis adde Castrum *tract.* 3. *disp.* 1. *p.* 24. §. 6. *num.* 10.

20. Quæritur 10. Vtrum Collegæ cogi possint à Correctoribus ad testimonium ferendum coram ipsis. Respondeo negatiuè: cum sint exempti ab eorum iurisdictione: vnde illis competit declinatoria fori ordinarij, ac proinde coram illo iurare non tenentur; & habetur expresse *in leg. Tutor*, §. *fin. ff. de iure iur.* vbi dicitur; *Qui non compelluntur Roma iudicium accipere, nec iurare compellendi sunt.* Et reddit rationem, vbi Glossa *ver. Compelluntur. Quia loco iudicij iusiurandum succedit.* Quare cum casus aduenerit, erit priùs obtinenda licentia à Prouinciali, vt possint examinari iuridicè. Ita Farin. *de test. p.* 2. *praxis, quæst.* 61. *oppos.* 14. *num.* 130. Cochier *de exempt. p.* 2. *q.* 34. *num.* 1. & alij multi apud Farin. cit. Si tamen Collegæ vltrò velint se examinare, valida erit eorum depositio, etiam non obtenta licentia à Prouinciali, & colligitur *ex cap. Quanquam*, 14. *q.* 2. Ita Farin. *loco cit. num.* 80. & 134. & Cochier *num.* 3.

21. Sed pone, quòd per vim, seu metum cadentem in constantem virum cogatur Collega coram Correctore testimonium ferre, tenebiturne iurare ad mentem Correctoris? Dico quod non. Quia Corrector est incompetens, vnde poterit æquiuocare. Ita communiter Doctores; Nau. *in man. cap.* 12. *numero* 8. *vers.* 9. & *tom.* 2. *suorum op. in cap. Humanæ aures*, *q.* 5. Azor *p.* 1. *lib.* 11. *cap.* 4. *quæst.* 5. Sayr. *in clauis reg. lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 8. & colligitur *ex cap. Humanæ aures*, 22. *quæst.* 5. Secus autem est, si Collega spontè se offerat ad testimonium ferendum, vel etiam cogatur à proprio Prælato, seu quando Corrector obtinuisset licentiam à Prouinciali. Nam tunc Corrector esset iudex competens, vnde tenetur Collega ad mentem illius iurare, per ea, quæ dicunt præfati Doctores.

22. Sed pone etiam, quòd Collega habens licentiam à proprio Prælato, se examinet coram Correctore, si iuret falsum, poterit ne à Correctore puniri? Dic, quòd poterit, non obstante exemptione. Quia tunc Corrector est competens, & iurando falsum fit illi iniuria iudicialiter, quam ipse vindicare potest, vt dixi *tom.* 2. *Relig. quæst.* 2 *cap.* 3. *num.* 102. atque ita Cochier *de exem. p.* 2 *quæst.* 35. *à num.* 2. & est textus expressus *in leg. Nullum*, *Cod. de test.*

23. Sed pone etiam, quòd Prouincialis nolit dare licentiam Correctori, vt possit examinare suum Collegam, & cogere coram ipso iurare, poterit ne Collega eo casu à Correctore cogi. Respondeo, quòd si veritas aliter haberi non possit, quia solus Collega est informatus de negotio, & Prouincialis dolosè recuset talem licentiam dare, vt reus illæsus euadat, nec ipse per se velit causam facere, poterit Corrector eo casu Collegam compellere ad testimonium coram ipso ferendum, & iurandum, & Collega iurare tenebitur ad mentem Correctoris. Ducor. Tum quia multum interest Religioni, ne delicta impunita remaneant, vt dixi hic *supra num.* 6. vel ne innocens puniatur, vel ne malus bonus æstimetur; *cap. Quanquam*, 14. *q.* 2. Tum quia hominum malitiis non est indulgendum. *leg. in fundo*, *ff. de rei vind.* Tum quia eo casu Corrector supplet Prouincialis negligentiam, iuxta dicta hic *sup. num* 15. Tum quia id colligitur manifestè *ex cap. Cum super*, *de testib. cap.* ibi, Sit *testimonium vestrum necessarium*, & *ex c. Peruenit*, *el.* 2. *in fine*, *eodem tit.*

24. Nota hic, quòd multa dixi in hoc tractatu de Collegis, argumentando ab exemptione Ecclesiasticorum à foro sæculari, & ab exemptione Ecclesiasticorum à foro ordinariorum, cum enim analogia sit, & proportio in materia fori inter exemptos Clericos, & Laicos, ac Collegas, cum singuli speciales habeant iudices, fit, vt ab vno ad alium efficax argumentatio trahi possit quo modo argumentandi passim vtitur Cochier *in tract. de exemp.* & Farin. *de test. p.* 2. *praxis*, *q.* 61. præsertim *num.* 130. & *num.* 134. Et hoc argumentum esse validum in iure, docet Glossa *in cap.* 1. *ver. Nunquid ergo*, & *cap. Auctoritate*, *ver. Non exemptus*, *de priuil. in* 6. Cochier. *de exempt. p.* 1. *q.* 45. *num.* 5. Barbosa *in loco com. verb. Argumentum*, *num.* 97.

25. Aduerte denique, quod iurisdictio ordinarij latè est interpretanda, quia fauorabilis est, & exemptio Collegarum strictè. Quia omnes exemptiones, vt pote recedentes à iure communi, censentur odiosæ. Ita probat Cochier. *de exemp. p.* 1. *q.* 4. *à numero* 7.

CONSTIT. II. aliàs XII.

Quâ annullat electiones Generalis, Collegarum, & Zelosi Ordinis Minimorum Barchinone factas, & prouidet de nouo.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Procemium.

IN iniuncti nobis apostolici muneris ratio postulat, vt circa statum religiosorum Ordinum in Ecclesia Dei militantium salubriter dirigen. mentis nostra aciem assidua intendamus; atque in his eiusdem muneris partes sedulò impendamus, quæ prospero, felicique illorum statui, & directioni conspicimus in Domino expedire.

Annullat electiones & nouas facit.

§. 1. *Cum itaque in Congregatione Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, super negotiis Fratrum Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula à nobis deputatorum, sæpius actũ fuerit de validitate capituli generalis eiusdem Ordinis in ciuitate Barchinonen. vltimò celebrati; nos ipsius Congregat. relatione, ac sententia audita, iustis de causis animum nostrũ mouen. electiones Correctoris generalis in persona dilecti filij Simonis Bachelier, eiusdẽ Ordinis professoris, nec non trium Collegarum, ac Zelosi, seu Procuratoris generalis Ordinis prædicti, in dicto capitulo factas, apostol. auctoritate, ten. præsentiũ cassamus, ac nullas esse, & fore declaramus. Necnon Fran.*

Longobardum ipsius Ordinis Vicarium Apostolicum, vsque ad futurum generale capitulum; Zelosum verò, seu Procuratorem Ordinis, eundem Simonem; Collegam Italum, Ignatium de Neapoli; Collegam Hispanum, Ioannem Piunam de Celis; & Collegum Gallum Ioannem Kermarck dicti Ordinis professores, dilectos filios, auctoritate, & tenore prædictis constituimus, & deputamus: reliquas autem electiones, & acta quacumque eiusdem capituli confirmamus.

Statuit quòd Vic gen. dicti Ordinis non possit immediatè eligi in Generalem.

§. II. Præterea Vicarium Generalem dicti Ordinis, siue à Sede Apostolica pro tempore deputatum, siue à capitulo electum, de cætero nullatenus posse immediatè eligi in Correctorem Generalem, sed tandiù debere officio vacare, quandiù Vicarius Generalis extiterit.

Ita iudicari mand. per quoscumque iudices etiã Legatos de latere cum decreto irritante.

§. III. Sicque obseruari, & ita per quoscumque iudices, & commissarios, quavis auctoritate fungentes, ac S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, ac Sedis Apostolicæ Nuntios iudicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Contrariia derogat.

§ IV. Non obstantes constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum omnium tenores præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 22. Martij 1630. Pontificatus nostri anno 7. M.A. Maraldus.

1. NOto primò, quòd huic constitutioni causam dedit capitulum generale Barchinonense 3. celebratum *an.* 1629. in quo reelectus fuit P.F. Simon Bachelier Gallus, ex Prouincia Campaniæ, qui fuerat Genuæ *anno* 1625. post mortem bonæ memoriæ P. Ægidius Chamart, in Generalem electus, & in eo officio durauerat à *die* 29. *Martij dicti anni* 1625. vsque ad Kalendas Iunij 1629. Contra quam electionem cum reclamatum fuisset per 23. capitulantes, nouem scilicet Italos, & 15. Gallos, & appellatum ad sanctam Sedem, Sanctissimus D. N. Papa Vrbanus VIII. dictæ appellationi detulit, & reclamationi aures dedit; & instantibus P.F. Deodato Lomellino Genuensi, Procuratore pro natione Italica, & P.F. Petro Brian Auenionensi, Procuratore pro natione Gallica, specialiter electis Barchinone à dictis 23. Patribus, dictus Sanctissimus grauitatem negotij penetrans, illud commisit sex Cardinalibus, nimirum Vbaldino, Lantes, Aldobrandino, Gypsio, Zacchiæ, Caietano; qui quidem Cardinales, auditis partibus, solum Deum, & iustitiam præ oculis habentes, posthabitis humanis fauoribus, quibus multùm confidebat pars aduersa, declarauerunt electiones Barchinone factas nullas. Quæ declaratio ad Sanctissimum relata, eum mouit ad hanc constitutionem faciendam. Vtriusque partis iura hic non recenseo; ad perpetuam tamen memoriam reposui in nostra Bibliotheca Genuensi.

2. Noto secundò, quòd *tom.* 1 *Religiosi, q.* 1. *c.* 18. *vers. Aduerto tamen*, dixi, quòd aduersus Prælatos non erant admittendi quicumque testes, sed solùm omni exceptione maiores, & in Ordine nostro excludendos esse dixi eos Conuersos, quos Oblatos vocamus. Quo dicto valdè se grauatos sensêre Oblati præfati, & in prædicto capitulo generali Barchinonensi *anno* 1629. omnes ferè aduersùm me concilium inierunt, vt dictum illud meum necarent omnino. Vnde quendam Doctorellum ibi morantem, qui potiùs pani lucrando, quàm iuri dicendo insudabat, conuenêre; &, data pecunia, conduxêre, vt contra illam propositionem meam scriberet. Quod fecit, & impressit, generales regulas, (vt illius proprium erat) adducendo, quibus probatur omnes viros esse testes idoneos, modò sint bonæ conuersationis, & famæ. Paucula autem illa, quæ affert ea nostris statutis, ita extra propositum sunt, vt, cum illam Scripturam legerem, exclamauerim, dicens cum Propertio.

Aurum omnes, victa iam pietate, colunt.
Auro pulsa fides, auro venalia iura,
Aurum lex sequitur.

Quod ita verum esse puto, vt falsitatis accusem illos, qui dicunt, ætatem nos ferri colere; existimo enim, nos esse in ætate auri, cum omnia auro fiant, vt cecinit non illepidè Poëta Naso.

Aurea nunc verè sunt sæcula. plurimus auro,
Venit honos, auro conciliantur opes.

Hæc sic impressa Scriptura præsentari debebat capitulo generali, vt me tanquam malè locutum de Fratribus meis redargueret, atque pueros, præciperetque dictam propositionem abiurare. Sed cum visa fuisset in priuato à capitularibus, quibus singulis vna copia fuit consignata, indigna visa est, vt in consessum tantorum Patrum compareret. Cùm ego tamen ad quædam breuia negotiola è capitulo discessissem, Morgantus quidam, vt audiui, dictam Scripturam præsentare tentauit. Sed reiectus est.

3. Dico itaque primò, quòd si intentum Fratrum meorum Oblatorum sciuissem, illa pecunia in alios vtiliores vsus fuisset conuersa; & charitas fraterna videbatur postulare, vt scirem; cum enim essem præsens, dictam propositionem declarassem, antequam contra eam quicquam scriberetur. Nam dubia propositio intelligenda est in eo sensu, quem illi dat, qui eam protulit, *l. In ambiguis, ff. de reg. iur.* Nau. *lib.* 5. *cons. de hæret. cons.* 6. *num* 6.

4. Dico secundò, quòd Doctorellus ille, qui contra me scripsit, Doctoris se solùm nomen habere monstrauit, (nisi id fecerit ad panem lucrandum) nam si re Doctor fuisset, sciuisset, quòd Doctorum dicta secundùm leges, quas allegant, intelligenda sunt, vt docent Ioan. Andr. *in c. Cùm nuntius, de testibus, n.* 4. Nau. *in c. Qualitas, n.* 39. *de pœnit. d.* 5. vbi citat Batt. Cùm ergo ad illud dictum probandum adduxissem *cap. Sacerdotes,* 2. *quæst.* 7. illud erat interpretandum, sicut *dictum c. Sacerdotes,* cuius interpretatio sumitur *ex cap. Clericos, eod. caus. & quæst.* & sic papyrus illa non fuisset frustra consumpta.

5. Dico tertiò, mentem meam nunquam fuisse contristare Oblatos Fratres meos, quos amo, & colo, ac in pupilla gero oculorum meorum, quibusque semper faui, & sum auxiliatus, vt bene sciunt, quibuscum sum conuersatus; & multò minùs cogitaui vnquam eos damno aliquo afficere, vel dehonestare, cum ex illo ordine sanctissimæ vitæ, probatæque

disciplinæ

disciplinæ multos nouerim, & noscam. Et quis tam insipiens est, vt me tam insipientem, & malignum reputet, vt deuotos Oblatos, ac suæ Regulæ obseruantes, ac multos etiam gloria miraculorum illustres, à testimonio ferendo, & ab accusando Prælatos arcere contenderim? Ego, qui tantum virtuti defero, vt omnia illi deberi prædicem virturem reprobaui, deturpaui in Fratribus meis Oblatis? Pudet hæc fuisse de me vnquam cogitata. Ad quid non audet inscitia malignitati adiecta; *Posuerunt*, inquit diuinus Psaltes, *in cælum os suum*; vnde non mirum, *si lingua eorum transiuit in terra*.

6. Dico 4. quòd ego non intendo hic reprobare, quæ misellus ille Doctor contra me attulit. Tum quia contra dictum meum sanè intellectum, nihil dicit. Tum quia tanto honore digna non sunt. Et præsertim quæ affert ex Ordine nostro, insulsa omninò sunt, & extra rem, vt patere potest intuenti.

7. Dico 5. quòd propositio illa mea est intelligenda iuxta gloss. & Archidiac. *in dicto cap. Clericos*, 2. *quæst.* 7. quòd scilicet dicti Fratres Oblati non possint accusare, neque testificari contra Prælatos, quin priùs de eorum opinione, & vita discutiatur. Quod etiam habetur expressè *in dicto cap. Clericos, & cap. Criminationes, & cap. Quærendum, ead. causa, & q.* Et innuitur non obscurè *in cap. Qualiter, & quando, el 2. verb. Licet autem hoc, de accusat.* Et in nostris statutis generalibus id innuitur *cap. Genuensi 6. n.* 22. expressè mandatur *in cap. Valent.* 4. *num* 51. *& Massiliens.* 1. *num.* 59. Et huius opinionis est etiam D. Thom. 2. 2. *quæst.* 68. *art.* 1. *ad secundum*, Ghisiler. *de iud. regul. cap.* 16. *num.* 47. Aragon. *ad loc. cit.* D. Thom. Val. *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 12. *par.* 1. *vers. Dicit tamen* Cai. Specul. *lib.* 3. *de accus.* §. 4. *num.* 7. Et licèt dicta iura, & capitula loquantur de omnibus indistinctè, ita vt non solùm includant Oblatos, sed etiam Laïcos, & Sacerdotes, & moneant vniuersaliter omnes Superiores, ne in causis Prælatorum quoscunque testes admittant indifferenter, sed illos solùm, de quorum bona fama, & conuersatione priùs constat; tamen ego ad Oblatos potiùs, quàm ad alios, propositionem meam restrinxi. Tum quia isti communiter, saluis saluandis, recipiuntur pro seruitio, absque multo delectu. Tum quia non multum accuratè educantur. Tum quia liberiùs, quàm alij, viuunt; soli enim ambulant. Tum quia cum crebriùs propter ingenij tarditatem corrigantur à Prælatis, hi faciliùs in illorum odium incurrunt. Tum quia non sunt ita eruditi communiter, vt sciant quid requiratur ad accusandum, seu denunciandum, & testificandum. Tum quia scio Reuerendiss. P. Didacum Arias tempore sui Generalatus nullum vnquam Oblatum in testem, vel accusatorem iuridicè admittere voluisse. Tum propter alias rationes, quas consulto omitto, ne illis exosus reddar, sub suo enim pessulo omnia esculenta, & poculenta recludunt; quare ratione boni regiminis præstat illis morem gerere.

8. Dico nihilominus 6. quod mea propositio sic declarata, fouetur multum auctoritate illorum DD. qui dicunt, quod probationes contra Prælatos debent esse maiores, quam contra alios. Isti verò sunt Paris à Puteo *de syndic. ver. Probatio*, §. *Contra officiales*, *num.* 6. *& ver. Testis*, §. *Fui semel*, *num.* 3. *vers. Quid ergo.* Amodeus Iustinus *de syndic. num.* 186. *&* 187. August. Dulcetus *de syndic. num.* 24. Baldus *in leg. Obseruare*, §. *Proficisci, de offic. Proconsul. n.* 14. Bobadill. *tom.* 2. *polit. lib.* 5. *cap.* 1. *à num.* 200. vbi multos citat *in com. lit. G.* Mascard. *de prob. tom.* 2. *conclus.* 957. *num.* 28. *& tom.* 3. *concl.* 1254. *num.* 18. Rodriquez *tom.* 3. *quæst. regul. quæst.* 77. *art.* 4. Thomas à Iesu *de visit. regul. tract.* 3. *cap.* 14. *num.* 6.

9. Concludo itaque, quod ego Fratres meos Oblatos non excludo à testimonio ferendo, neque ab accusando, &c. Prælatos; sed volo, vt priùs discutiatur, an bonæ famæ, & bonæ conuersationis sint. Quòd si notum sit, eos esse bonæ famæ, & conuersationis, tanti facio illorum testimonium, quanti cuiuslibet alterius, quantumvis eminentis viri.

CONSTIT. III. aliàs XIII.

Quâ reuocat omnes licentias, & priuilegia sumendi nouos conuentus contra formam const. Clem. VIII. & decretum Congreg. Concilij de mandato Gregorij XV.

VRBANVS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

Romanus Pontifex, cui Saluator, & Dominus noster, qui charitas est, & Deus pacis, vniuersalis Ecclesiæ credidit principatum, ea interdum, quæ certis etiam rationabilibus de causis à Sede Apostolica concessa sunt, ipsa subinde rerum experientia suadente, & maioribus ex causis, quibus præsertim personarum sub suaui Religionis iugo Altissimo famulantium paci, & quieti consulitur, litibusque ac controuersiis inter eos obuiam itur, reuocat, & immutat, in hisque Pastoralis sollicitudine, & prouidentia suæ studium interponit, prout, rerum, & temporum qualitatibus debitè pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

Motiua.

§. I. Cùm itaque, sicut nobis innotuit, complures licentiæ, siue facultates à nonnullis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris per diuersos Ordinum, etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum Regularium Institutorum Superiores, seu alios eorum nomine, vbique locorum Monasteria, domos, collegia, conuentus, & alia loca Regularia, quovis nomine nuncupata, seruata dumtaxat sacrorum Canonum, & Concilij Tridentini decretorum forma, de sola Ordinarij licentia, seu etiam forsan non seruata forma, & absque licentia huiusmodi, & contra decreta à Sede Apostolica super præmissis edita, fundandi, erigendi, & instituendi, importunis precibus, seu etiam motu proprio, vel aliàs obtentæ, & exortæ fuerint.

Reuocat prout in summario.

§. II. Idcirco nos omnes, & quascumque licentias, ac facultates huiusmodi, literasque desuper, tam sub plumbo, quàm in huiusmodi forma Breuis desuper expeditas, earumque tenores etiam veriores, & datum præsentibus, ac si specificè, & sigillatim exprimerentur, & insererentur, pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, iustis de causis animum nostrum mouentibus, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac matura deliberatione

nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & quascumque licentias, & facultates huiusmodi, literasque desuper, tam sub plumbo, quàm in eadem forma Breuis expeditas, omniaque & singula in eis quomodolibet contenta & expressa, etiam quoad erectiones, fundationes, & institutiones Monasteriorum, Collegiorum, domorum, conuentuum, & aliorum locorum Regularium huiusmodi, quæ nondum suum sortitæ sunt effectum, tenore præsentium perpetuò reuocamus, cassamus, abrogamus, & annullamus, viribusque & effectu prorsus euacuamus.

Apponit pœnas dictis licentiis vtentibus.

§. III. Præterea Ordinum, etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum Institutorum Regularium Superioribus, quocumque nomine nuncupatis, cæterisque personis, ad quos spectat, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, nec non officiorum quorumcumque ac inhabilitatis ad illa, & alia in futurum obtinenda nec non etiam excommunicationis ipso facto incurrendis pœnis interdicimus, & prohibemus, ne licentiarum, seu facultatum, per nos, vt præfertur, reuocatarum, & annullatarum, siue alio quovis prætextu, vel causa, etiam quantumvis priuilegiata, noua Monasteria, collegia, domos, conuentus, & alia loca Regularia huiusmodi, nisi de expressa Ordinariorum licentia, ac seruata in omnibus, & per omnia sacrorum Canonum, & Concilij Tridentini, ord. necnon constitutionis fel. record. Clementis VIII. quæ incipit: Quoniam ad institutam, sub Datum Romæ apud Sanctum Marcum, sub Annulo Piscatoris, die 23. Iulii MDCIII. ac decretorum de mandato eiusdem Clementis, necnon sim. me. Gregorij XV. Romanorum Pontificum prædecessorum desuper editorum forma, recipere, erigere, fundare, seu aliàs quomodolibet instituere, seu incepta finire, & absoluere audeant, seu præsumant.

Clausulæ præseruatiuæ.

§. IV. Decernentes, præsentes literas, etiam ex eo, quòd causæ, propter quas illæ emanarint, expressæ, verificatæ, & iustificatæ, aut quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes, ad hoc vocati, citati, & auditi non fuerint, neque illis consenserint, vel aliàs ex quocumque capite, prætextu, colore, ingenio, vel causa, de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quovis defectu notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, in ius, vel controuersiam vocari, ad terminos iuris reduci, aut contra eas quodvis gratiæ, vel iustitiæ remedium impetrari, seu concedi nullatenus posse, sed eas, ac omnia, & singula in eis contenta, semper, & perpetuò valida, firma, & efficacia esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, inuiolabiliter obseruari; sicque, & non aliter, per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Nuntios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Commissarios deputat.

§. V. Quo circa venerabilibus fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios, præsentes literas, & in eis contenta quæcumque solemniter publicandum faciant illas, & illa ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inuiolabiliter obseruari; contradictores quoslibet, & rebelles per censuras & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Derogat contrariis.

§. VI. Non obstantibus præmissis, ac regula nostra: De iure quæsito non tollen. & re. me. Bonifacij Papæ VIII. similiter prædecessoris nostri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodò vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur; aliisque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quorumcumque Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum Regularium, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis, etiam Mare magnum, vel aliàs quomodolibet nuncupatis, & literis Apostolicis, illis, eorumque Superioribus, & personis, sub quibuscumque ten. & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritan. & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, & consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & sæpiùs innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis ten. specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc seruanda foret, eorum omnium ten. præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat formam publicandi, & transumptis fidem iubet adhiberi.

§. VII. Volumus autem, quòd præsentes in valuis Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe, ac in acie campi

Floræ,

Flora, ut moris est, affixa, omnes, quos illæ concernunt, ita urcent, & afficiant, perinde, ac si unicuique personaliter intimata fuissent. Quodque earundem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 28. Augusti 1624. Pontificatus nostri, anno 2. V. Theatinus.

Anno 1624. indictione septima, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini Vrbani diuina prouidentia Papæ VIII. anno eius secundo, die verò vltima mensis Augusti, retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicarum S. Ioannis Lateranensis & Principis Apostolorum, ac in acie campi Floræ, vt moris est, per nos Camillum Fundatum de Cesis, & Iulium Marzitellum prælibati Sanctissimi Domini nostri Papæ Cursores, &c.

Brandimartes Latinus pro Magistro D.D. Curs.

1. NOto primò, circa hanc constitutionem quòd de constitutione Clementis VIII. de qua in §. 3. mentionem facio in constitutione Pyrrhi, *n.* 48. & decretum Congregationis de mandato Gregorio XV. habes *in 6. constitut. dicti Gregorij tom. 2. nostri bull.*

2. Noto secundò, per hanc constitutionem quatenus confirmat omnino constitutionē Clement. VIII. tolli arbitramentum illud, quod Episcopis reliquerat Gregor. XV. *in fin. §. 1. dict. eius constit. 6.* non vocandi Priores, seu Procuratores conuentuum iam fundatorum, si illis aliàs constaret, duodecim Fratres conuentus ædificandi posse in illo loco commodè sustentari absque detrimento Religiosorum degentium in monasteriis iam ibi ædificatis.

3. Noto tertiò, quòd omnes istæ prohibitiones non comprehendunt hospitia. Nam appellatione monasterij non venit hospitium. Ita Riccius *part. 1. praxis, decis.* 652. Et ratio est; Nam cum in locis, vbi sunt hospitia, non celebrentur publicè diuina, neque pulsentur campanæ, neque fiant quæstuationes, non possunt Fratres ibi habitantes esse damno aliis monasteriis antiquioribus. Cùm ergo, cessante fine prohibitioni, cesset etiam illius effectus; *cap. Cùm cessante, de appell.* & in hospitiis cesset dictatum constitutionum finis, dicendum est, eas in illis locum non habere.

CONSTIT. V. aliàs XV.

Quâ prohibet omnibus Episcopis Italiæ sub pœna priuationis exercitij Pontificalium per annum, ne quemquam Vltramontanum sine literis dimissoriis sui Ordinarij, recognitis à Vicario Papæ ordinent, etiam ad minores, aliter autem ordinatis pœnam suspensionis perpetuæ imponit.

VRBANVS PAPA VIII. AD perpetuam rei memoriam.

Prooemium. *SEcretis æterna prouidentia consiliis, nullo nostrorum suffragio meritorum, speculatores domus Israël, in sublimi Apostolatus culmine constituti, eo potissimum Pontificiæ sedulitatis officia conuertenda esse arbitramur, vt qui in sortem Domini vocantur, Christique militiæ dant nomen, spiritualem Ecclesiæ tranquillitatem non perturbent, sed pacem confirment, vires augeant, ac tam strenuè se gerant, vt ipsam terribilem, quasi castrorum aciem ordinatam, inferæ potestates, ac Principes tenebrarum quotidie magis perhorrescant. Hæc autem quantò impensiùs fieri optamus, tantò maiori indignatione Irreligiosam quorundam impudentiam detestamur, ac sacrilegam temeritatem execramur, qui sacros Canones, Summorúmque Pontificum decreta non verentes, clericales ordines illegitimè suscipiunt, ac dum in Ecclesiasticorum ministrorum cœtum per nefas irrepunt, Dei cultui, animarum saluti, omnibusque ad optimum christianæ Reipublicæ regimen pertinentibus plurimùm obesse noscuntur.*

§. I. Aliàs siquidem felicem recordationem Clemens Papa IV. prædecessor noster, volens periculis animarum eorum obuiare, qui vinculo excommunicationis astricti, aut apostatæ, seu Irregulares, vel aliàs ordinum sacrorum susceptione indigni, suam patriam, in qua de his haberetur notitia, fugientes, se in remotis partibus faciebant ad huiusmodi ordines promoueri, statuit, vt nullus Episcoporum Italiæ de cætero aliquem Vltramontanum Clericum ordinare præsumeret, nisi ab eodem Clemente prædecessore, vel ab Episcopo, de cuius Diœcesi traxerat originem ordinandus, vel in cuius Diœcesi beneficiatus existebat, per eius patentes literas, causam rationabilem continentes, quare ipsum nolebat, aut nequibat ordinarè, specialem licentiam haberet. Eos verò, quos contra promissa contigisset ordinari, manere voluit absque spe dispensationis super hoc à Sede Apostolica obtinenda, suspensos, ac Ordinantes condigna pœnitentia puniri. Clemens IV. prohibuit, Vltramontanos in Italia ordinari, c. 1. de temp. ordin. in 6.

§. II. Cùm autem non sine graui animi molestia, nobis innotuerit, quamplures Vltramontanos, suæ salutis immemores, Deique timore postposito, ad ordines prædictos cum falsis dimissorialibus literis, seu etiam cum titulo patrimonij ficto, vel fiduciario, seu etiam falso, cum maximo bonorum omnium scandalo, se promoueri fecisse. Nos innumeris, quæ ex minùs canonica Clericorum ordinatione huiusmodi proueniunt, malis, quantum nobis ex alto conceditur, prouidere volentes, prædictam Clementis prædecessoris constitutionem, cum omnibus, & singulis in ea contentis approbantes, & innouantes, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, in Italia existentibus, tenore præsentium prohibemus, ne quovis prætextu, & ex quacumque causa, Hispanos, Lusitanos, Gallos, vel Germanos, aliosque Multis causis adductis dictā const. Clem. confirmat, & innouat, & prohibet etiam in minoribus ordinari, cum appositione pœnæ.

nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & quascumque licentias, & facultates huiusmodi, literasque desuper, tam sub plumbo, quàm in eadem forma Breuis expeditas, omniaque & singula in eis quomodolibet contenta & expressa, etiam quoad erectiones, fundationes, & institutiones Monasteriorum, Collegiorum, domorum, conuentuum, & aliorum locorum Regularium huiusmodi, quæ nondum suum sortita sunt effectum, tenoris præsentium perpetuò reuocamus, cassamus, abrogamus, & annullamus, viribusque & effectu prorsus euacuamus.

Apponit pœnas dictis licentiis vtentibus.

§. III. *Prætereà Ordinum, etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum Institutorum Regularium Superioribus, quocumque nomine nuncupatis, cæterisque personis, ad quos spectat, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, nec non officiorum quorumcumque ac inhabilitatis ad illa, & alia in futurum obtinenda nec non etiam excommunicationis ipso facto incurrendis pœnis interdicimus, & prohibemus, ne licentiarum, seu facultatum, per nos, vt præfertur, reuocatarum, & annullatarum, siue alio quouis prætextu, vel causa, etiam quantumuis priuilegiata, noua Monasteria, collegia, domos, conuentus, & alia loca Regularia huiusmodi, nisi de expressa Ordinariorum licentia, ac seruata in omnibus, & per omnia sacrorum Canonum, & Concilij Tridentini, ord. necnon constitutionis fel. record. Clementis VIII. quæ incipit: Quoniam ad institutam, sub Datum Romæ apud Sanctum Marcum, sub Annulo Piscatoris, die 23. Iulij MDCIII. ac decretorum de mandato eiusdem Clementis, necnon fan. me. Gregorij XV. Romanorum Pontificum prædecessorum desuper editorum forma, recipere, erigere, fundare, seu aliàs quomodolibet instituere, seu incepta finire, & absoluere audeant, seu præsumant.*

Clausulæ præseruatiuæ.

§. IV. *Decernentes, præsentes literas, etiam ex eo, quòd causa, propter quas illæ emanarint, expressa, verificata, & iustificata, aut quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes, ad hoc vocati, citati, & auditi non fuerint, neque illis consenserint, vel aliàs ex quocumque capite, prætextu, colore, ingenio, vel causa, de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quouis defectu notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, in ius, vel controuersiam vocari, ad terminos iuris reduci, aut contra eas quoduis gratiæ, vel iustitiæ remedium impetrari, seu concedi nullatenus posse, sed eas, ac omnia, & singula in eis contenta, semper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, inuiolabiliter obseruari; sicque, & non aliter, per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Nuntios, quauis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Commissarios deputat.

§. V. *Quo circa venerabilibus fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios, præsentes literas, & in eis contenta quæcumque solemniter publicandum faciant illas, & illa ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inuiolabiliter obseruari; contradictores quoslibet, & rebelles per censuras & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.*

Derogat contrariis.

§. VI. *Non obstantibus præmissis, ac regula nostra: De iure quæsito non tollen. & re. me. Bonifacij Papæ VIII. similiter prædecessoris nostri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur; aliisque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quorumcumque Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum Regularium, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, etiam Mare magnum, vel aliàs quomodolibet nuncupatis, & literis Apostolicis, illis, eorumque Superioribus, & personis, sub quibuscumque ten. & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritan. & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, & consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & sæpiùs innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis ten. specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc seruanda foret, eorum omnium ten. præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.*

Dat formam publicandi & transumptis fidem iubet adhiberi.

§. VII. *Volumus autem, quòd præsentes in valuis Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe, ac in acie campi Floræ,*

Flora, vt moris est, affixæ, omnes, quos illæ concernunt, ita arctent, & afficiant, perinde, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent. Quodque earundem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die 28. Augusti 1624. Pontificatus nostri, anno 2. V. Theatinus.

Anno 1624. indictione septima, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini Vrbani diuina prouidentia Papæ VIII. anno eius secundo, die verò vltima mensis Augusti, retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicarum S. Ioannis Lateranensis & Principis Apostolorum, ac in acie campi Floræ, vt moris est, per nos Camillum Fundatum de Cesis, & Iulium Marzitellium prælibati Sanctissimi Domini nostri Papæ Cursores, &c.

Biandimaries Latinus pro Magistro D.D. Curs.

1. NOto primò, circa hanc constitutionem quòd de constitutione Clementis VIII. de qua in §. 3. mentionem facio in constitutione Pyrrhi, *n. 48.* & decretum Congregationis de mandato Gregorio XV. habes *in 6. constitut. dicti Gregorij tom. 2. nostri bull.*

2. Noto secundò, per hanc constitutionem quatenus confirmat omnino constitutionē Clement. VIII. tolli arbitramentum illud, quod Episcopis reliquerat Gregor. XV. *in fin. §. 2. dict. eius constit. 6.* non vocandi Priores, seu Procuratores conuentuum iam fundatorum, si illis aliàs constaret, duodecim Fratres conuentus ædificandi posse in illo loco commodè sustentari absque detrimento Religiosorum degentium in monasteriis iam ibi ædificatis.

3. Noto tertiò, quòd omnes istæ prohibitiones non comprehendunt hospitia. Nam appellatione monasterij non venit hospitium. Ita Riccius *part. 1. praxis, decis. 652.* Et ratio est: Nam cum in locis, vbi sunt hospitia, non celebrentur publicè diuina, neque pulsentur campanæ, neque fiant quæstuationes, non possunt Fratres ibi habitantes esse damno aliis monasteriis antiquioribus. Cùm ergo, cessante fine prohibitioni, cesset etiam illius effectus; *cap. Cùm cessante. de appell.* & in hospitiis cesset dictarum constitutionum finis, dicendum est, eas in illis locum non habere.

CONSTIT. V. aliàs XV.

Quâ prohibet omnibus Episcopis Italiæ sub pœna priuationis exercitij Pontificalium per annum, ne quemquam Vltramontanum sine literis dimissoriis sui Ordinarij, recognitis à Vicario Papæ ordinent, etiam ad minores, aliter autem ordinatis pœnam suspensionis perpetuæ imponit.

VRBANVS PAPA VIII. AD perpetuam rei memoriam.

Proœmium. *SEcretis æternæ prouidentiæ consiliis, nullo nostrorum suffragio meritorum, speculatores domus Israël, in sublimi Apostolatus culmine constituti, eo potissimum Pontificiæ sedulitatis officia conuertenda esse arbitramur, vt qui in sortem Domini vocantur, Christique militiæ dant nomen, spiritualem Ecclesiæ tranquillitatem non perturbent, sed pacem confirment, vires augeant, ac tam strenuè se gerant, vt ipsam terribilem, quasi castrorum aciem ordinatam, inferæ potestates, ac Principes tenebrarum quotidie magis perhorrescant. Hæc autem quantò impensiùs fieri optamus, tantò maiori indignatione Irreligiosam quorundam impudentiam detestamur, ac sacrilegam temeritatem execramur, qui sacros Canones, Summorúmque Pontificum decreta non verentes, clericales ordines illegitimè suscipiunt, ac dum in Ecclesiasticorum ministrorum cœtum per nefas irrepunt, Dei cultui, animarum saluti, omnibusque ad optimum christianæ Reipublicæ regimen pertinentibus plurimùm obesse noscuntur.*

§. I. Aliàs siquidem felicem recentiorem Clemens Papa IV. prædecessor noster, volens periculis animarum eorum obuiare, qui vinculo excommunicationis astricti, aut apostatæ, seu Irregulares, vel aliàs ordinum sacrorum susceptione indigni, suam patriam, in qua de his haberetur notitia, fugientes, se in remotis partibus faciebant ad huiusmodi ordines promoueri, statuit, vt nullus Episcoporum Italiæ de cætero aliquem Vltramontanum Clericum ordinare præsumeret, nisi ab eodem Clemente prædecessore, vel ab Episcopo, de cuius Diœcesi traxerat originem ordinandus, vel in cuius Diœcesi beneficiatus existebat, per eius patentes literas, causam rationabilem continentes, quare ipsum nolebat, aut nequibat ordinare, specialem licentiam habere. Eos verò, quos contra promissa contigisset ordinari, manere voluit absque spe dispensationis super hoc à Sede Apostolica obtinendæ, suspensos, ac Ordinantes condigna pœnitentia puniri. Clemens IV. prohibuit, Vltramontanos in Italia ordinari, c. 1. de temp. ordin. in 6.

§. II. Cùm autem non sine graui animi molestia, nobis innotuerit, quamplures Vltramontanos, suæ salutis immemores, Deique timore postposito, ad ordines prædictos cum falsis dimissorialibus literis, seu etiam cum titulo patrimonij ficto, vel fiduciario, seu etiam falso, cum maximo bonorum omnium scandalo, se promoueri fecisse. Nos innumeris, quæ ex minùs canonica Clericorum ordinatione huiusmodi proueniunt, malis, quantum nobis ex alto conceditur, prouidere volentes, prædictam Clementis prædecessoris constitutionem, cum omnibus, & singulis in ea contentis approbantes, & innouantes, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, in Italia existentibus, tenore præsentium prohibemus, ne quovis prætextu, & ex quacumque causa, Hispanos, Lusitanos, Gallos, vel Germanos, aliosque Multis causis adductis dictā const. Clem. confirmat, & innouat, & prohibet etiam in minoribus ordinari, cum appositione pœnæ.

que quoscumque Vltramontanos, & ex quibusuis locis extra Italiam oriundis, non solùm ad sacros, sed neque etiam ad minores ordines, vel Clericalem characterem promouere audeant, seu præsumant, nisi dimissoriales suorum Ordinariorum literas, à nostris, & huius sanctæ Sedis Nuntiis, seu Collectoribus, in illis partibus commorantibus recognitas, probatas, & subscriptas habeant, eorundémve Nuntiorum, seu Collectorum subscriptiones à dilecto filio nostro, in alma Vrbe Vicario in spiritualibus generali similiter examinata, recognita, & probata fuerint. Aliàs promouentes ad annum ab exercitio Pontificalium, promoti verò perpetuæ suspensionis pœnam, absque spe dispensationis à Sede Apostolica obtinenda, incurrant eo ipso. Insuper promotos huiusmodi, ac etiam eos, qui cum falsis, vel fictis, aut fiduciariis patrimony titulis scienter se ad ordines huiusmodi promoueri fecerint, non solùm prædictis, verumetiam maioribus, arbitrio nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis, infligendis pœnis.

Itali, qui ab alieno Episcopo cum falsis dimissoriis, etiam ad minores promoueri se faciunt, priuilegio fori non gaudent, post declarationem iudicis Ecclesiastici.

§. III. Italos verò, si quos imposterum Clericali charactere insigniri, vel ad minores ordines promoueri ab alieno Episcopo cum falsis dimissoriis contigerit, etiamsi qualitatibus per Concilij Tridentini Decretum cap. 6. sessione 23. requisitis præditi sint, nihilominus, sequuta tamen prius desuper iudicis Ecclesiastici declaratione, fori priuilegio minimè gaudere, sed sæculari iurisdictioni, vt antea, plenè in omnibus subiacere, & subiectos esse respectiuè volumus.

Aufert potestatem aliter iudicandi, & interpretandi, & contrario derogat.

§. IV. Sicque, & non aliter, per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Const. Pij II. contra malè promotos non vult esse derogatum.

§. V. Per præsentes autem constitutioni recolendæ memoriæ Pij Papæ II. prædecessoris nostri contra malè promotos editæ, nullatenus derogare intendimus, sed illam cum omnibus, & singulis in ea contentis in suo robore, & efficacia permanere perinde, ac si præsentes non emanassent, decernimus.

Publicatæ in [illegible] omnes afficiunt.

§. VI. Vt autem præsentes literæ ad omnium notitiam faciliùs deuenire possint, volumus, quòd illæ, siue earum exempla, in valuis Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ, necnon in acie campi Floræ, vt moris est, affixa, omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent. Quodque earundem transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra illud vbique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 11. Decembris 1624. Pontificatus nostri anno 2. V. Theatinus.

Anno 1624 indictione 7. Pontificatus S.D.N.D. Vrbani, diuina prouidentia Papæ VIII. die vero 16. mensis Decembris, retroscripta literæ Apostolicæ affixæ, lectæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicarum sancti Ioannis Lateranensis, Principis Apostolorum de Vrbe, ac Cancellariæ Apostolicæ acie campi Floræ per nos Alexandrum de Rocchus, & Fabium Emilianum S. D. Papæ Curs.

Brandimartes Latinus pro Magistro D.D.Curs.

NOto, quòd Vltramontani, qui in Italia acquisiuerunt domicilium, possunt ordinari ab Episcopo, qui illis est superior ratione domicilij. Ita Barbosa *in cap. 1. de temp. ordin. in 6 num. 3. qui num. 7.* aduertit, quod Itali ordinati ab Episcopis Vltramontanis, & vltra montes non comprehenduntur in illa constitutione. Ergo neque in ista.

CONSTIT. VI. aliàs XVI.

Quâ statuit, quòd non ordinatus celebrans, aut confessiones audiens, puniatur iuxta constitutionem Clementis VIII. non obstante, quòd non fuerit constitutus in ætate 25. annorum, modò 20. annum compleuerit.

VRBANVS PAPA VIII. AD perpetuam rei memoriam.

Procemium.

APostolatus officium, cui, meritis licet imparibus, disponente Deo, præsidemus, à nobis postulat, vt, quantum nobis ex alto conceditur, delinquendi fiduciam compescamus, in iis præsertim, quorum eò sacrilega processit audacia, vt se beneficio minoris ætatis, spretis Apostolicis constitutionibus, confoueant in delictis, quorum statutis pœnis se idcirco iactant minimè subiacere.

Ponit const. Clem. VIII.

§. I. Aliàs siquidem à fel. rec. Clemente Papa VIII. prædecessore nostro emanarunt literæ tenoris sequentis, videlicet. Clemens Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Etsi aliàs fel. record. Paulus Papa IV. prædecessor noster, ad nefariam, & sacrilegam quorundam hominum temeritatem coërcendam, qui cum ad sacrum Presbyteratus ordinem minimè promoti sint, Sacerdotis tamen auctoritatem sibi temerè assumentes, missarum celebrationem vsurpare, & Sacramentum Pœnitentiæ ministrare præsumunt, decreuerit, huiusmodi delinquentes à sancta Inquisitionis iudicibus tradi debere curiæ sæculari, debita animaduersione puniendos; & posteà rec. mem. Sixtus Papa V. etiam prædecessor noster, prædictum Pauli Papæ IV. decretum innouari, ac seriò obseruari mandauerit;

mandauerit; eo tamen dictorum hominum prorupit audacia, vt prætextu ignorationis huiusmodi Decretorum, ac pœnarum contra ipsos, vt præfertur, inflictarum, illis se minimè subiacere, & obnoxios esse putent, ac propterea ab eisdem liberari, & absolui posse prætendant. Nos igitur animaduertentes, huiusmodi perditos, & nefarios homines ad sacrum Presbyteratus ordinem non promotos missarum celebrationem vsurpare præsumentes, non solùm actus idololatriæ, saltem extrinsecè, seu per externa, & visibilia Religionis, & pietatis signa, exercere; sed etiam (quantum in ipsis est) efficere, vt Christi fideles, qui credunt, eos ordinatos esse, & ritè conficere Sacramentum Eucharistiæ, idololatriæ crimen ignoranter incurrant, purum videlicet panem, & vinum, tanquam verum Christi Domini nostri corpus, & sanguinem, eisdem adorandum proponentes: Confessiones autem audientes non solùm Sacramenti Pœnitentiæ dignitatem contemnere, verumetiam Christi fideles decipere, dum scilicet iniquè sibi assumunt gradum Sacerdotalem, & auctoritatem absoluendi à peccatis magno cum periculo, & scandalo plurimorum. Propterea, vt grauissima hæc scelera committentes posthac debito supplicio puniantur; Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac matura deliberatione, deque Apostolicæ potestatis plenitudine S. Inquisitionis iudicum conscientiæ consulere, & ne in futurum de pœna hisce delinquentibus imponenda dubitari possit, prouidere volentes, supradictorum prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, hac perpetuò valitura constitutione decernimus, atque statuimus, vt quicumque non promotus ad sacrum Presbyteratus ordinem, repertus fuerit Missarum celebrationem vsurpasse, vel sacramentalem confessionem audiuisse, à iudicibus Sanctæ Inquisitionis, vel locorum Ordinariis, tanquam Ecclesiæ misericordia indignus à foro Ecclesiastico abiiciatur, & ab ordinibus Ecclesiasticis, si quos habuerit, ritè degradatus, statim curiæ sæculari tradatur, per iudices sæculares debitis pœnis plectendus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac in conciliis etiam generalibus editis, etiam in corpore iuris clausis. Quibus omnibus, & singulis, illarum tenores pro sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Vt autem huiusmodi constitutionis ignorantia de cætero allegari, aut prætendi nunquam possit, atque vt præsentes literæ omnibus innotescant, volumus, illas ad valuas Sancti Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe Basilicarum, & aciè campi Floræ more solito publicari, & affigi; atque, iis inde amotis, earundem exempla, etiam impressa, ibi affixa relinqui, factaque huiusmodi publicatione, omnes, qui in Vrbe post mensem, qui verò extra eam, & citra montes, post quatuor menses, qui demùm vltra montes fuerint, post decem menses, à die publicationis præsentium computandos, afficere, & arctare, ac si eorum cuilibet intimatæ fuissent personaliter. Ac præterea mandamus, earundem præsentium literarum exemplis, etiam impressis, & manu Notarij publici subscriptis, & sigillo officij S. R. Inquisitionis, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eandem prorsus fidem haberi, quæ hisce præsentibus haberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 1. Decemb. 1601. Pontificatus nostri anno 10.

§. II. *Cùm itaque, sicut accepimus, nonnulli priuilegio minoris ætatis nimis temerè confisi, & legum indulgentia freti, pœnas à D. Clemente prædecessoris constitutione in huiusmodi delinquentes statutas, paruipendere præsumant. Nos detestantes, &, quantum in nobis est, cohibere volentes impiam, ac nefariam horum temeritatem, qui atrocissimo hoc scelere Catholicam veritatem, quæ solos Presbyteros dictorum Sacramentorum ministros esse docuit, facto impugnant, negotio huiusmodi in Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium generalium Inquisitorum coram nobis habita maturè discusso, inhærentes constitutionis prædictæ, aliisque decretis, per felicis recordationis Paulum IV. & Sixtum V. Romanos Pontifices prædecessores nostros contra similia perpetrantes editis, eaque etiam ad effectum prædictum matura deliberatione, deque Apostolica potestatis plenitudine ampliantes, & extendentes, hac nostra perpetuò valitura constitutione statuimus, & decernimus, vt de cætero perpetuis futuris temporibus, qui impostèrum ad sacrum Presbyteratus ordinem non promotus, missam celebrare, aut sacramentalem confessionem audire præsumpserit, ætate minori annis vigintiquinque non excusetur, quominùs eidem Clementis constitutioni subiiciatur, dummodò vigesimum suæ ætatis annum compleuerit, ipseque non promotus sic delinquens, nulla habita consideratione præfatæ minoris ætatis, siue laicus, siue Clericus sæcularis, aut cuiusuis Ordinis, Congregationis, Societatis, etiam de necessitate exprimenda, Regularis, aut cuiusuis alterius Instituti, etiam quantumuis exempti, & priuilegiati, nobisque, & Apostolicæ Sedi immediatè subiecti, necnon militiarum quarumcunque, etiam Sancti Ioannis Ierosolymitani, fuerit, tradatur curiæ sæculari pœnis debitis plectendus.* Statuit prout in summario.

§. III. *Sicque, & non aliter, per quoscumque S. Inquisitionis Iudices, & Inquisitores, etiam generales, S. R. E. Cardinales, & locorum Ordinarios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere. Ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari,* Prohibet aliter, quam hic disponitur, iudicari.

tentari, decernimus. Quocirca omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, quatenus statutum decretum, & constitutionem hanc nostram inuiolabiliter obseruent, & obseruari faciant.

Contrariis derogat. *§. IV. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac in conciliis, etiam generalibus, editis, etiam in corpore iuris clausis, necnon legibus, statutis, decretis, consuetudinibus, & priuilegiis, ad fauorem minorum vigintiquinque annis, quomodolibet, & vbicumque locorum editis, ac aliàs in ipsorum fauorem facientibus, Apostolica etiam confirmatione, ac iuramento, seu quauis firmitate alia roboratis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenoribus præsentibus pro sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.*

In Vrbe publicata omnes afficit; & transumptis fidem adhiberi iubet. *§. V. Volumus autem, harum literarum publicationem, & affixionem fieri iuxta formam in prædicta Clementis constitutione præscriptam, easque publicatas, & affixas omnes intra Vrbem, & extra, tam citra, quàm vltra montes, & mare, post tempus in ipsa Clementis constitutione præfixum arctare, & afficere, ac si cuilibet personaliter intimatæ fuissent. Mandamus pariter, & earundem transumptis, etiam impressis, manuque Notarij publici subscriptis, & sigillo Officij S. R. Inquisitionis, vel alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem, quæ præsentibus hisce adhiberetur, fides adhibeatur. Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 23. Martij 1628. Pontificatus nostri anno 5.* M.A.Maraldus.

Anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi millesimo sexcentesimo vigesimo octauo, indictione vndecima, die verò decima Septembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Vrbani diuina prouidentia Papæ VIII. anno eius 6. retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie campi Floræ, dimissis præsentibus literis per aliquantulum temporis spatium, vt moris est, affixis, ac deinde amotis, posteà earundem exempla etiam impressa, & affixa relicta fuerunt per nos Franciscum Pignoccatium, & Camillum Fundatum, Sanctiss. D. N. Papæ Curs.

Brandimartes Latinus Sanctiss. D N. Papæ Curs. pro Mag. D. D. Curs.

CONSTIT. VII. aliàs XVII.

Quâ statuit, quòd Religiosi, qui fecerunt professionem in Conuentibus non designatis pro Nouitiatu, ad Professionem, nullo Nouitiatu de nouo emisso, denuò recipiantur.

VRBANVS PAPA VIII. AD perpetuam rei memoriam.



Eligiosos viros, qui, spretis huius sæculi vanitatibus, diuini Numinis obsequiis sub suaui Religionis iugo sese manciparuut, Pastorali benignitate complectimur; vtque in vocatione, qua vocauit eos Dominus, permaneant, iuxta creditum nobis Apostolicæ seruitutis munus, sedulò intendimus, ac desuper eiusdem muneris, partes propensis studiis intendimus, prout ad Dei laudem, Catholicæque Ecclesiæ decus, & exaltationem conspicimus in Domino salubriter expedire. Procemium.

Statuit prout in summario. *§. I. Cùm itaque, sicut accepimus, quamplures Ordinum, Congregationum, & Institutorum Regularium professores, ad habitum Regularem recepti probationis annum in Monasteriis, seu domibus Regularibus ad id designatis, vel ab Apostolica Sede approbatis minimè fecerint; proindeque iuxta constitutionem fel. rec. Clementis Papæ VIII. prædecessoris nostri desuper editam, professio per eos subinde emissa inualida existat. Nos Religiosos prædictos ex huius sanctæ Sedis benignitate, specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes; Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, venerabilibus fratribus, nostro Scipioni Episcopo Sabinen. Cardinali Burghesio nuncupato, maiori Pœnitentiario, vel Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Ordinariis locorum, in quibus eorundem Religiosorum Monasteria, domus, seu conuentus, aliáve regularia loca consistunt, siue ipsorum Religiosorum Præfectis, vel Superioribus generalibus per præsentes committimus, & mandamus, quatenus omnes, & singulos Religiosos prædictos, qui ad habitum regularem aliàs canonicè recepti, annum probationis in Monasteriis, seu domibus Regularibus ad id designatis minimè fecerunt, subindeque professionem nihilominus emiserunt, ad professionem denuò, seruatis aliàs seruandis, emittendum, quæ sic emissa, illis, & eorum cuilibet, tam in foro interiori,*

teriori, quàm exteriori suffraguri debeat, absque nouo probationis unno, ex speciali huius sanctæ Sedis benignitate, auctoritate nostra Apostolica recipiant, & admittant; eosdemque, postquàm professionem denuò, vt præfertur, emiserint, ad omnes gradus, honores, dignitates, præeminentias, atque habilitates, quas, si ab initio validè professi essent, legitimè obtinerent, eadem auctoritate restituant, ac restitutos eo ipso esse, & censeri declarent, ita vt habeant eundem locum, sessionem, & votum prout haberent, si priores professiones valida fuissent, & nondum promoti ad omnes etiam sacros, & Presbyteratus ordines, seruatis aliàs seruandis, promoueri, & tum ipsi, quàm alij, ad eosdem ordines iam ritè promoti, in susceptis ordinibus huiusmodi, etiam in altaris ministerio ministrare, liberè, & licitè valeant; necnon omnes actus, siue contractus, quos contraxerunt, & legitimè contraxissent, vel cum laicis, vel cum alijs Monasterijs, seu alterius Religionis viris, si nullum aliud paterentur vitium, vel defectum, nisi ex eo solùm quia initi, aut contracti sunt inualidè ab ijs, qui contra dictam constitutionem in domibus non designatis, siue ab eadem Sede non approbatis, professi sunt, auctoritate nostra prædicta confirment, & approbent, ac validos omnino declarent. Super quibus omnibus, & singulis plenam, & amplam facultatem dicta auctoritate tenore præsentium tribuimus, & impartimur.

Decretum irritans. *§. II. Decernentes, præsentes literas, & in eis contenta, atque illarum vigore in præmissis facienda, & exequenda quæcumque, valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac omnibus, & singulis, quos illa concernunt, & concernent, quomodolibet in futurum, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, eosque præmissorum occasione, vel prætextu quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari nullatenus posse, nec debere; sicque, & non aliter ab omnibus censeri, & ita per quoscumque iudices ordinarios & delegatos, etiam S. R. E. causarum Palatij Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, dictæque Sedis Nuntios, in quauis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere; irritum quoque, & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Contrariis derogat. *§. III. Non obstantibus præmissis, ac præfata Clementis prædecessoris, aliisque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinum, Congregationum, & Institutorum huiusmodi, & quibusuis aliis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel alia quauis firmitate roboratis statutis, & cõsuetudinibus; priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, illis eorumque Superioribus, & personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus aliisque decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, & aliàs quomodolibet iteratis vicibus concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis specialis, specifica, & expressa, ac indiuidua, & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quauis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, & expressè harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.*

Mandat Superioribus obseruantiam, & Nouitiatuum designationem; transumptisque fidem adhiberi iubet. *§. IV. Cæterùm similibus imposterum consultum esse volentes, dilectis filiis Ordinum, Congregationum, & Institutorum huiusmodi Superioribus generalibus, quocumque nomine censeantur, ac Procuratoribus etiam generalibus, per præsentes districtè præcipimus, & mandamus, quatenus statim, visis præsentibus, loca, Monasteria, vel Conuentus, in quibus Nouitij probationis annum agant, & alia, quæ dictus Clemens prædecessor super hac re obseruari iussit, obseruentur, designari, siue confirmari omnino curent, & faciant. Vt autem præsentium notitia ad omnes faciliùs perueniat, volumus, vt illarum exemplis, etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 2. Aprilis 1631. Pontificatus nostri anno 8.*
M. A. Maraldus.

1. NOto primò, quòd ista constitutio multos tumores concitauit ex eo, quòd non benè fuit intellecta; nam multi Episcopi habitu regulari spoliauerunt quamplures Religiosos ex eo solùm, quòd Religio non potuit probare locum, in quo tales Religiosi Nouitiatum fecère, fuisse ab Apostolica Sede approbatum. Alij alios spoliauerunt qui intra quinquennium erant suæ professionis, & reclamauerunt de hoc, iuxta Trident. Sed vtrique meo videri decepti sunt. Et primi quidem; quia si loca Nouitiatuum fuerint continuata à tempore Clem. VIII. vel Pauli V. etiamsi per incuriam Fratrum deputationes ipsæ authenticæ non reperirentur, poterat in his habere locum præscriptio. Deinde eo modo intellecta constitutio, odiosa erat, tùm ex parte Religionis, quæ suis iam educatis Religiosis spoliabatur, tùm ex parte animarum ipsorum Religiosorum, quæ ereptæ ex mundi naufragio, ad illud carnis leuitate, & diaboli astu reuertebantur, contra illius Christi: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò aptus est regno Dei.* Vnde strictè admodùm interpretanda erat. Secundi decepti sunt; nam dispositio Concilij non habet locum, nisi in casibus expressis, & qui iure ordinario professionem inualidant, vt probaui *tom. 1. Religiosi, quæst. 1. cap. 25. §. 4.*

Puto

Puto itaque (saluo semper meliori in licio, & saniori intelligentia, data, vel danda ab illa sancta Sede, cui in omnibus me submitto) quòd ista constitutio solùm intendat concedere fauorem Religiosis volentibus in Religione permanere, ita vt eorum Prælati non possint eos molestare, nec eiicere. Et licèt dicat, talem professionem esse nullam, intelligo talem nullitatem non ex parte professi, sed ex parte Religionis quo pacto etiam intelligo illam clausulam *seruatis aliàs de iure seruandis*, id est, ex parte Religionis. Moueor ex illis verbis dictæ constitutionis. *Nos Religiosos prædictos specialibus fauoribus, &c.* & ex illis *Committimus, & mandamus Superioribus, &c. quatenus omnes Religiosos prædictos ad professionem denuo emittendam, &c. recipiant, & admittant.* Ex quibus verbis satis mihi constare videtur, mentem Pontificis solùm fuisse, velle consolari Religiosos illos, qui in locis non designatis professionem emiserant, & illis date remedium, ne in posterum possent ampliùs illo prætextu à suis Superioribus inquietari.

2. Noto secundò, quòd Reuerendissimus P. Frater Franciscus à Longobardis Ordinis nostri meritissimus Generalis, vt præfatæ constitutioni obedire, supplicauit sacræ Congregationi Regularium, vt infrà. *Eminentissimi, è Reuerendissimi Signori. Il Generale de Minimi, hauendo trouato nel decorso della sua visita alcuni conuenti di nouitiati non designati dalla Sede Apostolica, & altri designati, ma non più atti per l'educatione de nouitij, per remediare a tali disordini, supplicò l'Em. vostre, che restassero seruite di dar facultà all'Oratore di poter elegger lui i luoghi de nouitiati; è l'Em. vostre benignamente risposero, che hauesse nominati i conuenti, che l'hauerebbero fauorito; Però humilissimamente le supplica à stabilire per luoghi de nouitiati gl'infrascritti conuenti per ciascheduna Prouincia. Nella Prouincia di S. Francesco il conuento di Paola, il conuento di Corigliano. Nella Prouincia di Calabria, il conuento di Maida. il conuento di S. Biagio. Nella Prouincia di Messina, il conuento di Milazzo, il conuento di Catania. Nella Prouincia di Palermo, il conuento di Trapani, il conuento di S. Oliua di Palermo. Nella Prouincia di Napoli, il conuento di Castello amare, il conuento di S. Luigi di Napoli. Nella Prouincia di Puglia, il conuento di Lecce, il conuento di Monopoli. Nella Prouincia di Loreto il conuento di Chieti, il conuento di Castellione. Nella Prouincia di Toscana, il conuento di S. Giuseppe di Firenze, il conuento d'Orbitello. Nella Prouincia di Lombardia, il conuento di Bologna, il conuento di Ferrara Nella Prouincia di Milano, il conuento di Pauia, il conuento di Milano. Nella Prouincia di Genoua, il conuento di Nerui, il conuento di Giesù Maria. Nella Prouincia di Venetia, il conuento di Venetia. il conuento di Brescia. Sacra Congregatio Cardinalium, negotiis Regularium præposita, censuit, petitam institutionem, nouitiatuum huiusmodi in singulis Prouinciis esse concedendam prout præsentis decreti virtute concedit, dummodò nouitij in eis recipiantur ad præscriptum decreti S. D. N. super receptione, & educatione nouitiorum vltimo loco editi, nec non felicis recordationis Sixti V. & aliarum constitutionum Apostolicarum, & decretorum, pariter similis memoriæ Clementis VIII. institutionúmque generalium super receptione, & educatione nouitiorum eiusdem Clementis, nenon sacræ memoriæ Pauli V. auctoritate editarum. Dat. Romæ, die 4. Mart. 1633. Fr. Antonius Card. S. Onuphrij.* A. Torniellus.

Quæ declaratio habetur authentica in nostro Archiuio Romano, cuius authenticum exemplar nobis transmisit die 10 Martij eiusdem anni P. F. Laurentius de Spezzano Ordinis nostri in partibus Italiæ Vicarius generalis, & Eminentissimi Cardinalis de Medicis Theologus, mihi ex antiquo amicus, & dominus. Quod quidem exemplar fuit exemplatum, & ita transumptatum à P. F. Augustino de Pistorio, & asseruatus in Archiuio huius conuentus Iesu Mariæ Genuæ.

3. Noto tertiò, quòd postquam hæc scripsi, habui quasdam literas sacræ Congregationis Regular. quæ mirabiliter confirmant meam explicationem, & ideò, his visis valde lætatus sum. Tenor autem dictarum literarum est talis. A tergo, *All'Ill.º è M. Reu. Monsig. come fratello, il Vescouo di Casale.* Intus. *Ill.º è M. Reu. Monsig. come fratello. Questi Eminentiss. miei Signori vengono ragguagliati, che con l'occasione della bolla, nella quale la Santità di N. S. hà dato facultà à Religiosi di conualidare le loro professioni, che si poteuano pretender nulle per causa di non hauer fatto l'anno della probatione, o la medesima professione in luoghi designati à riceuer nouitij alcuni di essi Regolari, che stanno di famiglia nelli conuenti, o monasterij di cotesta Città, è diocesi, in vece di conualidar le professioni sudette, fanno instanza auanti V. S. ò del suo Vicario, affin che interponghino decreto, è diano loro licenza di lasciar l'habito, ò ritonare al secolo in habito clericale, sotto pretesto, come si suppone, che in detta bolla, almeno tacitamente si dia a gl'Ordinarij tal facultà. E perche ciò è del tutto alieno dalla mente della Santità sua, ne tali dichiarationi di nullità di professione si possono fare, se non seruatis seruandis, conforme alla dispositione de sacri Canoni, constitutioni, è decreti Apostolici, è particolarmente del sacro Concilio di Trento, Però l'Eminenze loro mi hanno ordinato di scriuerle, che si astenga dall'interporre li decreti, è dare le licenze sudette in vigore di detta bolla, & ordini al suo Vicario, che non le dia ad alcuno, & hauendole date, procuri, che quanto prima ritornino ne claustri con l'habito loro regolare, è presterà in ciò ogni aiuto al i loro Superiori, affin che ve li facino ritornare. Dio la preserui. Di Roma al 1. di Luglio, 1633. Di V. S. come fratello, il Cardinal S. Onofrio. Locus sigilli.* Antonius Torniellus.

CONSTIT. VIII. aliàs XVIII.

Quâ statuit, quòd bulla Cruciatæ sanctæ Regularibus non prosit quoad Sacramentum Pœnitentiæ.

VRBANVS PAPA VIII. AD perpetuam rei memoriam.

IN specula Militantis Ecclesiæ, nullo licet meritorum suffragio, diuina dispositione constituti, & attentè considerantes, sacros Regularium Ordines tantas Ecclesiæ Dei vtilitates omni tempore attulisse, vt ad eas conseruandas, & instaurandas Romani Pontifices prædecessores nostri magnam iure optimo diligentiam semper adhibuerint, dignum, quin potiùs debitum, reputamus, vt eorundem Pontificum vestigiis inhærentes, ad ea Pastoralis vigilantiæ partes iugiter intendamus, vt in eisdem Ordinibus disciplinæ Regularis obseruantia sarta tecta conseruetur, & si quæ illi obesse dignoscuntur, opportunæ constitutionis ministerio salubriter remoueantur. Proœmium.

§. I. Aliàs siquidem fel. recen. Clementi Papæ VIII. prædecessori nostro per Procuratorem generalem Ordinis Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo nuncupat, exposito: quòd cum in Bulla Memor. constit. Clement. VIII.

Cruciatæ

Cruciatæ sanctæ, & aliis priuilegiis, ab Apostolica Sede concedi solitis, detur facultas eligendi confessarium idoneum, ab Ordinario approbatum, qui possit Christi fideles absoluere à casibus Ordinario, & Sedi Apostolicæ reseruatis, Religiosi prædicti Ordinis, seu eorum nonnulli, etiam prædictis facultatibus vti præsumebant in detrimentum eorum Regularis disciplinæ. Quare idem Clemens prædecessor sua perpetuò valitura constitutione declarauit, facultatem, & concessionem sanctæ Cruciatæ, & aliorum indultorum prædictorum, quantum ad prædictum articulum eligendi confessarium, & absoluendi à casibus reseruatis, non habere locum cum Fratribus, & Sororibus Monialibus quorumcunque Ordinum, & Congregationum, cuiusvis Instituti, Mendicantium, & non Mendicantium, tam in Prouincia Hispaniæ, quàm extra eam vbilibet constitutis, neque eis suffragari; sed eiusdem Clementis prædecessoris intentionis fuisse, quòd iidem Fratres, & Moniales quantùm ad Sacramentum Pœnitentiæ, seu confessionis administrationem, dispositioni suorum Prælatorum subiecti essent, prout in dicti Clementis prædecessoris in simili forma Breuis desuper, sub die 23. Nouembris 1549. Pontificatus sui anno 8. expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, pleniùs continetur.

Motiua huius constit.

§. II. Nihilominus cum sicut Nobis non sine animi nostri molestia innotuit, nonnulli Ordinis Fratrum Prædicatorum professores, prætextu bullæ eiusdem sanctæ Cruciatæ, ac dictorum indultorum, confessarium huiusmodi, qui eos, vt præfertur, absoluat, eligere posse prætendant. & forsan eligant, etiam ad præsens, postquam literæ nostræ sub die 14. Iunij 1624. Pontificatus nostri anno 1. super facultate eisdem Regularibus confessarium ad effectum huiusmodi eligendi, ad quinquennium tunc proximum concessa, emanatæ, pridem ab anno, & vltra expirauerunt, in maximum status, & obseruantiæ Regularis præiudicium.

Confirmat constit. Clement. & de nouo statuit prout in summario.

§. III. Nos præmissis quantum Nobis ex alto conceditur, obuiare, ac felici tam eorundem Fratrum Prædicatorum, & B. Mariæ de Monte Carmelo Religiosorum, quam omnium, & quorumcunque aliorum cuiuslibet Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti, etiam speciali mentione, & nota digni, vtriusque sexus tam Mendicantium, quàm non Mendicantium statui, atque directioni, & aliorum Christi fidelium saluti consulere volentes præfataque Clementis prædecessoris declarationi inhærentes, illamque tenore præsentium innouantes, ac, quatenus opus sit, ampliantes; Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, concessionem sanctæ Cruciatæ, quæ respectu facultatis huiusmodi; etiam laicis, & Clericis sæcularibus cuiuscumque status, gradus, qualitatis, & conditionis, etiam speciali nota digna, quoad casus reseruatos, etiam in bulla Cœnæ Domini (hæresi excepta) contentos, non nisi in foro conscientiæ, non autem in foro externo, suffragatur, aliorumque indultorum huiusmodi, quantùm ad prædictum articulum eligendi confessarium, & absoluendi à prædictis casibus reseruatis, etiam in bulla Cœnæ Domini contentis, cum Fratribus, & Monialibus prædictis Fratrum Prædicatorum, ac aliorum quorumcunque Ordinum, & Congregationum, Societatisque, & Instituti prædictorum Mendicantium, & non Mendicantium, tam Prouinciæ Hispaniæ, quàm extra eam vbilibet constitutorum, locum minimè habuisse, neque habere, nec illis vllo modo suffragari potuisse, neque posse, excepto dumtaxat illo quinquennio, quo literæ nostræ huiusmodi, vt præfertur, durauerunt, siquidem die 14. mensis Iunij 1629. proximè præteriti iam expirauerunt, sed nostræ intentionis fuisse, & esse, quòd iidem Fratres, & Moniales quantum ad Sacramenti Pœnitentiæ, seu confessionis administrationem, ordinariæ dispositioni suorum Prælatorum, & Sedi Apostolicæ quoad sibi reseruata, subiecti sint, earundem tenore præsentium perpetuò declaramus.

Has literas impugnari non posse determinat, & iuxta eas iudicari mādat.

§. IV. Decernentes, præsentes nostras literas de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quocumque defectu à quoquam impugnari non posse; sicque, & non aliter, in omnibus, & singulis præmissis per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos; etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos; ac Sedis Apostolicæ Nuntios, ac Cruciatæ Commissarios, & quosvis alios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, interpretari, ac iudicari debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§. V. Non obstantibus præmissis, ac omnibus, & singulis illis, quæ in prædictis Clementis prædecessoris literis concessa sunt non obstare, cæterisq. contrariis quibuscumque. Quibus omnibus, & singulis, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, & expressè derogamus; cæterisque contrariis quibuscumque.

Romæ publicatæ omnes vbique arctant. & transumptis fidem adhiberi iubet.

§. VI. Vt autem præsentium tenor omnibus innotescat, volumus eas in valuis Basilicæ Principis Apostolorum, & in acie campi Floræ de Vrbe, vt moris est, publicari; ipsasque sic publicatas omnes, & singulos vbique existentes ita afficere, ac si omnibus personaliter intimatæ essent. Quodque præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus vbique fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud

Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 19. Iunij 1630. Pontificatus nostri anno 7. M.A.Maraldus.

CONSTIT. IX. aliàs XIX.

Quâ reuocat omnes licentias à quibuscumque concessas, præterquam ab ipsomet, habendi, & legendi libros quoscumque prohibitos.

VRBANVS PAPA VIII. AD futuram rei memoriam.

Proœmium.



Postolatus officium, nobis, nullo licèt meritorum suffragio, diuina prouidentia commissum postulat, vt ad ea vigilantia nostra partes propensiùs intendamus, per quæ Religio Catholica, vbi diuina gratia illæsa viget, conseruetur, & vbi restitutione indiget, reparetur.

Statuit prout in summario.

§. I. Quapropter, cùm librorum prohibitorum lectio magno synceræ fidei cultoribus detrimento esse noscatur, & sicut accepimus, nimis excessiua sit huiusmodi libros legendi licentiarum copia; Nos, vt huic malo maturè occurratur, & in posterum quàm cautissimè licentiæ huiusmodi concedantur, quantum cum Domino possumus, prouidere volentes; Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & singulas licentias legendi, & habendi libros quoscumque ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, seu per constitutiones Apostolicas, etiam ratione Astrologiæ iudiciariæ, vel aliàs quomodolibet prohibitos quibuscumque personis laicis, & Ecclesiasticis, tam sæcularibus, quàm Regularibus cuiuscumque Ordinis, Societatis, & Instituti existentibus, ac quacumque dignitate, etiam Ecclesiastica fulgentibus, cuiuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, & præeminentiæ, etiam speciali nota, & mentione dignis, ac per literas Apostolicas, ad tempus, seu ad vitam, & aliter quomodocumque & ex quacumque causa, tam in forma Breuis, quàm aliter quomodocunque à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, seu à quibuscumque aliis à Nobis, vel ab eis facultatem, & auctoritatem habentibus, non tamen à Nobismetipsis per literas Apostolicas, etiam in forma Breuis, seu Chirographum manu nostra signatum, concessas, earum tenores præsentibus pro expressis, & insertis habentes; hac nostra perpetuò valitura constitutione, reuocamus, cassamus, & annullamus, ac pro reuocatis, cassis, & annullatis haberi, nulliquè suffragari, quinimmò libros per licentias huiusmodi permissos legentes, aut habentes, pœnas in sacris Canonibus, constitutionibus Apostolicis, & indicibus librorum prohibitorum contentas incurrere, volumus, & declaramus.

§. II. Decernentes, vt præsentes literæ, postquam valuis Basilicarum S. Ioannis Lateranensis ac Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ, necnon in acie campi Floræ affixæ fuerint, infra duos citra montes, vltra verò montes, infra quatuor menses ex tunc proximos, omnes, & singulos, ad quos spectat, arctent, & afficiant perinde, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent; quodque, dictis duobus, & respectiuè quatuor mensibus durantibus, ij, qui libros prohibitos huiusmodi habuerint, eos ad Episcopum, seu Inquisitorem, qui illos quanto citiùs comburere debeat, deferre. Hæ literæ Romæ publicatæ omnes arctant intra duos, & extra citra quatuor menses.

§. III. Quique aliquos similes libros prohibitos habere sciuerint, eos denuntiare teneantur. Qui sciunt tales libros habere, denunciare tenentur.

§. IV. Neque de cætero similes licentiæ nisi à Congregatione Sancti Officij, dum singulis hebdomadis coram Nobis habetur, vel ab aliis per Nos in eadem congregatione specialiter deputandis, concedantur. Tales licentiæ concedi non possunt, nisi à Congreg. coram ipso habenda.

§. V. Ac quòd earundem præsentium transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij Publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 2. Aprilis 1631. Pontificatus nostri anno 8. M.A. Maraldus. Transumptis fidem adhiberi iubet.

CONSTIT. X. aliàs XX.

Quâ statuit, quòd constitutiones Apostolicæ in concernentibus fidem Catholicam, & Sanctæ Inquisitionis Officium hactenus editæ, & imposterum etiam super quacumque alia re edendæ, omnes Regulares quomodolibet priuilegiatos comprehendant, nisi in edendis specialiter excipiantur.

VRBANVS PAPA VIII. AD perpetuam rei memoriam.



Vm, sicut accepimus, S. Benedicti Cisterciensis, Præmonstratensis. S. Antonij de S. Antonio Viennensis Societatis Iesu, ac aliorum forsan Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum Regularium professores, vigore, seu prætextu priuilegiorum, & indultorum, sibi, dictisque Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & institutis, ab hac sancta Sede Apostolica, tam per viam meræ concessionis, quàm communicationis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam consistorialiter, concessorum, in constitutionibus generalibus à Nobis, & dicta Sede hactenus editis, & de cætero edendis Motiua.

edendis se minimè comprehendi prætendant, nisi de eis specialis, specifica, indiuidua, & expressa mentio fiat.

Statuit prove in summario.

§. I. Nos, qui inter grauissimas, multiplicesque Apostolatus nostri curas, in eam præcipuo, ac peculiari studio iugiter incumbimus, vt extirpatis hæreticarum prauitatum erroribus, Catholica fides vbique gentium conseruetur, & propagetur, ambiguitates, & dubia de medio tollere, & opportuna dispositionis ministerio prouidere volentes, vt tot, tantaque constitutiones generales, à Nobis, & hac sancta Sede & præsertim ad fauorem fidei Catholicæ, illiusque propagationem, & Officij sanctæ Inquisitionis contra hæreticam prauitatem edita, & de cætero edenda, sub latis quibuslibet exceptionibus, subterfugiis, & impedimentis, ad maiorem Dei gloriam, sanctaeque matris Ecclesiæ exaltationem, debitum, vt par est, sortiantur effectum, necnon quorumcunque priuilegiorum, & indultorum, dictis Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, cum quibusuis clausulis, & decretis, etiam quantumlibet extraordinariis, & cautelis quomodolibet, & ex quacumque causa concessorum, etiamsi in earum corpore iuris clausa sint, tenores præsentibus, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in eis tradita obseruata, inserti forent, eisdem præsentibus pro expressis habentes; Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine, quòd quævis generales constitutiones, dispositiones, & ordinationes Apostolicæ per Nos, & quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros in concernentibus fidem Catholicam, illiusque propagationem, & sanctæ Inquisitionis officium præfatum, præsertim quò ad ea, quæ in Congregationibus Sancti Officij, & de Propaganda Fide coram Nobis tractari solent, hactenus edita, omnes, & singulos, tam S. Benedicti, Cisterciensis, Præmonstratensis, S. Antonij de S. Antonio Viennensis, & Societatis Iesu præfatorum, quam quorumcunque aliorum Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum professores omninò comprehendant perinde, ac si præfati, & alij quantumlibet priuilegiati in eis nominatim expressi fuissent; edenda verò imposterum per Nos, & Romanos Pontifices successores nostros, tam in fauorem præfatæ fidei Catholicæ, illiusque propagationis, & Sancti Officij inquisitionis præfati, quàm super quacumque alia re, negotio, seu materia, constitutiones, dispositiones, & ordinationes huiusmodi similiter, omnino comprehendant præfatos eorundem Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum professores, nisi in edendis constitutionibus huiusmodi specialiter, & expressè exciperentur, etiamsi ipsi priuilegiati forent magis speciali nota, & expressione digni, eisque priuilegia gratiæ, & indulta, à Sede Apostolica præfata, etiam sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis, etiam motu, scientia, ac de potestatis plenitudine similibus, & consistorialiter, etiam contemplatione, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, & aliorum Principum, tam per viam meræ concessiones, quàm communicationis, & aliàs quomodolibet concessa respectiuè sint, quorum, seu quarum vigore, vel prætextu sint excepti, seu se minimè comprehendi prætendant in constitutionibus generalibus, vel aliis non facientibus plenam, & expressam eorum mentionem.

Hæ literæ impugnari non possunt quocumque prætextu.

§. II. Præsentes verò literas, omniaque, & singula in eis contenta, etiam ex eo, quòd Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum huiusmodi professores, vel alij quicumque in præmissis interesse habentes, seu quomodolibet habere prætendentes, ad hoc vocati, & auditi, ac causæ, propter quas eadem præsentes emanarunt, adductæ, verificatæ, seu aliàs iustificatæ non fuerint, vllo vnquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quouis etiam, quantumuis substantiali defectu, notari, impugnari, inualidari, retractari, in ius, vel controuersiam reuocari, aut ad terminos iuris reduci, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiæ, vel iustitiæ remedium impetrari nullatenus posse, neque sub quibusuis similium, vel dissimilium gratiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet facientibus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, semperque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inuiolabiliter obseruari.

Ita iudicari mandat cum decreto irritante.

§. III. Sicque per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, dictaque Sedis Nuntios, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere; Ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Contrariis fortiter derogat.

§. IV. Non obstantibus regula nostra, De iure quæsito non tollendo, ac quibusuis aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon tam S. Benedicti, Cisterciensis, Præmonstratensis, S. Antonij de S. Antonio Viennensis, & Societatis Iesu præfatorum, quàm quorumcunque aliorum Ordinum, Congregationum, & Institutorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, & priuilegiis, necnon præfatis, & quibusuis aliis priuilegiis, indultis, & literis Apostolicis, etiam Mare magnum, & aliàs quomodolibet nuncupatis, eisdem Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, eorumque Superioribus, bonis, rebus Monasteriis, locis Regularibus, & personis, sub qui

quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, & alijs decretis, in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque.

Transumptis fidem adhiberi iubet. §. *V. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibita, vel ostensæ. Quodque eadem præsentes literæ, seu illarum exempla, ad valuas Basilicarum S. Ioannis Lateranensis ac Principis Apostolorum de Vrbe, & acie campi Floræ affixæ, omnes ita arctent, & afficiant, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die 5. Nouembris 1631. Pontificatus nostri anno 9.* M. A. Maraldus.

CONSTIT. XI. aliàs XXI.

Quâ statuit, quòd Fratres Discalceati Ordinis Sanctissimæ Trinitatis non possint transire ad aliam qualemcunque Religionem, excepta Carthusia, absque licentia Romani Pontificis. Et hoc sub pœnis Apostasiæ, infamiæ, ac excommunicationis latæ sententiæ.

VRBANVS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.



Ommissi nobis per abundantiam diuinæ gratiæ Pastoralis officij debitum postulat, vt ad ea mentis nostræ aciem sedulo intendamus, per quæ Regulares Ordines in Ecclesia Dei militanti felicioribus in dies proficiant incrementis.

Memorat constit. Pauli V. §. *I. Aliàs siquidem felicis recordationis Paulus V. Papa prædecessor noster prospero Fratrum Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis captiuorum Discalceatorum nuncupatorum Congregationis Hispaniarum regimini consulere volens, inter alia statuit, & ordinauit, quòd nullus omnino, tam Fratrum quam Donatorum dictæ Congregationis post emissam in ea professionem huiusmodi, absque speciali pro tempore existentis Romani Pontificis licentia, certam tunc expressam mentionem faciente, ad moderatos, seu mitigatos, vel alios Fratres, tam SS. Trinitatis Redemptionis captiuorum huiusmodi, quàm aliorum quorumuis Ordinum, Congregationum, & Religionum, etiam emissionis quarti voti, aut alio quocumque prætextu (Carthusianorum Ordine dumtaxat excepto) transire, seu se transferre, aut aliàs à dicta Congregatione se subtrahere, seu ex ea exire valeret, & aliàs prout in ipsius Pauli prædecessoris in simili forma Breuis sub die 18. Augusti 1611. expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.*

§. *II. Nunc autem nos maiori eorundem Fratrum quieti, & augmento, felicitorique directioni peramplius consulere volentes; supplicationibus dilecti filij Procuratoris generalis, eiusdem Congregationis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, quòd de cætero nullus Fratrum præfatorum post emissam in dicta Congregatione professionem, vt præfertur, & absque Romani Pontificis licentia prædicta, ad alium quemcunque Ordinem Mendicantium, & non Mendicantium, Monachorum, seu Discalceatorum, aut aliarum quarumcunque Religionum tam erectarum, quàm erigendarum, etiam emissionis quarti voti, seu perfectioris, & humilioris vitæ præsumptione, aut strictioris regulæ, seu obedientiæ prætextu, vel contemplatione, aut alia quantumuis iusta, & probabili, aut legitima causa, sub Apostasiæ, & infamiæ perpetuæ nota, ac excommunicationis latæ sententiæ pœna se transferre audeat, seu præsumat, excepto dumtaxat Ordine Carthusianorum, vt præfertur, quatenus ad illum transeundi licentiam à suis Superioribus petierint, & obtinuerint, & quicumque secus fecerit, cum primum desuper monitus fuerit, nulla mora, aut excusatione, & quacumque appellatione, etiam ad Nos, seu Sedem Apostolicam interpositis, ad suam propriam Congregationem redire, & Superiorum suorum correctioni se submittere omninò teneatur.* Dictam const. Pauli confirmat, & amplius prout in summario.

§. *III. Prælati verò dictarum Congregationum, ac aliorum Ordinum, & Religionum, huiusmodi ipsos sic translatos, seu fugitiuos, & apostatas minimè retinere, sed eos, etiam si nouam professionem Regularem emiserint, sub priuationis suorum officiorum, ac similis excommunicationis pœnis, suis Superioribus, vel ab eis deputandis id requirentibus, & postulantibus, statim, absque iudicis ministerio, subtrahere, & consignare debeant, Apostolica auctoritate, tenore præsentium statuimus, & ordinamus.* Nulla Religio eos retinere potest sub pœna excommunicationis.

§. *IV. Decernentes sic, & non aliter, per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, iudicari, & definiri debere. Ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.* Ita iudicari mandat, cum decreto irritante.

§. *V. Volu*

Contrarijs derogat.

§. V. Non obstantibus omnibus illis, quæ in dictis literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem adhiberi iubet.

§. VI. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constituta munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 9. Augusti 1624. Pontificatus nostri anno 2.

NOta, quòd, hac constitutione non obstante, facra Congregatio Regularium *anno 1632. die 24. Septembris*, statuit quòd P.F. Bonauentura Patexa Hispanus Granatensis, qui ex hac Congregatione ad nostram Religionem Minimorum transierat, & in ea professionem emiserat, in nostra permaneret, quantumvis multum obstiterit, & restiterit Procurator generalis præfatæ Congregationis. Quod maximè obtinoit dictus Bonauentura, vt mihi retulit probando cum doctrina, quam affero *tom. Religiosi, q. 1. cap. 24. §. 1.* quòd Religio nostra Minimorum est strictior Religione Carthusianorum. Ex quo sume argumentum ad id confirmandum.

CONSTIT. XII. aliàs XXII.

Quâ statuit, quòd Ecclesiastici omnes, etiam Regulares, aureas, vel argenteas monetas tondentes, fabricantes, vel colorantes, degradentur, & curia sæculari vltimo supplicio afficiendi tradantur: dictas autem monetas scienter retinentes, aut præfatos in præmissis quomodolibet adiuuantes, per decennium ad triremes damnat, ac huiusmodi causarum cognitionem, etiam quò ad Regulares quantumlibet exemptos, ad Ordinarios locorum, ac in terris Papæ ad Legatos, & Prolegatos pertinere decernit priuatiuè quò ad omnes, alios etiam proprios Regularium Superiores. Excommunicat, ac aliis pœnis afficit Superiores, qui præfatos ordinarios quoquo modo impedire præsumpserint. Habet autem hæc constitutio solùm locum in partibus Italiæ.

VRBANVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

IN suprema Pastorali specula, meritis licèt imparibus, à Domino constituti, vt noxia ab eius grege arceates, eiusdem salutari regiminis prospiciamus, non sine magno animi mœrore videmus, eò nostri temporis iniquitates esse progressus, vt ij, quibus onus incumberet pacem Euangelisandi, & charitate proximum prosequendi, suæ vocationis immemores, à cupiditatum vertice abrepti, adulterinæ monetæ crimen perpetrare, siue perpetrantibus opem præstare non erubescant, nec reformident. Quare prædecessorum nostrorum constitutiones desuper editas innouantes, extendentes, & ampliantes, huiusmodi perditorum hominum, quos suæ existimationis consideratio in officio non continet, condigna pœnarum seueritate temerarios, & nefarios ausus intendimus coërcere.

§. I. Cùm itaque fel. rec. Pius Papa V. prædecessor noster, attendens, quòd licèt monetarum aurearum tonsoribus de iure vltimi supplicij esset inflicta pœna, argenteas tamen monetas tondentibus satis minor erat imposita, omnes eos, qui argenteas tonderent, vltimi supplicij, & eadem, qua aurearum tonsores eatenus puniti fuerant, & de iure puniri debebant, pœna puniendos esse statuerit, prout in cedula motus proprij, manu eiusdem Pij prædecessoris subscripta pleniùs continetur. — Memorat const. Pij V. circa hoc.

§. II. Nos motu proprio, ac ex certa scientia, meraque deliberatione nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra perpetuò valitura constitutione statutum, voluntatem, & mandatum Pij prædecessoris præfati tenore præsentium approbamus, confirmamus, & innouamus, ac ad omnes, & singulas personas Ecclesiasticas, etiam quomodolibet exemptas, tam sæculares, quàm cuiusvis Ordinis, Cōgregationis, Societatis, & Instituti, etiam de necessitate exprimendi, nècnon Militiarum quarumcunque, etiam Hospitalis S. Ioannis Ierosolymitani, Regulares, non solùm in statu Ecclesiastico mediatè, vel immediatè Nobis, & Sedi Apostolicæ subiecto, sed etiam in omnibus, & singulis Prouinciis, Regnis, Ciuitatibus, Terris, Oppidis, Castris, & locis, in Italia dumtaxat existentibus, qui aureas, vel argenteas monetas tondere, fabricare, colorare, vel aliàs adulterare, seu etiam quomodolibet adulteratas scienter erogare, aut exponere præsumpserint, extendimus, & ampliamus. Volentes, vt culpabiles in præmissis reperti, præuia degradatione, curiæ sæculari puniendi tradantur. Pecunias verò sic, vt præfertur, adulteratas scienter detinentibus, seu de loco ad locum transferentibus, aut materiam, instrumenta, siue opem ad præmissa præstantibus, pœnam triremium per decennium imponimus. Et cognitionem causarum huiusmodi, quò ad personas Ecclesiasticas præfatas, tam sæculares, quàm Regulares, in Prouinciis, Nobis, & Sedi præfatæ subiectis, ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, in eisdem Prouinciis, de latere Legatos, & Prolegatos pro tempore existentes: in aliis verò omnibus, & singulis Prouinciis, Regnis, Ciuitatibus, Oppidis, Castris, & locis, tam sub nostra, & dictæ Sedis, quàm cuiusvis alterius Principis ditione, in Italia tantùm comprehensis, priuatiuè quò ad omnes etiam Superiores Religiosorum, ipsisque Superioribus penitus exclusis; ad — Statuit prout in summario.

Ordinarios locorum spectare etiam volumus. Mādantes propterea venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, singulis videlicet in suis ciuitatibus & diœcesib. & quò ad loca intra fines alicuius diœcesis, non tamen de diœcesi existentia, ipsarum diœcesum, intra quarum fines eadem loca extiterint; quò verò ad ea, quæ extra fines alicuius diœcesis consistunt, vicinioribus eorundem locorum Ordinariis, quatenus ad instantiam cuiusvis Fisci, vel etiam cuiusvis denuntiatoris, causarum huiusmodi cognitiones suscipientes, præuia etiam auocatione à quibusvis aliis, in causis ipsis modo præmisso procedant, omnibus iuris, & facti remediis opportunis, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachij secularis auxilio.

Inhibet Superioribus, ne impediāt iudices suum officium exequi, & mandat huiusmodi requisitos reos sibi cōsignari.

§. III. Inhibentes insuper tam Decanis, & Capitulis Ecclesiarum Cathedralium, Metropolitanarum, & Patriarchalium, necnon quorumvis Ordinum, & locorum Regularium, Societatum, & Institutorum, ac etiam Hospitalis præfatorum Superioribus, Conuentibus, & Fratribus, quantumvis exemptis, ne, sub priuationis beneficiorum, & officiorum per eos respectiuè obtentorum, ac inhabilitatis ad alia in futurum obtinenda, vocisque actiuæ, & passiuæ, necnon excommunicationis latæ sententiæ eo ipso incurrendis pœnis, Legatos, & Prolegatos, ac Ordinarios locorum, vt præfertur, procedentes quoquo modo impedire, molestare, aut perturbare audeant, vel præsumant. Ac etiam mandantes, vt quoties ad id fuerint requisiti, Religiosos ipsos, etiamsi Superiores alicuius loci Regularis actu fuerint ipsis Legatis, Prolegatis, & Ordinariis, vel aliis, quibus iidem Legati, Prolegati, & Ordinarij mandauerint, consignent, cum Scripturis, & actis, si quæ facta fuisse reperiantur.

Ita iudicari mandat.

§. IV. Sicque, & non aliter, in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, delegatos, & commissarios, & etiam Cameræ prædictæ Clericos Præsidentes, necnon causarum Palatij Apostolici, & Curiæ eiusdem Cameræ generalem Auditorem, ac S.R.E. Camerarium, & alios Cardinales, etiam de latere Legatos, necnon Vicecamerarium iudicari, & definiri, ac interpretari debere, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate. Ac irritum, & inane, quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Contrariis derogat.

§. V. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Prouinciarum, Regnorum, Ciuitatum, Terrarum, Oppidorum, Locorum, Ecclesiarum, Monasteriorum, Militiarum, Hospitalium, etiam S. Ioannis præfatorum, & aliorum Religiosorum, ac piorum locorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, eisdem Prouinciis, Regnis, Ciuitatibus, Terris, Oppidis, Locis, Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, & Militiis, etiam S. Ioannis, vt præfertur, & aliis Religiosis, & piis locis, Vniuersitatibus, Capitulis, Superioribus, & personis in contrarium quomodolibet concessis, ac etiam pluries, & iteratis vicibus approbatis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, eorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum præsentium dumtaxat, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Romæ publicata omnes vbique arctant, & transumptis fidē adhiberi iubet.

§. VI. Volumus, autem quòd præsentes in valuis Ecclesiæ Lateranensis & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, & in acie campi Floræ publicentur, & affigantur, quæ, postquam sic affixæ, & publicatæ fuerint, post duos menses, à die publicationis huiusmodi computandos, quoscumque tam in statu nostro, quàm extra eum vbique locorum, in Italia tamen existentes, perinde arctent, & afficiant, ac si vnicuique nominatim, & personaliter intimatæ fuissent. Quodque earum exemplis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ iisdem præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nemo illi contradicere potest.

§. VII. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam approbationis, confirmationis, innouationis, extensionis, ampliationis, impositionis, voluntatum, derogationis, mandatorum, & decreti nostrorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Dat. Romæ, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicæ 1627. idibus Nouembris, Pontificatus nostri anno 5. E. Dat. Ioseph Anselmus. Visa de Curia. A. Hurandus. G. Montanus. Anno à Natiuitate Domini Iesu Christi 1628. Indictione 11. die verò 28. mensis Ianuarij, Pontificatus S.D.N. D. Vrbani diuina prouidentia Papæ VIII. anno eius 5. Retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicarum S. Ioannis Lateranensis & Principis Apostolorum de Vrbe, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie campi Floræ, dimissis ibidem præsentibus literis per aliquod temporis spatium appensis, & deinde amotis, vt moris est, per nos Augustinum de Bolis Romanum, & Brandimartem Latinum Apostolicos cursores. Matthias Spada Magister.

1. NOto 1. quòd moneta adulteratur tripliciter. Primò fabricando, quod contingit, vel miscendo auro, vel argento æs, aut plumbum, vel fabricando

candn absque auctoritate, ant imagine Principis. Secundò adulteratur, singendo scilicet monetam æream, vt appateat aurea. Tertio radendo, minuendo scilicet illam de iusto pretio. Ita Guidius *lib. 3. de miner. tit. 9. de moneta, n. 93.* Mattinus Lauden. *de monetis, q. 11. n. 10. tom. 12. tract. pag. mihi* 203. qui autem monetam excedentem iustum pondus tonderet, & ad iustum pondus deduceret, non tenetur his pœnis; quia hic nulli damnum infert, aut iniuriam, sed negotium suum vtiliter egit. Ita Guidius *loco cit. num. 99.*

2. Noto 2. quòd qui incepisset fabricare falsam monetam, deinde pœnitens, nullo extrinseco adueniente, sed libera sua voluntate non perfecit, sed destruxit id, quod cœperat facere, his pœnis non tenetur, quia leges pœnales non habent locum, nisi secuto effectu. Ita Guidius *loc. cit. q. 71. num.* 104.

3. Noto 3. quòd falsam monetam scienter expendens, tenetur his pœnis, vt ait expresse Papa; secùs autem, si ignorantet; Sed quid, si ignorantia esset crassa, & affectata? Hæc communiter non excusat. Vnde puto, quòd dictas pœnas non effugeret. Sed quomodò posset probare ignorantiam ille, apud quem reperiretur moneta falsa? Dico, quòd dupliciter. Primò monstrando personam, à qua habuit; quòd si eam monstrate non potest, quia est mercator, qui cum multis negotiatur, si paucam habeat dictæ falsæ monetæ quantitatem; nam si haberet magnam quantitatem, præsumeretur esse in dolo. Ita Guidius *loco cit. q. 74. n. 109. & 110.*

4. Noto 4. quòd dubitari potest, an qui priuata auctoritate bonam, & iustam Monetam cuderet, has pœnas incurreret; Aliqui putant, quòd non; quia solum peccauit contra obedientiam, vnde minùs esset puniendus. Ita Marsilius *in l. Qui falsam, col. 9. vers. Et teneas etiam mente ff. de fals.* apud Guidium, *q. 79. n.* 116. ipse tamen ait, quòd has pœnas non euaderet, quia non solùm est inobediens, sed etiam vsurpat sibi auctoritatem Cæsaris. Et præterea iste iniuriam facit Principi, non solùm vsurpando eius auctoritatem, sed etiam illum damnificando; quia supposita ista moneta, minus exponitur de moneta Principis. Fit etiam iniuria illi, qui nomine Principis monetam cudit; nam mendacio, & fraude ab eo aufertur lucrum, quod haberet in sua moneta expendenda. Damnificantur etiam recipientes illam; quia, cum non sit Principis auctoritate facta, non habet valorem monetæ, ac si esset fabricata à Principe, sed solùm illum valorem, quo valet aurum, aut argentum, ex quo facta est. Quapropter putat Chapeauille *de cas. reseru. casu 16. q. 1. diffic.* 1. quòd iste talis teneretur restituere arbitrio boni viri illud damnum quod Principi, & eius Officiali dedit. Et difficultate 4. quærit, an falsarius monetæ, vel eius hæres, teneatur restituere Principi, vel aliis damnum passis? Et ait, quod in conscientia tenetur; quia restitutio est de iure naturæ. Sed quia isti falsarij communiter suspenduntur in foro exteriori, non habet locum ista restitutio; nam qui luit in corpore, non debet luere in ære.

5. Noto 5. quòd si in domo alicuius reperiantur stampæ falsæ monetæ, est indicium contra illum, quòd sit monetarum falsator adeo vt possit torqueri, si iste talis est malæ conditionis, & famæ. Nam si esset bonæ conditionis, & famæ, qui non esset solitus similia facere, non esset hoc indicium contra illum falsatoris. Quia licèt res furata reperta penes aliquem faciat indicium ad torturam, id tamen fallit in homine bonæ conditionis, & famæ, potest enim suspicari, quod ex malignitate ibi, ipso inscio, ab inimico fuerit occultè posita. Ita Guidius *de miner. lib. 3. tit. 9. de monetis, q. 84. num.* 121.

6. Noto 6. quod dictam monetam falsam apud se scienter retinentes, seu de loco ad locum transferentes, aut domum ad eam cudendam accommodantes, malleos ad cudendum ementes, argentum, aut aurum præstantes, & materiam accommodantes, seu adinuenientes modum dictam monetam bene colorandi, incurrunt pœnas hic taxatas, nimirum decem annorum triremium.

7. Noto 7. quod qui monetam reprobatam à Principe extenderet, has pœnas non incurreret, quia hic nullo modo potest dici falsarius monetæ, vt constat *ex n. 1.* Vnde cum hic casus non puniatur in ista constitutione, ad eam non est extendendus, deberet tamen puniri alia pœna, vt probat Franciscus Curtius *de monetis, num. 20. tom. 12. tract.* Si quis autem falsaret monetam reprobatam à Principe, in loco, vbi est reprobata, incurreret-ne has pœnas? Guidius *loco cit. q. 78. n.* 115. tenet quod non. Nam lex loquens de falsante monetam, intelligitur de vsuali.

8. Noto 8. quod ista constitutio non obligat extra Italiam, nec consequenter in insulis Italiæ adiacentibus, vt sunt Sicilia, Sardinia, Corsica. Quia nomine Italiæ communiter istæ insulæ non veniunt, vt multis probat Diana *p. 2. tract. 17. resol.* 30. Et ita in insula Siciliæ practicari audio, maximè in diœcesi Catanensi, anno 1632.

9. Noto 9. quod Superiores regulares nullo modo possunt se intromittere in cognitione casuum in ista constitutione comprehensorum, sed eorum cognitio ad Ordinarios spectat.

CONST. XIII. aliàs XXIII.

Quâ decernit, quòd singulis annis, idest Feria sexta post Octauam Assumptionis B. M. V. Superiores regulares sub pœna priuationis officij, & vocis actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrenda, in publica mensa, seu capitulo ad hoc specialiter conuocato, & in quolibet capitulo generali, vel prouinciali seu conuentuali, teneantur commonere suos subditos de obseruantia constitutionum Apostolicarum ad officium Inquisitionis pertinentium, & in specie de his, quæ hic notantur.

Feria 6. die 14. Aprilis 1633.

In generali Congregatione S. R. & vniuersalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram S. D. N. VRBANO diuina prouidentia Papa VIII. ac Eminentiss. & Reuerendiss. DD. S. R. E. Cardinalibus, aduersùs hæreticam prauitatem Inquisitoribus generalibus à sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.



Anctissimus Dominus noster sedulo incumbens, vt ea, quæ salubriter Apostolicis decretis, & constitutionibus statuta, & ordinata sunt, præsertim, quæ ad sanctum Officium Inquisitionis contra hæreticam prauitatem pertinent, inuiolabiliter obseruentur, & omnimodam sortian-

tur executionem, districtè mandat, & præcipit, vt omnes Superiores cuiusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, etiam de necessitate exprimendæ, regularis, aut cuiusvis alterius instituti, etiam quantumvis exempti, & priuilegiati, teneantur sub pœna priuationis officij, ac vocis actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrenda, aliisque arbitrio Sanctitatis suæ infligendis in perpetuum, semel saltem in anno, id est feria sexta post Octauam Assumptionis B. Mariæ Virginis, in publica mensa, vel in capitulo ad hoc specialiter conuocato, & insuper in quocunque generali, ac prouinciali capitulo, conuentu, dicta, vel alio quovis nomine nuncupato capitulari congressu, suos subditos, ac Religiosis commonere de iniuncta omnibus obseruantia, & executione earundem Apostolicarum constitutionum, & decretorum, ad sanctum Officium Inquisitionis aduersùs hæreticam prauitatem pertinentium, ac præsertim.

§. II. Iulij III. constit. 2. incip. licet à diuersis, contra impedientes Inquisitores hæreticæ prauitatis in eorum officio, aut in causis Inquisitionis se ingerentes, eorumque complices, & fautores. Et contra ipsos Inquisitores admittentes laicos ad criminis hæresis cognitionem. Et Pij V. const. 82. incip. Si de protegendis, contra occidentes, verberantes, deijcientes, aut perterrefacientes quemvis ex Ministris Sanctissimi Officij Inquisitionis, vel Episcoporum id munus in sua diœcesi, vel prouincia obeuntium; seu accusatorem, denuntiatorem, aut testem, in causa fidei quomodocumque productum, vel euocatum Necnon contra diripientes, expugnantes, inuadentes, incendentes, expilantes, aliòve exportantes alicuius prædictorum bona, libros, literas, auctoritates, exemplaria, regesta, protocolla, exempla, scripturas, aliavè instrumenta, siue publica, siue priuata, vbicumque posita, eorumque complices, & fautores, Et contra effringentes carcerem, vel custodiam publicam, vel priuatam, extrahentes, vel emittentes vinctum, prohibentes capiendum, captumvè eripientes, recipientes, occulentes, seu facultatem effugiendi dantes, seu id fieri iubentes, eorumque complices, & fautores, etiam effectu non secuto; nullatenus excusandos, nisi claras tantummodò probationes in contrarium adducentes. Et contra intercedentes pro præfatis delinquentibus. Inflictis contra quemlibet prædictorum pœnis, quæ damnatis ex primo capite legis Iuliæ Maiestatis, eorumque filiis irrogantur, & oblata reuelātibus impunitate.

§. III. Pij IV. constit. 31. incip. Cum sicut nuper, contra Sacerdotes, qui pœnitentes mulieres in actu sacramentalis confessionis ad inhonestos actus prouocare, & allicere tentant, & sollicitant. Et Gregor. XV. const. 34. incip. Vniuersi dominici gregis, ampliatiua circa huius criminis probationes, & extensiua contra confessarios, qui personas (quæcunque illæ sint) ad inhonesta, siue inter se, siue cum aliis, quomodolibet perpetranda, in actu sacramentalis confessionis, siue ante, siue post immediate, seu occasione, vel prætextu confessionis, vel extra occasionem confessionis in confessionario, aut alio in loco ad audiendam confessionem electo, sollicitare, vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint. Et contra confessarios non monentes eos, quos sciunt ab aliis confessariis sollicitatos esse, vt Inquisitoribus, vel Ordinariis sollicitantes denuntient, vel docentes, eos ad ita denuntiandū non teneri.

§. IV. Gregorij XIII. const. 21. incip. Officij nostri partes, de iurisdictione Inquisitorum hæreticæ prauitatis in eos, qui ad ordinem Presbyteratus non promoti missas celebrant, & sacramentaliter confessiones audiunt. Clementis VIII. constit. 81. incip. Et si aliàs, declaratoria pœna contra eos infligenda per iudices laicos, præuia eorum degradatione. Et Sanctitatis suæ const. 79. incip. Apostolatus officium, extensiua ad minores 25. annis, dummodò vigesimum ætatis annum compleuerint.

§. V. Sixti V. const. 17. incip. Cœli, & terræ Creator, contra exercentes artem astrologiæ iudiciariæ, & alia quæcunque diuinationum genera, librosvè harum artium legentes vel tenentes. Et sanctitatis suæ const. 113. incip. Inscrutabilia iudiciorum Dei, extensiua ad alia, & cum grauioribus pœnis.

§. VI. Clementis VIII. constit. 42. incip. Cum sicut, contra Italos, ne extra Italiam proficiscantur ad loca, in quibus liber, & publicus cultus, siue vsus catholicæ religionis non existat, minusque eis locis habitent. Et Greg. XV. const. 28. incip. Romani Pontificis, contra hæreticos, ne in locis Italiæ, & insularum adiacentium quovis prætextu commorentur, & contra eorum fautores, & receptatores.

§. VII. Pauli V. const. 26. incip. Romanus Pontifex, reuocatoria facultatum Superioribus quorumcunque Ordinum, & Religiosorum quoquomodo concessarum, cognoscendi causas suorum subditorum, ad officium sanctæ Inquisitionis quomodolibet pertinentes.

§. VIII. Eiusdem const. 97. incip. Regis pacifici, innouatoria constitutionum à Sixto IV. & Pio V. de Conceptione B. Mariæ Virginis editarum: Impositionis maiorum pœnarum in transgressores, à locorum Ordinariis & hæreticæ prauitatis Inquisitoribus puniendos. Et Greg. XV. const. 29. incip. Sanctissimus Dominus noster auditis, ampliatiuè, & declaratoria prohibitionis asserendi, Beatam Mariam Virginem conceptam esse in peccato originali.

§. IX. Greg. XV. const. 27. incip. Romanus Pontifex in specula, reuocatoriæ quarumcunque concessionum, viuæ vocis oraculo factarum. Et Sanctitatis suæ constit. extensiua ad quoscumque, quantumvis priuilegiatos, & exemptos, incip. Aliàs fel. rec. Gregorius Papa XV. sub Dat. Romæ 20. Decembris, 1631.

§. X.

§. X. *Eiusdem const.* 40. *incip.* Apostolatus officium. *Et Sanctitatis suæ const.* 114. *incip. eo modo, reuocatoria licentiarum quarumcunque legendi, & habendi libros prohibitos.*

§. XI. *Sanctitatis suæ const.* 37. *incip.* Sanctissimus Dominus noster sollicitè animaduertens, *de imaginibus nondum à Sede, Apostolica canonizatorum, vel beatificatorum cum radiis, splendoribus, aut laureolis non proponendis: Tabellis, aut luminaribus ad eorum sepulcra non apponendis; eorumvè gestis, miraculis reuelationibus, beneficiorum impetrationibus non publicandis, aut imprimendis.*

§. XII. *Pariter Sanctitatis suæ const.* 50. *incip.* Sanctissimus Dominus noster pro debito sui pastoralis officij, *de libris vbicunque compositis, de quacunque materia tractantibus, ab his, qui degunt in statu Ecclesiastico, non transmittendis alio, vt imprimantur sine Vicarij, & Magistri sacri Palatij in Vrbe, vel extra eam sine Ordinarij, & Inquisitoris, aut ab eis deputatorum licentia.*

§. XIII. *Et eiusdem Sanctitatis suæ constit. sub Dat. Romæ die* 5. *Nouembris* 1631. *incip.* Cum, sicut accepimus, *quòd constitutiones Apostolicæ in concernentibus fidem catholicam, & sanctæ Inquisitionis Officium hactenus editæ, & in posterum etiam super quacunque alia re edendæ, omnes Regulares quomodolibet priuilegiatos comprehendant, nisi in edendis illi specialiter excipiantur.*

§. XIV. *Et insuper iidem Superiores teneantur curare, & efficere, vt huius decreti exempla aliquo in loco apud eos publico affigantur, & affixa conseruentur, ita vt ab eisdem subditis religiosis omnibus videri, ac legi commode queant: Deque huiusmodi commonitione publico documento statim certiorem facere Congregationem sanctissimæ Inquisitionis in Vrbe. Et ita mandat, & præcipit Sanctitas sua. Ioannes Antonius Tomasius S. Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis Not.*

CONSTIT. XIV. aliàs XXIV.

Quâ concedit facultatem Generali Minimorum supprimendi conuentus tenues, eorumque bona in conuentus maiores transferendi cum oneribus annexis.

VRBANVS PAPA VIII.
Dilecto filio Correctori generali Ordinis Fratrum Minimorum S. Francisci de Paula.

Dilecte fili, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Motiua. §. I.  *Vm, sicut nobis nuper exponi fecisti, in visitatione tui Ordinis Minimorum S. Francisci de paula, per te hactenus facta, compereris, & in dies comperias, nonnullos ipsius Ordinis conuentus adeò pauperes, & tenues existere, vt spes nulla sit, illos vnquam ad formam conuentuum reduci, minusque eorum Religiosorum numerum, qui per constitutiones Apostolicas pro Regula eiusdem Ordinis obseruantiæ diuinique cultus seruitio præscriptus existit, in eis sustentari posse, quin etiam conuentus huiusmodi in obseruantia regularis, ac disciplina relaxationis, totiusque Ordinis huiusmodi dedecus, & ruinam esse noscas, & experiaris; & propterea tibi de infrascripta facultate per nos prouideri summopere desideres.*

§. II. *Nos de tua fide, virtute, prudentia, & diligentia plurimùm in Domino confisi, necnon conuentuum huiusmodi situationes, confines, qualitates, eorumque fructuum redditus, & prouentus, veros annuos valores præsentibus pro expressis habentes, supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis Regularium præpositorum consilio, Tibi, vt conuentus tenues huiusmodi, facta per Ordinarios locorum eorum, Ecclesiarum profanatione, siue confraternitatibus, vel aliis locis piis applicatione, eorumque onerum, vt infra, translatione, supprimere, & extinguere; & eorum bona quacunque maioribus conuentibus perpetuò vnire, & incorporare, & ad ipsos maiores conuentus, quibus bona huiusmodi vnita, & incorporata fuerint, onera etiam ipsorum minorum conuentuum transferre; ac si magis vtile Ecclesiis futurum iudicaueris, bona huiusmodi, vel eorum partem, vendere, permutare, aut aliàs alienare, dummodò id in conuentuum huiusmodi, & illarum Ecclesiarum vtilitatem cedat, ac pretium inde redigendum in alia bona stabilia dictis conuentibus maioribus applicandum, & incorporandum omninò, & vnico contextu conuertatur, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, licentiam, & facultatem impartimur.* Concedit prout in summario.

§. III. *Decernentes, præsentes literas, & illarum vigore factas vniones, incorporationes, venditiones, permutationes, & alienationes huiusmodi, & postquam factæ fuerint, validas, firmas, & efficaces existere, & fore, ac eisdem conuentibus in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari; sicque per quoscunque iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, iudicari, & diffiniri debere; Ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.* Decretum irritans

§. IV. *Non obstantibus fel. rec. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac nostra de vnionibus committendis ad partes, vocatis, quorum interest, & Lateranen. Concil. nouissimè celebrati, vniones perpetuas, nisi in casibus à iure permissis, fieri prohibentis,* Contrariis derogat.

necnon

necnon conuentuum, & ordinis prædictorum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quauis firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis; Quibus omnibus, & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem, ſub annulo Piſcatoris, die 23. Iunij 1633. Pontif. noſtri anno 10. Locus † ſigilli. M. Aurelius Maraldus.

1. Circa iſtam conſtitutionem quæres primò, an Generalis poſſit hanc facultatem ſuo Vicario generali committere. Et videtur, quòd non; quia eſt electa induſtria perſonæ, per illam clauſulam, *De tua fide plurimum confiſi.* Atque ita cum multis docet Barboſa *in c. Quoniam, num. 9. de offic. Legat.* Et quòd quando eſt electa induſtria perſonæ, delegatus ſubdelegare non poſſit, idem Barboſa *ibid. n. 3.* Poteſt tamen Generalis dicto ſuo Vicario committere, vt aliquem conuentum, de quo habet notitiam, quòd non ſit vtilis de præſenti, neque quòd ſit futurus vtilis in futurum, relinquat; quia tunc dictus Vicarius habet ſolùm in hoc nudum miniſterium, non autem vllum arbitrium. Et ſic in hoc induſtria Generalis non deſideratur; neque hic, cui hoc nudum miniſterium fuerit commiſſum, poterit illud alteri ſubdelegare, vt probat Barboſa *loco cit. num. 14.*

2. Quæres 2. An poſſint relinqui conuentus, qui de breui futuri ſunt pingues? Reſpondeo non poſſe relinqui, niſi eos conuentus, de quibus nulla ſit ſpes, quòd vnquam reduci poſſint ad formam conuentus, vt patet ex §. 1. ſuper narratiua enim fundatur iſta facultas; vnde Generalis antequam aliquem conuentum relinquat, debet probare dictam narratiuam, nimirum iuridicè examinare multos teſtes, qui ſuo iuramento affirment, dictum conuentum relinquendum eſſe in in præſenti tenuem, & nullam exiſtere ſpem, quòd futurus ſit aliquando pinguis, & conſequenter, quòd poſſit aliquando reduci ad formam conuentus. Et in dubiis conuentus ſunt retinendi, per regulam, In dubiis potior eſt conditio poſſidentis, vt probat Barboſa *in axiomat. iuris, axiom. 182. n. 5.* Quòd ſi, ſtante dubio, Generalis hac facultate vtatur, incidet in pœnas contra alienantes; nam conditione illa, *Necnon conuentuum huiuſmodi, &c.* non purificata, priuilegium eſt nullum. Atque ita ſtandum eſt diſpoſitioni iuris communis, de qua dico *tom. 1. priuil. in conſt. 2. Iulij II. num. 76. & num.* 80.

3. Quæres 3. A quonam profanatio dictarum Eccleſiarum ſit facienda? Reſpondeo, Faciendam eſſe per Ordinarios locorum, vt hic dicitur, ſi Eccleſiæ, intellige, ſint conſecratæ; nam ſi non ſint conſecratæ, ſed ſolùm benedictæ, poteſt fieri profanatio à Prælato, qui habet auctoritatem illas benedicendi; per eaſdem enim cauſas reſoluitur contractus, per quas fit. Atque ita docent Syluester *ver. Eccleſia 2. q. 5. num. 7. dicto 3.* Angelus *ver. Altare, num.* 6. Roſella *eod. num.* 2. Modum autem profanandi, ſeu execrandi Eccleſiam, vide apud Tab. *ver. Altare, num.* 5. Angel. *eod. n.* 2. Quòd ſi Eccleſia ſit conſecrata, & Epiſcopus nolit eam profanare, poterit compelli per Archiepiſcopum, & hic per Cong. Epiſc. & Regul. iuxta *c. Nullus, de iur. patron.* Colligitur ex Azor. *tom. 2. inſtit. Moral. lib. 9. cap. 3. q.* 8. & interim poterit Generalis bona illius in conuentus maiores transferre. Nam licèt ablatiuus abſolutus regulariter formam importet ad aliquid validè agendum, vt probat Sanchez *lib. 3. de matrim. diſp. 5. n.* 2. tamen aliquando connotat modum ad aliquid licitè, vel ex æquitate præſtandum, vt docet idem Sanchez *ibid. n. 4. ad* 2.

4. Quæres 4. An applicatio dictarum Eccleſiarum confraternitatibus, & aliis piis locis, ſit facienda per Epiſcopum, an per Generalem? Reſpondeo quod ſi Eccleſia, antequam eam poſſiderent Fratres, erat de iure Epiſcopi, quia ſcilicet Epiſcopus eam Fratribus conceſſerat, tunc debet dicta applicatio fieri per Epiſcopum; ſi autem ſit constructa à Fratribus, vel ex propriis pecuniis, vel piorum eleemoſynis, tunc puto, quòd dicta applicatio debeat fieri à Prælato, cum in ea nullum ius acquiſierit Epiſcopus; ſeu ad ſummum, quòd debeat fieri à Prælato regulari de conſenſu Epiſcopi.

5. Quæres 5. A quonam ſint transferenda onera conuentus tenuis in maiorem? Reſpondeo à Generali, vt expreſsè ibi dicitur, & ſimiliter bona illius vendere, & transferre in conuentus maiores, ad Generalem ſolum pertinet, vt patet ex illa clauſula. *Et eorum bona quæcunque maioribus conuentibus perpetuò vnire.*

6. Quæres 6. An hoc priuilegium ſit reale, an perſonale, id eſt, an ſolùm ſit conceſſum Generali, qui erat tempore conceſſionis, an verò etiam tranſire debeat ad ſucceſſores? Reſpondeo quòd eſt reale, & tranſit ad omnes Generales pro tempore futuros. Tum quòd eſt conceſſum nomine dignitatis, iuxta ea, quæ dico *tom. 1. priuil. in conſt. 1. Sixti IV. n.* 3. & docet Abbas *in c. Quoniam, de offic. deleg. num.* 7. vbi Barboſa, quamplures DD. referens *n.* 2. & habetur *in dicto c. Quoniam.* Tum quia verba illa, *De tua fide, virtute, prudentia, & diligentia plurimùm in Domino confiſi,* ſunt proportionabilia perſonæ, & dignitati, cumque hic non ſit expreſſum nomen proprium Generalis regnantis tempore conceſſionis, ſed tantùm appellatiuum dignitatis, faciunt, quod diſpoſitio ſit realis, vt probat Panor. *loco cit. n.* 8. Tum denique, quia hac intentione, vt ſcilicet eſſet reale, fuit hoc priuilegium obtentum, & pro tali conceſſum, & habitum à tota Religione.

7. Quæres ſeptimò, An Generalis volens hac facultate vti, debeat in decreto, ſeu quando id committit ſuo Vicario eo modo, quo dictum eſt, ſeu literis patentibus, inſerere totam hanc conſtit. de verbo ad verbum; an verò ſufficiat, quod dicat, Auctoritate nobis conceſſa ab Vrbano VIII. &c. Reſpondeo Quod in literis commiſſionalibus, & patentibus debet inſerere totum tenorem de verbo ad verbum iſtius bullæ. Et ita colligo *ex conſt. 98. Vrbani VIII. tom. 4. bull. pag. mihi 429.* § 5. Quando autem ipſe facit decretum, ſeu ſententiam, quod aliquis conuentus relinquatur, non videtur neceſſarium, quod iſta conſtitutio de verbo ad verbum inſeratur, ſed ſufficit, quod dicat, Auctoritate nobis conceſſa à S. D. N. D. Vrbano VIII. per ſuam conſt. *Cum ſicut*, datam Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, ſub annulo Piſcatoris, *die 23. Iunij*, 1633. Pontificatus eius anno 10. prout habetur *tom. 3. noſtrorum priuilegiorum in Vrbani VIII. conſtit. 14. aliàs* 24. Et ratio diuerſitatis eſt. Quia in primo caſu expreſsè Papa dicit, quod totus tenor inſeratur; de hoc ſecundo non loquitur; Cum ergo quoad hoc ſit odioſa, ad hunc ille caſus non eſt extendendus.

CONSTIT.

CONSTIT. XV. aliàs XXV.

Quâ reuocat omnia priuilegia concessa Fratribus particularibus in Regnis Hispaniarum, propter quæ ab obedientia suorum Prælatorum eximuntur.

VRBANVS PAPA VIII. AD perpetuam rei memoriam.

Procemium. *PAstoralis officij Nobis diuinitus commissi sollicitudo ingiter nos admonet, vt omni cura, & vigilantia ad ea semper intendamus, per quæ regularium personarum, quæ, relicto sæculo, diuini numinis obsequiis se se manciparunt, quieti, felicique statui, ac regularis disciplinæ conseruationi consulitur, vt ipsæ personæ iuxta regularia suorum Ordinum instituta tranquillis mentibus gratum Altissimo impendere possint famulatum.*

Motiua. *§. I. Cum itaque sicut accepimus, in Regnis Hispaniarum diuersa priuilegia, prærogatiuæ, immunitates, atque exemptiones diuersorum Ordinum Religiosis, tam ab ipsorum Superioribus quàm à Sede Apostolica, illiusque in dictis Regnis Nuntiis pro tempore existentibus concessa reperiantur, per quæ ijdem Religiosi ab eorum Prælatorum obedientia eximuntur, & monasteriis, & regularibus domibus ad eorum libitum, at cum sociis sibi benè visis, & iam destinatis, etiam Superiorum suorum non petita licentia, egrediuntur, absque eo quòd ijdem Superiores tam huiusmodi egressum, quam sæcularium personarum quibusvis horis ad eorum cellas accessum, atque ingressum impedire possint: Prætereà de vno ad aliud monasterium, seu regularem domum, etiam ipsis Superioribus inuitis, transeunt, nec choro, & aliis spiritualibus exercitiis, minusque refectorio cum aliis intersint; ex hoc autem grauissima inconuenientia, & scandala in non modicum regularis obseruantiæ, & disciplinæ detrimenium exoriantur.*

Statuit prout in summario. *§. II. Nos præmissis, quantum cum Domino possumus, obuiare volentes, Motu proprio, & ex certa scientia: ac matura deliberatione nostris, omnia, & singula, ac quæcumque huiusmodi priuilegia, prærogatiuas, immunitates, & exemptiones quorumcunque Ordinum, Congregationum, & Institutorum Religiosis, tam per Sedem Apostolicam, illiusque in eisdem Regnis Nuntios, quòm illorum Superiores ex quacunque causa, ac sub quibuscunque verborum formis, & expressionibus quomodolibet concessa, Apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuò reuocamus, cassamus, & abrogamus; ac reuocata, cassa, & abrogata, viribusque & effectu vacua esse, & fore, nec illa cuiquā suffragari, neque de cætero, absque nostra, & Sedis Apostolicæ licētia, cōcedi posse.*

Decretum irritans. *§. III. Sicque & non aliter, per quoscunque iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palati Apostolici Auditores vbique iudicari, & definiri debere; Ac irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit, attentari, decernimus, & declaramus:*

Contrariis derogat. *§. IV. Non obstan. præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon (quatenus opus sit) Ordinum, Congregationum, & Institutorum huiusmodi, & quibusvis aliis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, eisdem Religiosis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis specialis, specifica, & expressa, & indiuidua mentio habenda esset, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes; hac vice dumtaxat, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.*

Transumptis fidem adhiberi iubet. *§. V. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ, apud S. Mariam Maiorem, sub annullo Piscatoris, die 30. Iulij 1626. Pontificatus nostri anno 3.*

1. NOto 1. quòd in ista const. reuocat Papa priuilegia faciendi aliquid contra legem, aut præter legem, vt non ieiunandi, comedendi absque Superioris licentia: reuocat prærogatiuas, idest, præeminentias, quibus quis alteri præfertur absque iusto titulo, immunitates, idest, quòd quis non teneatur ad exercenda communitatis munera, ire ad processiones, &c. exemptiones, quibus quis fit exemptus à iurisdictione Prælati Ordinarij, vt explicat Portel. 2. *p. casuum, cas.* 31. *num.* 5. Et in specie reuocat licentias generales exeundi è conuentu cum socio ad beneplacitum absque licentia Superioris localis. Secundò reuocat licentiam datam aliquibus, vt sæculares possint ire ad cellas suas ad suum beneplacitum, absque eo quòd Superior localis id possit impedire. Tertiò reuocat licentiam se transferendi de vno in alium conuentum absque licentia Superioris. Quartò reuocat licentias aliquibus datas ne teneantur interesse choro, refectorio, &c. quæ reuocatio intelligitur etiamsi prædicta fuerint concessa à Prælatis Religionis, à Nuntiis Apostolicis, vel etiam ab ipso Papa.

2. Noto 2. quod non reuocantur priuilegia concessa Regentibus, Lectoribus, etiam iubilatis, studentibus sed studiorum causa occupatis, & aliis Patribus grauibus per capitula generalia, aut prouincialia, vel definitoria. Nam Papa hæc capitula non exprimit. Ita Portel. 2. *p. casuum, casu* 31. *aduertentia* 4. *num.* 10. Reuocantur autem ea, quæ à solis Generalibus, vel Prouincialibus sunt concessa, vt probat idem Portel. *ibid num.* 11. Quod tamen limito, nisi sint concessa à

dictis

dictis Generalibus, vel Prouincialibus tempore generalis visitationis, causa bene cognita; nam in iis visitationibus cõcessa habent vim decreti, cum soleant fieri matura deliberatione præuia. Nec item reuocantur per istam bullam priuilegia concessa Fratribus ægrotis, literatis, senioribus benemeritis habendi vnum Fratrem sibi placitum, qui illis inseruiat in suis necessitatibus corporalibus subleuandis. Quia hoc lex naturalis dictat, nec vllum scandalum, aut inconueniens ex his nascitur, nec quisquam Religiosus eximitur ab obedientia sui Prælati; quæ est ratio motiua huius constitutionis. Ita Portel. *loco cit. n.* 12. Et aduerte, quod si concessum sit aliquod priuilegium alicui seni benemerito, v. g. quòd non teneatur ire ad processiones, vel sit exemptus ab horis matutinis, & de hoc aliqui scandalizentur, de hoc scandalo curandum non est, cum sit Pharisæorum. Portel. *loco cit. n.* 17. *l. vlt. C. Qui ætatem.* Et in particulari de reuocatione priuilegij non eundi ad chorum, dicit Portel. *n.* 19. quòd intelligitur de his, qui non habent occupationem publicam pro bono communi.

3. Noto 3. quòd post istam bullam Nostri Papæ non possunt amplius aliquod priuilegium Fratribus particularibus concedere, neque multo minus Prælati regulares; Portel. *loco cit. n.* 13. qui *n.* 16. ait, quòd hæc constitutio non extenditur ad Moniales, quia in odiosis masculinum non cõprehendit fœmininum. Et demum aduerte, quòd extra Regna Hispaniarum ista constitutio non obligat, neque etiam obligat in Regnis Regi Hispaniarum subiectis, si sint extra Hispaniam, in Italia v. g. aut Flandria.

CONSTIT. XVI. aliàs XXVI.

Quæ reuocat omnia priuilegia audiendi confessiones absque examine, & approbatione Ordinarij.

VRBANVS PAPA VIII. AD futuram rei memoriam.

Motiua. *CVm, sicut accepimus, aliquibus Religiosis quorundam Ordinum, seu Congregationum à Sede Apostolica indultum fuerit, vt sacramentales personarum sæcularium confessiones audire valeant, etiamsi ab Episcopis diœcesanis, ad id examinati, & approbati non fuerint; nec desint, qui temerè asseuerent, hoc ipsum priuilegium cæteris quoque aliorum Ordinum Regularibus competere, ex amplissimis priuilegiorum communicationibus quas ab eadem Sede Apostolica obtinuerunt; & hinc saluberrimum sacri Concilij Tridentini decretũ desuper sancitum penitus euertatur.*

Statuit prout in summario. *§. I. Nos huic malo opportunè prouidere volentes, de ven. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis Regularium præpositorum consilio, omnia, & singula indulta huiusmodi, audiendi sæcularium confessiones absque Ordinarij examine, & approbatione, quibusuis Collegiis, Capitulis, Religionibus, Societatibus, & etiam Societati Iesu, Congregationibus, & Ordinibus, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, necnon Monachorum quorumcunque, etiam Sancti Benedicti, Cistercien. & Carthusien. ac etiam quibusuis Militiis, etiam Hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani, ac quibuscũque Ecclesiis, etiam Patriarchalibus, & metropolitanis, monasteriis, cæterisq; locis piis, siue eorum, & earum respectiuè Abbatibus, Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, etiam generalibus, vel prouincialibus, Capellanis, Confessariis, aut aliis quocunque nomine nuncupatis Superioribus, & personis quibuscunque, etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi Apostolicæ immediatè subiectis, cuiuscunque dignitatis, præeminentiæ, & conditionis existentibus, & quovis priuilegio munitis, & tam ad supplicationem partium, quàm motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine hactenus quandocunque, & qualitercunque ex quavis, etiam de necessitate exprimenda, causa, & aliàs quomodolibet concessa, Apostolica auctoritate, tenore præsentium reuocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, viribusque, & effectu euacuamus, ac reuocata, cassa, sublata, abrogata, & annullata, viribusque, & effectu vacua esse, & fore, nec Religionibus, Societatibus, etiam Societati Iesu, Congregationibus, Ordinibus, ac militiis, & Ecclesiis, Monasteriisque prædictis, eorumque Superioribus, & personis quibuscunque imposterum vllo modo suffragari, minusq; illos & illas, etiamsi de iis specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum mentio habenda foret; indultis huiusmodi vti posse.*

Clausulæ præseruatiuæ. *§. II. Præsentes verò literas, & in eis contenta quæcunque etiam ex eo, quòd quicunque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quocunque defectu notari, impugnari, redargui, in ius, vel controuersiã reuocari, ad terminos iuris reduci, aut aduersùs illas quodcunque iuris gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere.*

Decretum irritans. *§. III. Sicque per quoscunque iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Nuntios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere; Ac irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus.*

Derogat contrariis. *§. IV. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, Ordinibus, Societatibus, & Congregationibus prædictis, eorũque Præpositis, Decanis, Magistris, Abbatibus, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, & aliis Superioribus, Capellanis, aliisque prædictis, sub quibuscunq; tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus; & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorũ sufficiẽti derogatione,*

tione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem adhiberi iubet.

§. *V. Volumus autem, quòd præsentium transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus vbique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.*

Publicatio in Vrbe vbique arctat.

§. *VI. Quodque eædem præsentes litteræ seu illarum exempla, ad valuas Basilicarum S. Ioan. Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie campi Floræ affixa, omnes ita arctent, & afficiant, ac si vnicuique personaliter intimata fuissent: Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 12. Septembris 1628. Pontificatus nostri anno 6.*

1. NOta, quòd Sixtus V. Congregationi Oratorij Romæ concesserat, vt approbati à Vicario Vrbis ad audiendas confessiones in ipsa Vrbe, possent vbique locorum, absque alio examinate, cum licentia tamen Ordinariorum, confessiones audire, prout dixi *tomo primo priuil. reg. in const. 1. Iulij II. numero* 80. Aliqui autem Regulares prætendebant frui hoc priuilegio, & non sine ratione; Nam semel per principem probatus, per inferiorem non debet iterum examinari; *l. Quidam consulebat ff de re iudic. Innoc in c. Pastoralis, de donat.* Capella Tolosana *decis.* 449. Nau. *in man. c.* 27. *n.* 266. Sed ego semper de hoc dubitaui, vt videri potest *dicto loco priuilegio citato*. Hic autem Pontifex omnem dubitationem sustulit.

CONSTIT. XVII. aliàs XXVII.

Contra Astrologos iudiciarios, qui de statu Reipublicæ Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, seu vita Romani Pontificis, aut eius consanguineorum iudicia facere, necnon eos qui illos desuper consulere præsumpserint, cum innouatione similis constitutionis Sixti Papæ V.

VRBANVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

INscrutabilis iudiciorum Dei altitudo non patitur, vt humanus intellectus tenebroso corporis carcere constrictus super astra se extollens, arcana in sinu diuino recondita, & ipsis beatissimis spiritibus ignota, nefaria curiositate, non solùm explorare, sed etiam tanquam explorata, in Dei contemptum, Reipublicæ perturbationem, & Principum periculum, arroganti, & pernicioso exemplo venditare præsumat.

Motiua.

§. *I. Hinc est, vt quamvis ciuilibus, Canonicisque sanctionibus, ac nouissimè fel. record. Sixti Papæ V. prædecessoris nostri constitutione desuper edita, Astrologorum, Mathematicorum, Vaticinatorum, & aliorum, qui euentura diuinare, seu prædicere audent, quosque vti homicidas, & maleficos antiquitas æstimauit, illorum potissimum, qui de summa Republica, vel Principis salute iudicia ferre præsumerent, ars, professio, siue exercitium grauibus pœnis inhibita esse noscantur. Attamen, sicut accepimus, nonnulli iniquitatis filij, propriæ pusillitatis obliti, ac lenitate forsan, vel conniuentia audentiores facti, vanamque fatidicorum æstimationem aucupantes, in deplorandam animarum suarum perditionem, grauéque Christi fidelium scandalum, etiam de Republica, & Principum incolumitate, illis sollicitudinem, hominibus verò inquietis rerum nouandarum occasionem ea ratione inferre satagentes, prognostica, & prædictiones, verbo, vel etiam scripto edere non erubescunt.*

Innouat Cõst. Sixti V.

§. *II. Nos itaque perniciosis huiusmodi ausibus, quantum nobis ex alto conceditur, obuiam ire, ac quos Dei respectus in officio non continet, pœnarum grauitate, & seuerioris disciplinæ fræno coërcere volentes; Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, déque Apostolicæ potestatis plenitudine, constitutionem per præfatum Sixtum prædecessorem desuper, vt præfertur, editam, Apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuò approbamus, confirmamus, & innouamus.*

Pœnæ contra laicos.

§. *III. Et insuper omnibus, & quibuscumque laicis cuiuscumque sexus, conditionis, status, gradus, qualitatis, & dignitatis, etiam marchionalis, vel ducalis, existentibus, qui de statu Reipublicæ Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, siue de vita, aut morte Romani Pontificis pro tempore existentis, eiusque vsque ad tertium gradum inclusiuè consanguineorum, Mathematicos Ariolos, Aruspices, Vaticinatoresve nuncupatos, vel alios Astrologiã iudiciariam exercentes, seu aliàs quomodolibet profitentes de cætero consuluerint, siue desuper eorum iudicia, prognostica, prædictiones, seu præcognitiones, etiam sibi oblatas, receperint, illisve quomodolibet vsi fuerint, vel illas penes se scienter retinuerint, aut alicui ostenderint, necnon iisdem Mathematicis, Ariolis, Aruspicibus, Vaticinatoribus, siue aliis Astrologiam iudiciariam, seu quamlibet artem diuinatoriam quomodolibet profitentibus, qui iudicia, prognostica, seu præcognitiones, & prædictiones super præmissis, etiamsi id non certò se affirmare protestentur, fecerint, siue à se, vel ab aliis iam facta, seu factas imposterum penes se similiter retinuerint, vel alicui dederint, seu ostẽderint, aut de eis quovis modo, etiam improbando, scripto, vel verbis tractauerint, nedum excõmunicationis maioris latæ sententiæ, sed etiam vti*

læsæ Maiestatis reis; vltimi supplicij, ac confiscationis omnium bonorum suorum, etiam Romanæ Curiæ officiorum, ac deuolutionis quarumcunque ciuitatum, castrorum, & locorum iurisdictionalium, & feudalium.

Contra Ecclesiasticos.

§. IV. Clericis quoque, & Presbyteris, aliisque personis Ecclesiasticis, tam sæcularibus, quàm cuiusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, seu Instituti, vel militiarum quarumcunque, etiam Hospitalis S. Ioannis Ierosolymitani, aliisque quomodolibet exemptis, ac Nobis & Apostolicæ Sedi immediatè subiectis, Regularibus vtriusque sexus, vltra prædictas, etiam priuationes beneficiorum, & dignitatum, ac officiorum Ecclesiasticorum, etiam Monasteriorum, Prioratuum, & Præceptoriarum, ac aliorum quorumcunque, & inhabilitatis perpetuæ ad illa imposterum obtinenda, ita quòd personæ Ecclesiasticæ, præuia illarum degradatione, curiæ sæculari tradantur puniendæ; in Episcopali verò, Archiepiscopali, Metropolitana, Primatiali, Patriarchali, aut quacumque alia, etiam superiori, Ecclesiastica, vel mundana, quantumvis sublimi excellenti, & speciali nota digna, etiam suprema constitutis dignitate, easdem excommunicationis, ac priuationis, etiam regiminis, & administrationis Ecclesiarum, & aliorum quorumcunque beneficiorum, & dignitatum, quantumvis amplissimarum, & Patriarchali maiorum, ac officiorum suorum, & inhabilitatis pœnas ipso facto incurrendas, Apostolica auctoritate, tenore præsentium infligimus, & imponimus.

Deputat iudices tam in Vrbe quam extra.

§ V. Cognitionem autem causarum huiusmodi quò ad personas Ecclesiasticas, tam sæculares, quàm regulares, in Vrbe nostra, & illius districtu, ad dilectos filios nostrum in eis Vicarium in spiritualibus generalem, necnon eiusdem Vrbis Gubernatorem, ac causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Auditorem generalem & eorum quemlibet in solidum; extra verò Vrbem, & districtum prædictum, in Prouinciis Nobis, & Apostolicæ Sedi subiectis, ad S.R.E. Cardinales in eisdem Prouinciis de Latere Legatos, & Prolegatos, ac Præsides in dignitate Ecclesiastica constitutos pro tempore existentes; in aliis verò omnibus, & singulis Prouinciis, Regnis, Ciuitatibus, Oppidis, Castris, & locis, tam sub nostra, & dictæ Sedis, quàm cuiusvis alterius Principis, ditione comprehensis, priuatiuè quò ad omnes, etiam Superiores Religiosorum, ipsisque Superioribus penitus exclusis, ad Ordinarios locorum; vbilibet verò locorum, etiam ad hæreticæ prauitatis Inquisitores spectare volumus.

Commissarios deputat.

§ VI. Mandantes dilectis filiis nostris, & dictæ Sedis de Latere Legatis, & eorum Vicelegatis, & Præsidibus prædictis, nunc, & pro tempore existentibus, necnon venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis singulis, videlicet in suis ciuitate, & diœcesi, & quò ad loca intra fines alicuius diœcesis, non tamen de diœcesi existentia ipsarum diœcesum, intra quarum fines eadem loca extiterint, quò verò ad ea, quæ extra fines alicuius diœcesis consistunt, vicinioribus eorundem locorum Ordinariis, ac etiam Inquisitoribus prædictis, quatenus ad instantiam cuiusvis Fisci, vel denuntiatoris, ac etiam ex eorum officio causarum huiusmodi cognitiones suscipientes, præuia etiam auocatione à quibusvis aliis supra non expressis, nec à Nobis specialiter delegatis in causis ipsis modo præmisso procedant, omnibus iuris, & facti remediis opportunis, inuocato etiam auxilio brachij sæcularis.

Pœnæ contra inobedientes.

§. VII. Inhibentes insuper Decanis, & capitulis Ecclesiarum Cathedralium, Metropolitanarum, & Patriarchalium, necnon quorumvis Ordinum, & locorum Regularium, Societatum, & Institutorum, ac etiam Hospitalis prædictorum Superioribus, Conuentibus, & Fratribus, quantumvis exemptis, ne sub priuationis beneficiorum, & officiorum quorumcunque, per eos respectiuè obtentorum, ac similiter inhabilitatis ad alia in futurum obtinenda, vocisque actiuæ, & passiuæ, necnon excommunicationis latæ sententiæ eo ipso incurrendis pœnis, Ordinarios locorum, necnon Legatos, seu Vicelegatos, aliosque prædictos in causis huiusmodi procedentes quoquo modo impedire, molestare, seu perturbare audeant, vel præsumant. Ac etiam mandantes, vt, quoties ad id fuerint requisiti, Religiosos ipsos, etiamsi alicuius loci Regularis Superiores actu fuerint, Ordinariis, Legatis, seu Vicelegatis, ac aliis prædictis, seu quibus iisdem mandauerint, consignent, cum Scripturis, & actis, si quæ facta fuisse reperiantur.

Decretum irritans.

§. VIII. Sicque, & non aliter, in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, delegatos, & commissarios, ac etiam Cameræ Apostolicæ Clericos, Præsidentes, necnon causarum Palatij Apostolici, & Curiæ eiusdem Cameræ generalem Auditores, ac S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales, etiam de latere Legatos, necnon Vicecamerarium, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbique iudicari, & definiri debere. Irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Contrariis derogat.

§. IX. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon nostra in numero septuagesima, & aliis Cancellariæ Apostolicæ regulis, ac Prouinciarum, Regnorum, Ciuitatum, Terrarum, Oppidorum, Locorum, Ecclesiarum, Monasteriorum, Militiarum, Hospitalium, etiam S. Ioannis prædictorum, aliorumque Religiosorum, & piorum locorum, etiam iuramento, confirmatione, Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, eisdem Prouinciis, Regnis, Ciuitatib. Terris, Oppidis, Locis, Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, & Militiis prædictis, & aliis piis locis, ac illorũ Vniuersitatibus, Capitulis,

Superiori

Superioribus, & personis in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, eorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, & expressè harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Publicatæ in Vrbe omnes arctant.

§. X. Volumus autem, quòd præsentes literæ in valuis Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, ac Cancellariæ Apostolicæ, necnon in acie campi Floræ publicentur, & affigantur; quæ, postquam sic affixæ, & publicatæ fuerint, quoscumque, tam in statu nostro temporali, quàm extra eum, vbique locorum perinde arctent, & afficiant, ac si vnicuique nominatim, & personaliter intimatæ fuissent.

Transumptis fidem adhiberi iubet.

§. XI. Quodque earum exemplis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra vbique adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. XII. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, innouationis, iussionis, impositionis, inhibitionis, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis dominicæ 1631. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno 8.

CONST. XVIII. aliàs XXVIII.

Quâ reuocat omnia viuæ vocis oracula, etiam à Cardinalibus obtenta, & eorum manu subscripta.

VRBANVS PAPA VIII. AD perpetuam rei memoriam.

Memorat constitut. Greg. XV.

§. I. ALiàs felicis recordationis Gregorius Papa XV. prædecessor noster, vt subnascentibus iugiter variis difficultatibus, & abusibus ex priuilegiis à Sede Apostolica viuæ vocis oraculo sæpenumerò concessis obuiam iret, constitutionem edidit tenoris subsequentis, videlicet. Gregorius Papa XV. Ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex in specula militantis Ecclesiæ. Hic ponitur per extensum constit. Gregorij XV. quàm habes tom. 2. nostr. priu. in eius const. 3.

Statuit prout in summario.

§. II. Cùm autem experientia rerum magistra compertum sit, concessiones, & gratias viuæ vocis oraculo, etiam à S.R.E. Cardinalibus obtentas, & ipsorum manu firmatas, sæpè ab his, in quorum fauorem emanarunt, minùs Canonica interpretatione extendi, & perperam in disciplinæ Ecclesiasticæ detrimentum executioni demandari; Idcirco, quantum cum Domino possumus, his, & aliis malis occurrere volentes; Motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, & de consilio nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium, quibus negotium huiusmodi maturè discutiendum commisimus, omnia, & singula priuilegia, facultates, licētias, & gratias quoscumque per Summos Pontifices prædecessores nostros, ac per nos viuæ vocis oraculo, & S.R.E. prædictæ Cardinalium quorumcunque manu firmata, quibuscumque Generalibus, Prouincialibus, cæterisque Superioribus, & personis cuiusuis Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, siue sæcularibus, siue Regularibus; vel etiam ipsis Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, etiam Societati Iesu, aut eius Clericis, seu Presbyteris, aliisque personis prædictis, quacumque de causa, etiam de necessitate exprimenda, occasione, prætextu, vel colore, etiam intuitu, contemplatione, seu ad instantiam Imperatoris, Regum, & Principum quorumcunque, aut aliàs quomodolibet concessa, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, tenore præsentium reuocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac de cætero reuocata, cassa, sublata, abrogata, & annullata, viribusque, & effectu vacua esse, & fore, nullique prorsus deinceps suffragari posse, nec debere, declaramus.

Mandat Generalibus Ordinum sub pœna excom. ipso facto, vt harum transumptum singulis Prouincialibus mittant.

§. III. Præterea, vt præsentes literæ omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, quantò citiùs innotescant, omnibus, & singulis Generalibus, & aliis quocumque nomine nuncupatis Superioribus quorumcunque Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis Iesu, & Institutorum, sub excommunicationis, ac priuationis officiorum, & dignitatum, necnon vocis actiuæ, & passiuæ pœnis ipso facto incurrendis præcipimus, & mandamus, vt infrà tres menses proximos à die publicationis præsentium computandos, omnes, & singulos Prouinciales eorundem suorum Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis Iesu, & Institutorum, de eisdem præsentibus literis certiores faciant, earundemque præsentium exemplaria illis transmittant. Qui quidem Prouinciales sub eisdem pœnis teneantur singulis superioribus Monasteriorum, Conuentuum, Collegiorum, domorum, & locorum Regularium præcipere, vt easdem præsentes subditis suis, vt moris est, publicent.

Decernit, quòd hæ literæ impugnari non possint.

§. IV. Decernentes, præsentes literas, etiam

ex eo quòd quicumque in præmissis interesse habentes, vel habere prætendentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, seu alio quopiam defectu, notari, impugnari, inualidari, redargui, in ius, vel controuersiam vocari, aut ad viam, & terminos iuris reduci, siue aduersus illas quodcumque iuris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere. Sicque per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere. Ac irritum, & inane, si quid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. *§. V. Non obstantibus præinsertis huiusmodi, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, &, quatenus opus sit, etiam regula nostra. De non tollendo iure quæsito; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, eisdem Cardinalibus, ac Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, eorumque Superioribus, quocumque nomine nuncupatis, sub quibuscumque verborum formis, & tenoribus, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.*

Transumptis fidem adhiberi iubet. *§. VI. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus vbique fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibita, vel ostensa. Quodque eædem præsentes literæ, siue illarum exempla, ad valuas basilicarum prædictarum, & in acie campi Floræ huiusmodi similiter affixa, omnes, quos concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 20. Decembris 1631. Pontificatus nostri anno 9. M. A. Maraldus. Die, & anno supradicto affixa, & publicata fuit ad valuas Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum, ac in acie campi Floræ, aliisque locis solitis, & consuetis, vt moris est, per me Andream Scalmannum S. D. N. Papæ Cursorem.*

1. Noto primò, quòd ista reuocatio non intelligitur de viuæ vocis oraculis concessis ante Pium V. Nam iste Pontifex illa omnia innouauit, & de nouo concessit, cum clausula: *Quorum tenores, ac si de verbo ad verbum, &c.* quæ clausula operatur, vt confirmatio, & innouatio fiat ex certa scientia, vt probaui *tom. 5. nostr. priuil. in const. 4. Pauli III. n. 11.* vt constat *ex const. 7. Pij V. tom. 5 nostr. priuil. §. 31.* Imò nec etiam intelligitur de viuæ vocis oraculis concessis ante Greg. XIII. seu etiam ab ipso Gregorio ante confirmationem, de qua mox. Quia iste etiam Pontifex ea omnia confirmauit per suam constitutionem primam ex certa scientia, quam habes *tom. 2. nostr. priuileg. in Greg. XIII.* quæ clausula vim habet nouæ concessionis. Cùm itaque isti duo Pontifices per confirmationem, & innouationem ex certa scientia, quæ nouæ concessionis vim habet, priuilegia viuæ vocis oraculis concessa confirmarint in genere, & in specie per suas particulares constitutiones, iam illa desinunt esse concessa per viuæ vocis oraculum, sed sunt concessa per nouas dictorum Pontificum constitutiones; quare sub ista reuocatione cadere non videntur, salno semper meliori iudicio, & stylo Curiæ Romanæ aliter interpretante, & sentiente. Neque etiam cadunt sub ista reuocatione viuæ vocis oracula concedentia indulgentias; quia hæ non nominantur, nec veniunt commodè possunt nomine priuilegiorum, aut gratiarum, sed sunt omnino diuersa; & à diuersis non fit illatio, præsertim in odiosis, qualis est hæc constitutio, cum sit reuocatoria tot priuilegiorum. Imò audio, quòd aliqui putant, istam constitutionem non obligare in foro conscientiæ, interpretantes illam tanquam odiosam, vt minùs lædat, quàm fieri potest: cum connenientes esse dicant, vt priuilegia Regularibus concessa conseruentur, cum fuerint concessa intuitu meritorum, & sanguinis sparsi pro conseruatione, & augmento S. Romanæ Ecclesiæ. Pro qua doctrina citant Baldum de Periglis *in tract. de exempt. n. 25.* qui habetur *tom 12. tract. fol. 195.* Sed ego in his non me immisceo. Puto, standum esse illi interpretationi, quam stylus Romanæ Curiæ admittit, & seruat.

2. Neque etiam puto, hanc reuocationem comprehendere viuæ vocis oracula communicantia aliquod priuilegium alieni Religioni, aliàs concessum per Apostolicum diploma. Nam in his non cadit ratio istius reuocationis, cum gratia concessa per viuæ vocis oraculum hoc modo intelligatur omnino, sicut Apostolicum diploma. Ita Tottian. *p. 5. select. disput. disp. 16. dub. 5.*

3. Noto secundò, quòd per istam derogationem viuæ vocis oraculorum non derogatur iis viuæ vocis oraculis, quibus Sanctitas sua, aut alij Summi Pontifices priuilegia Religionibus concessa, aut decreta Summorum Pontificum, aut sacros Canones, & decreta Tridentini aut aliorum Conciliorum explicant, aut declarant; dummodò hæc viuæ vocis oracula non contineant aliquam gratiam, priuilegium, aut indultum. Ita Lezana *in summa, q. regul. c. 3. n. 21.* & probaui *tom. 2. priuil. regul. in constit. 8 Pauli V. n 1.*

4. Noto tertiò, quòd viuæ vocis oracula, quæ fortita sunt effectum ante hanc derogationem, licèt effectus habeat tractum successiuum in futurum, non creduntur reuocata per hanc constitutionem. Ita Lezana *loc. cit.* & dixi *tom. 5. priuilegiorum, in constitut. 3. Gregorij XV. num. 1.* Quia Papa id non explicat. Hæc ita dicta velim, dummodò stylus Curiæ Romanæ aliter non seruet aut sentiat. Nam aliàs ex nunc ea cassanda decerno.

CONCLV

CONST. XIX. aliàs XXIX.

Quæ est Decretum Sacræ Congregationis Rituum; In quo conceditur Abbatibus Cassinensibus, vti tribus festiuitatibus anni Baldachino.

CVm aliàs de anno 1606. sub die 28. Ianuarij sacra Rituum Congregatio, instante Archiepiscopo Firmano, interdixerit Priori Sanctæ Catharinæ Ordinis Canonicorum Regularium, in eorum Ecclesia vsum aliquarum cæremoniarum, & de anno 1617. sub die 18. Martij, illud decretum ad instantiam bonæ memoriæ Cardinalis Caraffæ Archiepiscopi Neapolitani extenderit ad omnes Priores, & Abbates cuiuscumque Ordinis, etiam Cassinensis ab hoc decreto reclamauit Procurator Generalis Cassinensis, & ad sacram Congregationem recursum habuit, asserens, suam Congregationem indefensam fuisse. Et re mature, ac diligenter discussa, referente bonæ memoriæ Cardinali Lancellotto, sacra Congregatio de anno 1618. sub die 12. Martij censuit quò ad vsum Baldachini, & quorundam ministrorum in aliis decretis prohibitorum, recedendum esse à prædictis decretis de annis 1606. & 1617. emanatis, & licere iisdem Abbatibus, quando solemniter celebrant, vti Baldachino, & apparatu, iuxta eorum antiquissimam consuetudinem, ita tamen, vt modestè, cum debita conuenientia, sine pompa, & auro, atque in tribus ad summum festiuitatibus quolibet anno vtantur, prout in dictis decretis latiùs continetur. Nunc demum Archiepiscopus Florentinus ad Sacram Congregationem accidens, instetit prohiberi Abbati Sanctæ Mariæ eiusdem ciuitatis Florentiæ Ordinis Cassinensium vsum Baldachini, & dictorum Ministrorum, & aliarum multarum cæremoniarum, in dedecus, & præiudicium suæ Archiepiscopalis dignitatis vergentium. Et citato, ac interueniente Patre Domino Dominico Pinello, eiusdem Congregationis Cassinensium Procuratore Generali, & partibus sæpè, ac sæpius auditis, ac negotio diligenter discusso, referente Illustrissimo ac Reuerendissimo D. Cardinali Pio.

Eadem sacra Rituum Congregatio, inhærendo dicto vltimo decreto facto de anno 1618. censuit, & declarauit, licere Abbatibus Cassinensibus, quando solemniter celebrant (quod in tribus ad summum festiuitatibus facere eis permittitur) vti Baldachino, sine auro tamen, & pompa, & aliquibus etiam ministris paratis sacris indumentis. Quia verò numerus horum ministrorum in aliquibus eorum Monasteriis erat valde excessiuus, vetuit, ac prohibuit, ne iidem Abbates solemniter, vt suprà, celebrantes, alios possint habere ministros sacris indumentis paratos, quàm duos Diaconos, & Presbyterum assistentes, Diaconum, & Subdiaconum pro cantandis Euangelio, & Epistola, ac sex ad summum alios, duos cum pluuialibus, duos cum planetis, & duos cum tunicellis coloris tempori conuenientis. Quò ad reliqua verò in dictis decretis de annis 1606. & 1617. emanatis contenta, Sacra Congregatio eadem decreta confirmauit, & quatenus opus sit, innouauit, inhibens omnibus Abbatibus Cassinensibus ac seriò præcipiens, vt in reliquis omnibus ea ad vnguem inuiolabiliter obseruent. Eorumque dispositioni addidit, vt supradicti Abbates nullo modo debeant, nec possint habere, & tenere sedem suam Abbatialem fixam, & permanentem propè altare, vt sedes Episcopalis retineri consueuit; minusque liceat supradictis sex Monachis paratis, vt supra, sedere in sedibus choralibus, vt Canonicorum sæcularium mos est, sedes pro Abbate solemniter celebrante retineatur in Ecclesiis tantummodò tribus diebus, quibus ipse Abbas solemniter celebrat, dictique sex Monachi parati sedere debeant loco congruo, iuxta Ecclesiarum conuenientem situm, super scabellis ad hunc effectum tunc appositis, panno laneo coopertis. Die 29. Ianuary 1628. Ioan. Baptista Card. Detus. F. Fulnius Benignus Secretarius.

1. NOta circa hoc punctum duas constitutiones Vrbani VIII. quas habes *tom. 3. bull in eius constit. 24. fol. 162.* & aliam eiusdem Vrbani pro Congregatione Oliuetana, quam habes *eodem tom. 4. bull. in constit. 97. fol. 428.* Et hoc decretum in specie fuit confirmatum, inserto tenore, ab Vrbano VIII. per suam constit. 101. *Exponi nobis*, quam habes *tom. 4. bull fol. 432.*

CONSTIT. XX. aliàs XXX.

Quâ concedit, quòd Regulares non possint prohiberi associare corpora defunctorum; & quòd Curati non possint cogere hæredes defunctorum celebrari facere missas in suis Ecclesiis Parochialibus.

VRBANVS PAPA VIII. AD futuram rei memoriam.

§. I. *NVper pro parte dilectorum filiorum, Procuratorum Generalium Ordinum Prædicatorum, Sancti Francisci, S. Augustini, & Beatæ Mariæ de Monte-Carmelo, Discalceatorum nuncupat, nobis expositum fuit, quòd aliàs à venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, sacris Ritibus præpositis, emanauit decretum, tenoris subsequentis, videlicet. Instantibus Procuratoribus Generalibus Ordinum Prædicatorum sancti Francisci, S. Augustini, & Discalceatorum Carmelitarum, declarari. Primò, an liceat Curatis, saluis eorum iuribus Parochialibus, impedire* Refertur declaratio Congreg.

dire contra voluntatem hæredum defunctorum, ne Regulares vocati ad funus, corpora defunctorum ad quasvis Ecclesias deferenda, unà cum Parochis, & Clericis; processionaliter associent? Et ad hoc sacra Rituum Congregatio respondit, Regulares in casu proposito non posse impedire. Secundò, an prædicti Curati possint cogere hæredes, seu executores testamentarios, ut pro defunctis, qui tumulantur in Ecclesiis Regularium, in Ecclesiis etiam Parochialibus celebrari faciant officia, novenalia, & anniversalia, prout celebrantur in Ecclesiis Regularium, in quibus cadauera sepeliuntur? Et sacra Rituum Congregatio respondit, non posse cogere. Die 23. Aprilis 1633.

Concedit prout in summatio. *§. II. Cùm autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes, decretum præinsertum Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri summoperè desiderent. Nos illos specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes, supplicationibus, illorum nomine, nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, decretum præinsertum Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus; illique inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus; ac omnes, & singulos tam iuris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet interuenerint, supplemus.*

Ita iudicari mandat, cum decreto irritante. *§. III. Decernentes, decretum præfatum, necnon literas præsentes valida, firma, & efficacia existere, & fore; ac ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inuiolabiliter obseruari; sicque per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos, & causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & definiri debere; Ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quovis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Contrariis derogat. *§. IV. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus, Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notorij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constituta munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibita, vel ostensa. Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 25. Iunij 1633. Pontificatus nostri anno 10.*
M. A. Maraldus.

CONST. XXI. aliàs XXXI.

Quæ est Decretum super electione Sanctorum in Patronos à S. Rituum Congregatione de Ordine S. Domini N. Vrbani Papæ VIII. emanatum die 23. Martij 1630.

Sacra Rituum Congregatio, annuente S.D.N. infrascripta in posterum mandauit inuiolabiliter seruari debere, declarans, quòd aliter facta electio nulla sit ipso iure.

1. Quòd eligi possint in Patronos ij solùm, qui ab Ecclesia vniuersali titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatificati dumtaxat.

2. Quòd de Patrono ciuitatis electio fieri debeat per secreta suffragia à populo, mediante concilio generali illius ciuitatis, vel loci; non autem ab Officialibus solùm. Et quòd accedere debeat consensus Episcopi, & Cleri illius loci. Idemque seruari debeat in Patrono Regni, qui pariter eligi debeat per secreta suffragia à populo singularum ciuitatum Prouinciæ. Et quòd repræsentantibus Regnum, Ciuitatem, Prouinciam nulla competat facultas eligendi Patronos, nisi ad hoc habeant speciale mandatum, & vlterius interueniat consensus Episcopi, & Cleri dictarum ciuitatum.

3. Quòd causa electionis nouorum Patronorum debeant in sacra Congregatione deduci, & ab ea examinari; ac demum, causa cognita, ab eadem Congregatione approbari, & confirmari. Et ne præmissorum ignorantia vllo vnquam tempore possit allegari, eadem sacra Rituum Congregatio supradictum decretum imprimi, & publicari mandauit. Ioan. Baptista Card. Detus.

Loc. † sigilli, T. Tegrimius Secretarius. Die, & anno supradicto affixum, & publicatum fuit ad valuas Curiæ Cameræ Apostolicæ, ac aliis locis solitis, & consuetis, & in acie campi Floræ, vt moris est, per me Andream Scalmanum, S.D.N. Papæ Cursorem.

1. NOto primò, quòd habent Fratres Minimi priuilegium celebrandi officium S. Francisci de Paula cum octaua, etiamsi veniat in quadragesima, concessum viuæ vocis oraculo à Gregorio XIII. vt constat *ex cap. Generali Genuæ 4. celebrato, num. 30. anno* 1574. cui per reuocationem viuæ vocis oraculorum, factam ab Vrbano VIII. non est derogatum. Quia confirmatio nostrorum priuilegiorum ex certa scientia facta fuit à dicto Gregorio anno 1575. vt constat ex eius constit. 1. Et adde, quòd hoc priuilegium non solùm fuit concessum à Gregorio XIII. viuæ vocis oraculo, sed etiam à Leone X. *per suam constit. 17. tom. 1. nostr. priuil.* & à Clement. VII. *per suam const. 2. eadem 2. tom. nostr. priu.* in quibus constitutionibus expresè conceditur, quòd possimus annuatim die 2. Aprilis celebrare festum S. Francisci de Paula cum octaua nisi venerit in maiori hebdomada, vel octaua Paschæ. Hæc autem exceptio firmat regulam

lam in contrarium, vt probat Barb. *axiom.85. n.4 de axiom. iuris.* Prædicta verò priuilegia fuerunt confirmata ex certa scientia ab Vrbano VIII. vt constar *ex eius const. 1. tom. 2. nostr. priu.* Quare, si dictum festum veniat in Dominica Passionis (quicquid dixerim *in Rituali in not. ante festum B. Patris, notab. 5.* quæ quidem noranda maiori indigent lima) potest de eo celebrari officium prædictum & missa. Solùm potest esse difficultas, an possit de eodem celebrari, si veniat in Dominica Palmarum? Et resolutio potest pendere ab eo, an hebdomada incipiat à Dominica, vel à feria 2. de qua quicquid sit, non puto posse in prædicta die celebrari dictum festum, propter ipsius maximam solemnitatem, in qua non decet Christi fideles priuare mysteriis redemptionis nostræ? Et quia licèt exceptio regulam firmet in contrarium, non firmat tamen, quando contrarium non est verisimile, vt limitat Barbosa *loco proximè citato, numero quarto.*

2. Neque his obstat, quòd confirmatio priuilegiorum facta sit, quatenus sunt in vsu, & non sunt Trid. contraria. Nam, & hoc priuilegium est in vsu, & non est contrarium Trid. Neque etiam obstat bulla Pij V. & Clem. VIII. *de refor. breuiarij* posita initio breuiarij. Nam in primis ibi Papa non abrogat priuilegia particularia celebrandi aliquod festum Patroni cum maiori solemnitate, quàm præscribant rubricæ breuiarij, vt constat. Deinde viuæ vocis oraculum Gregorij, & confirmatio Vrbani ex certa scientia sunt post dictam const. Pij V. & Clemen. VIII. & priuilegia derogata, per nouam confirmationem ex certa scientia, quæ vim habet nouæ concessionis, reuiuiscunt, vt probat Sigismundus *de elect. dub. 76. n. 7. & in additionibus ad dictum numerum, in fine libri.* Item constitutio Pij solùm obligat ad recitandum officium secundùm formulam in communi ibi descriptam, non secundùm cæremonialia, iuxta opinionem, quam communem dicunt Azor *tom.1. lib. 10. c. 10. q. 2.* Lessius *lib. 2. de iust. c. 37. n. 77.* Vega 1. *p. c.* 128. præsertim quando adest aliqua iusta causa, vt hic, deuotio scilicet populi, affectio filiorum erga patrem, consuetudo legitima. Quartò, quia ratò, & ex iusta causa mutare qualitatem officij, etiam secundùm opinionem illorum, qui dicunt, quòd in breuiario Pij V. præcipitur recitari officium non solùm secundùm formulam in communi ibi descriptam, sed etiam secundùm omnem modum, & cæremonias ibi traditas, nullum peccatum est, neque veniale, vt probat cum aliis Sanchez *lib. 7. consil. c. 2. dub. 25. n. 2.* Ergo etiam dato, quòd nostra priuilegia essent reuocata, quod est falsissimum, possemus de octaua illo tempore celebrare, cum id solùm semel in anno fiat. Quintò, quia Papa ibi non abolet ritus particulares consuetudine approbatos, sed solùm breuiaria. Quare licèt aliqui ritus in aliqua Ecclesia essent contra aliquem ritum dicti breuiarij, modò celebrarentur secundùm formam dicti breuiarij, per dictam bullam non improbantur. Sextò, quia priuilegium concessum Minoribus ab Innoc. IV. quòd ratione itineris, aut alterius iustæ causæ possint existentes extra suos conuentus recitare officium non secundùm breuiarium Romanum, non est reuocatum, per dictam bullam Pij V. quia licèt præcipiat Papa, quòd omnes recitent officium secundùm præscriptum dicti breuiarij, non obstante quocunque priuilegio in contrarium, hoc tamen debet intelligi de illis, qui omittunt dictum ritum pro semper, non verò quando id faciunt aliquando, vt docent Garcia *de benef. par. 3. cap. 1. num.* 179. A S. Fausto *de horis canon. lib. 2. q.* 122. qui addit, neque esse reuocatum per hanc bullam Pij priuilegium Martini V. concessum Regularibus ægrotis, & conualescentibus, quòd scilicet satisfaciant muneri recitandi officium diuinum, dicendo aliquos psalmos. Neque etiam putat, esse per hanc bullam Pij, reuocatum priuilegium Leonis X. concessum Minoribus ægrotantibus, relinquens suorum Prælatorum dispositioni, quid eo tempore debeant recitare ad satisfaciendum diuino officio. Et quod dico de prædicta bulla Pij, intellige etiam de bullis Clem. VIII. & Vrbani VIII. quia istæ solùm confirmant id, quod Pius statuerat circa formam officij diuini recitandi. Si ergo prædictæ bullæ non derogant priuilegiis illis particularibus, quia solum sunt pro aliquibus casibus specialibus, neque etiam derogabunt nostro priuilegio de celebranda octaua Sancti Francisci, quando venit in quadragesima.

3. Neque etiam obstat nouum decretum Sacræ Congreg. Rituum, approbatum ab Vrbano VIII. & positum in principio breuiarij recogniti ab eodem Papa; vbi statuitur, post dictam bullam Pij V. non licuisse, neque licere Episcopis, neque Regularibus addere calendariis, etiam propriis Sanctorum officia, neque mutare ritum in dicto breuiario, seu rubricis statutum; Nam intelligitur, quòd id fieri non possit sine licentia Papæ, & propria auctoritate, vt ibidem exprimitur. Nostra autem Religio habet ad id priuilegia trium Pontificum, nimirum Leonis X. Clem. VII. & Greg. XIII. quæ priuilegia neque in dicto decreto, neque alibi derogantur; Deinde ritus hic celebrandi festum B. P. cum octaua, quando venit in quadragesima, est in nostra Religione introductus, & omni serie temporum continuatus multo tempore ante bullam Pij V. Vnde, cum hoc decretum solùm loquatur de additione facta, vel facienda Kalendario Romano post bullam Pij V. clarè patet, quòd non loquitur in casu nostro. His omnibus adde, quòd longa, inueterata, continuata, ac legitimè præscripta consuetudo celebrandi dictum festum cum octaua, quando venit in quadragesima, habet vim derogandi cuicumque legi, quando adesset in contrarium, nec illi derogari potest, nisi per specialem constitutionem Pontificis, facientem expressam mentionem de ea, cum in facto consistat, iuxta *cap. 1. de constit. in 6.*

4. Neque etiam obstat, quòd *rubr. 7. de octauis, num. 1.* expressè præcipiat, ne in quadragesima fiat de octaua alicuius festi. Nam etiam præcipit expressè, quòd feria 2. v.g. fiat de feria, quando nullum festum occurrit, & tamen Doctores citati dicunt, quòd potest officium aliquando mutari ex causa, absque vllo peccato. Rubrica ergo intelligenda est, quod vniuersaliter in quadragesima non fiat de octaua, non verò, quòd non possit fieri de octaua in aliqua Ecclesia particulari. Deinde intelligenda est, secluso priuilegio, quod licèt ibi non explicetur, est tamen necessariò intelligendum. Tùm ex eo quòd *in rubr. 10. de transl. festorum,* licèt expressè dicatur, quòd quando festum habens octauam transfertur post totam suam octauam, illo anno celebratur sine octaua, additur tamen, nisi titularis Ecclesiæ priuilegio aliter fieri oporteat. Ergo cum *in rubr. 7.* militet eadem ratio, debet militare idem ius. Tùm ex eo quòd nemo dubitat, posse Papam auctorem dictatum rubricarum, illas omnino cassare, ac super illis dispensare, & contra illas priuilegia concedere. At Nos Minimi prætendimus habere priuilegium Apostolicum, vt constat ex dictis, confirmatum ex certa scientia ab Vrbano VIII.

5. Noto secundò, quòd iste Pontifex Vrbanus VIII. multas alias fecit constitutiones & præcipuè vnam, quæ incipit: *Militantem Ecclesiam,* datam Romæ 6. *Kal. Apr. an. 1624. anno 1. sui Pontificatus;* in qua Vrbis omnes Ecclesias, & Monasteria tam regularia, quàm sæcularia visitari mandauit. Et pro Ordine nostro dedit quatuor alias constitut. Vnam, quæ incipit:

Vt susceptam, datam Romæ *anno* 1624. *die* 12. *Ianuar.* In qua dat auctoritatem Generali Ægidio Chamare, vt inter visitandam Religionem, statuta perpetua condere possit, conformia tamen Regulæ, & iuri communi. Alteram, quæ incipit, *Militantis Ecclesiæ*, datam Romæ *die* 18. *Iunij anno* 1628. in qua erigit Prouinciam Germaniæ. Alteram quæ incipit, *Religionis Zelus*, datam Romæ *anno* 1626. *die* 31. *Augusti*, in qua confirmat P. F. Deodatum Leomellinum in Vicarium generalem Italiæ. Et quartam, in qua concedit, quòd dictus Deodatus Zelosus, non obstante Regula Minimorum, possit habere vocem actiuam in capitulo generali. Omnes istæ constitutiones locales, & personales sunt, nec transeunt ad hæredes, nisi in exemplum. Ideò eas sufficit indicasse. Quarta autem, quia est prima (licèt alias etiam *in cap. Bonon.* 1. *n.* 2. *ex cap. gratia.* Zelosus in eo vocatus erit, & *in c. Val.* 5. *n.* 2. per viuæ vocis oraculum Papæ) quæ per viam constitutionis sit obtenta in illo casu ab Apostolica Sede: Et quia præsentia dicti Deodati Zelosi multum profuit Religioni in illo capitulo, vt constare potest *ex constit.* 2. *alias* 12. huius Pontificis, ideò eam hic ad verbum inserere non tædebit. Habet ergo vt infra.

VRBANVS PAPA VIII.

2. *Dilecte fili, salutem, & Apostolicam benedictionem. Religionis zelus, vita, ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, super quibus apud Nos fide digno commendaris testimonio, Nos inducunt, vt te specialibus fauoribus, & gratiis prosequamur. Cum itaque, sicut nobis nuper exponi fecisti, capitulum generale istius Ordinis Fratrum Minimorum S. Francisci de Paula proximè futurum in Hispania celebrandum sit, regularibus verò dicti Ordinis statutis, Apostolica auctoritate confirmatis, ac forsan etiam constitutionibus Apostolicis, caueatur expressè, ne Zelosi dicti Ordinis in illius capitulis generalibus, quæ extra almam Vrbem nostram celebrantur, vocem actiuam habeant, sed quòd ad solum Generalem, Vigiles, & Prouinciales, eorumque Socios, & Commissos Commissorum spectet electio ipsius Generalis, & quòd quidquam facto, vel scripto contra Regulam, & vitam nullus Regularis eiusdem Ordinis impetrare, seu impetrari facere, aut vlla statuta componere, vel innouare, siue etiam componi, aut innouari facere, quovis modo præsumat; cuius Regulæ, & statutorum obseruantiam expressè in professione regulari per te emissa seruare promiseris.*

Nos te, qui, vt asseris, dicti Ordinis Zelosus, ac Prouinciarum Italiæ eiusdem Ordinis Vicarius generalis existis, & multa grauia ipsius Ordinis negotia in eodem capitulo proponenda habes, specialis gratiæ fauore prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, necnon à vinculo obseruantiæ prædictorum dicti Ordinis statutorum, ad effectum infrascriptum dumtaxat, pro hac vice te liberantes, & absoluentes, ita quòd propterea nullam irregularitatem, seu pœnam incurras, supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Tibi, quòd in capitulo generali proximè futuro huiusmodi, in Hispania, vt præfertur, celebrando, vocem actiuam habere liberè, & licitè possis, & valeas, Apostolica auctoritate, tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Mandantes propterea omnibus, & singulis dicti Ordinis Fratribus in capitulo huiusmodi congregandis, & præsertim vocalibus, vt te in præfato capitulo voce actiua huiusmodi vti, & gaudere permittant, & faciant.

Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac præfatis, & quibusvis aliis dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus: priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, eidem Ordini, illiúsque Superioribus, & personis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, & expressè derogamus, cæterísque contrarijs quibuscunque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die 7. Februarij, 1626. Pontificatus nostri anno 6.

CAPVT IX.

De quibusdam dubiis in materia electionis, facienda in casu mortis Prouincialis.

1. CVm supradicta scripsissem, inopinatè contigit funesta mors Reuerendi admodum P. F. Deodati Leomellini Prouincialis nostræ Genoensis Prouinciæ, quocum strictissimā habebam amicitiam, ab ineunte contractam ætate, nec vnquam interruptam. Quæ mors occasionem dedit infrascripta scribendi. Notandum itaque, quòd in Ordine nostro, mortuo Prouinciali, electio successoris spectat ad Correctorem Conuentus, in quo decessit, & ad ipsiusmet defuncti Collegas. Ad primum autem Collegam secundùm Religionis antiquitatem pertinet recipere, & retinere sigilla Prouinciæ, ac præsidere in electione facienda. Quæ quidem electio facienda est ad minùs intra mensem. De quibus habentur statuta *in capitulo Paulitano, num.* 38. *& in cap. Barchinon.* 3. *sess.* 4. habetur statutum tenoris sequentis: *In casu mortis Prouincialis seruetur respectiuè forma electionis Generalis in casu mortis supra approbata. Ita quòd sigilla Prouinciæ penes Collegam antiquiorem remaneant, geratque ipse vices Vicarij Prouincialis, præsideatque in electione Vicarij Prouincialis facienda ad minus intra mensem; nulla tamen auctoritate polleat, nec possit castigare, nec obedientiā dare subditis.* Quo statuto

stante

ſtante, multa verſa ſunt in dubiom, quæ quia poteſunt poſteritati prodeſſe, volui hic apponere, vt deciſa, & practicata fuère.

1. Primò igitor quæritur, vtrum ille menſis incipiat electoribus currere à die, vel ab hora mortis?

2. An dicta electio poſſit vltra illud tempus differri?

3. An electores poſſint illud tempus abbreuiare?

4. An volentes tres electores propter bonum commune tempus illud abbreuiare, poſſint id facere, recuſante Præſidente in capitulo præſidere?

5. Ad quemnam ex illis quatuor pertineat congregare capitulum.

6. An ſi præſes in capitulum non compareat die ſtatuta, in qua exſpirat electoribus terminus ad eligendum, poſſint alij electores electionem facere?

7. Quis in hoc caſu habebit in capitulo præſidere?

8. An quando terminus inſtat, neceſſaria ſit vocatio?

9. An tres electores præſentes poſſint vocare Præſidentem, vt die à iore præfixa ad electionem veniat?

10. An qui ſciunt mortem Prælati, quia fuerunt præſentes, vocari debeant?

11. An qui non veniunt die præfixa hora mane conſueta, debeant expectari circa finem diei?

12. Quomodo procedendum ſit in caſu, quo Præſes, vel alius elector ex quatuor ad electionem non veniret?

13. Pro quanto tempore poſſint iſti electores eligere?

14. An dato, quòd hæc electio ad Generalem deuolueretur, pro quanto tempore poſſet ipſe Generalis eligere?

3. Ad primum, Reſpondeo quòd ille menſis computandus eſt ſecundùm ordinem Calendarij, ita vt ſi mortuus ſit Prælatus die 20. Octobris (vt mortuus eſt dictus P. Lomellinus circa horam ſecundam noctis) *die 20. Nouembris* finiatur menſis, intra quem debet fieri electio. Ita Gloſſa *in cap. Quam ſit, verbo Menſem, de elect. in 6.* Mandagot. *de elect. p. 1. cap. tertio*, Baldus, *in cap. Ne pro defectu, de elec. n. 6.* Boër ad Mandagotum *loco cit. lit. F.* vbi multos citat, P. Greg. *de elect. cap. 13. num. 11.* Et colligitur *ex c. Licet, de ſupp. neglig. Pral.* Nam cum duo ſemeſtria faciant vnum annum, vt ibi dicitur, & in anno non ſint niſi 365. dies, *leg. Haree, §. Stichus; ff. de ſtatu lib.* excepto anno biſſexti, in quo ſunt 366. vt notatur *in c. Quaſiuit, de verb. ſignif.* oportet neceſſariò, quòd ipſi menſes, ſecundùm quòd occurrunt in calendario, computentur? Nam ſi 31. dies pro quolibet menſe computarentur, eſſent in anno 372. dies, ſi 30. eſſent 360. tantum, ſi 28. 336. ſed nulla iſtarum computationum ſtare poteſt. Ergo oportet, vt ſecundùm calendarium computatio fiat.

4. Imò dico, quòd iſta computatio eſt facienda non ſolùm de die ad diem, ſed etiam de momento ad momentum. Ita Mandag. *loco cit.* vbi Boërius *liter. M.* Panor. *in cap. Bona, el 2. de elect. num. 11.* vbi Io. Andreas *num. 19.* & Innoc. *num. 3.* Petrus Gregorius *de elect. cap. 13. num. 5. & 10.* Lauor. *de elect. tit. 4. cap. 18. num. 20.* Et ratio eſt, quia hoc tempus eſt inductum in fauorem Eccleſiarum, & odium eligere negligentium; & quia, mortuo Prælato, ſtatim ſoluta eſt Eccleſia à lege ipſius, cum vacare non debeat Eccleſia vltra menſem, niſi ſtatim, mortuo Prælato, fieret hæc computatio, vltra menſem vacare, diceretur. Et confirmatur auctoritate illorum DD. qui dicunt, quòd ætas requiſita ad hoc, vt poſſit quis dignitates Eccleſiaſticas obtinere, debet eſſe completa vſque ad vltimum momentum; hos refero *tomo 2. noſtri Relig. quaſt. 2. cap. 1. num. 22.* Et vlteriùs auctoritate illorum, qui dicunt, quòd annus nouitiatus debet computari de momento ad momentum; hos refero *loco cit. quaſt. 3. cap. 1. num. 96.* Et item illorum, qui dicunt, quòd ætas requiſita ad profitendum in aliqua Religione, debet eſſe completa vſque ad vltimum momentum; hos refero *loco citato, §. 5. numero 133.*

5. Ad ſecundùm, Reſpondeo quòd dicta electio non poteſt vltra illud tempus differri, quando electores omnes ſunt præſentes in loco electionis, ſeu habent notitiam de vocatione; quòd ſi differatur, deuoluitur ad Generalem. Et eſt textus expreſſus *in cap. Ne pro defectu, de elect.* qui loquitur in noſtris terminis, vt docet ibi Gloſſa *verb. Regulares*, & Panor. *num. 2.* vbi etiam Innoc. *num. 2.* & Hoſtien. *in ſumm. de elect. n. 19.* Et ſtatutum noſtrum cauet expreſsè, dum dicit, quòd hæc electio facienda eſt ad minus intra menſem: nam dictio illa, *intra*, includit tempus, & diem termini, vt Barboſa *de dict. dict. 149.* & particula illa, *ad minus*, excludit omne tempus maius expreſſo, ſecundum communem modum loquendi, qui in omni diſpoſitione ſemper præfertur propriæ ſignificationi vocabuli, vt bene Panor. *in cap. Ne pro defectu, de elect. num. 2.* & alij quos refert, & ſequitur Caſtrus Palaus *in oper. mor. tom. 1. tract. 3. diſp. 5. §. 3. num. 9.* Vnde communiter, ſi præcipiat mihi Prælatus, vt adminus intra horam dormitorium verram, inobediens cenſebor, ſi vltra illum terminum verrere diſtulero. Atque ita docent Mandagot. *de elect. p. 1. cap. primo*, vbi Boët. *lit. C.* Gloſſa *cap. Poſtquam, d. 50. verbo, Tres menſes*, Panor. *in cap. Ne pro defectu, de elect. num. tertio*, vbi alij Canoniſtæ. Et ratio eſt, quia omnia iura clamant; *cap. Poſtquam, d. 50. cap. Obeuntibus, d. 63. cap. Cum inter vniuerſas, cap. Ne pro defectu, de elect. c. Quam ſit, eodem titul. in 6.* electionem Paſtoris in Eccleſia illo carente, non eſſe prolatandam abſque neceſſitate, propter periculum animarum ſpirituale, & etiam propter damnum temporale, quod illi imminet; neceſſitas autem in caſu noſtro nulla eſt, quia nullum adeſt electoribus impedimentum legitimum, quin poſſint ad electionem procedere, quod ſuppono ex facto. Et cunſtat nam impedimenta legitima; quæ poſſent contingere electoribus, vt vltra terminum præfixum electionem prorogarent, ſunt ea, quæ affert Mandag. *loco cit. cap. 2.* Primum ſcilicet, ſi ſint prohibiti à ſuo Superiore legitimè electioni intereſſe abſque eius licentia, & ipſi non fuerunt in mora eam petendi. Secundum, ſi ſint excommunicati, ſuſpenſi, aut interdicti, nec fuerunt in mora abſolutionem petendi. Tertium, ſi timent de vi ſibi inferenda in electionis negotio, iuxta *cap. Bona, el primo, iuncta Gloſſa, verbo Metuebant, de elect.* Quartum, in Ordine noſtro etiam excuſarentur ab incurrendis pœnis, talibus non venientibus ad electiones inflictis, qui non poſſent venire propter pericula bellorum, graſſatorum, piratarum, peſtis &c. Item qui timerent vim ſibi inferri in perſona; nam ſecundum ius naturæ hæc pericula vitant homines quantum poſſunt; nullum enim eſt maius bonum, quàm propria vita. Ita colligitur *ex capite Bonon. 1. num. 7. Val. 2. num. 3. Genuen. 3. num. 19.* Hæc autem omnia impedimenta intellige ſolùm excuſare, quando vitari non potuerunt; nam, ſi potuerunt vitari, non excuſant, vt colligitur *ex cap. fin. de elect.* Ita Boër. *ad cap. 2.* Mandag. *lit. C. verbo, Adde; quòd idem eſt.* Sed nullum horum impedimentorum adeſt in caſu noſtro.

6. Neque his obſtat, quòd tempus ad eligendum à iure datum ſit trium menſium, quod tempus fuit approbatum pro omnibus electionibus in Ordine noſtro *in cap. Romano 6. num. 14. dub. 2.* Nam ius commune non arctat electores ad tempus illud trium menſium expectandum, vnde illud abbreuiare poſſunt, vt

conſtabit

constabit ex dicendis ad tertium; sed solum prohibet, ne vltra illud tempus differatur; quare potuit optimè capitulum generale tempus illud trium mensium propter bonum publicum, quod semper damna patitur in longa vacatione Ecclesiæ, coarctare, sicut possunt illud coarctare electores ipsi; non poterat tamen capitulum generale tempus illud prorogare, quia canones citati prohibent vltra illud tempus electiones differri. Quæ doctrina desumitur ex Suarez *tom. 4. de relig. tract. 3. lib. 2. cap. 2. n. 5.* & eam magis explico *supra, cap. c. num. 10.*

7. Neque etiam his obstat priuilegium Iulij II. quòd Mendicantibus in electionibus tempus à iure statutum non currat, de quo dixi *tom. 1. priuileg. in constitut. 2. Iulij II. §. 3.* Nam illud debet intelligi, vt ibi declaraui, *num.* 13. quando electores non sunt præsentes, vt ex ipso priuilegij tenore constat, ibi, *Cum eos frequenter de remotis partibus oporteat conuenire tempus super hoc &c.* Et præterea ad abusus tollendos potuit capitulum generale priuilegio illi cedere, vt ibi dixi, cum præsertim sit primò, & principaliter concessum in fauorem Religionis. Item hoc priuilegium concedit, ne tempus illud currat, *eiusfrequenter &c.* non autem positiuè prohibet, ne currat. Quare potuit optimè capitulum generale illi contraire, per doctrinam præfatam Suarez.

8. Ad tertium, Respondeo posse electores præsentes, duas scilicet tertias partes, tempus illud vnius mensis abbreuiare, si adsit causa, quæ tamen semper subest, dum volunt Ecclesiæ viduatæ prouidere, vt Panorm. ait cum aliis *in cap. Cum nobis, de elect. n. 9.* & posse etiam per illos vocari absentes, vt in termino ab eis assignato, & restricto veniant ad electionem faciendam; *cap. Cum inter vniuersas, de elect.* vbi Panorm. *num. 3. & in cap. Cum nobis, ead. tit. num. 9.* vbi Butrius *num.* 32. Anchar. *num. 4. vers. Quæritur, glossa 2.* Zabarella *quæst.* 4. Io Andr. *num.* 27. Innoc. *num.* 5. Petrus de Baysio *in direct. elect. part. 3. cap. 6. num.* 1. Castell. *de elect. cap. 6. num. 5. & 14.* P. Greg. *de elect. cap. 14. num.* 14. Et ratio est; nam terminus ille vnius mensis est constitutus fauore capituli. Ergo potest capitulum, quod repræsentatur in duabus partibus, illi renuntiare, præsertim si videant, dilationem esse damnosam Ecclesiæ, vt semper est, vt dicitur *in dicto cap. Inter vniuersas, de elect.*

9. Ad quartum, Respondeo quòd possunt duæ tertiæ partes electorum, idest, tres ex quatuor, ad vitanda damna communitati imminentia, tempus illud vnius mensis abbreuiare, etiam recusante Præsidente, capitulo interesse, & statuta per ipsos die ad electionem procedere. Moueor, quia iam dixi hic *supra, num.* 8. quòd possunt duæ partes tempus illud abbreuiare. Ergo hoc etiam poterunt facere, licèt ille solus, qui contradicit, sit capituli Præses. Consequentia constat. Tum quia absurdum est negotia communitatis particularium contumacia impediri, vt habet de Baysio *de elect. p. 3. cap. 4. num.* 3. Abbas *in cap. In causis, de elect. num.* 9. Tum quia non in fauorem singulorum electorum est tempus à iure statutum, sed in fauorem collegij, vt dicitur in simili *in cap. Si diligenti, de foro comp.* quod locum habet præsertim in electionibus, vbi mora est suspecta, & damnosa. At collegium in duabus tertiis partibus repræsentatur. Ergo possunt dictæ duæ partes dicto fauori renuntiare. Ita Anchar. *in cap. Cum nobis, de elect. quæst.* 1. Tum quia Præses capituli in negotio electionis nihil plus habet, sublata præsidentia, quam reliqui. Tum quia aliter posset malitiosè negotium electionis differre, interimque per sordes, vel Laicæ potestatis abusum, indigni electionem procurare. At hominum malitiis indulgendum non est, iuxta *leg. In fundo, ff. de rei vendic.* Et pro ista resolutione adduco omnes citatos *num. præced.* quatenus dicunt, quòd duæ partes præsentes repræsentant totum collegium præsertim quando agitur de prouidendo bono communitatis. Et in specie stat pro nobis expresè Abbas *loco citato, fine*, quatenus habet, quòd quando collegium per se congregatur ad hoc, vt possit contumaces constituere non venientes, debent adesse in dicto collegio duæ tertiæ partes, ad hoc vt electio ab illis facienda, sit valida, quod etiam notauit Innoc. *in cap. 2. de noui op. nunt. num.* 2. Cum hic ergo adsint duæ tertiæ partes electorum, vnius malitia, etiamsi Præses sit, non debet communitati obesse.

10. Ad 5. De iure antiquo congregare capitulum isto casu pertinebat ad Correctorem conuentus, in quo Prouincialis decesserat, vt constat ex Formulario nostro à Passat. confecto *a.* 4. & ex inueterata consuetudine. Sed nunc, cum per nouum statutum Barchin. ille modus, sit immutatus, dubitari potest, à quonam debeat capitulum congregari, cum dictum statutum Barchin. solùm dicat, quòd antiquior Collega debeat præsidere in capitulo, & de congregatione nihil statuat. Cum ergo præsidere, & congregare sint diuersa, vt constat, quia Præsides capitulorum de ordinario capitula non congregant, sed id spectat ad Generalem, vel Prouincialem, aut Vicarios ab his institutos, & à diuersis non fiat illatio, vt ait Panor. *in cap. Cum nobis, de elect. num.* 9. & de Baysio *p. 3. de elect. c. 4. num.* 4. ad quod citant *cap. Cum contingat, de decim.* videtur, quòd congregare capitulum ad dictum Collegam non pertineat: Addito præsertim, quod dictus Collega nulla pollet auctoritate, & congregare dicit iurisdictionem. Quare videtur, quòd capitulum generale voluerit relinquere Correctori hanc iurisdictionem congregandi capitulum, & quòd antiquiori Collegæ solùm ad similitudinem Collegæ generalis, apud quem remanent sigilla Generalis defuncti, voluerit concedere præsidentiam in capitulo. Addito etiam, quòd à iure antiquo non est recedendum, nisi quatenus per nouum est immutatum expresè, vt habent communiter Doctores. Sed ex alia parte, cum Collega generalis in morte Generalis non solùm habeat præsidere in capitulo, sed etiam illud congregare, & in hoc statuto Barchin. dicatur, quòd in morte Prouincialis seruetur respectiuè forma, quæ seruatur in morte Generalis, videtur concludendum, quòd collega prouincialis possit etiam capitulum congregare. Sed ad hoc potest responderi, quod Collega generalis non caret omnimoda iurisdictione, sicut Collega prouincialis, ac propterea non est mirum, quòd ille possit congregare capitulum, & quòd hoc isti denegetur. Addito, quòd non dicit statutum, quòd omninò seruetur illa forma, sed respectiuè, idest, quatenus obseruari potest, stante determinatione præfati statuti, per quam antiquiori Collegæ nulla est attributa potestas. Et aduerte, quòd illud statutum Barchin. factum est me præsente tanquam Commisso Genuæ, & eo fine sic limitatè exijt, ne præfatus antiquior Collega, seu gerens vices Vicarij superbiens de retentione sigillorum, & ambiens vocari Vicarius, electionem retardare studeret, in præiudicium communitatis, in quem etiam finem abbreuiatum est tempus illud trium mensium, quod constitutum erat *in cap. Romano 6.*

11. Ad sextum, Respondeo quòd si Præses die à iure statuta non comparuerit, possunt electores præsentes electionem celebrare. Cuius rei habeo textum satis clarum *in cap. Volumus, d. 89.* vbi Glossa *verb. Clerus, & in cap. Cum simus, iuncta Glossa verb. Episcopus, 9. q. 3. & in cap. 2. de concess. præb.* ibi. *Si autem Episcopus, vbi ad eum spectat conferre, distulerit, per capitulum ordinetur.* Ita Boër. ad Mandag. *de elect. cap. 1. lit. D. vers. Ipso iure* Archid. *in cap. Volumus, d. 89.* vbi Turrecr. *n.* 3. Innoc. *in cap. Cum nobis,*

de

de elect. num. 5. Et ratio est. Tum quia malitia, vel negligentia vnius non potest nocere aliis, vt habet quædam lex cit. a Zabar. *in cap. Cum nobis de elect. q.* 4 *ver. Secundò*, quæ dicit, quòd Vitium alienæ cessationis ad dispendium tuum pertinere, iuris ratio non patitur. Tum quia absurdum est, in numero computare, qui vocati, vel à iure interpellati venire contempserunt, vt dicit Zab. *ibidem*. Tum quia nolentes venire faciunt se alienos, vt an Panor. *in cap. In causis, de elect. num.* 9. Et habetur *in cap. Cum sicut, cap. Cum nobis olim, cap. Ecclesia vestra, de elect.* Tum quia quando capitula generalia dederunt auctoritatem istis quatuor eligendi, intenderunt illis hanc facultatem tribuere, vt Prouinciæ de Pastore intra terminum saltem præfixum prouiderent. Ergo eo ipso, quòd aliquis illorum ad eligendum non comparet in termino præfixo, censetur illi auctoritati eligendi renunciare. Imò censetur capitulum eo casu talem potestatem ei denegare, & solis præsentibus, ac eligere paratis concedere. Tum quia certissimi iuris est, quòd electionem non impedit, qui in termino à iure præfixo ad eligendum non comparet; *cap. Quod sicut, de election. §. Si autem.* Quod in tantùm est verum, vt si omnes sint absentes præter vnum, ille solus in die vltimi termini potest electionem facere. Et probat Innoc. quem alij sequuntur, *in cap. Cum nobis, de elect. num.* 6. vbi Abbas *num.* 9. Zabar. *n.* 5. *& in cap. Gratum, eod. titul. num.* 3. Petrus Gregor. *de elect. cap.* 14. *num.* 15. Cepola *de caut. cap.* 226. *cautela* 79. vbi refert Zanetedum dicentem se ita iudicari vidisse; De Baysio *de election. part.* 3. *cap.* 6. *n.* 7. Et ratio est; nam non tenetur etiam vnus dimittere ius suum propter absentiam aliorum. Idem dic, si omnes essent excommunicati præter vnum; nam tunc electio ad illum solum spectaret, vt multis probat Boër. ad Mandag. *de election. cap.* 2. *liter. D. verb. Excommunicati.* Adde, quòd in Ordine nostro talea non comparentes priuantur officiis, quæ habent. Ita statuitur *in cap. Valler.* 3. *num.* 3. *cap. Paris. n.* 15. vbi, vltra priuationem Officij, priuatur etiam Prouincialia, qui ad capitulum non accesserat, voce actiua, & passiua per annum; *cap. Malancon. num.* 10. *cap. Bonon. num.* 7. quæ congruunt, *cap. Non oportet, cap. Peruenit, cap. Episcopus, cap. Placuit, cap. Si quis autem, cum tribus sequ. dist.* 18.

12. Ad septimum, Respondeo quòd tunc congregare capitulum, & in eo præsidere spectat ad Correctorem, qui est cæteris honorabilior, & maior dignitate. Colligitur *ex cap.* 1. *de maior. & obedien.* vbi id expressè habet Innocen. *num.* 1. & Burrius *in cap. Cum nobis, de election. num.* 33. De Baysio *part.* 3. *de election. cap.* 6. *num.* 8. vbi ad hoc citat Io. Andr. Panormit. & Felin. *in dict. cap.* 1. *de maior. & obed.* Colligitur etiam *ex cap. Volumus, dist.* 89. *& ex cap. Cum simus,* 9. *quæst.* 3. *& ex cap.* 2. *de concess. præb.* In quibus cap. statuitur, quòd Prælati negligentia suppleatur per capitulum. Ergo primus capitulantium in hoc casu habebit capitulo præsidere; qua enim auctoritate de gradu suo deijciatur, non apparet, pro quo etiam facit Glossa *in cap. fin. de consuet. lib.* 6. *verbo Antiquiores.*

13. Ad octauum, Respondeo quòd quando terminus interpellat, vocatio non est necessaria. Burrius *in cap. Cum nobis. de electione, num.* 33. vbi Anchar. *num.* 4. *vers. Secundò quæro* Abbas *num.* 10. Archidiac. *in cap. Volumus, distinct.* 89. vbi Turrec. *num.* 3. & Glossa *verb Clerus*; Petrus Gregor. *de election. cap.* 14 *num.* 15. Nam eo casu dies statuta interpellat, & ex lapsu temporis transfertur potestas ad præsentes. Et est expressè decisum *in cap. Potuit, de locat. & cond.*

14. Ad nonum, patet ex *num. præced.* quòd non tenentur electores Præsidem vocare, vt in die statuta ad eligendum veniat; possunt tamen, si volunt, ad abundantiorem cautelam eum monere. Atque ita videntur docere Zabar. *in cap. Cum nobis; de elect. q.* 4. vbi Burrius *num.* 34. Archid. *loco cit.*

15. Neque obstat, quòd inferior non potest Superiorem citare, seu etiam, quòd par in parem non habet imperium. Nam dico, quòd istæ non sunt citationes, sed simplices monitiones, seu requisitiones, aut intimationes, quas possunt facere non solum pares, sed etiam minores. Et habetur expressè *in cap. fin. distinctione* 65. Atque ita Innocen. *in cap. Cum nobis, de elect. num.* 5. vbi Zabar. *quæst.* 4. *in princip.* Anchar. *num.* 4. *vers. Quintò oppono*, Burrius. *n.* 34. Abbas *num.* 10. Et aduerte, quòd non sunt necessariæ solemnitates peremptoriis, & trium citationum, sicut in iudiciis, sed postquam semel fuerit vocatus ex gratia, vt in termino à iure statuto veniat ad eligendum, si non venerit, possunt electores electionem facere, vt dixi *num.* 11. Ita Innoc. Burrius, Abbas *loco cit.* Zabar. *q.* 5. Anchar. *q.* 3. De Baysio *de elect. p.* 3. *cap.* 15. *num.* 4. *&* 5. & dixi *sup. cap.* 9. *num.* 14. Et ratio est; nam trina monitio, seu vna pro tribus cum termino peremptorio, est solùm necessaria in citationibus iudicialibus, vt *in cap. De illicita,* 24. *q.* 3. at verò in monitionibus, seu intimationibus vna solùm monitio requiritur, vt *in cap. Si Episcopus. d.* 18.

16. Ad 10. Aliqui putant, quòd qui fuerunt præsentes morti Prælati, non debeant vocari. Ita Glossa *in summa, cap. Cum inter vniuersas, de election.* de Baysio *part.* 3. *de election. cap.* 4. *num.* 6. *& cap.* 10. *num.* 2. Nam qui certus est, certiorari non debet, *leg.* 1. *ff. de act. empt. & vendit.* Sed alij tutius putant, esse vocandos, ne videantur contemni, & vt sciant diem, & horam electionis. Imò etiamsi diem, & horam sciant. Nam decretalis, *Quia propter de election.* vocari absentes indistinctè mandat. Hoc tamen intellige, quando terminus non instat. Ita Glossa *in dict. cap. Cum inter vniuersas, ver. Cognouerunt*, vbi Burrius *num.* 17. Anchar. *num.* 3. Zabar. *quæst.* 3. Io. Andreas *num.* 15. Abbas *num.* 10. Barbosa *num.* 8.

17. Ad vndecimum, Respondeo quòd non est necesse, eos expectare vsque ad finem diei, vt probaui *supra, cap.* 9. *num.* 13. & DD. ibi ad id adductis, adde Anchar. *in cap. Cum nobis, de elect. in fine*, vbi Burrius *num* 35. Io. Andreas *num.* 32. Castell. *de election. cap.* 6. *num.* 11. *&* 15. Consulo tamen, vt expectentur circa finem diei, ita vt semper supersit tempus, in quo possit electio celebrari de die, argum. *cap. Consulti, de offic. deleg.*

18. Ad duodecimum, Respondeo quòd dubitant DD. an vbi sunt tantùm tres in capitulo, vel duo seruanda sit forma *cap. Quia propter, de elect.* De qua re videndus Sigism. *de election. dub.* 24. Et absolutè dicendum est, quòd dicta forma potest, & debet seruari, vbi adsunt tres de capitulo, etiamsi electio debeat fieri de corpore ipsius capituli. Nam tunc semper remanet libertas electoribus, cum singulis liberum sit alterum è duobus eligere. Secretudo autem à Triden. requisita *session.* 25. *cap.* 6. *de reg.* ac etiam illud, quòd eligentium nomina nunquam publicentur, seruari non possunt. Cum enim nemo se ipsum eligere possit *lege, Valet planè, ff. Quod cuiusc. vniu. no. leg. Si mandauero, §. Tibi, ff. Mandati*, electione secuta, constabit euidenter, cuinam electus suffragatus fuerit, & cuinam alij; sed tunc dispositio Trid. non obligabit; lex enim non stringit, vbi de facto seruari non potest; *cap. Erit autem lex, distinct.* 4. *leg. fin. ff. Quæ sentent. sine app. resci. & leg. Ita autem, ff. de administ. tutel.* Addito præsertim, quòd illa secretudo, & nominum reticentia non sunt de electionis essentia, sed potiùs videntur adiecta ad vitandas

das dissensiones, quæ sunt Religionum pestes. Adde etiam nihil referre illam reticentiam, neque quidquam electioni obstare, cum quotidie id fieri conspiciamus in electionibus, quæ fiunt nemine discrepante; nam si electus sit de corpore capituli, secura electione, constat, cuinam ipse fuerit suffragatus. Quando autem ait Trid. eligentium nomina nunquam publicentur, intelligi debet de electionibus factis in discordia. Neque item eo casu in ordine nostro obligat statutum. *Val. 4. num.* 26. quòd scilicet Scriba eligatur de corpore capituli; quia seruari non potest.

19. Si verò adsint tantùm duo in capitulo, tunc non puto, posse illos de corpore capituli eligere, licet contrarium sentiant aliqui apud Sigismund. *loco citato, n.* 5. possunt tamen via scrutinij extra capitulum eligere, & seruare etiam requisita à Trid. *loco cit.* Si autem in capitulo non adsit nisi vnus v.g. quia alij venire contempserunt, tunc ille solus electionem celebrare poterit, nominando coram testibus, & Notario, quem voluerit, vt dixi hic *supra, num* 11. non poterit tamen se ipsum eligere, vt dictum est *numero decimo octauo.*

20. In ordine autem nostro in casu, quo electores non essent, nisi tres, poterit Præsidens capituli nominare in Scribam, quem voluerit ex illis duobus, per statutum capituli *Rom. 7. sess.* 11. non enim electio Scribæ apud nos æstimatur canonica, cum fieri talis non potest. Vnde *in cap. Genuen. 6. num.* 26. statuitur, quòd quando in electione Scribæ vota sunt paria, possit Superior, quem ex illis voluerit nominare; & quando vota non sunt paria, ille remanet electus, qui habet plura, secundùm statutum *cap. Barchin. 3. sess.* 5. Quare tunc in casu nostro, in quo electores eligi non possunt, iuxta statutum *cap. Rom. 7. sess.* 10. poterit sequi electio maximè canonica, cum vota sint libera, secreta, nec eligentium nomina sint publicanda. Atque ita determinatum est *in dicto cap. Rom. 7. sess.* 11. Si autem in capitulo deessent dumtaxat duo, tunc per decretum sacræ Congreg. *de anno* 1628. *die* 26. *Augusti*, quod refero *tom. 2. Prælati, quæst. 1. cap. 4. num.* 159. debent illi duo, si voluerint electionem celebrare, vocare Notarium qui habeat facultatem faciendi acta in causis Ecclesiasticis, & coram illo sua vota exprimere, & eligere, quem voluerint; & electio sic secuta erit maximè canonica. Quod si vnus solus adesset, puto, quòd posset coram eodem Notario electionem facere.

21. Ad 13. Respondeo electionem præfatam non posse fieri, nisi vsque ad capitulum definitorium, nisi capitulum generale citiùs esset celebrandum. Ita statuitur de omnibus electionibus, siue causa mortis, siue depositionis, &c. *in cap. Foriiul. num.* 19. *in capite Val. 4. num.* 19. *& in cap. Rom. 6. cap. 4. dub.* 10. habetur statutum tenoris sequentis. *Dubitatum est decimò, quid faciendum esset circa electiones ratione mortis? Ad quod dictum est, quòd prouisiones Prouincialium, & eorum Collegarum ratione mortis, aut priuationis, vel cuiuscunque defectus, absente Reuerendiss. fiant à quibus deputatum est in actis nostris generalibus; tamen si Reuerendissimus sit præsens in Prouincia, fiant huiusmodi electiones à Reuerendiss. cum suis Collegis simul cum aliis supradictis electoribus, vsque ad proximum capitulum, siue prouinciale, siue intermedium. Et quando contingat vota esse æqualia, tunc Reuerendissimus poterit nominare, quem voluerit, tam ex illis nominatis, quàm ex aliis.*

22. Ad 14 Respondeo quòd Generalis non potest eligere, nisi vsque ad capitulum proximè venturum, siue id sit generale, siue definitorium. Ita statuitur *in cap. Rom. 6. num. præced. allato.* Et *in cap. Auenion. 2. num.* 14. habetur statutum tenoris sequentis. *Denique Commissus Franciæ huiusmodi dubium exhibuit: Quando scilicet contingit, in electione Prouincialis voces esse æquales, vel propter aliquem defectum electionem esse nullam, & idcirco ad Generalem deuolui, vtrum possit Reuerendiss. P. Generalis prouidere pro toto triennio, cum textus capituli Foriiul. contrarium videatur asserere? Responsio hæc fuit, nimirum, quòd causa mortis, aut priuationis Pater Generalis dumtaxat prouidere possit vsque ad capitulum proximum generale, vel prouinciale. Veruntamen propter electionis defectum, seu propter vocum paritatem, poterit prouidere pro toto triennio, cum electio semper deuoluatur cum suis qualitatibus.* Quæ responsio est omnino iuridica, iuxta ea, quæ dixi *supra, capite tertio, numero sexto.*

23. Nota autem, quòd Superior, ad quem deuoluitur electio, tenetur illam facere intra mensem; quòd si illam non faciat, iusto impedimento cessante, electio deuoluitur ad suum Superiorem, nimirum ad Eminent. Protectorem, seu potiùs ad Papam. Verùm si ipse eligat, & eius electio cassetur propter aliquem defectum, deuoluitur ad primos electores. Colligitur *ex c. Ne pro defectu, §. Is verò, de elect.* vbi Bald. *num.* 12. Abbas *num.* 6. Mandag. *de elect p. 1. cap* 1. vbi Boërius *lit. D. verb. Ipso iure*, Castell. *de elect. capite 6. num.* 7.

24. An autem Generalis possit eo casu per se ipsum eligere, absque consilio, & assensu suorum Collegarum, dubitari potest? Respondeo quòd secundum ius commune potest prouidere, vel per viam electionis, vel per viam prouisionis, prout maluerit, absque consensu, non tamen absque consilio Collegarum. Ita Glossa *in cap. Ne pro defectu, de election. verb. Consilio*, vbi Abbas *num.* 6. Butrius *num.* 23. Anchar. *num.* 5. Et in specie, quòd detur optio Superiori prouidendi, prout maluerit, dicunt Anchar. *quæst.* 4. Butr. *num.* 16. Zabar. *dicto cap. Ne pro defectu, §. Is verò q.* 3. vbi etiam Io. Andr *num.* 16. Baldus *num.* 11. In Ordine nostro prouidere per deuolutionem pertinet ad Generalem cum suis Collegis, & hoc per electionem via scrutinij.

25. Quæres etiam, an electores Vicarij prouincialis loco defuncti, possint eligi? Respondeo quòd *in capitulo Rom. 7. sess.* 10. decretum est, quòd non posset eligi, sed quòd obseruaretur id, quòd obseruatur in electione Vicarij Generalis loco defuncti, quia est eadem vbique ratio. Electores autem dicti Vicarij generalis tum per capitulum Paulæ *num.* 37. eligi non poterant. Sed cum postmodùm electio Vicarij Generalis loco defuncti variata sit, & determinatum, quòd electores eligi possint, vt constat *ex constit. 1. Vrbani VIII. tom. 2. priuil. §.* 20. dicendum videtur quòd etiam in electione Vicarij prouincialis possint electores eligi; Tum per rationem dicti statuti Romani, quæ in his electionibus paritatem agnoscit. Tum ex statuto capituli Barchin, quod refero hoc *cap. numero* 1. in quo dicitur, quòd *in casu mortis Prouincialis seruetur respectiuè forma electionis Generalis in casu mortis.* Tum quòd illud statutum Romanum non videtur acceptatum à Religione, cum post illud aliqui ex dictis electoribus fuerint in Vicarios Generales electi, vt per mortem P. Bernardini Taraboti Prouincialis Venetiarum fuit electus P. F. Io. Antonius Geruasius Collega prouincialis, qui votauit in capitulo generali Barchinon. 3. Hac occasione.

26. Quæres 1. Vtrum electores alicuius conuentus possint conuenire, ne fiat electio in illo conuentu, ad hoc vt ea ad capitulum definitorium deuoluatur.

27. Quæres 2. An quando capitulum definitorium declarat, aliquem esse inhabilem ad aliquod officium, ea declaratio censenda sit perpetua?

28. Quæres 3. An annullanda sit electio facta in personato studentis, seu Lectoris?

29. Ad

29. Ad primum non dubito, posse omnes electores alicuius conuentus conuenire secreto, ne fiat electio illius conuentus, sic deuoluatur ad capitulum definitorium. Cum enim hoc possint facere in publico per compromissum, possunt etiam id facere in secreto, idest, absque scripturis publicis; taciti enim, & expressi eadem vis est, *leg. Cum quid ff. de rebus cred. cap. 2. de rescrip.* Sed dubium est, an quando in vno conuentu non sunt, nisi quatuor electores, possint duo ex ipsis conuenire, & impedire electionem, solùm ad hoc vt ea ad capitulum definitorium deuoluatur, vt in hoc morem gerant Prouinciali, qui eos hoc rogauit? Videtur enim, quòd non. Nam sic iniuriam faciunt communitati illius conuentus, impediendo electionem, quæ ad illum, & alios duos electores de iure spectat. Respondeo tamen, posse illos duos Fratres conuenire propter dictum finem. Moueor 1. Quia ius eligendi non est apud communitatem vt sic, sed apud singulos de communitate, vt constat. Tum quòd non omnes de communitate electionem ingrediuntur, sed solùm Sacerdotes habiles, quòd si esset apud communitatem vt sic, omnes tam Clerici, quàm Laïci constituentes illam communitatem, deberent ad electionem ingredi. Tum quòd, si esset apud communitatem, non posset quivis elector iuri eligendi renonsiare, quod est falsum, vt probo *supra, cap. 9. n. 28.* Secundò, quia ius eligendi positum est in libera potestate eligentium, præsertim ius eligendi Correctores in Ordine nostro, vt constat *ex Regula, num. 39.* ibi, *Idem facere quisquam valeat*; non esset autem in libera potestate, si cogerentur eligere. Tertiò, quia ex hoc nullum damnum causatur communitati, cum illi æque bene, & quandoque meliùs, prouideatur per capitulum definitorium; quod seruant quamplurimæ Religiones. Ad rationem dubitandi Respondeo communitati nullam in hoc irrogari iniuriam, cum hoc ius illi non competat vt sic, sed solùm competat aliquibus de corpore illius; neque damnum, cum illi optimè semper prouideatur de Prælato, & Pastore per definitorium: neque aliis duobus Fratribus irrogatur directè, & per se iniuria, sed solùm per accidens, cum id non intendant illi duo electores, vt suppono; imò neque etiam per accidens, nam qui vtitur iure suo, nemini facit iniuriam. Neque quidquam facit, quòd id fiat ad complacendum Prouinciali roganti, nam simpliciter complacere suo Prælato, non est malum in rebus licitis. Quando autem constaret his electoribus, quòd Prælatus ideò rogat, ne fiat electio illius conuentus, ad impediendam electionem digni, vt deinde faciat electionem indigni in capitulo definitorio, tunc puto, dictos duos Fratres peccare mortaliter, impediendo electionem conuentualium, non ratione conuentionis, sed ratione cooperationis ad electionem indigni.

30. Ad secundum Respondeo. Si causa declarationis inhabilitatis est perpetua, v. g. si aliquis habens infirmitatem incurabilem impedientem exercitium alicuius dignitatis, declaretur inhabilis ad illam, tunc ea declaratio est perpetua; si autem causa est temporalis, tunc declaratio, ea cessante, cessat, eo modo, quo priuatos per duos annos, v. g. voce actiua, & passiua, iis finitis, est illico rehabilitatus absque alia declaratione. Sic qui est declaratus inhabilis propter aliquam infirmitatem, euidenter recuperata sanitate, statim est habilis. Quòd si dubitetur de recuperatione dictæ sanitatis, debet probare se sanum, vt probaui *tomo secundo Religiosi, quæstione secunda, cap. 4. num. 3. fine.*

31. Aduerte tamen, quòd talis declaratus inhabilis à capitolo prouinciali, potest appellare ad capitulum generale, seu etiam ad Generalem ipsum, vt docet Nauarrus, *libro secundo consil. de appell. cons. 2. numero secundo*, & habetur *in cap. Licèt. el. 1. de foro compet.* Imò, si dubitat de iniustitia dicti capituli prouincialis, potest ipsum recusare, vt docet Sanchez *libro sexto consil. cap. 8. num. 50.* & habetur *in dicto cap. Licèt.*

32. Ad tertium, Studentes in Ordine nostro eligi non possunt in Correctores aut Vicarios ordinarios conuentus, neque etiam in Prouinciales; carent enim voce passiua, per statutum capituli Auenion. 2. *n. 24.* quod etiam præcepit tempore visitationis Reuerendissimus P. F. Franciscus à Longobardis Ordinis nostri Generalis *anno 1633.* Quod si ad prædicta officia eligantur, electio est ipso iure nulla, propter inhabilitatem personæ, cum careant pro illo tempore voce passiua.

33. Circa quod statutum aduerte tria. Primum, quòd studentes carere voce passiua quo ad prædictas dignitates, nullum est illis dedecus, imò maximus honor, cum id factum sit propter nobilissimum finem, nimirum, vt studiis commodiùs incumbere possint, & cum ex fine mensurentur actiones humanæ, iuxta illud: *Quicquid agant homines, intentio iudicat omnes*, dicendum est, id resultare in studentium honorem. Quid enim scientia, & sapientia nobilius?

34. 2. Quòd studentes possunt eligi in Definitores, Collegas Prouincialis, Discretos ad capitulum prouinciale, & Seniores; ista enim officia studium, non impediunt; finis autem dicti statuti in excludendo studentes ab habendis illis dignitatibus, fuit, ne studium impediretur. Ergo has dignitates habere; non est contra illud statutum. Ergo, si alias sunt idonei, eas habere possunt, cum nullum aliud statutum reperiatur, quo ab his arceantur.

35. 3. Quòd dictum statutum debet intelligi de studentibus, qui in studiis faciunt profectum, non de illis, qui vel per inhabilitatem naturalem, vel negligentiam non possunt, vel nolunt facere profectum; nam isti, cum perdant tempus in studiis, & occupent locum aliorum magis habilium, possunt, & debent à studiis arceri iuxta decreta *cap. Valent. 1. num. 22. & Paula num. 18.* Et cum non debeant ex sua inhabilitate, seu negligentia reportare commodum, poterunt à Superioribus, & Fratribus occupari in aliis negotiis minus honoratis, & plus onerosis, vt sunt prædicta officia Correctoriatus, Vicariatus, &c.

36. Ad illud de Lecturibus dico, quòd in Ordine nostro Lectores non possint eligi in Correctores, iuxta capitulum Tolosanum, *numero 42.* cuius finis fuit, ne propter Correctoris officium, cogerentur Lectores lecturas omittere. Quod æquissimum est; nam bonum priuatum cedere debet bono publico: at esse Correctorem est bonum priuatum illius solius conuentus, cuius est Corrector; legere verò, & iuuenes literis informare, est bonum publicum totius Religionis. Quòd si velimus dicere, quòd Correctoriatus, cum sint dignitates, sunt bonum habentis illas, adhuc tamen statutum nostrum æquissimum est, cum bonum illud, si bonum est, sit valde tenue, & priuatum; bonum autem, quòd resultat studentibus ex Lectore, est maximum, & publicum, vt dixi. Quare non bene reprehendit illud statutum Isnardus *in Codice Minimo, verbo Studentes*, quòd sit iuri valde dissonum: cum omne ius tam diuinum, quàm naturale, & canonicum præcipiat, bonum commune bono particulari esse anteponendum, neque hoc est esse Lectores deterioris conditionis; nam alioqui deterioris conditionis esse potest Zelosus, quam alij quicunque Fratres inferiores, cum ille non possit esse Corrector, isti sic. Non posse itaque habere aliquod officium inferius propter occupationem in maiori negotio, non est esse deterioris conditionis, quàm illi, qui illud possunt, habere, etiamsi sint inferiores, sed

melioris. Quòd verò Lectoria officium sit maius, & nobilius, quàm officium Correctoris, constat. Tum ex maiori vtilitate, quam affert Religioni. Tum ex eo quòd Lectoria officium versatur circa actiones intellectus, correctoris circa actiones voluntatis; sed actiones intellectus sunt nobiliores, vt suppono ex Theologia, actionibus voluntatis.

37. Limitandum tamen puto dictum statutum, propter eos, qui non bene capiunt istam doctrinam, vt solùm intelligatur habere locum in Correctoriatibus, in quibus non est studium, non autem in conuentibus, in quibus est studium; nam in istis Lectores possunt bene & legere, & Correctoris officio fungi: Nec hoc puto esse contra mentem dicti statuti, quod solùm fuit factum ne studium impediretur; at hoc casu non impeditur, & sic practicari video in Religione.

38. Ex his collige, quòd Lectorum, qui actu non legunt, si in Correctores aliquorum conuentuum, in quibus non sit studium, eligantur, possunt electiones licitè à definitorio cassari, vt dicti Lectores electi lecturas actu prosequantur, quod non est in lectorum præiudicium, sed potiùs honorem, & ad præferendum commune bonum bono particolari.

39. Sed pone casum, quòd quis sit electus in Correctorem alicuius conuentus à Fratribus conuentualibus *die 15. Septembris*, & postmodùm confirmatus à definitorio, si post clausum capitulum definitorium, subscriptum, & sigillatum, iste talis ante solemnem publicationem definitionis, quæ solet fieri coram omnibus Fratribus conuentualibus in illo conuentu, in quo celebratur capitulum definitorium, renuntiet dicto Correctoriatui coram Definitoribus quæruntur duo.

40. I. Ad quemnam pertinebit electio noui Correctoris ;

41. II. An dato, quòd pertineat ad definitorium ipsum, an hoc possit iam electum, & confirmatum in vno conuentu, eligere, & transferre in conuentum vacantem per renuntiationem, & loco istius translati alium eligere?

42. Ad primum Respondeo quòd pertinet ad capitulum definitorium. Ita statutum est *in c. Barchin. 3. sess. 5. n. 12.* facta est enim hæc renuntiatio adhuc in capitulo intermedio, & non extra illud, cum facta sit coram Prouinciali, & Definitoribus ante solemnem publicationem dicti capituli intermedij.

43. Ad secundum dico, capitulum posse illam translationem facere, aliqua rationabili causa id suadente, præsertim si electus, & confirmatus in alio conuentu consentiat tali translationi. Atque ita ad id extendo statutum *c. Rom. 7. sess.* 8. Sicut enim capitulum potest electum in vno conuentu ad alium transferre, legitima causa interueniente, ante confirmationem, ita etiam eadem de causa potest iam confirmatum in vno conuentu ad alium transferre. Nam puto, quòd per electionem ius acquiritur electo ante confirmationem, & licèt maius, & perfectius ius acquiratur per confirmationem, id tamen non refert; nam magis, & minus non differunt specie, præsertim electo consentiente; nam tunc ei non fit iniuria. Atque ita hunc casum audiui contigisse Matriti in ordine nostro *anno* 1633. Cum enim fuisset electus in Correctorem Matritii P. F. Franciscus Mansilla, & fuisset in dicto officio confirmatus, ipse dictæ electioni, ac officio post clausum definitorium, sed non publicatum solemniter coram Prouinciali, & Definitoribus renuntiauit. Et cum controuerteretur, ad quemnam spectaret electio, an scilicet ad capitulum locale, an verò ad capitulum definitorium? Res fuit delata ad Illustrissimum Nuntium pro S. D. Vrbano VIII. apud Regem catholicum, qui eo tempore erat Illustriss. D. Cæsar Montius Patriarcha Antiochenus, & Episcopos Mediolanensis, qui, casu discusso, cum suo Fisco declarauit, dictam electionem, & translationem à capitulo posse fieri, & ad abundantiorem cautelam, vt ita fieret concessit. Ita mihi retulit R. P. F. Hieronymus Trimarchi, qui eo tempore Matrrti degebat.

44. Demum pone, quòd in aliquo conuentu tempore, quo celebrandum est capitulum prouinciale, non adsint nisi quatuor Fratres vocales, & quòd vnus ex his malitiosè se absentet, ne possint fieri electiones necessariæ, & præsertim Discreti ad capitulum prouinciale destinandi, quid erit faciendum? Vt respondeam.

45. Noto 1. quòd in ordine nostro illo tempore in quolibet conuentu fiunt tres electiones. Vna Correctoris, quæ non est necesse, quòd sit de corpore capituli, sed potest fieri extra illud. 2. Vicarij remansuri in dicto conuentu per discessum Correctoris ad capitulum prouinciale, quæ necessariò debet fieri de corpore capituli, & ante electionem Discreti. 3. Discreti destinandi ad capitulum prouinciale, quæ etiam debet esse de corpore capituli, ita *ex cap. Paula, n. 15.*

46. Noto 2. quòd absentia illius, qui se absentauit, etiamsi non dolo se absentasset, sed legitimo impedimento detentus esset, non potest neque debet nocere reliquis electoribus, vt probo *supra hoc c. n. 11.* & multò magis, quando malitiosè se absentauit; nam fraus, & dolus nemini suffragari debet, & malitiis hominum indulgendum non est. Vnde in hoc casu puto, quòd illi tres electores possent, eodem modo se gerere, ac si ille, qui se absentauit, esset præsens, cum nondum sit priuatus voce, nec fugitiuus declaratus. Poterit itaque tunc Correctot deputare in Scribam, quem voluerit ex illis duobus, iuxta statutum, *cap. Rom. 7. sess. 11.* & deinde facere electionem futuri Correctoris, quæ cum possit fieri extra capitulum, non habet difficultatem. Tertiò poterit facere electionem Vicarij remansuri per suum discessum, quæ etiam poterit esse legitima, & canonica, cum cuilibet electori remaneant semper duo, quibus suffragari possit, & consequenter liberè, computando absentem, in quem possunt vota sua electores dirigere, per dicta; non poterit tamen facere electionem Discreti; nam cum neque Corrector, neque Vicarius possim eligi ad tale munus, licèt isti possint eligere cum libertate, reliqui tamen duo etiamsi essent præsentes, cogerentur sibi inuicem suffragari, & sic electio non esset canonica, quia coacta; & sic ille solus, qui remanet in capitolo ex illis tribus, cogitur suffragari absenti, quod non potest fieri, quia libertas est de electionis essentia. Quid igitur faciendum? Puto, quòd hoc casu debeat omitti electio Vicarij, prouidendi deinde absolutè per Correctorem, & quòd debeat fieri electio Discreti, iuxta id, quod dicit Passar. *in schol. ex Auenion. in dubiis pro canonica elect. ad 12.* quia electio Discreti est maioris importantiæ quàm electio Vicarij.

CAPVT XIV.

Paralipomena ad ea, quæ de vita quadragesimali alibi dixi.

1. NOta, quòd de vita quadragesimali longam texui quæstionem *tom. 1. Religiosi*, quæ est quarta illius libri? Dixi etiam aliqua *tomo secundo priuil. in constitut. 2. Clem. VIII. num. 18. & 19. & hoc eodem tomo tertio supra, cap. 9. à num. 35. vsque ad num. 62.*

2. Dico primò, Votum vitæ quadragesimalis est essentiale in Regula Minimorum, vt latè probaui *to. 1. Relig.*

Relig. quæst. 1. cap. 1. & præter DD. ad id ibi adductos, id docent Viglega *in vita S. Francisci de Paula*, Bonac. *de clausura, quæst. 2. p. 12. §. 3. num. 4.* Suarez *tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 3. cap. 17. num. 8.* Probatur primò. Quia sequeretur, quòd posset quis in Ordine nostro profiteri, qui vitam quadragesimalem obseruare non posset; censent enim aliqui Doctores, quos refero, *tom. 2. Relig. quæst. 3. cap. 1. n. 64. & 65.* quòd potest ad Religionem admitti, qui sola essentialia seruare potest. Sequeretur etiam, quòd posset in Religione introduci per consuetudinem, quòd votum vitæ quadragesimalis non obligaret, neque ad peccatum, neque ad pœnam: nam consuetudo excusat ab obligatione præceptorum Regulæ, etiam obligantium ad mortale, vt cum aliis probo *tom. 1. priuil. constitut. 4. Iuly II. num. 21.* Et patet; quia consuetudo excusat Minimos ab obseruantia illius præcepti Regulæ, *num. 15.* quo prohibebantur se obligare ad suffragia perpetua. Tertiò sequeretur, quòd possent Prælati Ordinis dispensare cum aliquibus alia ex causa, quàm infirmitatis, super voto vitæ quadragesimalis; nam Prælatus potest dispensare super omnibus præceptis Regulæ, etiam ad mortale obligantibus, modo ea præcepta non sint essentialia, vt probaui *tom. 1. Relig. quæst. 1. cap. 8. §. 5. concl. 10.* Sequeretur quartò, quòd Episcopi, & electi à Religione non tenerentur ad vitam quadragesimalem, quod est absurdissimum, vt probaui *tom. 1. Relig. quæst. 4. c. 2.* & confirmabo hic conclusione sequenti. Secundò probatur eadem conclusio. Quia refert Montoya *in suis metaphoris super Leuiticum, metaphora 4. §. 2. fine*, quòd à suprema Inquisitione Hispaniæ fuerunt prohibita quotlibet à Lacerdæ, quousque corrigantur, in eo, quod dixit, votum vitæ quadragesimalis non esse essentiale in ordine Minimorum. Ex quo colligitur, quòd contrarium est falsum, & temerarium. Tertiò probatur. Quia ideò summi Pontifices Iulius II. & Leo X. vt dixi *tom. 1. Religiosi, quæst. 1. cap. 24. §. 1. in principio* declararunt, Religionem Minimorum esse strictissimam omnium aliarũ Religionum; quia putarunt, arduissimum votum vitæ quadragesimalis esse illi essentiale; si enim illi essentiale non esset, illa declaratio iure non subsisteret, cum in essentialibus Religio nostra non differet ab aliis. Quare sententia, quæ diceret, votum vitæ quadragesimalis non esset essentiale, in Ordine nostro, sed tantùm substantiale, esset temeraria, & errori proxima, ac Religionis nostræ destructiua. Et ideò si aliquis Frater Minimus illam excitare tentaret, esset puniendus, tanquam tentans Religionem destruere, si per substantiale intelligeret integrale, vt brachium, quod est substantiale integrale hominis; si autem per substantiale intelligeret essentiale, vt intelligit Suarez *loco cit.* & dicunt communiter Philosophi cum Aristotele *in cap. de substantia*, vbi inter alia habet, quòd *nisi primæ substantiæ sint, cæterarum rerum nulla esse potest*, & habet expressè Trid. *sess. 25. de regul. c. 1.* tunc nihil dissentiret à nobis, qui censemus, quòd si destrueretur votum vitæ quadragesimalis, non remaneret ampliùs Religio Minimorum, instituta à S. Francisco de Paula.

3. Dico 2. Episcopus ex Religione Minimorum ad Episcopatum assumptus tenetur ad votum vitæ quadragesimalis, vt probaui *quæst. 4. Relig. sub d. cap. 2.* & DD. ibi adductis adde Suarez *tom. 4. de relig. tr. 1. lib. 3. cap. 17. num. 8. &* Caiet. *2. 2. quæst. 195. art. 8. dub. 1. fine*, quatenus habet, quòd Religiosus factus Episcopus, peccat mortaliter, comedens carnes feria 6. in die natalis Domini, si id illi erat per suam Regulam prohibitum. Ergo multò magis id dixisset de Religioso Minimo qui id solemniter vouit. Adde etiam Glossam quatenus *in cap. Carnem, de consec. d. 5. ver. Voluerit*, cum H. ait Monachum factum Episcopum non debere carnes comedere. Imò huius sententiæ est etiam D. Thom. *loco cit. corpore*, quatenus habet, quòd Religiosus factus Episcopus tenetur obseruare omnia ea, quæ valent ad perfectionis custodiam, vt continentiam, paupertatem, &c. Nemo autem est, qui dubitet quadragesimalem abstinentiam esse vnicum remedium continentiæ seruandæ, vt probaui *loco cit. Relig. cap. 7.* Ita etiam sentit Couarr. *cap. 1. de celsiam. numero* 18. Contrarium tamen tenet cum aliis Diana. *tom. 3. tract. 2. resol. 50.* Quorum opinio mihi semper visa est parum consideratè prolata. Nihilominus probatur primò nostra conclusio auctoritate trium Pontificum, qui in facti contingentia mecum senserunt. Primus fuit Paulus V. qui Duci de Albuquerque eo tempore Legato Romæ pro Rege Hispaniarum, petendi dispensationem super hoc voto pro Reuerendissimo P. F. Gondisaulo de Angulo Ordinis nostri Episcopo Valensolæ in Indiis, respondit: Ego semper fui huius Religionis deuotissimus, & abstinui à Fratribus dictæ Religionis in Episcopus promouendis, ne cogeret eum eis super voto vitæ quadragesimalis dispensare, & sic dispensare recusauit. Ita mihi retulit P. Trimarchi nostri Ord. audiuisse ab ipsomet Duce Albuquerque, cum esset Prorex Siciliæ *anno* 1628. Secundus fuit Gregorius XV. qui noluit dispensare, quamvis multùm rogatus, super dicto voto cum Reuerendissimo P. F. Francisco à Mayda Ordinis nostri Generali, & Episcopo Lauellensi, qui etiam Episcopus eiusdem opinionis erat, retulit enim ipsemet mihi Romæ, quòd cum quadam die fuisset inuitatus à quibusdam Prælatis ad prandium, parauerunt illi cibos paschales, dicentes, Iam Domine Episcope potes nobiscum cibos paschales comedere. Qui respondit: Non equidem, nam teneor obseruare dictum votum, sicut antequam essem Episcopus; & erat hic Episcopus vir doctissimus, & eloquentissimus Concionator. Tertius Pontifex fuit Vrbanus VIII. qui in examine, quod fiebat coram ipso, Reuerendissimo Patre F. Francisco Castellano Episcopo Caprulensi Ordinis nostri, petiit ab eo, an teneretur ad votum vitæ quadragesimalis? & cum ipse Castellanus respondisset, non teneri, respondit Papa, Errasti; teneris enim, & parùm abfuit, quin ex hoc solùm arceretur à dicto Episcopatu consequendo; nec voluit eum eo super dicto voto dispensare. Secundò probatur eadem conclusio. Quia Minimi vouent obseruare vitam quadragesimalem toto tempore vitæ suæ, vt patet ex eorum professione in Correctorio, *num.* 18. Nec valet dicere, quòd illud: *Toto tempore vitæ suæ*, intelligitur, quandiù in Religione permanserint, nam est implicantia in terminis quòd quis profitendo intelligat perseueranter viuere sub voto quadragesimalis vitæ, & id expressè dicat, & quòd deinde intelligat vitam quadragesimalem obseruare, quandiu tantùm in Religione steterit, si enim vult perseueranter viuere toto tempore vitæ suæ in Religione, quomodò potest intelligi, quòd nolit se obligare ad seruandum votum vitæ quadragesimalis, nisi quatenus in Religione steterit.

4. Ex his collige, quòd multò magis tenetur votum vitæ quadragesimalis obseruare Minimus, qui extra Religionem speciali priuilegio Papæ obtinuit beneficium curatum; imò tenetur non solùm essentialia suæ Religionis obseruare, sed etiam accidentalia, quæ munus Parochiale non impediunt, & hoc non solùm ex debito, & honestate morali, sed etiam ex debito legali, quamobrem excommunicationem contrahet, si habitum deponat. Ita Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 1. de statu Relig. num. 9.* An autem iste, si

delinqueret, deberet puniri ab Episcopo, vel à Prælato, est casus dubius. Layman. *loco cit. num.* 14. videtur dicere, quòd puniri debet à Prælato: Angelus, Rosella, Sylu. & alij apud ipsum dicunt, quòd ab Episcopo, cui in omnibus subiectus est: Tu dic, quòd si delinquat in his, quæ concernunt statutum Religionis, quam professus est, debet puniri à Prælato Religionis; si verò delinquat in his, quæ concernunt munus parochiale, puniri debet ab Episcopo.

5. Dico tertiò. Eiecti tenentur ad obseruantiam voti vitæ quadragesimalis, vt probaui *tom.* 1. *Relig. q.* 1. *cap.* 25. §. 5. *conclus.* 4. *& q.* 4. *cap.* 2. *vers. ad tertium*; & tenet expressè, præter citatos dictis locis, Bonacina loquens de eiectis, *tract. de clausura, quæst.* 2. *puncto* 12. §. 3. *num.* 4. Probatur. Quia ex malitia sua nemo debet reportare commodum; *leg. in fundo, ff. de rei vendic. cap. Cognoscentes, de constit. cap. Sedes, cap. Plerumque, de rescript. cap. Intelleximus, de iudic.* Sed respondent qui contrariam opinionem tuentur, quòd reportare commodum directè, principaliter, & per se, est contra dictum iuris axioma; at verò minùs principaliter, indirectè, & per accidens, non est contra illud, vt limitat Barbosa *in axiomat. iuris, axiom.* 143. *num.* 3. Et sic eiecti ex sua malitia non reportant commodum comestionis carnium per se, & principaliter, sed solùm per accidens, & indirectè. At contra. Quia pone, quòd quis eo faciat delicta, propter quæ certus est, quòd eijcietur à Religione, & illa intentione faciat, vt eijciatur, & sic possit carnes comedere. Certè iste non per accidens, sed principaliter, & per se carnes comedens commodum reportabit ex suis delictis, quia illa carnium comestio est primariò intenta. Sed taciti, & expressi idem est iudicium, *leg. Cum quid, ff. si certum petatur*, Barbosa *loco cit. axiom.* 218. *num.* 1. Ergo licèt aliquis, quando facit aliquod delictum dignum expulsione, expressè non intendat expulsionem ab Ordine, nec carnium comestionem; cum tamen dicta delicta, cui expulsio est annexa, scienter velit, & expulsio non fiat sine dictorum actuum repetitione, dum ipse scienter vult illa delicta, certè tacitè saltem vult per se expulsionem ab Ordine, & consequenter vult etiam per se comestionem carnium; nam accessorium sequitur naturam sui principalis, *l. Etiam, C. de iure dot. regul. Accessorium, de regul. iuris, in* 6. prout dixi *loco cit. Religiosi subditi.* Atque ita per se commodum reportabit ex sua malitia.

6. Dices cum dicti eiecti possint à Prouincialibus, & Generalibus Ordinis nostri licentiari ad alios Ordines, in quibus quadragesimalis vita non obseruatur, vt constat *ex constitut.* 2. *Iulij II.* §. 17. *tom.* 1. *nostr. priuil.* videtur, quòd ad dicti voti obseruantiam non teneantur; Nam durum nimis esset, & onerosum, & Ordinibus illos recipientibus, & eiectis ipsis. Respondeo quòd illa constitut. 2. Iulij II. fuit desumpta ex Mari magno Prædicatorum ad verbum à Passar. virtute illius priuilegij concessi ab eodem Iulio II. *in eius constitut.* 1. §. 35. quòd possemus de omnibus priuilegiis Mendicantium participare, ac si nobis ipsis fuissent concessa, & illa nobis applicare, & transumptare, mutatis nominibus Pontificum, qui ea concesserunt, in nomen Iulij II. & nominibus Ordinum, quibus fuerunt concessa, in nomen Ordinis minimorum. A quocunque sit transumptatum, multa certè in eo sunt, quæ Ordini nostro non possunt conuenire, vt noto *ad dictam constitut.* 2. *num.* 4. Inter quæ etiam potest numerari hoc de danda licentia eiectis transeundi ad alium Ordinem. Nam nostra Religio est omnium strictissima, propter votum solemne vitæ quadragesimalis, quod est illi essentiale. Vnde licèt secundùm aliquos possint Superiores Ordinum dare licentiam suis subditis transeundi ab Ordine strictiori ad Ordinem minùs strictum, (quod tamen est contra Concilium Trident. *sess.* 25. *cap.* 19. *de regul.*) id tamen intelligitur de Ordine strictiori secundùm accidentia, non secundùm essentiam. Et quia in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset in specie verisimiliter concessurus *per regul. In generali, de regul. iuris, in* 6. præsumendum non est, quòd Papa intenderit dare licentiam Generali, vt posset licentiare fugitiuos, & eiectos ad alium Ordinem, & simul cum ipsis dispensare super voto vitæ quadragesimalis. Et cum obseruatio voti sit de iure diuino, & dispensatio non possit fieri sine legitima causa, & quo maior est dispensatio, eo maior requiratur causa, & cum dispensatio super votis essentialibus Religionum de stylo Curiæ Romanæ non soleat fieri, nisi propter grauissimam causam immediatè per Papam, ideò existimo, quòd illud priuilegium, vel non possit Religioni adaptari, vel, si velimus contendere, quòd possit adaptari, dicendum sit, quòd talis translatus tenetur ad obseruandam vitam quadragesimalem, cum vix Pontifex super votis solemnibus Religionis auctoritatem habeat, & ipsorum dispensatio sit ipsi soli reseruata. Quòd si adhuc contendamus, quòd intenderit Pontifex dare licentiam Superioribus licentiandi ad alium Ordinem, & dispensandi super voto solemni, quod in æternum non credam. Tum quia licentiare ad alium Ordinem, & dispensare super voto, sunt toto cœlo diuersa, & à diuersis non fit illatio. Tum quia res tanti momenti de stylo Curiæ nulli creditur, sed soli summo Pontifici reseruatur: Dico, quòd ille Pontifex nostro Ordini concessit summum, & maximum omnium priuilegiorum, illud tamen nunc vacat, propter citatum textum Tridentini. Et dato, quòd esset in suo robore, non liceret ex eo inferre, quòd eiectus non teneretur ad obseruantiam dicti voti, si non esset super illo dispensatus. Nam quod sine dispensatione non potest fieri, simpliciter fieri non potest. Neque potest dici, quòd hoc casu non sit necessaria dispensatio, cum intelligatur eo ipso quòd eiectus, & vagabundus licentiatur ad alium Ordinem. Nam, cum illa sint toto cœlo diuersa, vno posito, non infertur aliud. Deinde dispensatio voti est res grauissima, licentia transeundi est res ordinaria, sed minùs dignum nunquam trahit ad se magis dignum. Ergo.

7. Dico 4. Possunt Fratres Minimi ad præcauendas infirmitates se purgare, & purgationis tempore carnes comedere. Ita probaui *tomo primo Relig. quæstione quarta, capite tertio per totum.* Et præter ea, quæ ibi adduxi, probatur primò. Nam, existente actu infirmitate, potest Frater Minimus de Medici consilio, & Superioris licentia carnes comedere. Ergo potest etiam carnes comedere, dicta infirmitate existente in potentia. Probatur consequentia; Nam idem ius habet quis ad propulsandum damnum, quod actualiter patitur, atque ad propulsandum illud, quòd certò venturum putat, vel rationabiliter dubitat exoriundum: sicut qui probabiliter dubitat, quòd in extremam necessitatem eueniet, si extremè indigenti subueniat, non tenetur ei subuenire.

8. Dices. In hoc casu ius dubium vincit ius certum, quod est absurdum. Resp. tamen, quod quamvis obligatio abstinendi à carnibus sit certa, & in possessione obligandi, tamen etiam ius ad conseruandam vitam in homine certum est, & antiquius, & antiquior etiam possessio in illo ad conseruandam suam vitam, & à strictiori iure orta. Nam in homine non solùm est ius certum ad certò conseruandam vitam, sed etiam est illi ius certum ad non exponendam vitam periculo eam amittendi. Et quamvis esset dubium, an Frater Minimus, non se purgando, & abstinendo à

carnibus

carnibus, esset detrimentum passurus in salute, non est tamen illi dubium, quòd ius habeat certum non se committendi tali dubio, vt docet Ioan. Sancius *in selectis, disputat. 51. num. 9.* Dices. Hoc iuri renuntiauit Frater Minimus, quando quadragesimalem abstinentiam vouit, cum modificatione; quòd solùm tempore actualis infirmitatis posset eomedere carnes. Respondeo quòd Minimus per votum vitæ quadragesimalis non renuntiat iuri conseruandi vitam, quantum potest, salua essentia voti quadragesimalis; ista autem essentia salua remanet, dum Minimus ad præcauendas infirmitates, certò, seu etiam probabiliter venturas, se purgando comedit carnes. Tùm quia, cum tunc iam sentiat infirmitatis principia, infirmus actualiter est, quatenus differt ab eo, qui est simpliciter sanus. Tùm qoia, quod parùm abest, adesse videtur. Tùm quia nemo prodens, cum potest de facili morbo imminenti adhibere remedium, expectat ipsius morbi actualem aduentum. Tùm quia videtur infirmitas intellectus, putate, quòd qui promisit alicui stare sub dio quousque pluat, non possit, pluuia imminente, vel iam cadere incipiente, se domum recipere, sed teneatur pluuiam expectare, & deinde bene madefactus domum petere.

9. Secundò probatur conclusio. Nam vota obligant eo modo, quo obligat præceptum Ecclesiasticum de eadem re, vt docent communiter Doctores, & dixi *suprà, cap. 9 num. 34.* Nemo autem dubitat, quòd si quis debeat se purgare tempore quadragesimæ; ad præcauendam infirmitatem, & cibos Paschales comedere, non possit id facere. Ergo neque pariformiter dubitandum est, quod Minimi, stante voti obligatione, se possint purgare, & carnes comedere. Et confirmatur: Nam Minimi non vouent simpliciter abstinentiam à carnibus, & lacticiniis, sed vitam quadragesimalem, & ad innuendum, quod tenemur toto tempore vitæ quadragesimam obseruare, eo modo, quo eam obseruant fideles designato ab Ecclesia tempore.

10. Tertiò probatur auctoritate illorum Doctorum, qui dicunt, quod qui habent experientiam antiquam, sibi esse nocinum carnibus non vti in quadragesima, non tenentur in futuris quadragesimis abstinere à carnibus, ad experiendum, an nocumentum exoriatur. Isti sunt Ioan. Sancius *in selectis, disputat. 51. num. 23.* Cruz *in director. conscientia, part. 1. precept. 3. art. 4. dub. 9. conclus. 3.* Diana *tom. 3. tract. 5. Miscell. resolut. 70.* Vnde collige, quod Frater Minimus, qui longa experientia probauit, sibi nocere cibos quadragesimales, non tenetur nouom experimentum facere, & cum communitate quadragesimales cibos comedere, etiamsi sibi videatur meliùs, seu etiam bene se habere. Quare potetat Isnardos illam admirationem, quam facit *consil. 4. sui Codicis,* continere.

11. Dico quintò. Vita quadragesimalis non abbreuiat vitam, & probaoi *tom. 1. Relig. quæst. 4. cap. 4.* Quinimo nunc addo, quòd sanitatem conseruat, & vitam prolongat. Prima pars probatur experientia multorum ex nostris senioribus, qui vel nunc viuunt, vel recenter mortui sunt. Et primum locum habeat Soror nostra Mater Agnes de Cruz in Prouincia Hispalensi, vixit in asperitate pœnitentis vitæ quadragesimalis centum annos, vt refert Ximenez *in suo M.S.* P. F. Ioannes de Fulmine frigido Prouinciæ Paulæ, qui adhuc viuit, est ætatis centum annorum, & Religionis 80. Dominicus de Tauromino Messanensis centesimum prætergressus est annum. Marcus Lardia de Messana Messanensis Prouinciæ mortuus est anno 1633. ætatis suæ anno 95. Multi repetiuntur senes in Prouincia Castellæ ætatis annorum 80. & Religionis 60. Hi sunt P. F. Marcus Yrizart, Martinus Peco Gutierrez, Lucas Montoya Religionis ornamentum, Petrus Vasquez, Petrus Gonzalez. Adsunt, & Ioseph Cianus Messanensis Prouinciæ, Elias Landech Messanensis eiusem Prouinciæ, Augustinus de Mussa Prouinciæ superioris Calabriæ. In isto nostro Conuentu Genuensi nuper mortuus est P. F. Ioannes Baptista Sermellos ætatis annorum 85. Religionis 56. P. F. Benedictus Bucis ætatis annorum 76. Religionis 55. Ex quibus constat, tantum abesse, vt quadragesimalis cibus vitam abbreuiet, qoin potiùs inter alia, quæ hominum vitam reddunt breuiorem, non immeritò esus carnium recenseatur à Lelio Bisciola *tom. 2. hor. subcesiu. lib. 13. cap. 13.*

12. Secunda pars conclusionis est Porphirij de carnium abstinentia inter opera Ficini *tom. 2.* qui eam sic probat: *Vsus carnium ad sanitatem minimè confert, sed sanitatem potius impedit, quoniam per qua recuperatur autem per victum tenuissimum, & carnibus abstinentem; quapropter, & hoc sanitas conseruatur. Quod si ad Milonis robur animalium abstinentia minus confert, certè neque roboris augmento opus est Philosopho* (Minimo,) *si modo contemplaturus est, neque actionibus se ipsum, & incontinentiæ dediturus. Conseruare profectò sanitatem decet; non mortis quidem metu, sed potiùs ne à contemplatione proficiscentibus arceamur. Conseruat autem maximè sanitatem imperturbatus animi status, cogitationisque dispositio ad ipsum; multum enim vigoris ad corpus inde redundat, quemadmodum experientiâ nostri familiares comprehenderunt, adeò vt dolores inueteratarum, pedum simul, manuumque acerrimas, annosque integros octo vexari ab alio compellentes simul expulerint, cum pecuniarum, rerumque incuria externarum, studiosque ad diuinitatem prorsus tacto, simul igitur pecunias, atque curas, morbumque corporis expulerunt, &c.* Quæ ibi habet ad hoc propositum Porphyrius. Quam doctrinam amplexus est Petrus Gregorius *lib. 15. Syntagm. cap. 15. num. 11.* Immò Plutarch. *de esu carnium, or. 1.* postquam dixit, quòd homo *spiritu ad concoctionem imbecillitate esum carnium eiurat*, subdit, quòd *etiam superata vi concoctionis carnes, cruditates tamen molestas gignunt.*

13. Dico sextò. Quando quis frater Minimus esset in itinere, & non inueniret quidquam quadragesimale, neque etiam panem, neque olera, aut alios fructus, posset carnes comedere, vt probaui *tom. 1. Religion. quæst. 4. cap. 5. casu 3.* & dicunt Nauar. *lib. 3. consiliation. de obseruat. ieiunij consil. 4. num. 3.* Fagund. *in 4 precept. Eccles. lib. 1. cap. 2. num. 8.* vbi etiam affirmat, quòd infirmarij nostri prægustantes cibaria ad ea conuenienter paranda, non frangunt votum, quod etiam dicit *ibid. cap. 4. num. 2.* Et aduerte, quòd hoc casu non diceretur Frater Minimus frangere votom vitæ quadragesimalis, vt ait Naoar. *loco citato, num. 2.* Quia tunc votum non obligaret.

14. Dico septimò Religio Minimorum est perpetuò ieiunantium institutum. Ita probabam *tom. 1. Religion. quæst. 4. cap. 6. vers. Quares 6.* Et ad id probandum moltum facit doctrina Paludan. *in 4. distinctione 15. quæst. 4. artic. 4. conclus. 2.* vbi ait, quòd grauiùs soluit ieiunium comestio carnium, quàm alias bina comestio. Hanc eandem doctrinam sequitur Ægidius Trullench. *in exposit. Bulla Cruciata, lib. 1. §. 4. dub. 2. num. 6.* vbi probat, quòd dispensatus ad comedendas carnes, non tenetur ieiunare; quia sublata est pars magis præcipua, & magis principalis ieiunij, qua sublata, remouetur etiam id, quod est minus,

minùs, sic licet vnica comestio; quia magis præcipuum trahit ad se minùs præcipuum. Vide dictum Trulleuch. *num.* 5.

15. Dico octauò Non peccare Fratrem Minimum dicentem: Comederem carnes nisi vouissem. Ita Layman *in Theolog. moral. lib.* 1. *tractat.* 3. *cap.* 6. *num.* 10. Sanchez *in Decalog. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 23. Azor. *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 6. *quæst.* 10. Immò neque peccaret, qui diceret: Inimicum occiderem, vel fornicarer, si non esset malum. Nam quoties conditio ab actu aufert omnem deformitatem, excusat à peccato. Ita Saytus *in claui reg. lib.* 8. *cap.* 7. *num.* 28. *&* 29. Salas 1. 2. *tract.* 13. *disput.* 16 *sect.* 17. Vasquez *ibid disputat.* 116. *cap.* 1. *num.* 4. Valent. *tom.* 2. *disp.* 6. *quæst.* 4 *part.* 4.

16. Dico nonò. Frater Minimus, qui sensibili delectatione delectatur de esu carnium mente concepto, ac si eas reipsa comederet, mortaliter non peccat, modo non delectetur de his, eò quia illi prohibitæ sunt. Nam præceptum positiuum humanum, aut votum voluntarium per se non prohibet actus internos, sed solùm externos, vnde nos non vouemus, non cogitare de carnibus, sed non comedere. Atque ita docent Layman *in Theologia Morali, lib.* 1. *tract.* 3. *cap.* 2. *num.* 9. Villalobos *in summa part.* 1. *tract.* 3. *difficult.* 3. *num.* 5. Malderus *part.* 2. *quæst.* 74. *articul.* 10. Lessius *lib.* 4. *cap.* 3. *dubio* 15. *num.* 114. Vasquez 1. 2. *disputat.* 110. *cap.* 1. Diana *tom.* 3. *tract.* 5. *resolut.* 5. quem etiam vide *resolut.* 6. vbi resoluit cum Sancio, quòd comedere, & bibere absque necessitate, ad solam voluptatem captandam, nullum est peccatum, neque veniale. Sicut nullum est peccatum res aromaticas odorare, ob solam delectationem boni odoris capiendam. Nec res pulchras inspicere ob solam delectationem, quam visus capit videndo; Nec auditem musicam ob solam delectationem audiens.

17. Dico decimò. Vita quadragesimalis multum iuuat ad passiones libidinis mortificandas, vt probaui *tom.* 1. *Relig. quæst.* 4. *cap.* 7. Probatur primò, *ex illo Genes.* 6. vbi Deus destruxit aquis diluuij omnem carnem. *Ab homine vsque ad animantia, à reptili vsque ad volucres cœli.* In qua destructione ideo non fuerunt comprehensi pisces, cum tamen homines eo tempore maximè piscibus vescerentur. Quia diluuium venit propter vitium carnis, vt patet *ex eodem cap.* 6. *Genes.* ibi: *Omnis quippe caro corruperat vitam suam.* Et ibi: *Videntes filij Dei, &c.* cui animalia omnia cooperata sunt, pisces autem minimè, imò cum potiùs illud extinguant propter frigiditatem, ideò ruinam illam euaserunt. Secundò probatur ex Origene *lib.* 5. contra Celsum, *calumnia* 8. *fine*, vbi ait: *Nos dum aliquid* (loquitur de abstinentia Christianorum comparatione abstinentiæ Pythagoricorum) *tale facimus, sugillamus corpus nostrum, & in seruitutem redigimus, extinguere volentes membra terrena, scortationem, impuritatem, lasciuiam, affectus prauos, & concupiscentias, vt morti tradamus actiones corporeas.*

18. Quæres, cur Sanctus Pater voluerit obligare suos filios ad vitam quadragesimalem? Resp. ideo vt faciliùs, & perfectiùs vniri Deo possemus per contemplationem. Cùm enim Deus sit simplicissimus, oportet, vt qui eum est contemplaturus, & illi desiderat per contemplationem vniri, conciliet sibi, non tantùm verbo, sed etiã bonis operibus puritatem, sensusque emundet; hoc autem non potest meliùs fieri, quàm per carnium abstinentiam, qua homo redditur habilior ad spiritualia contemplanda, vt ait D. Thom. *in ep. ad Roman. cap.* 14. *lect.* 3. carnes enim humorum abundantiam gignunt, crassitiem, ac pinguedinem; pinguedo autem sensum tenuem non generat; nam exhalatio, quæ ex carnibus comestis ascendit, cum sit crassior, & turbidior, offundit animæ tenebras, vnde videmus, quòd contemplatiui sunt inter alia abstinentissimi. Hanc rationem tradit Porphyr. *de abstinentia carnium:* approbat P. Gregorius *lib.* 15. *Syntag c.* 15. *n.* 11. 12. *&* 13. Atque huc non illepidè sic olim lusit F. P. Franciscus Maria de Agrisulis, Genuensis, Ordinis Minimorum S. T. L.

Nata est mens hominum sublimia quærere cœli;
Ni valeat, carnis densior esca vetat.
Non vetat hoc piscis. Turba sic celsa petenti;
Sic Domino, & Socijs fercula piscis erant.
Quid mirum aptari pisces sublime volanti?
Sunt vna educti piscis, & ales aqua

19. Demum nota, quòd *in cap.* 7. *vers. Quæres,* 14. *tom.* 1. *Relig. quæst.* 4. dicebam, quòd in Ordine nostro inualetudinarij non poterant eligi ad dignitates. Et *tom.* 2. *Relig. quæst.* 2. *cap.* 4. *num.* 3. *&* 4. dicebam, quòd hoc debebat intelligi de illis inualetudinariis, qui non poterant exercere Prælaturas, ad quas assumebantur. Quibus saluis, adhuc fui stimulatus à multis ex nostris, vt meliùs declararem statutum *cap. Valent.* 4. *num.* 16. quod in hoc puncto maximam facit difficultatem, & præbet ansam multis litigiis propter terribilitatem, quam præsefert. Pro quo aduertendum, quòd illud statutum est odiosum valdè, cum priuet voce passiua inualetudinarios absque vlla culpa, & addat afflictionem afflictis, vnde strictè debet interpretari. Ait igitur statutum: *Declaramus, eos esse inualetudinarios, qui cibis quadragesimalibus non valent sustentari, sed ex consuetudine morbi, & imbecillitate naturæ coguntur per spatium trium annorum singulis ferme annis plusquam sex menses agere, vescentes carnibus, & choro interesse, horis matutinis, & communitati se conformare non valentes.* Vnde patet, quod quinque conditiones requiruntur ad hoc, vt quis in Ordine nostro sit inualetudinarius, ad effectum vt non possit ad dignitates promoueri, quarum vna si desit, non erit inualetudinarius censendus. Nam istæ omnes conditiones, vt patet, connectuntur per dictionem. *Et*, cuius natura est, vt ait Barbosa *de dictionibus, dicto* 110. *à num.* 3. copulare, & antecedentia sequentibus iungere æqualiter, ita vt quod de vno copulatorum dicitur, de altero intelligatur; & sic copulatorum omnium concursum dicit. Prima est, quòd non possit vllo modo cibis quadragesimalibus sustentari. Secunda, quòd hoc proueniat ex morbo longo, & consuetudinario, qui ita naturam debilitauerit, vt nequeat omnino cibis quadragesimalibus sustentari. Tertia, quòd plus, quàm sex menses, per tres annos continuos cogatur Paschalibus vesci, vt possit sustentari. Quarta, quòd non possit choro interesse, neque de die, neque de nocte. Quinta, quòd communitati nullo modo se conformare valeat. Conformat autem se communitati ille, qui orationi, capitulis culparum, aliisque capitulis pro negotiis conuentus interest. Si quis igitur haberet aliquam infirmitatem, quæ adhuc in consuetudinem non fuisset conuersa, neque ita naturam debilitasset, quin posset sperari, vt ex ea conualesceret aliquando, etiamsi per tres continuos annos coactos fuisset cibis Paschalibus vesci, posset ad dignitates eligi. Et similiter posset eligi, qui licèt non posset horis matutinis interesse, posset tamen aliis horis diuinis. Et similiter posset eligi, qui non posset communitati omnino se conformare, verbi gratia, si quis legumina comedere non posset, propter ventositatem, vel cibos salsos, sed indigeret cibis Paschalibus per sex menses in anno, & aliquanto etiam plus.

Nam

Nam illa particula ; *Plus*, tempus prorogat in fauorem infirmi : & leges morales, præsertim odiosæ, non debent Mathematico circino commensurari. Et similiter posset eligi in Prælatum, Prouincialem, verbi gratia, vel Generalem, aut etiam Correctorem, qui cogeretur Paschalibus vesci per totum annum, modò posset choro interesse, saltem de die, & alia Prælaturæ officia exercere. Nam tunc deesset saltem vna ex conditionibus necessariò requisitis ad illum inhabitandum ratione valetudinis, nimirum inhabilitas assistendi choro de die.

20. Et aduerte, quòd hæc doctrina est multum conformis Regulæ nostræ quæ præcipit in Correctorio *numero 56.* vt infirmi benignè supportentur, & tolerentur per aliquorum mensium spatium in infirmaria degere. Deinde non præcipit Regula, vt Superiores se omnino conforment communitati, sed solùm iuxta posse, vt patet *ex Regula, numero 39.* id est, iuxta exigentiam complexionis propriæ, & negotiorum, seu, vt declaratur in Correctorio, *numero 65.* quòd notabili singularitate, tam in victu, quàm in vestitu, absque legitima causa non vtantur. Vnde contra facit Regulæ Prælatus, qui sanus in refectorio delicatiùs moltùm, vel abundantiùs notabiliter comedit. Et similiter qui infirmus, si infirmitas non postulet. Sed si Prælatus infirmus comedat ea, & aliquid plus, quæ alij infirmi, etiam si hæc infirmitas duret per triennium, non facit contra Regulam in hoc puncto, sed maximè iuxta illam operatur. Est etiam conformis hæc doctrina *constitut.* 10. *Vrbani VIII. num.* 53. quam habes *tom.* 2. *nostrorum priuilegiorum*, in qua dicitur, quòd *ad Prælaturas illi præcipuè eligantur ; qui possint, & consueuerint Regulas Ordinis, & constitutiones obseruare.* Nota illam particulam, *præcipuè* ; nam solùm importat maiorem aliquam rationem, non autem importat aliquam exclusionem, vt ait Barbosa *de dict. dict.* 74. *numero secundo.* Vnde licet debeant eligi, qui possunt, &c. si tamen aliqui eligantur, qui non omnia, sed possint aliqua seruare istorum, electio sortietur.

21. Demum aduerte, quòd illud statutum Valentinum, quomodocunque intelligatur, non debet tamen intelligi de viris benemeritis, & qui pro Religione laborando in infirmitates inciderunt, modò tamen quoad alia sint idonei. Tùm quòd in Regula nullum apparet vestigium talis priuationis vocis passiuæ, imò contrarium colligitur *ex dictis numeris præcedentibus.* Tùm quia priuare viros benemeritos voce passiua ob infirmitatem receptam laborando pro Religione, barbarum, & inhumanum est, cum omnes nationes quantumvis barbaræ, & à politico viuendi modo alienæ, de se ipsis benemeritos recognoscant, & postquam ad infirmitatem, seu senectutem deuenerunt, nutriant, alant, & honorent, quantum eorum vires patiuntur. Tùm quòd isti, licèt in præsentiarum non possint omnino esse conformes in laboribus subditorum, quæ est ratio illius statuti, fuerunt tamen aliquando maximè illis conformes, imò & eos in multis superauerunt ; qui enim sunt de Religione benemeriti, ideo tales sunt quia pro Religione plus cæteris fecerunt ; & laborauerunt ; vnde licèt non sint conformes in viribus corporeis, sunt tamen maximè conformes in affectu, & diligentia, quæ istis sufficere debet. Tùm quòd isti non excluduntur *in constitut. citat. Vrbani VIII.* in qua solùm dicitur, quòd præcipuè eligantur ad dignitates, qui possint, & consueuerint regulas seruare. Vnde, cum isti consueuerint, vt suppono, licèt modò non possint omnes, cum tamen possint aliquas, sustineri debent. Tùm denique quia Religio non viribus corporeis regitur, sed viribus intellectus. Vnde semper meliùs regit vir prudens, & benemeritos, licèt carnibus egens præ infirmitate, quam sanus, qui minùs prudens sit. Et tolerabilius est in Prælato, quòd præ infirmitate non possit aliquam constitutionem seruare, quam quod per imprudentiam, seu malitiam subditos vexet, & affligat. Et ita obseruari video in Religione, & Superiores ita declarare, cum mouetur super hoc casu quæstio.

22. Quæres etiam, an Medicus possit dare licentiam Superiori, vel alteri, in locis præsertim distantibus, vbi facilis præsentia Medici haberi non potest, vt possit licentiare Fratres ad comedendas carnes ; Respondeo non posse : Nam in hoc videtur electa industria personæ ; vnde non potest hæc facultas alteri demandari, vt probat Barbosa *in cap. Quoniam, de offic. Legat. numero tertio.* Et aduerte, quòd quando dicitur *in Regula, numero vigesimo sexto*, quòd infirmus *de Medici consilio deducatur ad infirmariam exteriorem, & inibi de Correctoris iussione illi prouideatur de omnibus cibariis pro sanitate celerius restauranda.* Per consilium ibi, intelligo consensum, ita vt absque consilio, & consensu dicti Medici non possit Superior quemquam ad infirmariam ordinariè mittere. Et aduerte etiam, quòd illud consilium, seu consensum tenetur Superior sequi, nec potest ab eo resilire, cum illius non sit iudicare, an infirmus egeat, necne. Puto tamen, quod circa nouitios posset Medicus facere facultatem alicui perito in arte, vt eos licentiaret in casu infirmitatis ad comedendas carnes, cum isti nondum votum vitæ quadragesimalis emiserint. Aduerte etiam quòd Medicus, qui potest hoc consilium dare, debet esse Medicus ordinarius Conuentus, nec sufficit quilibet Medicus ; analogum enim absolutè sumptum sumitur pro famosiori analogato, vt colligitur *ex leg. vltima, Codic. de his, qui veniam ætatis* ; & dicit Castrus Palaus *tomo primo op. moral. tractatu tertio, disputatione quinta, §. tertio, numero septimo.* Aduerte etiam, quòd iste consensus, seu consilium non est obtinendum ab infirmo absque licentia Superioris obtenta, alioquin non valet : vt iuxta laudabilem Religionis consuetudinem, & innuit Regula *loco citato*, ibi : *De Correctoris iussione.* Aduerte denique quòd si aliquis Medicus fieret Religiosus posset illi Medicus ordinarius Conuentus facere facultatem, vt in aliquibus casibus licentiaret aliquos ad comedendas carnes. Nam tunc id non censeretur ille facere tanquam priuatus Religiosus, sed tanquam Medicus substitutus à Medico ordinario pro sui absentia. Quod non videtur contra mentem B. Patris.

23. Tandem verò pro huius capitis coronide, atque vt pateat, quanti semper fecerit nostra Religio votum hoc, quod gemma illius & iubar est, quamque illud tueri studeat, & constanter obseruare, afferre lubet id, quod in Tridentino Concilio audiui contigisse. Nobilis siquidem, ac illustrissimæ familiæ ciuis Neapolitanus Dominus Paulus Podericus, nostri Ordinis deuotissimus, maxima erga nos miseratione commotus, quòd tam austeram in voto quadragesimali vitam ageremus, conuenit secretò, nullo è nostris id sciente, vel cogitante, Eminentissimum Cardinalem Hieronymum Seripandum Neapolitanum, Concilij Tridentini Legatum Apostolicum, ex Ordine Eremi-

tarum

tarum Sancti Augustini assumptum, eumque obnixè rogans compulit, & coëgit, vt Patres omnes Concilij adiret sigillatim, atque exinde coram toto Concilio proponeret de Ordinibus Carthusiensium, & Minimorum ad mitiorem vitæ, abstinentiæque rationem redigendis, statuendo scilicet, vt Carthusienses ægritudinis tempore carnibus vescerentur, sicut Minimi; Minimi verò cum valent oua, ac lacticinia, quemadmodum Carthusienses, comederent. Re ipsa egit Cardinalis, quod pollicitus fuerat, & coram tota Synodo negotium huiusmodi proposuit: Assurgens tunc Illustrissimus ac Reuerendissimus Dominus Frater Gaspar de Fosso, nostri Ordinis bis Generalis, & Archiepiscopus Rheginus vir sanctissimus, Patres omnes maiori, quo potuit, studio exorauit ne rem hanc aggrederentur, ac decernerent, qua præcipuus totius Religionis splendor offunderetur; illudque addidit, sanctissimi nimirum Patriarchæ nostri Francisci de Paula intentionem fuisse, vt votum eiusmodi in sua, quàm diuino afflatus spiritu dedit, Regula seriò præscriptum, ab alumnis suis imposterum ad vnguem obseruaretur. Eiusdem Archiepiscopi supplicationibus Patres morem gerentes, nil circa votum eiusmodi, Deo sic disponente, censuerunt statuendum. Ita mihi retulit insignis Ordinis nostri Theologus Administrator Reuerendissimus Frater Ignatius à Neapoli Collega Generalis præteritus; quòd se olim à Reuerendissimo Patre Fratre Valentino de Massa ex Prouincia Neapolis, & Religionis olim Generali, asseruit accepisse. Hac etiam quadragesimali abstinentia conterriti duo Summi Pontifices, si Religio vel minimum quid circa voti illius moderationem significasset, libenter annuissent, ac dispensassent. Adueniante enim die Paschæ, aulicus quidam Gregorio XIII. dixit: Pauperes Fratres Minimi, Beatissime Pater, suam prosequentur quadragesimalem abstinentiam. Cui Pontifex vt audiui, Pascha, inquit, nobiscum & ipsi celebrabunt, atque ita Paschales cibos ad Sanctissimæ Trinitatis Conuentum misit, vt eis vescerentur nostri Religiosi, quos tamen, gratias agendo, constantissimè remiserunt. Paulus verò V. à quodam rogatus, vt cum Minimis super vita quadragesimali dispensaret, respondit: Ipsorum est nobis hoc ionuere. Ita Romæ audiui. Et hæc ad Dei Optimi Maximi laudem, Virginisque Deiparæ, Beatique P. Francisci de Paula sint dicta.



ADDITA

ADDITAMENTA NOVA.

CONSTIT. XXII. aliàs XXXIV.

Quâ concedit moderno Correctori Generali, ac cæteris in perpetuũ Correctoribus Generalibus Nostri Ordinis Minimorum, vt post expletum Correctoris Generalis officium votum consultiuum, decisiuum, & electiuum in omnibus Capitulis Generalibus, Prouincialibus, & Intermediis habere, nec non aliquem Conuentum, à quo non possint amoueri, ac vnum Fratrem Ordinis præfati Laïcum, siue Oblatum arbitrio suo in suum socium eligere liberè possint, & licitè valeant.

VRBANVS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.



Vm rationi consonum esse censeamus, vt ij, qui Supremi Regularium Ordinum Gubernatores extitere, post expleta eorum officia dignitatis, quàm gesserunt, & laborum, quos exanthlarunt aliquibus super cæteros eorundem Ordinum Professores praeminentiis, & prærogatiuis decorentur, & gaudeant, ne vilipendantur, & ab illis, quibus ob rectè administratam iustitiam minùs quandoque satisfecerunt malè tractentur.

Concedit prout in summario.

§. 1. *Idcirco dilectum filium modernum Correctorem Generalem Ordinis Fratrum Minimorum S. Francisci de Paula, de Religionis zelo, vitæ munditia, & morum probitate, aliisque virtutum meritis, apud Nos fide dignorum testimonio commendatum, specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existat ad effectum dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, eidem moderno Correctori Generali, ac cæteris in perpetuum futuris, post eum eiusdem Ordinis Correctoribus Generalibus, vt post expletum eorum Correctoris Generalis respectiuè officium, quoad vixerint votum consultiuum, decisiuum, & electiuum in omnibus Capitulis Generalibus, Prouincialibus, & Intermediis dicti Ordinis habere, nec non aliquam ex Domibus Regularibus eiusdem Ordinis, in quam se recipiant, & in ea commorentur, & à qua amoueri nequeant, ac vnum Fratrem Ordinis præfati Laïcum, siue Oblatum moribus, & vita probatum arbitrio suo, ex quacunque Ordinis Prouinciaim suum Socium, quo à nemine quacunque auctoritate fungente priuari possint, eligere liberè, & licitè valeant Apostolica auctoritate, tenore præsentium concedimus, & indulgemus.*

Hoc habent FF. Minores de Obser. in cor. Constit. c. 8. §. 14. n. 1. & 3.

§. 2. *Sicque, & non aliter in præmissis per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & definiri debere: ac irritum, & inane si secùs super his à quoquam quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.*

Prohibet aliter quam hic disponitur iudicari.

§. 3. *Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, ac dicti Ordinis Regulis, ac etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, Statutis, & Consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis, quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum dumtaxat specialiter, & expressè derogamus: cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris 20. Maij 1642. Pontificatus nostri 19.* M. A. Maraldus.

Contrariis derogat.

Notandum, quòd quamvis de anno supradicto 1642. exierit præfatum Breue; tamen executioni demandatum non fuit, nisi de anno 1661. quando acceptatum fuit in Gener. Cap. 40. Barchinonæ celebrato, num. 6.

CONSTIT. XXIII. aliàs XXV.

Quâ statuit, quòd Prouinciales Correctores exactò illorum officio, per sexennium vacare debeant, vt denuò reeligi possint.

VRBANVS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.



D ea, per quæ Religiosorum Ordinum quorumcunque fælici directioni opportunè consulitur, libenter intendimus, & desuper Pastoralis Officij Nostri partes fauorabiliter interponimus, prout conspicimus in Domino salubrè

alubriter expedire. Cùm itaque, ſicut accepimus in Ordine Fratrum Minimorum Sancti Franciſci de Paula in vim illius Regulæ, & Conſtitutionum Apoſtolica auctoritate confirmatarum, Correctores Prouinciales munus, & officium Correctoris Prouincialis huiuſmodi ſpatio trium annorum exerceant, quibus expletis, illi vacare, & ceſſare ab eodem munere, & officio ad aliud triennium immediatè ſubſequens debeat, ad hoc, vt in Correctorem Prouincialem denuò reeligi poſſint; Cumque videatur ad præſens inoleuiſſe in eodem Ordine cupiditas, & ambitio officiorum, ipſique Correctoris Prouincialis munus, & officium, exacto triennio prædicto, reeligantur, eaque de cauſa Succeſſores in eodem munere ſibi grati, & accepti creentur, ſtudeant eos dicti Ordinis Religioſos in Correctores locales conſtituere, qui ad ſui libitum voluntatis in Capitulo Prouinciali votum, ſeu ſuffragium ferant, ſui perpetuitatem in dominio, & officio, nulla habita boni communis, & proſperi regiminis dicti Ordinis, tam in ſpiritualibus, quàm in Temporalibus ratione, quærentes.

§. 1. *Hinc eſt, quòd Nos ambitioni, & cupiditati huiuſmodi obuiam ire, & in præmiſſis opportunè pro cura Noſtra Paſtorali prouidere volentes: Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine: Quòd de cætero perpetuis futuris temporibus Correctores Prouinciales dicti Ordinis completo, & exacto illorum officio huiuſmodi, per ſex annos immediatè ſequentes, ab eodem munere vacare, & ceſſare debeant, itavt ante lapſum ſexennij huiuſmodi ad munus, & officium Correctoris Prouincialis cuiuſcumque Prouinciæ Ordinis prædicti denuò eligi, vel aſſumi nullo modo poſſint tenore præſentium ſtatuimus; atque ita ab omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Fratribus, & perſonis ſub indignationis Noſtræ, ac priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, necnon dignitatum, officiorum, & præeminentiarum quarumlibet, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, & quauis alia obtinenda, pœnis eo ipſo abſque declaratione incurrendis inuiolatè, & perpetuò ſeruari præcipimus, & mandamus.*

§. 2. *Decernentes ſic, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, & Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de Latere Legatis, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecùs ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

§. 3. *Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis Regula, & Correctorio nuncupato, necnon Statutis, & Conſuetudinibus etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.*

§. 4. *Volumus autem, vt præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & Sigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ, munitis; eadem prorsùs fides adhibeatur vbique, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Maiorem, ſub Annulo Piſcatoris die 24. Martij 1659. Pontificatus noſtri Anno 4.*

G. Gualterius.

Notandum, quòd idem Pontifex per ſuas literas in forma Breuis datas, ſub die 11. Auguſti 1662. incipiente: *Aliàs emanarunt* ſuſpendit ſupradictas literas ad ſexennium.

CONSTIT. NOVISSIMA.

Beatiſſime Pater.



AD pedes Sanctitatis Veſtræ ſupplex recurrit Frater Petrus de Conſentia Ordinis Minimorum Procurator Generalis, humilitérque exponit, qualiter iuxta expreſſum Regulæ textum, à Sancto Patriarcha Franciſco de Paula eiuſdem Ordinis Fundatore Minimis traditæ, & Apoſtolica auctoritate confirmatæ, tanto tempore Superiores, poſt expletum eorum officium, ſubiecti remanere debent, quanto Prælati priùs extitère; proindéque Correctores Prouinciales, qui de triennio, in triennium, ex vi eiuſdem Regulæ innouari debent, poſt abſolutum eorum triennale munus, ab eodem, per tres immediatos ſubſequentes annos vacare debent, ad hoc vt denuò in Correctores Prouinciales eligi valeant; prout ſemper inuiolabiliter ſeruatum eſt ab ipſo Religionis exordio, vſque ad annum ſexcẽteſimum quinquageſimum nonum ſuprà milleſimum; quo quidem anno, Procurator tunc Generalis Ordinis præfati, ſuo indulgens peculiari genio, nulloque expetito Religionis ſenſu, ad Prædeceſſorem Sanctitatis Veſtræ Alexandrum felicis recordationis Papam VII. recurſum habuit, & ſub prætextu, quod exinde Correctores Prouinciales, ſibi inuicem, & immediatè, in ſingulis triennijs

triennijs succedere curarent. Motum quendam proprium in forma Breuis obtinuit, quo sancitum est, vt futuris perpetuis temporibus, Correctores Prouinciales, completo illorum officio, per sex annos immediatè sequentes, ab eodem munere vacare deberent; Cuius sanè Apostolicæ sanctionis executionem idemmet Alexander VII. pustea suspendit sub Anno 1662. suumque effectum haud quaquam sortiri mandauit, nisi post alios dilapsos sex annos, eo quia Religionem Minimorum subiectis, pro Prouincialitio munere plenam sufficientiam habentibus, magna ex parte destitutam esse cognouit. Instante nunc prætactæ suspensionis termino, vniuersa Religio in Conuentu Massiliensi pro Generalibus Comitiis celebrandis nouissimè congregata, præmemorato supplicanti in Procuratorem Generalem nuper electo commisit, quatenùs Sanctitatem Vestram supplex adiret, omnimodam prælibatæ Sanctionis Apostolicæ suspensionem impetraturus; Etenim multa in eius executione, Prouinciæ experiuntur incommoda, quippè quæ Religiosorum penuria, hac potissimum tempestate, premitur, qui ad Prouincialis munus obeundum sufficientiam plenam habeant. Ideo omni cum humilitate supplicat Orator Sanctitati Vestræ ex parte totius Religionis, quatenùs prætactum Regulæ Minimorum præscriptum, circa Correctorum Prouincialium subiectionis tempus per tres solos annos (ad hoc vt denuò ad idem munus assumi valeant) in pristinum reducere dignetur, quam gratiam, à paterna Sanctitatis Vestræ benignitate, & incomparabili clementia sibi promittit, vt Deus, &c.

SAcra Gongregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, ad quam Sanctissimus D. Noster antescriptas preces remisit, attentis narratis, decreuit, & mandauit, circa præmissa seruari Constitutiones, & Statuta Regulæ Ordinis huiusmodi; Enuntiato Breui sanctæ memoriæ Alexandri VII. cæterisque contrariis non obstantibus. Romæ 19. Augusti 1667. M. Card. Ginettus. Loco † sigilli. E. Episc. Camer. Secr.

Concordat cum suo Originali, quòd penes me infrascriptum remanet, & conseruatur, & in fidem, &c. Datum in hoc S. Andreæ de Frattis Romano Conc. die 30. Augusti 1667.

Ioan. Petrus de Consentea Procurator Generalis.

SVMMARIVM CANONVM Concilij Tridentini, qui de Regularibus præscribuntur.

De Librorum Impressione.



Non liceat Fratribus imprimere, seu imprimi facere Libros de Rebus Sacris, sine approbatione Ordinarij, & licentia suorum Superiorum. Sess. 4. in decreto de vsu, & editione sacrorum librorum.

Patres Nostri in Capitulo Generali celebrato Valentiæ 1571. n. 9. mandarunt in virtute S. Obedientiæ, & sub pœna priuationis actiuæ, & passiuæ vocis per annum, & aliis pœnis ad arbitrium P. Generalis, quòd nullus audeat quidquam imprimere absque licentia dicti Generalis, & in Cap. Barchinonæ celebrato 1619. n. 56. addiderunt priuationem officiorum, & vocis actiuæ, & passiuæ in perpetuum, ita, vt non possint rehabilitari nisi à Capitulo Generali.

De Lectione Sacræ Scripturæ.

IN Conuentibus, in quibus Studia commodè vigere possunt, S. Scripturæ Lectio habeatur, quæ Lectio à Capitulis Generalibus, vel Prouincialibus assignetur dignioribus Lectoribus. Sess. 5. de reform. c. 1.

Idipsum inculcarunt Patres Capituli Generalis Massiliæ II. celebrati n. 7. omnibus Prouincialibus.

Sacra Congregatio Concilij declarauit Lectores S. Scripturæ in Conuentibus Regulariũ non esse examinãdos ab Ordinario, benè tamen si legerent publicè in Ecclesia.

De Licentia Prædicatorum.

PRædicatores sine licentia Superiorum Ordinis, & benedictione Ordinarij in Ecclesiis eiusdem Ordinis prædicare non possint. In Ecclesiis autem, quæ suorum Ordinum non sunt vltra licentiam Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur: in Ecclesiis etiam suorum Ordinum nullus Regularis, contradicente Episcopo, prædicare præsumat. Sess. 5. de reform. c. 2. & sess. 24. c. 4.

In Ecclesiis autẽ aliis à nostris vltra licentiam Superiorum etiam Episcopi licentiam habere tenentur. In Ordine Nostrò statuitur à S. Fundatore in Correct. n. 79. quòd si quis Frater sine speciali alicuius Superiorum Prælatorum approbatione prædicauerit ad huiusmodi officium non assumatur per biennium, vel grauius puniatur, proue alicui dictorum Prælatorum meliùs fieri videbitur.

De Prædicatoribus malè prædicantibus.

SI aliquis Prædicator (quòd absit) errores, aut scandala disseminauerit in populum, etiam si in Monasterio sui, vel alterius Ordinis prædicet Episcopus, ei prædicationem interdicat, quòd si hæreses prædicauerit contra eum secundùm iuris dispositionẽ, aut loci consuetudinẽ procedet, etiãsi Sess. 5. de reform. c. 2.

Zz 2 Prædi

Predicator ipse generaliter, vel specialiter exemptum se esse pratcaderit.

Et in hoc reuocat expresse priuilegia.

De Regularibus delinquentibus.

eſſ.6.de re-.orm. c.3.

R*Egulares extra Monasterium degentes, etiam sui Ordinis priuilegij pratextu ab Ordinario loci, si deliquerint, puniri possint.*

Seſſ.25. c.14. de refor.

Regularis non subditus Episcopo, qui intra claustra Monasterij degit, & extra ea ita notoriè deliqaerit, vt populo scandalum sit, Episcopo instante, à suo Superiore intra tempus ab Episcopo prafigendum seuerè puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat: sin minùs à suo Superiore officio priuetur, & delinquens, ab Episcopo puniri possit. Et hic etiam expressè reuocar priuilegia.

De Visitatione Ecclesiarum.

Seſſ 7. de re-form. c 8.

L*Ocorum Ordinarij Ecclesias quascumque quomodolibet exemptas auctoritate Apostolica singulis annis visitare possint.*

De Regularibus translatis.

Seſſ 14 de reform. c.11.

R*Egulares translati de vno Ordine ad alium sub sui Superioris obedientia perpetuò maneant.*

Seſſ 25.c 19.

Et nemo Regularis cuiuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem: nec detur licentia cuiquam Regulari occultè ferendi habitum sua Religionis.

De Missarum eleemosynis.

Seſſ. 22. in decreto de obseruandis, & euitandis in celebrationem Missæ.

I*N primis quoad auaritiam pertinet cuiusvis generis, mercedum conditiones, pacta, & quicquid pro Missis nouis celebrandis datur, necnon importunas, atque liberales eleemosynarum exactiones, potiùs quàm postulationes, & alia huiusmodi, qua à simoniaca labe, vel certè à turpi quastu non longè absunt omninò prohibentur.* Quo in loco, & si non exprimat Regulares; comprehendit tamen quia generaliter loquitur.

De vagis, & ignotis Sacerdotibus.

Eadem Seſſ. & decreto.

E*Piscopi in suis Diœcesibus interdicant ne cui vago, & ignoto Sacerdoti Missas celebrare liceat.* Ideò sint cauti Fratres literas dimissorias ab Episcopo ordinante, seu à proprio Prælato cum alicubi se transferre ex obedientia contigerit habere, & in hoc comprehendit Regulares propter eandem rationem.

De loco celebrandi Missas.

Eadem Seſſ. & decreto.

N*On patiantur priuatis in domibus, atque omninò extra Ecclesiam, & ad diuinum cultum priuata Oratoria ab eisdem Ordinariis ordinanda, & visitanda, Sanctum Sacrificium à sacularibus, aut Regularibus quibuscunque peragi.*

Quo in loco non reuocantur Priuilegia, sed Concilium dat facultatem Episcopis illa reuocandi. Quòd procedit etiam, quoad tempus celebrandi, etenim Sacerdores non debent celebrare, nisi in horis debitis.

De Cæremoniis Missarum.

Eadem ſeſſ. & decreto.

C*Aueatur ne Sacerdotes aliis quàm debitis horis celebrent, neve ritus alios, vel alias ceremonias, & preces in Missarum celebratione adhibeant prater eas, qua ab Ecclesia approbata, ac frequenti, & laudabili vsu recepta sunt.*

Meritò Patres Nostri quamvis Ordo haberet Cæremoniale proprium à S. Sede approbatum, præceperunt in Capitulo Generali Genuæ celebraro 1574. num.21. vt quilibet Corrector in suo Conuentu quoad Missarum celebrationem, & Diuini Officij cultum curet seruare, & ab omnibus suis Fratribus vniformiter seruari facere cæremonias secundùm ordinem Missalis, & Breuiarij noui.

De certo numero Missarum, & candelarum amouendo.

Eadem ſeſſ. & decreto.

Q*Varundam Missarum, aut candelarum certum numerum, qui magis à superstitioso cultu, quàm à vera Religione inuentus est; omninò ab Ecclesia remoueatur.*

De remedio circa Missarum multarum numerum.

Seſſ.25.c 4.de reformat.

F*Acultatem dat Sancta Synodus Episcopis in Synodo Diœcesana, itemque Abbatibus, & Generalibus Ordinum, vt in suis Capitulis Generalibus, re diligenter perspecta, possint pro sua conscientia in Ecclesiis, quas hac prouisione indigere cognouerint statuere circa hæc quicquid magis ad Dei honorem, cultum, atque Ecclesiarum vtilitatem viderint expedire.* Verùm hæc facultas hic data Episcopis, & Generalibus intelligitur de onere Missarum ante Concilium imposito, prout declarauit Sacra Congregatio Concilij 8. Augusti 1570. consulenti P. Nostro Gaspare Passarello: de onere tamen post Concilium recurrendum ad S. Sedem, vt decreuit eadem Sacr. Congt. 21. Iulij 1625.

De voce Capitulari.

Seſſ. 22. cap. 4. de reformat.

Q*Vicumque in Cathedrali, vel Collegiata Saculari, vel Regulari Ecclesia diuinis mancipatus officiis, in Subdiaconatus ordine saltem constitutus non sit, vocem in huiusmodi Ecclesiis in Capitulo non habeat.* Verùm si statutis alicuius Religionis cauetur etiam Sacris non initiatos habere vocem in Capitulo, sicut est in Ordine Nostro Minimorum, nō prohibetur à Concilio quin eam habeant etiam

etiam quòd in Sacris non sint: quoniam Decretum Concilij non comprehendit Monasteria Regularium, sicut declarauit Sacra Congregatio Concilij pro Nobis 10. Ianuarij 1573. consulente eodem P. Gaspare Passarello, tunc Generale.

De literis dimissoriis pro susceptione ordinum.

Sess. 14. c. 2. de reformat. *NVllus absque sui proprij Prælati expresso consensu, aut literis dimissoriis ad altiquos sacros, aut minores ordines, vel primam tonsuram promoueatur, aliàs ab executione ordinum sic susceptorum, donec suo Prælato visum fuerit, ipso iure est suspensus.*

De modo nouorum Conuentuum accipiendorum.

Sess. 25. de Reg. c. 3. *NEc de cætero similia loca erigantur sine Episcopi, in cuius Diœcesi erigenda sunt, licentia prius obtenta.*

Hodie seruari etiam debent Constitutiones Clementis VIII. & Gregorij XV. super hac materia editæ, vt mandauit Vrbanus VIII. per suam Constitutionem incipientem. *Romanus Pontifex* 20. Aug. 1624.

De Fratribus, qui sine Superioris licentia alterius obsequio, se non subiiciant.

Eadem sess. cap. 4. *NE quis Regularis sine sui Superioris licentia, prædicationis, lectionis, aut cuiusvis pij operis prætextu subiiciat se obsequio alicuius Prælati, Principis, vel vniuersitatis, vel Communitatis, aut alterius cuiuscumque personæ, seu loci, quod si contra fecerit, tanquam inobediens Superioris puniatur arbitrio.*

De Fratribus sine licentia à Conuentibus non discedentibus.

Ead. sess. &c. *NEc liceat Regularibus à suis Conuentibus recedere, etiam prætextu ad suos Superiores accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint, aliàs ab Ordinariis locorum tanquam desertores sui instituti puniantur.*

De Fratribus, qui mittuntur ad Vniuersitates Studiorum.

Ead. sess. &c. *QVi Studiorum causa ad Vniuersitates mittuntur in Conuentibus tantùm habitent; alioquin ab ordinariis contra eos procedatur.*

De clausura Monialium.

Ead. sess. c. 5. *VNiuersi Episcopi in omnibus Monasteriis sibi subiectis, in aliis verò Sedis Apostolicæ auctoritate, clausuram Sanctimonialium, vbi violata fuerit diligenter restitui, vbi inuiolata est conseruari maximè procurent.* Et in hoc reuocat priuilegia.

Ead. sess. &c. *Nemini autem Sanctimonialium liceat post professionem exire è Monasterio, etiam ad breue tempus quocunque prætextu, nisi ex aliqua causa ab Episcopo approbanda.* Hæc etiam innouarunt Patres Nostri in Capitulo Generali Valentiæ celebrato 1571. n. 34.

De prohibitione ingressus ad Monasteria Monialium.

Ead. sess. &c. *INgredi intra septa Monasterij nemini liceat cuiuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerit, sine Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis obtenta sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, & hoc in casibus necessariis tantùm, nec in aliis.*

De Monasteriis Monialium intrà Vrbes reducendis.

Ead. sess. &c. *MOnasteria Sanctimonialium extra mœnia Vrbis, vel Oppidi curent Episcopi, & alij Superiores (si ita videbitur expedire) vt ad noua, vel antiqua Monasteria intra Vrbes reducantur.*

De Confessione, & Communione Sanctimonialium.

Eadem sess. & cap. 10. *ATtendant diligenter Episcopi, & alij Superiores Monasteriorum Sanctimonialium, vt saltem singulis mensibus, confessionem peccatorum faciant, & Sacrosanctam Eucharistiam suscipiant.* Quòd etiam innouarunt Patres Nostri in Capitulo Generali Genuæ 1574. celebrato num. 16. pro Ordinis Nostri Monialibus.

De Confessario extraordinario Monialium offerendo.

Ead. sess. &c. *PRæter ordinarium Confessorem, alius extraordinarius ab Episcopo, & aliis Superioribus, bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat.*

De loco seruandæ Eucharistiæ in Monasteriis Monialium.

Ead. sess. &c. *QVod verò Christi Corpus intrà chorum, aut septa Monasterij Monialium, & non in publica Ecclesia conseruetur, prohibet Sancta Synodus, non obstante quocumque indulto, aut priuilegio.*

De modo secreto in electione seruando.

Eadem sess. & cap. 6. de Reg. *IN electione Superiorum quorumcunque, & aliorum Officialium, ac Generalium, & Abbatissarum fiat electio per vota secreta, ita vt singularum eligentium nomina nunquam publicentur.* Comprehendit etiam electiones Commissorum Nostri Ordinis ad Capitulum Generale, vel Prouinciale. Vt declarauit Sacra Congregatio 25. Ianuarij 1571. ad petitionem P. Nostri Gasparis Passarelli, & etiam fuit Statutum in Cap. Generali Romæ vltimò celebrato, n. 56.

De vocibus non supplendis.

Ead. sess. &c. *NEc in posterum liceat Prouinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoscunq; Titulares ad effectum*

effectum electionis faciendæ, constituere, aut voces, & suffragia absentium supplere.

Si verò Statutis alicuius Religionis liceat Superioribus absentibus, & legitimè impeditis mittere ad Capitulum Generale alium Fratrem, qui tanquam eorum Procurator suo loco, & nomine dat vocem in electione sicut est in Ordine Nostro; Concilium id non prohibuisse declarauit Sacra eiusdem Congregatio 8. Augusti 1570. ad instantiam prædicti P. Nostri Gasparis Passarelli.

De ætate eligendi Præpositam, seu Abbatissam Monialium.

Eadem sess. & c. 7. *Abbatissa, & Priorissa, & quæcunque alio nomine præfecta, vel Præposita appelletur, eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit, quòd si his qualitatibus non reperiatur in eodem Monasterio, ex alio eiusdem Ordinis eligi possit. Si hoc etiam incommodum Superiori, qui electioni præest videatur, ex iis, quæ in eodem Monasterio annum trigesimum excesserint, & quinque saltem annis post professionem rectè vixerint, Episcopo, vel alio consentiente eligatur.* Sacra tamen eiusdem Congregatio declarauit, quòd licèt Abbatissa per quinquennium non permanserit in Religione, dummodò excedat trigesimum, & id fiat ad requisitionem suarum Monialium, & de licentia Superioris, & dummodò laudabiliter Superiori anno in officio se gesserit; confirmari poterit per biennium.

Per Statutum Sacri Concilij puto derogatum Regulæ Nostrarum Monialium, c. 9. num. 28. in qua conceditur, quòd possit in Matrem Correctricem eligi, quæ per biennium fuerit professa, & vigesimum quintum annum ætatis attigerit. Ait enim Concilium in fine: *In reliquis seruentur singulorum Ordinum, vel Monasteriorum Constitutiones.* Ex quo clarè constat, quoad præmissa vult esse derogatum Regulis, & Constitutionibus.

De loco accipiendi vota Monialium tempore electionis faciendæ.

Eadem sess. de Reg. c. 7. *Is, qui electioni præest Episcopus, siue alius Superior Claustra Monasterij non ingrediatur, sed ante cancellorum fenestellam, vota singulorum audiat, seu accipiat. In reliquis seruentur singulorum Ordinum, vel Monasteriorum Constitutiones.*

De Gubernatione Monialium.

Sess. 25. de Reg. c. 9. *Monasteria Sanctimonialium Sanctæ Sedi Apostolicæ immediatè subiecta ab Episcopis gubernentur. Quæ verò à deputatis in Capitulis Generalibus, vel ab aliis Regularibus reguntur, sub eorum cura, & custodia relinquantur.*

De interdictis, & censuris à Regularibus obseruandis.

Eadem sess. cap. 12. *Censuræ, & interdicta nedum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo à Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur, atque seruentur.*

De Festis à Regularibus seruandis.

Ead. sess. &c. *Dies festi, quos in Diœcesi sua seruandos Episcopus præceperit ab exemptis omnibus, etiam Regularibus seruentur.*

De controuersia in præcedentiis sedanda ab Episcopis.

Eadem sess. c. 13. *Controuersias omnes de præcedentia, quæ persæpè maximo cum scandalo oriuntur inter Ecclesiasticas personas, tam sæculares; quàm Regulares cum in processionibus publicis, tùm in iis, quæ fiunt in tumulandis Defunctorum corporibus, Episcopus, amota omni appellatione, & non obstantibus quibuscumque compenat.* Vide infra.

De exitu ad publicas Processiones.

Ead. sess. &c. *Exempti autem omnes tam Clerici sæculares, quàm Regulares quicunque etiam Monachi ad publicas processiones vocati accedere compellantur, iis tantùm exceptis, qui in strictiori clausura perpetuò viuunt.* Quæ sint Processiones publicæ declarauit Pius V. per suam Constitutionem pro Mendicantibus factam incipientem. *Et si Mendicantium* 17. Calend. Iunij 1567. ac etiam eadem Sacra Congregatio.

Regulares in primo ingressu Visitationis Episcopi non tenentur accedere ad processionem cum Clero, etiam si compellantur. Ita declarauit Sacr. Concil. 9. Decembris 1662.

De Minoribus Ordinibus ab aliis quàm Episcopis non conferendis.

Sess. 23. c. 10. de reformat. *Abbatibus, ac aliis quibuscunque, quamuis exemptis, non liceat in posterum intra fines alicuius Diœcesis consistentibus etiamsi nullius Diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, tonsuram, aut minores ordines conferre.* Et in hoc reuocat Priuilegia.

De promotione Minorum Ordinum.

Sess. 23. c. 11 *Minores Ordines iis, qui saltem Latinam linguam intelligunt per temporum interstitia (nisi aliud Episcopo videretur) conferantur. Hi verò non nisi post annum à susceptione postremi gradus Minorum Ordinum ad Sacros Ordines promoueantur, nisi necessitas, aut Ecclesiæ*

clesiæ vtilitas, iudicio Episcopi aliud exposcat.

Hîc non exprimuntur Regulates, sed comprehenduntur, eo quòd Concilium generaliter loquitur: verùm non reuocat Priuilegia, neque consuetudinem; ideoque subsistente necessitate ministrorum, Prælati Regularium poterunt rogare Episcopum, loci ordinarium, vt super interstitiis temporum dispensare dignetur.

De promotione Maiorum Ordinum.

Seff. 23. c. 13. & 14. *PRomoti ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur ascendere, non permittantur. Item qui ad Presbyteratus Ordinem assumuntur bonum habeant testimonium, & in Diaconatu ad minùs per annum integrum, nisi ob Ecclesiæ vtilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videretur, ministrauerint.*

Ideò si in aliquo Conuentu sit necessitas ministrorum, quæ Patrum consilio iudicetur sufficiens causa, vt aliter fiat, ordinaturo Episcopo ea referatur, cuius erit iudicare de illa.

Ita respondit Sacra Congregatio Concilij P. nostro Gaspato Passarello consulenti, die 7. Februarij 1573.

De promotis per saltum.

Ead. seff. &c. *CVm promotis per saltum, si non ministrauerint, Episcopus ex legitima causa, possit dispensare.*

De illis, qui tenentur interesse Synodo Diœcesanæ.

Seff. 24. de reform. c. 3. *SYnodi quoque Diœcesanæ quotannis celebrentur, ad quas exempti etiam omnes, qui aliàs, cessante exemptione, interesse deberent, nec Capitulis Generalibus subduntur, accedere teneantur: ratione tamen Parochialium, aut aliarum sæcularium Ecclesiarum etiam annexarum debeant hi, qui illarum curam gerunt quicunque illi sint, Synodo interesse.* Putamus non esse derogatum nostro Priuilegio concesso à Iulio II. in sua Constitutione incipiente. *Virtute conspicuos*, §. 25. de anno 1506. in quo concedit, quòd Episcopi non possint nos compellere, vt accedamus ad Synodos, & conuocationes suas: benè tamen Fratres Curati, qui curam animarum in Ecclesia Parochiali habent, teneantur interesse, vt per accessum ad Synodum de ordinationibus ipsius Synodi informentur.

De examine eligendorum ad Beneficia.

Seff. 24. c. 18. de reform. *EXaminatores possunt etiam esse Regulares ex Ordine Mendicantium iurántque omnes ad Sancta Dei Euangelia se quacunque humana affectione postposita fideliter munus executuros: caueántque, ne quicquam occasione huius examinis, nec ante, nec post accipiant, alioquin simoniæ vitium, tam ipsi, quàm alij dantes incurrant, & de his omnibus in Synodo Prouinciali, si opus erit rationem reddere teneantur, à qua si quid contra officium eos fecisse compertum fuerit, grauiter eius arbitrio puniri possint.*

De ætate ordinandorum in maioribus.

NVllus in posterum ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum annum: ad Diaconatum autem ante vigesimum tertium: ad Presbyteratum ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoueatur. Regulares quoque nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur, priuilegiis quibuscunque ad hoc penitùs exclusis. Seff. 23. c. 12.

De duobus sacris Ordinibus, eodem die non conferendis.

DVo sacri Ordines eodem die, nec etiam Regularibus conferantur, priuilegiis, aut indultis quibusuis concessis; non obstantibus quibuscumque. Eadem seff. cap. 13.

De Confessione Sæcularium audienda, & quomodò.

SIne probatione Episcopi nullus etiam Regularis possit confessiones Sæcularium, etiam Sacerdotum audire. Eadem seff. cap. 15.

De Communione frequentanda à Ministris Ecclesiæ.

SVbdiaconi, & Diaconi sciant maximè decere si saltem omnibus Dominicis, & solemnibus diebus cum altari ministrauerint, Sacram Communionem acceperint. Eadem seff. cap. 13.

Sacri Altaris ministeria, non nisi per constitutos in dictis ordinibus exerceantur. Eadem seff. & cap. 17.

De obseruatione Regulæ, & Communitate sectanda.

OMnes Regulares tam viri, quàm mulieres ad Regulæ, quam professi sunt, præscriptum, vitam instituant, & componant, & quæ ad Communem vitam, victum, & vestitum obseruanda pertinent, fideliter obseruent, omnique cura, & diligentia à Superioribus adhibeatur tam in Capitulis Prouincialibus, & Generalibus, quàm in eorum Visitationibus, quas suis temporibus facere non prætermittant, vt ab illis recedatur. Seff. 25. c. 1. de reform. Decret. Clement. VIII.

De proprietate extirpanda.

NVlli Regularium, tam virorum, quàm mulierum liceat bona immobilia cuiuscunque qualitatis fuerint, & quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conuentus possidere, vel tenere, sed statim Seff. 25. c. 2. de Reg.

statim ea Superiori tradantur, Conuentuique incorporentur.

Ead.sess. &c. *Nemini Superiorum liceat bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad vsum fructum, vel vsum, administrationem, aut commendam, mobilium verò vsum ita permittant, vt eorum supellex statui paupertatis, quàm professi sunt, conueniat, nihilque superflui in ea sit, nihil etiam, quod sit eis necessarium denegetur; quòd si quis aliter quicquam tenere deprehensus, aut conuictus fuerit, is biennio actiua voce, & passiua priuatus sit, atque etiam iuxta sua Regula, & Ordinis Constitutiones puniatur.*

Hæc omnia Patres nostri in Capitulis Generalibus celebratis Valentiæ IV. n.31. & Valentiæ V. n.12. innouarunt.

De bonis immobilibus, & numero Regularium in Monasteriis constituendo.

Sess. 25. c. 3. de Regul. *Conceditur omnibus Monasteriis Regularium, etiam Mendicantium, exceptis domibus Fratrum Sancti Francisci Capucinorum, & eorum, qui Minorum de Obseruantia vocantur; bona immobilia possidere.*

Ead.sess. &c. *In prædictis Monasteriis, & domibus, tam virorum, quàm mulierum bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus is tantùm numerus constituatur, ac in posterum conseruetur qui, vel ex redditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè sustentari possit.*

De tempore professionis.

Ead.sess.c.15. vide infrà. *IN quacunque Religione, tam virorum, quàm mulierum, professio non fiat ante decimum sextum annum expletum, nec qui minore tempore, quàm per annum post susceptum habitum in probatione steterit; ad professionem admittatur. Professio autem antea facta sit nulla; nullamque inducat obligationem, vel Ordinis obseruationem, vel ad alios quoscunque effectus.*

De renuntiatione bonorum, quando, & quomodo à Nouitiis facienda sit.

Ead.sess.c.16. *NVlla quoque renuntiatio, aut obligatio ante professionem facta etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuscunque causæ piæ valeat, nisi cum licentia Episcopi, siue eius Vicarij fiat intra duos menses proximos ante professionem, ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione: aliter verò facta, etiam si cum huius fauoris expressa renuntiatione etiam iurata, sit irrita & nullius effectus.*

De non differendo tempore professionis.

Sess.25.de Reg. c.16. *FInito tempore Nouitiatus, Superiores, Nouitios quos habiles inueniunt ad profitendum admittant, aut è Monasterio eos eiiciant.* Quòd procedit in illis Nouitiis, quos Superiores, elapso tempore Nouitiatus habiles inuenerint, non in his quos inhabiles inuenerint, vt sunt illi, qui non benè adhuc didicerunt, quia quoad istos inhabiles, Pius V. declarauit Superiores Regulares posse prolongare illorum professionem per alios sex menses, dum habeant spem probabilem, quòd efficiantur habiles. Ita 8. Nouembris 1569. fuit responsum à Sacra Congregatione Concilij P. nostro Passarello consulenti. Imò, & vniuersaliter tempus ad emittendam professionem posse arbitrio Superioris prorogari censuit, eadem Sacra Congregatio, 31. Maij 1597.

De bonis Nouitiorum infrà tempus Nouitiatus accipiendis nec ne.

Ead.sess.&c. *ANte professionem nihil recipiatur de bonis Nouitij, etiam sponte oblatum à parentibus, vel curatoribus eorum, nisi pro victu, & vestitu illius temporis, quo in probatione est, & hoc præcipit Sancta Synodus sub anathematis pœna dantibus, & recipientibus, & vt abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quæ sua erant, quòd vt verè fiat, Episcopus etiam per censuras Ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat.*

De tempore suscipiendi habitum à puellis Deo dicandis.

Ead.sess. & cap. 17. *PVella, quæ habitum Regularem suscipere voluerit; maior duodecim annis sit, nec ante eum suscipiat.*

De puellis Nouitiabus examinandis ante professionem ab Ordinariis.

Ead.sess.&c. *NEc postea ipsa, vel alia professionem emittat, quàm explorauerit Episcopus, vel eo absente, vel impedito, eius Vicarius, aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus, Virginis voluntatem, diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat, quid agat, &c.*

De pœnis Abbatissæ, seu Ministræ non denuntiantis tempus professionis Episcopo.

Ead.sess.&c. *PRofessionis tempus ne Episcopus ignoret, teneatur Præfecta Monasterij eum ante mensem certiorem facere. Quòd si Præfecta certiorem Episcopum non fecerit; quamdiu Episcopo videbitur, ab officio suspensa sit.*

De non impediendis, vel cogendis mulieribus ad Religionem.

Ead.sess.c.18. *ANathemati Sancta Synodus subiicit omnes, & singulas personas cuiuscunque qualitatis, vel conditionis fuerint, tam Clericos, quàm Laicos Regulares, atque etiam qualibet dignitate fulgentes, si quomodocunque coëgerint aliquam Virginem, vel Viduam, aut aliquam*

aliquam quamcunque mulierem inuitam, præterquam in casibus à iure expressis ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscunque Religionis, vel emittendam professionem. Simili, quoque anathemati subiicit eos, qui sanctam Virginum, vel aliarum mulierum voluntatem, vel accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo sine iusta causa impedierint.

De remedio illius, qui prætendit suam professionem non tenere.

Eadem sess. cap. 19.

QVicumque Regularis prætendat se per vim, & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere, quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere, sine Superiorum licentia, non audiatur, nisi intra quinquennium tantùm à die professionis, & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario: quòd si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcunque causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tanquam Apostata puniatur, interim verò nullo Priuilegio sua Religionis iuuetur. Verùm hodie debent attendi, & practicari Constitutiones Vrbani VIII. incipientes: *Religiosos viros*, sub die 2. Aprilis 1631. apud Peytinis, tom. 2. Priuileg. cap. 12. Constit. 7. aliàs 17. & Constit. incipient. *Ad occurrendum motibus*, sub die 5. Ianuarij 1636. apud eundem Peyrin. in Form. lit. P. c. 20.

De excommunicationis sententia, non nisi summa maturitate ferenda.

Sess. 25. c. 3. de reform.

QVamuis excommunicationis gladius neruus sit Ecclesiasticæ disciplinæ, sobriè tamen, magnaque circumspectione exercendus est, cum experientia doceat si temerè, aut leuibus ex rebus incutiatur magis contemni, quàm formidari, & perniciem potiùs parare, quàm salutem. Proinde Nostri Ordinis Fratres in Capitulo Generali celebrato Genuæ anno Domini 1574. num. 13. statuerunt, vt Prouinciales, & Correctores locales, non nisi pro grauioribus causis, quæ præsentaneum exigunt remedium, censuris vterentur, & hoc quàm rarissimè, & matura deliberatione, ac maturo consilio Sociorum.

De locatione bonorum Ecclesiæ, & anticipatis solutionibus non faciendis.

Eadem sess. & materia cap. 11.

LOcationes rerum Ecclesiasticarum si anticipatis solutionibus fiant, nullatenus in præiudicium Successorum valida intelligantur quocunque indulto, aut priuilegio non obstante.

De quarta funeralium.

Sess. 25. c. 13. de reform.

DEcernit Sancta Synodus in quibuscunque locis iam ante annos quadraginta quarta, quæ funeralium dicitur Cathedrali, aut Parochiali Ecclesiæ solita persolui, ac postea fuerit ex quocunque priuilegio aliis Monasteriis Hospitalibus, aut quibuscunque locis piis concessa, eadem post hac integro iure, & eadem portione, quæ antea solebat, Cathedrali, seu Parochiali Ecclesiæ persoluatur, non obstantibus concessionibus, gratiis, priuilegiis, etiam mari magno nuncupatis, aut aliis quibuscunque.

Sess. 25. c. 3. de reform.

Notandum, quòd Sacra Congregatio eiusdem Concilij 27. Martij 1599. declarauit Priuilegio Nobis concesso à Iulio II. de anno 1506. quòd nulli teneantur soluere quartam; non fuisse derogatum per hoc Decretum.

De arctioribus Statutis vltrà Concilium seruandis.

SI qui verò Regulares, tam viri, quàm mulieres sunt, qui sub arctiori Regula, vel Statutis viuunt, excepta facultate habendi bona stabilia in communi, eos ab eorum instituto, & obseruantia Sancta Synodus amouere non intendit.

Hinc Concilium nedum non aufert, sed confirmat arctiora Statuta, si qua in Regularibus sint, & vult, vt in suo robore persistant.

Hæc sunt præcipua, quæ in Sacro Concilio Tridentino iniunguntur Regularibus.

DECRETA SACRÆ Congregationis eiusdem Concilij Tridentini.

Congregatio ista erecta fuit à Pio V. in eius Constitut. 81. tom. 2. Bullar. pag. 84. & deinde restituta à Sixto V. in Constitut. 74. Congreg. 8. tom. 2. pag. 485.

1. *RElati Regulares, seu alij Religiosi Confessores non possunt audire confessiones Sæcularium, qui sunt de familia, & deseruiunt ipsorum Monasteriis, absque approbatione, vel licentia Episcopi: secùs tamen, si illi sæculares sunt verè de familia, & continui commensales, die 14. Augusti 1568.*

2. *Relatione per Sacram Congregationem Concilij Sanctissimo D. Pio V. facta, Sanctitas sua dixit, Concilium cap. 16. sess. vlt. de Regul. procedere tantùm in illis Nouitiis, quos Superiores lapso tempore Nouitiatus habiles inuenerint; non in his, quos inhabiles inuenerint,* vt

vt ſint illi, qui non benè adhuc didicerunt: & ideò, quòd attinet ad iſtos, Sanctitas ſua conceſſit, quòd Superiores poſſint prolongare illorum profeſſionem, dummodo habeant ſpem probabilem, quòd efficiantur habiles infrà ſex menſes, die 8. Nouembris 1569.

3. *Congregatio Concilij cenſuit, ſi ex Inſtitutis, ſeu Decretis Religionis ſuæ, licet Superioribus abſentibus, & legitimè impeditis mittere ad Capitulum Generale alium Fratrem, qui tanquam eorum Procurator ſuo loco, & nomine det vocem in electione, Concilium Tridentinum id non prohibuiſſe, 8. Auguſti* 1570.

4. Dubitatum fuit, an Regulares poſſint ciuiliter coram Epiſcopo à Creditoribus ſuis conueniri? *Et fuit reſponſum, quòd poſſint conueniri, ſi non ſint ſub Regulari obſeruantia: at ſi ſint ſub Regulari obſeruantia, non poſſunt conueniri coram Epiſcopo; quia habeat proprium Superiorem; & nihil habent: iis commune Epiſcopi propter exemptionem, die* 19. *Iulij* 1573.

5. *Cenſuit, Decretum Concilij Tridentini ſeſſ.* 25. *de Regularibus, cap.* 16. *non habere locum in renuntiatione facta, ante ſuſceptionem habitus, die* 22. *Octobris* 1573.

6. *S.D.N. Gregorius XIII. etiam ex ſententia Congregationis Concilij declarauit per motum proprium Pij V. quo prohibetur mulieribus ingreſſus ad Monaſteria Mendicantium, Noſtra Regula non cenſeri derogatum, quoad Reginas, vel Fundatrices dumtaxat, die* 21. *Nouembris* 1577.

Franciſcus Card. Alciatus.

7. *Cenſuit facultatem Superioribus Ordinis Minimorum conceſſam diſpenſandi cum adulterinis non fuiſſe à Concilio ſublatam* 1581.

8. Sed quid ſi ex inſtituto alicuius Regulæ non poſſit fieri profeſſio ante 18. annum, vt ſunt Fratres de S. Franciſco de Paula, an ſit eorum profeſſio nulla, ſi eam emiſerint poſt tempus Concilij, ſed antea tempus in eorum Regula ſtatutum. Siquidem ex verbis Regulæ non annullatur talis actus profeſſionis, ſed tamen imponitur pœna eum reiiciendi, & eget confirmatione Superioris.

9. *Cenſuit Sacra Congregatio profeſſionem tenere argum. c. Ad Apoſtolicam de Regul. die* 2. *Nouembris* 1582.

Vide ſuprà, in 1 part. fol. 18. n. 1. & fol. 59. num. 16. & hic ſuprà, fol. 9.

10. *Sacra Congregatio cenſuit non licere Monialibus fructus, ſeu redditus percipere; & ſi perceperint, incidere in pœnas propoſitas à Decreto, cap.* 2. *ſeſſ.* 15. *de Regul. Neque ab huiuſmodi pœnis excuſari ob licentiam Abbatiſſæ, quæ etiam dicti Concilij Decreto in ſupradictis caſibus concedere, quidem prohiberetur; ſed debet pro ſuo munere ex Monaſterij redditibus, vel eleemoſynis, Monialium neceſſitatibus in dies ſubuenire, die* 10. *Octobris* 1586.

11. *Regulares, qui quo ad Confeſſiones audiendas idonei generaliter ab Ordinariis, eorumve examinatoribus reperti, & probati fuerint; generaliter quoque, & indiſtinctè, abſque aliqua limitatione temporis certorúmve locorum, aut generis Perſonarum admittantur in Diœceſi propria. De cæteris verò, qui non adeò idonei reperientur, ſi petierint ſe admitti, arbitrio Ordinariorum relinquitur ipſos cum limitata facultate, prout eiſdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere. Qui autem in domibus Laicorum confeſſiones ex cauſa audierint, ſtatim Parochum admonere teneantur, & fidem audita confeſſionis pro medico aduenien-te relinquere, die* 2. *Iulij* 1587.

12. *Cenſuit, Regularem deducentem intra quinquennium nullitatem profeſſionis, teneri eam probare, coniunctim coram proprio Superiori Regulari illius Monaſterij, in quo profeſſionem emiſit, & coram Ordinario illius loci, vbi exiſtit Monaſterium, in quo profeſſus eſt, die* 1. *Decembris* 1593.

13. *Cenſuit, in Monaſteriis, ac etiam Collegiatis Regularium, vbi Regularia inſtituta ſeruantur, poſſe Prælatos Regulares, ſiue aliorum Religioſorum Confeſſores abſque licentia Epiſcopi Confeſſiones eorum Sæcularium, qui ſunt verè de familia, & continuè Commenſales; non tamen illorum, qui tantùm deſeruiunt in Monaſteriis, audire, &c. die* 30. *Martij* 1594.

14. *Cenſuit, renuntiationem factam cum licentia Epiſcopi, ſiue eius Vicarij, infrà duos menſes proximos, tempore, quo profeſſio emitti legitimè potuerit, non cenſeri inualidam, ex eo, quòd ipſa actualis profeſſio per aliquot menſes dilata fuerit, die* 17. *Octobris* 1594.

15. *Cenſuit, Superiores Regulares poſſe ſuo ſubdito itidem Regulari, qui præditus qualitatibus requiſitis Ordines ſuſcipere voluerit, literas dimiſſorias concedere; ad Epiſcopum Diœceſanum, nempè illius Monaſterij, in cuius familia ab iis, ad quos pertinet, is Regularis poſitus fuerit. Et ſi Diœceſanus abfuerit, vel non eſſet habiturus Ordinationes, ad quemcunque alium Epiſcopum, dum tamen ab eo Epiſcopo, qui Ordines contulerit, examinetur, quoad doctrinam; & dum ipſi Regulares non diſtulerint de induſtria, conceſſionem dimiſſoriarum in id tempus, quo Epiſcopus Diœceſanus, vel abfuturus, vel nullas habiturus eſſet ordinationes. Verùm cum à Superioribus Regularibus, Epiſcopo Diœceſano abſente, vel ordinationes non habente, litera dimiſſoria dabuntur, in eis vtique huiuſmodi cauſam abſentia Diœceſani Epiſcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum, exprimendam eſſe.*

Quòd qui non fecerunt, officij, & dignitatis, ſeu adminiſtrationis, ac vocis actiua, & paſſiua priuationis, ac aliàs arbitrio eiuſdem Sanctiſſ. D. N. Papæ reſeruatas pœnas incurrent, die 15. *Martij* 1596.

16. *Cenſuit, Superiores Regulares non poſſe diſpenſare*

dispensare super interstitiis Regularium ordinandorum ; sed id pertinere ad Episcopum ordinantem ; qui tamen quò ad causam dispensationis iudicium suum formare debet ex attestatione Superiorum Regularium, die 31. Maij 1597.

Decretum de prorogatione temporis professionis arbitrio Superioris, habes suprà.

17. *Nullos Fratres Romam venire Superiores permittant, nisi priùs à Generali, vel Protectore dumtaxat licentiam in scriptis impetrauerint. Si quis autem sine huiusmodi facultate Romam venire præsumpserit, voce actiua, & passiua biennio priuatus existat, subiturus etiam aliàs arbitratu Superiorum infligendas pœnas. Quæ item omnia aduersùs eos, qui supradictos admiserint, & receperint, sine vlla exceptione locum habent, die 25. Iunij 1599.*

18. *Decretum illud, quo Fratres Romam petere cum Generalis, & Protectoris licentia dumtaxat permissum est; Sanctitas sua extendi ad Prouincialem decreuit; ita vt Prouincialis ipse ex causa communi totius Prouinciæ duntaxat facultatem huiusmodi facere valeat, declarauitque pœnam priuationis vocis actiuæ, & passiuæ contrafacientibus inflictam Sanctitati suæ reseruatam esse, interdicta omninò eorum Superioribus singulis, etiam Generali, ac Protectori facultate illam moderandi, ac relaxandi, die 20. Martij 1601.*

Vide infrà. 19. *Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum consulta respondit: Fratres Tertiarios, mantellatos, corrigiatos, aliosque similes, ita demum Ordinis, cuius tertiæ Regulæ habitum assumpserunt, priuilegiis potiri, & ab ordinarij iurisdictione exemptos esse, si viri Collegialiter viuant, seu cum claustralibus habitent; & mulieres virginalem, seu cælibem, aut castam Vidualem expresso voto, & sub dicto habitu vitam traduxerint. Quemadmodum cauetur Constit. Concil. Lateranens. sub Leone X. quæ habetur sess. 11. in fine. Hoc autem mulierum voto alia duo, scilicet, paupertatis, & obedientiæ nequaquam includi. Quinimmò huiusmodi mulieres, si vitam virginalem, aut cælibem simpliciter, expresséque vouerint, etiam in consanguineorum, & affinium suorum, aut propriis domibus, vel seorsum habitantes; supradictis priuilegiis Ordinis, cuius tertiæ Regulæ habitum deferunt, exemptionéque ab Ordinarij iurisdictione frui debere: Quemadmodum idem Leo postea declarauit Constitutione edita die 1. Martij 1518. Quòd si Fratres, Sororésve Tertij Ordinis, quòd ampliùs prætendunt vigore consuetudinis; posse ius suum prosequi in iudicio ordinario, 1608.*

20. *Cùm actum fuerit in Sacra Congregatione Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, an liceat amplitudini tuæ pergere in quasi possessionem Ecclesias Regularium visitandi. Illustrissimi Patres, perspectis Scripturis huc ab Amplitudine tua, non ita pridem delatis, censuerunt, debere eam abstinere ab huiusmodi visitatione Monasteriorum, atque Ecclesiarum Regularium exemptorum, quibus cura animarum sæcularium non imminet. Itemque Monialium iisdem Regularibus subiectarum in his, quæ ad ipsarum clausuram non pertinent, Romæ die 26. Ianuarij 1619.* Cardinalis Lancellotus.

22. *Censuit, Fratres Ordinum Mendicantium, nequaquam posse ab Episcopis prohiberi, quominus possint per seipsos in Diœcesibus, vbi habent Conuentus, eleemosynas quærere; sed tantùm, si extra loca, vbi Monasteria existant, quæritare voluerint, teneri suorum Superiorum licentiam Ordinario ostendere, 1621.*

23. *Sacra, &c. Congregatio ad secundum censuit, Conseruatorem esse deputandum in Ciuitate, vel Diœcesi, vbi situm est Monasterium, atque ibi tantùm, & non alibi, posse eundem Conseruatorem procedere, etiam in causis bonorum, ac membrorum eiusdem Monasterij, extra ipsam Diœcesim existentium, die 23. Octobris 1623.*

24. *Censuit, Regularem absque legitima licentia accedentem ad Monasterium Monialium Regularibus subiectarum, ibique in loco colloquiis destinato cum Moniali colloquentem, à Diœcesano Episcopo, tanquam Sedis Apostolicæ delegato, coërceri, & puniri posse; quàm Congregationis sententiam S.D.N. Vrbanus VIII. ad se relatam approbauit, 1624.*

In Constitutione de Conseruatoribus edita à Sanctæ memoriæ Gregorio XV. ex sententia Sacræ Congregationis Concilij inter cætera statutum est, vt coram Conseruatoribus Regulares conueniri quidem, aut trahi debeant, sed alios conuenire, aut trahere non possint, itavt memorati Conseruatores in causis, in quibus Regulares, & alij Actores fuerint nullam prorsus iurisdictionem habeant, sed in iis tamen in quibus rei extiterint. Dubitatur nunc, an per hæc verba sublata sit facultas; quam habent Conseruatores defendendi Regulares, & alios à manifestis iniuriis, & violentis, quæ illis de facto inferuntur, dum à suis possessionibus deiiciuntur, & propriis bonis vti, ac frui impediuntur.

Sacra, &c. Censuit eiusmodi verbis minimè sublatam fuisse facultatem, quàm habent Conseruatores defendendi Regulares à manifestis iniuriis, ac violentiis, dummodò obseruent formam præscriptam in Constitutionibus Innocentij IV. & Bonif. VIII. relatis in cap. 1. in fin. de offic. deleg. in 6. Est impressa in Typographia Reu. Cam. Apostolicæ 1624. C. Card. de Torres.

Locus † sigilli.

P. Faganus S.C.C. Secret.

Notandum

alubriter expedire. Cùm itaque, ficut accepimus in Ordine Fratrum Minimorum Sancti Francisci de Paula in vim illius Regulæ, & Constitutionum Apostolica auctoritate confirmatarum, Correctores Prouinciales munus, & officium Correctoris Prouincialis huiusmodi spatio trium annorum exerceant, quibus expletis, illi vacare, & cessare ab eodem munere, & officio ad aliud triennium immediatè subsequens debeant, ad hoc, vt in Correctorem Prouincialem denuò reeligi possint; Cumque videatur ad præsens inoleuisse in eodem Ordine cupiditas, & ambitio officiorum, ipsique Correctoris Prouincialis munus, & officium, exacto triennio prædicto, reeligantur, eaque de causa Successores in eodem munere sibi grati, & accepti creentur, studeant eos dicti Ordinis Religiosos in Correctores locales constituere, qui ad sui libitum voluntatis in Capitulo Prouinciali votum, seu suffragium ferant, sut perpetuitatem in dominatu, & officio, nulla habita boni communis, & prosperi regiminis dicti Ordinis, tam in spiritualibus, quàm in Temporalibus ratione, quærentes.

§. 1. *Hinc est, quòd Nos ambitioni, & cupiditati huiusmodi obuiam ire, & in præmissis opportunè pro cura Nostra Pastorali prouidere volentes; Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine: Quòd de cætero perpetuis futuris temporibus Correctores Prouinciales dicti Ordinis completo, & exacto illorum officio huiusmodi, per sex annos immediatè sequentes, ab eodem munere vacare, & cessare debeant, itavt ante lapsum sexennij huiusmodi ad munus, & officium Correctoris Prouincialis cuiuscumque Prouinciæ Ordinis prædicti denuò eligi, vel assumi nullo modo possint tenore præsentium statuimus; atque ita ab omnibus, & singulis dicti Ordinis Fratribus, & personis sub indignationis Nostræ, ac priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, necnon dignitatum, officiorum, & præeminentiarum quarumlibet, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, & quævis alia obtinenda, pœnis eo ipso absque declaratione incurrendis inuiolatè, & perpetuò seruari præcipimus, & mandamus.*

§. 2. *Decernentes sic, & non aliter in præmissis per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatis, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

§. 3. *Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis Regula, & Correctorio nuncupato, necnon Statutis, & Consuetudinibus etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.*

§. 4. *Volumus autem, vt præsentium transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & Sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ, munitis; eadem prorsùs fides adhibeatur vbique, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris die 24. Martij 1659. Pontificatus nostri Anno 4.*

G. Gualterius.

Notandum, quòd idem Pontifex per suas literas in forma Breuis datas, sub die 11. Augusti 1662. incipiente: *Aliàs emanarunt* suspendit supradictas literas ad sexennium.

CONSTIT. NOVISSIMA.

Beatissime Pater.



D pedes Sanctitatis Vestræ supplex recurrit Frater Petrus de Consentia Ordinis Minimorum Procuraror Generalis, humiliterque exponit, qualiter iuxta expressum Regulæ textum, à Sancto Patriarcha Francisco de Paula eiusdem Ordinis Fundatore Minimis rraditæ, & Apostolica auctoritate confirmatæ, tanto tempore Superiores, post expletum eorum officium, subiecti remanere debent, quanro Prælati priùs extirère; proindéque Correctores Prouinciales, qui de triennio, in triennium, ex vi eiusdem Regulæ innouari debent, post absolutum eorum triennale munus, ab eodem, per tres immediatos subsequentes annos vacare debent, ad hoc vt denuò in Correctores Prouinciales eligi valeant; prout semper inuiolabiliter seruatum est ab ipso Religionis exordio, vsque ad annum sexcètesimum quinquagesimum nonum suprà millesimum; quo quidem anno, Procurator tunc Generalis Ordinis præfati, suo indulgens peculiari genio, nulloque experito Religionis sensu, ad Prædecessorem Sanctitatis Vestræ Alexandrum felicis recordationis Papam VII. recursum habuit, & sub prætextu, quod exinde Correctores Prouinciales, sibi inuicem, & immediatè, in singulis triennijs

trienniis succedere curarent. Motum quendam proprium in forma Breuis obtinuit, quo sancitum est, vt futuris perpetuis temporibus, Correctores Prouinciales, completo illorum officio, per sex annos immediatè sequentes, ab eodem munere vacare deberent; Cuius sanè Apostolicæ sanctionis executionem idemmet Alexander VII. postea suspendit sub Anno 1662. suumque effectum haud quaquam sortiri mandauit, nisi post alios dilapsos sex annos, eo quia Religionem Minimorum subiectis, pro Prouincialitio munere plenam sufficientiam habentibus, magna ex parte destitutam esse cognouit. Instante nunc prætactæ suspensionis termino, voiuersa Religio in Conuentu Massiliensi pro Generalibus Comitiis celebrandis nouissimè congregata, præmemorato supplicanti in Procuratorem Generalem nuper electo commisit, quatenùs Sanctitatem Vestram supplex adiret, omnimodam prælibatæ Sanctionis Apostolicæ suspensiooem impetraturus; Etenim multa in eius executione, Prouinciæ experiuntur incommoda, quippè quæ Religiosorum penuria, hac potissimum tempestate, premitur, qui ad Prouiocialis munus obeundum sufficientiam plenam habeant. Ideo omni cum humilitate supplicat Orator Sanctitati Vestræ ex parte totius Religionis, quatenùs prætactum Regulæ Miaimorum præscriptum, circa Correctorum Prouincialium subiectionis tempus per tres solos annos (ad hoc vt denuò ad idem munus assumi valeant) in pristinum reducere dignetur, quam gratiam, à paterna Sanctitatis Vestræ benignitate, & incomparabili clementia sibi promittit, vt Deus, &c.

Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, ad quam Sanctissimus D. Noster antescriptas preces remisit, attentis narratis, decreuit, & mandauit, circa præmissa seruari Constitutiooes, & Statuta Regulæ Ordinis huiusmodi; Enuntiato Breui sanctæ memoriæ Alexandri VII. cæterisque cootrariis non obstantibus. Romæ 19. Augusti 1667. M. Card. Ginettus. Locu † sigilli. E. Episc. Camer. Secr.

Concordat cum suo Originali, quòd penes me infrascriptum remanet, & conseruatur, & in fidem, &c. Datum in hoc S. Andrea de Frattis Romano Conc. die 30. Augusti 1667.

Ioan. Petrus de Consentea Procurator Generalis.

SVMMARIVM CANONVM Concilij Tridentini, qui de Regularibus præscribuntur.

De Librorum Impressione.



Non liceat Fratribus imprimere, seu imprimi facere Libros de Rebus Sacris, sine approbatione Ordinarij, & licentia suorum Superiorum. Sess. 4. in decreto de vsu, & editione sacrorum librorum.

Patres Nostri in Capitulo Generali celebrato Valentiæ 1571. n. 9. mandarunt in virtute S. Obedientiæ, & sub pœna priuationis actiuæ, & passiuæ vocis per annum, & aliis pœnis ad arbitrium P. Generalis, quòd nullus audeat quidquam imprimere absque licentia dicti Generalis, & in Cap. Barchinonæ celebrato 1629. n. 56. addiderunt priuationem officiorum, & vocis actiuæ, & passiuæ in perpetuum, ita, vt non possint rehabilitari nisi à Capitulo Generali.

De Lectione Sacræ Scripturæ.

In Conuentibus, in quibus Studia commodè vigere possunt, S. Scriptura Lectio habeatur, quæ Lectio à Capitulis Generalibus, vel Prouincialibus assignetur dignioribus Lectoribus. Sess. 5. de reform. c. 1.

Idipsum inculcarunt Patres Capituli Generalis Massiliæ II. celebrati n. 7. omnibus Prouincialibus.

Sacra Congregatio Concilij declarauit Lectores S. Scripturæ in Conuentibus Regulariū non esse examinādos ab Ordinario, benè tamen si legerent publicè in Ecclesia.

De Licentia Prædicatorum.

Prædicatores sine licentia Superiorum Ordinis, & benedictione Ordinarij in Ecclesiis eiusdem Ordinis prædicare non possint. In Ecclesiis autem, quæ suarum Ordinum non sunt vltra licentiam Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur: in Ecclesiis etiam suarum Ordinum nullus Regularis, contradicente Episcopo, prædicare præsumat. Sess. 5. de reform. c. 2. & sess. 14. c. 4.

In Ecclesiis autē aliis à nostris vltra licentiam Superiorum etiam Episcopi licentiam habere teoeantur. In Ordine Nostrò statuitur à S. Fundatore in Correct. n. 79. quòd si quis Frater sine speciali alicuius Superiorum Prælatorum approbatione prædicauerit ad huiusmodi officium non assumatur per biennium, vel grauius puniatur, prove alicui dictorum Prælatorum meliùs fieri videbitur.

De Prædicatoribus malè prædicantibus.

Si aliquis Prædicator (quod absit) errores, aut scandala disseminauerit in populum, etiam si in Monasterio sui, vel alterius Ordinis prædicet Episcopus, ei prædicationem interdicat, quòd si hæreses prædicauerit contra eum secundùm iuris dispositionē, aut loci consuetudinē procedet, etiāsi Sess. 5. de reform. c. 2.

 Pradi

salubriter expedire. Cum itaque, sicut accepimus in Ordine Fratrum Minimorum Sancti Francisci de Paula in vim illius Regulæ, & Constitutionum Apostolica auctoritate confirmaturum, Correctores Prouinciales munus, & officium Correctoris Prouincialis huiusmodi spatio trium annorum exerceant, quibus expletis, illi vacare, & cessare ab eodem munere, & officio ad aliud triennium immediatè subsequens debeat, ad hoc, vt in Correctorem Prouincialem denuò reeligi possint; Cumque videatur ad præsens inoleuisse in eodem Ordine cupiditas, & ambitio officiorum, ipsique Correctoris Prouincialis munus, & officium, exacto triennio prædicto, reeligantur, eaque de causa Successores in eodem munere sibi grati, & accepti creentur, studeant eos dicti Ordinis Religiosos in Correctores locales constituere, qui ad sui libitum voluntatis in Capitulo Prouinciali votum, seu suffragium ferant, sui perpetuitatem in dominio, & officio, nulla habita boni communis, & prosperi regiminis dicti Ordinis, tam in spiritualibus, quàm in Temporalibus ratione, quærentes.

§. 1. *Hinc est, quòd Nos ambitioni, & cupiditati huiusmodi obuiam ire, & in præmissis opportunè pro cura Nostra Pastorali prouidere volentes: Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine: Quòd de cætero perpetuis futuris temporibus Correctores Prouinciales dicti Ordinis completo, & exacto illorum officio huiusmodi, per sex annos immediatè sequentes, ab eodem munere vacare, & cessare debeant, itavt ante lapsum sexennij huiusmodi ad munus, & officium Correctoris Prouincialis cuiuscumque Prouincia Ordinis prædicti denuò eligi, vel assumi nullo modo possint tenore præsentium statuimus; atque ita ab omnibus, & singulis dicti Ordinis Fratribus, & personis sub indignationis Nostræ, ac priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, necnon dignitatum, officiorum, & praeminentiarum quarumlibet, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, & queuis alia obtinenda, pœnis eo ipso absque declaratione incurrendis inuiolatè, & perpetuò seruari præcipimus, & mandamus.*

§. 2. *Decernentes sic, & non aliter in præmissis per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatis, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secùs super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

§. 3. *Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis Regula, & Correctorio nuncupato, necnon Statutis, & Consuetudinibus etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.*

§. 4. *Volumus autem, vt præsentium transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & Sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ, munitis; eadem prorsùs fides adhibeatur vbique, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris die 24. Martij 1659. Pontificatus nostri Anno 4.*

G. Gualterius.

Notandum, quòd idem Pontifex per suas literas in forma Breuis datas, sub die 11. Augusti 1661. incipiente: *Aliàs emanarunt* suspendit supradictas literas ad sexennium.

CONSTIT. NOVISSIMA.

Beatissime Pater.



AD pedes Sanctitatis Vestræ supplex recurrit Frater Petrus de Consentia Ordinis Minimorum Procurator Generalis, humiliterque exponit, qualiter iuxta expressum Regulæ textum, à Sancto Patriarcha Francisco de Paula eiusdem Ordinis Fundatore Minimis traditæ, & Apostolica auctoritate confirmatæ, tanto tempore Superiores, post expletum eorum officium, subiecti remanere debent, quanto Prælati priùs extitère; proindéque Correctores Prouinciales, qui de triennio, in triennium, ex vi eiusdem Regulæ innouari debent, post absolutum eorum triennale munus, ab eodem, per tres immediatos subsequentes annos vacare debent, ad hoc vt denuò in Correctores Prouinciales eligi valeant; prout semper inuiolabiliter seruatum est ab ipso Religionis exordio, vsque ad annum sexcentesimum quinquagesimum nonum suprà millesimum; quo quidem anno, Procurator tunc Generalis Ordinis præfati, suo indulgens peculiari genio, nulloque expetito Religionis sensu, ad Prædecessorem Sanctitatis Vestræ Alexandrum felicis recordationis Papam VII. recursum habuit, & sub prætextu, quod exinde Correctores Prouinciales, sibi inuicem, & immediatè, in singulis

triennijs

triennijs succedere curarent. Motum quendam proprium in forma Breuis obtinuit, quo sancitum est, vt futuris perpetuis temporibus, Correctores Prouinciales, completo illorum officio, per sex annos immediatè sequentes, ab eodem munere vacare deberent; Cuius sanè Apostolicæ sanctionis executionem idemmet Alexander VII. postea suspendit sub Anno 1662. suumque effectum haud quaquam sortiri mandauit, nisi post alios dilapsos sex annos, eo quia Religionem Minimorum subiectis, pro Prouincialitio munere plenam sufficientiam habentibus, magna ex parte destitutam esse cognouit. Instante nunc prætactæ suspensionis termino, vniuersa Religio in Conuentu Massiliensi pro Generalibus Comitiis celebrandis nouissimè congregata, præmemorato supplicanti in Procuratorem Generalem nuper electo commisit, quatenùs Sanctitatem Vestram supplex adiret, omnimodam prælibatæ Sanctionis Apostolicæ suspensionem impetraturus; Etenim multa in eius executione, Prouinciæ experiuntur incommoda, quippè quæ Religiosorum penuria, hac potissimum tempestate, premitur, qui ad Prouincialis munus obeundum sufficientiam plenam habeant. Ideo omni cum humilitate supplicat Orator Sanctitati Vestræ ex parte totius Religionis, quatenùs prætactum Regulæ Minimorum præscriptum, circa Correctorum Prouincialium subiectionis tempus per tres solos annos (ad hoc vt denuò ad idem munus assumi valeant) in pristinum reducere dignetur, quam gratiam, à paterna Sanctitatis Vestræ benignitate, & incomparabili clementia sibi promittit, vt Deus, &c.

Sacra Gongregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, ad quam Sanctissimus D. Noster antescriptas preces remisit, attentis narratis, decreuit, & mandauit, circa præmissa seruari Constitutiones, & Statuta Regulæ Ordinis huiusmodi; Enunciato Breui sanctæ memoriæ Alexandri VII. cæterisque contrariis non obstantibus. Romæ 19. Augusti 1667. M. Card. Ginettus. Loco † sigilli. E. Episc. Camer. Secr.

Concordat cum suo Originali, quod penes me infrascriptum remanet, & conseruatur, & in fidem, &c. Datum in hoc S. Andrea de Frattis Romano Conc. die 30. Augusti 1667.

Ioan. Petrus de Consentea Procurator Generalis.

SVMMARIVM CANONVM Concilij Tridentini, qui de Regularibus præscribuntur.

De Librorum Impressione.



Non liceat Fratribus imprimere, seu imprimi facere Libros de Rebus Sacris, sine approbatione Ordinarij, & licentia suorum Superiorum. Sess. 4. in decreto de vsu, & editione sacrorum librorum.

Patres Nostri in Capitulo Generali celebrato Valentiæ 1571. n. 9. mandarunt in virtute S. Obedientiæ, & sub pœna priuationis actiuæ, & passiuæ vocis per annum, & aliis pœnis ad arbitrium P. Generalis, quòd nullus audeat quidquam imprimere absque licentia dicti Generalis, & in Cap. Barchinonæ celebrato 1619. n. 56. addiderunt priuationem officiorum, & vocis actiuæ, & passiuæ in perpetuum, ita, vt non possint rehabilitari nisi à Capitulo Generali.

De Lectione Sacræ Scripturæ.

IN Conuentibus, in quibus Studia commodè vigere possunt, S. Scriptura Lectio habeatur, quæ Lectio à Capitulis Generalibus, vel Prouincialibus assignetur dignioribus Lectoribus. Sess. 5. de reform. c. 1.

Idipsum inculcarunt Patres Capituli Generalis Massiliæ II. celebrati n. 7. omnibus Prouincialibus.

Sacra Congregatio Concilij declarauit Lectores S. Scripturæ in Conuentibus Regularium non esse examinãdos ab Ordinario, benè tamen si legerent publicè in Ecclesia.

De Licentia Prædicatorum.

PRædicatores sine licentia Superiorum Ordinis, & benedictione Ordinarij in Ecclesiis eiusdem Ordinis prædicare non possint. In Ecclesiis autem, quæ suorum Ordinum non sunt vltra licentiam Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur: in Ecclesiis etiam suorum Ordinum nullus Regularis, contradicente Episcopo, prædicare præsumat. Sess. 5. de reform. c. 2. & sess. 24. c. 4.

In Ecclesiis autẽ aliis à nostris vltra licentiam Superiorum etiam Episcopi licentiam habere tenentur. In Ordine Nostrò statuitur à S. Fundatore in Correct. n. 79. quòd si quis Frater sine speciali alicuius Superiorum Prælatorum approbatione prædicauerit ad huiusmodi officium non assumatur per biennium, vel grauius puniatur, prout alicui dictorum Prælatorum meliùs fieri videbitur.

De Prædicatoribus malè prædicantibus.

SI aliquis Prædicator (quod absit) errores, aut scandala disseminauerit in populum, etiam si in Monasterio sui, vel alterius Ordinis prædicet Episcopus, ei prædicationem interdicat, quòd si hæreses prædicauerit contra eum secundùm iuris dispositionẽ, aut loci consuetudinẽ procedet, etiãsi Sess. 5. de reform. c. 2.

Prædicator ipse generaliter, vel specialiter exemptum se esse prætenderit.

Et in hoc reuocat expressè priuilegia.

De Regularibus delinquentibus.

Sess.6. de reform. c.3.

REgulares extra Monasterium degentes, etiam sui Ordinis priuilegij prætextu ab Ordinario loci, si deliquerint, puniri possint.

Sess.25. c.14. de refor.

Regularis non subditus Episcopo, qui intra claustra Monasterij degit, & extra ea ita notoriè deliquerit, vt populo scandalum sit, Episcopo instante, à suo Superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum seuerè puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat: sin minùs à suo Superiore officio priuetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit. Et hic etiam expressè reuocat priuilegia.

De Visitatione Ecclesiarum.

Sess.7. de reform. c.8.

LOcorum Ordinarij Ecclesias quascumque quomodolibet exemptas auctoritate Apostolica singulis annis visitare possint.

De Regularibus translatis.

Sess.14. de reform. c.11.

REgulares translati de vno Ordine ad alium sub sui Superioris obedientia perpetuò maneant.

Sess.25. c.19.

Et nemo Regularis cuiuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem: nec detur licentia cuiquam Regulari occultè ferendi habitum suæ Religionis.

De Missarum eleemosynis.

Sess.22. in decreto de obseruandis, & euitandis in celebratione Missæ.

IN primis quoad auaritiam pertinet cuiusuis generis, mercedum conditiones, pacta, & quicquid pro Missis nouis celebrandis datur, necnon importunas, atque liberales eleemosynarum exactiones, potiùs quàm postulationes, & alia huiusmodi, quæ à simoniaca labe, vel certè à turpi quæstu non longè absunt omninò prohibeatur. Quo in loco, & si non exprimat Regulares; comprehendit tamen quia generaliter loquitur.

De vagis, & ignotis Sacerdotibus.

Eadem Sess. & decreto.

EPiscopi in suis Diœcesibus interdicant ne cui vago, & ignoto Sacerdoti Missas celebrare liceat. Ideò sint cauti Fratres literas dimissorias ab Episcopo ordinante, seu à proprio Prælato cum alicubi se transferre ex obedientia contigerit habere, & in hoc comprehendit Regulares propter eandem rationem.

De loco celebrandi Missas.

Eadem Sess. & decreto.

NOn patiantur priuatis in domibus, atque omninò extra Ecclesiam, & ad diuinum cultum priuata Oratoria ab eisdem Ordinariis Ordinanda, & visitanda, Sanctam Sacrificium à sæcularibus, aut Regularibus quibuscumque perogi.

Quo in loco non reuocantur Priuilegia, sed Concilium dat facultatem Episcopis illa reuocandi. Quòd procedit etiam, quoad tempus celebrandi, etenim Sacerdotes non debent celebrare, nisi in horis debitis.

De Cæremoniis Missarum.

CAueatur ne Sacerdotes aliis quàm debitis horis celebrent, neve ritus alios, vel alias ceremonias, & preces in Missarum celebratione adhibeant præter eas, quæ ab Ecclesia approbatæ, ac frequenti, & laudabili vsu receptæ sunt. Eadem Sess. & decreto.

Meritò Patres Nostri quamvis Ordo haberet Cæremoniale proprium à S. Sede approbatum, præceperunt in Capitulo Generali Genuæ celebrato 1574. num.21. vt quilibet Corrector in suo Conuentu quoad Missarum celebrationem, & Diuini Officij cultum curet seruare, & ab omnibus suis Fratribus vniformiter seruari facere cæremonias secundùm ordinem Missalis, & Breuiarij noui.

De certo numero Missarum, & candelarum amouendo.

QVarundam Missarum, aut candelarum certum numerum, qui magis à superstitioso cultu, quàm à vera Religione inuentus est; omninò ab Ecclesia remoueatur. Eadem Sess. & decreto.

De remedio circa Missarum multarum numerum.

FAcultatem dat Sancta Synodus Episcopis in Synodo Diœcesana, itemque Abbatibus, & Generalibus Ordinum, vt in suis Capitulis Generalibus, re diligenter perspecta, possint pro sua conscientia in Ecclesiis, quas hac prouisione indigere cognouerint statuere circa hæc quicquid magis ad Dei honorem, cultum, atque Ecclesiarum vtilitatem viderint expedire. Verùm hæc facultas hic data Episcopis, & Generalibus intelligitur de onere Missarum ante Concilium imposito, provt declarauit Sacra Congregatio Concilij 8. Augusti 1570. consulenti P. Nostro Gaspare Passarello: de onere tamen post Concilium recurrendum ad S. Sedem, vt decreuit eadem Sacr. Congr. 21. Iulij 1625. Sess.25. c.4. de reformat.

De voce Capitulari.

QVicumque in Cathedrali, vel Collegiata Sæculari, vel Regulari Ecclesia diuinis mancipatus officiis, in Subdiaconatus ordine saltem constitutus non sit, vocem in huiusmodi Ecclesiis in Capitulo non habeat. Verùm si statutis alicuius Religionis cauetur etiam Sacris non initiatos habere vocem in Capitulo, sicut est in Ordine Nostro Minimorum, nō prohibetur à Concilio quin eam habeant etiam Sess.22. cap.4. de reformat.

etiam quòd in Sacris non sint: quoniam Decretum Concilij non comprehendit Monasteria Regularium, sicut declarauit Sacra Congregatio Concilij pro Nobis 10. Januarij 1573. consulente eodem P. Gaspare Passarello, tunc Generale.

De literis dimissoriis pro susceptione ordinum.

Sess. 14. c. 1. de reformat. *Nullus absque sui proprij Prælati expresso consensu, aut literis dimissoriis ad aliquos sacros, aut minores ordines; vel primam tonsuram promoueatur, aliàs ab executione ordinum sic susceptorum, donec suo Prælato visum fuerit, ipso iure est suspensus.*

De modo nouorum Conuentuum accipiendorum.

Sess. 25. de Reg. c. 3. *Nec de cætero similia loca erigantur sine Episcopi, in cuius Diœcesi erigenda sunt, licentia priùs obtenta.*

Hodie seruari etiam debent Constitutiones Clementis VIII. & Gregorij XV. super hac materia editæ, vt mandauit Vrbanus VIII. per suam Constitutionem incipientem. *Romanus Pontifex* 20. Aug. 1624.

De Fratribus, qui sine Superioris licentia alterius obsequio, se non subiiciant.

Eadem sess. cap. 4. *Ne quis Regularis sine sui Superioris licentia, prædicationis, lectionis, aut cuiusvis pij operis prætextu subiiciat se obsequio alicuius Prælati, Principis, vel vniuersitatis, vel Communitatis, aut alterius cuiuscumque personæ, seu loci, quòd si contra fecerit, tanquam inobediens Superioris puniatur arbitrio.*

De Fratribus sine licentia à Conuentibus non discedentibus.

Ead. sess. &c. *Nec liceat Regularibus à suis Conuentibus recedere, etiam prætextu ad suos Superiores accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint, aliàs ab Ordinariis locorum tanquam desertores sui instituti puniantur.*

De Fratribus, qui mittuntur ad Vniuersitates Studiorum.

Ead. sess. &c. *Qui Studiorum causa ad Vniuersitates mittuntur in Conuentibus tantùm habiteant; alioquin ab ordinariis contra eos procedatur.*

De clausura Monialium.

Ead. sess. c. 5. *Vniuersi Episcopi in omnibus Monasteriis sibi subiectis, in aliis verò Sedis Apostolicæ auctoritate, clausuram Sanctimonialium, vbi violata fuerit diligenter restitui, vbi inuiolata est conseruari maximè procurent.* Et in hoc reuocat priuilegia.

Ead. sess. &c. *Nemini autem Sanctimonialium liceat post professionem exire è Monasterio, etiam ad breue tempus quocunque prætexta, nisi ex aliqua causa ab Episcopo approbanda.* Hæc etiam innouarunt Patres Nostri in Capitulo Generali Valentiæ celebrato 1571. n. 34.

De prohibitione ingressus ad Monasteria Monialium.

Ingredi intra septa Monasterij nemini liceat cuiuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerit, sine Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis obtenta sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, & hoc in casibus necessariis tantum, nec in aliis. Ead. sess. &c.

De Monasteriis Monialium intrà Vrbes reducendis.

Monasteria Sanctimonialium extra mœnia Vrbis, vel Oppidi curent Episcopi, & alij Superiores (si ita videbitur expedire) vt ad noua, vel antiqua Monasteria intra Vrbes reducantur. Ead. sess. &c.

De Confessione, & Communione Sanctimonialium.

Attendant diligenter Episcopi, & alij Superiores Monasteriorum Sanctimonialium, vt saltem singulis mensibus, confessionem peccatorum faciant, & Sacrosanctam Eucharistiam suscipiant. Quòd etiam innouarunt Patres Nostri in Capitulo Generali Genuæ 1574. celebrato num. 16. pro Ordinis Nostri Monialibus. Eadem sess. & cap. 10.

De Confessario extraordinario Monialium offerendo.

Præter ordinarium Confessorem, alius extraordinarius ab Episcopo, & aliis Superioribus, bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat. Ead. sess. &c.

De loco seruandæ Eucharistiæ in Monasteriis Monialium.

Quòd verò Christi Corpus intrà chorum, aut septa Monasterij Monialium, & non in publica Ecclesia conseruetur, prohibet Sancta Synodus, non obstante quocumque indulto, aut priuilegio. Ead. sess. &c.

De modo secreto in electione seruando.

In electione Superiorum quorumcunque, & aliorum Officialium, ac Generalium, & Abbatissarum fiat electio per vota secreta, ita vt singularum eligentium nomina nunquam publicentur. Comprehendit etiam electiones Commissorum Nostri Ordinis ad Capitulum Generale, vel Prouinciale. Vt declarauit Sacra Congregatio 25. Januarij 1571. ad petitionem P. Nostri Gasparis Passarelli, & etiam fuit Statutum in Cap. Generali Romæ vltimò celebrato, n. 56. Eadem sess. & cap. 6. de Reg.

De vocibus non supplendis.

Nec in posterùm liceat Prouinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoscumque Titulares ad effectum Ead. sess. &c.

effectum electionis facienda, constituere, aut voces, & suffragia absentium supplere.

Si verò Statutis alicuius Religionis liceat Superioribus absentibus, & legitimè impeditis mittere ad Capitulum Generale alium Fratrem, qui tanquam eorum Procurator suo loco, & nomine dat vocem in electione sicut est in Ordine Nostro; Concilium id non prohibuisse declarauit Sacra eiusdem Congregatio 8. Augusti 1570. ad instantiam prædicti P. Nostri Gasparis Passarelli.

De ætate eligendi Præpositam, seu Abbatissam Monialium.

Eadem sess. & c. 7. *Abbatissa, & Priorissa, & quacunque alio nomine præfecta, vel Præposita appelletur, eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit, quòd si his qualitatibus non reperiatur in eodem Monasterio, ex alio eiusdem Ordinis eligi possit. Si hoc etiam incommodum Superiori, qui electioni præest videatur, ex iis, quæ in eodem Monasterio annum trigesimum excesserint, & quinque saltem annis post professionem rectè vixerint, Episcopo, vel alio consentiente eligatur.* Sacra tamen eiusdem Congregatio declarauit, quòd licèt Abbatissa per quinquennium non permanserit in Religione, dummodò excedat trigesimum, & id fiat ad requisitionem suarum Monialium, & de licentia Superioris, & dummodò laudabiliter Superiori anno in officio se gesserit; confirmari poterit per biennium.

Per Statutum Sacri Concilij puto derogarum Regulæ Nostrarum Monialium, c. 9. num. 28. in qua conceditur, quòd possit in Matrem Correctricem eligi, quæ per biennium fuerit professa, & vigesimum quintum annum ætatis attigerit. Ait enim Concilium in fine: *In reliquis seruentur singulorum Ordinum, vel Monasteriorum Constitutiones.* Ex quo clarè constat, quoad præmissa vult esse derogatum Regulis, & Constitutionibus.

De loco accipiendi vota Monialium tempore electionis faciendæ.

Eadem sess. de Reg. c 7. *IS, qui electioni præest Episcopus, siue alius Superior Clausura Monasterij non ingrediatur, sed ante cancellorum fenestellam, vota singularum audiat, seu accipiat. In reliquis seruentur singulorum Ordinum, vel Monasteriorum Constitutiones.*

De Gubernatione Monialium.

Sess. 25. de Reg. c. 9. *Monasteria Sanctimonialium Sanctæ Sedi Apostolica immediatè subiecta ab Episcopis gubernentur. Quæ verò à deputatis in Capitulis Generalibus, vel ab aliis Regularibus reguntur, sub eorum cura, & custodia relinquuntur.*

De interdictis, & censuris à Regularibus obseruandis.

Eadem sess. cap. 12. *Censura, & interdicta nedum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo à Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur, atque seruentur.*

De Festis à Regularibus seruandis.

Ead. sess. & c. *Dies festi, quos in Diœcesi sua seruandos Episcopus præceperit ab exemptis omnibus, etiam Regularibus seruentur.*

De controuersia in præcedentiis sedanda ab Episcopis.

Eadem sess. c. 13. *Controuersias omnes de præcedentia, quæ persæpè maximo cum scandalo oriuntur inter Ecclesiasticas personas, tam sæculares; quàm Regulares cum in processionibus publicis, tùm in iis, quæ fiunt in tumulandis Defunctorum corporibus, Episcopus, amota omni oppellatione, & non obstantibus quibuscumque componat.* Vide infrà.

De exitu ad publicas Processiones.

Ead. sess. & c. *Exempti autem omnes tam Clerici sæculares, quàm Regulares quicunque etiam Monachi ad publicas processiones vocati accedere compellantur, iis tantùm exceptis, qui in strictiori clausura perpetuò viuunt.* Quæ sint Processiones publicæ declarauit Pius V. per suam Constitutionem pro Mendicantibus factam incipientem. *Et si Mendicantium* 17. Calend. Iunij 1567. ac etiam eadem Sacra Congregatio.

Regulares in primo ingressu Visitationis Episcopi non tenentur accedere ad processionem cum Clero, etiam si compellantur. Ita declarauit Sacr. Concil. 9. Decembris 1662.

De Minoribus Ordinibus ab aliis quàm Episcopis non conferendis.

Sess. 23. c. 10. de reformat. *Abbatibus, ac aliis quibuscunque, quamuis exemptis, non liceat in posterum intrà fines alicuius Diœcesis consistentibus etiamsi nullius Diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, tonsuram, aut minores ordines conferre.* Et in hoc reuocat Priuilegia.

De promotione Minorum Ordinum.

Sess. 23. c. 11 *Minores Ordines iis, qui saltem Latinam linguam intelligunt per temporum interstitia (nisi aliud Episcopo videretur) conferantur. Hi verò non nisi post annum à susceptione postremi gradus Minorum Ordinum ad Sacros Ordines promoueantur, nisi necessitas, aut Ecclesia*

clesiæ vtilitas, iudicio Episcopi aliud exposcat.

Hic non exprimuntur Regulares, sed comprehenduntur, eo quòd Concilium generaliter loquitur: verùm non reuocat Priuilegia, neque consuetudinem; ideoque subsistente necessitate ministrorum, Prælati Regularium poterunt rogare Episcopum, loci ordinarium, vt super interstitiis temporum dispensare dignetur.

De promotione Maiorum Ordinum.

Sess. 23. c. 13. & 14. *Promoti ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur ascendere, non permittantur. Item qui ad Presbyteratus Ordinem assumuntur bonum habeant testimonium, & in Diaconatu ad minùs per annum integrum, nisi ob Ecclesiæ vtilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videretur, ministrauerint.*

Ideò si in aliquo Conuentu sit necessitas ministrorum, quæ Patrum consilio iudicetur sufficiens causa, vt aliter fiat, ordinaturo Episcopo ea referatur, cuius erit iudicare de illa.

Ita respondit Sacra Congregatio Concilij P. nostro Gasparo Passarello consulenti, die 7. Februarij 1573.

De promotis per saltum.

Ead. sess. &c. *Cum promotis per saltum, si non ministrauerint, Episcopus ex legitima causa, possit dispensare.*

De illis, qui tenentur interesse Synodo Diœcesanæ.

Sess. 24. de reform. c. 3. *Synodi quoque Diœcesanæ quotannis celebrentur, ad quas exempti etiam omnes, qui aliàs, cessante exemptione, interesse deberent, nec Capitulis Generalibus subduntur, accedere teneantur: ratione tamen Parochialium, aut aliarum sæcularium Ecclesiarum etiam annexarum debeant hi, qui illarum curam gerunt quicunque illi sint, Synodo interesse.* Putamus non esse derogarum nostro Priuilegio concesso à Iulio II. in sua Constitutione incipiente. *Virtute conspicuos*, §. 25. de anno 1506. in quo concedit, quòd Episcopi non possint nos compellere, vt accedamus ad Synodos, & conuocationes suas: benè tamen Fratres Curati, qui curam animarum in Ecclesia Parochiali habent, tenentur interesse, vt per accessum ad Synodum de ordinationibus ipsius Synodi informentur.

De examine eligendorum ad Beneficia.

Sess. 24. c. 18. de reform. *Examinatores possunt etiam esse Regulares ex Ordine Mendicantium iurántque omnes ad Sancta Dei Euangelia se quacunque humana affectione postposita fideliter munus executuros: caueántque, ne quicquam occasione huius examinis, nec ante, nec post accipiant, alioquin simoniæ vitium, tam ipsi, quàm alij dantes incurrant, & de his omnibus in Synodo Prouinciali, si opus erit rationem reddere teneantur, à qua si quid contra officium eos fecisse compertum fuerit, grauiter eius arbitrio puniri possint.*

De ætate ordinandorum in maioribus.

Nullus in posterum ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum annum: ad Diaconatum autem ante vigesimum tertium: ad Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoueatur. Regulares quoque nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur, priuilegiis quibuscunque ad hoc penitùs exclusis. Sess. 23. c. 12.

De duobus sacris Ordinibus, eodem die non conferendis.

Duo sacri Ordines eodem die, nec etiam Regularibus conferantur, priuilegiis, aut indultis quibusuis concessis; non obstantibus quibuscumque. Eadem sess. cap. 13.

De Confessione Sæcularium audienda, & quomodò.

Sine probatione Episcopi nullus etiam Regularis possit confessiones Sæcularium, etiam Sacerdotum audire. Eadem sess. cap. 15.

De Communione frequentanda à Ministris Ecclesiæ.

Subdiaconi, & Diaconi sciant maximè decere si saltem omnibus Dominicis, & solemnibus diebus cum altari ministrauerint, Sacram Communionem acceperint. Eadem sess. cap. 13.

Sacri Altaris ministeria, non nisi per constitutos in dictis ordinibus exerceantur. Eadem sess. & cap. 17.

De obseruatione Regulæ, & Communitate sectanda.

Omnes Regulares tam viri, quàm mulieres ad Regula, quam professi sunt, præscriptum, vitam instituant, & componant, & quæ ad Communem vitam, victum, & vestitum obseruanda pertineat, fideliter obseruent, omnique cura, & diligentia à Superioribus adhibeatur tam in Capitulis Prouincialibus, & Generalibus, quàm in eorum Visitationibus, quas suis temporibus facere non prætermittant, vt ab illis recedatur. Sess. 25. c. 1. de reform. Decret. Clement. VIII.

De proprietate extirpanda.

Nulli Regularium, tam virorum, quàm mulierum liceat bona immobilia cuiuscunque qualitatis fuerint, & quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conuentus possidere, vel tenere, sed Sess. 25. c. 2. de Reg.

statim ea Superiori tradantur, Conuentuique incorporentur.

Ead.sess. &c. *Nemini Superiorum liceat bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad vsum fructum, vel vsum, administrationem, aut commendam, mobilium verò vsum ita permittant, vt eorum supellex statui paupertatis, quàm professi sunt, conueniat, nihilque superflui in ea sit, nihil etiam, quòd sit eis necessarium denegetur; quòd si quis aliter quicquam tenere deprehensus, aut conuictus fuerit, is biennio actiua voce, & passiua priuatus sit, atque etiam iuxta sua Regula, & Ordinis Constitutiones puniatur.*

Hæc omnia Patres nostri in Capitulis Generalibus celebratis Valentiæ IV. n.31. & Valentiæ V. n.12. innouarunt.

De bonis immobilibus, & numero Regularium in Monasteriis constituendo.

Sess. 25. c. 8. de Regul. *Conceditur omnibus Monasteriis Regularium, etiam Mendicantium, exceptis domibus Fratrum Sancti Francisci Capucinorum, & eorum, qui Minorum de Obseruantia vocantur; bona immobilia possidere.*

Ead.sess. &c. *In prædictis Monasteriis, & domibus, tam virorum, quàm mulierum bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus is tantùm numerus constituatur, ac in posterum conseruetur qui, vel ex redditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè sustentari possit.*

De tempore professionis.

Ead.sess.c.15. vide infrà. *In quacunque Religione, tam virorum, quàm mulierum, professio non fiat ante decimum sextum annum expletum, nec qui minore tempore, quàm per annum post susceptum habitum in probatione steterit; ad professionem admittatur. Professio autem antea facta sit nulla; nullamque inducat obligationem, vel Ordinis obseruationem, vel ad alios quoscunque effectus.*

De renuntiatione bonorum, quando, & quomodo à Nouitiis facienda sit.

Ead.sess.c.16. *Nulla quoque renuntiatio, aut obligatio ante professionem facta etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuscunque causæ piæ valeat, nisi cum licentia Episcopi, siue eius Vicarij fiat intra duos menses proximos ante professionem, ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione: aliter verò facta, etiam si cum huius fauoris expressa renuntiatione etiam iurata, sit irrita & nullius effectus.*

De non differendo tempore professionis.

Sess.25.de Reg.c.16. *Finito tempore Nouitiatus, Superiores, Nouitios quos habiles inuenerint ad profitendum admittant, aut è Monasterio eos eiiciant.*

Quòd procedit in illis Nouitiis, quos Superiores, elapso tempore Nouitiatus habiles inuenerint, non in his quos inhabiles inuenerint, vt sunt illi, qui non benè adhuc didicerunt, quia quoad istos inhabiles, Pius V. declarauit Superiores Regulares posse prolongare illorum professionem per alios sex menses, dum habeant spem probabilem, quòd efficiantur habiles. Ita 8. Nouembris 1569. fuit responsum à Sacra Congregatione Concilij P. nostro Passarello consulenti. Imò, & vniuersaliter tempus ad emittendam professionem posse arbitrio Superioris prorogari censuit, eadem Sacra Congregatio, 31. Maij 1597.

De bonis Nouitiorum infrà tempus Nouitiatus accipiendis nec ne.

Ead.sess.&c. *Ante professionem nihil recipiatur de bonis Nouitij, etiam sponte oblatum à parentibus, vel curatoribus eorum, nisi pro victu, & vestitu illius temporis, quo in probatione est, & hoc præcipit Sancta Synodus sub anathematis pœna dantibus, & recipientibus, & vt abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quæ sua erant, quòd vt verè fiat, Episcopus etiam per censuras Ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat.*

De tempore suscipiendi habitum à puellis Deo dicandis.

Ead.sess.& cap.17. *Puella, quæ habitum Regularem suscipere voluerit; maior duodecim annis sit, nec ante eum suscipiat.*

De puellis Nouitiabus examinandis ante professionem ab Ordinariis.

Ead.sess.&c. *Nec postea ipsa, vel alia professionem emittat, quàm explorauerit Episcopus, vel eo absente, vel impedito, eius Vicarius, aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus, Virginis voluntatem, diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat, quid agat, &c.*

De pœnis Abbatissæ, seu Ministræ non denuntiantis tempus professionis Episcopo.

Ead.sess.&c. *Professionis tempus ne Episcopus ignoret, teneatur Præfecta Monasterij eum ante mensem certiorem facere. Quòd si Præfecta certiorem Episcopum non fecerit; quamdiu Episcopo videbitur, ab officio suspensa sit.*

De non impediendis, vel cogendis mulieribus ad Religionem.

Ead.sess.c.18. *Anathemati Sancta Synodus subiicit omnes, & singulas personas cuiuscunque qualitatis, vel conditionis fuerint, tam Clericos, quàm Laicos Regulares, atque etiam qualibet dignitate fulgentes, si quomodocunque coëgerint aliquam Virginem, vel Viduam, aut aliquam*

aliquam quamcunque mulierem inuitam, prxterquam in casibus à iure expressis ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscunque Religionis, vel emittendam professionem. Simili, quoque anathemati subiicit eos, qui sanctam Virginum, vel aliarum mulierum voluntatem, vel accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo sine iusta causa impedierint.

De remedio illius, qui prætendit suam professionem non tenere.

Eadem sess. cap. 19. *Quicumque Regularis prætendat se per vim, & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere, quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere, sine Superiorum licentia, non audiatur, nisi intra quinquennium tantum à die professionis, & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario: quod si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcunque causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tanquam Apostata puniatur, interim verò nullo Priuilegio sua Religionis iuuetur.* Verùm hodie debent attendi, & practicari Constitutiones Vrbani VIII. incipientes: *Religiosos viros*, sub die 2. Aprilis 1631. apud Peyrinis, tom. 2. Priuileg. cap. 12. Constit. 7. aliàs 17. & Constit. incipient. *Ad occurrendum motibus*, sub die 5. Ianuarij 1636. apud eundem Peyrin. in Form. lit. P. c. 20.

De excommunicationis sententia, non nisi summa maturitate ferenda.

Sess. 25. c. 3. de reform. *Quamuis excommunicationis gladius neruus sit Ecclesiastica disciplina, sobriè tamen, magnaque circunspectione exercendus est, cum experientia doceat si temerè, aut leuibus ex rebus incutiatur magis contemni, quàm formidari, & perniciem potiùs parare, quàm salutem.* Proinde Nostri Ordinis Fratres in Capitulo Generali celebrato Genuæ anno Domini 1574. num. 13. statuerunt, vt Prouinciales, & Correctores locales, non nisi pro grauioribus causis, quæ præsentaneum exigunt remedium, censuris vterentur, & hoc quàm rarissimè, & matura deliberatione, ac maturo consilio Sociorum.

De locatione bonorum Ecclesiæ, & anticipatis solutionibus non faciendis.

Eadem sess. & materia cap. 11. *Locationes rerum Ecclesiasticarum si anticipatis solutionibus fiant, nullatenus in præiudicium Successorum valida intelligantur quocunque indulto, aut priuilegio non obstante.*

De quarta funeralium.

Decernit Sancta Synodus in quibuscunque locis iam ante annos quadraginta quarta, quæ funeralium dicitur Cathedrali, aut Parochiali Ecclesiæ solita persolui, ac postea fuerit ex quocunque priuilegio aliis Monasteriis Hospitalibus, aut quibuscunque locis piis concessa, eadem post hac integro iure, & eadem portione, quæ antea solebat, Cathedrali, seu Parochiali Ecclesiæ persoluatur, non obstantibus concessionibus, gratiis, priuilegiis, etiam mari magno nuncupatis, aut aliis quibuscunque. Sess. 25. c. 13. de reform. Sess. 25. c. 3. de reform.

Notandum, quòd Sacra Congregatio eiusdem Concilij 27. Martij 1599. declarauit Priuilegio Nobis concesso à Iulio II. de anno 1506. quòd nulli teneantur soluere quartam; non fuisse derogatum per hoc Decretum.

De arctioribus Statutis vltrà Concilium seruandis.

Si qui verò Regulares, tam viri, quàm mulieres sunt, qui sub arctiori Regula, vel Statutis viuunt, excepta facultate habendi bona stabilia in communi, eos ab eorum instituto, & obseruantia Sancta Synodus amouere non intendit.

Hinc Concilium nedum non aufert, sed confirmat arctiora Statuta, si qua in Regularibus sint, & vult, vt in suo robore persistant.

Hæc sunt præcipua, quæ in Sacro Concilio Tridentino iniunguntur Regularibus.

DECRETA SACRÆ *Congregationis eiusdem Concilij Tridentini.*

Congregatio ista erecta fuit à Pio V. in eius Constitut. 81. tom. 2. Bullar. pag. 84. & deinde restituta à Sixto V. in Constitut. 74. Congreg. 8. tom. 2. pag. 485.

1. *Prælati Regulares, seu alij Religiosi Confessores non possunt audire confessiones Sæcularium, qui sunt de familia, & deseruiunt ipsorum Monasteriis, absque approbatione, vel licentia Episcopi: secùs tamen, si illi sæculares sunt verè de familia, & continui commensales, die 14. Augusti 1568.*

2. *Relatione per Sacram Congregationem Concilij Sanctissimo D. Pio V. facta, Sanctitas sua dixit, Concilium cap. 16. sess. vlt. de Regul. procedere tantùm in illis Nouitiis, quos Superiores lapso tempore Nouitiatus habiles inuenerint; non in his, quos inhabiles inuenerint,* vt

vt sint illi, qui non benè adhuc didicerunt: & ideò, quòd attinet ad istos, Sanctitas sua concessit, quòd Superiores possint prolongare illorum professionem, dummodo habeant spem probabilem, quòd efficiantur habiles infrà sex menses, die 8. *Nouembris* 1569.

3. *Congregatio Concilij censuit, si ex Institutis, seu Decretis Religionis sua, licet Superioribus absentibus, & legitimè impeditis mittere ad Capitulum Generale alium Fratrem, qui tanquam eorum Procurator suo loco, & nomine det vocem in electione, Concilium Tridentinum id non prohibuisse*, 8. *Augusti* 1570.

4. Dubitatum fuit, an Regulares possint ciuiliter coram Episcopo à Creditoribus suis conueniri? *Et fuit responsum, quòd possint conueniri, si non sint sub Regulari obseruantia: at si sint sub Regulari obseruantia, non possunt conueniri coram Episcopo; quia habeat proprium Superiorem; & nihil habent: iis commune Episcopi propter exemptionem, die* 19. *Iulij* 1573.

5. *Censuit, Decretum Concilij Tridentini sess.* 25. *de Regularibus, cap.* 16. *non habere locum in renuntiatione facta, ante susceptionem habitus, die* 22. *Octobris* 1573.

6. *S.D.N. Gregorius XIII. etiam ex sententia Congregationis Concilij declarauit per motum proprium Pij V. quo prohibetur mulieribus ingressus ad Monasteria Mendicantium, Nostra Regula non censeri derogatum, quoad Reginas, vel Fundatrices dumtaxat, die* 21. *Nouembris* 1577.

Franciscus Card. Alciatus.

7. *Censuit facultatem Superioribus Ordinis Minimorum concessam dispensandi cum adulterinis non fuisse à Concilio sublatam* 1581.

8. Sed quid si ex instituto alicuius Regulæ non possit fieri professio ante 18. annum, vt sunt Fratres de S. Francisco de Paula, an sit eorum professio nulla, si eam emiserint post tempus Concilij, sed antea tempus in eorum Regula statutum. Siquidem ex verbis Regulæ non annullatur talis actus professionis, sed tamen imponitur pœna eum reiiciendi, & eget confirmatione Superioris.

9. *Censuit Sacra Congregatio professionem tenere argum. c. Ad Apostolicam de Regul. die* 2. *Nouembris* 1582.

Vide suprà, in 2 part. fol. 18. n. 2. & fol. 59. num. 16. & hic suprà, fol. 9. 10. *Sacra Congregatio censuit non licere Monialibus fructus, seu redditus percipere; & si perceperint, incidere in pœnas propositas à Decreto, cap.* 2. *sess* 15. *de Regul. Neque ab huiusmodi pœnis excusari ob licentiam Abbatissæ, qua etiam dicti Concilij Decreto in supradictis casibus concedere, quidem prohiberetur; sed debet pro suo munere ex Monasterij redditibus, vel eleemosynis, Monialium necessitatibus in dies subuenire, die* 10. *Octobris* 1586.

11. *Regulares, qui quoad Confessiones audiendas idonei generaliter ab Ordinariis, eorumve examinatoribus reperti, & probati fuerint; generaliter quoque, & indistinctè, absque aliqua limitatione temporis certorumve locorum, aut generis Personarum admittantur in Diœcesi propria. De cæteris verò, qui non adeò idonei reperientur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinquitur ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere. Qui autem in domibus Laicorum confessiones ex causa audierint, statim Parochum admonere teneantur, & fidem audita confessionis pro medico eduenien te relinquere, die* 2. *Iulij* 1587.

12. *Censuit, Regularem deducentem intra quinquennium nullitatem professionis, teneri eam probare, coniunctim coram proprio Superiori Regulari illius Monasterij, in quo professionem emisit, & coram Ordinario illius loci, vbi existit Monasterium, in quo professus est, die* 1. *Decembris* 1593.

13. *Censuit, in Monasteriis, ac etiam Collegiatis Regularium, vbi Regularia instituta seruantur, posse Prælatos Regulares, siue aliorum Religiosorum Confessores absque licentia Episcopi Confessiones eorum Sæcularium, qui sunt verè de familia, & continui Commensales; non tamen illorum, qui tantùm deseruiunt in Monasteriis, audire, &c. die* 30. *Martij* 1594.

14. *Censuit, renuntiationem factam cum licentia Episcopi, siue eius Vicarij, infrà duos menses proximos, tempore, quo professio emitti legitimè potuerit, non censeri inualidam, ex eo, quòd ipsa actualis professio per aliquot menses dilata fuerit, die* 17. *Octobris* 1594.

15. *Censuit, Superiores Regulares posse suo subdito itidem Regulari, qui præditus qualitatibus requisitis Ordines suscipere voluerit, literas dimissorias concedere; ad Episcopum Diœcesanum, nempè illius Monasterij, in cuius familia ab iis, ad quos pertinet, is Regularis positus fuerit. Et si Diœcesanus abfuerit, vel non esset habiturus Ordinationes, ad quemcunque alium Episcopum, dum tamen ab eo Episcopo, qui Ordines contulerit, examinetur, quoad doctrinam; & dum ipsi Regulares non distulerint de industria, concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus Diœcesanus, vel abfuturus, vel nullas habiturus esset ordinationes. Verùm cum à Superioribus Regularibus, Episcopo Diœcesano absente, vel ordinationes non habente, litera dimissoria dabuntur, in eis vtique huiusmodi causam absentia Diœcesani Episcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum, exprimendam esse.*

Quòd qui non fecerunt, officij, & dignitatis, seu administrationis, ac vocis actiua, & passiua priuationis, ac aliàs arbitrio eiusdem Sanctiss. D. N. Papæ reseruatas pœnas incurrent, die 15. *Martij* 1596.

16. *Censuit, Superiores Regulares non posse dispensare*

dispensare super interstitiis Regularium ordinandorum; sed id pertinere ad Episcopum ordinantem; qui tamen quò ad causam dispensationis iudicium suum formare debet ex attestatione Superiorum Regularium, die 31. Maij 1597.

Decretum de prorogatione temporis professionis arbitrio Superioris, habes suprà.

17. *Nullos Fratres Romam venire Superiores permittant, nisi priùs à Generali, vel Protectore dumtaxat licentiam in scriptis impetrauerint. Si quis autem sine huiusmodi facultate Romam venire præsumpserit, voce actiua, & passiua biennio priuatus existat, subiturus etiam aliàs arbitratu Superiorum infligendas pœnas. Quæ item omnia aduersùs eos, qui supradictos admiserint, & receperiat, sine vlla exceptione locum habent, die* 25. *Iunij* 1599.

18. *Decretum illud, quo Fratres Romam petere cum Generalis, & Protectoris licentia dumtaxat permissum est; Sanctitas sua extendi ad Prouincialem decreuit; ita vt Prouincialis ipse ex causa communi totius Prouinciæ duntaxat facultatem huiusmodi facere valeat, declarauitque pœnam priuationis vocis actiuæ, & passiuæ contrafacientibus inflictam Sanctitati suæ reseruatam esse, interdicta omninò eorum Superioribus singulis, etiam Generali, ac Protectori facultate illam moderandi, ac relaxandi, die* 20. *Martij* 1601.

Vide infrà. 19. *Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum consulta respondit: Fratres Tertiarios, mantellatos, corrigiatos, aliosque similes, ita demum Ordinis, cuius tertia Regula habitum assumpserint, priuilegiis potiri, & ab ordinarij iurisdictione exemptos esse, si viri Collegialiter viuant, seu cum claustralibus habitent; & mulieres virginalem, seu cœlibem, aut castam Vidualem expressò voto, & sub dicto habitu vitam traduxerint. Quemadmodum cauetur Constit. Concil. Lateranens. sub Leone X. quæ habetur sess.* 11. *in fine. Hoc autem mulierum voto alia duo, scilicet, paupertatis, & obedientiæ nequaquam includi. Quinimmò huiusmodi mulieres, si vitam virginalem, aut cœlibem simpliciter, expresséque vouerint, etiam in consanguineorum, & affinium suorum, aut propriis domibus, vel seorsum habitantes, supradictis priuilegiis Ordinis, cuius tertia Regulæ habitum deferunt, exemptionéque ab Ordinarij iurisdictione frui debere: Quemadmodum idem Leo postea declarauit Constitutione edita die* 1. *Martij* 1518. *Quòd si Fratres, Sororésve Tertij Ordinis, quòd ampliùs prætendunt vigore consuetudinis, posse ius suum prosequi in iudicio ordinario,* 1608.

20. *Cùm actum fuerit in Sacra Congregatione Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, an liceat amplitudini tuæ pergere in quasi possessionem Ecclesias Regularium visitandi. Illustrissimi Patres, perspectis Scripturis huc ab Amplitudine tua, non ita pridem delatis, censuerunt, debere eam abstinere ab huiusmodi visitatione Monasteriorum, atque Ecclesiarum Regularium exemptorum, quibus cura animarum sæcularium non imminet. Itemque Monialium iisdem Regularibus subiectarum in his, quæ ad ipsarum clausuram non pertinent, Romæ die* 26. *Ianuarij* 1619. Cardinalis Lancellotus.

21. *Censuit, Fratres Ordinum Mendicantium, nequaquam posse ab Episcopis prohiberi, quominus possint per seipsos in Diœcesibus, vbi habent Conuentus, eleemosynas quærere; sed tantùm, si extra loca, vbi Monasteria existant, quæritare voluerint, teneri suorum Superiorum licentiam Ordinario ostendere,* 1621.

23. *Sacra, &c. Congregatio ad secundum censuit, Conseruatorem esse deputandum in Ciuitate, vel Diœcesi, vbi situm est Monasterium, atque ibi tantùm, & non alibi, posse eundem Conseruatorem procedere, etiam in causis bonorum, ac membrorum eiusdem Monasterij, extra ipsam Diœcesim existentium, die* 23. *Octobris* 1623.

24. *Censuit, Regularem absque legitima licentia accedentem ad Monasterium Monialium Regularibus subiectarum, ibique in loco colloquiis destinato cum Moniali colloquentem, à Diœcesano Episcopo, tanquam Sedis Apostolicæ delegato, coërceri, & puniri posse; quam Congregationis sententiam S.D.N. Vrbanus VIII. ad se relatam approbauit,* 1624.

In Constitutione de Conseruatoribus edita à Sanctæ memoriæ Gregorio XV. ex sententia Sacræ Congregationis Concilij inter cætera statutum est, vt coram Conseruatoribus Regulares conueniri quidem, aut trahi debeant, sed alios conuenire, aut trahere non possint, itavt memorati Conseruatores in causis, in quibus Regulares, & alij Actores fuerint nullam prorsus iurisdictionem habeant, sed in iis tamen in quibus rei extiterint. Dubitatur nunc, an per hæc verba sublata sit facultas; quam habent Conseruatores defendendi Regulares, & alios à manifestis iniuriis, & violentiis, quæ illis de facto inferuntur, dum à suis possessionibus deiiciuntur, & propriis bonis vti, ac frui impediuntur.

Sacra, &c. Censuit eiusmodi verbis minimè sublatam fuisse facultatem, quàm habent Conseruatores defendendi Regulares à manifestis iniuriis, ac violentiis, dummodò obseruent formam præscriptam in Constitutionibus Innocentij IV. & Bonif. VIII. relatis in cap. 1. *in fin. de offic. deleg. in* 6. *Est impressa in Typographia Reu. Cam. Apostolica* 1624. C. Card. de Torres.

Locus † sigilli.

P. Faganus S.C.C. Secret.

Notandum

Notandum primò, quòd Conseruatores semel electi debent durare ad minùs per quinquennium, durante verò quinquennio amoueri, aut mutari nequeunt, nisi ex legitima causa, quæ à Sede Apostolica, aut locorum Ordinariis approbanda erit, prout in Constitutione eiusdem Gregorij XV. Ideò in literis Conseruatoriis apponi debet clausula *(pro futuro dumtaxat quinquennio)* alioquin quoad negotia saltem cœpta perpetuò durabit iurisdictio.

Notandum secundò, quòd debent esse Iudices electi in Prouinciali, vel Diœcesana Synodo, cuius electio infrà duos menses exhibeatur Ordinario, aliàs coram eo agantur causæ, vt in eadem Constitutione.

Vide infrà. 26. *Sacra, &c. S.D.N. Approbante, declarauit, sex Patres in singulis Capitulis, vel Congregationibus generalibus eligendos, de quorum consilio, & assensu Generalis potest Regulares incorrigibiles à Religione eiicere, in vnaquaque Prouincia eligi posse, eosdemque, sic electos, si Generalis tam longè absuerit, & vna conuenire non possit, debere ad eundem transmittere summarium processus, vnà cum eorum voto, & iuxta illud Generalis possit ad sententiam expulsionis procedere: interea tamen vsque ad primum Generale Capitulum, vel Congregationem proximè celebrandam, Sanctitas sua annuit, vt eiectio (seruata in reliquis forma Decreti hac de re edita) fieri possit à Generali itidem cum consilio, & assensu sex Patrum, quos idemmet Generalis in qualibet Prouincia infrà quatuor menses elegerit, die 9. Augusti 1625.*

27. *Sacra Congregatio Cardinal. Concilij Tridentini Interpretum eligendi rationem, quæ libertati electionis, ac naturali consensui aduersatur omninò improbauit, censuitque electiones, si Scrutatores præcepto Superioris obtemperantes singulorum eligentium vota non receperint, pro Canonicis non haberi, 1625.*

Cùm anno præterito 1625. mense Nouembris P. Corrector Generalis Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula deputauerit in Vicarium Generalem Prouinciæ Neapolitanæ F. Bartholomæum Rosa cum facultatibus, de quibus in eius literis patentibus: & Fr. Stephanus de S. Seuerino Prouincialis eiusdem Prouinciæ prædicto deputationi inter cætera obiecerit, Generali non competere hanc facultatem deputandi Vicarios Generales.

Vide suprà, Constit. 15. 28. *Re ad S. D. N. delata, atque à Sanctitate sua Illust. Cardinalibus S. Susanna, S. Sixti, & Bissiæ commissa; iidem Cardinales partibus auditis, ac re diligenter discussa, censuerunt,*
Idem decreuit 10. Septemb. 1632. *& decreuerunt, Correctori Generali competere eiusmodi facultatem deputandi Vicarios Generales in Prouinciis sui Ordinis, quoties expedierit, & ita obseruari mandarunt quibuscumque in contrarium non obstantibus, die 17. Martij 1626.*

Oct. Card. Bandinus.

Locus † sigilli.

P. Fagnanus Secr.

29. *Sapiùs censuit, quoties cadauera Defunctorum ad Ecclesias Fratrum Mendicantium deferuntur, officia mortuorum, ac reliqua, quæ in huiusmodi ministerio adhiberi solent, non à Canonicis, neque à Clero, sed à Fratribus obiri, ac peragi debere. 1626.*

30. *Sacra, &c. Respondit, Episcopum in Monasteriis Monialium sibi subiectis ad custodiendam clausuram posse imponere excommunicationem sibi reseruatam, die 26. Iunij 1627.*

31. *Consulit, Oratorem, quamvis matrimonio copulatum, gaudere priuilegio fori, & exemptione à vectigalibus; si quemadmodum proponitur, in forma iuris valida, perpetuò, & irreuocabiliter, plenè, & cum effectu seipsum, & bona sua omnia, præsentia, & futura, nulla prorsus eorum portione, neque in proprietatem, neque in vsumfructum, sibi reseruata, Religioni obtulerit, & habitum aliqualiter mutauerit. Quòd si omnia præfata simul non concurrant, neque fori priuilegio, neque immunitate à sæcularibus exactionibus frui posse. 1627.*

32. *Sacra Congregatio, &c. Respondit Regularem suspensum ad tempus à diuinis absque expressione priuationis voti infrà illud tempus voce actiua non priuari, ideoque posse votum dare in electionibus Superiorum faciendis, die 22. Augusti 1628.*

R. Card. Vbaldinus.

Locus † sigilli.

Fr. Paulutius S.C.C. Secr.

Quæritur vbi duo Religiosi Regulares in aliquo Conuentu locales reperiuntur, & debeant electionem Superioris illius Conuentus peragere, & non habeant Scribam Fratrum propriæ Religionis, num possint assumere aliquem alium Religiosum alterius Religionis, vel Presbyterum, aut Notarium Apostolicum in Scribam, ne Conuentus, & ipsi priuentur eorum iure cum Scriba secundum iura possit esse extraneus?

33. *Sacra, &c. Respondit posse assumere in Scribam personam extraneam aliàs facultatem habentem acta, seu instrumenta conficiendi in rebus Ecclesiasticis, die 22. August. 1628.*

R. Card. Vbaldinus.

Locus † sigilli.

Fr. Paulutius S.C.C. Secr.

34. *Cùm Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum sæpius, & nouissimè, sub die 29. Aprilis 1621. inhærendo Constitutioni felicis recordationis Pij IV. quæ incipit* Benedictus Deus, &c. *decreuerit, Indici*

Indici Librorum prohibitorum addendas esse omnes, & quascumque declarationes, interpretationes, seu decisiones, sub nomine eiusdem Congregationis Concilij, absque illius auctoritate impressas, & imprimendas: cumque ad illius notitiam peruenerit, quamplures ex declarationibus, interpretationibus, seu decisionibus iuxta contingentiam casuum, illorumque qualitates, & circumstantias à se diuersis temporibus factis secundùm ea, qua proponebantur, fuisse alteratas, immutatas, diminutas, ac forsan aliàs mentito Sacræ Congregationis nomine confictas; nulloque propterea authentico sigillo munitas; istasque per Tribunalia, tam in Vrbe, quàm per Orbem circumferri, & imprimi; consideransque quantum detrimenti recipi possit, si aliqua fides illis adhiberetur. Ex speciali SS. D. N. Vrbani Diuina Prouidentia Papæ VIII. iussu mandat, & præcipit, huiusmodi declarationibus, tam impressis, & imprimendis, quàm manuscriptis nullam fidem esse in iudicio, vel extra à quoquam adhibendam, sed tantum illis, quæ in authentica forma solito Sigillo, & subscriptione Eminentissimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarij eiusdem Congregationis pro tempore existentium munita fuerint, die 2. Augusti 1631.

35. *Sacra Congregatio Concilij Tridentini vnanimi Eminentissimorum Patrum consensu censuit suspensionem ex dispositione eiusdem Sacri Concilij cap. 1. sess. 14. de refor. sustineri, quando in ea non fuit specificata causa pro qua fuit inchoatus Processus: die 27. Martij 1632.*

R. Card. Vbaldinus.

Locus † sigilli.

Franciscus Paulutius S.C.C. Secr.

Vide infra, num. 39.

36. *Sacra, &c. Ad primum respondit, legitimè professos non posse è Religione eiici, nisi postquam per annum integrum in carceribus, in ieiunio, & pœnitentia detenti, & probati fuerint, & eo elapso non resipuerint, sed animo indurato in sua peruicacia perseuerauerint. Fugientes verò, vt suprà, è carceribus, etiam pro huiusmodi fuga delicto esse puniendos, & posse ferrea custodia in carceribus detineri. Ad secundum, Discretos, & Commissos legitimè impeditos non posse constituere Vicarium, vel Procuratorem cum generali mandato ad eligendum, nisi ex institutis, & Decretis sua Religionis, hoc eis sit permissum, die 13. Nouembris 1632.*

R. Card. Vbaldinus.

Locus † sigilli.

Franciscus Paulutius S.C.C. Secr.

37. *Cùm Capitulum Generale Ordinis Minimorum vltimò celebratum decreuerit, vt quicumque Religiosus dicti Ordinis ad aliquam dignitatem, vel officium fuerit assumptus, si illi renuntiauerit, ad aliud æqualis, vel etiam Superioris qualitatis, tanto tempore à Regula Officio, cui renuntiauit, præfixo, non assumatur, sed toto residuo Officij tempore subditus remaneat: cumque ex hoc Decreto orta fuerit difficultas, vtrùm Correctores localis, vel Collega Prouincialis, officio suo renuntiantes, possint eligi in Commissos ad Capitulum Generale destinandos. Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, secundùm ea, quæ proponuntur, censuit, huiusmodi Decretum non obstare, die 4. Februarij 1634.* Vide cap. 3. Barch. n. 52.

R. Card. Vbaldinus.

Locus † sigilli.

Fr. Paulutius S. C. C. Secr.

38. *Attentis narratis, benignè annuit petitioni Correctoris Generalis, vt si verè non adsit aliqua Prouincia Romana, & Conuentus Vrbis eidem Correctori Generali tantummodò immediatè subiecti existant, possit vltra tres suos Collegas loco Prouincialis, & duorum eius antiquorum Collegarum sibi assumere Procuratorem Generalem Ordinis, necnon Superiorem Conuentus Romani, eiusque Socium Seniorem, pro eiiciendis incorrigibilibus, die 19. Iunij 1638.*

I.B. Card. Pamphilius.

Locus † sigilli.

Fr. Paulutius S.C.C. Secr.

Procurator Generalis Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, supplicauit pro sua, & aliorum Superiorum Regularium instructione per hanc Sacram Congregationem responderi ad infrascripta quæsita super Decreto de Apostatis, & eiectis iussu Summi Pontificis ex sententia eiusdem S. Congregationis edito anno 1624.

1. *An Regularis constitutus in Carceribus spatio vnius anni in ieiunio, & pœnitentia, ad finem vt tanquam incorrigibilis à Religione eiiciatur, si è carceribus fugiat (dicto Carcerationis anno non dum expleto) & deinde sit captus, possit tunc, vt incorrigibilis, eiici: an verò quid aliud faciendum sit?*

2. *An Regularis pluribus interpolatis vicibus pro reiteratis delictis in diuersis temporibus commissis, in Carceribus detentus, possit vno carcerationis anno, vt suprà in-*

terpolatè expleto, tanquam incorrigibilis à Religione eiici, si post dictum annum carcerationis interpolatum, animo indurato, in pertinacia sua perseuerans, iterum delinquat?

3. *An Generalis Ordinis possit delegare facultatem eiiciendi è Religione Prouincialibus pro eorum Prouinciis, seu Commissariis, vel Vicariis Generalibus; & an delegatio sit à Generali facienda in quolibet casu, an verò indefinitè in omnibus casibus?*

4. *An sex Fratres, de quorum consilio, & assensu electio fieri debet, sint eligendi de tota Religione, an potiùs sufficiat ex qualibet Prouincia, seu Regno?*

5. *Quòd si à Religione huiusmodi sex Patres non fuerint electi in Capitulo, seu Congregatione Generali, quid faciendum sit vsque ad primum Capitulum Generale?*

6. *An sufficiat, vt Prælatus Conuentualis, seu Prouincialis conficiat processum stilo Religionis seruato, & illius summarium transmittat Generali Ordinis, seu illius Delegato, qui adhibitis sex Patribus, electis, quilibet illorum studeat eundem processum, & transmittat votum suum per literas eidem Generali, seu Delegato?*

7. *An Generalis, seu Delegatus possit ferre sententiam eiectionis à Religione quando à tribus sex Patribus electis, seu ab illorum maiori parte dicta sententia approbetur? an potiùs sit necessarium, vt omnes sex dent votum, ita vt ex defectu voti etiam vnius non possit sententia validè ferri?*

Vide suprà num. 36. 39. *Die 21. Iunij 1653. Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, omnibus maturè perpensis: Ad primum respondit Regulares delinquentes, vt incorrigibiles eiici non posse à Religione anno carcerationis nondum expleto.*

Ad secundum dicit, non sufficere annum carcerationis interpolatè expletum, sed requiri spatium vnius anni continuum, & integrum.

Ad tertium respondit, Generalem Ordinis non posse delegare facultatem eiiciendi è Religione Prouincialibus pro eorum Prouinciis seu Commissariis, seu Vicariis Generalibus.

Ad quartum inhærendo declarationi aliàs factæ die 9. Augusti 1625. à S.M. Vrbano VIII. approbatæ, respondit, sex Patres eligi posse in vnaquaque Prouincia, seu Regno.

Ad quintum, respondit, recurrendum ad S. Congregationem in singulis casibus.

Ad sextum processus esse conficiendos iuxta stylum, & constitutiones Religionis, & illorum transumptum authenticum esse transmittendum ad singulos sex Patres electos, qui per literas possint votum dare.

Ad septimum, sententiam eiectionis fieri debere saltem de voto maioris partis sex Patrum electorum.

Petrus Aloysius Carrafa Præfectus.

Locus † sigilli.

Franciscus Paulutius S. C. C. Secret.

40. *Perpensis antiquis priuilegiis Religionis Minimorum S. Francisci de Paula satisfaciendi celebrationibus Missarum solis Collectis: necnon paupertate, & impotentia Conuentuum eiusdem Religionis, aliisque in libello per Sanctissimum remissis censuit, Missis, quæ vsque ad præsentem diem celebrari debeant in Conuentibus eiusdem Religionis, & celebratæ non fuerunt, satisfacere posse ad rationem trium Iuliorum pro qualibet Missa; ita tamen, vt in futurum adamussim obseruentur Decreta super celebratione Missarum iussu Sanctissimi M. Vrbani VIII. ab eadem Sacra Congregatione: aliàs præsens gratia sit ipso iure nulla, die 15. May 1655.*

I. Episcopus Tuscul. Card. Sachettus.

Locus † sigilli.

Franciscus Paulutius S. C. C. Secret.

41. *Die 17. Nouembris 1655. Sanctiss. D. N. audita sententia Sacræ Congregationis Concily, cui fuerat remissa discussio, decreuit, in futurum recipere debere onera Missarum ad præscriptum Decretorum de celebratione Missarum. Quò verò ad onera perpetua, & præterita, vt iuxta eorum constitutionem, vsque ad diem, quo fuerunt edita Decreta, censeantur adimpleta, iuxta eorum constitutionem. A die verò editionis dictorum Decretorum satisfaciant celebrationi onerum Missarum ad rationem scutorum quadraginta pro qualibet missa perpetua, iuxta decretum editum tempore felicis recordationis Innocentij X.*

I. Episcopus Tuscul. Card. Sachettus.

Locus † sigilli.

Franciscus Paulutius S.C.C. Secr.

DECRE

DECRETA CONGREGATIONIS Sancti Officij.

Inter Congregationes Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium primum locum tenet super rebus fidei, Sancti Officij siue Sanctissimæ Inquisitionis, quæ erecta fuit à Paulo III. in Constitutione 34. tom. 1. Bullar. pag. 551. & denuò restituta per Sixtum V. in Constitutione 74. tom. 2. Bullar. pag. 464.

1. *DIe 22. Maij 1625. Cùm aliàs felicis recordationis Paulus Papa V. Decretum in Generali Congregatione Sacræ Romanæ & Vniuersalis Inquisitionis ediderit tenoris sequentis videlicet: Sanctus Dominus Noster decreuit, vt scribatur Nuntiis Apostolicis, quod notificent, & ordinem Superioribus Religionum, Vniuersitatibus Studiorum, & Ordinariis locorum suæ Nuntiaturæ, ne sinant imprimi in materia de auxiliis etiam sub prætextu commentandi Diuum Thomam, aut alio modo, & qui volunt de hac materia scribere, & imprimere priùs mittant tractatus, & compositiones ad hanc sanctam Inquisitionem. Præfatus Sanctus Dominus Noster Vrbanus Papa VIII. suprascriptum Decretum hoc suo præsenti Decreto confirmauit, & innouauit districtè præcipiens, & mandans omnibus, & singulis cuiusuis Religionis, Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, etiam de necessario exprimenda Regularibus, & aliis quibuscumque, tam Ecclesiasticis, quàm Sæcularibus personis cuiascumque status, conditionis, gradus, ordinis, & dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quàm Sæcularis, vt in posterum non audeant imprimere, vel quoquo modo in lucem edere libros, tractatus, vel compositiones, ex professo, vel incidenter, aut prætextu commentandi Diuum Thomam, vel quemlibet alium Doctorem, aut alia quavis occasione, prætextu, vel modo de materia auxiliorum diuinorum tractantes sine expressa, & speciali licentia à Sanctitate Sua in Congregatione Sancti Officij obtinenda, donec aliud in hac materia à dicta S. Sede Apostolica fuerit ordinatum. Vt autem huiusmodi Decretum inuiolabiliter obseruetur, eadem Sanctitas Sua voluit, & declarauit contrauenientes pœnas priuationis dignitatum, & officiorum suorum vocis actiuæ, & passiuæ facultatis concionandi, publicè legendi, docendi, & interpretandi ipso facto absque alia declaratione incurrere, & nihilominus aliis etiam pœnis Sanctitatis suæ, & successorum suorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis subiacere. Libros porrò quos in futurum contra præsentis Decreti tenorem edi contigerit absque alia declaratione tanquam expressè prohibitos haberi voluit, & Impressores præter amissionem librorum pecuniariis, aliisque corporalibus pœnis iuxta criminis grauitatem teneri mandauit, contrariis quibuscumque non obstantibus.*

2. *Primo Octobris 1626. In Generali Congregatione, &c. Sanctus Dominus Noster Vrbanus VIII. de causis animum suum mouentibus decreuit, & statuit, vt in posterum Regulares omnes cuiusvis Ordinis, Religionis Societatis, & Instituti; quibus pro delictis ad Sanctæ Inquisitionis Officium spectantibus pœnitentiæ genus aliquod impositum fuerit (salutaribus pœnitentiis exceptis) eo ipso ad omnes Religionis suæ gradus, & officia inhabiles censeantur: Vt deinceps etiam si pœnitentiæ tempus expleuerint, vel gratiam receperint; ad illa tamen promoueri nullatenus possint; nisi priùs obtenta à Sancto Domino Nostro, vel hac Sacra Congregatione coram Sanctissimo habenda speciali, & expressa rehabilitationis gratia. Aliàs promotio qualibet nulla sit, & promouentes ipsi priuationem suorum officiorum, ac propterea vocis actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrant. Ad quæ restitui nisi ab eodem Sancto Domino Nostro, vel ab eadem Sacra Congregatione coram S. habenda non possint. Præsens autem Decretum omnibus Religionum Superioribus intimari mandauit idem Sanctus Dominus Noster.*

Thomas de Federicis Sacræ Romanæ & Vniuersalis Inquisitionis Notarius substitutus de mandato.

Locus † sigilli.

Notandum primò, quòd de istis punitis à Sanctæ Inquisitionis Officio adsunt plura Nostra Statuta Generalia, nempè in cap. 3. Genes. num. 10. cap. 4. Val. num. 44. cap. 1. Auen. num. 15. cap. 5. Gen. num. 21.

Notandum secundò, quòd pœnitentiæ salutares, de quibus loquitur supradictum Decretum, dicuntur, quæ solæ, extraiudicialiter infliguntur, & priuatim complentur, vt sunt ieiunia, disciplinæ, recitationes Psalmorum, reprehensiones,

admonitiones, ac etiam correctiones, quæ paternè, & secreto fieri solent aliquibus in hoc S.Tribunali.

VICARIO GENERALI Archiepiscopatus Genuensis.

3. *M. R. Sign. Acciò più fondatamente si proceda contro li sollicitanti in Confessione questa suprema Congregatione ordina, che per il detto di vna sola Donna V. Sign. non faccia constituire, ò carcerare il preteso reo senza darne prima quì auuiso con la relatione della qualità della Donna, del denuntiante, e del denuntiato, & allora à V. S. sarà significato se debba, ò nò, procedere à costituirlo, ò carcerarlo, e tanto ella eseguirà. Si compiacerà poi notificare quest'ordine alli Vescoui Comprouinciali, acciò anche essi lo eseguischino. Mentre io dal Sig. Iddio gli priego ogni bene. Roma li* 17.*Luglio* 1627.

Come Fratello.

Il Card. Millino.

4. *Die* 4. *Ianuary* 1635. *In Generali Congregatione S.D.N.Vrbanus VIII. instâ de causis animum S.S. mouentibus decreuit, vt in posterum, tam Presbyteri sæculares, quàm cuiuscumque Ordinis Regularis damnati ad Triremes perpetuò, vel ad tempus, & cum effectu fuerint in eisdem Triremibus remiges, finito tempore dictæ pœnæ nunquam habilitentur ad executionem suorum Ordinum.* Vide suprà Constit. 8.

5. *Circa Decretum emanatum die* 17. *Augusti* 1567. *nempè, quòd Regulares recurrentes ad Sacrum Officium, vt in eo testimonium perhibeant non possint per quinquennium à suis Superioribus grauari. Ad instantiam Procuratoris Generalis Fratrum Minorum strictioris obseruantia fuit responsum à dicto S. Officio sic videlicet, Decretum Py V. non est in vsu. Datum in S. Officio die* 29. *Octobris* 1646.

Franciscus Albitius Assessor,&c.

6. *Die vigesimo septimo Octobris* 1649. *eadem Sacra Congregatio mandauit, vt Superioribus Religiosorum notificetur, quòd Prædicatoribus significent, vt caueant ab allegatione Doctorum, & Authorum Modernorum, præsertim viuentium.*

DECRETA CONGREGATIONIS *Sacrorum Rituum.*

Hanc Congregationem instituit Sixtus V. Constitut. 74. Congreg. 5. tom.2. Bullar.fol.465.

1. *SAcra Rituum Congregatio decreuit posse celebrari Missam pro Defunctis ritu de Requiem in Dominicis, & festis insepulto, & in Ecclesia præsente corpore,* 23. *May* 1603. Vbi nimirum viget consuetudo sepeliendi Defunctos simul cum Missa. Si quis autem moriatur in Pascha corpus eius reseruetur in sequentem diem ob reuerentiam Paschæ ex Rituali Romano Pauli V.

2. *In Canone nomine Antistitis non sunt nominandi Superiores Regularium: die* 12. *Nouemb.*1605.Nec inferiores Episcopo.

3. *Tolerari possunt Missæ de Requiem in festo duplici, quod non est de præcepto pro voluntate Testatorum implenda: die* 1. *Septembris* 1607. Non ait ad arbitrium viuorum, quod bene nota, sed pro implenda lege Defunctorum.

4. *Missæ defunctorum certo die dicendæ, eo impedito transferuntur in sequentem: die* 27.*Septembris* 1608.

5. *Sabbato Sancto non sunt pulsandæ Campanæ ante Cathedralis, seù Matricis signum: die vigesimo primo Mart.*1609. *Neque in Diœcesi, ante Parochialis signum:* 9. *February* 1608.

6. *Abbates, & aly Superiores Regularium, non possunt benedicere paramenta Ecclesiarum, non sibi subditarum: die* 24. *Augusti* 1609.

7. *Festi nouem lectionum appellatione, venit Dominica dies:* 12.*Martij* 1618.

8. *In Altari certis diebus priuilegiato non potest in iis dici Missa de Requiem in festo duplici de præcepto:* 24.*Aprilis* 1627.

9. *Non fiat Concio coram Sacramento in altari exposito, capite tecto,* 16. *Februarij* 1630.

10. *Lumina duo ad minùs in altari accensa esse debent, dum recitatur Diuinum Officium, Matutinum, &c.* 3.*Martij* 1633. Suprà in Cæremon.10. fin.

Posito statuto Ordinis Minimorum, quòd prima vacante Dominica Iulij, Anniuersarium Dedicationis omnium Ecclesiarum Ordinis prædicti celebretur.

Quæritur primò, an intelligatur de prima Dominica secundùm Ordinem Ecclesiasticum, an verò secundùm computationem communem? Secundò, an dies

dies aliqua infrà octauam SS. Apostolorum Petri, & Pauli in Dominicam cadens, censeatur vacans in ordine ad celebrationem dicti Anniuersarij?

11. *Die 26. Nouembris 1644. Sacra Rituum Congregatio respondit. Ad primum intelligendum esse de prima Dominica secundùm ordinem Ecclesiasticum. Ad secundum, Dominicam infrà octauam SS. Apostolorum Petri, & Pauli ad effectum, de quo agitur, censeri vacantem.*

P. Card. Crescentius.

Locus † sigilli.

F. Paulutius S. Congr. Secr.

12. *Relata per Eminentissimum D. Cardinalem Franciottum controuersia à Fratribus Conuersis, & Oblatis professis Ordinis Minimorum excitata, ex quo iis praecedentiam deberi praesumerent suprà Nouitios, qui adhuc professionem non emiserunt. Eminentissimi Domini visis, ac maturè perpensis partium iuribus, censuerunt praecedentiam deberi Nouitiis suprà Laicos iuxta dispositionem iuris communis, & Confessiones editas à Capitulis Generalibus Romano, & Massiliensi, & ita vbique, & in toto Ordine seruandum esse mandarunt, sub poenis in contrauenientes, vel non acquiescentes per Regula Constitutiones decretis, aliisque arbitrio Sacrae Congregationis, die 28. Septemb. 1658.*

Suprà cap. 1. Miss. 18. c. 8. Rom. 53.

I. Episcopus Sabinens. Cardinalis Sacchettus.

Locus † sigilli.

Franciscus Maria Phoebeus Sacrae Rit. Congr. Secr.

13. *Cùm Sanctissimus Dominus Noster in Visitatione Ecclesiarum Vrbis acceperit in plerisque Ecclesiis abusum irrepsisse celebrandi Missas priuatas pro Defunctis etiam in festis duplicibus contra praescriptum Rubricarum Missalis Romani: eundemque abusum Decreto Congregationis eliminari praeceperit. Innotuerit verò Sacrae Rituum Congregationi huiusmodi abusum etiam in aliis Ecclesiis vbique gentium existentibus inductum pariter reperiri. Sacra eadem Congregatio, vt Missalis Rubrica inuiolatè seruentur districtè praecipit omnibus, & singulis Sacerdotibus tam saecularibus, quàm Regularibus cuiusuis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti etiam necessariò exprimendi, vt in posterum omninò dictam Rubricam seruent, itavt Missas priuatas pro Defunctis, seu de Requiem in duplicibus nullatenus celebrare audeant, vel praesumant. Quòd si ex Benefactorum praescripto Missa huiusmodi celebranda incidant in festum duplex, tunc minimè transferantur in altam diem non impeditam, ne dilatio Animabus suffragia expectantibus detrimentosa sit, sed dicantur de festo currenticum applicatione Sacrificij iuxta mentem eorundem benefactorum. Curéntque Ecclesiarum Rectores, Sacrista, aliique, ad quos spectat, vt huiusmodi Decretum inuiolatè seruetur, & in Sacristia affixum retineatur, vbi commodè ab omnibus celebrare volentibus, conspici, & legi possit. In eos autem qui contra facere ausi fuerint, vel praemissa adimplere neglexerint locorum Ordinarij, tùm Saeculares, tùm Regulares pro modo culpae animaduertant, die 5. Aug. 1662.*

Et facta de praedictis Sanctissimo relatione, Sanctitas sua annuit, & cum applicatione sacrificij satisfieri, ac Benefactorum mentem impleri voluit, eadem die quintè Augusti 1664.

I. Episcopus Sabinens. Cardinalis Sacchettus.

Locus † sigilli.

Franciscus Maria Phoebeus Sacrae Rit. Congr. Secr.

DECRETA CONGREGATIONIS Episcoporum, & Regularium.

Haec Congregatio pro Consultationibus Regularium, & Monialium erecta fuit à Sixto Quinto in eius Constitutione 74. Congregationis 11. tomo secundo Bullar. pag. 466.

1. *Quoniam nonnulli Regulares vagandi studio sine dum imminentem admissarum criminum poenam ex suis Constitutionibus, aut aliàs debitam sibi metuunt falsa, & commentitia grauamina causati non ad immediatè sui Ordinis Superiores scilicet à grauamine Prioris ad Prouincialem: à Prouinciali ad Generalem: à Generali ad Protectorem: prout cuiusque Religionis Constitutionibus disponitur, sed ad hanc Romanam Curiam absque licentia sapiùs fugiunt, potiùs quàm recurrant, ex quo, Ordinum disciplina relaxatur, Praelati contemnuntur, & ipsi in dies audaciores euadunt. Placuit Sacrae Regularium Congre*

Congregationi ex ordine Sanctissimi statuere, ut si quis Regularium in posterum temerè, leuive ex causa hanc almam Vrbem, seu Curiam absque sui Superioris licentia, & supradicta forma prætermissa adire præsumpserit ad suos eosdem Superiores seueriori pœna plectendus remittatur.

Fr. Michaël Bonellus Cardinalis Alexandrinus.

Georgius Palearius V.I.D.Secret. Romæ ex Typographia Reu. Cam.Apost.1587.

2. *Constitutiones alterantes Regulam fieri non possunt sine approbatione Sanctæ Sedis, 1605.22.Aprilis.*

3. *Cùm Sacra Congregationi Cardinalium negotiis Episcoporum, & Regularium præpositorum innotuerit Confessarios Regulares grauiter conqueri, quòd ab Archiepiscopis Episcopis, & locorum Ordinariis ab audiendis confessionibus quavis de causa indiscriminatim suspendantur, & propterea sæpè contigere, vt ab iisdem Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinariis omnibus simul vnius Conuentus Confessariis confessiones audiendi facultas adimatur. Illustrissimi eiusdem Sacræ Congregationis Patres rati vix fieri posse, vt hæc sine scandalo, magnaque animarum pernicie contingant: re maturè perpensa, ad omnem scandali materiam submouendam, & quo magis spirituali piarum mentium consolationi consulatur, statuunt, ac decernunt Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, ad quos Confessarios approbandi ius spectat, Confessarios Regulares aliàs ab ipsis liberè approbatos ab audiendis confessionibus suspendere posthac minimè licere, nisi ex noua causa, eaque ad confessiones ipsas pertinente, aut ob non seruatum interdictum ab ipsis Ordinariis positum. Statuunt insuper eosdem Archiepiscopos, Episcopos, locorumque Ordinarios confessiones audiendi facultatem omnibus simul vnius Conuentus Regularibus Confessariis, eadem Sacra Congregatione inconsulta, nullo pacto adimere posse. Quod quidem Decretum, vt iidem Illustrissimi Patres opportunum, & necessarium duxerunt, ita inuiolabiliter iubent obseruari. Roma 29. Nouembris 1615.*

A.Mar.Episc.Hostiens.Card.Gallus.

Locus † sigilli.

V.Theatinus Secr.

4. *Decreuit Officiales Conuentuum Romanorum non posse ab ipsomet Generali, durantibus eorum officiis, ab iis Conuentibus amoueri 1616.*

5. *Admodum Reuerendissimo P. in Christo P. Procuratori Generali Ordinum Minimorum. Sanctissimus ordinauit mihi, vt notum facerem P. Vestra quod prouideat, ne in imposterum sub quocumque prætextu detur licentia suis Religiosis extra Monasteria, vel domus Conuentus, vel Collegia sua Religionis permanendi; & si fortè fortuna nunc aliquis extra reperiatur absque licentia huiusmodi Sanctæ Sedis ad claustra reuocetur. Insuper vt remoueantur Ordines, quod appellans aliquis, suorum Religiosorum locum, vbi sint Monasteria, Domus, Conuentus, seu Collegia sua Religionis, teneatur illuc rectà ire, & se illius Domus Superiori consignare, die 23. Decembris 1617.*

Vlpianus Archiep.Secr.

6. *Correctior, qui debet interesse electioni Vicarij Generalis non debet esse ille, qui fuit in officio tempore mortis, sed qui est actualiter tempore electionis. Ita declarauit Sacra Congregatio de mense Decemb.1624.*

Illustrissimo & Reuerendissimo Signori. Frà Francesco di San Doroteo dell' Ordine de' Minimi espone humilmente alle SS. VV. Illustrissim. qualmente essendo egli li giorni passati Correttore del Conuento di San Andrea delle Fratte, è douendo il giorno di San Michele eleggere suo Successore insieme col suo Capitolo Conuentuale, dimandò alle SS.VV. Illustrissim. si degnassero di dichiarare esset lecito al Capitolo di detto Conuento di San Andrea eleggere per Correttore Religioso non votante di detto Capitolo non ostante l'ordine contrario fatto in voce dal Presidente del Capitolo celebrato due anni sono forse in vigore di qualche preteso oracolo di San Santità, non potendo farlo de iure, qual non richiede, che l'eletto sij de gremio Capituli, & essendosi le SS. VV. Illustrissim. degnate di farghene la dichiaratione, stante il solito antico di detto Conuento, è la dispositione de Sacri Canoni, però si procedette all'elettione del P. Francesco della Regina benemerito, è Religiosissimo, qual'era qui in Curia: la quale elettione essendo stata Canonica per ragione delli voti hauuti, è per la dichiaratione delle SS. VV. Illustriss. però domanda gratia alle medesime vogliono confirmarla, non ostante vn ordine del P.Generale nouamente presentato, che non si facesse detto Correttore

rettore extra Capitulum.Che il tutto,&c.

7. *Si S.D.N. placuerit Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Regularium præposita confirmationem petitam concedendam esse censuit.Roma,die 7.Octobris 1625. Sanctissimus autem D.Noster Sacra eiusdem Congregationis audita sententia eam approbauit,debitaque executioni demandari præcepit.Romæ die 11.eiusdem mensis, & anni.*

Oct.Card.Bandinus.

Locus † sigilli.

A.Episc.Casert.Secr.

8. *Sacra, &c. Censuit pœnas priuationis vocis actiua, & passiua vnius, vel duorum annorum simpliciter impositas, de annis solaribus esse intelligendas,die 27.Aug.1627.*

9. *Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Regularium præposita, de mandato S. D. N. Vrbani Papæ VIII. declarauit clausuram* (de licentia Superiorum) *in Breuibus appositam, esse intelligendam de Generali Ordinis, & Prouinciali Oblatorum huiusmodi, itavt pro eorundem Breuium executione requiratur vtriusque licentia, & consensus. Romæ 2. Augusti 1630.*

Fr.A.Card. S.Onuphr.

Locus † sigilli.

P.Fagnanus Secret.

10. *Decretum de reseruatione votorum, obedientia, & vita Quadragesimali sub die 22. Augusti 1631. habes suprà in 2. part. in cap.8.Rom.n.79 fol.451.*

Num. 6. & cap. 8. Genes. 13. Eminentissimi, & Reuerendissimi Domini. In Capitulo Generali Ordinis Minimorum Massiliæ 1635. celebrato, & à Sanctissimo, toto inserto tenore anno 1636. confirmato, statutum est, quod Clerici assignati in Studentes ad ordinem Presbyteratus nullo modo mittantur, antequam sex annos in Studiis consumpserint. Verùm cum plures Ordinis Prouinciæ, ob inopiam, & Missarum onera,præfatum statutum incommodum experiantur, dicti Ordinis Zelosus supplicat humillimè VV.EE. quatenùs concedere benignè dignentur, vt liceat eiusdem Ordinis Correctori Generali vbi, & quoties ob prædictas causas expediri iudicauerit, super eodem statuto dispensare cum iis Studentibus, qui in ætate ad Sacerdotium requisita sunt, vel pro tempore, fuerint constituti, etiam si dictum sexennium minimè compleuerint, vt Deus, &c.

D.Falconerio Ordinis Vice-Protect. pro informatione.

Attenta Monasteriorum paupertate, ob quam non possunt Fratres oneribus Missarum satisfacere,posset si ita videbitur opportnaum S. Congregationi, concedi ipsi Correctori Generali facultas dispensandi cum illis tantùm, qui triennium in studiis absoluerint.

L Archiepiscopus Thebarum.

11. *Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis, censuit Correctori Generali Ordinis prædicti concedendum esse,prout præsentis Decreti virtute concedit,vt vbi,& quoties ex prænarratis causis pro sua conscientia ita expedire iudicauerit super dicto statuto, cum iis tantùm Clericis Studentibus dispensare valeat, qui iuxta votum præfati Archiepiscopi Thebani Vice-Protect. triennium in studiis absoluerint, dummodò tamen in eis cætera requisita occurrant,id præscriptum Sacri Concilij Tridentini, & Ordinis prædicti Constitutionum.Romæ die 10.Decemb.1638.*

Fr.Antonius Card.S.Onuphr.

Locus † sigilli.

Cæsar Fachenettus Secr.

12. *Sacra, &c. sæpiùs censuit licere Parentibus in quacunque Ecclesia voluerint, etiam Regularium eorum filiis minoribus qui ad annos pubertatis nondum peruenerunt, eligere sepulturam, nec à Parochis locorum impediri posse aut debere; præsertim verò si in dictis Regularium Ecclesiis sepeliri consueuerint, vel in eis habeant sepulcrum maiorum, 20.Ianuarij 1640.*

Fr.Ant.Card.S.Honufr.

L.Archiepisc Thebar.Secr.

13. *Censuit Constitutiones Apostolicas super nouorum Conuentuum erectione editas non habere locum,quando mutatur situs.Conuentus iam erecti in eodem loco, 13. Septembris 1641.*

Fr.Ant.Card.S.Onuphr.

Locus † sigilli.

L.Archiep.Thebar.Secret.

14. *Censuit Constitutiones, & Decreta Apostolica, super nouorum Conuentuum erectione edita, etiam in qua parte disponunt de distantia seruanda intra Conuentus iam erectos, & erigendos; non habere locum cum*

mutatur situs Conuentuum, iam erectorum in eodem loco, 9. Maij 1642.

Fr.Ant.Card.S.Honuphr.

Locus † sigilli.

L.Arch.Theban.Secr.

15. *Censuit seruandas esse literas Gregorij XIII. & Vrbani VIII. de præcedentia editas, vt qui sunt in possessione præcedentia præcedant, & vbi non constat de possessione, præcedant ij, qui sunt antiquiores in loco controuersiæ, & ita ab his, ad quos spectat, seruari mandat, & præcepit, 6. Octobris 1645.*

M.Card.Ginettus.

Locus † sigilli.

H.Archiepisc.Patracen.Secr.

Quæritur, an collocati de familia in aliquo Conuentu, possint ab eo discedere intra trimestre, & rursus tempore electionis redire ad dandum suffragium, vel potius debeant continuò assistere in Conuentu per dictos tres menses personaliter, & præsentialiter.

16. *Sacra Congregatio, &c. Respondit collocatos de familia in aliquo Conuentu, nisi per tres menses immediatè proximos Capitulo celebrando ibidem continuò permanserint; non habere votum in electionibus, die 7. Februarij 1648.*

M. Card. Ginettus.

Locus † sigilli.

H.Archiepisc.Patracen.Secr.

Quando Conuersus sit Clericus. 17. *Censuit præcedentiam Oratoris initium sumere debere à die Clericatus, non autem à die susceptionis habitus Conuersorum. 26. Februarij 1649.*

M. Card. Ginettus.

Locus † sigilli.

H. Archiepisc. Patracen. Secr.

Quando Conuersus sit Clericus. 18. *Censuit præcedentiam Regularis Oratoris, initium sumere debere à die Clericatus, non autem à die susceptionis habitus Conuersorum, 26. Februarij 1649.*

M. Card. Ginettus.

Locus † sigilli.

H. Archiepisc. Patracen. Secret.

19. *Decretum de Definitoribus eligendis per scrutinium separatum de anno 1650. die 28. Iulij, habetur in 2. par. in cap. 8. Rom. num. 60. f. 448.*

20. *Sacra Congregatio, &c. Censuit Decretum Capituli Generalis omnino seruandum esse quoad prænarratas definitiones; ita tamen, vt liceat Generali, seu Visitatoribus quoties vrgens necessitas coëgerit, definitiones prædictas eorum sigillo obsignatas in manibus Prouincialis, & Collegarum (nisi fuerint suspecti) aliàs penes duos ex Definitoribus, quos noverint fideliores, relinquere, ea lege, vt infrà terminum quindecim dierum, post eorum discessum, publicare omnino teneantur, sub pœna priuationis officiorum, vocis actiua, & passiua, & perpetua inhabilitatis eoipso absque alia declaratione, incurrenda. Romæ 12. Nouembris 1655.* Sup. in 1. p. c.8.Ro.n.49.

M. Card. Ginettus.

Locus † sigilli.

H. Archiep. Patracen. Secr.

21. *Sacra congregatio, &c. attentis narratis, reque, auditis partibus Em. Carpineo referente mature, & diligenter examinata, censuit irritandas, & annullandas esse prout irritat, & annullat præfatas declarationes à Capitulo Generali celebrato de anno proximè præterito 1661. in Ciuitate Barchinonensi emanatas: saluis tamen iuribus, quæ Ex Generalibus tantùm, vt suprà competere possunt, ac proinde in posterum celebranda esse Capitula Generalia, Prouincialia, & intermedia, prout ante dictum Capitulum celebrabantur, ac deinceps per Capitula Generalia nihil omnino desuper, sub pœna pariter nullitatis, statuendum, & supradicta omnia earundem præsentium vigore decernit, in contrarium allatis, aut prætensis non obstantibus quibuscunque: Romæ 15. Ianuarij 1662.* Sup. in 1. p. c. 4. Barc. n. 6.

M. Card. Ginettus.

Locus † sigilli.

Aë. Episcopus Camerin. Secret.

22. *Sacra Congregatio super statu Regularium censuit constitutionem Clem. VIII. de Collegis Generalis Ordinis Minim. deinceps seruandam esse sub pœnis in ea contentis, atque aliis, non tantùm Collegis recedentibus, sed etiam ipsimet Generali à sua Sanctitate imponendis. Romæ 30. Ianuarij 1664.* Sup. Const. 2. num. 8.

Marcus Antonius Franciottus.

Locus † sigilli.

P. Fagnanus Secret.

DE

DECRETA CONGREGATIONIS *Visitationis Apostolicæ.*

De anno 1597. 14. Ianuarij exierunt infrascriptæ declarationes ad instantiam P. Generalis Nostri Ordinis Minimorum subscriptæ à Secretario Sorbolongo.



Rimum dubium fuit: Quid faciendum, quando aliquis Collega fuerit recusatus à Fratribus in Visitatione? Et responderunt Illustrissimi Domini istius Sacræ Congregationis. *Quod non debet admitti qualiscunque recusatio, quia sunt quatuor Iudices, & non vnus. Quod si aliquis deposuerit contra Collegam Generalis, tunc poterit Generalis secreto recipere depositionem illam, & eam probare, ac postea Congregationi Visitationis referre.*

Secundum. Quid faciendum, quando aliquis Collega fuerit infirmitate detentus, vel aliàs iustè impeditus? Et responderunt: *Quod tunc poterit Generalis cum duobus Collegis visitationem facere; non tamen illam definire alio inconsulto.*

Tertium. An Visitationes Conuentuum paruulorum possint remitti alicui ex Collegis? Et responderunt: *Quod poterit mitti ad dictos Conuentus visitandos aliquis ex Collegis cum alio quocunque Socio; obseruabitur tamen, vt non mittatur idem ad eosdem Conuentus, qui anno præterito illos visitauerit.*

Quartum. Quæritur quomodo creandi sint Vicarij Generales in Prouinciis remotis à Generali? Et responderunt: *Quod in Curia non fiant Vicarij Generales inconsulto Illustrissimo D. Capite Sacræ Congregationis Visitationis. In Italia, ipso Generali præsente, non debeat fieri Vicarius Generalis. In Gallia & Hispania poterit facere quemcunque voluerit de assensu Collegarum.*

Quintum. An possit, seu debeat eligi vnus pro tota Religionis Visitatione? Et responderunt: *Quod poterit eligi vnus Scriba fidelis pro qualibet Prouincia, & si non reperiatur Scriba, Collega eiusdem nationis.*

Sextum. Quomodo intelligatur interdictio de non interpretandis Decretis Sanctissimi? Et responderunt: *Quod non conuenit interpretari quoad relaxationem: benè tamen quoad reformationem, & arctiorem modum.*

De mandato Illustriss. & Reuerendissimorū Prælatorum Visitationis, & Reformationis Apostolicæ intimatur omnibus, & singulis quorumcunque Ordinum Mendicantium Generalibus, siue Vicariis Generalibus, vel Procuratoribus Generalibus qualiter Sanctiss. D. Noster Clemens Papa VIII. declarauit, & voluit quod pœna incursa, & incurrenda per quosvis Regulares venientes ad Vrbem sine licentia eorum Protectoris, vel eorum Generalis, vel aliàs iuxta formam Decretorum Generalium Reformationis Suæ Sanctitatis, non possint remitti ab eorum Superioribus, sed debeat haberi recursus ad Sanctitatem Suam, qui huiusmodi pœnarum dispensationem, vel relaxationem sibi reseruauit. In quorum fidem, &c. Hac die 16. Iunij 1601. Sup. c. Rom. num. 11.

Ancharius Canonicus Lateran. Refor. Apost. Not.

Horatius Fortunatus, Iu. &c.

Sacra Congregatio Cardinalium, & Prælatorū super appellationibus, & inhibitionibus Tribunalis Auditoris Cameræ, & aliorum Tribunalium Curiæ Romanæ à Sanctæ memoriæ Vrbano VIII. deputata, & à S. D. N. Innocentio X. renouata, in hanc deuenit sententiam, & resolutionem, videlicet:

In causis Regularium eiusdem Religionis, siue sint inter Subditos, siue inter Subditum, & Prælatum, siue inter Monasterium, & Monasterium, siue aliàs quomodolibet, Auditorem Cameræ se immiscere non posse in prima instantia, &c.

Hoc Decretum congruit Bullæ Sixti V. in erectione Sacræ Congregationis Regularium, vt in §. 1. sic legitur: *Causas vero, quas inter ipsos Religiosos oriri contigerit, iuxta quarumcunque Religionum instituta, eorumque dispositionem Superiores illorum definiant, atque terminent.*

DECRETA CONGREGATIONIS, *De Propaganda Fide.*

Congregationem pro Fide Catholica propaganda instituit Gregorius XV. Constit. 26. tom. 3. Bullar. pag. 310.



Ihil tam magna cura est Sacræ de Propaganda Fide Congregationi, quam vt operarios plures linguis instructos habeat, quos in messem Domini, præsertim sub Hæreticis, & Infidelibus Principibus constitutam, mittere possit. Proinde animaduertens aliam quoque esse eosdem multiplican

multiplicandi, & augendi breuiorem viam Generales omnes, annuente S.D.N. admonendos esse censuit, vt præter studia linguarum aliàs à Sacra Congregatione Regularibus indicta speciali sub Decreto præcisè velint, vt in Nouitiorum receptionibus in posterum facendis aliqui semper ex variis nationibus, & linguis pro modulo tamen suarum Religionum vnà cum aliis, qui hactenus recipi consueuerunt, ad habitum assumantur, qui peracto studiorum cursu, & simplici Sacerdotio constituti, & Episcopali dignitate ornati, ad eorum Prouincias Propaganda Fidei gratia mitti possint. Nam sic facientes certò sciant se Christo Domino obsequium gratissimum, & acceptissimum præstituros, & Fidei Catholicæ, & suarum Religionum generi, & amplificationi summoperè esse consultores, die 15. Decemb. 1624.

2. *Die 19. Martij 1630. referente Eminentissimo Cardinali Triuultio literas Correctoris Lusitaniæ: Sacra Congregatio censuit admonendos esse Generales Religionum, quæ habent Conuentus, & Hospitia in Indiis Orientalibus, vt per missiones Religiosorum idoneorum ad partes illas, in quibus dilatatur Mahumetismus se opponant Mahumetanorum progressibus, mediante Euangelij prædicatione, coram Sanctissimo.*

Card. Ludouisius.

Locus † sigilli.

Franciscus Ingulus Secr.

Mandat, vt nullus eligatur in Commissum ad Capitulum Generale destinandum, qui per tres annos continuos immediatè antecedentes dictam electionem, non fuerit localiter commoratus in Prouincia, in qua eligendi sunt Commissi.

HIPPOLYTVS MISERATIONE Diuina Sanctæ Mariæ Nouæ Diaconus Cardinalis Aldobrandinus, Protector.

Cum aliàs Sanctitati Domini Nostri placuerit Protectionis curā huiusce Minimorum Religionis Nobis committere, pro viribus curare debemus, vt in regimen, negotiaque dictæ Religionis ad honorem Diuinæ Maiestatis, iuxta Regularem Obseruantiam, ipsiusque Ordinis progressum conducantur. Quamobrem in primis cupientes, vt in Generali Capitulo Commissi Patres instructi, & experti in negotiis suarum Prouinciarum reperiantur (cum præcipuè ad eos spectet dictarum Prouinciarum negotia Capitulis Generalibus exponere) hoc inter alia remedium arbitrati sumus opportunum, constituere de mente Sanctitatis Suæ, eiusque speciali mandato, vt dicti Commissi, qui tam in proximo Generali Capitulo, quam in aliis sequentibus in posterum celebrandis, interuenient, locales, & Conuentuales in eadem Prouincia commoraße debeant per tres annos continuos immediatè præcedentes Capitulum Prouinciale, in quo eligendi sunt, vt ad prædicta Capitula Generalia mittantur. Saluis in reliquis Statutis, & Ordinationibus super hoc emanatis. Quòd si aliqui Capitulorum Generalium Commissi aliter, quam hic præscribitur, & mandatur, in posterum electi fuerint, eorum electionem ex nunc, prout ex tunc irritam, & nullam declaramus, eosque à dictis Capitulis Generalibus excludendos decernimus, & excludimus; vltra pœnas Electoribus per Nos, aut Capitula Generalia prædicta ad arbitrium infligendas. Datum Romæ in Ædibus Nostris, die 26. mensis Iulij anno 1622.

Hippolytus Card. Aldobrand. Protect.
Locus † sigilli.

NOS HIPPOLYTVS S. Angeli in Piscina Card. Aldobrandinus Camerarius, & Ordinis Minimorum Protector.



Cum ad Nos, & Correctorem Generalem Ordinis Minimorum remissa fuisset solutio Dubij propositi in Capitulo vltimo Generali Romæ celebrato cuius tenor est: Dubitatum fuit, an qui alicui officio renuntiauit, possit ad aliud officium assumi, etiam altioris qualitatis? Responderunt Patres hoc esse committendum Illustriss. D. Protectori vnà cum Reuerendiss. P. Generali tantùm; *Ideò re maturè considerata vtque omnis ambitiosus aditus Fratribus præcludatur, dicimus, & declaramus, quod quicunque Frater dicti Ordinis ad aliquam dignitatem, vel officium fuerit assumptus: si huic renuntiauerit, illum ad aliud æqualis, vel etiam Superioris qualitatis officium toto tempore à Regula officio, cui renuntiauit, præfixo, assumi non posse. Itavt nec Zelosus, nec Collega Generalis in Prouinciales, nec Collega Prouinciales in Correctores Locales: sicuti nec Prouinciales in Collegas Generales, nec Correctores in Collegas Prouinciales, si officio renuntiauerunt, possint eligi, sed toto residuo officij tempore, subditi remaneant. In quorum fidem, &c. Dat. Romæ in Palatio Nostra solita residētia die 8. Apr. 1626.* Suprà n. 17. & 18.

Hippolytus Card. Aldobrand. Protect.
Locus † sigilli.
Fr. Simon Bachelier Generalis.

Notandum,

Notandum, quòd de renuntiatione habentur multa statuta in Capitulis Generalibus scilicet in cap. 3. Barchinon. num.52.cap.2. Massiliens.num.11.cap.8. Rom.59.

Quod acceptetur forma electionis Vicarij Generalis in casu mortis Generalis, & quod Prouinciales non possint eligi in Commissos; vt declarauit idem Eminentissimus Protector de mente S. D. Nostri Vrbani VIII. prout toti Religioni manifestauit Pater Simon Bachelier, apud quem vt antiquiorem remanserunt per mortem P. Generalis, Sigilla Religionis per suas literas, impressas, & datas Romæ apud Conuentum SS. Trinitatis, quinto Kalendas Octobris 1624. subscriptas, & sigillatas à dicto Eminentissimo Protectore sub his verbis. Tenor autem dictarum literarum quantum ad rem nostram facit talis est.

Illustrissimus & Reuerendissimus Dominus Cardinalis Aldobrandinus Protector, de cuius ordine, & scientia, & assensu præsentes facimus, facto verbo cum SS. D. accepit eam esse prædicti D. intentionem, & voluntatem, vt forma electionis Vicarij Generalis Ordinis Minimorum in casu mortis Generalis ab ipso SS. approbata, & confirmata, sub datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 29. Maij 1624. inuiolabiliter obseruetur, non obstantibus quibuscumque rationibus, oppositionibus, & appellationibus in contrarium: prohibens ne quis temerario ausu contra dictam formam quidquam audeat attentare. Significantes vobis, quod de mente Illustrissimi Domini Cardinalis Protectoris declaratum est, Patres Prouinciales in electionibus Commissorum voto passiuo carere.

Præsentes literas approbamus, & ex omni parte confirmamus de expresso S. D. N. mandato.

Hippolytus Card. Aldobrandinus Protector.

Istam formam electionis, de qua *hic agitur, habes suprà in Constitutione 21. & acceptationem eiusdem in cap. 3. Barchinonensi num.9. & 60.*

FRATER FRANCISCVS à Longobardis Ordinum Minimorum Corrector Generalis.

IN Capitulo Barchinonensi vltimo celebrato editum fuit inter alia, Decretum tenoris sequentis. Suprà cap. Barch. n.15.

Trium autem Mensium tempus, computandum est à die 15. mensis Iunij, ita quod nullus possit admitti ad electiones Correctorum Localium, & Commissorum; nisi qui personaliter obedientiam localitatis suæ intimauerit Correctori, & Capitulo, cuius constituitur Localis, & Conuentus à quo recedit ante prædictam 15 Iunij. Hoc habent PP. Prædicatores.

Circa quod multipliciter dubitatum fuit. Nos igitur ea de re consulti, innitentes facultati interpretandi loca dubia nostrarum Constitutionum nobis facta per Apostolica Priuilegia, declaramus Decretum prædictum intelligendum esse hoc modo, videlicet: Quod Frater, qui accipit obedientiam à suo Superiore, teneatur illam personaliter ostendere Superiori, & Capitulo locali Conuentus, cuius constituitur localis per dictam obedientiam, & Superiori, & Capitulo Locali Conuentus, à quo recedit post acceptam obedientiam, licet non sit, nec fuerit in eo localis: non autem Superiori, & Capitulo Locali illius Conuentus, in quo erat localis, si ab eo recesserat vigore alterius obedientiæ, vel quavis alia de causa ante acceptam prædictam Obedientiam suæ localitatis. Et sic, & non alio modo volumus ab omnibus in omni euentu iudicari. In quorum fidem, &c. Datum Romæ 8. Maij 1632.

Fr. Francisc. à Longob. indignus Gen.

Locus † sigilli.

Statutum prædictum fuit editum in c. Generali 36. Barchinonæ num. 15. secundò celebrato, de anno 1629. & istam declarationem eiusdem acceperunt Patres in cap. 37. Massiliæ num. 11. secundò celebrato 1635. contra facientibus fuit imposita priuatio vtriusque vocis in cap. 8. Genes. num. 20. & vltimò modificatum ratione pestis in cap.8. Rom. num.67. de anno 1655.

FINIS TOMI SECVNDI.